Sarlegia

A

8
9 E
1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA ASTENSIS,

Clariſſimi & Eximii Sacræ Theologiæ Profeſſoris,

FR. ASTESANI DE ASTA

Ex Ordine Seraphico Patriarchæ

SANCTI FRANCISCI.

Studio atque induſtria FR. JOANNIS BAPTISTÆ LAMBERTI, ejuſdem cum Auctore Religionis, & Patriæ, novæ Impreſſioni tradita.

Sanctiſ. ac Beatiſ. Patri & Domino noſtro

BENEDICTO XIII.

Feliciter regnanti dicata.

TOMUS PRIMUS.

ROMÆ MDCCXXVIII.

Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi, apud Theatrum Capranicenſe.

PRÆSIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER;

SUmmam Aſtenſem Fratris Aſteſani de Aſta in Sacra Theologia Magiſtri, jam diù in lucem editam, & indè temporis injuria pænè antiquatam novæ Impreſſioni demandari ſatagens (Operis excellentia permotus, nec non ſtudio erga Auctorem Religione,& Patria mihi conjunctum illectus, eruditis æquè ſuadentibus Viris) inſimul excogitare debui, Mæcenatem Optimum eligere, à quo celeberrimum hoc Opus præſidium ſuſciperet,ac decus: & opportunè ,.& continuò (inſpirante Domino, cujus vices in Terris fungeris, BEATISSIME PATER) ſeſe mihi obtulit SANCTITAS VESTRA, ſub cujus adorando Nomine, tam-

quam ſub tutelari Numine prodeuntem hunc Librum, & præſens venerabitur Literatorum Reſpublica, & ſequens excipiet cum veneratione Poſteritas. Quid enim laudabilius? Quid magis rationi conſonum, quàm ſublime huic Operi Nomen tuum præponere, uti ad tuos provolutus Pedes humillimè deprecor? Agitur hìc de aſſequendis virtutibus; de vitiis agitur eliminandis. In uno, eodemque Opere, ubi legentium oculis Nomen tuum exhibeatur, præcepta dabit Aſteſanus, BENEDICTUS exempla. Nulla ſanè virtus, quæ perpetuam vel in mente, vel in corde tuo non fecerit ſtationem: nullum ſanè vitium, quod tuam nec in facilioribus annis innocentiam labefactaverit. In ipſo juventutis limine poſthabitis ampliſſimæ Domus magnificentia, dignitatibus, divitiis, quæ ſæpè ſæpiùs ſunt nocumenta virtutum, ſunt lenocinia vitiorum, Te, invito ſanguine, invito fugientem ſęculo Dominicana ſuſcepit Religio; Religio, inquam, virtutum omnium celebre Seminarium, Catholicæ Fidei propugnaculum, hæreticæ pravitatis, cunctorumque vitiorum malleus. Hìc verò quàm aſſiduus, quàm velox, perfectioris vitæ ſemitas percurriſti? In illa utique Sanctorum & Doctorum celebri propagine, vix alter alumnus tunc temporis apparuit, qui magis, ac magis germinaverit, & qui ampliorem fructificandi ſpem prætulerit.

Hinc vocatus ad Purpuram repugnaſti viriliter, & fugam ipſam in repugnantiæ tuæ ſubſidium adhibuiſti. In Te pugnabat Humilitas reluctantis animi ſuffulta virtutibus; ſed Apoſtolicis munita Præceptis de Te triumphavit Obedientia. Electus ad infulas, proh quot pietatis, ac vigilantiæ ſemina in commiſſas tibi Diœceſes demandaſti! Et præcipuè in Metropolitanam illam, cui per tot luſtra præfuiſti. De celeberrima loquimur Beneventana Eccleſia, quæ à longè venientibus Tuam in ſua reſtauratione magnificentiam, decorem; introeuntibus verò pietatem Tuam in pretioſa ſupellectili ſua mirabiliter oſtendit; ita ut illi dictum Prophetæ competat

Ezech. c.43.v.12. *Omnis finis ejus in circuitu Sanctum Sanctorum eſt.* Non alibi, non longè quàm in Te, quærendum eſt perfectiſſimi

Præ-

Digitized by Google

Præſulis Exemplar : Exemplar in jugi reſidentia, in frequentiſſimis Eccleſiarum viſitationibus,in ornatu,in cultu, in iterata Conciliorum convocatione, morum indagine, ſacrorum Rituum obſervantia, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ inconcuſſâ manutentione,in expoſitione Catechiſmi penè quotidiana. In Seminariis denique vel à primo lapide excitatis, vel ad meliorem formam,frugemque redactis.

Evectus tandem ad Summi Pontificatus apicem ex unanimi Senatus Apoſtolici conſenſu, inter fauſtas,& hilares totius Urbis acclamationes, quid non egiſti,ut oblatam ſpontè Dignitatem conſtantiſſimè recuſares? Suſpiria, tergiverſationes,lachrymas, hęc omnia tibi ſuppeditabat Humilitas: ſed hoc non benè ſentiebant Virtutes aliæ,quæ Tecum in privatis laribus, in cænobiis, in unica tantùm Diæceſi nolebant ampliùs deliteſcere, Teque tot radiis circumfultum, quot videmus in ſole,poſuerunt ſuper candelabrum, ut in Eccleſiam Univerſalem diffunderentur; & verè ad inſtar Solis coruſcas egregiè à Solis Ortu uſque ad Occaſum,& coruſcares itidem ab Auſtro ad Boream, ſi gentes illæ non diligerent magis tenebras, quàm lucem.

Solummodò tamen mihi peculiariter exponere permittatur aliquid notabili animadverſione dignum, videlicet, quid inter cæterarum Virtutum munera præſtant Obedientia, & Humilitas, & quas in ſupremo ſtatu commutaverunt vices. Humilitas pridem cedere debuit Obedientiæ, aliter humilitas, quæ adeò excellens eſt virtus, non eſſet virtus, immò crimen læſæ Majeſtatis,ſi reſiſteret obedientiæ; nunc verò, ſilente Obedientia(quia Prima Sedes nulli judicio, niſi divino ſubjicitur) illa ipſa Humilitas modo triumphat, ſemotis ſuſpiriis jubilat, quippe quæ prima in ordine circum circa Supremæ Dignitatis Solium (niſi fortè aliter requirat Majeſtatis onus) reſidet in omnibus BENEDICTI XIII. Operibus, in habitu, in apparatu, in greſſu, in inceſſu &c. Primitivæ Eccleſiæ æquiparandus Præſulibus, non tantùm pietate, juſtitia, magnanimitate, conſtantia, vigilantia, devotione, zelo, verùm etiam martyrio, ſi opus eſſet.

Digitized by Google

Attamen parce, quæſo, CLEMENTISSIME PASTOR, parce, ſi gravem interea diſſimulare nequeo ſollicitudinem, atque timorem, nedum exiguitati meæ infeſtum, verùm etiam totius Orbis Catholici magnanimitati obnoxium: Timemus, BEATISSIME PATER, ne quotidianis laboribus, quibus in exercendis virtutibus omnibus nimiùm indulges: timemus, inquam, ne in totius Eccleſiæ detrimentum, ſalus tua præproperè ſuccumbat.

Miramur ſanè de tot egregiis Operibus, quibus aſſiduè inniteris; at ſimul pertimeſcimus de ætate, de vigiliis, de pænitentiis, quòd grandævus, abſtemius, jejunus, inſomnis, tot, & talia perficere valeas: conſecrare Eccleſias (inter quas Baſilica noſtra à Conſtantino Magno ędificata, & SS. XII. Apoſtolis dedicata de hujus privilegii, & honoris primatu gloriatur) concionari ferè quotidiè, viſitare Xenodochia, infirmos, celebrare Concilia, edicere Conſtitutiones, tot, & tantarum facultatum Volumina pro literariæ Reipublicæ utilitati typis exponere tamquam *omnibus omnia*, nullo labore preſſus, in cunctis pietatis operibus indefeſſus, itaut non niſi ad miraculum attribuatur tantum robur, tantus labor, tanta ſedulitas, ad miraculum, inquam; Et hoc equidem noſtram ſolari valet formidinem, ut potè, quod timori inducit ſpem; Speramus profectò, quod Altiſſimus adeò inſignem nobis gratiam diutiùs producere dignabitur; Pro iſta enixè deprecamur infinitam ejus Pietatem, ac Omnipotentiam; Deus igitur pro ſua miſeratione erga Eccleſiam ſuam protrahere dignetur tuam Coronam, ut fruatur Orbis de tot beneficiis, quæ vita tua influit, communicat: Neque per hoc Corona tua detrimentum patietur, imò multiplicabitur.

Vos itaque feliciſſimi triumphantis Hieroſolymæ Cives humiliter invocamus, ut pro diuturna tanti Pontificis incolumitate interceſſores habeamus. Beatiſſimam præcipuè Virginem Dei Matrem, erga quam devotione, obſequio, adoratione eſt nulli ſecundus. Deinde præ cæteris Beatum Philippum Nerium, cujus ope VINCENTIUS præſentiſſimum,

atque

Digitized by Google

atque horribile mortis diſcrimen mirabiliter evaſit. Actum erat de Beneventano Antiſtite, qui ſub immenſis Epiſcopii ruinis ex repentino terręmotu in venerandum Caput excuſſis (O ineffabile prodigium!) Liberatore Philippo evaſit incolumis. Quod igitur tunc temporis pro particulari tantùm feciſti, nunc pro Univerſali Eccleſia te renovare non pigeat, o verè admirabilis Advocate Philippe.

Adeſtote Vos pariter ſupplicationibus noſtris cum Patriarcha noſtro D. Franciſco, Vos omnes ejus Aſſeclæ, & cæleſtis gloriæ conſortes; Vos enixiùs rogamus, nos quoque ejuſdem Sancti Patris filii, rogamus, ut à Deo Optimo Maximo impetretis BENEDICTUM XIII. diù nobis fore ſoſpitem, & ſimul Protectorem Religionis noſtræ, quam dignatus eſt *ſuę ipſius nuncupare gemellam.*

In Epiſt. Poſtulatoria ad Inno. XIII. directa pro ſanctificatione B. Andreæ de Comitibus dat. Benev. 22. Decembr. 1722.

Supereſt, BEATISSIME PATER, ut Opus hoc benignè ſuſcipias, quod ad Tuos provolutus Pedes humillimè offert

Obſequentiſſimus, obedientiſſimus Famulus
Fr. Jo. Baptiſta Lamberti de Aſta
Ord. Minor. S. Franciſci Convent.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

Frater Joannes Baptiſta Lamberti de Aſta, S. Theologiæ Magiſter,

QUid in editione celebris, àc pervetuſti Operis noviter evulganda præſtandum ſit, neminem latet; Auctori ſcilicet ſervanda fidelitas, Antiquitati reverentia. Summam itaque Aſtenſem eximii S. Theologiæ Magiſtri Fratris Aſteſani (de cujus Religionis, & Patriæ Communitate congaudeo) ad propaganda publicæ utilitati ejus exemplaria, denuò impreſſurus, utramque adamuſſim, & integrè pro viribus meis adimplere ſategi. Nullam ſanè varietatem adinvenies inter hanc, & impreſſionem aliam, niſi quæ conſultis eruditioribus viris, legentium commodo, atque utilitati perneceſſaria judicata fuit, videlicet

Quæſita, quæ aliàs hinc indè intra articulos diſperſa cernebantur, modo in eorumdem articulorum principio, unum immediatè poſt aliud collecta conſpiciuntur. Reſponſiones verò, ac reſolutiones locis propriis apponuntur. In principio cujuſcumque articuli inſcribitur materies, de qua in ipſo fuſius pertractatur: Juxta hunc ordinem Titulorum, atque Articulorum novus Index in fine collocatur. De hoc monitum te volo, Amice Lector.

Cæterum ſi Typis error aliquis irrepſerit, difficultas, ac labor verè improbus in legendis Gothicis Characteribus, & ob importunam, & interdum æquivocam verborum abbreviationem ſummoperè adauctus in cauſa fuit. In experimentum, ſi aliquando veteris impreſſionis Volumen ad te pervenerit, unum, quæſo, folium tantummodò percurre, benevole Lector, & agnoſce qualis faſtidii, qualis patientiæ oneribus hoc Opus in tui gratiam à tot prejudiciis redimendum fuit. Parce igitur vetuſtati; prudenter lege, amabiliter corrige. Vale.

Quorum-

Digitized by Google

QUORUMDAM AUCTORUM

TESTIMONIA, AC JUDICIUM

De hujus Operis excellentia, & Auctoris præſtantia.

Abbas Joannes Trithemius in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum.
pag. 106.

Aſteſanus de Aſta Ordinis Fratrum Minorum, vir in Divinis Scripturis nobiliter Doctus, Philoſophus, & Juriſta inſignis, ſcientia clarus, ingenio profundus, conſilio cautus, ſententia certus, ſermone compoſitus, fertur ingenii ſui excellentis varia ediſſe Opuſcula, quibus nomen ſuum, tam præſentibus, quàm futuris notificavit, ex quibus ego tantùm vidi Summam de Caſibus *lib. octo.*

Pater Bartholomæus de Piſis S. Theologiæ Magiſter lib. p. *Conformitatum fructu octavo* pag. 81. col. 3. *inter Scriptores Ordinis Minorum in S. Theologia Magiſtros enumerat hunc Auctorem his verbis;*

Frater Aſteſanus de Aſta Summam condendo præclaram, tam in Theologia, quàm in Legibus & Decretalibus fecit ſe mundo notum.

Eadem pag. col. 4.

Summam copioſam de Præceptis, Virtutibus, de Contractibus, de Sacramentis, & multis aliis Fr. Aſteſanus de Aſta edidit.

Pag. 124. *col.* 2.

Cuſtodia Aſtenſis habet locum Aſtenſem, de quo fuit Fr. Aſteſanus, qui ſingularem Summam edidit ex Theologia, Legibus, & Decretalibus valdè utilem.

Pater Magiſter Petrus Rodulphus Toſſinianenſis, Epiſcopus Senogalliæ in Hiſtoria Seraphica.
lib. 3. p. 309.

Frater Aſteſanus de Aſta, Vir utriuſque Juris ſimul, & Theologiæ conſultiſſimus, ſcientia clarus, ingenio profundus, conſilio cautus, ſermone compoſitus, Summam edidit de Caſibus, vulgò Summa Aſteſana dicitur; ſcripſit quoque quædam alia.

Antonius Poſſevinus è Societate JESU, in Apparatu Sacro
To. 1. pag. 135.

Aſteſanus Aſtenſis (quæ Civitas in Subalpinis, Aſta, ſive Haſta, olim Colonia dicta, ſeſqui diei, aut biduo iter Mediolano diſtat) Summam de Conſcientiæ Caſibus octo libris conſcripſit.

Natalis

Digitized by Google

Natalis Alexander, Ordinis Prædicatorum in Sacra Facultate Pariſienſi Doctor, & emeritus Profeſſor in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſeculi XIV. pag. 153. num. 9.

Aſteſanus ab Aſta in Subalpinis Urbe nobili Ordinis Fratrum Minorum, Vir doctiſſimus, & in utroque Jure verſatiſſimus Summam Caſuum Conſcientiæ Libris octo diſtinctam ſcripſit Anno MCCCXVII. quæ vulgò Aſteſana dicitur.

Pater Lucas Vadingus libro de Scriptoribus Ordinis Minorum. pag. 42.

Aſteſanus ab Aſta in Subalpinis Urbe nobili, olim Colonia dicta, quæ bidui itinere à Mediolano diſtat, Vir doctiſſimus, & in utroque Jure verſatiſſimus Provinciæ Januæ, hortante maximè Theodoro Gaetano, Sancti Theodori Diacono Cardinali, cujus literæ habentur in Operis limine, Scripſit anno 1317. magnum Volumen Libris octo diſtinctum de Caſibus Conſcientiæ dictum Summa Aſtenſis.

Cardinalis Robertus Bellarminus è Societate JESU, lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. pag. 224.

Aſteſanus Aſtenſis ſcripſit Summam Caſuum Conſcientiæ lib. octo, quę typis mandata fuit Venetiis. Vivebat anno Domini 1330.

Pater Magiſter Bartholomæus Maſtrius de Meldula lib. 4. ſententiarum. pag. ult.

Planè incuriam non ſemel ſum admiratus Superiorum Seraphicæ Religionis noſtræ in tota ſua amplitudine quòd præfati Aſteſani Summam anno 1480. impreſſam, adeò refertam, & copioſam, ut nihil ferè in Recentioribus legatur, quod in ea non reperiatur, nunquam per tot annorum ſpatium imprimere ſtuduerint.

Tandem Cardinalis Gaietanus Tit. S. Theodori in epiſtola ad Auctorem directa. Et Pater Magiſter Bartholomæus Bellatu s in epiſtola Cardinali Marco Barbo conſcripta, & in alia ad Lectorem pro directorio exhibita, cum iſtius Summæ impreſſionem ordinavit, ſtudio, & cura Patris Gometii Ulixipponenſis Baccalaurei Conventus in ſtudio Venetiarum Ordinis Min. Conv.

Iſtæ tres epiſtolæ, quia quamplurimum ad hujus Operis excellentiam, & Auctoris præſtantiam comprobandam conferunt; ideò per extenſum ſtudioſis exhibentur in ſequenti pagina eodem ordine, ſicut in originali reperiuntur.

COLENDISSIMO

Digitized by Google

COLENDISSIMO DOMINO D. MARCO BARBO,
Tituli Sancti Marci de Urbe, Presbytero Cardinali:

Bartholomeus Bellatus Ordinis Minorum, Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor commendationes dicit.

LEgenti ſæpè, & memoria repetenti veterum inſtituta, Reverendiſſime Pater, perbeati ſiquidem illi Priſci Philoſophi, & Theologi videntur, qui virentes omni genere doctrinæ ſanctiſſimos muſarum heliconios colles tranſgreſſi, maximo ſuo ingenio dulciſſima gloriæ alimenta affectantes, ſeſe immortalitati conſecrarunt. Hi etenim abſoluti à corporum illecebris, non ſomno, non pabulo dediti, ut pecora; ſed nudam veritatem inveſtigantes, vitam hanc non quemadmodum peregrinantes tranſiere. Quid enim ingluviè voluptatum fœdiùs? quid ignominioſiùs? quid denique homini deteſtabilius? Nullum certè acrius bellum, nullaque peſtis potentior ad evertendum, tum ingenii præclariſſima ſtudia, & divinas dotes, tum ſocietatis Eccleſiæ firmitatem, in qua ob profundam multorum inſcitiam, & tenebris involutam mentem inſpicimus in dies magis, magiſque errores ferè infinitos, & varias, ac inextricabiles caſuum ambages coacervatim emergere; quod ex hominum imbecillitate evenire auſpicatus eruditiſſimus Dei Antiſtes Magiſter Aſteſanus, ex Aſt, opulenta, ac clara Pedemontis Urbe; non minùs Theologus, quàm abſtruſi juris acutus interpres, communi omnium utilitati præſenti hoc divino volumine conſuluit; ubi, non temerè dicam, auditorum ingenia adeò ad undecumque ſalutem comparandam excitari, ut in iſto ab omni labe, vitiiſque purgetur conſcientia; in iſto ſedulus Lector habeat, quo omnis injectus mentibus hominum ſcrupulus, qui animam, aut ipſius ſinderesim ardentiſſima conſcientiæ face mordebat, tanti operis beneficio elidatur, nihil in iſto eſt, quod ad unguem non ſit accuratiſſimè examinatum, nihil omiſſum, quod ad benè, beatèque vivendum pertineret; tam varium opus, ſicuti potens eſt ipſa natura peccare, omnia cordis ſecreta, omnis animi affectus ventilat. Quo factum eſt, ut tam præclari ingenii monimentum, tam proficuum Eccleſiæ Dei, auctor ſuus olim inſcripſerit famoſiſſimo, ac omni virtute ornatiſſimo viro Cardinali Tituli Sancti Theodori, ne tot ſuſcepti labores, aut negligentia, aut invidia ab immortalitate vacarent, nevè tantæ utilitatis aditus, & vitæ fructus poſteris præcluderetur. Non eſt quo Reverendiſſima Dominatio tua ulla ex parte mirari debeat, ſi è multorum numero potiſſimùm te delegi, cui ut Domino præpoſitam huic libro epiſtolam deſtinarem, & cui deberem magis; primò, quod virtute tua patriæ noſtræ digniſſimi Patriarchatus officio jure pater patriæ omnes, & diligentiſſimè meos ingenita humanitate proſecutus, & dilexiſti ſemper, & foviſti; deindè in domum noſtram, minori adhuc inſpirante tibi fortuna collata beneficia memorem debiti mei faciebant; præterea, quando ad Summum Pontificem Sixtum inſolitus legationis munus obirem, tu me firmaſti, tu me labentem erexiſti, tu in retinenda dignitate, in conſequendis honoribus invictum propugnaculum fuiſti, ac in adverſis aſilum; poſtremò, nec illud tacebo, quàm humanus in me, quàm munificus fueris, quandoquidem ex tua liberalitate, tum in aliis, tum maximè in libris ſim nactus omnem commoditatem in defendenda, tutandaque cauſa mea. Spontè ſiquidem miſiſti ad me in rem opportunos libros, à quibus tantùm præſentis Auctoris Aſtenſe volumen inemendatum, & corruptum incuria impreſſorum deprehendi; dolebam certè tantam libri, ut noſti, utilitatem depravatam à noſtris legi; quippe præclarius nihil habet tota Dei Eccleſia; in eo continetur, & veteris, & novi teſtamenti omnis hiſtoria non modo, quoad archetipas ſententias; verum etiam ad interpretationes; neque ex Gratiano ullum capitulum notatum eſt, quod is elegantiſſimè propoſito ſuo non inſeruit. Addas etiam oportet libri decretalium in eo materiam omnem copioſè, ac ſummo judicio declarari, paucis dumtaxat titulis exceptis, adductis omnibus etiam ſexti, ac ſeptimi decretalium fundamentis, quæ præclariſſimorum, atque ſolemnium interpretum lucubrationibus non caruerunt, hoc eſt Hoſtien. Goffre. Durandus. Lauren Barth. Arch. Tancre. Mar. Joan. Andr. ac plurium hujuſmodi. Prçterea ſanctiſſimis Theologorum, & quidem doctiſſimorum ſententiis, quàm decoretur, cuique liquet in ejus Prohemio; quare ut caſtigatiſſimum opus dominationi veſtræ, tanquam uni parenti, ac optimo Principi meo donaretur, non parvos labores ſubivimus; quippe ſex jam menſes in eo reformando conſumpſimus, multa prius excerpta fuligine, in qua diligentia Gometio Ulixbonenſi correligioſo meo, & in Theologia doctiſſimo Baccalaureo, ex ſtudioque Pariſienſi præcipuo familiari; necnon quibuſdam juris peritis conſanguineis ſum uſus. Nemo quidem ſolus tantam provinciam intraſſet; ubi oportuit non modo ſententias, verum & ſingula etiam minima verba notare; undè ex emendatione noſtra Theologorum ibidem ſententiæ in numerum verum productæ, & à nobis juſtè examinatæ leges in caſibus noſtrorum ſex millia, & octingentas annotationes corruptas, in priſtinam auctoris ſui ideam reduximus; quæ omnia accuratiſſimè digeſta Joanni Agripenſi, & ejus ſocio Joanni Manthen ex Gerethmen optimis hujus rei fabris de daleo ære imprimenda curavimus omni & ſtudio, cura, atque diligentia; quæ aliquando legens tua dominatio exiſtimaret omnem meam curam, omnem cogitationem, dies, noctesque in te uno verſari, cui quidquid in me eſt, è poſtremò hanc animam, & jure, & maximè dicavi: Vale præſidium, & dulce decus meum.

Digitized by Google

AD LECTOREM DIRECTORIUM.

QUIA plerique ob Doctorum Theologorum non magnam experientiam materias in hoc opere adductas maximo cum labore hinc indè, tanquam per devia ambulantes quæritabant. Ea propter clariſſimus vir frater Bometius deUlixbona Ordinis Minorùm Baccalaureus Conventus Venetiarum horum laboribus compatiens, ac pro tanti operis dignitate ſolus propria cura, & maxima cum diligentia quotationes circa Thelogorum materias adinvenit, & in hujuſmodi operis caſtigatione accuratiſſima eidem juxta Doctorum allegationes adjunxit, quas ut facilè quiſque intelligat ſub brevitate deſcriptas hoc ordine annotavit; nam cùm allegatur Alexander de Ales per 1. intelligitur primus liber Summę, per 2. ſecundus, per 3. tertius, per 4. quartus. per t. immediatè ſequens intelligitur tractatus ſecundùm numerum ſequentem, ſcilicet 1. hoc eſt primus, 2. ſecundus &c. cum ſequitur c. intelligitur capitulum in materia, quæ allegatur; ar. articulus talis ſecundùm numerum ſequentem; ſi immediatè ſequatur q. intelligitur quæſtuncula tota ſecundùm numerum ſequentem; nam in eodem articulo quandoque multas quæſtiunculas movet; & iſte modus ſervatur in omnibus quotationibus, quando poſt ar. 1. vel 2. vel 3. ſequitur q. Allegando verò Sanctum Thomam, cùm ſcribitur ſic 1. q. intelligitur in prima parte, quęſtione tota &c. Si verò 1. 2. intelligitur prima ſecundę, 2. 2. intelligitur ſecunda ſecundæ; ſi verò 3. q. intelligitur in tertia parte &c. In quotationibus verò eorum, quę in ſcriptis ſuper ſententias traduntur poſito nomine Doctoris, cùm ſequitur 1. d. intelligitur primò ſententiarum, diſtinctione tota ſecundùm numerum ſequentem, ſi 2. d. ſecundo ſententiarum; ſi verò poſt d. ſequatur immediatè p. 1. intelligitur prima parte, vel ſecunda, ſecundùm numerum, qui ſequitur; aliquando enim eadem diſtinctio dividitur in plures partes poſt d. vel p. ſi ponatur p. ſcribitur q. hoc eſt quæſtione tota illius diſtinctionis, vel partis; ar. articulus; & hìc advertendum eſt, quòd licèt ſoleat communiter primò allegari articulus diſtinctionis, & poſtea quæſtio talis, tamen convenientius diſtinctio dividitur in partes primò ſi habeat, ut dividit Bonaventura, & partem in quæſtiones &c. Vel ſecundùm alios, diſtinctio primò dividitur in quæſtiones, quæſtio in articulos, articulus in quæſtiunculas; ideò ſic ſignatur in quotatione poſt d. q. poſt q. ar. poſt ar. q. ſi articulus plures habeat quæſtiunculas. Cæterum in omnibus quotationibus hoc obſervandum eſt, quod cum poſt ar. vel. q. ſcribitur c. intelligitur in reſponſione principali ad articulum, vel quæſtiunculam; cùm verò ſic ponitur c. 1. intelligitur in reſponſione ad primum argumentum c. 2. in reſponſione ad ſecundum; cùm ſcribitur o. notatur, quòd illa materia tractatur in toto articulo, vel quæſtione. Sit Deo laus, & gloria.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Incipit Summa de Caſibus per Fratrem Aſteſanum de Ordine Fratrum Minorum compilata ad honorem Dei immortalis, & diligentem exhortationem Domini Joannis Caietani Dyaconi Cardinalis Sancti Theodori. Præmittuntur in primis literæ Fratris Aſteſani, in quibus præcibus Domini Cardinalis obtemperari pollicetur. Subnectuntur literæ Domini Cardinalis, in quibus Fratri Aſteſano de tam digno labore ſumpto regratiatur.

Reverendo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Joanni Cajetano de Urbe, Divina Providentia digniſſimo Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Sancti Theodori Dyacono Cardinali.

Frater Aſteſanus de Aſt, de Ordine Fratrum Minorum, ejus humilis ſervus reverentiam, ſuique recommendationem in Domino debitam, & devotam.

CUM jam elapſo multo tempore benignitati veſtræ placuerit, me ad perficiendum collectionem, quam inchoaveram de caſibus, veſtris literis exhortari: Ecce venerande Pater, & Domine, veſtram dignatam exhortationem reverenter ſuſcipiens, & auctoritatis veſtræ ſublimis favorem adeſſe mihi proſpiciens, collectionem eamdem cum auxillo Dei, prout ei miniſtrare mihi placuit, & tenuitas mea ſcivit, & potuit, conſumavi; Dignè igitur vobis eam attribuo, & aſcribo, ſimulque ipſam providentię veſtræ committo examinandam, corrigendam, & ſupplendam; & ſi veſtra diſcretio judicaverit in notitiam aliorum publicam deducendam, promptus ſemper, & paratus ero in omnibus ad veſtra beneplacita, & mandata. Valeat ſemper præclaritas magnificentiæ veſtræ ad Dei honorem, & Eccleſię ſuæ ædificationem. Data Jan. Anno Domini 1317.

Digitized by Google

Incipiunt literæ prædicti Domini Cardinalis ad ipſum Fratrem Aſteſanum.

Venerabili, & religioſo viro amico chariſſimo Fratri Aſteſano de civitate Aſtenſi, Ordinis Fratrum Minorum.

Joannes miſeratione divina Sancti Theodori Diaconus Cardinalis, ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum.

LIBRUM veſtrum opus quippe laudabile, quem nobis veſtra ſinceritas deſtinavit, læto vultu, gratoque corde recepimus, cujus compoſitio adeò ſuum commendat auctorem, quòd alienæ laudis commendatione non eget; oſtenditur namque ſcientiæ in ejus lectione profunditas, ingenii in ſui examinatione ſubtilitas, ac verborum in ſui conſideratione maturitas demonſtratur; & quidem non ſine multa ipſius laude opus extollitur conditoris, qui velut bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona ad laudem Dei, ac utilitatis publicæ incrementum; dignis ergo in Domino laudibus veſtræ laudamus bonitatis multiplicis claritatem, quæ ſic lucere nititur omnibus, quod ſingulis ſe exhibet profuturam; quapropter dilectioni veſtræ gratiarum plenas referimus actiones toto cordis affectu, quod pro vobis gratum poſſumus offerentes. Valete in Domino.

Incipit Proemium præſentis Summæ de Caſibus.

B*ONORUM LABORUM GLORIOSUS EST FRUCTUS. Sap. 3.* Nullus autem labor eſt illo labore melior, quàm qui animarum ſaluti proficit; unde & tali labore filius Dei in perſona propria laboravit, ſecundùm illud *Iſa. 1. c. Laboravi ſuſtinens*: quidquid enim in aſſumpta humilitate g ſſit, dixit, & ſuſtinuit, pro ſalute humani generis fecit, ſecundùm illud *Luc. 19. Venit filius b minis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* Hujus ergo laboris potiſſimè glorioſus eſt fructus, quia præcipuè divinæ fruitionis eſt meritorias; conſiſtit autem hujuſmodi labor in facto ſanctæ vitæ, & verbo ſanæ doctrinæ, ſecundùm illud *Matth. 5. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

Ego autem *F*rater Aſteſanus de Ordine Minorum minimus fateor ad talem laborem me tam ratione vitæ, quàm ratione ſcientiæ minus idoneum eſſe; ſed tamen cupiens conſulere penuriæ meæ, ut ſic ſaltem in modi o prædicti fructus glorioſi poſſem particeps fieri exemplo Ruth paupercula Moabitis ingrediens aliorum agros, doctorum ſcilicet magnorum ſcripta ſtudendo diligenter; opportuno tempore per plures annos ex ipſis, quaſi ſpicas aliqua magis utilia de omni materia quæſtionum Sacræ Scripturæ, prout Deus mihi dedit, & exiguitas mea valuit collecta; in unius Summæ per octo libros diſtinctè breviando ſeriem ordinavi; poſtmodum verò exhortatione venerabilis Patris, & Domini ſupra memorati, & etiam plurium bonorum *F*ratrum admodum incitatus, ex ſupradicta collectione, illa tantùm, quæ pertinebant ad conſilium in foro conſcientiæ tribuendum extraxi, & ſi qua alia, puta, de virtutibus, vel aliis inſerui, illa gratia continuandæ materiæ, vel majoris evidentiæ breviter annotavi, atque in hunc modum Summam de caſibus Deo auxiliante compilavi.

Pius igitur Lector, ſi qua utilia, ſi qua laudabilia, ſi quæ ſibi grata in ipſa reperiat, Deo largitori bonorum omnium, & venerabilibus anteceſſoribus noſtris Doctoribus, ex quibus accepi, & præcipuè Domino prænominato correctori ejus attribuat. & gratias uberiores fideliter agat. Pro me verò, qui & ſi nihil, aut parum de meo ibi poſui; laborem tamen incredibilem aliorum dicta colligendo, & ordinando pertuli, apud Deum intercedat, ut meo ſudori viciſſitudinem in cæleſti patria miſericorditer reddat.

Sciendum autem, quòd Doctores venerabilès, ex quorum ſcriptis collectionem prædictam ſumpſi in Sacra Scriptura de ordine meo fuerunt multi, præcipuè tamen iſti, ſcilicet:

*F*rater Alexander de Anglia, qui quando fuit Ordinem ingreſſus, erat magiſter legens actu ſacram ſcripturam Pariſiis ſuper omnes temporis ſui famoſus.

*F*rater Bonaventura etiam famoſiſſimus tempore ſuo, qui fuit multo tempore Miniſter Generalis, & poſtea Cardinalis.

*F*rater Guillelmus Anglicus de Mara.

*F*rater Gualterius, qui fuit Epiſcopus Pictavenſis.

*F*rater Richardus de media Villa.

*F*rater Joannes Scotus, famoſiſſimus, & ſubtiliſſimus.

*F*rater Alexander de Alexandria, qui fuit etiam Miniſtèr Generalis, quem ut diſcernatur à primo Alexandro cognomino Lombardum, & illum primum cognomino Anglicum. De alio autem Ordine fuerunt duo, ſcilicet de Ordine Prædicatorum.

*F*rater Thomas de Aquino etiam famoſiſſimus; &

*F*rater Petrus de Tarentaſio, qui fuit etiam Papa.

Aliqua etiam accepi de quotlibetis magiſtri Henrici de Gandavo.

Doctores verò juris canonici, ex quibus plurima ſumpſi, fuerunt iſti, ſcilicet

Bernardus compilator apparatus ordinarii decretalium.

Inno-

Digitized by Google

Innocentius Papa IV. qui fecit apparatum decretalium.

Hoſtienſis, Goffredus, quorum uterque fecit Summam, & Apparatum.

Guillelmus Durandi, qui fecit ſpeculum judiciale, & repertorium.

Garſias, qui fecit Apparatum ſuper 6. Decre. Gregorii X.

Joannes Andreæ, qui fecit Apparatum ſuper 6. Decretal.

Bartolomeus Brixienſis, qui fecit apparatum ſuper Decretal.

Raymundus, & Rodonenſis, qui fecit apparatum ſuper ſummam Raymundi.

Attendendum autem, quòd quando hic allegatur Hoſtienſis, vel Goffredus ſimpliciter non nominando ſummam, vel apparatum ejus, debet intelligi, quòd illud, ad quod allegatur in ejus ſumma ponitur.

Item, quando allegatur Hoſti. vel Goff. vel Ray. & non ſignatur ſummæ locus, in quo ponitur illud, ad quod allegatur, intelligi debet, quod ponit illud in eodem titulo ſummę ſuæ, in quo titulo ponitur in hac ſumma.

Sciendum etiam, quòd in allegando Gloſas Bern. ſæpè appoſui aliquam literam alphabeti, ut ſignificetur per eam; quòd illa Gloſa obtinet illum numerum inter Gloſam ejuſdem capituli, quorum numerum obtinet illa litera inter literas alphabeti.

Nonnulla etiam accepi de ſumma Azonis, & de ſumma Rolandina notariè, & apparatu ejus, & de tabula juris *Fratris* Joannis Saxonis de Ordine Minorum.

Notandum inſuper ad majorem evidentiam, quòd hæc collectio, ſive ſumma de caſibus diſtincta eſt in octo libros partiales non multum ſe invicem in magnitudine excedentes, ut illud, quod lector quæſierit, invenire faciliùs poſſit

In quorum primò agitur de Divinis Præceptis.

In ſecundo, de virtutibus, & vitiis.

In tertio, de contractibus, & voluntatibus ultimis.

In quarto, de Sacramentis in communi, & in ſpeciali de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia.

In quinto, de Pænitentia, & Unctione Extrema.

In ſexto, de Ordinis Sacramento.

In ſeptimo, de Cenſura eccleſiaſtica, nomine cujus intelligitur, ſententia excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis, & de depoſitione.

In octavo, de Matrimonio.

Et ſubjungitur ad evidentiam totius operis de ſignificationibus verborum juris; ubi ètiam traditur modus allegandi jura canonica, & civilia in vocabulo juris corpus.

Deindè ſubditur ordinatio titulorum, decretalium, & librorum legalium ſecundùm ordinem alphabeti; ſignatur etiam ibidem ſimul, qui ſunt ti. decre. de quorum materiis agitur in hac ſumma, *quæ in ſecunda Parte erunt apponenda.*

Quilibet autem librorum horum dividitur in plures titulos, & quilibet titulus, ut in pluribus, dividitur in plures articulos; articulus verò aliquando continet plures quæſtiones, & plura notabilia. Illa enim quę traduntur ibi ponuntur aliquando per modum quæſtionis; aliquando per modum notabilis. & quidem quando quæſtio ibi proponitur aliqua, quaſi ſemper ſtatim immediatè reſponſio ſequitur; & deindè quandoque aliqua contra reſponſionem apparens dubitatio breviter removetur. Pro confirmatione verò reſponſionis ſemper auctoritas aliqua, vel ratio, vel jus aliquod adducitur; ſed multiplicatio auctoritatum, vel jurium, vel rationum gratia brevitatis devitatur, niſi forſan interdum materiæ difficultas, vel ambiguitas hoc requirat; ſicut hæc omnia infra clariùs patere poſſunt ſagaci lectori.

REIMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Vicegerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri, Ordinis Prędicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

SUMMA ASTENSIS

Clariſſimi & eximii Sacræ Theologiæ Profeſſoris

FR. ASTESANI DE ASTE

Ex Ordine Seraphico Patriarchæ

SANCTI FRANCISCI.

Summa de caſibus ameniſſimam complectens diſciplinarum divinarum Eccleſiaſticarum ſanctionum ſalutiferam inſtructionem benè, beatequè vivendi cunctis viventibus doctrinam felici auſpicio in lucem prodit octo Librorum volumina duabus partibus condiſtincta habens.

LIBER PRIMVS.

TITULUS PRIMUS

De Lege Divina.

ARTICULUS PRIMUS

De neceſſitate Legis Divinæ.

DICTURI ergò in hoc primo libro de decem præceptis moralibus:de divina lege,in qua ipſa continentur; brevitèr aliqua præmittemus.Etenim primò de ejus neceſſitate, ſecundò de ejus diſtinctione, tertiò de veteris legis obligatione.

Circa primum ſciendum; quod ad directionem humanæ vitæ neceſſarium fuit habere legem divinam propter tria. Primò propter excellentiam finis hominis Nam per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad finem ultimum. Et ſi homo ordinaretur tantum ad finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret, quod haberet aliquod directivum ex parte rationis ſupra legem naturalem, & legem humanam, quæ ab ea derivatur. Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis ęternæ,quę excedit proportionem naturalis facultatis humanæ: ideò neceſſe fuit, ut dirigeretur etiam ad ſuum finem lege divinitùs data. Secundò propter incertitudinem humani judicij: præcipuè de rebus contingentibus particularibus; propter quam contingit de actibus humanis eſſe diverſa judicia diverſorum:ex quibus etiam diverſę, & contrarię leges procedunt. Et ideò ut homo ſine omni dubitatione poſſit ſcire quid ſit agendum & quid vitandum: neceſſe fuit, ut in actibus pro

priis dirigetur per legem divinam, quæ errare non poteſt. Tertiò propter inſufficientiam humanæ legis: quia homo poteſt de his legem facere de quibus poteſt judicare. Judicium autem hominis non poteſt eſſe de motibus interioribus; qui latent, ſed tantùm de exterioribus, qui patent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utriſque actibus homo ſit juſtus. Et ideò lex humana non potuit ſufficientèr coercere, & ordinare interiores actus, ſed neceſſe fuit, quod ſuperveniret lex divina.

ARTICULUS II.

De diſtinctione legis divinæ in communi.

Circa ſecundum ſcilicèt diſtinctionem legis divinæ ſciendum, quod duplex eſt lex divina ſcilicèt vetus, & nova. Hæ autèm non diſtinguuntur ab invicem ſicut omninò ſpecie diverſę: ſicut diſtinguuntur equus, & bos, ſed ſicut perfectum & imperfectum in eadem ſpecie: ut puer & vir. Et hoc modo diſtinguitur lex vetus a lege nova. Undè Apoſtolus Gal. III. comparat ſtatum veteris legis ſtatui pueruli exiſtentis ſub pedagogo: ſtatum autem novæ legis ſtatui perfecti viri, qui jam non eſt ſub pedagogo. Et ideò omnes differentiæ, quę aſſignantur inter novam legem, & veterem accipiuntur ſecundùm perfectum, & imperfectum. Præcepta enim cujuslibet legis dantur de actibus virtutum. Ad agendum autèm opera virtutum alitèr inclinantur imperfecti, qui nondum habent virtutis habitum, alitèr illi, qui ſunt perfecti per habitus virtutum. Primi enim, ſcilicèt, imperfecti inclinantur ex aliqua, cauſa extrinſeca: puta ex comminatione pęnarum, vel ex promiſſione aliquarum extrinſecarum remunerationum, ut honoris, vel divitiarum, vel alicujus hujuſmodi. Et ideò lex vetus, quę dabatur imperfectis: ideſt nondùm gratiam conſecutis, congruè dicitur lex timoris, inquantum inducebat ad obſervantiam præceptorum per comminationem quarumdam pęnarum. Dicitur etiam habere quædam promiſſa temporalia. Perfecti autèm inclinantur propter amorem virtutis, non propter aliquam pęnam vel remunerationem. Et ideò lex nova, quę principalitèr conſiſtit in ipſa ſpirituali gratia cordibus indita, dicitur lex amoris, & dicitur habere promiſſa ſpiritualia, & æterna, quę ſunt objecta virtutis, præcipuè charitatis. Et ideò per ſe in ea inclinatur non quaſi in extranea Et ideò etiam lex vetus dicitur coercere manum, non animum: quia qui abſtinet ab aliquo peccato timore pœnę; non ſimplicitèr recedit ejus voluntas a peccato; ſicut recedit ejus voluntas, qui abſtinet à peccato amore juſtitiæ. Et propter hoc lex nova, quæ dicitur lex amoris, dicitur animum coercere.

Sic igitùr patet, quod ſunt tres differentiæ legis, & Evangelii principales, ex quibus omnes aliæ oriuntur, & ad quas omnes aliæ reducuntur. Prima eſt: quod lex ad obſervantiam præceptorum ducit per timorem, Evangelium verò per amorem. *Et hanc aſſignat Aug. contra Adamantium Manichei diſcipulum dicens: Brevis differentia legis, & Evangelii timor, & amor*. Secunda eſt: quod lex promittit temporalia, Evangelium æterna. Unde Chriſtus in principio ſuæ prædicationis ſtatim dicit. *Pænitentiam agite appronpinquabit enim regnum cælorum. Hanc ponit Aug. lib. IV. contra Fauſtum*. Tertia eſt; quod lex coercet manum, Evangelium autèm animum. *De quo Chriſtus Matth. V. Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſeorum; non intrabitis in Regnum Cælorum.* Fuerunt tamèn aliqui in ſtatu legis habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principalitèr expectabant promiſſa, ſcilicèt ſpiritualia, & æterna. Et ſecundùm hoc pertinebant ad Evangelium, ſivę novum teſtamentum. Similiter & in novo teſtamento ſunt aliqui carnales nondùm pertingentes ad perfectionem novæ legis: propter quod opportuit etiàm in novo teſtamento induci ad virtutis opera per timorem pęnarum, & per aliqua temporalia promiſſa. Lex autèm vetus etſi præcepta charitatis daret. *Levit. XIX. Dilige proximum, & Deut. VI. Diliges Dominum Deum tuum*; Non tamèn per eam Spiritus Sanctus dabatur, per quem charitas noſtris cordibus infunditur, *ut dicitur ad Rom. V.*

ARTICULUS III.

De obligatione veteris legis.

Circa tertium ſciendum: quod lex vetus continebat præcepta legis naturæ: & quædam præcepta propria. Quantum ad prima, omnes tenebantur ad obſervantiam veteris legis: non quia erant in veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ. Sed quantum ad ſecunda, tenebatur ad obſervantiam legis veteris ſolus populus judeorum. Cujus ratio eſt; quia lex vetus data eſt populo judeorum, ut quamdam prerogativam ſanctitatis obtineret propter reverentiam Chriſti, qui ex illo populo naſciturus erat. Admittebantur tamèn ad obſervantiam legis Gentiles: *de quo habetur Exo. XII.* quia perfectiùs, & ſecuriùs ſalutem conſequebantur ſub illis, quam ſub ſola lege naturali; ſicut & nunc laici tranſeunt ad clericatum, & ſeculares ad religionem, licèt tamèn ſine hoc ſalvari poſſent.

Ti-

Digitized

TITULUS SECUNDUS

De præceptis in communi.

ARTICULUS UNICUS

De quidditate, & diviſione præcepti in communi.

Viſo brevitèr de lege divina; videndum eſt de præceptis. Et primò in communi, ſecundò in ſpeciali de præceptis decalogi. Circa primum primò videndum, quid eſt præceptum; ſecundò de diviſionibus præcepti.

Circa primum notandum, quod præceptum eſt juſſio vel imperium faciendi aliquid, vel non faciendi. Faciendi autèm dicitur, quod eſt debitum fieri; ut honorare patrem. Non faciendi autèm, quod eſt debitum non fieri; ut mœchari. Juſſio autèm, vel imperium eſt ſuperioris; ſicut obedire, minoris: Undè ſic poteſt deſcribi: Juſſio eſt voluntatis ſuperioris expreſſio de faciendo, vel non faciendo ei, qui inferior eſt.

Circa ſecundum notandum, quod præceptum aliud eſt affirmativum; quod eſt de faciendo; ut honorare patrem. Aliud eſt negativum quod eſt de non faciendo; ut non occides. Et datur iſta diviſio ſecundum rationem cauſæ formalis præcipiendi. Differunt autèm in effectu, præceptum affirmativum, quod reſtricto nomine ſolet dici præceptum; & præceptum negativum, quod prohibitio dicitur: quia affirmativum obligat ſemper, id eſt in omni tempore; ſed non ad ſemper, id eſt non ad omne tempus: negativum autèm obligat ſemper, & ad ſemper. Et hoc intellige de præceptis decalogi, & juris naturalis. Verbi gratia: Honorare patrem; præceptum eſt affirmativum quod obligat me ſemper: quià ſemper teneor ad honorandum patrem: ſed non ad ſemper honorandum: Non enim eſt poſſibile, nec expediens, ut ſemper honorem eum; ſed cum opportunitas occurrit, & tempus requirit. Negativum autèm præceptum obligat ſemper & ad ſemper; ſicut non mœchaberis: quià ſemper teneor, & quocunque tempore non mœchari.

Itèm præceptorum, aliud eſt naturæ, aliud diſciplinæ, aliud legis ſcriptæ. Præceptum autem naturæ, aut eſt datum, aut innatum: Si datum; aut eſt datum propter naturam conſervandam ſecundum actum nutritivę: *ut Gen.* II. *De omni ligno paradiſi comede.* Aut propter naturam multiplicandam ſecundum actum generativę: *ut creſcite & multiplicamini. Gen.* I. *&* IX. Si innatum *juxta illud Rom.* II. *Si gentes naturaliter ea, quę legis ſunt faciunt ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*: Hæc ſcriptura innata eſt cuilibet. Præceptum ergò hoc inſitum eſt conſcientiæ cujuſlibet ſecundum dictamen rationis de faciendo, vel non faciendo. Hoc verò recipit diviſionem. Nam aliud eſt ordinativum in Deum ſicut diligere Creatorem ſuper omnia; & obedire ei in omnibus, & ſuper omnia; quod eſt inſitum cujuslibet conſcientię. Aliud eſt manifeſtativum ordinis in proximum. Et hoc dupliciter, ſcilicèt ſecundùm viam innocentiæ: *ut illud Thobiæ.* IV. *Quod ab alio oderis tibi fieri &c.* Et ſecundum viam beneficentiæ: *ut illud Matth.* VII. *Quęcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Hæc igitùr eſt diviſio præcepti naturæ, ſivè legis naturalis. Præceptum verò diſciplinæ generalitèr eſt præceptum datum ad probationem, ut homo ſciat ſe Deo debere obedientiam, non tantùm in expedientibus, vel honeſtis, ſed etiàm in indifferentibus. Et hoc etiam recipit diviſionem. Nàm aliquod præceptum diſciplinæ datum eſt ad probationem obedientiæ; ut illud præceptum negativum datum Adæ *Gen.* II. *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Quoddam ad probationem fidei: ut illud datum Abrahæ *Gen.* XXII. *Tolle filium tuum Iſaac &c.* & eſt præceptum affirmativum. Præceptorum autèm legis ſcriptæ, quædam ſunt moralia, ut quæ in decalogo. Quædam judicialia, ut quæ in deciſione cauſarum ſunt inſtituta: de quibus *Exo.* XXI. *Hæc ſunt judicia, quæ propones eis.* Quædam cærimonialia; ut quæ fuerunt inſtituta in figuram futurorum; ſicut ea, quæ de compoſitione tabernaculi, & de ſacrificiis, & hujuſmodi. Ad legem enim Dei pertinet, ut homines ad invicem, & ad Deum ordinentur. Utrumque autèm horum in communi pertinet ad dictamen legis naturæ: & ad hæc referuntur præcepta moralia; ſed oportet, quod utrumque determinetur per legem divinam, vel humanam.

Præceptum autèm commune de cultu divino determinatur per præcepta cærimonialia. Cultus enim Dei vocatur cærimonia, quaſi munia, idèſt dea Ceres, quæ dicebatur dea frugum, ut quidam dicunt: eo quod primò ex frugibus oblationes Deo offerebantur. Sivè, ut Maximus Valerius refert nomen cerimoniæ eſt introductum ad ſignificandum cultum divinum apud latinos à quodam oppido juxta Romam, quod Cerere vocatur: eo quod Roma capta à Gallicis illùc ſacra Romanorum allata ſunt, & reverentiſſimè habita. Sic igitùr illa præcepta, quæ pertinent ſpecialitèr in lege ad Dei cultum, dicuntur cærimonialia. Omne verò præceptum de juſtitia inter homines ſervanda determinatur per præcepta judicialia. Secundum hoc igitùr oportet ponere tria genera præceptorum veteris legis; ſcilicèt moralia, quæ ſunt de dictamine legis naturæ; cærimonialia, quæ ſunt determinationes cultus divini; & judicialia, quæ ſunt determinationes juſtitiæ inter homines obſervandæ. *Undè cum Apoſtolus Ro.* VII. dixiſſet, quod lex eſt ſancta: ſubjunxit, quod mandatum eſt juſtum, ſcilicet quantùm ad judicialia, & ſanctum, quantum ad cerimonialia. Dicitur enim ſanctum, quod eſt Deo dedicatum: & bonum, quod honeſtum, quantum ad moralia.

Ad hoc nota, quod cærimonialia adeò ſunt evacuata, ut non tantùm ſint mortua, ſed etiàm mortifera obſervantibus poſt Chriſtum: maximè poſtquam eſt divulgatum Evangelium. Præcepta autem judicialia ſunt quidèm mortua; quià non habent vim obligandi: non ſunt tamèn mortifera; quià ſi quis princeps ordinaret in regno ſuo ea obſervari non peccaret; niſi fortè hoc modo obſervarentur; ſcilicet, ut ità obſervari mandarentur, tanquàm habentia vim obligandi ex veteris legis inſtitutione. Talis enim intentio obſervandi eſſet mortifera. Hujus autèm differentiæ ratio ſumi poteſt ex prædictis. Dictum eſt enim, quod præcepta cærimonialia ſunt figuralia primò, & per ſe, tanquam inſtituta principalitèr ad figurandum Chriſti myſtæria, ut futura: & ideò obſervatio eorum prejudicat veritati fidei, ſecundum quam confitemur illa myſteria jam eſſe completa. Præcepta autem judicialia non ſunt inſtituta ad figurandum, ſed ad diſponendum ſtatum illius populi, qui ordinabatur ad Chriſtum. Et ideò mutato ſtatu illius populi Chriſto veniente obligationem amiſerunt. Lex enim fuit pedagogus ducens ad Chriſtum *ut dicitur ad Gal.* III. Quià ergò hujuſmodi judicialia non ordinantur ad figurandum, ſed ad aliquid faciendum, ideò obſervatio eorum abſolutè non præjudicat veritati fidei, ſed intentio obſervandi tanquam ex obligatione legis benè præjudicaret veritati fidei: quià per hoc haberetur, quod ſtatus prioris populi adhuc duraret; & quod Chriſtus nondùm veniſſet.

TITULUS TERTIUS
De Præceptis Decalogi in communi.

ARTICULUS PRIMUS.
De diſtinctione præceptorum Decalogi.

DEINDE conſiderandum eſt de præceptis decalogi. Et primò in comuni: ſecundò de unoquoque illorum in ſpeciali. Circa primum, primò de diſtinctione, & ordine præceptorum decalogi; ſecundò de continentia aliorum præceptorum moralium in præceptis decalogi; tertiò de modo ipſa tradendi; quartò de debita obſervatione eorum; quintò de poſſibilitate diſpenſationis ipſorum. Circa primum queruntur plura, ſcilicèt.

I Quomodò diſtinguntur præcepta decalogi?

II Quomodò præcepta decalogi debent ordinari?

III Quomodò præcepta decalogi habent diſtingui, & numerari in tabulis?

Circa primum, Reſpondeo, ſecundum modum communiorem, & probabiliorem, qui habetur ab Auguſt. ſuper Exo., diſtinguntur hoc modo, ſcilicèt, ut primum præceptum ſit. *Non habebis Deos alienos coram me, & non facies tibi ſculptile: nec omnem ſimilitudinem*. Secundum. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Tertium. *Memento ut diem Sabbati Santifices.* Et hæc tria dicuntur ad primam tabulam pertinere. Primum autem præceptum ſecundæ tabulæ eſt: *Honora Patrem tuum; & matrem tuam*. Secundum. *Non occides*. Tertium. *Non mechaberis*. Quartum. *Non furtum facies*. Quintum. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Sextum. *Non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt*. Septimum *Nec deſiderabis uxorem ejus*. Magiſter tamen ſententiarum *lib.* III. *diſt.* XXXVII. ponit illud ſextum: Congruè enim poteſt poni ſextum, vel ſeptimum; quià antequàm dicatur: *nec deſiderabis uxorem ejus*, dicitur: *non concupiſces domum proximi tui*, & poſtquā prohibuit concupiſcentiam uxoris, iterùm ſubdit: non ſervum, non ancillam. Undè verſus: Sperne Deos, fugito perjuria, ſabbata ſerva. Sit tibi patris amor, ſit tibi matris honor. Non ſis occiſor, fur, mechus, teſtis iniquus. Unicuique thorum, reſquè caveto ſuas. Ratio autèm numeri ſic poteſt accipi. Lex enim divina eſt ad ordinandum homines ad Deum, & inter ſe, & quemlibet ad ſeipſum. Quià tamèn non ità apparet ratio debiti in his, quæ facit homo ſecundum ſeipſum, ideò inter mandata, ad quæ reducuntur alia, ſicut ad magis nota, non fuerunt poſita niſi præcepta de ordine hominis ad Deum, & ad proximum explicitè: licèt etiàm contineant ordinem hominis implicitè ad ſeipſum. Sicut igitùr præcepta legis humanæ ordinant hominem ad communitatem humanam ſub aliquo Principe homine, ita precepta legis Divine ordinent hominem ad communitatem quandam, ſivè rempublicam hominum ſub Deo. Ad hoc autèm, quod aliquis in aliqua communitate benè commoretur, requiritur, ut benè ſe habeat, & ad Deum, qui preeſt communitati, & ad alios communitatis conſocios, & participes. Oportet igitur, quod in divina lege primò ferantur quædam præcepta ordinantia ad Deum, deindè alia præcepta ordinantia ad alios proximos ſimul conviventes ſub Deo. Principi autèm communitatis debet homo tria. Primò fidelitatem, ſcilicèt, ut honorem principatus quantum in ſe eſt ad alium non transferat. Secundò reverentiam, ſcilicèt, ut in eum nihil injurioſum committat. Tertiò famulatum, ſcilicèt, in recompenſationem beneficiorum ab eo perceptorum. Horum primum præcipitur præcepto primo, ſecundum ſecundo, & tertium tertio. Poteſt etiam dici ſecundùm Auguſt. quod primo præcepto præcipitur nobis revereri primi principij unitatem, ſecundo ejus veritatem, tertio bonitatem, qua ſanctificamur, & in qua quieſcimus ſicut in fine. Poteſt etiam dici, quod per primum præceptum ordinamur ad Deum quantum ad opus, per ſecundum quantum ad os, per tertium quantum ad cor, quia in ſanctificatione ſabbati ſecundum quod eſt præceptum morale, quies cordis præcipitur in Deum. Ad proximos autèm benè ſe debet quis habere, & ſpecialitèr, & gene-

& generalitèr. Specialitèr quidèm quantum ad eos, quorum eſt debitor, ut eis debitum reddat, ad quod pertinet præceptum de honoratione parentum. Generalitèr quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferat opere, vel ore, vel corde. Opere quidem; nec quantum ad perſonam propriam; contrà quod dicitur: *Non occides*. Neque contra perſonam conjunctam ad propagationem prolis; contra quod dicitur: *Non mœchaberis*. Neque in rem poſſeſſam; contra quod dicitur: *Non furtum facies*. Nocumentum autem oris prohibetur, cum dicitur: *Non loquèris contra proximum falſum teſtimonium*. Nocere autem contingit proximo in affectu per concupiſcentiam oculorum, & per concupiſcentiam carnis. Contrà: quæ duo dicitur: *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus*.

Sed contra prædicta objicitur, quia ſuper illud Rom. VII. *Concupiſcientiam neſciebam niſi lex diceret*, dicit Gloſ: *Bona eſt lex, quæ dùm concupiſcentiam prohibet, omnia mala prohibet*. Et ſic ſufficit ſolùm prohibere concupiſcentiam. Superfluunt ergò alia præcepta.

Reſpondeo quòd concupiſcentia dicitur dupliciter. Uno modo generalitèr, prout dicitur quilibet appetitus libidinoſus, & immoderatus. Et ſic ſumitur in illa Gloſ: Alio modo ſpecialitèr pro appetitu delectabilis ſecundum guſtum, & tactum. Et ſic prohibetur præcepto ſpeciali.

Circa ſecundum, reſpondeo, quod ordinantur ſupradicto modo. Ratio cujus ordinis eſt, quia præcepta decalogi ſunt de his, quæ quaſi ſtatim rationabilia, & debita videntur. Tantò autèm aliquid apparet facilius rationabile, quantò ſuum contrarium apparet gravius. Et ideò ordo præceptorum decalogi ſumitur ſecundum quod eis vitia magis, vel minus gravia opponuntur. Undè ſemper illud præceptum præponitur, cui gravius vitium opponitur, ut patet intuenti.

Circa tertium, Reſpondeo, quod duplicitèr. Unomodo ſecundum ſenſum literalem. Et ſic quinque fuerunt in una tabula, & quinque in alia. Et hoc modo diſtinguit Joſephus, qui fuit hiſtoriographus, & qui ad ſenſum litteralem principaliter reſpiciebat. Alio modo ſecundū ſenſum miſticum. Et ſic diſtinxerunt doctores Sac. Scripturæ dicentes, mandata ordinantia ad Deum pertinere ad primam tabulam, ordinantia verò ad proximum ad ſecundam tabulam. Illa enim diſtinctio ſecundæ tabulæ à prima fiebat ad inſinuandam, & commendandam charitatem geminam.

ARTICVLVS SECVNDVS

De Continentia præceptorum moralium in præceptis decalogi.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de continentia aliorum præceptorum moralium in præceptis decalogi. Circa quod ſciendum, quod omnia præcepta moralia reducuntur ad præcepta decalogi. Vndè Auguſtinus de decem cordis loquens de primo præcepto legis naturę, ſcilicèt quod eſt bonum eſt ordinatè diligendum, & de præcepto dilectionis Dei, & proximi dicit: *Illud unum præceptum continet illa duo, & illa duo continent illa decem, & illa decem continent omnia*.

Ad cujus evidentiam ſciendum, quod quantum ſufficit ad præſens, præcepta moralia ſe habent ad primum præceptum legis naturæ in triplici differentia. Quędam enim ſunt, in quibus omnia alia præcepta moralia radicantur, ſicut in concluſionibus principio proximioribus: cujuſmodi ſunt præcepta de dilectione Dei, & proximi. Alia ſunt, quæ etiam de proximo ordinantur ad illa. Tamèn quià propter oblivionem rationis humanæ homo poteſt errare circa illa: ideò ſcribi debuerunt. Et hæc ſunt decem præcepta decalogi. Alia ſunt ad quæ reducenda in prima principia indiget homo majori inveſtigatione, & ſapientum inſtructione, ſivè divina revelatione. Et alia reducuntur ad decem præcepta decalogi.

Nam ad primum præceptum reducuntur omnia, quæ prohibent illa quę deſerviunt idolatriæ, ut ſunt fil[illegible], vel filiæ per ignem luſtratio, ariolorum ſciſcitatio, ſomniorum, & auguriorum obſervatio, maleficiorum, & incantationum operatio, phitonum, divinorum, mortuorum interrogatio, de quibus habetur. *Deut.* XVIII. Ad ſecundum reducuntur blaſphemię, *de qua Levi.* XXIIII. & falſę doctrinæ *de qua Deut.* XIII. Ad tertium reduci videntur omnia cerimonialia. Inquantum tamèn eſt morale videntur ad ipſum reduci prohibitiones illorum peccatorum, quæ maximè quietem mentis impediunt in vacando Deo, ut eſt prohibitio timiditatis, & temerarię audacię, & ſpectantium ad gulam, & omnes prohibitiones immoderantię paſſionum, & præcepta de fortitudine, inquantum eſt moderativa paſſionum, quæ quietem mentis in Deo impediunt. Inquantum tamèn actus fortitudinis eſt ordinabilis ad utilitatem communitatis, & maximè ad honorem fidei, ſicut fortitèr ſuſtinere propter defenſionem fidei; reduci poteſt ad præceptum primum. Ad quartum reducitur præceptum de honoratione ſenum, *de quo Levit.* XIIII. & omnia præcepta de reverentia ſuperiorum. Ad quintum reducitur prohibitio injuſtæ violentiæ contra proximum, *de qua Levit.* XIX. & proibitio odij, *de qua ibidem*. Ad ſextum reducitur prohibitio meritricij, *de qua Deutor.* XXIII. & prohibitio coitus contra naturam, *de qua Levit.* XVIII. & prohibitio voluntariæ effuſionis ſeminis per quemcunque modum, excepto fœdere matrimoniali, & etiàm prohibitio gulæ, inquantum præſtat fomentum luxuriæ. Ad ſeptimum reducitur prohibitio uxuræ, *de qua Deutor.* XXIII. & prohibitio acceptionis rei alienę per fraudem, *de qua Deuto.* XXV. *ubi dicitur*: *Non habebis in ſacculo diverſa pondera*: & prohibitio rapinæ. Ad octavuum reducitur prohibitio falſi judicij, *de qua Exo.* XXIII. & prohibitio mendacij, & perjurij, quæ etiam reducitur ad ſecundum, & ſu-

& ſuſceptionis mendacij, & acceptionis munerum, de quibus habetur ibidem, quia omnia prædicta cooperantur ad corruptionem iudicij, & prohibitio detractionis, *de qua Leviti.* XIX. *ubi dicitur: Non eris criminator, nec ſuſurro in populis*.

Vtrum autem ſint aliqua, quæ reducantur ad ultima duo præcepta, infrà videbitur, cum de illis agetur.

Sic ergò patet, quod omnia præcepta moralia, alia à decem præceptis decalogi, aut in eis continentur, ſicut principia in concluſionibus, ſicut primum principium legis naturæ, & præceptum de dilectione Dei, & proximi; aut reducuntur ad ea, ſicut concluſiones ad principia.

ARTICVLVS TERTIVS.

De modo tradendi Divina præcepta.

SEquitur videre de tertio, ſcilicet de modo tradendi decem præcepta. Et circa hoc quæruntur plura.

I. Vtrum mandata decalogi debuerint tradi per modum obligationis, & præcepti?

II Vtrum modus charitatis cadat ſub præcepto legis divinæ?

Circa primum, Reſpondeo quod ſic. Ratio hujus eſt. Tum quia Deum decebat. Tum quià nobis expediebat. Deum utique decebat, quià in his verbis decalogi conſiſtit regula juſtitiæ, ſecundum quod dictat lumen rationis rectæ. Et quoniam Deus tanquàm juſtus debet eſſe æmulator rectitudinis, & juſtitiæ, & in ſubditis, & in ſeipſo; hinc eſt, quod homini leges juſtitiæ impoſuit, ad quas ipſum obligavit, ut nullo modo liceret ipſum eas impunè tranſgredi. Nobis etiàm expediebat; Primò propter gloriam augendam; quià glorioſius eſt homini obtinere beatitudinem per merita, quam ſinè meritis. Et quoniam cum aliquid redditur ex meritis, quodammodo homo, qui meretur obligat ſibi retributorem, & magis decet hominem obligari Deo, quam Deum homini; Hinc eſt, quod ad opera, per quæ contingebat mereri, debuit homo per præcepta obligari, ut dùm obligatus obediret, & merito proficeret, & ad majorem gratiæ cumulum perveniret. Secundò propter pacem conſervandam, quæ tantum bonum eſt, *ſicut dicit Aug.*, ut cuncta pacem appetant. Pax autem ſervari non poteſt ubi homo uſurpat ſibi, quod eſt alienum. Ideò, ut pax ſervaretur inter homines, debuit Deus mandata homini tradere, in quibus obligaretur; ne quod eſt alienum ſibi uſurparet; ſed redderet Deo, & proximo, quod eis deberet; ne alitèr faciendo injuriam, pacem frangeret; & frangendo pacē, ipſe in ſe pacem amitteret.

Sed objicitur contrà prædictà, *quia dicitur Roma.* VII. *Peccatum occaſione accepta per mandatum: operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*. Sed Deus nihil imponere debet quod augeat concupiſcentiam. Reſpondeo; quod dictum Apoſtoli habet veritatem, ſed valdè per accidens, & occaſionaliter. Ex hoc enim, quod per legem erat peccati cognitio, & tamèn per ipſam non erat gratiæ collatio; concupiſcentia nitente in vetitum, & homine ſcientèr perpetrante peccatum; occaſionalitèr fieret, & ipſius concupiſcentiæ intenſio, & peccati aggravatio. Sed hoc non erat de principali intentione ferentis mandata; nec de ipſorum mandatorum obligatione. Nam Deus ſic tribuit mandata obligatoria, quod ſemper fuit promptus tribuere gratiam adiutricem ad illa implenda. Vndè, quod per mandatorum obligationem augeretur concupiſcentia, hoc non erat ex ipſis mandatis; ſed potiùs ex negligentia, & culpa hominis. Dominus autèm propter negligentiam hominis, non debuit dimittere, quin diligentiam circa ſalutem hominis exerceret.

Circa ſecundum. Reſpondeo, quod fuerunt contrariæ opiniones. Quidam enim dixerunt abſolutè: quod omninò modus charitatis non cadit ſub præcepto. Quia ſi caderet; ſequeretur, quod quicumque non haberet charitatem peccaret mortaliter in opere, quod facit; quantuncumque ſit de genere bonorum; quod eſt inconveniens. Alij dicunt abſolutè modum charitatis eſſe ſub præcepto, nec eſſe impoſſibile ſervare hoc præceptum non habenti charitatem; quia poteſt ſe diſponere ad hoc quod ei charitas infundatur. Nec quandocumque aliquis non habens charitatē facit aliquid de genere bonorum, peccat mortaliter, quia hoc eſt præceptum affirmativū, ſcilicèt, ut ex charitate operetur, & non obligat pro ſemper, ſed pro tēpore illo, quo aliquis habet charitatem. Vtrique autem quantum ad aliquid verum dixerunt. Actus enim charitatis dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ſecundum quod eſt quidam actus per ſe. Et ſic cadit ſub præcepto legis, quod de hoc ſpecialitèr datur, ſcilicet: *diliges Dominum Deum tuum*, *diliges proximum tuum*, & quantum ad hoc, ſecundi verum dixerunt. Alio modo ſecundum quod eſt modus aliarum virtutum, & ſecundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ eſt finis præcepti, *ut dicitur* 1. *Tim.* 1. Et ſic verum dixerunt primi, ſcilicèt, quod modus charitatis non cadit ſub præcepto. Hoc eſt dictum, quod in hoc præcepto; *honora patrem tuum*, non includitur, quod pater ex charitate honoretur, ſed tantum, quod pater honoretur. Vndè qui honorat patrem, licèt non habeat charitatem, non eſt tranſgreſſor hujus præcepti, licèt ſit tranſgreſſor præcepti, quod eſt de actu charitatis, propter quam tranſgreſſionem, pœnam meretur. Sic ergò qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt; *honora parentes*, ſed ex vi hujus præcepti, quod eſt *diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Et hæc duo præcepta affirmativa non obligantia pro ſemper, poſſunt pro diverſis temporibus obligare. Et ita poteſt contingere, quod aliquis implens hoc præceptum de honoratione parentum, non tranſgrediatur tunc præceptum

Digitized by Google

ptum de omiſſione modi charitatis. Si ergo objiciatur, quod ſi modus charitatis non cadat ſub præcepto; ergo aliquis implere poteſt præcepta legis ſine charitate; & per conſequens ſine gratia quæ charitati ſemper eſt adjuncta. Hic autem eſt error Pelagij; ut patet per Aug. de hæreſibus. Dicendum, quod non poteſt ſervare quis omnia præcepta legis niſi ſervet præcepta charitatis; quod ſine gratia non fit; & ideo Pelagius erravit. Hæc Tho. III. diſ. XXXVI. ar. VI. c.

ARTICULUS QUARTUS

De obſervatione decem præceptorum.

SEquitur videre de IIII. ſcilicèt de debita obſervatione decem præceptorum. Circa quod quæritur. Vtrum Dei præcepta merito ſint ſervanda? Reſpondeo quod ſic. Et hoc patet primò ex parte Dei cujus auctoritate nulla eſt major Pſal. *Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram*. Ipſe enim eſt Dominus noſter; jure creationis; jure gubernationis; & jure redemptionis; ideò meritò tamquam ſubditi, & ſervi ejus ei obedire debemus; ut ſcilicèt ipſius præcepta diligenter obſervemus. Act. I. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Propter quod Dominus rectè priuſquam mandata proponat præmittit Exo. XX. *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti; & de domo ſervitutis* q. d. Bene poſſum vobis præcipere, & vos debetis mihi obedire, quia ego ſum dominus Deus tuus per creationem; qui eduxi te, &c: per redemptionem ſecundum ſenſum ſpiritualem. Secundo ex parte noſtri: quia obſervatio eorum eſt nobis fructuoſiſſima. *Matth. XIX. Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*; & traſgreſſio periculoſiſſima. *Pſalm. Maledicti qui declinant a mandatis tuis*. Maledicti, qui & dicetur eis. *Ite maledicti in ignem æternum*. Conſidera quod poſuit nos Deus inter Paradiſum, & infernum; nec aliter poſſumus ingredi Paradiſum nec evadere infernum niſi per obſervantiam mandatorum. Tertio ex parte ipſorum mandatorum. Tum quia ſunt irreprehenſibilia; nihil enim continent irrationabile Rom. VII. *Mandatum ſanctum, juſtum, & bonum*. Tum quia ſunt levia; nihil enim continent grave I. Jo. V. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus*. Et mandata ejus gravia non ſunt. Vnde dicit. *Hæc eſt charitas Dei*. Habenti enim charitatem Dei præcepta ſunt facilia: non habenti ſunt difficilia. Et ponit Augu. exemplum de ave ſine plumis cui difficile eſt volare; habenti vero facile. Similiter habenti perverſam voluntatem videntur mandata difficilia: quæ habenti charitatem ſunt facilia. Sed dices. Ergo non habenti charitatem ſunt difficilia. Verum eſt; ſed cuilibet non habenti charitatem facile eſt eam habere; quia Deus paratus eſt eam dare cuique ſe diſponenti eam recipere. Vnde Deut. XXX. *Mandatum, quod ego tibi præcipio hodie non eſt ſuper te, nec procul poſitum nec in Cælo ſitum; ſed juxta te eſt valdè. Sermo ejus in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum*.

ARTICULUS QUINTUS

De diſpenſabilitate præceptorum.

SEquitur videre de quinto ſcilicet de poſſibilitate diſpenſationis decem præceptorum. Et circa hoc quæritur.

Vtrum præcepta decalogi ſint diſpenſabilia?

Reſpondeo quod non, præcepta enim legis ęternę non ſunt diſpenſabilia; ſive per homines; ſive per Deum. *Fidelis eſt enim Deus, & ſeipſum negare non poteſt* II. Thimot. II. Sicut autem dicit Aug. XXII. lib. contra Fauſt. *Lex ęterna eſt ratio, vel voluntas divina ordinem naturalem conſervari jubens, & perturbari prohibens*. In quo patet ex conſequenti quod nec Deus nec homo diſpenſare poteſt in lege naturę. Eſt enim, ut dicit Auguſt. lib. LXXXIII. queſtionum. q. LIII. tranſcripta in animam rationalem ex ineffabili, atque ſublimi rerum adminiſtratione, quæ fit per divinam providentiam. Et ideo ut; dicitur diſtin. V. jus naturale cœpit ab exordio rationalis creaturę; nec variatur tempore, ſed permanet immutabile. Omnia ergo pręcepta, quæ ex primo principio legis naturæ neceſſario, & immutabiliter conſequuntur ſunt immutabilia: & per conſequens indiſpenſabilia. Talia autem ſunt omnia præcepta decalogi accepta ſecundum intentionem præcipientis. Et ideo ſic accepta ſunt ita immutabilia quod in illis, nec Deus, nec homo diſpenſare poteſt. *Vnde diſ. VI. §. His itaque reſpondetur: dicitur. Moralia præcepta ad naturale jus ſpectant, atque ideò nullam mutabilitatem recepiſſe monſtrantur*. In aliquibus autem aliis mandatis ex primo principio legis naturæ ſequentibus; non tamen ita immutaliter, quin in paucioribus propter aliquas particulares circumſtantias poſſit contingere, ut eorum obſervatio non eſſet ſecundum legem naturæ; ſed magis contra poteſt diſpenſatio locum habere, ut patet in præcepto de reddendo depoſitum petenti. Quod depoſitum ſi quis redderet quando eſſet in notabile prejudicium ipſius petentis, & reipublicæ non faceret ſecundum legem naturæ; ſed magis contra; quia talis redditio perturbaret ordinem rationis, quem æterna lex, & naturalis jubent inviolabiliter obſervari.

Nec obſtat prędictis, quod Deus præcepit Abrahę, quod filium ſuum occideret *Gene*. XXII. quia per illud præceptum non occides; prohibetur ſecundum intentionem prohibentis occiſio hominis ſine cauſa rationabili. Innocens autem ex cauſa rationabili poteſt occidi ſcilicet cum hoc præcepit ille qui eſt dominus, vitæ, & mortis. Quod ipſe Dominus rationabilitèr poteſt; tum quia homo in ſtatu naturæ lapſę eſt debitor mortis propter peccatum originale: tum etiam propter ma-

jorem

zed by Google

jorem utilitatem ejus, qui occiditur. Qua de cauſa afflixit Job pluſquam exigerent peccata actualia, quę fecerat. Job VI. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitatem, quam patior in ſtatera: quaſi arena maris hæc gravior appareret*. Cum autem Deus præcepit Oſee. I. facere filios fornicationis; quod eſt contra illud: *non mœchaberis* intelligitur, quod illos de muliere fornicaria generaret, ad quam non affectu fornicario, ſed ſicut ad mulierem ex mandato Dei factam ſuam accederet. Cum etiam pręcepit filiis Iſrael, quod aſportarent res Egyptiorum, non præcepit eis furtum; ſed quod res illas, quas dominus omnium tranſtulerat in jus eorum propter malitiam Egyptiorum, & propter ſervitium, quod à filiis Iſrael receperant, portarent ſecum. *Quod autem dicit Bern*. II. *de diſpen. & præ. c*. V. quod in præceptis ſecundæ tabulæ diſpenſare poteſt Deus, & non homo; intelligitur non de præceptis acceptis ſecundum intentionem mandantis; quia ſic claudunt in ſe debitum ordinem ad proximum, quem Dominus infringere non poteſt. Propter quod idem Ber. c. lib. VI dicit. A Deo non poteſt immutari quicquid de dilectione, humilitate, cęteriſque virtutibus, tam in novo, quam in veteri teſtamento ſpiritualiter obſervandum traditur; Sed iſtud intelligitur quantum ad actus, qui ſecundum virtutem literæ non habent ordinem hunc annexum, ut eſt non occidere; parentes honorare; qui non eſſent honorandi inquantum facerent contra Deum, & retraherent honorantem à Dei amore. In quo caſu dicit Dominus Luc. XIV. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, &c.*

Sed quare lex naturæ non poteſt revocari, vel à ſuo mutari conditore, ſicut lex poſitiva. Reſpondeo. Quia lex naturæ cum ſit quædam participatio legis ęternæ, ut dictum eſt: adeò mentibus noſtris eſt impreſſa quantum ad ſuum primum principium, ſeu præceptum; & quantum ad decem pręcepta decalogi accepta ſecundum intentionem pręcipientis: continet hominis ordinem ad Deum, & ad proximum. Eo autem ipſo, quod Deus eſt ultimus finis debet homo ordinari ad Deum, & eo ipſo, quod proximus eſt ordinabilis ad eumdem finem: debet ordinari ad proximum. Sicut ergo Deus non poteſt negare ſeipſum eſſe ultimum finem, ità negare non poteſt hominem ordinari debere ad ipſum, & per conſequens nec ad proximum. Unde etiam ſequitur, quod legem naturæ non poteſt infringere inquantum eſt continens ordinem iſtum. Lex autem humana cum non contineat niſi præcepta, quæ ſunt determinationes quædam præceptorum legis naturæ, & concluſiones tales, quæ ut in paucioribus, propter circunſtantias aliquas particulares poſſunt a lege naturæ deviare, non habet prædictum ordinem duplicem immutabiliter annexum: & ideò magis poteſt revocari, vel mutari à ſuo Conditore, quam lex naturæ. Hęc Richar. III. diſt. XXXVII. q. j ar. V. c. & c. j.

Dixerunt tamen quidam: quod Deus diſpenſare poterat in præceptis ſecundæ tabulæ, quia per præcepta ſecundæ tabulæ ordinatur homo ad proximum: per præcepta verò primæ tabulæ ordinatur ad Deum, ſicut ad finem ultimum. Sublato autem ordine rei ad finem, tollitur ordo illius rei ad aliam; & non èconverſo. Cujus ratio eſt; quia ille ordo eſt propter illum & non èconverſo; & ideò ſublato ordine ad proximum, adhuc remanet ordo ad Deum, non èconverſo; & ideo Deus diſpenſare poteſt in iſtis præceptis, non inillis.

Sed contra hoc obijcitur: quia ordinem hominis ad Deum facit amor Dei; & ordinem hominis ad proximum facit amor proximi. Sed remoto amore proximi; removetur amor Dei. j. Jo. IV. *Si quis dixerit: quia diligo Deum & fratrem ſuum odit; mendax eſt*; ergo &c. Præterea. Per hoc, quod filii Iſrael mandato Dei acceperunt vaſa Egyptiorum, non tollebatur ordo proximi ad proximum; quia non acceperunt ea, niſi ut facta ſua: aliàs feciſſent contra amorem proximi, & per conſequens Dei: undè non commiſerunt furtum.

Dicendum ergo, quod non poteſt præcipere, ſeù diſpenſare, quod fiat malum, niſi amota ratione mali, quæ erat ratio prohibitionis. Unde præcepit filiis Iſrael, quod tollerent illa vaſa, amota ratione furti.

Ex prædictis verificari poteſt dictum antiquorum, ſcilicet quod duplex eſt malum. Quoddam eſt malum in ſe, & hoc nulla circunſtantia poteſt bene fieri: & ideò illud Deus non poteſt præcipere: ut odire Deum, vel cognoſcere non ſuam ex libidine, & hujuſmodi. Aliud eſt, quod eſt malum non in ſe: & tale poteſt benè fieri poſita aliqua circunſtantia; & tale Deus præcipere poteſt: immò eo ipſo, quod præcipit eſt bonum. Hęc Alex. angli. j. t. j. c. de ſignis voluntatis divinæ. q. I. ar. III. o.

TITULUS QUARTUS

De Expoſitione primi præcepti.

ARTICULUS PRIMUS

De his, quæ pertinent ad decalogi quaſi titulum.

CONSEQUENTER conſiderandum eſt de ſingulis præceptis decalogi. Et primò de primo præcepto; De quo primò ſunt exponenda verba quibus traditur; ſecundò proſequendum eſt latius de idolatria, & aliis, quæ per ipſum prohibentur.

Circa primum: primò de his, quæ pertinent ad decalogi quaſi titulum; ſecundò de his, quæ pertinent ad ipſum præceptum; tertiò de his, quæ movere debent ad ipſum obſervandum. Circa primum ergò ſciendum quod *Exo*. XX. præmittitur decalogo quaſi titulus talis. *Ego ſum Dominus*

nus Deus tuus, qui eduxi te de terra Egypti, de domo ſervitutis. Nam leges ferre, & præcepta injungere non convenit alicui, niſi pręſit multitudini. Ut ergò dominus oſtendat hoc convenire ſibi manifeſtat in prædictis verbis ſe eſſe dominum, & rectorem univerſorum, dicens: *Ego ſum Dominus creans omnia per potentiam, Deus fovens, & gubernans omnia per ſapientiam*. Ut enim dicit Damaſ; libro 1. c. ix. *Theos grecè, quod eſt idem quod Deus latinè, dicitur à Theu, quod eſt fovere univerſa. Dicitur etiam à theaſte, quod eſt conſiderare omnia. Tuus te redimens, & reparans per bonitatem, & clementiam*. Et ſic in prædictis verbis per hæc tria: *Dominus Deus tuus*, inſinuatur Trinitas; Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: per tria appropriata; per prædicta tria vocabula deſignata. Per hoc, quod ibi ſingulariter dicitur: *Ego ſum*; deſignatur eſſentiæ unitas; & ſic patet quis loquitur, & injungit ſequentia, & mandata: quia Deus, cui hoc facere competit, ut viſum eſt. Sequitur: *Qui eduxi te &c*. In quo oſtenditur, cui loquitur, quia populo educto de Egypto. Ubi attendendum, quod præcepta decalogi innata ſunt cujuſlibet conſcientiæ. Sunt etiam data ipſis Judæis ſpecialitèr, & expreſsè, ut hic dicitur. Et ideò præcepta iſta ſecundum, quod ſunt innata, reſpiciunt omnes communiter, ſecundum verò, quod ſunt data, illum populum ſingularitèr, quem ſcilicèt dominus eduxit ad litteram de Egypto. Spiritualiter tamen cum dicitur: *eduxi te &c*. Tangitur triplex effectus reſpondens Trinitati appropriatus. Educere enim eſt potentiæ; *de terra Egypti*, ſapientiæ. Egyptus, enim tenebrè interpretatur, in quo error infidelitatis notatur: *de domo ſervitutis*, eſt bonitatis, & clementiæ. Domus enim ſervitutis eſt reatus peccati, quià qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Dicit ergo: *Ego ſum Dominus, qui te eduxi*, ſcilicèt per potentiam. *Deus qui te eduxi de terra Egypti*, ideſt de tenebris erroris, & infidelitatis ad intelligentiam veritatis. *Ego tuus, qui eduxi te de domo ſervitutis*, ideſt reatu peccati, & pravorum morum ad libertatem gratiæ, per affectionem bonitatis.

Poteſt etiam ſpiritualiter in dictis verbis notari beneficium creationis, & beneficium reparationis. Primum cum dicitur; *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Secundum cum ſubditur; *qui eduxi te &c*. De his duobus ſunt duo articuli fidei, qui inter omnes articulos ſunt maxima fundamenta fidei. Unde ſunt quaſi duo radii, ſive oculi dirigentes nos in viam mandatorum Dei. Homo prius oculos aperit, quam ambulet; ſic homo priùs debet cognoſcere per fidem, quam exequatur per operationem. Rectè ergò primò ponit prædicta verba pertinentia ad fidem; & poſtea ponit mandata pertinentia ad operationem.

Notandum autem, quod in illis verbis: *Ego ſum Dominus &c*. ſecundum Alexan. Angl., ut dictum eſt ſupra, ponitur quaſi titulus decalogi, ſecũdum verò alios, aſſignatur ratio primi pręcepti.

ARTICULUS SECUNDUS

De his, quæ pertinent ad ipſum præceptum.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de his, quę pertinent ad ipſum pręceptum. Circa quod ſciendum, quod primum præceptum eſt: *Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, nec coles. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia, his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea*. In his verbis primò ponuntur ea, quę pertinent ad ipſum præceptum; ſecundò ea, quæ movere debent ad ipſum obſervandum, ſcilicèt *Ego ſum Dominus Deus tuus &c*. Circa primum, Nota, quod ibi removetur omnis idolatria. Idolatria enim eſt exhibitio honoris ſoli Deo debiti, creaturę facta. Aut ergo exhibetur actu interiori, ſcilicèt affectu, propter quod dicitur: *non coles*; Aut actu exteriori, propter quod dicitur: *non adorabis*. Et hęc differentia aſſignatur inter colere, & adorare in Gloſ. Honor autem exhibitus, ſivè exteriùs, ſivè interiùs; aut eſt exhibitus creaturę ſpirituali, ideò dicitur: *non habebis Deos alienos*; *Undè Orige. in Glo. Angelos, quibus gentes commiſit excelſus vocat ſcriptura Deos, quaſi à Deo datos. Unde ego dixi: dii eſtis*. Aut eſt exhibitus creaturę corporali; & hoc, aut in imagine ficta, quę nullius rei naturalis eſt repreſentativa; ideò dicitur: *non facies ſcul.* aut imagine vera, id eſt alicujus rei repręſentativa; ideò dicitur ibi: *neque omnem ſimilitudinem* cęleſtium, terreſtrium, aquatilium. Et nomine cęleſtium poſſunt accipi non ſolum ſydera, ſed etiam aves; quià aer dicitur cœlum, ſecundum illud Mat. XIII. *Aves Cęli comederunt illud*.

Poteſt etiam notari, quod cultus Deorum alienorum duplicitèr apud aliquos ſervabatur. Quidam enim quaſdam creaturas pro diis colebant, ſine inſtitutione imaginum. Unde Varro dicit, quod antiqui Romani Deos diù ſine ſimulacris coluerunt. Et hic cultus prohibetur primò cum dicitur: *Non habebis deos alienos*. Apud aliquos verò erat cultus falſorum Deorum ſub quibuſdam imaginibus; Et ideò prohibetur etiam ipſarum imaginum inſtitutio; cum dicitur: *Non facies tibi ſculptile*, & ipſarum imaginum cultus, cum dicitur, *Non adorabis &c*.

Sed forſan inſurget aliquis contra Chriſtianos facientes imagines, dicens, eos idolatrare, quià faciunt contra illud; *Non facies tibi ſculp., neque omnem ſimilitudinem*. Sed hoc removetur per hoc, quod in textu ſequitur: *non adorabis ea, neque coles*; quaſi dicat: non facies ea ad adorandum, vel colendum. Chriſtiani autem ad hoc non faciunt imagines, ſed ad memorandum, & omnis honor

ille, qui imagini exhibetur; ut dicit Damaſ. ad Prothotipum, ideſt ad aliud, quod imago repręſentat, refertur. Honor autem, qui exhibetur ſanctis, eſt honor duliæ, & non latrię. Dulia enim eſt honor debitus creaturę, inquantum eſt divinę bonitatis participativa. Latria verò eſt honor ſoli Deo debitus, inquantum eſt principium omnis rei productivum, & conſervativum.

Dubitaret autem aliquis de hoc, quod dicitur: aquas eſſe ſub terra. Sed hoc intelligi debet reſpectu aquarum, quę recipiuntur in venis terrę, undè fontes erumpunt, & flumina. Ratione etiam harum aquarũ dicitur eſſe terra ſuper aquas, ſecundum illud Pſal. *Qui fundavit terram ſuper aquas*. Non autem intelligitur reſpectu Oceani, quod totam terram circuit, & ei ſupereminet, ut natura minus gravis. Et hęc dicta ſunt quantum ad ſuperficiem litterę primi præcepti.

Ad ampliorem tamen intelligentiam notari poteſt, quod in prędictis verbis tria prohibentur nobis, per quę mens noſtra avertitur à reverentia Creatoris. Primò omnes prophanę pactiones dęmonum, ibi, *Non habebis deos alienos*. Et hoc ſivè fiant per incantationes verborum, ſive inſcriptiones characterum, vel imaginum, ſive per immolationes ſacrificiorum. In his enim tribus conſiſtunt omnes artes magicę. Prohibentur igitur omnes prophanę pactiones dęmonum, ſive ſint ad ludificationem ſenſuum, ut faciunt hiſtriones; ſive ad tranſmutationem naturarum, ut fecerunt magi Pharaonis; ſivè ad inveſtigationem futurorum contingentium; ut faciunt divini: Omnia hęc vocat Auguſtinus pactiones dęmonum. In talibus enim attribuitur creaturę, quod debet attribui Creatori, & ideò peccatur contra primum verbum primi præcepti; ſcilicèt: *Non habebis deos alienos*. Et de facientibus hoc, dicitur Deut. XXXII. *Provocaverunt eum in diis alienis*. Et ideò ſecundum Apoſtolum ad Rom. I: *Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*.

Secundò omnes falſę, & ſuperſtitioſę adinventiones errorum prohibentur cum dicitur; *non facies tibi ſcul.* Omnis enim error eſt fictio mentis. Errorem autem facit fantaſia obnubilans rationem, quę facit, quod illud quod non eſt, eſſe videatur. Hujuſmodi autem adinventiones errorum procedunt aut ex improbo auſu inveſtigationis prohibitę, ut errores Philoſophorum, ſicut ponere mundum ęternum; & quod unus intellectus eſt in omnibus hominibus; aut ex perverſo intellectu ſacrę ſcripturę, ut hæreſes hęreticorum, qui malè ſentiunt de Chriſto, de Trinitate, de Spiritu Sancto; aut ex inordinato affectu carnalitatis humanę, ut errores Epycurreorum dicentium nullam aliam eſſe vitam, quam iſtam, & Nicholaitarum dicentium, quod licet cuilibet turpitèr agere cum qualibet. Omnes iſti errores tanquam ſtulti, & vani ſunt deteſtabiles, quia ſunt contra ſecundum verbum primi mandati; ſcilicèt *Non facies tibi ſculptile*. Vndè Jeremias: *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua, confuſus eſt artifex in ſculptili ſuo, vana ſunt opera eorum, & riſu digna; & in tempore viſitationis ſuæ peribunt*.

Tertiò prohibentur omnes perverſę appretiationes creaturarum cum dicitur: *nec omnem ſimilitudinem*; &c. Omnis autem perverſa appretiatio creaturarum procedit aut ex ſublimitate, aut ex cupiditate, aut ex delectatione; primò modo eſt idolatria ſuperborum; ſecundò cupidorum; tertiò laſcivorum. Sicut enim dicit Hieronymus. *Quod quis plus veneratur, & amat, hoc illi Deus eſt*. Colit autem ſuperbus ſimilitudinem cœleſtium; quia ſuper omnia diligit pręferri. Colit cupidus ſimilitudinem terreſtrium: quia ſuper omnia diligit ditari. Col. III. *Avaritia eſt idolorum ſervitus*. Colit laſcivus ſimilitudinem Aquatilium; quia ſuper omnia diligit delectari in delitiis hujus mundi, quę ſunt fluxibiles inſtar aquarum. Phil. III. *Quorum Deus venter eſt*.

ARTICVLVS TERTIVS.

De motivis obſervantiæ primi præcepti.

Sequitur videre de tertio, ſcilicèt de his, quæ movere debent ad obſervandum primum præceptum, quæ quidem ponuntur in his verbis. *Ego ſũ Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, &c.* Vbi ponuntur duo, ſcilicèt comminatio, & promiſſio. Ad obſervationem enim præcepti præcipuè movent timor, & amor, & ſicut avis ad volandum indiget alis duabus, & ad ambulandum homo duobus pedibus; ita timore, & amore inducitur homo ad impletionem prędicti pręcepti. Timor autem generatur in homine ex conſideratione divinæ juſtitiæ; amor vero ex conſideratione divinæ miſericordię. Ad incutiendum ergò timorem tranſgreſſionis, primò ponitur comminatio, ut ſic timeamus divinam juſtitiam. *Ego inquit ſum Dominus Deus tuus fortis &c.* ideſt fortiſſimũ habens zelum juſtitiæ, viſitans, ideſt vindicans iniquitatẽ patrum in filios. Sed hoc videtur eſſe contra illud quod dicitur Ezech. XVIII. *Filius non portabit iniquitatem patris*. Ad quod reſpondetur per illud, quod hic ſequitur, ſcilicet, eorum, qui oderunt me per imitationem paternæ malitiæ. Tertiam verò, & quartam generationem ponit; quià tantum ſolent vivere patres. Puniuntur ergo in filiis, ad quos exemplum malę vitæ tranſmiſerunt. Secundò ponitur promiſſio; ut divinam miſericordiam conſideremus, & amemus. Faciens, inquit, miſericordiam in millia, ideſt in infinitum diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea, in quo oſtenditur quantum juſtitiam excedat miſericordia.

TI-

TITVLVS QVINTVS.

De Latria, & Idolatria.

ARTICVLVS PRIMVS

De Quidditate Latriæ, & idolatriæ.

DEinde poſt expoſitionem verborum, in quibus traditur primum pręceptum,conſiderandum eſt plenius de idolatria, quæ prohibetur per ipſum. Eſt autem idolatria,latria idolis exibita. Latria enim dupliciter ſumitur,ſcilicèt propriè, & communiter. Propriè, ſecundum quod dicitur cultus Deo debitus, & Deo exibitus; & hoc modo opponitur idolatriæ.Communitèr verò ſumitur ſecundum quod eſt cultus ſoli Deo debitus. Et hoc modo idolatria poteſt dici latria, ſcilicet,cum ille cultus idolis exhibetur. Et ideò ad majorem intelligentiam primò dicendum eſt de Latria, poſteà de idolatria. De Latria autem dicendum eſt primò de ipſa; & poſteà de actibus ejus. Circa primum dicendum eſt, primò quid ſit latria, ſecundò quomodo differt à theuſebia, & dulia.

Quantum ad primum; conſiderandum,quod latria grecè idem eſt, quod religio latinè, *ut vult Aug. x. de Civ. Dei. c.* iv. Vndè dicitur ibidem, quod cultus Deo debitus quatuor nominibus vocatur,ſcilicèt duobus apud Græcos, & duobus, apud latinos. Apud grecos dicitur latria,& theuſebia,ideſt cultus divinus, vel cultus bonus. Apud verò latinos dicitur religio, & pietas; ita quod hęc duo nomina correſpondent illis duobus;licèt quodammodo ſint in plus,quantum ad modum conſuetum. Sic ergo latria idem eſt, quod religio. Religio autem dicitur à relegendo, ſcilicet pertinentia ad divinam cultum, ut dicit Iſido.lib.etymologiarum,quia hujuſmodi ſunt in corde frequenter revolvenda. *Proverb.* iii. *In omnibus viis tuis cogita illum.* Vel à religendo, ſcilicet, Deum, quem per peccatum amiſimus; *ut dicit Aug. x. de Civ. Dei. Vel à religando. Unde Augu. de vera religione: Religet nos religio uni omnipotenti Deo.* Ideò patet, quod religio undequaque dicatur propriè importat ordinem ad Deum. Unde Auguſtinus x.de Civitate Dei dicit, quod religio diſtinctiùs non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare videtur. Extenſo tamen nomine refertur etiam ad ea,quę humanis cognitionibus Deo exibentur; ut etiam idem dicere videtur ibidem. Et ſic religioſi dici poſſunt communiter omnes, qui Deum colunt. Specialiter tamen dicuntur religioſi, qui vitam ſuam totam Deo dedicantes à mundanis negociis ſe abſtrahunt.

ARTICVLVS SECVNDVS

Quomodo Latria differat à Theuſebia, & Dulia.

CIrca ſecundum ſciendum, quod differunt latria, & theuſebia; licèt aliquandò ſumantur pro eodem ſecundum propriam acceptionem;quia theuſebia propriè reſpicit cultum interiorem; qui propriè pertinet ad virtutes theologicas; ſed latria ad ſervitutem exteriorem, quæ pertinet ad juſtitiam. Latria enim grecè idem eſt, quod ſervitus latinè de ratione ſui vocabuli: ut vult Auguſtinus libro de Trinitate. Si autem latria reſpiceret cultum interiorem principalitèr; cum iſte conſiſtat in credendo, & ſperando, & diligendo Deum; ut dicit Auguſt. in ench. tunc non eſſet virtus cardinalis, ſed theologica,non inquam ab aliis diſtincta; ſed conſequens ad omnes illas ſecundum Bon. iii. diſt. ix. q. ii. ar. iii. c. Sed hoc modo non ſumitur ita propriè,ſicut modo ſupradicto; cum nomen ejus impoſitum fuerit à ſervitute, quæ propriè reſpicit actum exteriorem. Vtroque tamen modo contingit reperiri eam dici; & ſecundum hoc doctorum poſitiones diverſificari. Vndè quidam ponunt eam, ſpeciem virtutis cardinalis,ſcilicet juſtitiæ, quidam verò tres theologicas circumplecti. Et utrumque verè poteſt dici ſine contrarietate propter diverſum modum accipiendi, ſecundum Bon. ubi ſupra.

Sed quomodò ſe habet latria ad duliam?

Reſpondeo; ad cujus evidentiam ſciendum, quod dulia multipliciter ſumitur. Vno modo ſecundum quamdam analogiam; & tunc importat cultum debitum naturæ ſuperiori,ſivè creaturę, ſive creatori, ſecundum aliquam rationem, quam creator comunicat creaturæ; ut potè ſecundum rationem dominij. Et ſicaccipitur in Glos. ſuper illud Pſal. *In eccleſiis benedic Deo Domino.Glos.Deo cui debetur latria,Domino cui debetur dulia.* Alio modo ſecundum anthonomaſiam: Et ſic dicit reverentiam debitam creaturę humanæ dignificatę, vel deificatę. Et ſic ſumitur gl.ſuper illud *Adorate ſcabellum pedum ejus; quoniam ſanctum eſt,Pſal.* xcviii. ubi dicitur; quod dulia major debetur ſoli humanitati Chriſti: Tertiò ſecundum ſignificationem propriam: Et ſic ſecundum Aug. i. de tri. c. vi. latria dicitur cultus tantum Deo debitus;dulia verò honor debitus, & exibitus creaturę rationali: Et ſic communitèr accipi conſuevit. Et hoc modo latria, & dulia ſunt diverſę ſpecies virtutis; quia reſpiciunt cultus exteriores formaliter diverſos. Aliter enim, & alia ratione adoratur creator, & creatura. Adoratur enim creator; quia in eo eſt ſumma majeſtas,quæ eſt principale principium omnis boni, quod habere poteſt ille, qui adorat. Creatura verò adoratur, inquantum conſideratur, ut adiuvans, & hoc, vel adeſſe, ut pater carnalis; vel ad bene eſſe, ut pater ſpiritualis.

Si quęratur quare Gl. ſuprapoſita magis dicit la-

Digitized by Google

latriam deberi Deo; & duliam domino; cum idem ſit Dominus, & Deus.

Dicendum, quod Dominus comunicatur creaturę; & de creatore, & creatura dicitur analogicè, Deus autem non ità comunicatur; ſed ſi dicatur de Creatore, & creatura, dicitur ęquivocè, & propterea dicit latriam deberi Deo, & duliam domino; non ut ſignificetur, quod alia ſpecie adorationis adorandus ſit inquantum Deus; & alia inquantum Dominus; ſed ut innoteſcat differentia horum vocabulorum; & ſimul cum differentia innuit convenientiam. Ex prædictis patet, quod latria eſt virtus ad reddendum honorem Deo debitum habilitativa moralis, ad juſtitiam reducibilis.

TITVLVS SEXTVS

De actibus latriæ.

ARTICULUS PRIMUS

De latria in generali quo ad actus.

POſtea conſiderandum eſt de latria, ſivè religione quantum ad actus ejus, & primò in communi, ſecundò in ſpeciali de actu ſacrificandi, tertiò de actu adorandi.

Circa primum ſciendum, quod religio aliquos actus producit mediantibus virtutibus, quibus imperat, ordinans eos in Dei reverentiam; quia virtus, ad quam pertinet finis imperat virtutibus, ad quas pertinent ea, quæ ſunt ad finem. Et ſic religionis actus per modum imperij ponitur Jacobi 1. ubi dicitur. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hęc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum*; quod eſt actus elicitus à miſericordia; *& immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſęculo*; quod elicitur à temperantia, vel aliqua hujus vice. Aliquos vero producit per ſe, & immediatè, per quos homo ordinatur tantum ad Deum. Et inter hos actus habet aliquos interiores tanquam principales, & per ſe; & iſti videntur eſſe devotio, & oratio. Aliquos verò habet exteriores quaſi ſecundarios, & ordinatos ad actus interiores, quibus ipſa utitur, quaſi ſignis ad excitandum mentem ad actus ſpirituales. Et in aliquibus horum actuum exteriorum corpus ad venerandum Deum exibetur, ut in oratione. In aliquibus verò aliquid Deo de rebus exterioribus offertur; & hoc, vel promittendo, ut in votis, vel dando, ut in ſacrificiis, & oblationibus; primitiis, & decimis. Hæc enim differunt; quia ſacrificia propriè dicuntur, quandò aliquid fit circa res Deo oblatas; ſicut quandò animalia occidebantur; quandò panis benedicitur, frangitur, & comeditur, Et hoc ipſum nomen ſonat; Nam ſacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid ſacrum.

Oblatio autem directè dicitur, quandò Deo aliquid offertur, etiamſi nihil fiat circa ipſum; ſicut offerri dicuntur denarii, vel panes in altari circa quos nihil fit. Vnde omne ſacrificium eſt oblatio, & non è converſo.

Primitię autem ſunt oblationes, quę Deo offerebantur; *ut legitur Deutor.* XVI. Non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circa ea fiebat.

Decimę autem propriè loquendo, nec ſunt oblationes, nec ſacrificia; quia non exhibentur Deo immediatè, ſed miniſtris cultus Divini. In aliquibus autem actibus exterioribus religionis aliquid Divinum aſſumitur, ut aliquod Sacramentum, vel nomen divinum. Et quidem de oratione, & devotione; nec non, & de oblationibus, primitiis, & decimis; atque aſſumptione Sacramentorum infra in ſuis locis agetur.

De aſſumptione vero nominis divini, & etiam de votis, in quibus etiam aliquo modo Dei nomen aſſumitur; infra dicetur cum de pręcepto ſecundo agetur. Vnde reſtat, ut ad pręſens conſideremus tantum de adoratione, & ſacrificiis.

ARTICVLVS SECUNDVS

De Sacrificio.

SEquitur ergo videre de ſecundo, ſcilicet de *Sacrificiis*.

Circa quod ſciendum, quod ſacrificium, quod offertur exteriùs ſignificat ſpirituale ſacrificium, quo interius anima offert ſe Deo *ſecundum illud Pſ. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Anima autem offert ſe Deo in ſacrificium, ſicut principio ſuę creationis, & ſicut fini ſuę beatificationis, & ideò ſoli Deo eſt offerendum ſacrificium tam interiùs, quam exteriùs. *Unde Exo.* XXII. *Qui immolat diis occidetur, prætor quam Domino ſoli*. Tenentur autem omnes offerre Deo ſacrificium tam interiùs, ſcilicèt mentem devotam; quam exteriùs bonam operationem, ſecundum illud Pſal. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*. Eſt enim triplex ſacrificium, ſcilicet bonę operationis. Devotę orationis, & immolationis. Primum eſt virtutum omnium. Secundum eſt theologicarum. Tertium eſt ſpeciale ipſius latriæ.

ARTICVLVS TERTIVS

De loco adorationis.

SEquitur videre de tertio articulo, ſcilicèt de adoratione, & de hac quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Vtrùm adoratio importet actum corporalem.

II. Vtrùm adoratio requirat locum determinatum.

III. Vtrùm tres perſonę adorentur una adoratione.

IV. Vtrùm adorari poſſit aliqua creatura.

V. Vtrùm humanitas Chriſti ſit adoranda cultu latriæ.

VI.

VI. Vtrùm imago Chriſti ſit adoranda cultu latriæ.

VII. Vtrùm Crux Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ.

VIII. Vtrùm Mater Chriſti ſit adoranda adoratione latrię.

IX. Vtrùm ſanctorum reliquię ſint aliquo modo venerandæ.

X. Vtrùm adverſarius adorari poſſit ſine peccato.

Circa primum; reſpondeo quod ſic: *Vt enim dicit Dam. iv. lib.* quia ex duplici natura compoſiti ſumus, ſcilicèt intellectuali, & ſenſibili, ideò duplicem Deo adorationem offerimus, ſcilicèt ſpiritualem, quę conſiſtit in interiori motu animę, & corporalem, quę conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latrię illud, quod eſt exteriùs refertur ad illud, quod eſt interiùs ſicut ad principaliùs; ideò exterior adoratio fit propter interiorem, ut ſcilicèt propter ſigna humilitatis, quę corporaliter exhibemus, excitetur affectus noſter ad ſubijciendum ſe Deo; quia connaturale eſt nobis, ut per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus. Undè genuflectimus, noſtram infirmitatem ſignantes reſpectu Dei, proſternimus autem nos,quaſi profitentes, nos nihil eſſe ex nobis.

Circa ſecundum; reſpondeo quod ſic. Sicut enim dictum eſt in adoratione,principalior eſt devotio mentis interior, ſecundarium autem eſt, quod pertinet exteriùs ad ſigna corporalia. Mens autem interiùs apprehendit Deum, quaſi non comprehenſum aliquo loco, ſed corporalia ſigna neceſſe eſt eſſe in loco determinato. Et ideò loci determinatio non requiritur principaliter ad adorationem, quaſi ſit de neceſſitate ejus, ſed ſecundum quamdam decentiam, ſicut & alia ſigna corporalia *ſecundum illud Jo. 11. Domus mea domus orationis vocabitur*. Per illa autem verba Jo. 4. *Venit hora quando nec in monte hoc, nec in Hieruſalem adorabitis patrem*; predicit dominus ceſſationem adorationis,tam ſecundum ritum judeorum adorantium in Jeruſalem, quam ſecundum ritum ſamaritanorum adorantium in monte garizam. Vterque enim ritus ceſſavit veniente ſpirituali Evangelij veritate. Sic ergò locus determinatus eligitur ad adorandum, non propter eum, qui adoratur, quaſi loco concludatur, ſed propter ipſos adorantes. Et hoc triplici ratione, primò propter loci conſiderationem, ex qua ſpecialem devotionem concipiunt adorantes, ut exaudiantur, *ut patet ex oratione Salomonis* III. *Reg.* VIII. Secundò propter ſacra myſteria, & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur. Tertiò propter concurſum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis; *ſecundum illud Mat.* XVIII. *Vbi duo,vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum*.

Sciendum inſuper, quod ſecundum quamdam condecentiam adoramus verſus orientem, primò propter divinę majeſtatis indicium, quod nobis manifeſtatur in motu cœli, qui eſt ab oriente, ſecundò propter paradiſum in oriente conſtitutum, *ut legitur Gen.* III. *ſecundum litteram lxx. interpretum*; quaſi redire quęramus ad paradiſum, tertiò propter Chriſtum, qui eſt lux mundi,& dicitur oriens *Zach.* VI: *& qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem*; & ab oriente venturus expectatur, *ſecundum illud Matth.* XXIV. *Sicut fulgur exit ab oriente & apparet uſque in occidentem, ita erit, & adventus filii hominis*.

Circa tertium; reſpondeo quod ſic. Vna eſt enim exiſtentia, ſivè eſſentia, ſive excellentia trium perſonarum, & ideò unus honor & una reverentia, & per conſequens una adoratio debetur. In cujus ſignum legitur *de Abraham Gen.* XVIII. *quod tres vidit, & unum adoravit, dicens. Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum &c.* Quandò tamen nominantur tres perſonæ ſingillatim, ter flectimus genua in ſignum trium perſonarum.

Circa quartum; reſpondeo quod ſic. Deo enim debetur reverētia propter ejus excellentiam, quę communicatur aliquibus creaturis,non ſecundum ęqualitatem, ſed ſecundum quandam participationem. Et ideò alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam; & alia veneratione quaſdam creaturas excellentes, quod pertinet ad duliam. Et quia ea, quę exteriùs aguntur ſigna ſunt interioris reverentiæ, quędam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quę maximum eſt adoratio. Sed aliquid eſt, quod ſoli Deo debetur, ſcilicèt ſacrificium. *Et hæc habentur ex verbis Aug.* X. *de Civitat. Dei*. Secundum ergò reverentiam excellenti creaturæ debitam, Natham adoravit *David.* III. *Re.* I. ubi dicitur, quod Natham propheta ingreſſus ante Regem David adoravit eum pronus in terram. Et hoc etiam modo adoravit Abraham Angelos. *Gen.* XVIIJ. *& ſimiliter Joſue* V. *licèt* intelligi poſſit, quod adoraverit adoratione latrię Deum, qui ſcilicèt in perſona angeli apparebat, & loquebatur. Johannes autem prohibitus eſt adorare angelum. *Apoc. ult*. Tùm ad oſtendendum dignitatem hominis, quam eſt per Chriſtum adeptus, ut adequetur angelis. Vndè ſubditur ibi. *Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum*. Tùm etiam ad excludendum idolatrię occaſionem. Vndè ſubditur. *Deum adora*. Tùm ad oſtendendum dignitatem Johannis, qui excellentior erat multis angelis. Secundum etiam reverentiam, quæ Deo debetur,Mardocheus noluit adorare Aman, timens ne Dei honorem transferret ad hominem, ut dicitur Eſter. III.

Circa tertium; reſpondeo. Hoc dupliciter poteſt intelligi. Aut habendo reſpectum ad humanitatem Chriſti in ſe. Et ſic cum ſit creatura non obſtante, quod eſt verbo unita, non eſt ei latria exhibenda. *Et ſic dicit Glo. ſuper illud Pſal. Adorate ſcabellum pedum ejus*; quod caro Chriſti adoratur a nobis, non adoratione latriæ, quæ ſoli Creatori debetur, ſed illa, quæ du-

dulia dignior eſt, aut habendo reſpectum ad Verbum, cum quo eſt unita hypoſtaticè. Et ſic humanitati Chriſti cultus latriæ debetur. Vna enim adoratione adoratur ſuppoſitum, & natura, ità quod natura per ſuppoſitum. Chriſtus autem eſt nomen perſonę in duabus naturis *ſecundum Dam lib. iij. c. iij.* & ideò una, & eadem adoratione adoratur Chriſtus, & humanitas ejus. Et huic modo reſpondendi concordat *Dam. lib. iij. cap. viij. dicens ſic: Vnus eſt Chriſtus perfectus Deus, & perfectus homo, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto una adoratione cum incontaminata carne ejus, non inadorabilem carnem ejus dicentes; adoratur enim in una verbi hypoſtaſi. Hęc Richar. iij. diſtin. ix. q. ij. ar. j. c.*

Circa ſextum, reſpondeo; Imago poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicèt vel ſecundum, quod eſt quædam res. Et ſic nullus honor ſibi debetur, ſicut nec alicui lapidi, vel ligno. Vel ſecundum quod eſt imago. Et tunc, quia idem motus eſt in imaginem inquantum eſt imago, & in imaginatum, unus honor debetur imagini, & imaginato. Et ideò cum Chriſtus latria adoretur, ejus imago ſimiliter debet latria adorari. Vnde Dam. lib. III. c. VIII. dicit, quod honor imaginis pervenit ad prothotypum, ideſt imaginatum.

Sed objicitur illud *Exo. xx. non facies tibi imaginem, nec ſculptam ſimilitudinem.* Dicendum, quod illud pro eo tempore prohibitum eſt, in quo Deus naturam humanam non aſſumpſerat. Tunc enim, cum Deus omninò ſpiritus eſſet, infigurabilis erat. Secùs autem eſt poſtquam naturam aſſumpſit humanam. Sunt autem imagines hujuſmodi introductæ propter ſimplicium inſtructionem, & propter affectus excitationem, qui frequentèr movetur magis ex viſis, quam ex auditis, & propter majorem, & frequentiorem memorationem. Si dicatur quod hujuſmodi imagines, nec per vetus teſtamentum, nec per novum approbantur. Dicendum: quod Apoſtoli multa tradiderunt, quæ in canone non ſunt, inter quę eſt unum de imaginibus. *Vnde Dam. lib. jv. cap. viij.* dicit; quod Lucas Chriſti, & Beatæ Virginis imagines depinxit. Et Chriſtus imaginem ſuam Abagaro direxit; ut hiſtoria Eccleſiaſtica tradit.

Circa ſeptimum, reſpondeo; Honor, ſive reverentia non debetur, niſi rationali creaturæ. Inſenſibili autem non debetur, niſi ratione naturæ rationalis. Et hoc dupliciter. Vno modo inquantum repręſentat naturam rationalem. Alio modo inquantum ei conjungitur quocunque modo; primò modo ſolent homines venerari imagines regis; ſecundò ejus veſtem. Vtrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur, & regem. Si ergo quęratur de Cruce, in qua fuit Chriſtus Crucifixus, utroque modo eſt à nobis veneranda. Vno modo inquantum repręheſentat figuram Criſti extenſi in ea. Alio modo ex contactu ejus ad Chriſti membra, & ex hoc, quod ejus ſanguine eſt perfuſa. Vndè utroque modo adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicèt adoratione latriæ. Et ideo Crucem alloquimur, & deprecamur quaſi ipſum Chriſtum. Si autem loquimur de effigie Crucis Chriſti in alia materia, ſcilicèt, lapidis, ligni, vel alia materia, & hujuſmodi, ſic veneramur Crucem tantum, ut Chriſti imaginem, quam veneramur adoratione latriæ, ut dictum eſt ſuprà. Aliqui autem dicunt, quod ipſa Crux Chriſti, in qua pependit Chriſtus inquantum eſt res quędam non adoratur eadem adoratione, ſcilicèt latriæ cum Verbo, cum non pertineat ad perſonam verbi, quaſi pars ejus, ſed adoratione hyperduliæ inquantum eſt quædam res Chriſti, ratione cujus ſimilitèr & veſtis, & alia quæ ad humanitatem Chriſti referuntur, hyperdulia adorantur. *Et hæc eſt poſitio Thom. iij. q. xxv. art. jv. c.* Alii verò dicunt, quod illa Crux non debet adorari, ut eſt res quędam, nec adoratione latriæ, nec duliæ, ſed adoratione cujuſdam honoris, & reverentiæ tanquam inſtrumentum noſtræ ſalutis, ſicut etiam reveremur ſacramenta, pro eo quod ſunt inſtrumenta noſtræ ſalutis. *Et hæc eſt poſitio Bon. iij. di. ix. q. j. ar. jv. c.*

Circa octavum, reſpondeo; quod non, pro eo, quod eſt pura creatura. Quia tamen eſt mater Dei, quod eſt excellentiſſimum; ita, quod excellentiùs creaturæ purę convenire non poteſt, ideò ſibi non tantùm convenit honor duliæ, ſed etiam hyperduliæ. Quod nomen ſumitur de Glo. Hjer. IV. ubi dicitur dulia major, & dulia minor.

Circa nonum, reſpondeo; quod ſic. Sicut enim vult Aug. I. de civ. Dei: qui ad aliquem afficitur, ea, quæ de eo relinquuntur poſt mortem venerantur, non tantùm corpus, aut partes corporis, ſed etiam aliqua exteriora, ut veſtes, & ſimilia. Manifeſtum eſt autem, quod Sanctos Dei venerare debemus tamquam Chriſti membra, filios, & amicos, & interceſſores noſtros. Et ideò reliquias Sanctorum qualeſcunque in eorum memoriam honore congruo venerari debemus. Vndè, & ipſe Chriſtus hujuſmodi reliquias convenienter honorat in præſentia earum miracula faciendo.

Circa decimum, reſpondeo; quod non: etiamſi Chriſtus fore credatur, niſi interiùs vel exteriùs actualiter conditio exprimatur, quia ipſa novitas rei inſolitę, conſiderationem, & attentionem requirit, ſicut dicitur de Beata Virgine, quod cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio: In adoratione verò hoſtiæ ſufficit hanc conditionem habere habitualiter, ſcilicèt ſi conſecratio debitè eſt facta pro eo, quod Hoſtiæ conſecratio eſt conſueta.

TI.

TITVLVS SEPTIMVS.

De ſuperſtitione in communi.

Articulus Unicus.

De vitiis oppoſitis Religioni, ſivè Latriæ.

DEinde conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis religioni, ſivè latriæ. Et primò de illis, quæ conveniunt cum religione in hoc, quod exhibent cultum divinum, ſecundò de vitiis manifeſtam contrarietatem ad religionem habentibus per contemptum eorum, quæ pertinent ad cultum divinum. Primum horum pertinet ad ſuperſtitionem, ſecundum ad irreligioſitatem. Undè primò conſiderandum eſt de ſuperſtitione, & partibus ejus, & primò in communi, ſecundò de partibus ejus in ſpeciali. Circa primum plura quęruntur, ſcilicèt.

I. Utrum ſuperſtitio ſit vitium religioni contrarium.

II. Utrum ſint diverſæ ſpecies ſuperſtitionis.

Circa primum. Reſpondeo quod ſic. Opponitur autem ei ſuperexcellentiſſimè, non quià plùs exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, ſed, quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet. Ex hoc autem ſuperſtitioſi dicti ſunt *ſecundum Iſid. lib. ethymologiarum*; qui deprecabantur, & imolabant, ut ſui liberi ſibi ſuperſtites fierent. Sed hoc eſt ethymologia, non ſignificatio.

Sed objicitur, *quod in glo. ad Corint. 11. dicitur*, quod ſuperſtitio eſt religio ſupra modum ſervata, non ergo &c. Reſpondeo. Sicut bonum methaphoricè reperitur in malis, prout dicitur bonus latro, ita etiam nomina virtutum, quandoquè accipiuntur tranſumptivè in malis, ut prudentia quandoquè ponitur pro aſtutia *ſecundum illud Luc. XVI. Filii hujus ſęculi prudentiores ſunt filiis lucis.* Et ſecundum hunc modum ſuperſtitio dicitur religio.

Circa ſecundum. Reſpondeo quod ſic. Ut enim ſupradictum eſt vitium ſuperſtitionis conſiſtit in hoc, quod tranſcendit medium virtutis ſecundum aliquas circumſtantias, non autem quęlibet circumſtantiarum corruptarum diverſitas variat ſpeciem peccati, ſed tantum quandò referuntur ad diverſa obiecta, vel diverſos fines. Secundum hæc etiam actus morales ſpecies ſortiuntur. Diverſificantur ergò ſuperſtitionis ſpecies, primò ex parte obiecti; Poteſt enim divinitatis cultus exhiberi, vel cui exhibendus eſt, ſcilicèt Deo, modo tamen indebito, ut ſi quis tempore gratiæ coleret Deum ſecundum veteris legis ritum; & hęc eſt prima ſpecies ſuperſtitionis, vel ei, cui non debet, ſcilicèt cuicunquę naturæ, & hoc eſt aliud genus ſuperſtitionis, quod dividitur in multas ſpecies ſecundum diverſos fines divini cultus. Ordinatur autem divinus cultus primò ad reverentiam Deo exhibendam; Et ſecundum hoc prima ſpecies hujus generis eſt idolatria, quæ divinam reverentiam indebitè exhibet creaturę. Secundò ad hoc, quod homo inſtruatur à Deo, quem colit; Et ad hoc pertinet ſuperſtitio divinativa, quæ dęmones conſulit per aliqua pacta cum eis inita tacita, vel expreſſa. Tertiò ad quamdam directionem actuum humanorum ſecundum inſtituta Dei, qui colitur; ad quod pertinet ſuperſtitio quarumdam obſervantiarum. *Et hæc tria Aug. 11. de doctrina christiana tangit: Superſtitioſum eſt, inquit, quicquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda, & colenda idola, pertinens ad colendam, ſicut Deum, creaturam partem, vel ullam creaturæ.* Et hoc pertinet ad primum. Et poſt ſubdit. *Vel ad conſultationes, & pacta quædam ſignorum cum dæmonibus placita, atquè fęderata*; quod pertinet ad ſecundum. Et poſt parum. *Ad hoc ergò pertinent omnes ligaturæ &c.* quod pertinet ad tertium.

TITVLVS OCTAVUS

De ſuperſtitione cultus indebiti veri Dei.

Articulus Primus

De partibus ſuperſtitionis.

POſteà conſiderandum eſt in ſpeciali de partibus ſivè ſpeciebus ſuperſtitionis. Et primò de ſuperſtitione cultus indebiti veri Dei; ſecundò de ſuperſtitione idolatriæ; tertiò de ſuperſtitione divinationum; quartò de ſuperſtitione obſervantiarum. Circa primum queruntur plura.

I. Utrum in cultu veri Dei poſſit eſſe aliquid pernicioſum?

II. Utrum in cultu veri Dei poſſit eſſe aliquid ſuperfluum?

Circa primum. Reſpondeo quod ſic. Ut enim dicit Aug. lib. contra mendacium. Mendacium maximè pernicioſum eſt, quod fit in pertinentibus ad religionem chriſtianam. Eſt autem mendacium, cum aliquis exterius ſignat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ità, & facto. Et in tali ſignatione facti conſiſtit cultus religionis exterius, ut patet ex ſupradictis. Et ideò ſi per cultum exteriorem aliquod falſum ſignificetur erit cultus pernicioſus. Hoc autem contingit dupliciter. Unomodo ex parte rei ſignificatę, à quà diſcordat ſignificatio cultus. Et hoc modo tempore legis novę peractis Chriſti myſterijs, pernicioſum eſt uti cerimonijs legis veteris, quibus Chriſti myſteria ſignificabantur futura; ſicut etiam pernicioſum eſſet ſignis cōfiteri Chriſtum eſſe paſſurum. Alio modo ex parte colentis; & hoc præcipue in cultu communi, qui per miniſtros exhibetur in perſona totius eccleſiæ. Sicut

cut enim falſarius eſſet proponens ex parte alicujus non commiſſa ſibi; Itá etiam exibens Deo cultum ex parte eccleſiæ contra modum divina auctoritate conſtitutum,& in Eccleſia conſuetum: Undè dicit Amb. *Indignus eſt, qui aliter celebrat miniſterium, quàm Chriſtus tradidit. Et ideò dicit Gloſ. ſuper Coll.* II. quod ſuperſtitio eſt quando traditioni humanæ nomen religionis applicatur. Non tamen, quod in diverſis eccleſijs diverſę ſunt conſuetudines in cultu divino; quæ in nullo veritati repugnant, & ideò ſunt ſervandę, & eas præterire non licet.

Circa ſecundum Reſpondeo quod ſic. Sciendum tamen, quod aliquid ſuperfluum dicitur dupliciter. Unomodo ſecundum quantitatem abſolutam; & ſic nihil poteſt eſſe ſuperfluum in divino cultu; quià nihil poteſt homo facere,quod non ſit minus eo, quod debet Deo. Alio modo ſecundum quantitatem proportionis; quià ſcilicet non eſt fini proportionatum. Finis autem divini cultus eſt, ut homo det gloriam Deo; & ei ſubjiciat ſe mente, & corpore. Et ideò quicquid homo facit pertinens ad gloriam Dei, & ad hoc, quod mens hominis Deo ſubjiciatur; & etiam corpus per moderatam concupiſcentiarum refrenationem ſecundum Dei, & eccleſiæ ordinationem, & conſuetudinem eorum,quibus convivit,non ſuperfluit in cultu Dei. *Si verò* ſit aliquid, quod quantum eſt de ſe non pertineat ad aliquod trium prędictorum; aut etiam ſit præter Dei, & eccleſiæ inſtitutionem; vel contrà conſuetudinem communem, quæ ſecundum Aug. pro lege humana habenda eſt, totum eſt ſuperfluum reputandum, & ſuperſtitioſum; quia in exterioribus tantùm conſiſtens ad interiorem non pertinet cultum. *Unde Aug. lib. de vera religione inducit. Luc.* XVII. *Regnum Dei intra vos eſt contrà ſuperſtitioſos, qui ſcilicèt exterioribus principalem curam impendunt.*

TITVLVS NONVS

De Idolatria.

DEINDE conſiderandum eſt de ſuperſtitione idolatriæ. De hac autem quęruntur plura, ſcilicèt,

I. Utrum ſit ſpecies ſuperſtitionis.

II. Utrum idolatria ſit peccatum.

III. Quæ fuit cauſa idolatriæ.

Circa primum. Reſpondeo, quod ſic. Ut dictum eſt ſupra;idolum enim deductum eſt ab eo, quod eſt idos, ut dicit Iſid. Idos autem dicit formam ab idea tractam; ut dicit Seneca. Undè idolum propriè dicitur ſimulacrum repreſentativum rei exiſtentis, vel rei fictę. Et ſecundum hoc idolatria propriè dicitur, cum ſimulacra coluntur. Ex communi tamen conſuetudine, quia creaturas colebant Gentiles ſub quibuſdam imaginibus, impoſitum eſt nomen idolatriæ ad ſignificandum quemcumque cultum creaturæ, etiamſi, ſine imaginibus fieret. Cultus namque divinus, ſicut creaturę ſenſibili exhibebatur per aliqua ſenſibilia ſigna; puta ſacrificia, ludos, & alia hujuſmodi; ità etiam exhibebatur creaturæ repreſentatæ per aliquam ſenſibilem formam, ſivè figuram, quæ dicitur idolum. Diverſimodè tamen cultus divinus exhibebatur idolis. Quidam enim per quamdam nephariam artem imagines quaſdam conſtruebant, quæ virtute dęmonum aliquos certos effectus habebant: undè putabant in eis eſſe aliquid divinitatis, & per conſequens eis cultum divinum deberi. Et hæc fuit opinio Hermet. termegiſt; *Ut dicit Aug.* VIII. *de Civ. Dei.* Alii verò exhibebant cultum divinitatis, non ipſis imaginibus, ſed creaturis, quarum erant imagines. Omnia autem hæc ad ſuperſtitionem idolatriæ pertinebant, *ut patet per Aug.* II. *de Doct. Chriſt.*

Notandum autem, *quod Apoſt.* I. *Cor.* VIII. *dicit: Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo*; pro eo, quod imagines illę, quæ idola dicebantur non erant animatę, nec aliquam virtutem divinitatis habentes; ut Hermes ponit, quaſi eſſet aliquod compoſitum ex anima, & corpore. Et ſimilitèr intelligendum eſt illud, quod dicitur in X. c. quod idolis imolatum non eſt aliquid,quia per hujuſmodi imolationem carnes immolatę, nec aliquam ſanctificationem conſequebantur, ut Gentiles putabant, nec aliquam immunditiam, ut Judei credebant.

Nota etiam, quod latria unomodo poteſt ſignificare actum humanum ad cultum Dei pertinentem; Et ſic dicitur univocè de cultu divino, & de cultu ſecundum quod pertinet ad idolatriam, ſicut etiam ſolutio tributi univocè dicitur, ſivè exhibeatur vero regi, ſivè falſo. Alio modo ſumitur, prout eſt idem religioni; Et ſic cum ſit virtus, de ratione ejus eſt, quod cultus divinus exhibeatur ei, cui debet exhiberi, & ſic ęquivocè dicitur de latria verę religionis, & de idolatria.

Circa ſecundum. Reſpondeo, quod ſic; Exo. XX. *Non adorabis ea*, ſcilicèt exteriùs: *nec coles*, ſcilicèt interiùs, *ut exponit Gloſ.* & loquitur de ſculptilibus, & imaginibus; Nam etſi omnes ſuperiores revereri debeamus, non tamen eadem reverentia omnibus debetur, quę debetur ſummo Deo, qui in ſingulari ratione omnes excedit.

Dixerunt autem quidam hęretici non eſſe periculoſum, ſi quis perſecutionis tempore deprehenſus exteriùs idola colat, dum tamen mente fidem ſervet. Sed hoc eſt manifeſtè falſum. Cum enim exterior cultus ſit ſignum interioris, ſicut eſt pernitioſum mendacium verbis aſſerere contrarium ejus, quod credit in corde; ita etiam ſi exteriorem cultum exhibeat alicui contra illud, quod ſentit in mente.

Eſt etiam idolatria graviſſimum peccatorum.

rum. *Undè dicit Gloſ. ſup. Levit. xv. Omne peccatum eſt imunditia animæ, ſed idolatria maximè.* Et hoc eſt verum, quantum eſt ex parte ipſius peccati. Sicut enim in republica graviſſimum eſſe videtur, quod aliquis honorem regium impendat alteri, quàm vero regi, quia quantum eſt in ſe totum ordinem reipublicę perturbat; ità in peccatis, quæ contrà Deum committuntur, quæ tamen ſunt maxima, graviſſimum eſſe videtur honorem divinum impendere creaturæ, quià quantum eſt in ſe, facit alium Deum in mundo minuens principatum divinum. Alio tamen modo poteſt attendi gravitas ex parte peccantis, ſicut dicitur graviùs eſſe peccatum ejus, qui peccat ſcientèr, quam peccantis ignorantèr. Et ſecundum hoc nihil prohibet graviùs peccare hæreticos, qui fidem ſcienter corrumpunt, quam acceperunt; quam idolatras, ignoranter peccantes. Et ſimiliter etiam alia peccata poſſunt eſſe majora propter majorem contemptum peccantis.

Circa tertium. Reſpondeo. Cauſa ejus diſpoſitiva fuit ex parte hominum. Et hoc tripliciter, primò ex inordinatione affectus, prout ſcilicèt homines aliquem hominem nimis honorantes, vel nimis venerantes, honorem divinum impenderunt ei, ſecundò quia homo naturaliter in repręſentatione delectatur, ut dicit philoſophus in ſua poetica. Et ideò homines à principio videntes per diligentiam artificis imagines hominum expreſſivas factas, divinitatis cultum eis impenderunt; tertiò propter ignorantiam veri Dei, cujus excellentiam homines non conſiderantes quibuſdam creaturis propter pulchritudinem, ſive virtutem divinitatis cultum exhibuerunt. De his tribus habetur in lib. Sap. De prima c.XIV. de ſecunda XIII. de tertia XXIII. ut patet diligenter intuenti. Alia autem cauſa idolatriæ, ſcilicèt conſummativa fuit ex parte dęmonum, qui ſe colendos hominibus exhibuerunt, in idòlis dando reſponſa, & alia, quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo. Undè Pſal.. *Omnes dii gentium dęmonia.*

Et nota, quod in prima ętate non fuit idolatria propter recentem memoriam Creatoris mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio unius Dei in mente hominum, ſed in ſecunda ętate legitur, eſſe inventa a Nembroth, qui, ut dicitur, cogebat homines ignem adorare, vel à Nino, qui imaginem patris ſui Beli adorare fecit. Apud gręcos autem, ut Iſidorus refert Prometheus primus ſimulacra hominum finxit de luto. Judæi verò dicunt, quod Iſmahel primus ſimulacra de luto fecit. In ſexta verò ętate excluſa eſt per virtutem, & doctrinam Chriſti, qui de diabolo triumphavit.

TITULUS DECIMUS

De divinatione, & ejus ſpeciebus in communi.

POSTEA conſiderandum eſt de ſuperſtitione divinativa, & primò in communi, ſecundo de partibus ejus in ſpeciali. Circa primum queruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrum divinatio ſit peccatum.
II. Utrum ſpecies divinationis ſint plures?

Ad primum reſpondeo, quod ſic. *Undè dicitur Deut.XVIII. Non ſit qui Pythones conſulat, neque divinos.* Et XXVI. q. v. dicitur. *Qui divinationes expetunt, ſub regulis quinquennis jaceant ſecundum gradus penitentiæ diffinitos.* Ad quod intelligendum, notandum eſt, quod divinator non dicitur ſi quis pręnunciet ea, quę neceſſariò, vel ut in pluribus eveniunt, quę humana ratione pręnoſci poſſunt, ſicut Aſtrologi ex cognitione cauſarum pręnunciant infallibiliter futuras eclypſes, & ex conſideratione ſtellarum pręnunciant conjecturalitèr pluvias, & ſiccitates, & medici ſanitatem, & mortem; & ità evenit ut in pluribus. Non videtur etiàm divinatio, ſi quis aliqua futura contingentia Deo revelante cognoſcat. Tunc enim ipſe non divinat, ideſt, quod divinum eſt, facit, ſed magis, quod divinum eſt, ſuſcipit. Tunc autem ſolum dicitur divinare, quandò indebito modo ſibi prænuntiationem futurorum eventuum uſurpat.

Preterea quandò præter Dei manifeſtam revelationem pręnunciare præſumit aliqua futura contingentia ad utrumlibet, ut ſunt illa, quæ dependent ex libero arbitrio, vel etiam contingentia, ut in paucioribus, ut ſunt, quę per accidens contingunt, ſivè in rebus humanis, ſivè in rebus naturalibus, ſicut quod lapide cadente fiat terremotus, & quod homine fodiente theſaurus inveniatur. Pręſcire enim talia, eſt ſolius Dei. *Undè Iſay.xlj. Annunciate, quę ventura ſunt in futurum, & ſciemus quoniam dii eſtis. Undè Iſidorus lib. ethym.,* dicit, quod divini dicti ſunt, quaſi Deo pleni. *Deitate enim ſe plenos ſimulant, & aſtutia quadam fraudulentiæ hominibus futura conjecturant. Hęc Iſid.* Conſtat autem, hoc eſſe peccatum. Undè divinatio ſemper eſt peccatum. *Et ideò Hieron. dicit ſupra Mat.* quod divinatio ſemper accipitur in malam partem. Sed obiicitur. *quia Aug. dicit de lib. ar. Quis audeat dicere, aliquam diſciplinam eſſe malam?* ſed aliquæ artes ſunt divinativæ, *ut patet per philoſophum lib. de memoria;* ergò videtur, quod divinatio non ſit peccatum?

Reſpondeo, quod aliquę artes ſunt ad pręnoſcendum futuros eventus, qui ex neceſſitate, vel frequentèr eveniunt, quod non pertinet ad divinationem, ſed ad alios futuros eventus cognoſcendos, non ſunt aliquę verę artes, ſivè diſciplinæ ſed fallaces, & vanę ex deceptione dęmonis intro-

Introductę, *ut Aug. dicit.* xxi. *de Civ. Dei.*

Circa ſecundum. Reſpondeo quod ſic, ut vult Iſid. ethymologiarum. Ad quod inteligendum, quod omnis divinatio utitur ad præcognitionem eventus futuri aliquo dęmonum conſilio, & auxilio, quod quidem exprę ſsè quandoque imploratur, quandoque autem præter homnis petitionem ſe dęmon ingerit occultè vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominem implicet falſitati aut vanitati. Eſt autem una vana inquiſitio futurorum, cum quis futura pręnoſcere tentat, undè prænoſci non poſſunt. Dęmones autem expræſsè invocati ſolent futura prænunciare multipliciter.

Quandoque quidem quibuſdam præſtigioſis apparitionibus ſe aſpectui, & auditui hominum ingerentes ad prænunciandum futura. Et hæc ſpecies dicitur præſtigium ex eo, quod oculi hominum præſtringuntur.

Quandoque per ſomnia. Et hoc dicitur divinatio ſomniorum; quandoque per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem. Et hoc dicitur nigromantia, ut dicitur in lib. ethy. Nigros enim gręcè mors dicitur latinè, mantia verò divinatio, quia quibuſdam præcantationibus adhibito ſanguine videntur reſuſcitati mortui divinare, & ad interrogata reſpondere. Dicuntur enim dęmones ſanguinem amare.

Quandoque verò prænunciant futura per homines vivos, ut patet in arrepticiis. Et hoc dicitur divinatio Pythonica, quia ſcilicèt fit per Pythones, qui ſic dicti ſunt ut dicit Iſid. a Python Apolline, qui dicitur fuiſſe auctor divinandi.

Quandoque per aliquas figuras, vel ſigna, quæ apparent in rebus inanimatis. Quæ quidem ſi appareant in aliquo corpore terreſtri, ut in ungue, vel ferro, vel lapide polito, dicitur geomantia, a geos quod eſt terra. Si autem in aqua dicitur idromantia, ab idros quod eſt aqua. Si in aere dicitur aerimantia. Si in igne piromantia a pir, quod eſt ignis. Si autem in viſceribus animalium immolatorum in aris dæmonum dicitur aruſpicium, quaſi inſpectio in aris.

Divinatio verò quæ fit ſine expræſſa dęmonum invocatione dividitur in duo genera. Quorum primum eſt, quandò ad prænoſcendum futura conſideramus aliquod in diſpoſitionibus aliarum rerum. Et ſi quidem aliquis nitatur prænoſcere futura ex conſideratione ſitus, & motus ſyderum, hoc pertinet ad aſtrologos, qui dicuntur geneatici propter natalium conſiderationes dierum. Si vero ex conſideratione dierum, vel horarum, vel aurarum, tunc dicuntur auruſpices, qui ſcilicet dies, & horas in negociis, & operationibus agendis obſervant.

Notandum tamen, quod obſervare tempus quandoque eſt infidelitatis, ut in his, quæ purè dependent a libero arbitrio. Quandoque neceſſitatis, ſcilicèt propter præceptum, ut in nuptiis celebrandis. Quandoque ſagacitatis, ut in his, quæ cauſam habent naturalem, ut in potionibus, minutionibus, & hujuſmodi. Si verò per voces, vel motus avium, vel quorumcunque animalium, ſivè per ſternutationes hominum, vel ſaltem membrorum, hoc pertinet generaliter ad augurium, quod ſic dicitur quaſi avigerium, vel avigarrium a geſtu, vel garritu avium, ſicut auſpicium ab inſpectione avium. Quorum primum pertinet ad aures, ſecundum ad oculos In avibus enim hujuſmodi præcipuè ſolent conſiderari. Si verò hujuſmodi conſideratio fiat circa verba hominum alia intentione dicta, quæ quis retorquet; ad futurum quod vult prænoſcere, dicitur omen. Si autem conſiderentur aliquę diſpoſitiones figurarum in aliquibus corporibus viſui occurrentes erit alia ſpecies divinationis. Nam ex lineamentis manus conſideratis divinatio ſumpta dicitur cyromantia. Cyros enim græcè dicitur, manus latinè. Divinatio verò ex quibuſdam figuris in ſpatula alicujus animalis apparentibus dicitur ſpatulimantia.

Ad ſecundum verò genus divinationis, quod eſt ſinè expræſſa dæmonum invocatione pertinet divinatio, quæ fit ex conſideratione eorum, quæ eveniunt ex quibuſdam, quę ferò fiunt ab hominibus ad inquirendum aliquod occultum, ſivè per conſiderationem punctorum, quod pertinet ad artem geomantię, ſivè per conſiderationem figurarum, quæ proveniunt ex plumbo liquefacto in aquam projecto, ſivè ex quibuſdam cedulis ſcriptis, vel non ſcriptis in oculto repoſitis, cum conſideratur quiſquam accipiat, vel etiam ex feſtucis inęqualibus propoſitis, quis majorem, vel minorem accipiat, vel etiam ex taxillorum projectione, quis puncta plura projiciat, quæ omnia ſortium nomen habent, undè nomine ſortilegii continentur.

Sic ergo triplex eſt genus divinationis. Quorum primum eſt per manifeſtam dęmonum invocationem, ſecundum per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alicujus rei, tertium, eſt dum facimus aliquod, ut nobis manifeſtetur aliquod occultum. Primum pertinet ad nigromanticos, ſecundum ad augures, tertium ad ſortilegos. Sub quolibet autem horum multa continentur, ut patet ex dictis. Omnes modos prædictos ponit. *Aug. & habentur* xxvi. *q.* iv. *igitur. gen. & quæſt.* v. *nec mirum &c. Epi. & quæſt.* vii. *non obſervetis.*

Sed contrà ſupradicta objicitur multipliciter. Animę enim Sanctoram non favent illicitę interogationi. Sed Sauli interroganti de eventu futuri belli per mulierem Pythoniſſam Samuel apparuit, & futurum bellum prædixit, ergo divinatio, quæ fit per invocationem dęmonum non eſt peccatum. Præterea aves circa futuros eventus temporum, aliqua naturaliter cognoſcunt *ſecundum illud Jerem.* viii. *Milvus in Cælo cognovit tempus ſuum*. Sed naturalis cognitio, eſt infallibilis, & a Deo; ergo uti cognitione avium ad præcognoſcenda futura, quod eſt auguriari non eſt illicitum. Prætereà Gedeon in numero ſanctorum ponitur, *ut patet, Heb.* xi.

Qui

qui tamen uſus fuit omine ex hoc quod audivit recitationem, & interpretationem cujuſdam ſomnii, *ut legitur Judicum* VII. Et ſimiliter Eliezer ſervus Abrahæ, *ut legitur Gen.* XXIV. ergo videtur quod talis divinatio non ſit illicita.

Reſpondeo ad primum dicendum quod ſicut Aug. dicit ad Simplicianum. Non eſt abſurdum credere aliqua diſpenſatione permiſſum fuiſſe, ut non dominante arte magica, vel potentia, ſed diſpenſatione occulta, quæ Pythoniſſam, & Saulem latebat ſe juſti ſpiritus oſtenderet regis aſpectibus divina eum ſententia percuſſurus, vel non verè ſpiritus Samuelis a ſua requie eſt excitatus, ſed aliquod fantaſma, & illuſio dæmonum imaginaria diaboli machinationibus eſt facta, quàm appellat Samuelem ſcriptura, ſicut imagines ſolent rerum ſuarum nominibus appellari.

Ad ſecundum dicendum, quod illa auctoritas loquitur de cognitione avium reſpectu eorum, quæ pertinent ad eas, & ad hæc præcognoſcenda eorum motus, & voces conſiderare, non eſt illicitum, puta ſi quis ex hoc quod cornicula crocitat, pluviam eſſe citò futuram prædicat.

Ad tertium dicendum, quod Gedeon obſervavit recitationem, & expoſitionem ſomnii accipiens eam pro omine, quaſi ordinatam ad ſui inſtructionem à divina providentia, & ſimiliter Eliezer attendit verba puellæ, oratione ad Deum præmiſſa.

Ad hoc nota, quod in nuova lege mens hominum arcetur à temporalium ſollicitudine, & ideò in nova lege non eſt aliquid inſtitutum ad præcognitionem futurorum eventuum de temporalibus rebus. In veteri autem lege, quæ promittebat terrena, erant conſideratines de futuris ad religionem pertinentes. *Undè dicitur Iſai.* VIII. *Cum dixerint ad vos quærite à phitonibus, & divinis, qui ſtudent in incantationibus*. Subdit quaſi rationem. *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro vivis, & mortuis?* Fuerunt tamen etiam in nova lege aliqui prophetiæ ſpiritus habentes, qui multa de futuris eventibus prædixerunt: *profetiam*, inquit, *Paulus nolite ſpernere*.

TITVLVS UNDECIMUS.

De cognitione dęmonum reſpectu futurorum.

DEINDE conſiderandum eſt de partibus divinationis in ſpeciali, & primò de divinatione per dęmonia. Secundò de divinatione per aſtra. Tertiò de divinatione per ſomnia. Quartò de divinatione per ſortilegia.

Circa primum ad majorem hujuſmodi materię evidentiam conſiderandum eſt de cognitione dęmonum reſpectu futurorum. Et hujus gratia quærantur plura, ſcilicèt.

I. Utrum dęmones cognoſcant futura?

II. Utrm dęmones pręnoſcant pluvias, & hujuſmodi?

III. Utrum dęmones cognoſcant cogitationes cordium?

IV Utrum hominibus liceat uti miniſterio, vel arte dęmonum ad cognoſcendum futura, vel aliquid aliud?

Circa primum, Reſpondeo, futurorum triplex eſt genus. Quædam enim futura habent determinatas cauſas, & infallibiles, ut illa, quæ attenduntur circa motum corporum ſuperiorum, in quibus eſt determinatio, & omnis impedimenti remotio. Et talia poſſunt certitudinaliter ſciri non ſolum a Deo & in Deo, ſed etiam à creatura, & hoc in ſua cauſa, ſicut tempus eclypſis, & conſimilium. Quędam habent determinatam cauſam, ſed tamen fallibilem, ut illa, quæ ſunt ſecundum inferiorem naturam, quæ ideò habent cauſam determinatam, quia intentio naturæ movet determinatè ad unum. Ideò verò fallibilem, quia multipliciter poteſt occurrere impeditum, utpote quādò ager ſeminatur, ſi terra pinguis eſt, & bona diſpoſitio ſuperiorum corporum afferat fructum pinguem. Et iſta poſſunt quodammodò ſciri, & præſciri, non tantum à Deo, ſed etiam à creatura, quæ novit naturas rerum ſuperiorum, & inferiorum, non tamen ita certitudinaliter ſicut prædicta. Quędam habent cauſam indeterminatam, & fallibilem, ſicut ea, quæ ſunt à voluntate noſtra, quæ indeterminata eſt propter hoc, quod eſt ad oppoſita, & fallibilis etiam quia poſſunt volenti perficere, occurrere multa inpedimenta. Et talia non poſſunt certitudinaliter ſciri ab aliqua creatura in ſeipſa, ſed ſolum à Deo, vel per revelantionem divinam. *Unde Dam. lib.* II. *cap.* IV. *dicit, quod futura neque angeli, neque dæmones noverunt*, ſcilicet naturali cognitione. Et loquitur de futuris contingentibus. Ratio autem hujus eſt iſta, quia cognitio creaturę dependet ex re. Quantum ergo res incerta eſt in ſe, & in ſua cauſa, ideò creatura non poteſt illam certitudinaliter noſcere, aut præſcire. Divina autem cognitio non dependet à rebus, immò omnia, quę novit ſecundum modum veritatis novit, & quia ſua veritas eſt certiſſima, certiſſimè cognoſcit contingentia, ut neceſſaria. Et ſicut certiſſimè novit, ita poteſt certitudinaliter demonſtrare, & revelare. Ideò hæc præcognitio futurorum, vel eſt Dei, vel à Deo. Et ideò, cum talia futura prædicuntur, predictio dicitur divinatio, quia talis eſt actus divinus. Et etiam quia diaboli ſuperbi maximè conantur oſtendere hoc inſe habere. Et ideò dicere, quod dęmones per ſeipſos futura contingentia præſciant certitudinaliter, hoc eſt eis attribuere quod Dei eſt, ideò eſt ibi infidelitas, & infidelitati frequenter annexa idolatria, ideò divinatio eſt prohibita. Quamvis autem dęmones non poſſint per ſeipſos futura contingentia ſcire cer-

certitudinaliter, tamen frequenter vera prædicunt, quia eventum futurorum aliquo modo præſciunt, vel præſentiunt.

Hæc autem quadupliciter ſciunt, *ſicut dicit Aug. III. ſup. Gen.* Aut enim ſenſus, vel ingenii acrimonia. Aut multa experientia. Aut doloſa cautela. Aut aliena doctrina. Senſus acrimonia, ut quandò vident, & diligenter conſiderant ad quod inclinetur affectio noſtra, vel quæ ſint inducentia, vel retrahentia. Experientia temporum, quia ex talibus vidit accidere talia. Doloſa cautela, quandò proponit aliquid facere & prædicit, quaſi aliud ſit facturus. Aliena doctrina quandò juſto Dei judicio permittitur ab angelis diſcere. Et ſic patet, quod dęmones futura contigentia, & ſi poſſunt probabiliter, non poſſunt tamen certitudinaliter, præſcire.

Sed objicitur, quià aſtronomi, & mathematici per curſum aſtrorum præcognoſcunt, & dicunt multa futura, & videmus, quod in multis vera dicunt. Sed major eſt inteligentia in Angelis, ergo &c. Reſpondeo, quod aſtronomi, vel mathematici frequenter dicunt vera conjecturando, vel ſecundum legem aſtrorum, vel ſecundum diaboli commercium. Scundum legem aſtrorum, ut quandò ſtella dominatur, quæ habet impreſſionem ſupra diverſos humores, tunc diſponit ſecundum hoc hominem ad diverſos mores, & affectiones. Secudum commercium diaboli, ut quandò volunt vim aſtrorum ultra prætendere, quam ad id ſupra, quod poſſunt. Tunc enim niſi diabolus adeſſet, ita frequenter falſum, ſicut verum dicerent. Nunc autem cum toto auxilio dęmonum frequenter falſa prædicunt, & decipiunt, ſed tanta eſt dæmonum aſtutia, qui ita ſciunt occultare fraudem ſuam, ut oſtendant errorem, ſive defectum fuiſſe in aſtronomo conſiderante, non in arte, vel diabolo aſſiſtente. In hoc ergo ſtat ratio, quod aſtonomi de contigentibus habentibus cauſam fallibilem, & indeterminatam non præſciunt vera: niſi ex conjectura, & diabolus ex majori conjectura illa præſentit, non tamen certitudinaliter præſcit. *Hæc Bon. II. diſt.* VII. *part. II. quæſt. I. art. III.*

Circa ſecundum. Reſpondeo, quidam didicunt, quod licet dæmones per ſuam naturalem virtutem habeant futurorum talium valdè probabilem conjecturam, eo quod eorum cauſæ ſunt naturales, & determinatæ, & ut in pluribus eveniunt, tamen quià prædictę cauſę ſunt impedibiles, ideò hujuſmodi futurorum certam præcognitionem per ſuam naturalem virtutem habere non poſſunt. Et ſi dicatur eis, quod illud impedimentum quandò evenit, eſt per cauſam naturalem, quæ de neceſſitate operatur, dicunt, quod concurſus cauſæ impedientis aliquem effectum, & cauſæ, quæ quantum erat ex ſe, erat nata illum effectum producere, quantum eſt per accidens, & à caſu, undè talis concurſus non habet aliquam cauſam naturalem per ſe, quià cum non ſit verè unum, non eſt verè ens. *Undè Philoſophus* VI. *methaph. dicit de tali ente, quod eſt propinquum, non enti, & quod talis entis non eſt generatio nec corruptio.* Pro hac etiam opinione videtur Philoſophus eſſe in eodem lib. ubi reprobat opinionem dicentium: omnes effectus naturales evenire de neceſſitate; Si enim concurſus cauſarum naturalium ſemper eſſet de neceſſitate, omnes effectus naturales evenirent de neceſſitate, quod Philoſophus reputat falſum. Pro hac etiam opinione facere videtur excomunicatio cujuſdam articuli, qui eſt talis, ſcilicet quod nihil ſit à caſu, ſed omnia evenint de neceſſitate, & quod omnia futura quæ erunt, de neceſſitate erunt, & quod nihil evenit contingenter. Conſiderando omnes cauſas eſt error, quià concurſus cauſarum eſt de diffinitione caſualis ęffectus, *ſecundum Boe. de conſo.*

Alii verò dicunt contrarium, quià natura de neçeſſitate operatur, & ideò omnes effectus naturales, niſi impediantur per liberum arbitrium, vel angelicum, vel humanum, de neceſſitate eveniunt, præſuppoſita influentia generali, quæ neceſſaria eſt ad conſervationem naturæ creatę, & ipſius operationem; Undè ſi natura diſpoſuit nubem ad pluviam, de neceſſitate reſolvetur in pluviam, niſi ſuperveniat aliqua cauſa fortior naturalis, qua hæc de neceſſitate inpediatur. A cauſa ergo neceſſaria eveniunt, & à cauſa neceſſaria impediuntur. Cum ergo dæmones ſciunt vertibilitatem naturalem elementorum, & corporum cœleſtium, & motum, & curſum, & conjunctionem planetarum inter ſe, & cum ſtellis fixis, pręſcire poſſunt per ſuam virtutem ſub certitudine futurum eventum iſtarum impreſſionum naturalium, & futurum impedimentum, ne diſpoſitio ad eas reducatur ad actum.

Pro iſta opinione eſt, quod videmus formicas imminente pluvia portare granum in cavernam, quià præcognoſcunt futuram pluviam, ergo multò magis diabolus iſta cognoſcere poteſt.

Qui vult tenere opinionem primam, poteſt reſpondere ad illud de formicis, quod illud non faciunt, quià futuram pluviam præcognoſcant, ſed quià ea, quæ pluviam de propinquo futuram antecedunt, faciunt quandam imutationem in corporibus formicarum, per quam quodam naturali inſtinctu moventur ad portandum granum in caverna. Patet ergò, quod illud faciunt propter hoc, quod pręſens eſt, non propter hoc, quod eſt futurum. Poteſt etiam dici, quod, quià ſenſitiva poſſunt naturaliter immutari ab influentia celeſti, non ſic autem intellectiva, ideò non eſt inconveniens, quædam bruta per illam immutationem præſentem aliquod futurum præcognoſcere per eſtimativam, quod intellectus diaboli per ſuam virtutem naturalem ſub certitudine pręcognoſcere non poſſet.

Qui autem tenent ſecundam opinionem reſpondent ad articulum excommunicatum, quod non eſt contrà eos, quià non ponunt, quod effectus depen-

dependentes ex libero arbitrio divino, angelico, vel humano de neceſſitate eveniant, quandò eveniunt, nec quod neceſſariò impediantur, quandò impediuntur, quod ponebant illi, contrà quos prędictus articulus fuit excommunicatus. Undè nec ponit hæc opinio concurſum cauſarum, quæ ſunt voluntariè operantes, eſſe neceſſarium, quamvis ponat concurſum cauſarum purè naturalium de neceſſitate concurrere, quandò concurrunt, ſuppoſito motu cœli, ſicut modo eſt, & tali influentia generali, ſinè qua nulla creatura eſſe poſſit, nec agere. Sed tamen hæc ſecunda opinio qualitercunque incidat in prædictum articulum excommunicatum, ſeu quemcunque alium, eſt fugienda. *Hæc Rich.* II. *diſt.* VII. *quæſt.* III. *art.* II. o.

Circà tertium, Reſpondeo. Cogitatio cordis dupliciter poteſt cognoſci, uno modo in ſuo effectu, & ſic non ſolum ab angelo, ſed etiam ab homine cognoſci poteſt, & tantò ſubtiliùs quantò effectus hujuſmodi fuerit magis occultus. Cognoſcitur enim cogitatio cordis interdum non ſolum per actū exteriorem ſed etiam per immutationem vultus. Et etiam medici aliquas affectiones animi per pulſum cognoſcere poſſunt, & multò magis angeli, vel etiam dęmones quantò ſubtilius hujuſmodi immutationes occultas corporales perpendunt. *Undè dicit Aug. in lib. de divinatione dæmonum, quod aliquandò hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, ſed etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore tota facilitate perdiſcunt*, quamvis in libro retractationum hoc dicat, non eſſe afferendum, quomodò hoc fiat. Alio modo poſſunt cognoſci cogitationes, prout ſunt in intellectu, & affectiones, prout ſunt in voluntate. Et ſic ſolus Deus cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoſcere poteſt. Cujus ratio eſt quia voluntas creaturæ rationalis ſoli Deo ſubjacet & ipſe in eam ſolus operari poteſt, quod eſt principale ejus objectum, & ultimus finis, & ideò ea, quæ in voluntate ſunt, vel quæ ex voluntate ſola dependent ſoli Deo ſunt nota. Manifeſtum eſt autem, quod ex ſola voluntate dependet, quod aliquis actu aliqua conſideret, quià cum aliquis habet habitum ſcientię, vel ſpecies intelligibiles, in eo exiſtentes utitur eis, cum vult.

Prętereà. Angelus non poteſt illabi animę, ergo non poteſt per naturam videre ea, quæ ſunt, in anima, quamdiù ſunt in intimo animę. *Undè Aug. de Eccl. do. cap.* XLVIII. *dicit. Internas animę cogitationes diabolum non videre, certi ſumus Et.* III. *Reg.* VIII. *dicitur. Tu ſolus noſti cor filiorum hominum.*

Notandum autem, quod immutatio ſenſibilis, & corporalis, quæ concomitatur cogitationes hominis quandoque eſt ita exilis, & indeterminata, quod diabolus per eam in certam cognitionem cogitationis venire non poteſt. Quandoque eſt ita fortis, & determinata, quod per illam poteſt cognoſcere cogitationem quantum ad ſpeciem, ut quandò cogitat de invidia, vel de luxuria. Non tamen credo, quod per eam poſſet certitudinaliter cognoſcere quantum ad omnes circumſtantias ſingulares. *Hæc Ric.* II. *diſt.* VIII. *quæſt.* II. *art.* IV. o.

Circa quartum, Reſpondeo. Uti miniſterio diaboli poteſt intelligi, uno modo virtute divina ei aliqua licita imperando. Et hoc modo licet. *Unde Paulus ut habetur Act* XVI. imperavit ſpiritui malo, qui erat in puella phitonica exire ab ea, & exivit eadem hora. Secundo modo ipſum familiariter, vel amicabiliter invocando. Et hoc modo eſt illicitum, & prohibitum hominibus: primò lege divina. *Unde Levit.* XIX. præcipitur occidi, qui ſciſcitatur magos, & ariolos. Secundò lege poſitiva, *ut patet* XXVI. *quæſt.* II. *&* V. *per totum. Et C. de malefic. & mathematic. l. nemo.* Tertiò etiam ſicut credo lege naturę eò, quod diabolus eſt obſtinatus adverſarius ſummi principis noſtri ſcilicet Dei, & ab Eccleſia irrevocabiliter præciſus, & ita mendax, & fallax, quod ſi quandoquè dicit veritatem utilem, aut dicit eam compulſus à Deo, aut ut ſibi magis credatur in mendacio, ut ſic decipiat cauteloſiùs. Et ideò, qui familiariter invocat eum, peccat directè contra Deum, & contra Eccleſiam, & contra ſeipſum, cum diabolus ſit generis humani peſſimus inimicus.

Eſt autem ibi peccatum: aut infidelitatis, ut ſi credendo diabolo divinum aliquid ei attribuat, aut idolatrię, ut in oblationibus, & ſacrificiis, aut ſaltem inobedientię, quià facit contra prohibitionem Dei, & Eccleſię, ut ſupradictum eſt. Et quia artes magicę ſunt cum quibuſdam dęmonum in vocationibus, vel cum quibuſdam commerciis cum demonibus, ideò uti magicis artibus eſt prohibitum, tanquam illicitum, & prophanum. *Unde Auguſt. ſecundo de doctrina Chriſtiana, de magicis artibus loquens dicit. Omnes ergo hujuſmodi artes etiam nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & dęmonum quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtitutu, penitus ſunt repudianda, & refutanda Chriſtiano.*

Sed objicitur quià *Boetius in proemio ſecundi de ſyllogiſmis cathegoricis dicit, quod boni homines non aliter cavent mala, niſi noverint illa*, ergo omnis ſcientia eſt bona, ſive ſit reſpectu boni, ſive mali. Sed ars magica eſt ſcientia, ergo &c. Reſpondeo quod non eſt verum, quod ars magica ſit ſcentia, ſed eſt ſuperſtitio. Undè nulli licet eam diſcere, vel docere, vel illa uti. *Hæc Rich.* II. *diſt.* VII. *quæſt.* IV. *art.* II.

Utrum peccatum ſit in characteribus, quæ fieri ſolent in talibus? Reſpondeo, quod eſt ibi magnum peccatum, quià fiunt ad miniſterium dęmonum inplorandum, quod non licet, & ideò malo fiunt fine.

Si queratur undè habent virtutem. Dicendum, quod

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

quod non habent ex ſe, ſed ex diabolica pactione. Sic enim diabolus pepigit cum his, qui ſunt ei familiares, quod talia ſigna recognoſcent, & ad talia ſe præſentem offeret. Oſtendit autem per illa ſe cogi, ut oſtendat aliquid eſſe virtutis in hujuſmodi artibus, in quibus ſunt multa nephanda, per quæ abducitur homo à fide, & à culto Divino. Nec facit hoc diabolus, quia in illis delectetur, ſed potiùs in infidelitate facientium. *Hæc Bon.* II. *diſt.* VII. *part.* II. *quæſt.* II. *art.* III.

TITULUS DUODECIMUS,

De impreſſionibus aſtrorum, circa quas quidam mathematici errant.

POSTEA, quià mathematici dicunt, eventum futurorum aliquorum ex aſtris pendere, & præcognoſci poſſe, ideò conſiderandum eſt hic de impreſſione aſtrorum reſpectu hominium, & dęmonum. Undè circa hoc queruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrum ex impreſſione luminarium cœleſtium cauſetur in hominihus diverſitas morum?

II. Utrum fatum ſit, & quid ſit?

III. Utrum omnia fato ſubdantur?

IV. Utrum corpora cœleſtia poſſint in dęmones imprimere?

Circa primum, Reſpondeo. Mores hominum, & eventus futurorum à ſyderibus cauſari, dupliciter poteſt intelligi. Aut neceſſariè, & ſufficienter. Aut diſpoſitivè, & contingenter. Si dicatur primo modo, ſic non tantum eſt falſum; ſed etiam hæreticum, quià repugnat Chriſtianæ religioni. Tum quià veritas fidei in hoc errore ſalvari non poteſt. Dum enim ponit, omnia à ſyderibus neceſſariò evenire, tollit merita, & per conſequens præmium; tollit gratiam, & per conſequns gloriam. Tum quià honeſtas morum per hunc errorem prejudicium patitur, dum culpa peccantis in ſydera refunditur, licentia malè faciendi ſine repræhenſione conceditur, & homo ad adorandum, & colendum ſydera incurvatur. Si autem dicatur, mores hominum à diſpoſitionibus ſyderum variari diſpoſitivè, & contigenter, ſic poteſt habere veritatem, quià nec rationi, nec fidei repugnat, planum eſt enim, quod diſpoſitio corporis varia multum facit ad variationem affectionum, & morum animæ. Ut plurimum enim anima complexiones corporis imitatur, ut dicitur in ſex principiis. Undè colerici ſunt iracundi, & ſanguinei ſunt benigni, & melanconici ſunt invidi, flegmatici pigri. Hoc autem non eſt neceſſariò. Anima enim dominatur ſuo corpori, & maximè quandò eſt adiuta per gratiam. Multos, enim videmus colericos manſuetos, & melanconicos benignos. Quantum ergo virtus corpurum cœleſtium operatur ad mixtionem, & qualitatem complexionum, hinc eſt, quod per conſequens operatur quodammodò ad qualitatem morum, valdè tamen de longinquo. Plus enim facit ad qualitatem complexionis virtus naturæ inferioris, quam virtus ſyderis. *Undè Aug.* V. *de Civit. Dei* in ſolutione cujuſdam queſtionis de duobus fratribus, qui ſimul infirmabantur, & curabantur, cum quereret, undè hoc eſſet, magis commendat rationem hypocratis, quam aſtronomi. Hypocrates enim reſpondit, quod hoc erat propter ſimilitudinem complexionis, & aſtronomus reſpondit, quod erat propter identitatem coſtellationis. Meliùs enim reſpondit phiſicus, quià cauſam reddit magis propriam, & magis propinquam. Sic ergo dicendum, quod impreſſiones ſyderum aliquo modo diſponunt ad varietatem morum, non quidem diſpoſitione neceſſaria, & proxima, & ſufficiente, ſed remota, & contingente.

Sed objicitur contra prædicta, *quià philoſophus libro de proprietatibus ęlementorum dicit, quod regna vacua facta ſunt, & terræ depopulatæ apud conjunctionem Jovis, & Saturni.* Sed talia dependent ex libero arbitrio, ergo &c. Reſpondeo, quod hoc dicit philoſophus, non quià homines non poterant reſiſtere influentię illius conſtellationis ad deſenſionem inclinantis, ſed quià noluerunt. Quià ſicut dicit, *Ptholomæus in almageſti, ſapiens homo dominabitur aſtris.* Quamvis autem conjunctio Jovis, & Saturni eo, quod Saturnus habet influentiam melanconicam, & malam, Jupiter autem, immittit bonam influentiam, poſſit ad rixam, vel ad diſcordiam homines inclinare: illi tamen inclinationi, homines per libertatem arbitrii, poſſunt reſiſtere, & ſatis faciliter cum adiutorio gratię Dei.

Objicitur iterùm, quià *Dam. lib.* II. *cap.* VI. *dicit. Conſtituuntur multoties cometæ, & ſigna quędam mortis regum*, ergo &c. Reſpondeo. Quidam dicunt, quod cometa, nec naturaliter generatur, nec eſt una de ſtellis in firmamento poſitis, undè nec ejus ſignificatio eſt naturalis. *Unde Dam. lib.* II. *cap.* VI. *dicit, quod cometę non ſunt ex his, quæ à principio genita ſunt aſtra, ſed divina juſſione ſecundum ipſum tempus conſtituuntur, & rurſus diſſolvuntur. Hæc Dam.* Prenunciat autem Deus per tale ſignum mortem regis magis, quam aliorum. Tum quia eſt perſona comunis. Tum quia ex hoc poteſt oriri turbatio regni, de cujus cuſtodia magis ſollicitantur angeli propter commune bonum. Aliis autem qui viam phiſicam ſequuntur, videtur, quod ſtella comata ſit impreſſio calida, & ſicca generata in inferiori parte aeris propre ignem ex vapore calido, & ſicco, & globus illius vaporis adunatus apparet corpus ſtellę, partes autem illius vaporis diſcontinuatæ circam illum globum, & in longum protenſæ in ſuis extremitatibus illi globo conjunctæ ſunt quaſi ejus comæ. Et ſecundum hanc poſitionem ſignificat, & cauſa, non per ſe, ſed per accidens, mortalitatem provenientem ex infirmitatibus calidis, & ſiccis, quia vehemens diſtemperata ſiccitas conſuęta eſt prævenire, & comitari-

cometæ generationem. Et quia ut plurimum divites nutriuntur calidis, & ſiccis, ideò illo tempore multi divites moriuntur, inter quos mors Regum, & Principum eſt magis notabilis. Et ità vides, quod ſecundum quamcumque iſtarum opinionum, nullum penitùs habet dominium ſuper liberum arbitrium.

Nota inſuper quod judicia Aſtronomorum ex aſtris per aliquam diſpoſitonem habent probabilitatem, non tamen neceſſitatem. Probabilitatem autem majorem habent in actibus naturæ, quam voluntatis, & in actibus hominum generalibus, ſicut unius gentis, vel provinciæ, quam in particularibus unius perſonę, quia major effectus ſtellarum imprimitur in totam unam gentem, quam in unum hominem, & quia major pars gentis unius magis ſequitur affectiones naturales corporis, quam unius ſingularis hominis, *Hæc Bonav.* II. *diſt.* XIV. *p.* II. *quæſt.* II. *art.* III.

Circà ſecundum, Reſpondeo. Opinio fuit quorundam mathematicorum, quod ex vi poſitionis ſyderum cauſatur diverſitas morum in hominibus, ita quod talis eſt quiſquam in moribus, qualem faciat eum eſſe diſpoſitio ſyderum, in qua eſt conceptus, vel natus, & iſtam vim vocaverunt nomine fati. Sed hæc opinio non tantum eſt falſa, ſed etiam hæretica, & omninò deteſtanda, ut patet ex ſupradictis. Undè fatum ſecundum acceptionem iſtam nihil eſt. Et ſic dicit *Greg. in Homil. Eph. Abſit à fidelium cordibus, ut fatum aliquod eſſe dicant.* Alio modo poteſt dici fatum diſpoſitio, ſivè ordinatio cauſarum ſecundarum ad producendos effectus divinitùs prævifos. Et hoc modo fatum verè eſt aliquid. Providentia enim Divina per cauſas medias exequitur ſuos effectus. Poteſt ergò ipſa effectuum ordinatio dupliciter conſiderari. Uno modo ſecundum quod eſt in Deo, & ſic dicitur providentia. Alio modo ſecundum quod eſt in cauſis mediis ordinatis à Deo ad effectus aliquos producendos, & ſic habet rationem fati. Et hoc modo *Boetius loquens de fato.* IV. *de conſ. dicit, quod fatum eſt rebus mobilibus inhærens diſpoſitio, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Sed tamen Sancti Doctores hoc nomine uti recuſaverunt propter eos, qui illud ad vim poſitionis ſyderum retorquebant, *Unde Aug.* v. *de Civit. Dei dicit: ſi proptereà quiſque res humanas fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fatum vocat, ſententiam teneat, & linguam corrigat.*

Circà Tertium, Reſpondeo. Fatum ut dictum eſt, eſt ordinatio cauſarum ſecundarum ad effectus divinitùs prævifos. Quæcunque ergò ſecundis cauſis ſubduntur, fato ſubduntur. Si quę verò ſunt, quæ à Deo immediate fiant, cum non ſubdantur cauſis ſecundis, non ſubduntur fato, ut eſt glorificatio ſubſtantiarum ſpiritualium, creatio rerum, & alia hujuſmodi. *Et hoc eſt quod dicit Boet.* IV. *de conſ. quod ea, quæ ſunt primæ deitati propinqua, fatalis ordinis mobilitatem excedunt.*

Circà quartum, Reſpondeo, quod dęmones ſunt ſuperiores ordine naturæ, quam corpora cœleſtia. Agens autem eſt ſuperiùs patiente, *ut dicit Auguſt.* XII. *ſuper Gen.* Ex quo ſequitur, quod dęmones non ſubjiciuntur actioni corporum cœleſtium.

Sed contra, dæmones ſecundum certa augmenta lunæ vexant homines aliquos, qui etiam propter hoc lunatici dicuntur, *ut patet Matth.* IV. *&* XVII. Sed hoc, ut videtur, non eſſet, niſi dęmones corporibus cœleſtibus ſubjacerent. Reſpondeo, quod dęmones ſecundum certa augmenta lunæ vexant homines propter duo. Primò quidèm, ad hoc ut infament creaturam Dei, ſcilicèt lunam, *ut Hieron. & Chriſ. dicunt.* Secundò, quià non poſſunt operari niſi mediantibus virtutibus naturalibus, in ſuis operibus conſiderant corporum aptitudines ad effectus intentos. Manifeſtum eſt autem, quod cerebrum eſt humidiſſimum omnium partium corporis, *ut Ariſt. dicit.* Ideò maximè ſubjicitur operationi lunæ, quæ ex ſua proprietate habet movere humiditatem. In cerebro autem perficiuntur vires animales, & ideò dęmones ſecundum augmenta certa lunæ perturbant hominis fantaſiam, quandò conſiderant cerebrum ad hoc eſſe diſpoſitum.

Objicitur iterum, quià Nigromantici obſervant certas conſtellationes in advocando dęmones, ergo &c. Reſpondeo, quod dęmones advocati in certis conſtellationibus magis exhibent ſe præſentes. Primò ad hoc ut inducant homines ad credendum aliquod numen eſſe in ſtellis. Secundò, quia conſiderant ſecundum aliquas conſtellationes materiam corporalem eſſe magis diſpoſitam ad effectus, pro quibus aduocantur. *Hæc Thom.* I. *quæſt.* CXVI.

TITULUS XIII.

De divinatione per ſomnia.

Poſtea conſiderandum eſt de divinatione per ſomnia. Circa quod quęritur, utrum aliquis in ſomniando poſſit prævidere futura?

Circà quod, Reſpondeo. Futurorum ſecundum quod pertinet ad præſens eſt quintuplex differentia. Quædam enim futura habent cauſam naturalem in homine ſomniante, ut ſunt illa, quæ proveniunt ex aliquibus cauſis, quæ ſunt in homine ſomniante, ſicut febris ex abundantia colerę nimis intenſę. Et hujuſmodi futura prævidentur in ſomniis: aliquandò per cauſam naturalem, & determinatam, eo quod natura repreſentat in ſomniis animæ aliquas diſpoſitiones, quæ ſunt in corpore, ex quibus poſteà contingit infirmitas, vel aliquid aliud. Undè quandòquè contingit, quod in homine, in quo ſuperabundat colera nimis intenſa, repreſentatur animæ in ſomniis imaginatio febris futurę. *Undè Ariſ. lib.*

lib. de ſom. & vigil. dicit, quod quandò ſomnia ſunt ex his, ex quibus cõponuntur; tunc ſunt ſigna, vel ſanitatis, vel infirmitatis ſecundum eorum differentias. Ut ſi quis ſomniet de occupationibus igneis, ſignum eſt quod prædominatur in eo colera. Si de aeris, ut de volatu, & hujuſmodi, ſignum eſt ſanguinis. Si aquæ, vel alterius liquoris aquei, ſignum eſt flegmatis. Si de terreis, ſignum eſt melancolię. Et ideò per ſomnia quandoquè juvantur medici ad cognoſcendum diſpoſitiones corporis, *ut etiam dicit Philoſoph. in eodem lib.*

Et dicunt aliqui, quod talia ſomnia procedunt ex naturali ſollicitudine naturæ de regimine corporis. Et hujuſmodi ſomnia ſunt tantum ſigna, non cauſæ accidentium futurorum in homine.

Quędam verò futura habent cauſam naturalem extra hominem ſomniantem, ut ſunt illa, quæ proveniunt ex aliqua determinata influentia corporum cœleſtium, ut vehemens aeris ſiccitas, vel nimia abundantia ymbrium, & multa alia. Et hujuſmodi futura etiam quandoquè prævidentur in ſomniis per aliquam cauſam naturalem, & determinatam.

Quandoquè enim influentia cœli, & elementorum impreſſionem facit in corpore hominis, ex qua impreſſione quandoquè repræſentatur animę in ſomniis imago alicujus effectus futuri extra hominem, qui proveniet ex eadem influentia. Nec hoc videatur abſurdum, cum etiam hanc impreſſionem fieri videamus in aliquibus brutis, per quam inſtinctu naturali pluviam, & ventum futurum apprehendunt. Undè, & formicæ propter talem impreſſionem portant granum in cavernam, antequam pluat. Quià enim effectus ſunt virtualiter in cauſis, ideò effectus procedens ex una naturali cauſa in uno, gerit aliquo modo ſimilitudinem illius effectus, qui poſtmodum accidet ex eadem cauſa naturali in alio. Et hinc eſt, quod impreſſio factà in corpore ex diſpoſitione influentię cœli, & elementorum, ex qua poſteà proveniat pluvia, ſimilitudinem gerit pluvię futurę, & ſic per illam impreſſionem repræſentari poteſt in ſomniis ipſi animæ imago futurę pluvię, & erit illud ſomnium, ſignum, non cauſa futurę pluvię. Licèt autem hæc ſomnia, & præcedentia ſint ſigna futurorum, non tamèn oportet, quod illa ſignificata ſemper eveniant, quia ex aliqua cauſa ſuperveniente poſſunt impediri. Vndè quandoquè propter nimiam abundantiam ardentis colerę in corpore, ſomniat homo ſe febricitare, & tamen non ſequitur febris propter aliquam cauſam ſupervenientem, quæ temperat coleram illam, vel quia apponitur remedium medicinæ. Similitèr quandoquè propter diſpoſitionem cœli, & elementorum, quæ quantùm eſt ex parte ſua haberet citò pluviam cauſare; fit impreſſio in homine, per quam ſomniat pluviam, nec tamèn ſequitur pluvia; hoc impediente aliqua cauſa, ſuperveniente alia. Et his dictis concordat Philoſophus de ſomn., & vigil. parum antè finem, ut patet conſideranti verba ejus.

Quædam autèm futura habent cauſam voluntariam in homine ſomniante, ut ſunt illa, quæ dependent ex opere ipſius ſomniantis. Et hujuſmodi futura non prævidentur in ſomniis per aliquam cauſam determinatam naturalem, ſed quandoquè prævidentur à caſu, ut cum homo eſt aliquid voluntariè facturus, de quo nunquàm voluntatem faciendi, nec aliquam inclinationem habuit ad hoc, ſi homo ſomniat ſe aliquid tale facere, à caſu eſt, niſi hoc habeat per revelationem. Vndè talia ſomnia non ſunt ſigna, nec cauſę futurorum, ſed dicuntur accidentia, ſivè caſualia. Quandoquè autèm prævidentur per aliquam cauſam determinatam ex voluntate creata, ut cum homo in vigilia multùm ſollicitus fuit de aliquo opere faciendo, & vehementer illud facere deſideravit, & cum magna inveſtigatione inquiſivit modum, per quem facere poſſet, & non potens modum invenire obdormit in tali ſollicitudine, & ex his cauſatur in anima quandoquè diſpoſitio, per quam ſomniat, ſe illud opus facere. Et contingit quandoquè, quod quia in vigilia erat facta præparatio ad inveniendum modum faciendi, in ſomnio propter ſedationem motuum exteriorum, & interiorum, circa auroram, repræſentatur animę modus ille, quem in vigilia non potuit invenire. Vndè accidit, quod evigilans ſe ponit ad faciendum opus, quod aliàs non feciſſet, eo quod in vigilando modum faciendi non poterat reperire, & tale ſomnium eſt cauſa effectus futuri per modum jamdictum, & eſt cauſa ſine qua non. Et his concordat *Philoſoph. ſecundo de ſom. & vigil. ut patet intuenti verba ejus*. Contingit etiam quandoque, quod talia ſomnia non ſunt cauſa effectus futuri, ſed tantùm ſunt effectus motuum, qui in vigilia præceſſerunt, mediante quadam impreſſione, quam reliquerunt in nobis.

Quædam verò futura habent cauſam voluntariam in aliis hominibus ab ipſo ſomniante, & in remotis partibus, ut ſcilicèt illa ſomnient, quæ illi homines facere diſpoſuerunt. Et talia prævidere non poſſunt in ſomniis per aliquam cauſam naturalem, & determinatam. Sed ſi aliquis homo ſomniat aliquid, quod poſtea accidit in remotis partibus per cauſam voluntariam, hoc eſt à caſu. Et ideò hujuſmodi ſomnia *ſecundum Philoſoph. de ſom. & vigil.* dicuntur accidentia, vel caſus.

Et hoc intelligo, niſi illa futura revelentur dormienti per aliquam cauſam voluntariam, ſicut per divinam revelationem immediatè, vel mediante miniſterio angelorum, quorum revelationem animę dormientium, & præcipuè in nocte, ſicut dicit *Philoſoph.* 1. *de ſom. & vigil.* ſi ſilentes ſunt noctes, quandoquè ſunt magis aptę recipere, quam in vigilando, propter ſedationem motuum exteriorum, & interiorum, & maximè circa auroram, quandò digeſtio eſt completa, & ſedati ſunt motus fumoſitatum. Quià enim Angelus

lus eſt limitatę virtutis, efficaciùs revelare poteſt aliquod futurorum animæ diſpoſitę quàm indiſpoſitæ. Vndè, & ſomnia, de quibus dictum eſt primo, & ſecundo loco, quandò habentur in tali hora ſunt veriora. Et his dictis concordat, *Avicen. 6. naturalium lib. 4. cap. 2.* Tamèn quacunque hora revelet Angelus verus, & bonus dormienti ſemper eſt verum, quod revelat.

Ex prædictis patet, quod ſomniorum quædam habent cauſam determinatam, & hoc in ſomniante, vel extrà ſomniantem, aliqua verò non habent cauſam determinatam, ſed ſunt caſualia. Et huic diſtinctioni concordat *Avicen. 6. naturalium lib. 4. cap. 5.* ubi dicit, quod ſomnia, quędam ſunt naturalia, & hæc ſubdividit in duos modos prædictos, quędam ſunt voluntaria, & ſub his comprehendi poſſunt illa, quæ cauſam habent voluntariam extra ſomniantem, & illa, quæ ſunt à caſu.

Patet etiàm ex dictis, quod ſomniorum aliqua ſunt ſigna ſcilicèt præcedentium motuum, vel etiam aliquorum futurorum, aliqua ſunt cauſæ, ſcilicèt ſine quibus non fierent aliqua futura, aliqua ſunt accidentia. Et huic diſtinctioni concordat *Ariſt. lib. 2. de ſom. & vigil. cap. de Divinatione, quæ fit in ſomnis, ut patet ibidem inquenti*. Quapropter, ut dicit ibidem, ſomnia non debemus omninò contemnere, nec omninò de eis curare, eo quod ſicut dicit, *Avic. 6. natural. lib. 4. cap. 4.* non omnia ſomnia ſunt vera. His etiàm concordat Sacra Scriptura, quæ quandoquè prohibet attendere ſomniis, quandoquè approbat attendere viſionibus, quæ fiunt in ſomniis: *Hæc Rich.* Si quis ergò utatur ſomniis ad cognoſcenda futura ſecundum quod ſomnia procedunt ex revelatione divina, vel ex naturali cauſa intrinſeca, vel extrinſeca quantùm ſe poteſt extendere talis virtus, non erit illicita divinatio. Si autem hujuſmodi divinatio cauſetur ex revelatione dęmonum, cum quibus habentur pacta, vel expreſſa, quià ſcilicèt ad hoc invocantur, vel occulta, vel tacita, quià hujuſmodi divinatio extenditur ad illud, ad quod ſe non poteſt extendere, erit divinatio ſuperſtitioſa, & illicita. *Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 6.*

Prohibetur ergò curioſa obſervatio ſomniorum, & temerarium eſt inniti ſomniis, quoniam difficile eſt cognoſcere, quandò accidunt ex cauſis naturalibus, vel ſupernaturalibus, & quandò ex angelis bonis, vel malis. *Hæc Job. de peccat. in ſumma ſua de anima*. Vndè Sacra Scriptura reprehendit eos, qui confidunt in ſomniis. *Dicitur enim Eccl. 34. Sicut parturientis cor tuum ſantaſias patitur, niſi ab altiſſimo immiſſa fuerit viſitatio.*

TITVLVS XIV.

De ſortilegiis.

ARTICULUS PRIMUS

De divinatione per artes.

DEindè conſiderandum eſt de divinatione ſortium. Et primò de ipſa. Secundò de eius pęna. Circa primum quæritur.

I. Vtrum ſit licita?

Circà primum, Reſpondeo, quòd ſicùt ſuprà dictum eſt, ſortes propriè dicuntur, cum aliquid fit, ut ejus eventu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat. Et ſi quidem quęratur judicio ſortium quid ſibi ſit exhibendum, ſivè illud ſit res poſſeſſa, ſivè ſit honor, ſeù dignitas, ſivè pœna, aut actio aliqua, dicitur ſors diviſoria.

Si autèm inquiratur, quid ſit agendum, dicitur ſors conſultoria. Si verò quæratur, quid ſit futurum, ſors dicitur divinatoria. Actus verò humani, qui requiruntur ad ſortes non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum, nec etiàm eventus ipſorum actuum. Vndè ſi quis ea intentione ſortibus utatur, quaſi hujuſmodi actus humani, qui ad ſortes requiruntur, ex diſpoſitione ſtellarum effectum ſortiantur, vana, & falſa erit opinio, & per conſequens ſuggeſtione dęmonum non carebit, & ex hoc divinatio talis ſuperſticioſa, & illicita erit. Hæc autem cauſa remota neceſſe eſt quòd ſortialium accidentium expectetur eventus, vel ex fortuna, vel ex aliqua ſpeciali cauſa dirigente? Et ſi quidèm ex fortuna, quòd locum habere poteſt tantum in ſorte diviſoria, non videtur habere vitium, niſi fortè vanitatis, ſicut ſi aliqui non valentes concorditèr aliquid dividere, ſortibus uti velint ad diviſionem quaſi exponentes fortunę, quiſquam accipiet partem. Si verò ex ſpeciali cauſa judicium ſortium expectatur, quandòque quidem expectatur ex dęmonibus, *Sicùt legitur Ezech. 21.* quod Rex Babylonis ſtetit in bivio, ideſt capite duarum viarum divinationem quærens, & miſcens ſagittas interrogavit idòla, & ea conſuluit, & tales ſortes ſunt illicitæ, & ſecundùm Canones prohibentur. Quandòquè verò expectantur à Deo, *ſecundùm illud Prov. 16. ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Et talis ſors non eſt aliquid mali, *ut dicit glo. Auguſt. ſuprà illud Pſal. in manibus tuis ſortes meæ*.

Notà ulteriùs, quòd ſors poteſt ſumi multiplicitèr. Vno modo pro electione gratuita, *ut in Pſal. In manibus tuis ſortes meæ. Et ad Eph. 1. In quo ſorte vocati ſumus*. Alio modo prò eo, quòd eſt indicium divinę voluntatis, *ut Act. primo. Cecidit ſors ſupèr Mathiam*. Et ſic dicit Auguſt. quòd ſors non eſt aliquid mali, ſed res in humana dubietate poſita divinam indicans volun-

voluntatem 26. *quæſt.* 2. Sors enim, ſcilicèt ipſum operatum, prout eſt in fieri eſt res dubia, ſed poſtquàm eſt in facto eſſe, eſt res certa, & indicium divinæ voluntatis. Sors primo modo non eſt aliquid mali; nec etiàm ſecundo modo eſt aliquid mali in ſe, ſed ratione circunſtantiæ poteſt aliquid mali in ſe continere. Vndè prohibetur, nè ſub hac ſpecie homines in idolatriam labantur 26. *quæſt.* 2. §. *His itaque*. Tertio poteſt accipi ſors prout eſt nomen, ulteriùs derivatum ad ſignificandum divinationem ſecundùm quòd dicit Leo Papa Tertius, quòd ſors nihil aliud eſt quam divinatio, & maleficium à Sanctis Patribus damnatum; & ſecundùm hoc non eſt licita, nec credenda, nec exercenda aliquo modo, *ut dicitur in dicto* §. *his ita*, & *cap. ſequentibus*, & 26. *quæſt.* 5. *per totam*, Et ideò hoc modo prohibetur ſub anathematis interdicto 26. *quæſt.* 5. *ſortes*.

Sciendum etiàm, quòd in ſortibus ſecundo modo dictis, peccatum poteſt accidere quadrupliciter. Primò ſi ſine ulla neceſſitate ad ſortes recurratur. Hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. *Vnde Aug. ſuper Luc. Qui ſorte eligitur humano judicio non comprehenditur.* Secundò etiàm ſi quis in neceſſitate abſque reverentia ſortibus utatur. *Vndè Beda ſuper Actus Apoſtolorum. Si qui neceſſitate aliqua compulſi Deum putant ſortibus Apoſtolorum eſſe conſulendum, videant hoc ipſos Apoſtolos non niſi fratrum collecto cætu, & precibus ad Deum fuſis egiſſe.* Tertiò ſi divina oracula ad terrena negotia convertantur. *Vndè Aug. dicit ad inquiſitiones Januarii, His quidem paginis Evangelicis ſortes legunt; Et ſi optandum ſit, ut illud potiùs faciant, quàm ad dæmonia conſulenda concurrant, iſta tamèn mihi diſplicet conſuetudo, & ad negotia ſecularia, & ad vitæ hujus varietatem convertere divina oracula.* Quartò ſi aliqui ſortibus utantur in electionibus eccleſiaſticis, quæ fieri debent ex inſpiratione divina, vel Spiritus Sancti. *Vndè ſicut dicit Beda ſuper Act. Mathias antè Pentecoſten ordinatus ſorte quæritur, quià ſcilicet plenitudo Spiritus Sancti nondum erat effuſa in Eccleſia. Septem autèm Diaconi poſteà non ſorte, ſed Apoſtolorum electione ſunt ordinati.*

Secùs autèm eſt in dignitatibus temporalibus, quæ ad terrena diſponenda ordinãtur in quarum electione plerunque ſortibus homines utuntur: ſicut, & in temporalium rerum diviſione ſi neceſſitas immineat licitum eſt cùm debita reverentia ſortibus divinum judicium implorare. *Vndè ſicut dicit Auguſtinus in epiſtola ad Honoratum; ſi inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui tempore eorum perſecutionis maneant, & qui fugiant, nè fortè morte omnium deſeratur Eccleſia, ſi hæc diſceptatio alitèr terminari non poſſit; quantùm mihi videtur, eligendi ſunt ſorte, qui maneant, & qui fugiant. Et libro primo de Doctrina Chriſtiana dicit: Si tibi aliquid abundaret, quod oporteret dari ei, qui non haberet, nec duobus dari poſſet; ſed occurrerent tibi duo, quorum neuter alium, vel indigentia, vel ergà te aliqua neceſſitate ſuperaret, nihil juſtius faceres, quàm ſi ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod utrique dari non poſſet.* Per prædicta ceſſat objectio, quòd ſancti viri, tàm in veteri teſtamento, quàm in novo, ſorte uſi fuiſſe leguntur. *Honorius etiàm extrà de ſortilegiis. Eccleſia, & extrà c. dicit*: quòd licet uti ſortibus prò litibus dirimendis. *Et* 16. *q.* 1. *ſors. Et idem dicit Hoſ.* Et hoc intellige ſecundùm eum in temporalibus, & de ſorte ſimplici cum paleis, vel hujuſmodi, & ſinè aliqua ſuperſtitione.

Nota breviùs, quòd cùm aliquid per ſortem quæritur; aut illud pertinet ad rem temporalem, ut diviſio hæreditatis, & his ſimilia, & tunc licet. *ff. familiæ herciſcun. ſi qui ſunt*. Aut pertinet ad rem ſpiritualem, & tunc aut pertinet ad electionem alicujus Prælati; Et tunc nullo modo licet, *extra de ſortileg. Eccleſ. in fine*. Aut pertinet ad aliquod aliud ſpirituale jurgium dirimendum; Et tunc ſi illud præcedit, licet. 26. *q.* 2. *non exemplo. & argumentum extrà eo. Eccleſia.* Ubi hoc tantùm prohibetur in electionibus. Et per hoc videtur concedi in aliis jurgiis dirimendis. Cujus ratio poteſt eſſe, quià non ità in aliis ſicùt in electionibus eſt proviſum. Si verò non præcedit, non licet. 26. *quæſt.* 2. *non ſtatim*. Ad inquiſitionem autem veritatis de aliquo futuro, vel præterito; ut furto, & ſimilibus non licet. *extra eod. cap.* 1.

Quid ſi contentio eſſet de aliquorum electione: & eſſet paritas in omnibus utrobique: reſpondeo. *Scripſerunt Laurentius: Ray. Jo. & Cancellarius, quòd tunc exemplo Mathiæ poſſent fieri ſortes*. Sed hoc reprobatur *extrà eod. Eccleſia veſtra. Vndè Hoſti. dicit*; quod hoc non poſſet fieri ſine auctoritate Papæ. *Vndè ſecundum eum, & Goſ.* in tali caſu, vel debet iterum eligere, vel per ſuperiorem aliter rectificabitur.

Quid de judiciis ferri candentis, & aquę ferventis, & ſingularis concertationis, quæ dicuntur vulgaria; Nunquid ſunt licita. Reſpondeo. Hujuſmodi judicia ordinantur ad alicujus peccati occulti inquiſitionem per aliquod, quod ab homine fit: & in hoc cum ſortibus conveniunt, inquantùm tamèn expectatur aliquis perículoſus effectus a Deo, communem ſortium rationem excedunt. Undè hujuſmodi judicium redditur illicitum, tùm quià ordinatur ad judicandum occulta, quæ divino judicio reſervantur, tùm quià non eſt auctoritate divina ſcriptum: 2. *quæſt.* 5. *conſuluiſti*, & *extrà de purg. vul. cap. fin.*

Quid de his, qui inveſtigant perdita per inſpectionem aſtrolabii, aut inſcriptionis, & hujuſmodi: Reſpondeo. Hoc facere non licet *ſecundùm Rod. Goſ. & Hoſt. extrà de ſortilegiis, ex tuorum*.

ARTI-

ARTICULUS II.

De pœna ſortilegorum.

CIrcà ſecundum, quod eſt de pœna ſortilegorum ſciendum, quòd pœna eorum eſt, ſecundùm leges, bonorum publicatio, & decapitatio, *ut patet C. de maleſic. nullus, & l. nemo, & l. culpa*. Et eſt ſimilis culpa prohibita dicere, & docere: *ut in l. culpa*. Et ſi quis tali arte mulierem ad luxuriam provocaverit, beſtiis ſubditur: *ut dicitur ibid. l. multi*. Secundùm autem canones, imponitur pœnitētia ſpiritualis quadraginta dierum: *ut extra de ſortileg. cap.* 1. Et ſi peccatum ſit notorium, euchariſtia denegatur: *de conſec. diſt.* 2. *pro dilectione*. Item ſi ſit Clericus, eſt deponendus, & in Monaſterio detrudendus: ſi verò Laicus ſit, eſt excommunicandus. Quod intellige quandò rennuit agere pœnitentiam prædictam, & ſi criminaliter accuſetur hoc intellige. 26. *quæſt.* 5. *non liceat, & cap. non oportet, & cap. ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter*. Quando tamen pœnitentiam contemnit agere, eſt ab excommunicatione incipiendum: *ut* 26. *quæſt.* 5. *ſi quis Clericus*.

Sed creſcente contumacia augeri debet, & pœna etiam in laicos, qui ſi ſunt ſervi, verberibus caſtigantur; ſi liberi ſunt incluſione digni diſtrictamque ſunt in pœnam redigendi: *ut ead. quæſt. contrà idolorum*. Epiſcopus autem tales turpiter dehoneſtatos de Parochia ſua debet eiicere 26. *quæſt.* 5. *Epiſcopi* qui decalvare poteſt eos, ideſt veſtes, & capillos antè, & retrò præcidere: ſicut in quibuſdam locis de conſuetudine obſervatur. Et de hac decalvatione loquitur. 32. *quæſt.* 1. *de benedicto*. Sed tales ſunt infames, & non tantùm ipſi ſed etiam, qui concurrunt ad eos. 2. *quæſt.* 8. *quiſquis hæc Hoſtien.*

Quid, ſi quis ſacrificet Deo nummorum, ſcilicet Mammonę ut dives fiat, vel ſimilia faciat? Quid etiam, ſi quis de Sacramentis Eccleſiæ, de Euchariſtia ſcilicet, vel Chriſmate, vel de Oleo benedicto, aut Aqua benedicta fontium facit ſortilegium, vel baptizat imaginem? Numquid ex hoc fiunt irregulares? Reſpondet Rod. quòd cum talia videantur eſſe enormia propter idolatriam, vel enormem ſuſpicionem licèt ſint occulta, generant irregularitatem: ſecundum aliquos ùerò non. Undè in hujuſmodi dubio conſulendum eſt talibus, quod petant diſpenſationem. Non tamen præcisè dicendum eſt eis, quod aliàs non ſit ſalus illis. Et abſolvi debent de peccato ſi pęniteat eos. Si autem hujuſmodi peccata ſint notoria, ſecundùm eos, egent diſpenſatione. Sed de hoc plenius dicetur infra lib. 6. tit. de Diſpenſationib.

TITVLVS XV.

De multiplicibus obſervantiis ſuperſtitionis.

POſteà conſiderandum eſt de ſuperſtitione obſervantiarum. Et circa hoc quęruntur plura.

I. Vtrùm uti obſervantiis artis notorię ſit licitum.

II. Vtrùm obſervationes ordinatę ad corporum immutationem, ut ad ſanitatem, vel ad aliquod hujuſmodi ſint licitæ.

III. Vtrùm obſervantiæ, quæ ordinantur ad præcognoſcendum aliqua fortunia, vel infortunia ſint licitæ.

IV. Vtrùm virtus imaginativa poſſit facere tranſmutationes aliquas in corpore, in quo eſt.

V. Vtrum faſcinatio ſit poſſibilis.

VI. Vtrum infortunium accidens alicui poſſit ingerere dolorem ejus amico nihil de hoc ſcienti.

VII. Vtrùm herbę, vel armonię poſſint impedire Dęmones à vexatione hominum.

VIII. Vtrùm liceat ad collum divina verba ſuſpendere.

Circa primum. Reſpondeo, quod ars notoria eſt illicita, & efficax. Illicita quidem eſt, quia utitur quibuſdam ad ſcientiam acquirendam, quæ non habent ſecundum ſe, vel virtutem cauſandi ſcientiam, ſicut inſpectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam verborum ignotorum, & aliis hujuſmodi, & ideò hujuſmodi ars non utitur his, ut cauſis, ſed ut ſignis: non autem ut ſignis divinitùs inſtitutis, ſicut ſunt ſacramentalia ſigna. Vndè reſtat, quod ſunt ſigna vana & ſupervacua, & per conſequens continentia quędam pacta ſignationum cum dęmonibus prehabita, & fœderata. Ars ergo notoria eſt Chriſtiano penitus repudianda, & fugienda, ſicut etiàm alię artes nugatorię, vel noxię ſuperſtitionis: *ut Aug. dicit* 2. *de Doct. Chriſtiana*. Eſt etiam hujuſmodi ars inefficax ad ſcientiā acquirendam. Cum enim per hujusmodi artem non intendatur acquiſitio ſcientiæ ſecundùm modum homini connaturalem, ſcilicet, in adinveniendo, vel in adiſcendo conſequens eſt, quod iſte effectus expectetur à Deo, vel à dęmonibus. Certum eſt autem aliquos a Deo ſapientiam, & ſcientiam per infuſionem habuiſſe. *Sicut de Salomone legit.* 3. *Reg.* 3. *&* 2. *paral.* 1. *Chriſtus etiam dixit diſcipulis ſuis, Luc.* 21. *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, & ſcientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri*. Sed hoc donum non datur quibuſcumque cum certa obſervatione, ſed ſecundùm arbitriū Spiritus Sācti. *juxtà illud.* 1. *Corin.* 12. *Alii datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ &c.* Poſtea ſubditur. *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult*. Ad Dęmones autèm non pertinet illuminare intellectum. Acquiſitio autem ſcientiæ, & ſapientiæ ſit per illuminationem intelle-

tellectus, & ideò nullus unquàm ſcientiam per Dęmones acquiſivit. Poſſunt tamèn Dęmones hominibus colloquendo, aliquarum ſcientiarum exprimere documenta; ſed hoc non quæritur per artem notoriam.

Sed obiicitur, quod *Dan.* 1. *pueris* abſtinentibus *dedit Deus ſcientiam in omni libro, & ſapientiam*: Sed obſervantiæ artis notorię ſunt ſecundùm quædam jejunia, & quaſdam abſtinentias; ergo &c. Reſpondeo. Illi non abſtinebant ſecundùm vanam obſervantiam artis notorię, ſed ſecundùm auctoritatem legis divinæ nolentes cibis gentilium inquinari: Et ideò merito obedientiæ ſunt à Deo ſcientiam conſecuti, *ſecundùm illud pſ. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi*.

Circa ſecundum. Reſpondeo, quod non. *Dicit enim Aug. de Doct. Chriſtiana, quod ad ſuperſtitionem pertinent volumina magicarum artium, & ligaturę, & remedia, quæ medicorum condemnat ſcientia, ſivè imprecationibus, ſivè in quibuſcunque notis, quas characteres vocant, ſivè in quibuſcunque rebus ſuſpendendis, atque infigendis. Hæc Aug.* Nàm in his, quę fiunt ad aliquos effectus corporales inducendos conſiderãdum eſt utrùm naturalitèr videantur poſſe tales effectus cauſare. Sic enim non erit illicitum. Licet enim cauſas naturales ad inducendum effectus proprios adhibere. Si autem non videantur naturalitèr poſſe tales effectus cauſare, conſequens eſt, quod non adhibeantur ad hos effectus cauſandos tamquam cauſæ, ſed tantùm ut ſigna, & ſic pertinent ad pacta ſignationum cum dęmonibus inita. *Undè Auguſt. 21. de Civit. Dei. Illiciuntur homines per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit delectabilibus prò ſua diverſitate diverſis, non ut animalia cibis; ſed ut ſpiritus ſignis, quæ cujuſcunque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, & rituum.*

Sed objicitur, quià ſicut corpora naturalia ſubduntur corporibus cœleſtibus, ità & corpora artificialia, ut imagines; ergò ſicut illa, ità & iſta ſortiuntur aliquas virtutes ex impreſſione corporum cœleſtium ad aliquos effectus cauſandos. Reſpondeo, quod naturales virtutes corporum naturalium conſequuntur ſubſtantiales formas ipſorum, quas ſortiuntur ex impreſſione corporum cœleſtium, & ideò ex eorumdem impreſſione ſortiuntur quaſdam virtutes activas: Sed formæ corporum artificialium procedunt ex conceptione artificis, & ideò cùm nihil aliud ſint quàm compoſitio, & ordo, & figura, *ut dicitur 2. phyſicorum*, non poſſunt naturalem virtutem habere ad agendum; Et indè eſt quòd ex impreſſione corporum cœleſtium ſecundùm quod ſunt artificialia nullam ſortiuntur virtutem; ſed tantùm ſecundùm materiam naturalem.

Quid de quibuſdam ſceleratis mulieribus, quæ credunt ſe, & profitentur cum Diana Dea paganorum nocturnis horis, & cum Herodiade, & nimia multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa terrarum ſpatia intempeſtę noctis ſilentio pertranſire, ejuſque juſſionibus obedire velut Dominę, & cunctis noctibus ad ejus ſervitium evocari; aſſerunt etiàm ab illis aliquas creaturas poſſe in meliùs, vel in deteriùs permutari, aut in aliam ſpeciem & ſimilitudinem transformari. Reſpondeo, quod non à divino ſpiritu, ſed à maligno talia phantaſmata mentibus fidelium irrogantur. Diabolus enim cum animam alicujus per talem credulitatem ſubjugaverit ſibi, transfigurat ſe in Angelum lucis, & transformans ſe in diverſarum perſonarum ſpecies atque ſimilitudines, mentem, quam captivam tenet, multiplicitèr deludit. Nec debet aliquas vel aliqua in tantam venire ſtultitiam, ut credat hæc omnia, quæ in ſomnis, & ſpiritu tantùm fiũt, etiàm in corpore accidere: cum etiàm Paulus non audeat aſſerere quod fuerit raptus in corpore. Quicumque ergò talia crediderit, ſcilicèt poſtquam ſuper talibus audierit veritatem, vel aſſeruerit, ſcilicèt, etiàm pertinacitèr, proculdubiò infidelis eſt, & pagano deterior 26. *quæſt. 5. Epiſcopi.*

Circa tertium. Reſpondeo, quod non. *Dicit enim Aug. 2. de Doct. Chriſtiana*, quod ad pacta cum Dęmonibus inita pertinent millia vanarum obſervationum, ut ſi membrum aliquod ſalierit, ſi junctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit: limen calcare, cùm quis antè domum ſuam tranſit: redire ad lectum, ſi quis dùm ſe calciat, ſternutaverit: redire ad domum ſuam ſi quis procedens offenderit: cum veſtis à muribus roditur, plus timere ſuperſtitionem mali futuri, quàm damnum dolere, *hæc Aug.* Omnes enim hujuſmodi obſervationes attendunt homines, non ut quaſdam cauſas, ſed ut quędam ſigna eventuum futurorum bonorum, vel malorum, non autem obſervantur ſicut ſigna à Deo tradita, cum non ſint introducta auctoritate Divina; ſed magis ex vanitate humana, cooperante Dęmonum malitia, qui nituntur hominum animos hujuſmodi vanitatibus implicare: Et ideò manifeſtum eſt hujuſmodi obſervationes omnes eſſe ſuperſtitioſas, & illicitas; & videntur eſſe quædã reliquiæ idolatrię: ſecundum quam obſervantur auguria, & quidam dies fauſti, vel infauſti, quod quodammodò pertinet ad divinationem, quæ fit per aſtra; ſecundùm quæ diverſificantur dies: niſi quod hujuſmodi obſervationes ſunt ſine ratione, & arte: undè ſunt magis vanę, & ſuperſtitioſæ.

Sed obiicitur quod irrationabile eſt negare illud, quod quaſi omnes experiuntur, quod aliqua tẽpora vel loca, vel verba audita, vel occurſus hominum, ſivè animalium, aut diſtorti, vel inordinati actus aliquod præſagium habent alicujus boni, vel mali futuri; ergò non videtur eſſe illicitum illa obſervare. Reſpondeo hoc, quòd à principio in iſtis obſervationibus experti ſunt homines aliquid veri, à caſu accidit; ſed poſteà cum homines incipiunt hujuſmodi obſervationibus animũ implicare, multa ſecundùm hujuſmodi obſer-

ſervationes eveniunt per deceptiones Dęmonum, ut hujuſmodi obſervationibus implicati, curioſiores fiant, & ſe magis erroris pernitioſi multiplicibus laqueis ingerant: *ut dicit Auguſt. 2. de Doctrina Chriſtiana*. Dicit etiàm quod hujuſmodi portentis, occulto Dei judicio per Dęmonum fallaciam illuditur curioſitas humana, dùm illud impudentèr appetunt ſcire, quod eis non convenit inveſtigare. Dicit etiàm Auguſtinus, hoc fieri permiſſione divina, ut illi qui hoc audiunt, & vident, probentur in qua fide ſunt apud Deum. Et probat hoc auctoritate *Deut. 13. Si ſurrexerit in medio tui propheta, aut qui ſomnium dicat ſe vidiſſe, & prædixerit ſignum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: eamus, & ſequamur Deos alienos: non audies verba ejus; quia tentat vos Deus veſter; ut palàm fiat utrùm diligatis eum, an non 26. quæſt. 5. nec mirum, circà finem.*

Circa quartum. Reſpondeo quod ſic. Et hoc dico accipiendo imaginativam non inquantùm diſtinguitur contrà virtutes alias ſenſitivas interiores; ſed accipiendo eam pro ipſis virtutibus ſenſitivis interioribus. Et hoc declaratur per auctoritates, & experimenta. *Dicit enim Avicen. 6. naturalium lib. 4. cap. ult.* quod aliquandò homo poſt ambulare ſuprà trabem, quæ eſt in medio viæ: Si verò poſita fuerit ſuper aquam profundam non audebit ambulare ſuper eam, eò quòd imaginabitur in ejus anima forma cadendi vehementèr impreſſa, cui obedit materia ejus, & virtus membrorum ejus, & non obediunt ejus contrario, ſcilicèt, ad dirigendum, & ambulandum. Et plura alia experimenta: *de hoc ponit ibidèm*. Quod autèm dicit ibidèm de virtute imaginativa, quòd poteſt extranea corpora immutare, non eſt tenendum, quià in hoc nimis virtutem imaginationis extendit. *Plura etiàm dicit Auguſt. 11. de Civit. Dei, ad hoc pertinentia*, & inter alia dicit ſe audiviſſe à quodam, quod tam expreſſam, & quaſi ſolidam ſpeciem fœminei corporis cernere ſoleret, ut ei ſe quaſi miſcere ſentiens, etiam in genitalibus flueret, tantam vim habet anima in corpus ſuum. *In eodem etiàm lib. Aug. ad memoriam reducit illud quod habetur Gen. 30. de ovibus Jacob ad probandum virtutem imaginationis dicens ſic: Sunt exempla quæ copioſè numerari poſſunt; ſed unum ſufficit de fideliſſimis libris quod fecit Jacob, ut oves, & capræ variis coloribus parerẽt, ſupponendo eis varia virgulta in cannalibus aquarum, quæ potantes intuerentur eo tempore quo conceperant.*

Sed obiicitur, quià ſi ità eſſet videtur, quòd quandò homo vellet generare maſculum poſſet, & ſimilitèr quandò vellet fœminam. Reſpõdeo. Non ſequitur, quòd & ſi voluntas aliquandò poſſet imprimere in imaginationem, nõ tamèn ſicut vellet, & quandò vellet. Imaginatio etiàm, & ſi poſſet corpus transmutare in quo eſt, non tamèn in trãſmutatione qualicumque.

Poteſt etiam imaginatio eſſe ità debilis, & corpus ità firmum in diſpoſitionibus ſuis, quòd illa imaginatio parùm poſſet corpus tranſmutare. Et ſi poneremus etiàm, quod imaginatio eſſet fortis, non propter hoc imprimere poſſet ità fortitèr in vim formativam, quamvis formativa ſemper poſſet ad talem imaginationem maſculum formare, quià aliquæ aliæ cauſæ poſſent obſiſtere, putà ſi virtus in ſemine patris eſſet debilis, & fortè aliqua cauſa activa, quę haberet vim formativam debilitare, & ſemen ineptum ad maſculi formationem reddere. Poſſet tamen imaginatio eſſe ità fortis, quòd multùm juvaret ad formationem maſculi, niſi eſſent impedimenta multa fortia ad contrarium. *Hæc Rich. quolibet 3. quæſt. 10.*

Circa quintum. Reſpondeo, faſcinatio *ſecundùm quod poteſt elici ex gl. ſuper illud Gal. 3. O inſenſati Galathæ quis vos faſcinavit &c.* Dicitur tripliciter. Uno modo dicitur ludificatio ſenſuum, quæ fit per artem magicam. Et ſic poteſt fieri per miniſterium dęmonum, niſi prohibeantur a Deo immediatè, vel mediante miniſterio ſanctorum Angelorum. Secundò modo invidia. Et ſic eſt etiàm poſſibilis, ſicut multiplex experientia docet. Tertiò dicitur immutatio ad malum facta in corpore alicujus per oculos alterius aſpicientis eum. Et de faſcinatione hoc modo dicta *dicit Avicen. 6. Naturalium lib. 4. cap. ult. ſic. Multotiès autèm anima operatur in corpore alieno ſicut in proprio, quemadmodùm eſt opus oculi faſcinantis, & æſtimationis operantis.* Et eandem ſententiã ponit *Algazel lib. ſuo phyſicor. 5. cap. 9.* Undè videntur ambo fuiſſe opinati hominem aliquandò per naturalem virtutem animæ ſuæ poſſe aliena corpora pro ſua voluntate tranſmutare.

Sed hoc eſt multùm contrà rationem, quià Angeli, qui ſunt naturalitèr potentiores, quàm anima, & ſi poſſunt tranſmutare corpora ſecundũ locum, non tamèn poſſunt tranſmutare ea ad aliquam naturalem formam niſi mediante opere alterius naturæ à natura Angelica; ſicut expreſsè dicit *Aug. 3. de Trinit.* Contrà etiàm opinionem prædictam videtur facere excommunicatio cujuſdam articuli, qui talis eſt, ſcilicèt, quod intelligentiæ ſuperiores imprimunt in inferiores, ſicùt una anima intellectiva imprimit in aliam, ut in animam ſenſitivam, & per talem impreſſionem incantator aliquis proiicit camelum in foveam ſolo viſu. Hic articulus, eſt excommunicatus.

Ad hoc etiàm facit excommunicatio alterius articuli, qui talis eſt, ſcilicèt, quod materia exterior obedit ſubſtantiæ ſpirituali. Et dicitur ibi, quod eſt error, ſi intelligatur ſimplicitèr, & ſecundùm omnem modum tranſmutationis.

His viſis declarandum eſt, quòd faſcinatio tertio modo dicta, quæ de ea principalitèr quęritur ſecundùm aliquem modum non eſt poſſibilis, & ſecundùm aliquem modum eſt poſſibilis. Non enim eſt poſſibile homini, quòd per naturalem virtutem animæ ſuæ per oculos talem virtutem emittat, quæ non mediante tranſmutatione propriĩ

prii corporis, neque medii nocumentum inferre poſſit corpori hominis, quem aſpicit: maximè cum ſecundùm opinionē cōmuniorem videamus inter ſuſcipientes non extrà mittentes virtutem viſivam. Non eſt etiàm poſſibile homini, quòd per virtutem naturalem animæ ſuæ pro voluntate ſua tranſmutationem imaginando faciat in oculis ſuis, quæ mediante tranſmutatione medii, ſcilicet aeris poſſit corpus hominis, quem aſpicit in aliquā tranſmutare qualitatem ſecundùm quod ſibi placuerit. Secundùm hos duos modos prædictos non poſſet unus homo alium faſcinare, quià nulli hominum per naturalem virtutem animæ ſuæ poſſet talis virtus ineſſe. Undè ſecundùm illos duos modos debet intelligi excommunicatio articuli de faſcinatione.

Secundùm tamen aliquem modum faſcinatio eſt poſſibilis. Poteſt enim aliquandò contingere, quòd homo, vel mulier aſpiciens corpus alicuius pueri moveat ipſum mediante viſu, & imaginatione, vel aliqua paſſione ſenſibili. Et quià paſſio ſenſibilis eſt cum quadam immutatione corporali, & oculi ſunt tenerrimi propter quod ſunt impreſſionis multùm receptivi; ideò quandòque contingit quòd per aliquam paſſionem interiorem tranſmutantur oculi in aliquam malam qualitatem: maximè cooperante ad hoc aliqua imaginatione, cujus impreſſio citò redundat in oculis, & propter eorum teneritudinem, & propter vicinitatem radicis ſenſuum particularium ad imaginationis organum. Cùm autem oculi ſunt tranſmutati in aliquam qualitatem nocivam, contingere poteſt quòd tranſmutent aerem ſibi contiguum in aliam qualitatem malam, & illa pars aliam, & ſic uſque ad aerem contiguum oculis pueri, qui aſpicitur, & ille aer contiguus poterit quandoque tranſmutare oculos ipſius pueri in aliam qualitatem malam, & mediantibus oculis ipſius pueri aliquas partes interiores. Experimentum hujus rei manu ductivum eſt: quià videmus hominem patientem in oculis, quandòque ex aſpectu ſuo lędere oculos eum aſpicientis. Quod contingit ex hoc, quòd oculi mala qualitate infecti inficiunt aerem medium, & aer infectus inficit oculos directos ad oculos infirmos eò, quòd ſecundum rectam lineam infectio illa derivatur in directum ad oculos inſpicientium, cooperantę ad hoc multùm imaginatione ejus, qui aſpiciendo oculos infirmos imaginatur ſe lædi. Plura etiàm alia experimenta ad hæc manuductiva poſſent adduci, quæ ommitto cauſa brevitatis.

Prædictis autem concordat, *quædam gloſ. ſuper illud pſal. Qui timent te videbunt me, & lætabuntur, dicens. Magna virtus in oculis eſt, quòd in naturalibus apparet.* Animal enim viſum prodeſt itericis. Prior videns lupus vocem aufert. Baſiliſcus ſi prior videt occidit, ſi prior videtur occiditur. Et hujus, ſcilicet, quarè baſiliſcus videndo occidit hominem, ratio reddi poteſt, quià ex aſpectu, & imaginatione excitatur in eo paſſio mala, quę habet excitare in ejus corpore materiam venenoſam per quam ejus oculi venenoſa qualitate inficiuntur, qua aer oculis ejus contiguus inficitur, & ab illa parte aeris pars alia, & ſic indè uſquè ad aerem contiguum homini. Quem aerem cùm homo per aſpirationem attraxerit, intoſſicatur, & moritur. Hæc de prædicta quæſtione ſine præjudicio, & temeraria aſſertione dicta ſunt. *Hæc Rich. quodlibet 3. qu. 12. o.*

Circà ſextum. Reſpondeo. Aliquem hominem triſtari, & anguſtiari ejus amico remoto infortunium aliquod patiente, quandòquè contingit a caſu, ſcilicet, quià in illa hora, qua ſuus amicus infortunium patitur melanconia in eo movetur per cujus motum cadit in triſtitiam, & timorem propter multas cogitationes, & ſuſpirationes nocivas; quę per motum melancolicum excitantur, & ex conſequenti mente aggravatur, & ponderoſus redditur; licèt infortunium amici nihil ad hoc pœnitùs operetur. Quandòque verò hoc contingit ex aliqua cauſa volūtaria determinata. Diabolus enim, quia conatur homines inducere ad opiniones ſuſpicioſas: quandòque cū permittitur affligit hominem ponderoſitate, & triſtitia illa hora, qua amicus ejus remotus infortunium patitur, ut exiſtimet hoc per amici infortunium ſibi naturaliter eveniſſe. Quandòque hoc etiàm contingit ex aliqua probabili ſuſpicione, ut cùm quis ſcit amicum eſſe in taberna cum inimicis ſuis; probabiliter conicit eum invadi ab inimicis, & ex hoc quandòque in illa hora, qua amicus ejus ab inimicis opprimitur in eo timor, & anguſtia generatur; ſed ille dolor eſt poſt aliquam cognitionem. *Hæc Rich. quolibet. 3. quæſt. 13.*

Circà ſeptimum. Reſpondeo, quòd herbę, vel armonię non poſſunt ſua naturali virtute totalitèr excludere vexationem, qua Diabolus poſſit hominem vexare, ſi ſibi permitteretur à Deo, vel Angelis bonis. Poſſunt tamèn illam vexationem mitigare, & ità parva poſſet eſſe vexatio illa, quòd poſſent eam pœnitus excludere. Et hoc quidem facerent non agendo in ipſum Dęmonem, cū ſit ſpiritus ſeparatus in quem non poteſt naturaliter agere corpus; ſed agendo in ipſum vexatum a Dęmone. Omnis enim cauſa limitatę virtutis producere poteſt effectum intenſiorem in materiā diſpoſitam, quam in non diſpoſitam. *Cui conſonat illud Phiſic. ſecundo de anima. Actus activorum ſunt in patiente, & diſpoſito.* Dęmon autèm eſt agens limitatę virtutis: ergò vexationem intenſiorem facere poteſt Diabolus in homine diſpoſito ad illam vexationem: ſivè ad illud ad quod Diabolus intendit adducere, quàm in homine diſpoſitionis contrarię. Puta Diabolus poteſt vexare intenſius paſſione melancolica hominem diſpoſitum ad illam, quàm hominem contrarię diſpoſitionis.

Certum autem eſt, quod herbę, & armonię multùm poſſunt immutare diſpoſitionem corporis, & ex conſequenti motus ſenſualitatis. Hoc patet de hęrbis, cùm quædam inclinent ad lętitiam, quædam ad triſtitiam, & ſic de aliis. *Hoc etiàm patet de armoniis per Phyl. 8. polyti-*

co-

jeram:ubi vult,quod diverſæ armoniæ habẽt provocare diverſas paſſiones in homine. *Hæc etiam refert Boetius in muſica ſua, & Auctor de ortu ſcientiarum*; Ubi loquens de utilitate muſicę dicit, quòd valet ad curandùm, vel alleviandum diverſas infirmitates Et ità patet quòd herbæ, & armoniæ,quandoquè cauſare poſſunt in homine diſpoſitionem contrariam illi vexationi, qua Diabolus hominem vexare conatur. Ex quo ſequitur, quòd cœteris paribus ſit vexatio debilior.

Non tamèn video quomodò herbæ, vel armoniæ poſſunt in homine diſpoſitionem aliquam cauſare, propter quam homo nullo modò vexari poſset à Dæmone,ſi permitteretur, quià Diabolus movendo ſolùm motu locali vapores, & ipſos ſpiritus inordinato motù, poſset hominem multùm vexare. Herbæ autèm, vel armoniæ nullam diſpoſitionem cauſare poſsent in homine ſua naturali virtute,per quam prohibetur Dœmon prædictã commotionem facere. Contingit tamèn quandoquè,quòd Diabolus non permittitur hominem vexare, niſi vexatione ità parva, quę per aliquam fortem diſpoſitionem ad contrarium totalitèr tolleretur, & tùnc aliquæ herbæ, vel armoniæ poſſent corpus hominis ità ad contrarium diſponere, quòd illa vexatio totalitèr amoveretur. Verbi gratia. Diabolus, quandoquè poſset hominem vexare vexatione triſtitiæ,ità debilitèr, quòd per aliquas herbas, vel armonias, quæ haberent cauſare dilatationem, & diffuſionem ſpirituum, qui ſunt motus contrarii triſtitiæ,totalitèr amoveretur illa triſtitia. *Quod autem Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana* condemnet ligaturas, & quædam alia,de quibus ibi diffuſiùs ſcribit, hoc attribuens arti magicę, hoceſt quantum ad illud, in quo non poſſunt ex ſua naturali virtute. Quòd patet per hoc, quòd dicit ſic: *Ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, & remedia, quæ medicorum condemnat diſciplina*. In quo ſatis patet, quod illa condemnat,quantum ad uſum, reſpectu cujus non habent aliquam efficaciam ex ſua naturali virtute

Quantum autem ad illud, *quòd 1. Reg. cap. 16. habetur*, quòd Saul, qui vexabatur à Dæmone alleviabatur,quandò David citharam percutiebat coram eo, & quòd recedebat ſpiritus malus. Sciendum, quòd hoc verum eſt,quòd per tactum citharæ virtute naturali illius armonię alleviabatur aliquantulùm afflictio Saul, inquantùm illa armonia aliqualitèr dulcorabat appetitum ejus per auditum, per quam dulcorationem reddebatur minùs aptus ad illam vexationem. Sed quòd ſpiritus malus recederet à Saul, quandò David citharizabat coram eo; hoc erat propter vim Crucis. *Quòd ſatis expreſſè dicitur in gloſ. ubi dicitur ſic: Erat David in canticis muſicæ eruditus. Diverſorum ſonorum rationabilis,moderatuſque, concentus unitatem eſſentiæ ſignificat, quæ variis modis quotidiè reſonat. David malignum ſpiritum in cithara ſua compeſcuit,non quià tanta eſſet vis in cithara, ſed in ſigno Crucis, quæ in ligno, & cordarum extenſione gerebatur, quæ jam tunc Dęmones effugabat. Et hęc ſunt dicta ſine præjudicio, hæc Rich. quodlibet.3.quæſt. 8.*

Circa octavum. Reſpondeo. In omnibus incantationibus, vel ſcripturis ſuſpenſis multa cavenda videntur: primò quid profertur, vel ſcribitur, quià ſi eſt aliquid ad invocationem Dæmonum pertinens,manifeſtè eſt ſuperſtitioſum, & illicitum.Similiter cavendum eſt,ſi contingat ignota nomina ibi poni, ne ſub illis lateat aliquid illicitum. *Vndè Chryſoſt. dicit ſuper Matth. quòd Phariſeorum magnificantium fimbrias exemplo, nunc multi aliqua nomina hebraica Angelorum confingunt, & ſcribunt, & alligant, quæ non intelligentibus metuenda videntur*. Cavendum eſt etiam,ne aliquòd falſum contineant, quià ſic ejus effectus expectari non poſſet à Deo, qui non eſt teſtis falſitatis.Secundò cavendum eſt ne cùm verbis ſacris ibi contineantur aliqua vana, ut aliqui caracteres inſcripti, præter ſignum Crucis, aut ne ſpes habeatur in modoſcribendi, vel ligandi, vel in quacumque alia hujus vanitate, quæ ad divinam reverentiam non pertineat, quià hoc judicaretur ſuperſtitioſum. Aliis autem eſt licitum. *Vndè 26. quæſt. 5. non liceat Chriſtianis*. Dicitur,quòd non liceat in collectionibus herbarum medicinalium aliquas obſervationes, vel incantationes attendere, niſi tamèn, cùm ſymbolo Divino, aut oratione Dominica,ut tantùm Creator omnium Deus honoretur; *Nec his obſtat Chryſ. dicens ſuper Matth, quòd virtus Evangelii non eſt in litteris, ſivè figuris ad collum ſuſpenſis, ſed in intellectu*; quià Chryſ. loquitur quandò reſpectus magis ad figuras ſcriptas, quam ad intellectum verborum habetur.

Sed contra prædicta oſtenditur, quòd liceat divina verba ad collum ſuſpendere, quià non minùs operantur verba ſacra in corporibus hominum, quam in corporibus ſerpentum, & aliorum animalium, ſed incantationes quamdam efficaciam habent ad reprimendum ſerpentes, vel ad ſanandum quædam alia animalia. *Vndè Pſal. Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, qui non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis ſapientèr?* Reſpondeo, quòd etiam in incantationibus ſerpentum, vel quorumcunque animalium,ſi reſpectus habeatur tantùm ad verba ſacra, & ad virtutem divinam,non eſt illicitum. Sed plerumque tales incantationes habent illicitas obſervantias, & per Dæmones ſortiuntur effectum, & præcipuè in ſerpentibus, quià ſerpens fuit primùm Dœmonis inſtrumentum ad hominem decipiendum. *Vnde gloſ. dicit ibidem*,quòd nõ laudatur in ſcriptura undecumquè ſimilitudo data in ſcriptura, ut patet de iniquo judice, qui rogantem viduam vix audivit. *Hęc Tho. ſecunda ſecundæ quęſt. 99. art. 4.*

Quid de breviculis. quæ fiunt in aſcenſione? Reſpondeo. Non ſunt reprobanda,cùm non contineant niſi verba Evangelica, ſed ſuperſtitioſum eſt, ſi credantur eſſe minus efficacia ſi ſcribantur

poſt

poſt lectum Evangelium, vel poſt Miſſam, aut alia die, quam ſi ſcribantur cùm leguntur, ſivè cantantur in Eccleſia, ſivè Miſſa. *Hæc Rodr.*

Sed quid de carminatricibus, & carminatoribus, qui carminant infirmos, vel pueros. vel alia. Numquid peccant mortaliter? Reſpondeo. Si nihil ſuperſtitioſum dicunt, aut docent, aut faciunt; ſed tantùm utuntur licitis precibus, & adjurationibus,ſicut per paſſionem, & crucem, & ſimilia, non credo, quòd peccent mortalitèr, niſi talia fecerunt poſt prohibitionem ab Eccleſia ſibi factam. Sed credo, quòd prohibendi ſunt viri, & mulieres à talibus; quià multa inutilia, & ſuperſtitioſa ſolent admiſcere, niſi fortè ſit Sacerdos religioſus, & diſcretus, aùt etiam Laicus ſivè vir, ſivè mulier excellentis vitæ, & probatæ diſcretionis, qui fuſa oratione licita ſuper infirmum, non ſupèr pomum, vel pirum, aùt cingulum, & ſimilia; ſed ſuper infirmantes,manus imponat. *Juxta illud Mar.ulti. Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Nec ſunt hæ perſonæ prohibendæ à talibus,niſi fortè timeatur, quòd ad exemplum illorum indiſcreti,& ſuperſtitioſi carminatores ſibi uſurpent abuſum,tuentes ſe exemplo illorum. *Hæc Rodr.*

Quid de portatione Reliquiarum? Reſpondeo: Si portentur ad fiduciam Dei, & Sanctorum non erit illicitum. Si autèm circa hoc attendatur aliquid aliud vanum, puta,quòd vas ſit triangulare, vel aliquid aliud hujuſmodi,quòd non pertinet ad reverentiam Dei,& Sanctorum,ſuperſtitioſum erit, & illicitum. *Hæc Tho. ubi ſuprà cap. 3,*

Quid erit de Sacerdotibus, qui cauſa doloris permoti, aut altare veſtibus ſacris exeunt, aut qualibet veſte lugubri operiunt, aut conſueta luminaria ſubtrahunt, aut Altare, vel Crucifixum ſpinis circumdant.

Quid eſt de illis, qui pro vivis ſcientèr cantant miſſam defunctorum, vel ſub nomine illorum,quos odiunt, feretrum cùm exequiis mortuorum in medio Eccleſiæ ponunt, vel alia ſimilia faciunt, ut illi citiùs moriantur? Reſpondeo. Ad hoc dico, quòd ſi aliquod prædictorum fiat propter odium pravatum graviſſimè peccat, qui facit, & niſi per legitimam pœnitentiam ſe purgaverit, debet deponi. Si autèm propter cauſam communem, puta,quià metuit contaminationem ſacrorum ordinum, vel ſubverſionem fidei, vel hoſtilitatem ſuffert, vel obſidionem, vel divinorum judiciorum ſententiam metuit, & ideò tale quid facit, non dicitur peccare, quià in tali facto plus humilitas, qua Deus placatur, quàm interni livoris doloſitas, declaratur. Hæc etiam conſuetudo Eccleſiæ tenet. Undè ſolet cantare, *Deus venerunt gentes &c.* Et in ſignum triſtitiæ die veneris Sancti Altaria ſpoliare. Hæc tamen diſtinctio fallit in illis, qui ſcientèr pro vivis celebrant officium defunctorum. Nam tales ſi fuerint detecti,indiſtinctè debent deponi, & ad agendum pœnitentiam,tàm ipſe Sacerdos, quàm qui eum ad hoc incitavit, debent exilii perpetui ergaſtulo ſivè Monaſterio relegari. *Hoc totum habes expreſiè 26. quæſt. 5. quicumque. Hæc Ray.* Fallit etiam diſtinctio in illis, qui Altare, vel Crucifixum ſpinis circumdant, quià omnis talis abuſus indiſtinctè pœnitùs reprobatur, & diſtrictiùs prohibetur, & eſt gravitèr puniendus; *ut lib. 6. de off. or. Si canoni.*

TITULUS XVI.

De tentatione, qua Deus tentatur.

POſteà conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis religioni per defectum ejus,quæ manifeſtè ſunt contraria religioni, undè continentur ſub irreligioſitate. Horum autem quædam directè pertinent ad irreverentiam Dei. Quædam ad irreverentiam rerum ſacrarum. Ad genus primum pertinet perjurium,quo Dei nomen irreverentèr aſſumitur, de quo primò dicetur,cùm de ſecundo præcepto agetur, & tentatio, qua Deus tentatur; de quo eſt hìc dicendum.

Quæruntur autem plura de ipſa.

I. In quibus tentatio Dei conſiſtat.

II. Utrùm tentatio Dei ſit peccatum.

III. Utrùm tentatio Dei opponatur virtuti religionis.

IV. Utrùm tentatio Dei ſit gravius peccatum, quam ſuperſtitio.

Circa primum. Reſpondeo, quòd conſiſtit in aliquibus factis, vel verbis,in quibus expectatur effectus ſolius Divinæ poteſtatis.

Ad cujus evidentiam conſiderandum, quòd ſic tentare propriè eſt experimentum ſumere de eo, qui tentatur. Sumitur autem experimentum de aliquo ex verbis, & factis. Et utroque modo duplicitèr, ſcilicet, apertè, & inſidiosè, ſive occultè.

Rurſus quandoquè quæritur expreſsè. Quandoquè interpretativè. Sic ergo homo Deum tentat quandoquè verbis, quandoquè factis. Verbis quidem Deo colloquimur orando. Undè in ſua petitione aliquis expreſsè Deum tentat, quàdò ea intentione aliquid à Deo poſtulat, ut exploret Dei ſcientiam,poteſtatem, vel voluntatem. Factis autem expreſsè, quandò per ea, quæ facit,intendit experimentum ſumere divinę poteſtatis,ſivè pietatis, aut ſapientiæ. Sed quaſi interpretativè Deum,tentat qui, etsi non intendat experimentum ſumere de Deo,aliquid tamen petit,vel facit ad nihil aliud,niſi ad probandum Deum. Quandò ergò aliqui ſpropter aliquam neceſſitatem, vel utilitatem ſe committit Dei auxilio in ſuis petitionibus, vel factis, hoc non eſt Deum tentare. II. *Paralip.* 20. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Undè Prędicatores regni Dei, qui temporalia prætermittunt, ut verbo Dei expeditius vacent, ſi ſoli Deo innitantur, non tentant Deum. Beata Virgo Aga-

tha

tha experta erat ergà ſe Dei benevolentiam,ut vel infirmitates non pateretur, pro quibus corporali medicina indigeret, vel ſtatìm ſentiret divinæ ſanationis effectum, ideò dicebat: *Habeo Dominum Jeſum Chriſtum,qui ſolo ſermone reſtaurat univerſa*. Quandò verò hoc agitur ſinè neceſſitate, vel utilitate; hoc eſt interpretativè Deum tentare. *Undè ſuper illud Deuth. 6. Dominum Deum tuum*. Dicit Gloſ. *Deum tentat, qui habens quid faciat,ſine ratione committit ſe periculo,experiēs utrùm liberari poſſit à Deo.*

Circa ſecundum. Reſpondeo, quòd ſic. *Undè Deut.6. Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentare enim, ut dictum eſt, eſt experimentum ſumere. Experimentum autèm nullus ſumit de eo, de quo eſt certus. Et jdeò omnis tentatio ex ignorantia ali qua, vel dubitatione procedit, vel tentantis, ut quis experimentum ſumat de aliqua re, ut ejus qualitatem cognoſcat, vel aliorum,ut cùm quis experimentum ſumit de aliquo, ut aliis innoteſcat,per quem modum Deus dicitur nos tentare. Ignorare autem, vel dubitare de pertinentibus ad Dei perfectionem eſt peccatum. Unde patet, quòd tentare Deum, ut tentans Dei virtutem cognoſcat, eſt peccatum. Si autem experimentum ſumat de pertinētibus ad Dei perfectionem, ut aliis demonſtret, hoc non eſt tentare Deum, cùm ſubſit iuſta neceſſitas, vel pia utilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debent. Sic enim Apoſt.à Domino petierunt,ut in nomine Chriſti fierent ſigna, *ut dicitur Actor.* 4. ut, ſcilicet, infidelibus innoteſcerent virtutes Chriſti.

Ad hoc nota,quòd Deus volebat dare ſignum Acham non pro ipſo tantùm, ſed pro totius populi inſtructione, & ideò reprehenditur *Iſai.* 7. quaſi impeditor communis ſalutis, quòd ſignum petere nolebat, ne petendo Deum tentaret. Nequaquàm tamèn Deum tentaſſet,tùm quià ex Dei præcepto petiviſſet, tùm quià hoc pertinebat ad communem utilitatem. Abraham verò *Gen.* 15. ſignum petiit ex inſtinctu divino dicens: *Undè ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eàm*, ſcilicèt terram promiſſam, ideò non peccavit. Gedeon verò *Judicum* 6.ex debilitate fidei ſignum petiiſſe videtur de victoria promiſſa, ideò à peccato non excuſatur, *ut dicit Gloſ. ibidem*. Sic & Zacharias peccavit *dicens Lucæ* 1. *ad Angelum: Undè hoc ſciam?* Undè etiàm propter incredulitatem punitus fuit.

Sciendum tamèn, quòd duplicitèr aliquis petit à Deo ſignum. Uno modò explorando Dei poteſtatem, aut dicti ejus veritatem, & hoc de ſe pertinet ad Dei tentationem. Alio modo, ut inſtruatur quid ſit circa aliquod factum placitum Deo, & hoc nullo modo pertinet ad Dei tentationem.

Circà tertium. Reſpondeo, quòd ſic,Ut enim patet ex ſupradictis, finis religionis eſt Deo reverentiam exhibere. Undè omnia quæ directe pertinent ad irreverentiam Dei,religioni opponuntur. Tentare autèm aliquem, ad irreverentiam ejus pertinet. Nullus autèm præſumit tentare eum de cujus excellentia eſt certus. Undè patet, quòd tentare Deum, eſt peccatum religioni oppoſitum.

Circa quartum. Reſpondeo, quòd non; ſed potiùs è converſò,quià ſuperſtitioſus proteſtatur errorem facto, ut ex dictis patet; ſed tentans Deum proteſtatur tãtum dubitationem verbo, vel facto, ut dictum eſt. *Undè gloſ. ſuper illud Deut.* 17. *cùm reperti fuerint apud te &c.* dicit, quòd maximum ſcelus eſt honorem creatoris impendere creaturæ.

TITULUS XVII.

De ſecundo Præcepto.

ARTICULUS UNICUS.

De ejuſdem Præcepti expoſitione.

Conſequentèr conſiderandum eſt de ſecundo Præcepto, quod quidem ſic ponitur *Exod* 20. *Non aſſumes Nomen Dei in vanum*; Non enim habebit Dominus eum inſontem, qui aſſumpſerit Nomen ejus fruſtrà. Et primò circa ejus expoſitionem in communi eſt brevitèr intendendum, & poſteà de quibuſdam ſpecialitèr, in quibus Nomen Dei aſſumitur,eſt diffuſiùs tractandum.

Circà primum ſciendum, quod hoc præceptum, ut ſupra dictum eſt, ordinat ad reverentiam veritatis ſummæ; ideò prohibet hìc in vanum jurare; In Juramento enim Dei Nomen in teſtimonium locutionis aſſumitur, & per conſequens ſumma veritas contemnitur: juramentum autem vanum determinatur, quod caret aliqua trium conditionum, quæ ponuntur Hierem. 4. *Jurabis vivit Dominus in veritate, & Juſtitia, & Judicio:* ubi dicit *Gloſſ. interlinearis*; *hos tres comites debet habere juramentum.* Veritas enim debet eſſe in conſcientia jurantis, ut ità eſſe credat, ſicut jurat, ut in juramento aſſertorio; Ut ità facere proponat, ſicut jurat, ut in juramento promiſſorio. Juſtitia debet eſſe ex parte ejus, quod juratur, ſcilicèt, ut ſit licitum. Judicium verò debet eſſe ex parte circumſtantiarum utriuſque, ſcilicèt, ut diligentèr attendatur, & cauſa, pro qua juratur, & modus; ſi enim deſit cauſa, deeſt judicium diſcretionis in circumſtantiis juramenti. De his autem tribus, & aliis pertinentibus ad hanc materiam require *in tit.* de juramento, & periurio.

Ad ampliorem tamen intelligentiam hujus præcepti notari poteſt, quod Nomen Dei tripliciter aſſumitur: primò ad efficiendum, ut in Sacramentis, ſicut in Baptiſmo dicitur: *Baptizo te in nomine Patris &c.* ſecundò ad promittendum, ut cum aliquis jurat, vel vovet ire ad Sanctum Petrum, vel Religionem intrare: tertiò ad exprimendum,ut cum quis loquitur cum juramento. In-

Inſupèr multiplicitèr aſſumitur Nomen Dei in vanum : primò per Sacramenti fruſtrationem, ut quandò quis non credit, ut hæreticus, vel quandò credit, ſed ſe non diſponit, ut uſurarius; vel quandò gratiam ſuſceptam in Sacramento non cuſtodit, ſed poſteà delinquit. De hujuſmodi dicitur ad *Titum* 1. *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Secundò per voti fractionem; Et hoc fit tripliciter: primò per irrationabilem dilationem, ut cum quis promittit ire ad Sanctum Petrum, ſed non præfigit certum terminum, & ſic ſemper procraſtinat: Secundò per contrariam voluntatem, ut cum quis aliquod Deo vovit, & poſteà pœnitet. Contra tales dicitur Deut. *Si quid proceſſerit de labiis tuis non facies irritum*: tertiò per apoſtaticam rebellionem, ut cum quis apoſtatatur à religione, contra illud *Eccl.* 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio.* Tertiò aſſumitur Nomen Dei in vanum per Hominis blaſphemi locutionem. Et hoc etiam fit tripliciter, ſcilicet, per locutionem maledicam, ut cum quis maledicit Deum; per locutionem falſidicam, ut cum quis aſſerit de Deo falſum, & negat verum; & per locutionem opprobrioſam, ut cum quis loquitur de ſecretioribus membris Chriſti; peſſimè enim blaſphemat, etiamſi verùm dicat, & in his Chriſtum deſpicit, in quibus pro nobis humilis fuit. Quartò aſſumitur Nomen Dei in vanum in prædicatione, quę ſcilicèt fit vana intentione: *Matth.* 7. *Nonnè in Nomine tuo prophetavimus?* Quintò in Oratione, quæ eſt ſine ulla cordis affectione: *Matth.* 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Sextò in operatione, ſive converſatione, in qua forma ſanctitatis aſſumitur tantùm in exteriori opere, non pro Deo, ſed ſolum pro humano favore: *Matth.* 6. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.*

Additur etiam huic præcepto, & etiam primo, & non aliis præceptis, comminatio pœnæ, cum dicitur; *Non enim habebit Dominus inſontem, qui aſſumpſerit nomen ejus fruſtra*; Cujus ratio eſt, quia pœnæ ſunt præcipuè neceſſariæ contra illos, qui ſunt proni ad malum, *ut dicitur* 10. *Eth.* & ideò in illis ſolis præceptis legis additur comminatio pœnarum, in quibus erat pronitas ad malum: erant autem homines proni ad idolatriam propter conſuetudinem generalem Gentium. Inſuper etiam homines ſunt proni ad periurium propter jurandi frequentiam, & ideò comminatio magis additur primis duobus præceptis.

TITULUS XVIII.

De Juramento.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Juramentum.

POſteà conſiderandum eſt diffuſiùs de quibuſdam ſpecialitèr; Primò, in quibus nomen Dei aſſumitur ad propriorum verborum confirmationem. Secundò de voto, in quo aſſumitur ad aliquam ſui obligationem. Tertiò de adjuratione, in qua aſſumitur ad aliorum inductionem. Et de juramento, primò de ipſo, ſecundò de periurio ſibi oppoſito. Circa verò juramentum conſiderandum eſt primò quid eſt juramentum, ſive jurare. Secundò quot, & quæ ſunt ſpecies ejus. Tertiò utrum, & per quod licet jurare. Quartò de comitibus juramenti. Quintò de cauſis, propter quas licet jurare. Sextò de forma verborum jurandi. Septimò de obligatione juramenti. Octavò ex quibus redditur juramentum illicitum. Nonò de quibuſdam tacitis conditionibus, ſub quibus debet intelligi juramentum. Decimò de quibuſdam dubiis circa juramentum. Undecimò de juramenti diſpenſatione, & relaxatione,

Primò ergò quæritur quid ſit jurare.

Reſpondeo: jurare eſt in teſtem Deum invocare. Undè Auguſt. in quodam Serm. de perjurio. *Quid eſt jurare per Deum, niſi teſtis eſt mihi Deus? Sicut enim dicit Apoſtolus ad Hæbr.* 6. *juramentum ad confirmationem ordinatur*: confirmatio autèm in ſcibilibus fit per rationem, quæ procedit ex aliquibus naturalitèr notis, quæ ſunt infallibilitèr vera; Sed particularia hominum facta, & contigentia non poſſunt per rationem neceſſariam confirmari, & ideò ea, quæ dicuntur de eis ſolent confirmari per teſtes: Humanum autem teſtimonium non eſt ſufficiens ad confirmandum hujuſmodi; propterà dico primò, propter defectum veritatis humanæ, quià plurimi in mendacium labuntur. Secundò propter defectum cognitionis, quià homines non poſſunt cognoſcere contingentia, nec cordium ſecreta, nec etiam abſentia; de quibus etiam homines loquuntur, & expedit rebus humanis, ut certitudo aliqua habeatur de ipſis. Et ideò neceſſarium fuit recurrere ad divinum teſtimonium, quià Deus nec mentiri poteſt, nec aliquid eum latet. Aſſumere autem Deum in teſtem dicitur jurare, quià quaſi pro jure introductum eſt, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur. Magiſtralis autèm notificatio juramenti eſt, quòd juramentum eſt affirmatio, vel negatio de aliquò ſacræ rei atteſtatione firmata, ſecundum *Goff. & Ray.*

ARTICULUS II.

Quot, & quæ ſint ſpecies juramenti.

Circa ſecundum ſciendum, quod ſpecies juramenti ſunt duæ, ſcilicèt, juramentum aſſertorium, & promiſſorium. Aſſertorium eſt, quandò juratur aliquid de præſenti, vel de prætetito, ſic eſſe, vel non eſſe; fuiſſe, vel non fuiſſe. Poteſt etiàm ſecundum *Rodon.* fieri de futuro, ut cum quis jurat aliquid futurum eſſe, non præmittendo aliquid, ut ſi quis jurat, quod cras pluet, vel ninget, & hujuſmodi. Juramentum promiſſorium eſt, cum quis jurat, ſe aliquid daturum, vel facturum, vel non daturum, vel non facturum. Sunt & aliæ diviſiones juramenti, quæ pertinent ad forum judiciale, de quibus eſt aliquid brevitèr dicendum, ut habeatur aliqualis notitia ipſorum. Juramentum enim aſſertorium eſt triplex: unum eſt voluntarium, quod defert pars parti, ex conventione extra judicium, & dicitur voluntarium, quia voluntariè deffertur, & ſuſcipitur. Alterum eſt neceſſarium, quod ſcilicèt Judex defert parti in deffectum probationis: ut quandò habet tantùm unum teſtem, & hoc dicitur neceſſarium, quià non poteſt recuſari, niſi ex juxta cauſa, puta, quandò dubitaret ille, cui defertur; Cum enim hoc juramentum fit de veritate dicenda, in hoc caſu, ſi non admittitur recuſatio, poteſt appellari. Tertium eſt judiciale, quod in judicio pars defert parti, & hoc poteſt recuſari, niſi ſit aliquis conventus actione famoſa, ut furti rerum amotarum, & hujuſmodi: *hac Goff. tit. de jure juran. & Ber. extra cap.* 8. *& plura alia de hac materia.*

Itèm quatruplex eſt juramentum, ſcilicèt de calumnia, de malitia, de veritate, & deciſorium. Juramentum de calumnia vitanda, ſcilicèt, vel non committenda, eſt, cum quis jurat ſe non animo calumniandi, ſed bona fide quæſtionem moviſſe, & movere, & ſimiliter reus jurat ſe non animo calumniandi reſiſtere; & continet hoc juramentum quinque, ſcilicèt, quod credat ſe bonam cauſam habere: quod interrogatus non negabit: quod verum eſſe credet: quod non utetur ſcientèr falſa probatione: quod dilationem non petat in fraudem: quod non dedit, nec dabit, nec promittet aliquid pro hac cauſa, niſi perſonis illis, quibus leges permittunt. Unde verſus.

Illud juretur, quod lis ſibi juſta videtur.
Et ſi quæretur verum non inficietur:
Nil promittetur, nec falſa probatio detur:
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Juramentum verò de malitia ſcilicèt vitanda, vel non committenda differt à juramento calumniæ in pluribus; quià juramentum calumniæ præſtatur tantùm poſt litem conteſtatam, & tantùm ſemèl in tota lite ab eadem perſona, & habet locum tantùm in prophanis, ſive in temporalibus cauſis, tàm criminalibus, quàm civilibus, non autèm in ſpiritualibus, & per ipſum providetur, ne quid fiat calumnioſè in tota lite: Juramentum autem malitiæ præſtatur, & ante litem conteſtatam, & poſt, & præſtatur toties, quoties aliquid proponitur in judicio, vel petitur fieri, quandò ex malitia procedere præſumitur, & habet locum tàm in prophanis, quàm in ſpiritualibus, & per ipſum providetur nè quid malitioſè proponatur, vel petatur.

Tertium juramentum, ſcilicèt de veritate dicenda differt à juramento calumniæ, quia præſtatur in cauſis ſpiritualibus, illud autem non: Iterum etiàm reſpondetur in eo, de eo, quod quis ſcit: Undè debet ibi reſponderi ſimpliciter: ſcio, vel neſcio; ſed in illo reſpondetur de eo, quod quis credit, *ſecundum Goff. ſed ſecundum Innocen. & Hoſt. extra c. litteras*, etiam in hoc reſpondetur de eo, quod quis credit. Item illud continet plura capitula, ut habitum eſt ſuprà, quæ locum in hoc non habent. Item in illo dilatio non impetratur, cum ſtatim, reſponderi poſſit credo, vel non credo: ſecùs eſt in hoc, quandò reſpondere debet quis de veritate, quam nollet ab aliis diſcere.

Quartum juramentum, ſcilicèt deciſorium defertur tàm in cauſis ſpiritualibus, quàm non ſpiritualibus reo, actore ſufficientèr non probante, niſi judex inſpectis perſonarum, & cauſæ circumſtantiis illud actori viderit deferendum: *Hac dicit Goff. tit. de juram. calun. & Ber. extra c. inhærentes, & cap. cum cauſam.* Et dimiſi probationes gratia brevitatis, quia hæc non ſunt intentionis præſentis.

Nota tamèn, quod *ſecundum Ber. extra c. litteras* magis videtur jurandum de calumnia in cauſis ſpiritualibus, quàm in aliis, quià in illis periculoſiùs calumnioſè litigatur; undè & hodiè in cauſis ſpiritualibus juratur de calumnia, & de veritate, *ut patet in 6. cap. ſi de calumnia*. Eſt etiam aliud juramentum, quod dicitur juramentum in litem: & in hoc juratur de affectione, ut cum quis jurat pro quantò nollet re carere, puta pro c. quandoquè etiàm dicitur jurare quis in litem, cum jurat rem tanti pretii eſſe, vel fuiſſe; *& de hoc c. eodem l. 1. & ff. de in litem jurando l. ſivè.*

Quid ſi agam contra te rei vendicatione, & tù ſcias rem eſſe meam, & nihilominus tù velis reſiſtere propter actionem de evictione, numquid jurando de calumnia peccas? Videtur, quod ſic, quià negas, rem eſſe meam, & mentiris.

Reſpond. *Goff. conſulit in ſumm. tit. de juram. calum.* ut poſt libellum porrectum confitearis veritatem, nec de calumnia jurabis, ex quo fateberis rem eſſe actoris, & non minus conveniretur ſtipulatio de evictione.

ARTICULUS III.

Per quid liceat jurare.

CIrca tertium Articulum quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm liceat jurare per Deum?

II. Utrùm jurare per Deum ſit actus bonus ex genere, vel actus indifferens.

III. Utrum juramentum factum per Deum ſit repetendum, & frequentandum tanquàm utile, & bonum?

IV. Utrùm liceat jurare per aliquam creaturam?

V. Utrùm recipere liceat juramentum ab idolatris factum?

Circa primum, Reſpondeo, quod ſic; & hoc patet primò auctoritate Sacræ Scripturæ: *dicitur enim Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies; ac per nomen illius jurabis*. Itèm legitur Dominum in veteri teſtamento juraſſe in pluribus locis. *Undè in Pſal. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*. Et hoc ad oſtendendum immobilitatem ejus, quod dicitur *ut habetur ad Hæb. 6.* Immò etiam præcepit in veteri teſtamento, *Levit. 10. Reddes Domino juramenta tua. Unde dicit Auguſt. in Serm. de verbis Apoſtoli: ſi peccatum eſſet juratio, non diceretur in lege: reddes Domino juramenta tua: reddimus autem Domino juramenta, quando juramus per Deum*. Secundò patet hoc ratione; & primò ratione originis, quia juramentum eſt introductum ex fide, qua credunt homines habere Deum veritatem infallibilem, & omnium cognitionem, & prævisionem univerſalem. Secundò ratione finis, quià juramentum introducitur ad certificandum homines, & finiendum controverſias, *ut dicitur ad Hæb. 6. ſolo enim juramento creditur, quando de conſcientia alicujus dubitatur: extra de ſent. excom. ſi verò aliquis*; ſed.

Objicitur contrà prædicta illud Matth. 5. *Ego dico vobis non jurare omninò; & illud Jacob. 5. Ante omnia fratres mei; nolite jurare*.

Reſpondeo: Quidam Hæretici, ſcilicèt Manichæi dixerunt omne juramentum eſſe illicitum, non tantùm juramentum factum per creaturam, ſed etiam factum per Deum. Et occaſionem hujuſmodi erroris ſui ſumpſerunt ex verbis præmiſſis, quià neſcierunt diſtinguere; quià alium ſenſum facit negatio præpoſita univerſali ſigno, alium poſtpoſita; præpoſita enim æquipollere facit particulari negativæ, poſtpoſita vero ſuo contrario, idèſt univerſali negativæ: undè differt dicere; non omnis homo currit; & omnis homo non currit; Deus autem non dixit omninò non jurabis, ſed dixit non jurabis omninò; undè non prohibuit omnem jurationem, ſed prohibuit, ne jurarent omni modo, & ſine omni cauſa. *Undè Auguſt. lib. de Mendacio. Hoc ideò dictum eſt, ſcilicèt, ne jurando ad facilitatem jurandi veniatur, & ex facilitate ad conſuetudinem, & ex conſuetudine in perjurium decidatur: Eccl. 23. Vir multum jurans implebitur iniquitate.* Quarè ergò dicit Dominus in Evangelio: *ſit ſermo veſter eſt eſt, non non?* Reſpondeo, quià affirmatio, vel negatio, quæ eſt in corde debet eſſe in ore; Sed quià hominum malitia creſcente non creditur ſimplici aſſertioni; ideò adiunxit: *quod amplius eſt, à malo eſt, non ſcilicèt culpæ, ſed pœnæ, non jurantium, ſed juramentum exigentium*; Nam incredulitas hujuſmodi magis eſt pœna, quàm culpa; Undè non dixit, malum, ſed à malo. Nec tibi fortè videatur, quod Deus in teſtem in vanum invocetur; eo quia non apparet, quod Deus pro ipſo, qui jurat per eum teſtificetur, *quia ſecund. Rich. 3 diſt. 39. q. 1. art. 1. cap. 3.* Si debito modo invocetur manifeſtat, utrum verum ſit, quod dicitur aliquandò in vita iſta: vel movendo corda judicis, & adverſæ partis per aliquam latentem inſpirationem, qua creditur juranti; vel ponendo in palam factum, pro quo juratur, vel dando conſtantiam cordi, & verbo jurantis, quæ quamdam probabilitatem aggenerat, quod juret verum: vel puniendo mentionem, & tunc eſt ſimul teſtis, & judex. Et ſi Deo non placet in hac vita teſtificari per aliquod ſignum; pro certò tamen teſtificabitur in futuro, quando *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, ut dicit 1. Corinth. 4.*

Circa ſecundum, Reſpondeo *ſecundum Rich. ubi ſup. art. eodem cap.* Actuum quidam in ſe ordinem rationis includunt, ſive legis æternæ, ut diligere Deum propter ſe, & ſuper omnia, & aſſentire primæ veritati propter ſe; & hujuſmodi actus non poſſunt eſſe, niſi boni; & ideò non tantùm ſunt ſimpliciter liciti, ſed etiam ſimpliciter appetendi. Aliqui verò in ſe includunt aliquod oppoſitum ordini rationis, ſive ordini legis æternæ, ut adulterari, & plures alii; & hi non poſſunt eſſe, niſi mali; & ideò ſunt illiciti, & ſimpliciter fugiendi. Aliqui autem non includunt in ſe ordinem prædictum, nec aliquid ei oppoſitum, & hi ſunt liciti, quià poſſunt benè fieri; non tamen ſunt ſimpliciter appetendi, quià poſſunt malè fieri, & talis eſt actus jurandi per Deum; ſicut enim dictum eſt ſuprà: jurare per Deum eſt ipſum advocare in teſtem aſſertionis ſuæ; Non autèm quælibet aſſertio eſt debita materia invocationis talis teſtis, nec qualibet eſt illicita materia; ideò actus jurandi per Deum in iſta generalitate dictus non eſt moraliter bonus, neque malus ex genere; jurare tamen verum per Deum eſt actus bonus ex genere, quià tranſit ſuper materiam debitam; Sed quià adhuc non includit ordinem rationis ſimpliciter, nec aliquid incompoſſibile ei, ideò jurare verum, fieri poteſt benè, vel malè. Si autem actus jurandi ſit circumſtantionatus tribus comitibus, includit in ſe ſimpliciter ordinem rationis: & ideò non poteſt eſſe, niſi bonus; undè non tantùm eſt licitus, ſed

etiam

etiàm appetendus: *hæc Rich. ibid.* Et quià actus indifferens poteſt eſſe diverſis ex cauſis occaſio cadendi in malum, & vitandi malum; ideò Dominus monet, & inducit homines aliquandò ad juramentum per Deum, ut in veteri teſtamento, ut per hoc revocarentur à juramento idolorum, cum dicebat: *reddes Domino juramenta tua.* Aliquandò retrahit, ut in novo teſtamento, ut oſtendat periurium eſſe fugiendum: *hæc Bon. 3. diſt. 39. quæſt. 2. art. 1. cap. in fine.*

Circà tertium, Reſpondeo, quod non; *Undè Eccl. 23. vir multum jurans implebitur iniquitate; & Auguſt. in lib. contra mendacium*, dicit, quod præceptum de prohibitione juramenti ad hoc eſt poſitum, ut quantùm eſt in te non affectes, nec quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas iuſiurandum.

Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quod illud, quod non quæritur niſi ad ſubveniendum alicui defectui non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria, ut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubveniendum infirmitati; Juramentum autèm quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quo ſcilicèt unus homo diſcredit alteri; & ideò non eſt habendum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt huic neceſſaria, quibus utitur indebitè, quicunque utitur eis ultrà neceſſitatem; *Undè Auguſt. lib. de Serm. Dom. in monte* dicit: *Qui intelligit non in bonis, ideſt per ſe appetendis, ſed in neceſſariis jurationem habendā ſe refrenet quantum poteſt, ut non cantatur, niſi neceſſitas cogat: hæc Thom. 2. 2. quæſt. 89. art. 5. cap. & ideò Jac. 5.* dicit; *nolite jurare*; oſtendens non tantùm eſſe vitandum actum iurationis ſine cauſa, ſed etiam affectum; Undè monemur circà actum iurationis, propter periculum periurii vitare conſuetudinem, & etiam actum propter neceſſitatem, & vitare affectum, & ad jurandum, non debet quis ire, niſi coactus; Si autèm actus iurandi per Deum ſit cum iſtis tribus comitibus, ſcilicèt, cum iudicio in diſcretione, quæ excluditur in cautela iurandi, & cum veritate in aſſertione, & ex cauſa legitima utendi talis teſtis invocatione, ſic includit in ſe ſimplicitèr ordinem rationis, & eſt latriæ actus. Qui enim Deum invocat aſſertionis ſuæ teſtem, profitetur in eo infallibilem veritatem, & omnium cognitionem, & pravifionem, & ſic Deo exhibet honorem ſibi ſoli debitum; & ideò talis actus non tantùm eſt licitus, ſed etiam appetendus, quià prædicto modo circumſtantionatus, non poteſt eſſe niſi bonus. Si verò aliquis prædictorum trium comitum ibi defuerit, includit aliquod incompoſſibile ordini rationis; & ideò talis actus eſt illicitus, & ſimplicitèr fugiendus, quià cum illo deffectu non poteſt eſſe, niſi malus: *hæc Rich. 3. diſt. 39. q. 1. art. 1. c.*

Circà quartum, Reſpondeo *ſecund. Bon. 3. diſt. 39. quæſt. 2. art. 2. c.* Juramentum duplicitèr habet fieri; quoddam per imprecationem, ut cum dicitur; ità vivat filius meus; & ſecundum hanc formam jurandi creatura ad teſtificandum non invocatur, ſed potiùs ipſi creatori oppignoratur, *ſecund. quod dicit Auguſt.* & eſt licitum, quià licèt omnis creatura ſit creatoris, tamèn bonum, vel ſolatium, quod ex creatura recipimus, & eſt à Deo nobis conceſſum, Deo tanquàm noſtrum oppignorare poſſumus; hoc tamen genus juramenti, *ſecund. quod dicit Aug.* eſt graviſſimum. Aliud verò juramentum fit per ipſius veritatis teſtimonium, & invocationem, ut quando aliquis jurat per aliquem ad invocandum eum in teſtem; Poteſt autèm creatura duplicitèr in teſtimonium invocari; uno modo ſecundùm ſe, & hoc non licèt, quià ſic crederetur, quod aliquid Numinis eſſet in ea, ratione cujus veritas poſſet dici, & per hujuſmodi teſtimonium confirmari. *Et ſic dicitur Matth. 5. Nolite jurare, nec per cœlum, quià thronus Dei eſt*; & ibi dicit *Gloſſ quod perfectionis eſt docuit, cum dixit: non jurare omninò, quod verò ſuperſtitioſum eſt reſecavit, cum ſubdit: nec per cœlum &c. Hæc Bon. ibid.* Sic etiam intelligitur *illud. 22. q. 1. ſi quis per capillum, &c. conſidera* prohibet etiam ne juretur per caput, vel capillos Dei, proptèr quoſdam Hæreticos, qui ex quadam ruſticana ſimplicitate dixerunt Deum habere humana membra, cum tamèn Deus ſit ſpiritus incorporeus *ut 24. quæſt. ſi. c. penul. §. ſi. v. Antropomorphitæ* ſic dicti, quià Deum putabant hominem; antropos enim græcè dicitur homo latinè; perſona tamèn filii, ſcilicèt Chriſtus eſt Deus, & homo; *extrà de hær. cum Chriſtus*; jurare tamèn per creaturas non eſt malum, ubi eſt permiſſum à jure, neque illicitum, *ſecund. Hoſt. ut dicetur. ibi poſt pauca*; quod autèm dictum eſt; non debere per creaturas, vel per membra creaturarum jurari verum eſt ab initio; hoc enim prohibetur, ne Dei honor ad creaturam transferatur; porrò ex quo eſt juratum perindè habetur ac ſi eſſet juratum per Deum; nàm qui jurat in cœlo iurat in Dei throno, & in eo, qui ſedet ſuper ipſum, *ut extrà c. de jurejur. & ſi Chriſtus*; licèt enim multa prohibeantur, tamèn facta tenent, *extrà c. quamad. §. quià ſi poſt hujuſmodi*. Alio modo poteſt creatura invocari in teſtem, in quantùm relucèt in ea divinæ veritatis veſtigium, & ſic licet iurare per creaturam; hoc enim nihil aliud eſt, quàm iurare per eum, qui relucèt in creatura; undè tunc non veneramur creaturam, ſed Creatorem: *Et ſic dicit Apoſt. 1. Corinth. 2. Quotidiè morior per gloriam veſtram fratres, ubi ſecund. Auguſt. juravit Apoſtolus.*

Sciendum autèm *ſecund. Hoſt.* quod iurare poſſumus per Crucem Sacratam, & in manu Epiſcopi. 22. *quæſt. 5. qui perjurat*; itèm per Evangelium. 22. *quæſt. 1. ſi aliqui*; itèm per ordinem, 1. *quæſt. 7. quoties*; itèm per ſalutem Principis. *ff. e l. 3. §. fin. & in dicto c. quoties*; quià intelligitur iurare per Deum, cuius iudicio ſalus principis conſiſtit; ſed hodiè non videtur, quod ſic

ſic ſit iurandum, licèt hoc fuerit antiquis Patribus conceſſum, *art. 22. quæſt. 1. §. ſic etiàm, cum in lib. Machabeor. ſed objicitur quià Joſeph*; itèm per altare, ſeù reliquias 22. *quæſt. 1. habemus*; itèm per fidei interpoſitionem, *extra de his, quæ metus cau. ad aures, hæc Hoſt. Goff. & Ray. & Ber. extra c. & ſi Chriſtus*. Qui autèm iurat per creaturam non conceſſam debet, *ſecun. Ray.* acerrimè fuſtigari, & ſi perſtiterit in vitio, nolens ſe corrigere, debet excommunicari; Qui autem iuraverit per Capillum Dei, vel alitèr blaſphemiam dixerit contrà Deum, ſi ſit Clericus debet deponi, ſi ſit laicus debet anathematizari: 22. *quæſt. 1. Clericum ſi quis per Capillum*: Blaſphemiam *credit Rodun* eſſe, quandò aliquis iurat per membra Domini, quæ in aliis hominibus reputantur inhoneſta; undè talis mortaliter peccat; qui verò iurat per membra Domini, quæ non cenſentur turpia, vel inhoneſta, non peccat mortaliter, niſi duceret in conſuetudinem, ut faciunt ribaldi, *hæc Rodun.*

Circà quintum, Reſpondeo, quod contingit idolatram iurare in forma conceſſa, & in forma prohibita; ſi iurat primò modo non iurat ſicut idolatra, & ſic licet iuramentum ab eo recipere in aliquo caſu, & in aliquo non; aut enim ille, qui exigit eſt perſona publica, aut privata; ſi publica quantum eſt ex ordine iuris poteſt, & debet ut iudex exigere; ſi privata, aut exigit ad veritatis confirmationem, aut ad vitandam ſubverſionem, aut ad ſuæ dubitationis remotionem; primò modo poteſt recipi iuramentum ſine ullo pacto, ſcilicèt, cum ad hoc exigitur ſolùm, ut firmior ſit illa promiſſio, & veritatis aſſertio; ſecundò modo non poteſt eſſe ſinè mortali peccato, ut cum quis cogit aliquem iurare, quèm novit iurare falſum; tertiò quià ſuſpicatur, ne homo ſinè iuramento dicat ſibi falſitatem, tunc ſi ſuſpicio illa ſiſtat in generali, talis exactio tenet potiùs rationem pœnæ, quàm culpæ; Si verò deſcendat ad ſpeciale, ſic eſt peccatum veniale, dùm de proximo ſuo malam habet ſuſpicionem; & ideò *dicit. Gloſſ.* quod amplius eſt à malo eſt, ſcilicèt non credentis; non inquam eſt ſemper à malo culpæ, ſed etiàm à malo pœnæ; & ſic licet iuramentum recipere ab idolatris, & infidelibus, ſicut à Chriſtianis & fidelibus.

Si autèm idolatra iuret in forma prohibita, tunc dico, quod in iuramento facto per idolum eſt duo conſiderare, ſcilicèt idoli venerationem, & exterioris verbi confirmationem; Si habeatur reſpectus ad primum nulli licèt iuramentum ab idolatra recipere, vel exigere, nec facere, quià Idoli veneratio eſt omninò deteſtanda; ideò dicitur *Exod. 23. Per nomen exteriorum deorum non jurabitis*; Si verò habeatur reſpectus ad ſecundum, ſic licet ab eis recipere, maximè pro bono communi, & ſic recepit Jacob à Laban ſocero ſuo; qui erat idolatra; quod patet per hoc, quià Rachel ſibi furata fuerat idola pro bono ſuæ poſteritatis; Sic etiam Chriſtiani iuramentum à Saracenis recipiunt pro pace, & utilitate communitatis; undè, licèt iurare per idolum ſit illicitum, quià illa eſt forma prohibita, tamèn, ubi eſt neceſſitas, & comunis utilitas hoc exigit, licet recipere tale iuramentum; *Et hoc vult Auguſt. in Ep. ad Publicolam, hoc etiàm habetur 22. quæſt. 1. movet te. Hæc Bon. 3. diſt. 39. q. art. 3. c.*

ARTICULUS IV.

De Comitibus juramenti.

SEquitur videre de quarto Articulo, ſcilicèt de Comitibus juramenti. Circa quòd ſciendum, quòd juramentum habet, & debet habere tres Comites, ſcilicet Veritatem, Judicium, & Juſtitiam. *Hier. 4. jurabitis, vivit Dominus in veritate, & judicio, & juſtitia, ut extra c., & ſi Chriſt. §. quod autem jacob, & §. jacobus, & 22. q. 2. ad inadvertendum, & 22. q. 1. & jurabunt.*, ratio autem hujus eſt *ſecund. Bon. 3. diſt. 39. q. circa litt.* Q. 1., quià juramentum comparatur ad tria, ſcilicèt ad jurantem, à quo procedit, & ſic debetur ſibi judicium, ad rem, de qua ſit, & ſic debetur ſibi veritas, ut ſit adæquatio ſermonis, & rei, ad cauſam, pro qua ſit, & ſic debetur ſibi juſtitia, ſcilicèt, ut pro cauſa juſta fiat. Et quià omne juramentum habet omnes iſtos tres reſpectus, ideò omne juramentum iſtos tres Comites debet habere; Sermo enim noſter dubius eſt, *ſecund. quòd dici. Sap. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prævidentiæ noſtræ*, ideò, ut ſermo noſter per divinam veritatem confirmetur, indiget comitibus ipſum regentibus, ne ſit diſſimilis invocatæ veritati: *hæc Bo. ibid.* Alitèr verò prædicta tria diſtinguit *Alex. Au. 3. tit. 1. in expoſit. ſecundi præcep. in principio, ut habitum eſt in tit. præced.*

Debet ergò ibi eſſe veritas ſemper in conſcientia, ideſt, ut firmitèr ſciat ità eſſe; aliàs ſi tantùm credat, non debet de ſcientia, ſed de credulitate jurare; debet etiam ibi eſſe judicium, ideſt deliberatio diſcreta, ſcilicèt, ut non juret etiàm verum quis, niſi propter neceſſitatem, ut quandò perſuadet alicui aliquod verùm, quòd expedit ei, vel eſt utile credere, & tamen non vult aſſertioni ſimplici credere: *hæc Ray*; Ideò ſecund. Hoſt. furioſi non poſſunt jurare, nec pupilli proximi infantiæ, *extra de ſuc. ab inteſ. c. ſi. & 22. q. 5. parvuli, nec pueri, & extra quod magiſtri. accu. poſſ. cap. fin.*; Et eſt verùm, quià in iudicio, ideſt coram iudice non recipitur iuramentum pupilli; unde nec poteſt eſſe teſtis. *4. q. 3. c. 1.*; Sed extra iudicium poteſt iurare, & deiurare, ex quo habet ſenſum, *ut extra de delict. pr. cap. 1. pueris*; hoc intellige, ſi ſit capax doli, aliter non tenetur; vel fortè capax doli non obligatur, niſi patre conſentiente iuraverit, vel ſi pater non contradixerit, quamcitò ſcivit, aliàs contra, *ut 22. q. 5. pueri*; in caſu tamèn conveniri poteſt quis ratione

iuramenti præſtiti, dum erat impubes, ut ſi impubes iuraverit ſe præſtiturum operas, ipſe poſteà factus pubes de hoc poteſt cõveniri *ff. de lib. capu. l. ult.*; tale autèm iuramentum, quod ſcilicèt caret iudicio, ideſt diſcretione dicitur temerarium; & ideò non ſervandum, *ut extra c. ſicut. Hęc Hoſtien.*; debet etiam in iuramento eſſe iuſtitia, ut ſcilicèt illud, quod iuratur, ſit licitum, & honeſtum. 22. *q.* 1. *ità ergò, & extra c.*, *& ſi Chriſtus.*

ARTICULUS V.

De Cauſis liciti iuramenti.

SEquitur videre de quinto, ſcilicet de cauſis, propter quas licet iurare. Circa quod: notandum *ſecund. Alex. An.* 3. *t.* 1. *in expoſit.* 2. *præcep.*, quod hæ ſunt multæ; quarum quædam ſunt ex parte boni inducendi; quædam ex parte mali vitandi. Ex parte boni ſunt ſeptem, ſcilicèt, pro veritate confirmanda. 2. *Corinth.* 1. *fidelis Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST, & NON.* Item pro veritate declaranda. *Deut.* 19. *in ore duorum, aut trium ſtat omne verbum*; quià ſecundum iura non eſt teſtis, niſi iuratus; Itèm pro amicitia contrahenda *Gen.* 26. dixerunt Viri Geraræ ad Iſaac. *Sit iuramentum inter nos*; Itèm pro pace reformanda *Gen.* 31. Jacob iuravit Laban, *Et extra de Judic. Novit.* Itèm pro fidelitate ſervanda 2. *Reg.* 5. *venerunt ſeniores Iſrael ad Regem, & percuſſit cum eis fœdus coram Domino*; Itèm pro obedientia, & ſubiectione recognoſcenda, ſicut iuraverunt viri Galaad ipſi Jephte. *Jud.* 11. *Dominus, qui hæc audivit ipſe mediator, & teſtis eſt, quod noſtra promiſſa faciemus*, Itèm pro conſuetndine Eccleſiæ ſervanda, ut Canonici. *Exod.* 24. filii Iſrael data lege iuraverunt ſe Domino ſervituros. Hæ ergò ſeptem cauſæ ſunt jurandi propter bonum introducendum, propter malum verò amovendum ſunt duæ, ſcilicèt calumnia ſopienda, ut quandò ſit iuramentum de calumnia in conteſtatione litis *Heb.* 6. *omnis controverſiæ ad confirmationem finis eſt iuramentum*; & pro infamia purganda *Deut.* 21. *Si inventum fuerit cadaver hominis occiſi, majores natu civitatis illius lavabunt manus ſuas ſuper vitulam. Hæc Alex. An. ibidem Hoſt. verò eod. tit.* ponit ſeptē cauſas, propter quas licet jurare; ad quas tamen ſupradictæ novem poſſunt reduci, ſi quis attendat; Hæ autèm ſeptem cauſæ his verſibus continentur.

Pax, & fama, fides, reverentia, cautio, damnum.
Defectus veri ſibi poſſunt jura caveri.

Sub reverentia comprehenditur ibi obedientia. De pace *extrà de judic. Novit.*; de fama *extra de purg. ca. per totum*; de reverentia *extra c. nullus*; de cautione damni *extrà quod metus cau. c.* 1., de fide, obedientia, & veritate, *extra de elec. ſignificaſti*. Prædictas etiàm cauſas ponit *Bern. extra c. nullus*. Ponit etiàm *Ray. ti. de rapt.* ſeptem caſus, in quibus debent præsbyteri, vel Clerici jurare, ſicut Laici. Septimus caſus eſt cùm abſolvitur ab excommunicatione; ſex verò caſus in prædictis verſibus tanguntur.

ARTICULUS VI.

De Forma juramenti.

SEquitur videre de ſexto, ſcilicèt de forma iuramenti; *De hoc not. Bon.* 3. *di.* 39 *q. circa litteram*, *q.* 3. quòd in forma iuramenti ipſa veritas introducitur in teſtimonium; Et hoc poteſt eſſe multipiicitèr; Aut in quantum tenet rationē principantis, & ſic iuratur per Deum, ità quod *per* importat habitudinem principantis; aut inquantum tenet habitudinem principantis, & cognoſcentis; & ſic eſt hæc forma: Teſtis eſt mihi Deus, ſivè ſcit Dèus, quòd idem eſt; *Rom.* 1., aut in quantùm tenet habitudinem retribuentis reſpectu bonorum, & ſic iuratur, vivit Deus, ſcilicèt, qui vitam aliis tribuit. 1. *Reg.* 14. vivit anima mea, ſcilicètDei beneficio. Aut in quantum tenet habitudinem retribuentis reſpectu malorum, & ſic iuratur in hac forma: hoc faciat mihi Deus, & hæc addat. 4. *Reg.* 6.

Et quoniàm divina veritas nùnc manifeſtè adducitur ad confirmationem veritatis tanquàm omnis veritatis principium, & exemplar, hinc eſt, quod in nova lege duplicitèr iuratur, ſcilicèt ſecundùm primam formam, & ſecundam. Quià verò tempore primitivæ Eccleſię veritas non dum erat plenè manifeſta, ſed indigebat maiori evidentia, hinc eſt, quod tenebatur tunc iſta forma: teſtis eſt mihi Deus; quià verò in veteri teſtamento conſiderabatur divina veritas ut iudicans, & ulciſcens, & remunerans, quià ſub ratione ſeveritatis, & æquitatis, hinc eſt, quod duplicem formam in veteri teſtamento ſervabant, ſcilicèt, vivit Deus, & hoc faciat mihi Deus, & hoc addat.

Si quæratur, cum aliquandò iuremus per hanc propoſitionem *per*, aliquandò per hanc præpoſitionem *in* ſecundùm quòd *dicit Apo. ad Roman.* 9. *dico in Chriſto Jeſu, & non mentior*, quę ſit inter has differentia; dicendum eſt, quòd *per* magis dicit ipſam veritatem ſub ratione teſtificationis, & principii, hæc autem præpoſitio *in* importat habitudinem divinæ veritatis ſub ratione teſtificantis, & exemplantis; Undè ſecundùm rem idem eſt iurare in Deo, & per Deum, & dicere teſtis eſt mihi Deus; licet ſit differentia ex parte modi dicēdi. *Hæc Bon. ibid.* Itèm qui iurat in animas aliorum, non quod ſibi videtur, ſed quod didicit ab his, in quorum animas iurat dicere tenetur; Undè debet iurare ſic: Juro in animas talium, quià ipſi veritatem, quàm de hoc ſciunt, per me dicent. *lib. 6. de Teſt. cap. præſentium.*

AR-

ARTICULUS VII.

De Obligatione Juramenti.

SEquitur videre de ſeptimo Articulo, ſcilicèt de obligatione iuramenti, & quidèm.

I. Utrùm iuramentum ſit obligatorium?

II. Utrùm iuramentum factum per Deum ſit magis obligatorium, quàm factum per evangelium, vel è converſò?

III. Utrùm iuramentum doloſum ſit obligatorium?

IV. Utrùm iuramentum incautum ſit obligatorium?

V. Utrùm iuramentum coactum ſit obligatorium?

VI. Utrùm iuramentum ab idolatra factum ſit obligatorium?

Circa primum, reſpondeo *ſecund. Thom. 2. 2. q. 86. art 7.*, quòd obligatio refertur ad aliquod, quòd eſt faciendum, vel dimittendum; undè nõ videtur reſpicere juramentum aſſertorium, quòd eſt de præſenti, vel de præterito, nec etiàm juramentum de his, quæ ſunt per alias cauſas facienda, ut ſi quis juramento aſſereret, quòd pluvia cràs futura eſſet; ſed tantùm juramentum de his, quæ ſunt facienda per illum, qui jurat. Sicùt autèm iuramentum aſſertorium, quod eſt de præſenti, vel de præterito debet habere veritatem, ità & iuramentum de his, quæ ſunt à nobis facienda in futurum; Et ideò plerumque juramentum habet quamdam obligationem, diverſo tamen reſpectu, quià in jurando, quod eſt de præterito, vel de præſenti eſt obligatio non reſpectu rei, quæ jam fuit, vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus jurandi, ut ſcilicèt iuret, quià iàm verum eſt, vel fuit. Sed in iuramento promiſſorio cadit obligatio è converſo ſuper rem, quàm affirmavit aliquis iuramento, tenetur enim aliis facere verum eſſe illud, quòd iuravit, alioquin deeſt veritas iuramento; ſi autem ſit talis res, quæ in eius poteſtate non fuit, deeſt iuramento diſcretionis iudicium, niſi fortè, quod ei erat poſſibile, quandò iuravit, reddatur ei impoſſibile per aliquem eventum; ſi verò ſit poſſibile fieri, ſed non debeat, quià eſt per ſe malum, vel quià eſt boni impedimentum, tunc iuramento deeſt iuſtitia; Et ideò iuramentum non obſervandum in eo caſu, in quo eſt peccatum, vel boni impedimentum; *Secund. enim Aug.* utrumque eorum vergit in deteriorem exitum.

Sic ergò dicendum, quòd quicumque iurat aliquod ſe facturùm, obligatur ad illud faciendum, ad hoc, quòd veritas impleatur, ſi tamèn alii duo Comites adſint, ſcilicèt iudicium, & iuſtitia. *Hæc Tho ibid.* Omninò enim ſervandum eſt iuramentum, quod ſervari poteſt ſine interitu ſalutis æternę, *extra c. ſi verò aliquis Beda tamen veriùs loquitur 22. q. 4. ſi aliquid, ubi ſecund. Rod.* innuit à contrario ſenſu, quod iuramentum eſt ſervandum, quandò non vergit in peiorem exitum; *Et ſecund. illud dictum Bedæ debet intelligi illud c.* quòd iuramentum ſervari debet, quandò ſervari poteſt ſine interitu ſalutis æternæ, ut idem ſit interitus ſalutis æternæ, quod peior exitus, ne videatur obſervandum eſſe, ſi quis iuraverit ſe facturum aliquod veniale; cùm veniale fieri poſſit ſine interitu ſalutis ęternæ. *hæc Rodou.*

Quid ſi quis propter hoc, quòd iuraverit, quòd ſuperfluè comederet, vel otioſa verba diceret, ſuperfluè comedit, vel otioſè locutus fuit? Reſpondeo; *Hug. notavit 22. q. 4. ſi aliquid*; quòd mortalitèr peccat, quia facit contra illud: *in malis promiſſis reſcinde fidem, 22. q. 4. in malis.* Rod. verò dicit, quòd non peccat, niſi venialitèr, quià *illud ca. ſcilicèt in malis*, licèt intelligatur extendi ad venialia, quantum ad illa non eſt præceptum, ſed conſilium. Et hoc mihi magis placet.

Circa ſecundùm, reſpondeo *ſecund. Ray.* Qui iurat per Deum multum obligatur, qui vero per Deum, & Evangelia, magis obligatur, qui verò his addit Sanctorum reliquias, magis obligatur, & ità creſcente ſolemnitate, obligatio creſcit; *hæc Ray.* Si verò unus iurat per Deum, alius per Evangelium, *Jo: Chriſ.* dicere videtur, quòd maius eſt iurare per Deum; Undè dicit contrà quoſdam, qui contrarium credebant. *O ſtulti, ſcripturę propter Deum ſunt factæ, non Deus propter ſcripturas 22. q. 1. ſi aliq. ca.*, Et hoc eſt verum cæteris paribus, *ſecundùm Bon. 3. diſ. 39. q. circa litt. q. 2.*, quià quantò illud, pro quo iuratur eſt ſanctiùs, tantò iuramentum magis obligat, ſcilicèt cæteris paribus. *Et ſecund. Inn. extra. c. & ſi Chriſtus*, ibi eſt maior contemptus in periurio; *Et idem vult. Tho. 2. 2. q. 89. art. 10. cap. 2.* ſolet tamen dici communiter à Doctoribus, *ut dicit Ray.*, quod ſi utrumqoe iuramentum æquè ſolemnitèr fiat, æquè obligat; ſi verò alterum ſolemnitèr fiat, alterum verò non ſolemnitèr, magis obligat quoad Eccleſiam ſolemnitèr factũ, & propter eius tranſgreſſionem debet iniungi pœnitentia maior, ſed quantum ad Deum ęquè obligat utrumq; *extra q. Clerici; rursùs hæc Ray.*

Si dicatur, quod quantò iuramentum eſt ſolemniùs, tantò magis obligat, ſed cùm maiori ſolemnitate ſolet fieri iuramentum, quod fit per Evangelium, quàm, quod fit per Deum, ergò magis obligat. Reſp. Bon. *ibid. cap. 11.*, quod non tantùm fit iuramentum per Evangelium, ſed per Dei Evangelium; ita quod non tantum iuratio ſit ad Deum habitualiter ratione ſui effectus, ſed etiàm actualiter in ſe, & ad humanitatem aſſumptam, & ad veritatem propalatam, & ideò tale iuramentum rationabilitèr debet fieri cùm maiori ſolemnitate, & magis habet obligare; Vel poteſt dici, quod hoc accidit per ſolemnitatem ſuperadditam, quæ in forma illa ab omnibus obſervatur; *Unde extra c. & ſi Chriſ. dic. Inno.*, quod in iuràmentis, quæ ius præcipit, ut eſt iuramentum teſtis, & de calumnia, ſemper eſt iurandum ſuper Sancta Dei Evangelia. *extra de juram. calumn. c. ſi. & 2. q. 1. teſtimonium*; Et idem eſt de omnibus aliis iuramentis, quæ à iure, vel iudice, vel partibus

tibus neceſſariò deferuntur; Idem eſt etiàm ſi qui promiſerint aliquid iurare nulla forma diſtincta. *Et idem dic. Hoſt. ſup. cap. & ſi Chriſ.*

Circa tertium. Reſpondeo; hic eſt duplex modus dicendi. Unus eſt probabilis, *ſecund. Bon. 3. diſ. 39. q. 3. art. 1. c.* ſcilicèt, quià obligatio iuramenti eſt voluntaria, ſicut obligatio voti, & matrimonii; & ideò ſicut matrimonium non eſt verum, niſi ſit ibi interior conſenſus; nec votum eſt obligatorium, niſi ſit intentio obligandi, ſic nec ipſum iuramentum doloſum dicendum eſt ſimplicitèr obligatorium, in quo quis ſic iurat, ut per illa verba obligare ſe non intendat. Duplex enim eſt forum, ſcilicèt forum Eccleſiæ, & forum conſcientiæ, ſecundum forum Eccleſiæ, iuramentum tale eſt obligatorium; Eccleſia enim iudicat de his, quæ exterius obligare poſſunt; undè cùm verba obligationem exprimant, iudicat ſic iurantem obligari ad illud, quod inſinuat; In foro autèm Dei, qui iudicat ſecundùm ſecreta conſcientiæ, & ſecundùm veritatem, iſte non obligatur, quià ſe noluit obligare; *Undè Greg. 27. moral.*, *& habetur 22. q. 5. humanæ*, dicit, quòd verba deſerviunt intentioni, & Deus talia verba iudicat, quàlia ex intimis proferuntur; Qui tamèn doloſè juravit, & nomen Dei in vanum aſſumpſit, ſtatim in illo actu periurium commiſit, nec reportat commodum de malitia, nec in foro Eccleſiæ, imò cogetur ab ea iuramentum tenere, nec in foro Dei, quià ex illo iuramento apud Deum iudicatur dignus pœna æterna; Et ſi veniat ad pœnitentiam, iniungi debet ei magna pœna, & ſanum conſilium eſt, & decens, quod imponatur ſibi, quod iuramentum, in quo proximum decipere intendebat, impleat; *hæc Bon. ibid*: Cavere debet etiàm indemnitati proximi, quem doloſè iurando decepit, *ut dicit Ricc. 3. diſt. 39. q. 2. art. 2. c.*

Sed obiicitur, quod Iſid. *2. lib de ſum. bo. cap. 31. & hab. 22. quæſt. 5. quacumque arte verborum quis jurat, Deus ſic accipit, ſicut ille cui juratur intelligit ergò &c.* Reſpondeo *ſecundum Bon. 3. diſt. 39. quæſt. 3. art. 1. cap. 1.* Hęc dicit Iſid. non quià ipſe Deus ad hoc reputet hominem obligatum, ſed quià ex hoc, quod ille non intendit iurare, ſicut ille intendebat recipere, Deus, qui hoc requirebat ex veritate, & iuſtitia, reputat ipſum obligatum ad pœnam; Vel poteſt ille ſermo cauſalitèr intelligi, ut dicatur, quod Deus ſic accipit, quià ſic vult accipi ab ipſa Eccleſia, & vult etiàm iudicari.

Alius modus dicendi eſt, quod iuramentum doloſum ſimplicitèr obligat, quià & ſi doloſus intendat alium decipere, intendit tamèn obligatoria verba dicere, & dùm illa dicit ſpontè obligatur, nec aliquo modo per dolum cordis excuſatur; quià tamèn non tantùm recipiens, ſed etiam Deus accipit verba in ſenſu, quem faciunt; & ideò non tantùm quantùm ad homines, ſed etiàm quantùm ad Deum obligatur. Pro hac opinione eſt *illud. c. quacunque, & quod fraus, & dolus nemini debent patrocinari extra de reſcrip. ſedes, & de dolo, & cont. ex litteris.*

Præterea; In verbis conſiſtunt contractus, in quibus unus homo alteri obligatur; & ſi non obligaretur quis ex verbis, cum intentio nulli pateat, nullus ſciret, utrum quis ſibi obligatus eſſet, ergò fruſtratorii eſſent contractus, quod dicere eſt inconveniens. Et huiuſmodi ſententiæ eſt *Ray, & Rod. Undè dicit Ray. e. t. in fin.* quod ſi iurans, vel recipiens iuramentum habeat dolum ſemper debet accipi iuramentum ſecundùm intentionem illius, qui non habet dolum, vel artem. *22. quæſt. 5. §. ſi ergò c 4. & c. q. perjurare, & §. ex his; & idem dicit Hoſt. & ſecund. Rod.* debet intelligi de dolo malo, quià ſi quis à me iuramentum extorqueat violentèr, quod præſtare non teneor, ille peccat extorquendo. Et ſi ego ad elidendam malitiam eius verbis duplicibus utar, intelligens in alio ſenſu, quàm ipſe, non credo peccare. *Hæc Rod. Diſtinguit autèm Gratia: in dicto §. ex his, ſic. Aut uterque, ſcilicèt jurans, & juramentum recipiens habet puram intentionem, & tunc ſunt accipienda verba ſecundum quod melius aptari poſſunt intentioni utriuſque; aut uterque habet dolum, & tunc fieri debet interpretatio verborum ſecundum communem intelligentiam, non ſecundum utilitatem jurantis, vel recipientis, ſed publicè ſtatus, ne res pereat. extra de ſpon. ex litt. aut alter tantùm habet dolum, & tunc fieri debet interpretatio pro eo, qui non habet dolum, ut in c. quacunque.*

Quod autèm dicunt tenentes opinionem primam, ſcilicèt, quod obligatio voti, & iuramenti procedit ſecundum eumdem modum, dicunt tenentes opinionem ſecundam non eſſe verum, quià votum propriè fit Deo, ſed iuramentum homini; & ideò obligatio contrahitur alitèr in uno quàm in alio, quià in voto contrahitur per intentionem, quàm Deus videt, ſed in iuramento per deliberatam verborum atteſtationem; in matrimonio verò per conſenſum verbis expreſſum, *extra de ſpon. cum locum*; Et ideò non eſt ſimile; & circa hoc ſcilicèt matrimonium, diſtinguendum eſt de foro, ſcilicèt, quod duplex eſt forum, ſcilicèt Dei, & Eccleſiæ.

Si verò quęratur quandò ſunt verba duplicia, ità quod dolus non intervenit, cujus intentioni ſtandum ſit. Dicendum *ſecund. Bon. 3. diſt. 39. q. 3. Art. 1. in fine articuli*, quod verba illa multiplicia, ſi magis prætendunt unum ſenſum, illi intentioni ſtandum eſt, quod illum intellexit; ſi verò indifferentèr ſe habent ad utrumque, cum neutrum probari poſſit, ſtandum eſt judicio bonorum virorum, qui penſatis conjecturis, & rationibus condeſcendere debent ſaniori, & puriori intentioni. *Hæc Bon. ibid. Petrus autèm dicit 3. di. 39. quæſt. 2. art. 8. c.* quod quandò verbum eſt multiplex, aut jurans jurat fraudolentèr, & tunc ſtandum eſt intellectui recipientis, ne ex hoc dolo illius decipiatur; aut jurans jurat ſimpli-

plicitèr, & tunc ſtandum eſt intellectui ejus, & *illud vult Thom. 3. diſt. 39. art. 3. quæſtiuncula 3.*

Quid de uxore ſuſpecta de adulterio, quod ipſa commiſit; Numquid poſtquàm de peccato confeſſa fuit, & pœnituit, jurare poteſt, quod de adulterio in culpa non ſit, propter vitandum ſcandalum viri, qui non poteſt alitèr placari, niſi hoc juret, & ad hoc eam cogit? Reſpondet Rod; quod potiùs debet omnia mala tolerare, quàm hujuſmodi temerarium juramentum ſubire, cum nondum poſſit eſſe certa, quod hujuſmodi culpa ſit ei remiſſa, *ut extra de pur. can. accepimus*; ſi tamèn talis mulier compulſa juſto metu juraret ſub verbis duplicibus, quæ continent verum in uno ſenſu, & in illo ſenſu intellegeret, licèt vir alitèr intelligeret, fortè non peccaret, ſi per cautelam hujuſmodi malitiam ejus excluderet.

Circà quartùm, reſpondeo *ſecund. Ricc. 3. diſt. 39. quæſt. 2. art. 3. c.* Juramentum poteſt eſſe incautum; aùt ratione ejus, quod eſt juratum; aùt ratione modi jurandi; ſi ſecundo modo, hoc duplicitèr; Aut quià eſt factum cum deliberatione, & ſic non obligat de neceſſitate, ſed de congruitate tantùm, ſi ſit licitum illud, quod eſt juratum. *Rod. autèm dicit*, quod in hoc caſu ſufficit ad hoc, quod ſit obligatus, quod intendat inducere Deum teſtem; Aut quià non eſt factum cum debita reverentia, & ſic peccat homo jurando, qui obligatur ad obſervandum quod iuravit, ſi licitum eſt quod iuravit. Juramentum autèm incautum ratione eius, quod juratum eſt, eſt omne illud iuramentum, cuius iuratum derogat charitati; & nullum tale iuramentum obligat iurantem ad obſervandum quod iurat; & quià omnia divina præcepta, & conſilia ordinantur ad charitatem, *quià ut dic. 1. Tim. 1.* finis præcepti eſt charitas, nullum iuramentum eſt obligatorium, quod derogat alicui præcepto divino, ſeu conſilio.

Quià etiàm quodlibèt peccatum mortale derogat alicui præcepto divino, quià eſt contrà aliquod divinum præceptũ, & etiàm quodlibèt peccatum veniale derogat alicui præcepto divino, in quantùm eſt quædam obliquatio à rectitudine divinorum præceptorum, & diſpoſitio ad mortale peccatum, ideò nullum juramentum de faciendo aliquod peccatum mortale, vel veniale eſt obligatorium, 23. *q. 4. diffinitio, & c. ſi quis*; quià etiàm divina conſilia ſunt de bonis operibus ſupererogationis, & perfectionis, ideò nullum juramentum de non faciendo aliquod bonum ſupererogationis, vel de faciendo contrarium bonis operibus ſupererogationis obligat. Nec etiàm iuramentum de non faciendo ea, quæ meliùs eſt facere, quàm non facere, vel de faciendo ea, quæ melius eſt non facere, quàm facere; Ideò iurans, quod non tenebit aliquem in ſuo ſervitio, quèm aliàs eſſet meliùs retinere, quàm non retinere, vel quod non loquetur cùm proximo, cùm quo aliàs meliùs eſſet loqui, quàm non loqui, vel quod non faciet ſibi conſolationem, vel ſubventionem temporalem, vel ſpiritualem, quod aliàs meliùs eſſet facere, quàm non facere, vel quod non viſitabit infirmum in domo ſua, quèm aliàs meliùs eſſet viſitare in domo, quàm non viſitare; ſic de ſimilibus, non obligatur ad obſervandum quod iuravit; Quià etiàm ſtatus religionis, & prælationis ſunt ſtatus perfectionis; ideò qui iurat nunquàm ſe intraturum religionem, vel non recepturum prælationem non obligatur ad obſervandum, quod iuravit; *Et idem ſentit Thom. 3. di. 39. art. 3. quæſtiuncula p. o. dicens*, quod talis periurium incurrit propter defectum iudicii, & ideò quandò facit, quod eſt melius non eſt periurium, ſed periurio contrarium. *idem di Rod.* de omnibus enim talibus iuramentis intelligitur illud, quod *habetur 22. quæſt. 4. & recitat magiſt. ſent. lib. 3. di. 38. c. in malis promiſſis, reſcinde fidem; in turpi voto, muta decretum; quod incautè voviſti, non facias, & eadem q. ſi aliquid fortè incautius nos juraſſe contigerit, quod ſervatum vergat in pejorem exitum, illud ſalubriori conſilio mutandum noverimus. Contrarium ſentit Hoſt. e. tit. §. ex quibus cauſis v. quod.*

Propter tamèn reverentiam divini nominis invocati, & ad punitionem temeritatis ſic iurantium, & propter reverentiam eorum, qui præſunt non debet auctoritate propria venire contrà quodlibèt iuramentum incautum, ſed pro aliquibus recurrere debet ad aliquem ſuperiorem ſuum, qui à tali iuramento debèt abſolvere ipſum, vel declarare eum non obligatum, maximè, quandò poteſt oriri dubium, utrùm obſervatum vergat in peiorem exitum, quàm non obſervatum. Contrà tamèn quodlibèt iuramentum, quod derogat charitati, vel eius perfectioni, vel diſponentibus ad eam, poteſt homo pervenire proprià auctoritate in caſu neceſſitatis.

Sed obiicitur contrà prædicta, quod 22. *quæſt. 4. innocens §. finali: dicitur*, quod illicitum iuramentum obſervari prohibetur, non eſt intelligendum generalitèr. Videtur etiàm ibidem ſentire Gratianus, quod iuramentum de non ſumendo veſtem religionis, nulla auctoritate prohibetur ſervari; Præterea *di. 85. Florentinum* videtur Gratianus velle, quod ſi quis tactis Sacroſanctis Evangeliis iuret ſe non recepturum Epiſcopatum, & poſteà eligatur, eſt repellendus; quod non videtur verum, niſi tale iuramentum eſſet ſervandum.

Reſpondeo ad hæc tria, ad primam dicendum, quod ibi non debet teneri Gratianus. Ad ſecundùm dicendum, quod licèt tale iuramentum nulla auctoritate prohibeatur obſervari, non tamèn præcipitur ſervari; Et ideò non ſequitur, quod homo per tale iuramentum obligetur. Ad tertium dicendum, quod ille, qui iurat ſe nunquàm recepturum Epiſcopatum non repellitur ab Epiſcopatu, quià tale iuramentum obliget, ſed

quià ſic ſolemnitèr iurando, cùm Iuramentum illicitum fuerit, gravitèr peccaverit; & proptèr huiuſmodi peccatum repellitur.

Obiicitur iterùm contra predicta, *quià Joſue 9. habetur*, quod Joſue Gabaonitis iuravit, quod non occideret eos, quod iuramentum videtur eſſe illicitũ; quia Deus præceperat ei, nè cùm hominibus illius terræ fœdus iniret *Exod.* 23. & tamèn Joſue iuramentum ſervavit. Ad quod dicendum quod, Deus non præceperat filiis Iſrael occidere habitatores illius terræ, niſi eſſent incorrigibiles, cuiuſmodi non fuerunt Gabaonitæ. Præthereà ſubiugaverunt eos ſervituti, quæ eſt mors civilis. *Hæc omnia Rich. 3. diſ. 39. quæſt. 2. art. 3. c. ad argumenta*

Circà quintùm, *reſpondet Bar. & Tan.* & quidam alii dixerunt, quod nulla coactio, vel nullus metus excuſat in iuramento aſſertorio, niſi fortè à tanto, quià potiùs debet quis omnia mala ſubſtinere, quàm malum aſſerere, ideſt falſum iurare, 32. *quæſt. v. ita ne*. In iuramento verò promiſſorio excuſat ab obligatione metus non quidem levis, ſed gravis, ſivè iuſtus, ſcilicèt, qui cadere poteſt in conſtantem virum; & *Hæc diſt. probari videtur ff quod metus cap. qui in carcerem*; Alanus verò diſtinxit, quod ſi habeat animum adimplendi obligatur, aliter non, *art. extra de Bap. majores circà fin.* Alii, *ut Bon. 3. diſ. 39. quæſt. 3. art. 2. & Petrus 3. diſ. 39. quæſt. 2. art. 6. c.* diſtingunt duplex forum, ſcilicèt Eccleſiæ, & conſcientiæ, ità quod obligatio iuramenti coacti, contrariò habèt ſe obligationi iuramenti doloſi reſpectu huius duplicis fori; Nàm in foro Eccleſiæ iuramentum coactum non eſt obligatorium; hoc eſt verum, ut dicit Petrus ibidem, quandò eſt gravis metus, ſecùs eſt ſi levis; tùm quià Eccleſia præſumit, quod ille, qui coactè iuravit, non iuravit voluntate implendi iuramentum, ſed potiùs evadendi periculum; tùm quià ille, qui iurare compellit, cùm malitioſè, & doloſè proceſſerit, nullum ius acquiſivit, nec de malitia commodum reportare debet; undè nullum ius habèt petendi. In foro autèm Dei iuramẽtum coactum, & obligatorium, eſt quià cum Deus reſpiciat voluntatem interiorem, & voluntas non poſſit cogi coactione ſufficienti, ſed inducente, & ità voluntas coacta voluntas ſit, *ut etiàm dicit Aug. & hab. 15. quæſt. 1. merito*; quare judicat Deus talem hominem obligari; Et ideò in foro conſcientiæ ſecundùm Theologos conſulendum eſt ei, qui ſic juravit, niſi relaxatio interveniat juramentum implere; & hoc dico, ſi iuramentum fuit reſpectu rei licitæ.

Alii *verò, ut Hoſt. Ray. Jo: Ber. extra de his, quavi, abbaſ. e. tit. ad aures*, dicunt indiſtinctè, quod iuramentũ metu etiàm gravi extortũ eſt obligatorium; Undè ſi quis metu gravi coactus iuraverit rem ſuam tradere, vel etiam rem ſuam iàm ab eo traditam non repetere, tale juramentum tenet mæro iure, cum ſervari poſſit ſinè interitu ſalutis æternæ, *extra c. de juram. ſi verò*; Si quis ergò in hoc caſu contrà iuramentum ſuum rem ſuam repeteret, repelletur *ſecund. Hoſt.* niſi abſolutus à Papa fuiſſet, *ut extra de elec. venerabilem §. penult.* ubi idem etiàm Papa eum à iuramento per vim, vel per metum extorto de rebus non repetendis abſoluit, *extra eod. de jurejur. verum*; abſolverunt autem aliquandò Romani Pontifices ab huiuſmodi iuramentis homines non quaſi decernentes, ea non eſſe obligatoria, ſed huiuſmodi obligationem relaxantes ex iuſta cauſa.

Sed numquid iſte, qui metu compulſus iuravit dare, poterit petentem repellere? Reſpondeo. Quidam, ut Bar. dicunt, quod poteſt eum repellere per exceptionem, *quod metus cau. ff. de eo, quod metus cap. metum §. ſed, quod prætor. & ſecund. Bar. eod. cap. abbas ſubvenitur paſſo metum, niſi ſua culpa inciderit metum ff. e. ſi mulier. Alii dicunt, ut Jo. Ray. & Rod.* quod exceptione utẽdo peccat, quia contrà iuramentum licitum venire laborat; prædicta verò lex debet intelligi quantùm ad factum, quià iudex exceptionem recipiet in violenti odium. *Addit an. Ray*, quod hoc, quod dictum eſt, ſcilicèt, quod utendo exceptione peccat, eſt verum, niſi, quandò iurabat ſe ſoluturum, intendiſſet contrarium, ſcilicèt ſe non ſoluturum; tunc enim peccavit mortalitèr ita jurando, ſed benè poteſt uti exceptione ſine peccato. Timendum eſt tamèn ſcandalum, & malum exemplum ejus intentionem neſcentium; & ſic Ray. videtur ſentire, quòd ſi jurat, ſe facturum aliquid, ſi non intendat, ſe obligare, non eſt obligatus ex illo juramento, licèt mortaliter peccet in jurando ſic; Rod. verò credit, quòd ex quo quis inducit Deum in teſtem alicujus rei licitæ faciendæ, quidquid intendat, vel quidquid proponat, ſervare tenetur.

Quòd ergò remedium, iſte jurans habebit contra eum, qui ipſum jurare coegit? Reſpondeo habebit remedium illud, quòd habet jurans uſuras ſolvere contra eum, cui hoc juratur; de quo vide 1. tit. de uſuris art. de pœna uſurarii, quæ eſt ab adverſario.

Undè ſecundùm Hoſt. ſi quis proptèr iuſtum metum juraverit beneficium reſignare, tenebitur illud reſignare, tamèn beneficio reſignato, poteſt reſcriptum impetrare, & ipſum repetere per actionem, quòd metus cauſa; quæ in rem datur, licèt ſit perſonalis. Sic intelligi poteſt illud *Extra de his, quæ vi. abbas*. Si autem juravit non repetere, & iterum ſibi conferatur, poteſt recipere, & ex ſecunda receptione agere. *Extra de renu. cùm intèr p.* poterit etiàm abſolutus per Papam petere ex inſtitutione primà; ſic intelligi *poteſt dictum c. cùm intèr, & extrà de. jurejuran. ſi verò*.

Si autem juravit non venire contra Sacramentum, ideſt abſolutionem non petere, poteſt adhuc Eccleſiæ denunciare, & Eccleſia ad eius denunciationem ipſum proprio motu abſolvere. *Extra de jurejurand. quemad. in fi.* Si verò iura-

verit non denunciare, non valet, *ut pat. ibid.*; quòd eſt verùm quoad pœnam peragendam, ſed ſi is, qui iuravit non denunciare hoc faciat zelo recuperandæ rei, magis, quàm ſalutis proximi zelo, videtur ſanum eſſe conſilium, quòd nõ denunciet, quià deieraret. *Secund. hoc intellige illud extra de jurejuran. c. i. & c. debitores*; hæc *Hoſtien. tit. de his, quæ vi.* In hoc tamen caſu *ſecund. Innoc.* Epiſcopus cognoſcet priuſquam abſolvat iurantem, an fuerit iuſtus metus.

Ad hoc nota, quod iuramentum præſtitum ſuper damnis non repetendis non obligat, quin expenſæ repeti poſſent, quià aliud eſt damnum, aliud expenſæ, *extra de iureiurand. ad noſtram.* excipiuntur autèm novem caſus, in quibus non valet, licèt interveniat ſacramentum metu extortum, primò in matrimoniis, quæ debent eſſe libera in contrahendo. *Extrà de Spon. cum locum*, ſecundò in promiſſione dotis eadem ratione. *ff. de his, quæ me. cauſ. c. ſi mulier. §. ſi dos*; tertiò in alienatione rei Eccleſiaſticæ; *extra de re. Eccl. non alien., ſi quis Præsbyterorum*; quartò in iuriſdictione proroganda; *ff. de iudi. lib. 2.*; quintò in voto, *extra cap. 1. & de Voto lice:* Sexto in auctoritate tutoris *ff. de auctor. & conſenſ. l. 1. in fin.* Septimò ubi quis per metum facit teſtamentum; *ff. de teſta. l. q. teſtamẽto in fin.* Octavò in ſententiæ prolatione. *11. q. 3. iniuſtum*; Nonò in procuratoris conſtitutione. *ar. extra de procura. acceden*; omnes hos caſus ponit *Hoſt. tit. de his, quæ vi metus c. fin. Et Ber. extra c. ſuper c. Abb.*; Abbas ponit ſex; Jo: verò tantùm ponit quatuor, quas etiam ponit Ray., ſcilicèt tres primos, & quintum; Rod. autem credit, quòd iuramentum in caſu primo, & ſecundo, & quinto obligat, licet Eccleſia ad obſervationem non cogat.

Circa ſextum, reſpondeo, ſecundum Ray. quòd ſic, ſi illud, quod promiſit ſit licitum; cùm enim infidelis iuraverit, peccatum in modo iurandi commiſit, ſed ſi illud ſervat, in hoc benè facit, & ſi non ſervat, peccatum peccato addit; Chriſtianus verò, ſi non poteſt alitèr fidem dictis eius adhibere, & expedit ei ab illo cautionem habere, licèt ille peccet iurando, iſte tamèn non peccat recipiendo; Et exemplum huius habetur de Laban *Gen. 31.*, & de Abimelech *Gen. 21.*, Si tamen Abimelech per Deos ſuos iuravit, ſicut Laban per Deos Sochot. *22. q. 1. movet te*; Ibi enim movet Aug. iſtas quæſtiones, & ſolvit; *ad idem facit illud extra c. & ſi Chriſtus.*

Prætereà ſi talis infidelis per Deum uerum iuraret iuramento faciliùs obviaret, licèt magis peccaret; his concordat *Tho. 2. 2. q. 98. art. 4. c. 4.*; dicit tamen, quod non licet infidelem inducere ad iurandum per falſos Deos; & idem dicit. *Petrus 3. diſ. 39. q. 2. art. 4. c. etiam Inno. ſup. c. & ſi Chriſtus.*

ARTICULUS VIII.

De Juramento illicito.

SEquitur videre octavò, ſcilicet ex quibus reddatur iuramentum illicitum. Circa quòd nota ſecundùm Hoſt., & Goff., quòd illa, ex quibus iuramentum redditur illicitum his verſibus continentur.

Si iuriurandum illicitum diſcerne notando:
Quis, cui, quòd, per quid, ad quid, cur, quomodò, quandò.

Quis; quià ex perſona iurantis iudicatur illicitum juramentum, ut patet ex ſupradictis *in 4. art. §. debet etiam ibi eſſe iudicium.* Item nullus Religioſus, vel Religioſa, vel Clericus in quacunque cauſa, ſive civili, ſive criminali cogi debet iuramentum calumniæ preſtare in propria perſona, ſed poſſunt hoc aliis idoneis procuratoribus delegare, ſi ſuæ Eccleſiæ noverint expedire; Undè nullus Clericus niſi de licentia Epiſcopi, nec Epiſcopus, niſi de licentia Papæ iurare debet. *extra de iuram. calumn. cap. 1.* Hodiè tamen quilibet Clericus in propria cauſa, iurare debet in propria perſona. *extra de iuram. calum. cæterum.* Epiſcopus etiam hodie, ſi vult, poteſt tractare cauſam ſuam in perſona propria, & tunc iurabit de calumnia preſentibus Evangeliis, ſed non tanget ea. Similiter in dicendo teſtimonio iurat Epiſcopus, ſed non tangit Evangelium. *extra c. tit. cum in ca.* Et hoc propter reverentiam dignitatis; Quandò tamen abiurat hæreſim, vel ſchiſma tangit Evangelium, alitèr non *1. q. 7. quotiès cordis*; Itèm licèt Clericus in iuramento requirere debeat Epiſcopum, ſæpè tamen hoc non ſervatur, nec propter hoc vitiatur iudicium, *ut extra de iuram. calum. c. 1. in gloſ.*; Non eſt etiàm neceſſe, quòd Epiſcopus in iuramento requirat Papam, ut *ibi cap. cum in cau.*

Cui: Clericus enim cuique Laico iurare non debet ſuper Sancta Dei Evangelia. *22. q. 5. nullus*; ideò nec teſtimonium dicet. *2. q. 1. teſtimonium*; hoc intellige, niſi de licentia prælati *extra de iuram. calum. cap. 1.*; Vel dic, quod nec iuramentum fidelitatis extrahere debet redigendo ſuam Eccleſiam in ſervitutem, quòd ſi faciat ſuper eo poteſt accuſari, *extra de accuſ. venien.*, quià nec pro ſpiritualibus fieri debet homagium, alitèr Simonia committi videtur. *extra de Sim. ex diligenti*; niſi ſit ratio, cui committitur adminiſtratio; *extra cap. nullus*; Immò nec his homagium faciet, & licèt faciat fidelitatem. *extra de re iudic. cap. fin.*, hoc intellige, niſi Clericus teneat temporalia à rege, ratione quorum dicitur inferior, *ut extra de maior. & obed. ſolitæ.*

Quod; Nam ratione rei, ſuper qua iuratur, iuramentum eſt aliquandò illicitum, ut patet ex ſupradictis; Nàm ſi ſuper re turpi, vel illicita, vel iniuſta intervenerit iuramentum, non valet, *art. extra de pact. c. ult.* Et ſic non valet juramentum, quòd in notoriis ſervetur per omnia ordo

iuris

Digitized by Google

iuris; quià poſſet contingere, quòd remanerent maleficia impunita. *extra c. de iureiurand. ad Noſtram* 3. Nec valet, ſi vir juret non habitare cum uxore, vel è converſò, niſi vellent ambo continentiam profiteri, *extra c. tua nos*; Nec valet ſi fiat iuramentũ in detrimentũ Eccleſię *extra c. ſicut noſtris*; nèc ſi fiat in detrimentum, vel diminutionem regni, ut ſi Rex in ſua coronatione iuret nihil alienare in præiudicium regni, & poſtea faciat immoderatas alienationes in detrimentum regni, non obſtante iuramẽto ſecundo, contrario primo, poterit, quòd eſt alienatum repetere, *ut extra c. intellecto*; Quiſquis ergo iuraverit, ſe facturum aliquid, quo fecuto ſalus corporalis, vel ſpiritualis adimatur, vel non facturum aliquid, ſine quo utraque ſalus, vel altera recuperari, vel conſervari non poſſit, ſervare prohibetur. Et habes multa exempla 22. *q.* 4. §. *fin. v. iuramentum itaq; multipliciter*, & *v. quiſquis ergo*, *hac Hoſt. Et convenit cum eo Bern. extra c. ſi verò*; dicit tamen ibid., quòd hoc intelligit, ſi directè vergat in interitum, quià ſi occaſionalitèr, obſervandum eſt; Ut ſi quis Gallicus iurat, ſe moraturum Romæ in Auguſto, occaſione talis iuramẽti vita corporalis poſſet adimi, ſi tunc Romæ moraretur, iuramentum tamen ſervare debet.

Per quid. De hoc habitum eſt ſuprà.

Ad quid. Quià finis, ad quem tenditur, reddit illicitùm Sacramentum, ut ſi quis juret, ut eligatur 8. *q.* 3. Artaldus Arelatenſis Epiſcopus, quià cujus finis bonus eſt &c.

Car. Quià ſi cauſa tùrpis ſit, & juramentum illicitum eſt, ut ſi juramus in aliquò delicto ſocietatem. Et tale juramentum eſt deſerendum. *Extra de pac. c. ult*; ideò conjurationes, & conſpirationes reprobantur ſecundùm quoſdam, ſi ſint occultę, quià tales ſunt indiſtinctè illicitę. *extra de ſen. & re jud. c.* 1.; ſi verò publicè, & ſuper licita re, ſunt licitæ 1. *q.* 1. *Concuſſiones*; ſed ſi ſuper re illicita, non tenerentur 11. *q.* 1. *ſi qui clerici*; Jo: Andr: diſtinxit tantùm utrum fiant ſuper re licita, vel illicita.

Quomodò. Quià ex modò jurandi cenſetur illicitum, ut ſi deſit aliquis illorum trium Comitum, de quibus eſt ſupradictum. Et nota, quòd juramentum temerarium, & inconſultè calore iracundiæ factum, non eſt ſervandum, ut dicitur de David, qui juravit Nabal. 22. *q.* 4; *quod David*; Non enim pecco in frangendo tale votum, ſed peccavi, quia temerè vòvi, vel juravi 33. *q.* 5. *una ſola*. Incautè etiàm jurat, qui jurat illud, quod non credit eſſe peccatum, cum ſit. 22. *q.* 4. *tribus*.

Quandò. Tempus enim reddit juramentum illicitùm, ut ſi iuretur diebus Dominicis, niſi pro pace, & aliis piis cauſis, *ut extra de feriis c.* 1.: *vel. in* 11. 22. *q.* 5. *decrevit*; Huic tamèn iuri obviat contraria conſuetudo: hoc ab initio; nàm & ſi iuretur tali tempore, puto iuramentum ſervandum, ut dictum eſt ſuprà *eo: ar:* 3. *qu. utrum liceat jurare per creaturas*, *circa medium ſolutionis*; Itèm honeſtum eſt, ut iuramenta fiant à ieiunis. 32. *q.* 5 *honeſtum*.

ARTICVLVS IX.

De juramento promiſſorio per tacitas conditiones.

Circà Nonum; Notandum ſecund. *Hoſt: & Bern extra c. quemadmodum*, quod iuramentum promiſſorium habet conditiones tacitas, ut faciam hoc, ſi maiori, ideſt Papę placuerit, quià in omni iuramento promiſſorio auctoritas Papæ, ſivè ſuperioris intelligitur excepta, ut *extra c. venientes* §. 1. *ad fi*: de Papa non eſt dubium, quin ex cauſa poſſit remittere, vel relaxare iuramentum ad tempus, vel in perpetuum, *extrà c. ſi verò*; Verùm de Imperatore etiam videtur, *ar: ff. ad municip. Imperatores*: Vbi Principes gratiam fecerunt iusjurandi cuidam, qui iuraverat, ſe non recepturum honorem; Et in omni fidelitate Imperator ſpecialiter debet excipi, ut *in Conſtit. feud. Imperialem in fi*: ſed illud facit contra, quià dat intelligere, quòd niſi ſpecialiter excipiatur, exceptus non videtur. Sed pro hac via eſt illud *extra de reſcrip. conſtitutus*; Itèm ſi Deo placuerit, ſi Deus dederit 22. *q.* 2 *Beatus* §. 1., Itèm ſi res in eodem ſtatu permanſerit; nàm ſi tibi ſanę mentis iurem gladium reddere, quandòcunque peteres, furia adveniente non debeo ipſum tibi reddere, ne interficias te, vel alium. 22. *q.* 2. *ne quis*; Itèm ſi mihi fidem ſervaveris *extra c. pervenit*. 2; ideò ſi mulier contra fidem ſponſalium, vel matrimonii venerit, licèt iuraverim, eam tenere ſemper pro uxore, vel ducere eam, poſſum non òbſtante iuramento venire contrà; *extra c. quemadmodum*; Itèm ſi iurem ad certum tempus tibi pæcuniam reddere ſpe numerationis, ſubauditur, ſi mihi pęcuniã numeraveris, *ut C. de nõ nu: pæ: in dubitati*; Itèm ſi iurem ad certum tempus aliquid ſolvere tibi, ſubauditur, niſi iudex præcipiat contrarium. *ar: extra de cenſi: ſignificavit*; nàm ius ſuperioris ſemper videtur exceptum, *ut extra c. venientes* §. 1. *ad fi*: ; Et multò fortiùs ius Canonicum intelligitur ſalvum in iuramento. *Extra ca. ad noſtram* 3.; Item ſi iurem tibi tanquam Regi, vel Epiſcopo, te depoſito obligatus non remaneo. Idem videtur, ſi iurem tibi tanquàm Epiſcopo ſolvere pęcuniam, poſt depoſitionem non remaneo obligatus; Quod credo verùm, ſi pecunia in utilitatem Eccleſiæ fuerit converſa. *Extra de elect. venerabilem in fi*: & 15. *qu.* 6. *alius*; Itèm ſi jurem ſtare mandatis tuis pro offenſa tibi, vel tuis facta, ſubauditur, niſi præcipias quid immoderatum, iniuſtum, illicitum, impoſſibile, vel inhoneſtũ, quia in hujuſmodi non eſt parendum; undè nõ extenditur tunc iuramentum niſi ad ea, de quibus eſt cogitatum, vel de quibus meritò debuit cogitari; Vndè ſi pręcipias tale quid, quod ſecundùm communem pręſumptionem non iuraſſem, ſi hoc ſciviſſem, non videor obligatus, *ut extra c. veniens*, & *c. quintavallis*; non tamen ſufficit, quod dicam non cogitavi, quod hoc præciperes mihi, quià ſi pęna non excedit culpam, teneor ſervare; ſi autem

autèm excedit redigetur ad arbitrium boni viri, *ut ff. pro ſocio, ſi ſocietatem. Hæc Inn. & Hoſti: extra c. quanto*; ſed contra *extra c. quemadmodum §. illud autèm*, niſi generalitèr iuraverit; ſed intellige illud de eo, quod non iuraſſem in ſpeciali, *ut extra de reſcrip. ſedes*; uel illud, quandò apparet, quod in hoc non intellexit iurans, alias concordaret iuri communi ex prçſumptione, *ut extra c. quintavallis, & c. veniens*. Itèm ſi facultas ſe obtulerit, aliàs non imputabitur, *ut extra c. quęrelam*; Neceſſitas ergò, vel impoſſibilitas excuſat hominem. ideò non videtur deiuraſſe, qui ex cauſa conceſſa deſerit iuramentum, *ut extra de furtis ſi quis per neceſſitatem*: ſed ſi voluntariè veniret contra, tunc imputabitur, *extra de conſti. c. 2.*; Verum, cum prçſumatur ſolvendo, qui iuravit dare ad certum terminum reddere; conſulo ei, ut ante diem veniens coram judice cedat bonis *ut extra de ſolu: Odoardus.*

Quid ſi quis iuravit tenere obſtagia, aliàs oſpitia, nec habèt in loco quid comedat, vel undè ſolvàt?

Reſpondet Hoſt., quod ſi non erat ſolvendo tempore obligationis tenetur obſtagia ſervare, quià videtur ad hoc ſe obligaſſe; Vndè victum manibus quærat, vel òſtiatim vadat, *ar: extra de ſent: excommunicat. cum voluntate §. prædicatores*; Si autèm ſolvendo erat, & factus eſt non ſolvendo, aut poteſt mendicare ſine verecundia, ut ſi ſit vilis, & abiectus, & ſic idem, *ut prius ar. diſt: 93. diaconi primo*; ſic poteſt intelligi illud *extra de Sen. excom. ea noſcitur §. alios*; Aut eſt homo nobilis, & in dignitate conſtitutus; & tali eſt ſubveniendum beneficio juris, *extra c. querel. & c. brevi. ar: extra de renun. ad ſupplicationem*. Itèm faciam hoc ſi commodè potero *extra de elec. quia propter*. Itèm ſi iures mihi reddere vinum, vel bladum, ſubauditur eiuſdem bonitatis; non ergò vinum novum pro veteri reddes *ff. de verbo oblig: triticum*; Item ſi iurem tibi dare filiam meam, vel ſororem in uxorem, debet ſic intelligi, ideſt bona fide laborare, ut habeas eam *extra de ſponſ. ex litt. 2.*; Itèm ſi juro alicui ſolvere pecuniam die tertia, ſubauditur; niſi per eum fuero abſolutus; Vnde is, cui iuro, me poteſt abſolvere, vel terminum prolongare, & hoc eſt expreſſum *extra e. c. 1.* Itèm ſi iuro alicui fidelitatem, vel quod non ſim contra eum, obligor ad hęc, quod non procurem, quod vitam, vel membrum, vel ſuam terram perdat; Porrò ſi offenderit me, vel mihi proximiores, vel eccleſiam meam, vel communitatem meam, potero me, & illos defendere, quià proximiores videntur excepti eſſe, *ut extra c. petitio: in textu, & glo:*; porrò, quod contineatur in iuramento fidelitatis patet *extra c. ego, & 22. q. 5. de forma. Hæc Hoſt:*. Itèm ſi iuramentum ſervari non poſſit ſine interitu ſalutis æternæ, vel ſi ſit contra leges, vel bonos mores ſervari non debet. *ar; extra c. quintavallis, & c. tua. 2. Ber. extra c. quemadmodum in glo.* Et ſic patet. Itèm propoſitum, vel promiſſum, vel iuramentum non infringit, qui illud in melius commutat *extra c. pervenit. 2.* Sic etiam non dicitur deiurare, qui ex cauſa iuſta deſerit iuramentum, *extra de voto, licet, & c. ſcript; & 22. q. 4, mulier, & c. pervenit in glo.*

Itèm quandò prælati, vel canonici, vel poteſtates, vel rectores, vel officiales locorum, vel Civitatum iurant ſtatuta, & conſuetudines eccleſiarum, vel locorum, vel Civitatum ſcripta, vel non ſcripta; huiuſmodi iuramenta ſub tali generalitate præſtita extenduntur tantùm ad licita, & eccleſiaſticæ libertati non contraria, *li: 6. c. contingit*: Vbi ſic diſtinguit *Io: Andr.*; ſcilicèt, quod, aut iurat quis expreſsè ſtatutà illicita, inhoneſta, & impoſſibilia, ſcilicèt de iure, vel de facto; aut generaliter iurat ſervare conſuetudines, & ſtatuta illicita, & illa ſe obſervaturum in mente gerebat; & in huiuſmodi duobus caſibus eo ipſo eſt largo modo periurus *extra c. ſicut noſtris*; Aut neſciebat, nec illud in mente gerebat, & tunc nō peccavit, & tantùm ad licita obligatur; Item ſi liberta iuravit non nubere, intelligi debet de illicitis nuptiis *ff. de iure pa. adigere §. fi. & extra c. veniens in glo. 2. in fi:*; Itèm qui iurat reſidentiam facere in eccleſia, ſi pro negocio Eccleſiæ ſit abſens, nō incurrit periurium. *extra de cle: non reſide. ex parte 2.*; immò etiam ſi pro negocio proprio ſit abſens, non eſt periurus. *extra c. petitio*; in hoc enim iuramento factum proprium intelligitur exceptum, quia in ſermone generali perſona loquens intelligitur excepta. *c. de ſolv. inquiſitio. & in dicto c. ex parte in glo. in fi:*

ARTICULUS X.

De quibuſdam dubiis circa iuramentum.

SEquitur videre de decimo, ſcilicèt de quibuſdam dubiis circà iuramentum, & hæc ſunt plura. Primò utrum debitor teneatur propter vim iuramenti, quo ſe adſtrinxit ſolvere debitum excommunicato? De hoc dic. ut in 7. libro, ubi agetur de excommunicatione tit. 2. art. 3.

Quid, ſi quis juravit alicui, quòd ſi iuvaret eum in ſpoliando alium partiretur ſpolia ſecum. Numquid tenetur ſervare illud iuramentum?

Reſpondet *Io. Andr.* quòd non, quià magis peccat cùm ſocio partiendo, quàm ſibi totum retinendo, quià aliis ſolvere non poſſumus, quòd aliis debemus. *extra c. ea te*; Nec obſtat illud 22. *q.* 4. §. *ecce*, ubi dicitur, quòd graviùs peccat ſi non fuerit partitus cùm ſocio, quià hoc dicitur referendo ad erroneam conſcientiam alicujus, qui ſe teneri credit ex tali iuramento, & ideò ſi non ſatisfaciat conſcientię mortalitèr peccat; hęc Jo: in dic. §.

Quid ſi fœmina coniugata dedit fidem adultero?

Reſpondeo mala eſt fidem ſervando ſibi, ſed peior eſt non ſervando, alibi concubendo; ſed ſi caſtitatem coniugalem ſervaret, benè faceret, nec tunc fidem frangeret, *ut pat. in illo §. ecce, & duobus cap. ſe.*

Quid

Quid ſi quis iuret ſe non ferre teſtimonium contra aliquem?

Reſpondeo, huiuſmodi iuramentum eſt temerarium, & illicitum, & non aſtringit; Undè per hoc non repellitur à teſtimonio *extra de teſt. intimavit*. Pone. Aliquis in minoribus conſtitutus jurat, quod non celebrabit Miſſam, niſi prius fiat miles, & poſteà fiat præsbyter, & ante quam celebret facit ſe fieri militem; Numquid peccat? Reſpondet *Hoſt. extra de Sponſ. commiſſum*, quòd in hoc peccavit ſecundùm quòd in ſua promotione juramentum hoc tacuit, quià licèt iuramentum ab initio licitum fuerit, tamèn ex quo fuit in ſacris illicitum eſſe cœpit. Tamen ex eo, quòd promotus implevit iuramentum non accuſo eum: *art. extra de Sponſ. commiſſum.*

Quid ſi Prælatus abjuret jus inſtituendi, vel aliud ſimile?

Reſpondet *Bern. extra de inſtit. cùm veniſſent*; Talis illo iure non debet uti; Nec tamen proptèr hoc præiudicatur dignitati, quià tunc Eccleſia poteſt uti illo jure, & ſic poteſt ſervare iuramentum ſine præiudicio Eccleſiæ, & ſine interitu ſalutis æternæ.

Quid de iudice, qui ſcit accuſatum ad pœnam capitis, vel quamcunque áliam coram ſe immunem pœnitus à culpa, quæ ſibi imponitur, & tamen videt teſtes paratos ad iurandum falſum; Numquid recipiet, aut ſi receperit iàm, numquid per il'os condemnabit ſcientèr innocentem?

Reſpondeo, iudicare pertinet ad iudicem ſecundum quod fungitur publica poteſtate, & ideò informari debet in iudicio non ſecundum, quòd ipſe novit tanquam perſona privata, ſed ſecundùm illud, quod innoteſcit ſibi, tanquam perſonæ publicæ; Hoc autem innoteſcit ſibi, & in communi, & particulari, in communi quidem per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet in aliquo; in particulari per inſtrumenta, & teſtes, & alia huiuſmodi legitima documenta, quæ magis ſequi debet in iudicando, quam illud, quod ipſe novit, ut perſona privata. Et hoc tamen iuvari poteſt, ut diligentiùs diſcutiat probationes inductas, ut poſſit earum inveſtigare defectum; Quòd ſi non poſſit eas de iure repellere, debet, ut dictum eſt, eas in iudicando ſequi; Undè *Aug. ſuper Pſal. Judex bonus nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum l ges, & iura pronunciat*; Undè *ſecund. Riccar. quoli. 3. q. 25.* tenetur eſſe valde ſollicitus fovere partem illam, quam in conſcientia ſua ſcit eſſe veram, ne pereat propter defectum teſtium, vel advocatorum, vel debile patrocinium; Et ſi fuerit ad hoc deventum, ut contra eum fiant probationes ita efficaces in foro exteriori, quòd non poſſint repelli, laborare debet ante ſententiam diffinitivam per omnes vias, ſi quas invenit licitas, quòd innocens convictus liberetur; Si verò nullam viam talem poteſt invenire, cauſam aliis, ſi poteſt ſine ſcandalo debet committere. *Secund. Hug.*, & *Alex.*, & *Ricb. ibid hoc etiàm conſulit Ray.*; & ſi non poteſt, credit *Ric. ibid.* quòd debet ſecundùm allegata ſententiare, quæ in foro exteriori iudicantur valere; & hoc declarari poteſt per multa iura. *Extra de offic. Ord. ſi Sacerdos*, & *cap. nos in quemquam*, & *duobus cap. ſe.* & *2. q. 1. Deus omnipotens.*

Poteſt etiàm hoc probari per rationem, Judex enim magis tenetur eſſe ſollicitus pro ſalute boni communis, quàm pro ſalute perſonæ ſingularis, maximè, cum ipſe in quantum iudex ſit perſona publica, & pro defenſione boni communis ſtatuatur; Eſt etiàm bonum commune ſic nobilius bono ſingularis perſonæ ſecundùm quòd trahi poteſt ex ſententia *Philoſophi 1. Eth. cap. 1.* ſed ſi iudex ſententiaret pro aliquo convicto in iudicio, quæ tamen ut perſona privata ſcit innocentem eſſe, licèt hoc eſſet ad bonum illius, eſſet tamen ad malum communitatis, quià populus ſcandalizaretur, & via innocentes opprimendi, & noxios dimittendi aperiretur; quandò enim iniquus iudex per odium, vel per munera vellet innocentem punire diceret, quòd in conſcientia ſua ſciret eum reum eſſe; Et quandò alius propter amorem privatum vellet noxium dimittere, diceret, quòd in conſcientia ſua ſciret eum innocentem eſſe, & ſic via malefaciendi iudicibus iniquis eſſet aperta. Alii tamen dixerunt, quòd ſi iudex aliquem convictū in iudicio, in conſcientia ſua ſciat eſſe innocentem, cauſam, & veritatem, quàm ſuper hoc novit debet ad ſuperiorem remittere; Et ſi Superior nulli ſit ſubiectus, & ſciat illum innocentem eſſe, debet eum abſolvere, vel ſaltem, ſivè ſententiam ferat, ſivè iſti præcipiat, alleviabitur eius conſcientia *ſecundum Ray.*

Rod. verò credit, quòd judex eum, quem novit innocentem nullo modo debet ad mortem, vel mutilationem condemnare, vel condemnandum exponere, etiàm ſi ſuperior ei præcipiat; & ſi hoc faciat mortalitèr peccat; & potiùs debet omnia malà ſubſtinere, quàm hoc facere. Secundum etiàm aliquos proteſtari debet, ſe habere conſcientiam condemnandi ipſum, quià ſcit eum innocentem, & hoc indiciis certis oſtendat, ut communitas non ſcandalizetur, & ſic eum abſolvat à judicio ſuo, relinquens eis poteſtatem, ut cauſam deferant ad ſuperiorem, ſi volunt, ſivè agatur de perſona, ſivè de rebus.

Sed prædicta ſententia videtur eſſe contrà allegata primà, quià ſi obligaretur judex inferior, ut comes ad transferendam ſuam judiciariam poteſtatem in ſuperiorem, ut in Regem, in caſu illo poſſet ſibi præjudicari in caſibus illis, quià ſi ter, vel quatuor hoc faceret, Rex dicere poſſet ſe eſſe in poſſeſſione judicandi & puniendi homines illius communitatis, ejus judicio prætermiſſo, Præterea, licèt judex, qui non habèt ſuperiorem, niſi Deum, non ſit ſubditus legibus, quas ipſe condidit, ſecundùm ipſas tamèn eum judicare decèt, ne populum ſcandalizet. Prætereà punire convictum in iudicio, non tantùm eſt de lege poſitiva, ſed etiàm de lege divina, cui iudex quili-

quilibèt eſt ſubiectus; Et ideò ſecundà opinione dimiſſa; ſinè præiudicio, & aſſertione temeraria videtur ſtandum ſecundum *Richar. quol.* 3. *q.* 25. opinioni primæ, quæ multis iuribus eſt munita. Sed

Obiicitur, quià ſuper illud *Rom.* 14. *Omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt*; *dicit Gloſſ.* illud, quòd eſt contrà fidem, ideſt contra conſcientiam, ut credamus illud malum eſſe, peccatum eſt.

Reſpondeo, quod ſi iudex procedat in iudicio ſecundùm iura non facit contrà conſcientiam, ſed ſecundùm conſcientiam, niſi habeàt conſcientiam erroneam.

Quid facient in caſu prædicto officiales, & executores, qui ſciunt teſtes falſum iurare, & tamèn conguntur à iudice innocentem occidere, vel alio modò punire?

Reſpondeo *ſecund. Ray.* & *Rod.* Non debent obedire, ſi pro certo hoc ſciant; ſecùs eſt ſi dubitant, quià tunc excuſantur propter obedientiæ bonum, 2. *quæſt.* 3. *quid ergò*. *Secund. an. Richar. ubi ſupra,* & *Alex. An.* 3. *tit.* 1. *de quinto præcepto quæſt.* 1. *art.* 3. *in fine*, & *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 64 *art.* 6. *cap. tertiùm*; Miniſtri iudicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intolerabilem errorem, vel iniuſtitiam contineat, non debent obedire; aliàs excuſarentur carnifices, qui occidunt Martires; ſi verò iniuſtitiam manifeſtam non contineat non peccant præceptum exequendo, quià ipſi ſuperioris ſententiam diſcutere non habent, nec ipſi innocentem interficiunt, ſed iudex, cui miniſterium præbent.

Quid aget, qui iuravit alicui, quòd celabit homicidium, quòd ipſe procurat?

Reſpondeo *in lib.* 2. *tit.* 69. *art.* 3. *q.* 4.

Quid de Domino, qui facit populum, vel famulum ſuum, vel homines ſuos iurare, quod ei dicent, ſi quos viderint, vel ſcierint, vel audierint ſurripuiſſe aliquid de rebus ſuis, vel damnificaſſe eum in aliquo?

Reſpondet Rodon. diſtinguens, quòd ſi ille, cui eſt iuratùm eſt truculentus, & ferus probabilitèr creditur, aut ſuper hoc meritò ſuſpectus habetur ille, qui iuravit, ſive per alios probare poſſit, ſivè non, illud, quod de talibus vidit, non tenetur revelare, nec pro iuramento ſervare; quià licitum fuit, quod iuravit; cùm per conſequens ille, qui iuravit iuraſſet, quod ei cooperaretur in peccando, vel ſe committeret ſuper hoc diſcrimini; Undè non debuit ab initio huiuſmodi iuramentum præſtare, ſed potiùs omnia mala tolerare; ſi autèm ille, cui iuratum eſt credatur manſuetus, & iuſtus, & non niſi rationabilitèr proceſſurus, diſtingue, quià ſi res huiuſmodi, de quibus iuravit deputatæ ſint cuſtodiæ iurantis, ſinè peccato iuramentum præſtare poteſt, & obſervare; Undè ſi ipſe viderit furem aſportantem res eius cuſtodiæ commendatas, licèt ipſe ſolùs videat, poteſt clamare, & furem manifeſtare, & poſt furem ire, ne ſi in hoc negligens fuerit teneatur damnum reſtituere, nec reputabitur talis proditor criminis, ſicut nec reputatur, qui ſuam iniuriam, aùt damnum proſequitur coràm iudice, licèt quod intendit non poſſit probare; ſi autèm non tenetur ad cuſtodiam illarum rerum, tunc ſi per alios probare poſſit, quod ipſe de talibus ſcit, Domino revelet; ſi verò probare non poteſt, non debet revelare *art.* 2. *quæſt.* 1. *ſi peccaverit*, & 2. *quæſt.* 7. plerumque, niſi talibus perſonis, qui poſſunt prodeſſe, & non obeſſe, *art.* 22. *quæſt.* 5. *hoc videtur*. Sed & ſi quandò iuravit intendit ſe obligare ad revelandum occulta, quæ probare non poſſit, non fuit licitum iuramentum, nec obligatorium, ſed talitèr iurando peccavit.

Quid de duobus habentibus communem menſuram, quàm deferre conſueverunt venditoribus bladi, & indè mercedem accipere, qui iuraverunt, quod de cætero non portarent eam, & ex hoc multùm damnificati ſunt, quià venditores bladi ex hac occaſione ſibi de menſura alià providerunt; Numquid contrà tale iuramentum venire poſſunt?

Reſpond. Rodon. quod hoc non poſſunt auctoritate proprià, niſi ad tantàm inopiam venerint, quià nullatenus haberent undè aliàs viverent, etiàm de elemoſynis; Epiſcopus tamèn ſinè tanta neceſſitate poſſet huiuſmodi iuramentum in melius commutare, cùm nulli ſit utile, & aliquibus ſit damnoſum. Numquid uno illorum periurante, poteſt altèr contrà iuramentum venire? Reſpondet Rodon., quod ſi altèr prædictorum iuravit, vel iurare intendit ſub conditione, ſcilicèt, quod non portaret huiuſmodi menſuram, ſi altèr non portaret, tunc altero iuramentum non ſervante, nèc iſte tenetur ſervare; Si autem abſolutè iuravit, in omnem eventum, ſervare tenetur quidquid altèr faciat; Si verò neſciat quomodò iuraverit, vel quid intenderit, diſtingue, quod ſi emolumentum menſuræ ſit ipſis duobus commune à quocunque illorum peteretur, uno perjurante nihilominus altèr ſervare tenetur iuramentum, cùm nullum ex hoc ei fiat præiudicium; ſi autèm ſoliùs portantis menſuram ſit emolumentum, eſt benignè interpretandum, quod fidem non ſervanti, fidem ſe ſervaturum non promiſit cum ſuo damno, & alteriùs lucro; Undè non tenetur ſervare, alterò non ſervante. *Hoſt. etiàm*, & *Inno*: & *Ber. extrà c. pervenit* 2. *dicunt*, quod ſi duo aliquid ſibi invicem iurent, uno illorum non ſervante, altèr ſervare non tenetur. *Extrà cap. ſicut* 3. *in fin.* & hoc, niſi illud promiſſum ſit ad Dei honorem; 33. *q.* 5. *quod Deo*.

Eſtò quod multitudo aliquà iuret ſe facturam aliquid, vel non facturam, numquid duobus, vel tribus contravenientibus, poſſunt reliqui contravenire?

Reſpondeo ſecundùm Rod. ſi ſimplicitèr, & abſolutè, & in omnem eventum ſit iuratum, quilibèt tenetur ſervare quod iuravit, quicquid faciant alii; Si autèm ſub conditione, vel ob cauſam.

ſum ſit iuratum, nullus tenetur, niſi exiſtente conditione, vel cauſa, propter quàm eſt iuratum, *art. 22. quæſt.4. non ſolùm; extrà de condi. appo. verùm*, *& extra de jurejur. pervenit ſecundò*; & hoc intellige, ubi totà obligatio ponebatur in eventum conditionis, quià ſcilicèt iurans non intendebat ſe obligare, niſi exiſtente, vel veniente conditione; Aliàs ſi intendebat, ſe obligare non tantùm propter illàm conditionem, ſed etiàm propter aliàm cauſam, tenetur implere, licèt non extet conditio illa; Undè ſi quis iuret ad Sanctum Jacobum ire, ut fratrem ſuum videat, & peccata ſua redimat, licèt ſciat fratrem ſuum deceſſiſſe, nihilominùs tenetur propter aliàm cauſam; & idem intellige, quandocunque quis iurat ex duabus, vel pluribus conditionibus, vel cauſis, & nihilominùs intendit ſe obligare qualibèt earum extante, & hoc intellige ſervandum fore in foro Eccleſiæ, non in foro pœnitentiæ, ubi iudicatur de intentione.

Quid ſi quilibet de illa multitudine iuravit aliquod ſe facturum, vel non facturum ſi alii ſervarent, numquid duobus, vel tribus illud non ſervantibus poterunt alii contravenire?

Reſpondet Rod. quod in foro pœnitentiali recurrendum eſt ad intentionem iurantium, & ſecundùm eam erit iudicandum, ſcilicèt quomodo ſit intelligenda conditio illa, ſcilicèt, ſi alii ſervent, utrum ſcilicèt, ſi omnes alii ſervent, vel aliqui.

Quid ſi neſciatur, utrum illa conditio intellecta fuerit de omnibus, vel tantùm de aliquibus, vel ſi dubitetur, utrum ſit iuramentum ſub conditione, vel ſimplicitèr?

Reſpondet Rod. quod ſi iuramentum ſpectet tantùm ad commodum iurantium, & medietas multitudinis, vel maior pars non ſervèt iuramentum, cæteri non tenentur, quià iam non extat conditio, ſub qua eſt iuratum, quià quod facit medietas, ut maior pars, facere dicitur univerſitas; Si autèm medietas, vel maior pars adhùc ſervet, & hoc vergat in damnum ſervantium, & lucrum non ſervantium, benignè interpretandum eſt, quod aliquibus non ſervantibus, alii non tenentur ſervare, ſicut dictum eſt ſupra in caſu de menſura communi, quià non eſt veriſimile, quòd aliquis iurantium voluerit conditionem ſuam facere deteriorem, & aliorum meliorem; ſi autèm ſervantes iuramentum ex hoc nullum incommodum patiantur, non eſt tutum eis contravenire, ſed denuncietur prælato, ut cogat, vel iurantes ſibi invicem iuramentum remittere, vel non ſervantes ſervare; Si autèm, quòd eſt iuratum ſpectet ad Dei cultum, vel pietatem, vel religionem, aut ſi tale quid ſit iuratum, quod ſinè iuramento teneretur facere, omnes tenentur, etiàm ſi alii non ſervent; Si autèm dubitetur utrũ iuratum ſit ſimplicitèr, & abſolutè, vel ſub conditione; Aut ſi neſciam de quot aliis intelligant conditionem illàm, ſcilicèt, ſi alii ſervarent, teneri debet certum, & dimitti incertum, & interpretandum eſt, quod iurantes ſunt obligati per hujuſmodi iuramentum, niſi maior pars iurantium tranſgreſſa fuerit illud; tunc enim quaſi jam conditio non exiſtit.

ARTICULUS XI.

De Relaxatione juramenti.

SEquitur videre de undecimo, ſcilicèt de diſpenſatione, & relaxatione, ſivè abſolutione juramenti. Circà quod, ſciendum, quod *ſecund. Bern. extra c. Quanto*. Papa poteſt quemlibèt abſolvere à juramento ex juſtà cauſa, putà proptèr intolerabile ſcandalum, vel ſi prorogetur in multos malum exemplum, clavè tamèn diſcretionis præcedente. Hujuſmodi ſententiæ fuit *Tan. 15. quæſt. 6. auctoritatem*; ubi pleniùs de hoc. Dicit etiàm *Ber. extra c. petitio*, quod declaratio, ſivè interpretatio juramenti pertinet ad Papam, ſivè dubitetur de ipſo, qualitèr ſit ſervandum, *extra c. quantò*; ſivè dubitetur, utrum ſit licitum, vel illicitum, *extrà c. de elec. venerabilem*. Rod. autèm dicit, quod non tantùm Papa, ſed etiàm Epiſcopus juramenta licita, ſicut & vota poteſt in meliùs commutare, maximè cum juratur, quod nulli eſt utile, & alicui eſt damnoſum, ut ſi quis juret, quod non loquatur Martino, vel non comedat cum eo, vel non intrabit domum ejus, vel non recipiet aliquid ab eo, vel non ſerviet ei, niſi juraverit hoc, ut vitet occaſionem peccandi, quàm ſolet incurrere quis ex familiaritate alicujus perſonæ.

Nec obſtat *illud extra de elec. venerabilem*, ubi dicitur, quod & ſi juramentum fuerit illicitum, Papa conſuli debuit, eo quod ad Papam pertinet decernere, an juramentum illud fuerit licitum, vel illicitum, quià loquitur de Regno Alemaniæ, quod qui habèt, eo ipſo Imperator debet eſſe, quod ſinè approbatione Papæ non debet fieri; & fortè circà magnas perſonas, & ardua negocia, proptèr ſcandalum, ſolus Papa poteſt interponere partem ſuam in talibus juramentis; & fortè etiàm in juramento univerſitatis propter ſcandalum non poteſt Epiſcopus diſpenſare, vel in aliud commutare; licèt hoc poſſit in juramento perſonæ privatæ. Poteſt etiàm dici, quod, quandò juramentum eſt dubium, vel licitum, ſolùs Papa poteſt ipſum relaxare ſinè aliqua commutatione, quià ejus auctoritas excepta videtur; Epiſcopus verò etſi non poſſit à juramento ſimplicitèr abſolvere, poteſt tamèn in meliùs cõmutare. Nec hoc eſt contrà juramentum venire, vel ipſum infringere, *extrà de jurejuran. pervenit 2.* hæc Rod.

Inno. autèm, *& Hoſt. extrà c. debitores* dicunt, quod Epiſcopus in juramentis diſpenſat, ſi ſint dolo, metu, vel vi extorta, 15 *quæſt. 6. c. 1. & 2. extrà c. cum contingat*; Immò etiàm Epiſcopus poteſt quandoque ex cauſa in juramentis licitè factis, vel præſtitis diſpenſare, 15. *q. 6. nos Sanctorum*, *& c. juratos*. *Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. cap. 3. verò*; Circà hoc diſtinguit, ſcilicèt,

cèt, quod illud, quod promittitur ſub juramento, aut eſt manifeſtum peccatum, & tunc nullo modò ſervari debet; aut eſt boni majoris impeditiuum, ut cum quis jurat ſe non intraturum religionem, & tunc licèt ſervare, & non ſervare; & in his duobus caſibus non indigit diſpenſatione; aut eſt dubium, utrùm ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel neceſſarium ſimplicitèr, vel in caſu; & in hoc quilibèt Epiſcopus poteſt diſpenſare; aut eſt manifeſtè licitum, & utile, & tunc videtur habere locum diſpenſatio, vel commutatio, ſi aliquod melius faciendum occurrat ad communem utilitatem; Quod maximè pertinere videtur ad poteſtatem Papæ, qui curam habet univerſalis Eccleſiæ, quià etiàm ad Papam pertinet in omnibus generalitèr, quæ ſpectant ad diſpenſationem rerum Eccleſiaſticarum, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis; ſicut etiam ad unumquemque pertinet irritare juramentum à ſuis ſubditis factum circà ea, quæ ſubduntur ejus poteſtati, ſicut poteſt pater irritare juramentum puellæ, & vir uxoris, ut dicitur *Num. cap. 30.* ſicut dicetur infra de voto.

Pone, quod aliquis juramento teneatur aliquid facere, & petat dilationem, vel abſolutionem, & obtineat ab eo, cui tenetur; quæritur utrùm ſit ex toto abſolutus a juramento? Et videtur, quod non, quià Deo reddendum eſt juramentum *extrà c. debitores.*

Reſpondeo ſecundùm Ray. Si juramentum in favorem Dei fiat, & per illud homo ſe obligare Deo intendat, non poteſt abſolvi ab homine, niſi per commutationem in melius, ſicut infrà dicetur de votis.

Si tu dicas, quod ille non intendit ſe obligare Deo, ſed tantùm homini. Reſpondet Rod. quod nihilominùs ab homine non poteſt abſolvi ex quo jurat, ſe facturum aliquid in favorem Dei; ſicut ſi juraſſem tibi, quod darem Titio decem ſoldos in favorem ejus, non poſſes mihi remittere hujuſmodi juramentum; Si autèm tale juramentum ſit factum in favorem hominis, & ille ſpontè abſolverit, poſteà non tenetur, & idem eſt de dilatione ſolutionis faciendæ, ſi juratum fuerit, quod fiat circà diem *extrà de ſpon. præterea 1.*

Numquid, cum jurat univerſitas aliqua, ſivè cum jurant aliqui, ſe facturos aliquid, remittere poſſunt ſibi invicem juramentum hujuſmodi?

Reſpondet Ray. & Rod. quod ſi tale juramentum pertineat ad Dei favorem, vel cultum, vel religionem, vel pietatem, ſibi remittere non poſſunt, ut ſi duo jurent, quod ultrà mare Deo militare ibunt, vel quod religionem intrabunt, vel quod dicent duo, vel tria pſalteria pro invicem, vel ſi aliqui Mæchanici jurent, quod de ſuo lucro certam portionem dabunt in aliquos pios uſus; ſi tamèn aliqui jurent, quod ultrà mare ſimul ibunt, remittere ſibi poſſunt, quod ſimul non eant ſed non poſſunt remittere ſibi quin vadant; Quandò autèm juramentum reſpicit temporalem commodum, diſtingue, quià ſi ſub juramento facere tenentur, quod iurant, ſibi remittere non poſſunt, quià propter ſalutem animarum videtur ſic iuratum, ut ſi carnifices iurent, quod carnes infectas, vel corruptas pro ſanis non vendent; aut mercatores, quod non ſophiſticabunt merces ſuas, nec propter, terminum cariùs vendent. Si autem non tenentur ſervare quod iurant, niſi quià iurant, tunc diſtingue, quod ſi obſervantia iuramenti ſpectet tantùm ad commodum, vel incommodum iurantium, & iurent de dando, ſivè faciendo aliquo alteri ab altero, poſſunt remittere ſibi, ut ſi quis iuret alio, quod faciat aliquam operam ſibi, & aliùs ei iuret, quod mercedem ei reddet; vel quandò ſocii iurant de communicandis ſibi invicem omnibus ſuis lucris. Si autèm non iurent ſuper aliquo faciendo, vel non faciendo ſibi invicem, ſed aliàs iurant ſe aliquid facturos, non poſſunt remittere ſibi, ut in caſu poſito ſupra de habentibus communem menſuram; Vel cum iurant duo ſocii, quod non negociabuntur tali, vel tali mercatione, vel quod non ibunt ad nundinas tales; Si verò iuramentum reſpiciat commodum, vel incommodum alienum diſtingue, quià ſi obſervatio iuramenti reſpiciat commodum alienum, non poſſunt remittere ſibi, ut ſi auri fabri iurent, quod non vendent opera ſua niſi de materia ſic, vel ſic purgata.

Si autèm obſervatio iuramenti ſit damnoſa aliis non eſt obligatorium, ut ſi iurent ſutores, quod nihl facient in nocte de opere artis ſuæ, vel certis temporibus anni, proptèr raritatem cariùs vendent opera ſua, vel quandò cives alicuius civitatis, vineas habentes iurant, quod non permittant vinum allatum aliundè vendi in territorio ſuo, quamdiù vinum illius territorii invenietur venale pro pretio tali; Licèt autèm huiuſmodi iuramenta non obligent, quià illicitum eſt, quod iurant, cum ſit peccatum etiàm ſinè iuramento, talia aut facere, vel ſervare corrupta intentione, tamèn proptèr reverentiam Sacramenti, & ſcandalum aliorum, non expedit, quod huiuſmodi iuramenta ſibi remittant auctoritate propria, vel veniant contrà ea, ſed auctoritate Epiſcopi ſunt revocanda, vel potiùs non tenuiſſe denuncianda, & pœnitentia de ipſis eſt imponenda.

TITULUS XIX.

De Perjurio.

ARTICUS PRIMUS.

De multiplici perjurii acceptione.

POſteà conſiderandum eſt de periurio. Et primò de eius multiplici acceptione, & quale peccatum eius ſit veniale, vel mortale: Secundò de Gravitate peccati eius per comparationem ad quædam aliâ peccata. Tertiò de quibuſdam dubiis circà materiam iſtam. Quartò de eius pœna.

Circà primùm, ſciendum, quod periurium *ſecundùm Gof. & Hoſt. tit. de juram*: dicitur quatruplicitèr, ideſt falſa iuratio, iuramenti tranſgreſſio, indiſcreta iuratio, & mendacium firmatum iuramento; Primò modo periurium, ſcilicèt prout eſt falſa iuratio poteſt eſſe triplicitèr; aut quià eſt falſitas ex parte iurati tantùm, ut cum quis iurat falſum, quod credit eſſe verum; aut ex parte iurantis tantùm, ut cum quis iurat verùm, quod credit eſſe falſum; aut ex parte utriuſque, ut cum quis iurat eſſe verùm, quod eſt falſum, & credit eſſe falſum; & in his duobus modis ultimis eſt mendacium firmatum iuramento, quod eſt quartum membrum primæ diſtinctionis; undè falſa iuratio prout eſt primùm membrum primæ diſtinctionis erit ſolùm, quandò falſitas eſt tantùm ex parte iurati. Primò modo falſa iuratio, *ſecundùm Gof. & Hoſt. & Bern. extrà de jurejuran. tua*, ideſt ſi ignorantèr fiat, & habita omni diligentia nullum peccatum inducit, 22. *quæſt.* 2. *homines*. Non adhibita verò omni diligentia eſt peccatum veniale *diſt.* 32. §. *verum in fin. Ray.* verò dicit, quod huiuſmodi falſa iuratio ſi ſit adhibita diligentia debita eſt veniale; Si verò proveniat ex ignorantia iuris, vel facti craſſa, & ſupina eſt mortale, 22. *quæſt.* 5. *qui perjurat*; Secundo vero, & tertiò modo iuratio falſa ſi fiat jocosè, vel ſimulatoriè ſecund. Goff. eſt peccatum veniale, 22. *quæſt.* 2 *quod ait*, & *c. ult.* Secundùm verò Thom. ubi ſupra c. ſecundùm Petr. & Ray. eſt peccatum mortale propter irreverentiam Dei; Si verò fiat ſeriosè eſt peccatum mortale *ſecund. Goff. & Thom.* 2. 2. *quæſt.* 98. *art.* 3. *cap.* 22. *quæſt.* 2. *homines*.

Sed circà hunc modum ultimum *Richar.* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 3. *art.* 2. *c.* diſtinguit ſic, ſcilicèt, quod ille, qui iurat, aut deliberat de dicto confirmando, & de iuramento, per quod eſt confirmandum, & iurat ſolemnitèr in præſentia Judicis; & ſic periurans non tantùm mortalitèr peccat, ſed etiàm ſi pro tali periurio feratur ſententia deffinitiva contrà eum in cauſa accuſationis, eſt infamis, 6. *quæſt.* 1. *infames*. Aut deliberat de dicto confirmando, & iuramento, non tamèn ſolemniter periurat; & ſic etiam iurans mortaliter peccat, cum expreſsè faciat contrà Dei præceptum. *Levit.* 19. *Non jurabis in nomine meo.* Aut deliberat de dicto, ſed non de juramento; & ſic poteſt contingere, quod homo perjuret ſinè mortali peccato, tamèn eſt ad minus veniale grave; Aut de neutro deliberat, ſed totum profert ex ſurreptione; & ſic perjurans peccat etiàm venialitèr, minus tamèn, quàm in caſu præcedenti, hæc Ric. ibid. & convenit cum eo *Bon.* 3. *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 3. *c.* concordat etiàm ſatis *Thom. ubi ſup. cap.* 3. ulterius addit Riccar. ubi ſup., quod illud, quod ex ſurreptione procedit non eſt perfectè voluntarium; ad hoc autèm, quod quis mortaliter peccet, requiritur, quod peccatum ſuum ſit plenè voluntarium directè, vel interpretativè, quod dico proptèr illum, qui cum deliberare poſſit, & deliberare contemnit, ſi ex tali contemptu ex ſurreptione perjurat, videtur multis, quod non excuſetur à mortali; ſecùs eſt, ſi omittit deliberare ex negligentia.

Perjurium verò ſecundo modo dictum, ſcilicèt, quod eſt tranſgreſſio juramenti, ſi ſit tranſgreſſio juramenti illiciti, ſic eſt peccatum in jurando, ſed non in contraveniendo, quin etiàm nullo modo eſt ſervandum, 22. *quæſt.* 4 *cap.* 1. 2. & 3. Si verò ſit trangreſſio juramenti liciti eſt mortale peccatum, 6. *quæſt.* 1. *quicumque*.

Perjurium autèm tertio modo, ſcilicèt ſecundùm quod eſt juratio indiſcreta eſt ſecund. Goff. peccatum veniale, *diſt.* 25. §. *Criminis in fin. Bern. verò extra de jurejuran. tua.* 1. diſtinguit; quod ſi fiat ex deliberatione eſt peccatum mortale *extra c. ſicut ex litteris*; ſi vero jocosè, vel incautè eſt veniale, *diſt.* 25. §. *aliàs ea demum*; & ſatis concordat *cum Ber. Bon* 3. *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 3. *c. Ric.* 3. *diſt.* 39. *quæſt* 3. *art.* 2. *c. Thom. ubi ſup. c.* 3. & *Ray.*

Ad hæc nota *ſecundum Bonaven. ubi ſup. art.* 2. *o.* quod perjurium eſt malum non tantùm in ſe, ſed etiàm ſecundùm ſe, ita quod nullo modo poteſt fieri benè; Ratio hujus eſt duplex; una, quià perjurium plerumque claudit in ſe mendacium, quod eſt in ſe malum; ſecunda autèm ratio eſt generalis, quià omnis perjurians ſummæ veritati contumeliam facit, dùm eam ad ejus confirmationem inducit, ad quod non deberet aſſumi; Et ideò, quià non deordinat hominem tantùm ad proximum, ſed etiàm ad Deum, indè eſt, quod ſemper eſt malum.

Sed numquid, ſi quis perjuret neceſſitate compulſus, excuſabitur à peccato?

Reſpondeo, quod eſt neceſſitas naturæ, & neceſſitas coactionis. Neceſſitas naturæ non habet legem: *de conſ. diſt.* 1. *ſicut*, & *extra de conſue. quanto*. Undè & à tanto, & à toto poteſt excuſare, *extra c. querelam*. Neceſſitas verò coactionis non excuſat à toto in his, quæ ſecundum ſe ſunt mala, ſed excuſat ſolùm à tanto, quià voluntas ſufficientèr cogi non poteſt. *extra de his, quæ vi factis*. Et propterea, quia perjurium eſt ſecundum ſe malum quantumcunque

quis ad illud cogatur, non omninò excuſatur. *Hæc Bon. ibid. o.* & convenit cum eo Guilel.

Petrus autèm diſtinguit, *3. diſt. 39. q. 1. art. 3. c.* quod duplex eſt coactio, ſcilicèt abſoluta, quæ excuſat à toto, & conditionata, quæ excuſat à tanto; primà cadit in corpore, non in anima; ideò actus omninò corporales poſſunt per coactionem excuſari totalitèr à peccato; ſecunda cadere poteſt etiàm in anima, ideò actus animę, vel ſoliùs, vel mediante inſtrumento corporeo excuſari poſſunt à tanto, non à toto; & hujuſmodi actus ſunt mendacium, & perjurium, & ideò per coactionem poſſunt excuſari à tanto, non à toto, & *concor. Guilel. & Goſ. in ſum. tit. his, quæ vi.* Probatur primum membrum prædictæ diſtinctæ diſtinctionis, *32. quæſt. 5. quaſi per totum.* Secundum membrum *extra de his, quæ vi fecrit.* Quod autèm dicitur *extra de jurejuran. verùm*; quod illi, qui venerunt contrà juramentum vi, vel metu præſtitum pro vita, & rebus ſervandis, non ſunt propter hoc puniendi tanquàm pro crimine mortali, hoc ideò dicitur ſecund. *Ric. 3. diſt. 39. quæſt. 3. art. 2. cap. 3. & Thom. 2. 2. quæſt. 3. cap. 1.* non quià non peccent mortaliter, ſed quià ſunt puniendi pœna minori, quià ut dicitur *in Gloſſ.* ibi metus attenuat culpam, ut dicitur in *c. ſacris*; vel etiam ſecundum *Ric. ubi ſup. c. 2.* illud intelligitur in judicio fori.

ARTICULUS II.

De gravitate peccati Perjurii.

Circà ſecundùm, quæruntur plura.

I. Utrùm perjurium ſit majus peccatum quàm homicidium?

II. Utrùm perjurium ſit majus peccatum quàm adulterium?

III. Utrùm perjurium ſit majus peccatum, quàm furtum.

Circà primùm reſpondeo; quidam dicunt quod ſic; pro eo quod perjurium eſt contrà rationis ordinem directè, & immediatè reſpicientem Deum; & Homicidium eſt cotrà rationis ordinem directè, & immediatè reſpicientem proximum; & pro eo, quod perjurium eſt contrà pręceptum primæ tabulæ; homicidium verò contrà præceptum ſecundæ tabulæ.

Sed contrà iſta eſt; quod eiſdem rationibus concludi poſſet, quod graviùs eſſet in Dominica facere opus ſervile, quàm homicidium; ideò alii dicunt, *ut Ric. 3. diſt. 39. quæſt. 4. art. 1. c.* quod graviùs peccatum eſt homicidium, quàm perjurium, quià tantò peccatum eſt gravius, quantò contrariatur directè majori virtuti, & actui digniori; Sed perjurium eſt directè, & immediatè contrà actum virtutis latriæ, ut patèt ex ſuperioribus; homicidium, autèm eſt directè, & immediate contrà charitatem ratione actus ſecundarii, qui eſt proximum diligere. Certùm eſt autèm, quod nobilior virtus eſt charitas, quàm latria; Nobilior etiàm eſt actus proximum ex charitate diligere, quàm verùm ex legitima cauſa jurare. Gravius ergò peccatum eſt homicidium, quàm perjurium.

Circà ſecundum; reſpondet *Ric. ubi ſup. art. 2. c.* quod ſic; quià tantò peccatum eſt gravius, quantò corrumpit ordinem digniorem, ſi æquè perfectè corrumpit ipſum, ſicut ordo minus dignus corrumpitur per aliud peccatum; Certum eſt autèm, quod ille ordo eſt dignior, qui debet eſſe hominis ad Deum immediatè, & directè, quàm ille, qui debet eſſe ad proximum, & ad Deum, proximo mediante; primus autèm ordo corrumpitur per perjurium, ſecundus corrumpitur per adulterium; Nec ordo ſecundus corrumpitur perfectiùs per adulterium, quàm primus per perjurium; adulterium enim non eſt propinquiùs maximæ injuriæ, quæ poſſit eſſe contrà Deum, immò è converſò; perjurium enim eſt propinquiùs blaſphemiæ, quæ eſt contrà Deum ex ejus odio, quàm adulterium homicidio.

Circà tertium reſponſio patet ex dictis, quod ſic; cum perjurium ſit majus peccatum, quam adulterium, quod eſt majus, quàm furtum.

ARTICULUS III.

De quibuſdam dubiis circa materiam perjurii.

Circà tertium, quod eſt de quibuſdam dubiis; quæruntur plura, ſcilicèt.

Utrùm neceſſitas excuſet in juramento promiſſorio à perjurio, v. g. debitor juravit, quod in certo termino ſolveret, ſed impeditus ſolvere non poteſt?

Reſpondeo, ſecundum Ray.; Si tunc, quandò jurabat, credebat, quod ſolvere non poſſet, vel credebat, quod poſſet, ſed fatuè credebat, quià cauſam credendi non habebat, tunc in utroque caſu perjuravit, quià in primò veritas in conſcientia deerat, in ſecundò judicium; Si verò credebat ab initio, quod ſolvere poſſet, & probabilitèr, quantùm ad hoc non pejeravit, & ſi poſteà poſſe ſuum fecit, & in termino ſolvere non potuit non eſt propter hoc perjurus ex hac cauſa; & multò magis excuſatur ſi pæcuniam tempore debito miſit, ſed pecunia caſu in via perdita fuerit, *extra de jurejuran. quærelam*; Si tamèn elapſo termino ſolvere poſſet, & non ſolveret, pejuraret; lapſus enim termini non ſubſtulit obligationem juramenti, *extra de dolo, & contu. cum dilecti.*

Pone, quod univerſitas alicujus Civitatis, vel Collegii obligaverit ſe juramento ad aliquid; Mortui ſunt jurantes; quæritur utrùm ſucceſſores ſint perjuri, ſi tranſgrediantur?

Videtur, quod ſic, quià omnes obligationes anteceſſorum tranſeunt ad ſucceſſores, *extra de ſolu. cap. 1. & extra de uſuriſ. tua.* Itèm idem populus eſt hodie, qui fuit centùm annis retrò,

trò, 7. *quæſt. 1. deniquè*. Reſpondeo. Non ſunt perjuri; obligatio enim iuramenti perſonalis eſt ex parte iurantis, undè non tranſit ad ſucceſſores quantùm ad periculum periurii; tenetùr tamèn adimplere, *art. extra c. veritatis*, & per iura ſupradicta; ſed ex parte eius, cui iuratur tranſgreditur perſonam; undè ſi quis præſtet iuramentum fidelitatis prælato, & ſucceſſoribus eius, non tenetur illud præſtare ſucceſſori eius, licèt ſit ſucceſſori obligatus ad fidelitatem, ſicut anteceſſori; hoc fallit in Liberto, qui debèt infrà annum facere profeſſionem patrono novo, 12. *quæſt.2. ſæpè fit. Hæc Inno. & Ber. ſup. cap. veritatis*.

Pone; aliquis iuravit ſe ſervaturum ſtatuta in Eccleſia ſua edita; poſteà fit ibi ſtatutum novum, quod ipſe promittit per idem iuramentum ſe ſervaturum, & illud poſteà frangit. Eſt ne periurus?

Reſpondeò; licèt tranſgredi non debeat, quod promiſit, non tamèn tenetur ad illius obſervationem ex debito præſtiti iuramenti, *extra c. Clericus, qui juravit*; Et hoc patèt ſecundum Ber. ibidem, quià iuramentum non extenditur, niſi tantùm ad ea, de quibus cogitatum, & dictum fuit, non ad ea, quæ poſteà accidunt, *art. extra c. ad noſtram*; hoc autem intelligas ſanè, quandò ſcilicèt de ſtatutis præteritis factum fuit iuramentum; aliòquin ſi intendebat de ſtatutis tàm præteritis, quàm futuris, tenetur ad illud, etiàm ſi nullam poſteà fecit promiſſionem, dum tamèn ſit licitum ſtatutum.

Quid de illo, qui compulſus à Domino ſcientèr periurat?

Reſpondeo, quod ambo ſunt periuri, & mortalitèr peccant, dominus, quià præcepit, miles, vel ſervus, quià plùs dominum temporalem, quàm Deum, vel animam dilexit, 22. *q.5. qui compulſus*.

Quid de illo, qui provocat ad iurandum eum, quèm ſcienter, vel probabilitèr credit falſum iuraturum, vel exigit, vel recipit ab eo Sacramentum veritati contrarium, & ſcienter?

Reſpondeo *ſecundum Ric. 3. diſt. 39. q 3. art. 3. c. & Bon. 3 diſt. 39. quæſt. 2. art. 3. c. & Thom. 2 2. quæſt. 98. art. 4. c.* Inducens alium ad iurandum, aut hoc facit perſona publica, & ut perſona publica, & ſecundum ordinem iuris, & ſic non peccat, licèt eum falſum iuraturum credat; quià facit illud, ad quod ex officio tenetur; undè non tàm debet dici illum ad iurandum cogere, quàm pars adverſa, quæ petit hoc à iudice; aut facit hoc perſona privata, vel etiàm perſona publica, non tamèn hoc facit ut perſona publica, vel etiàm hoc facit ut perſona publica, tamèn contra ordinem iuris; & ſic gravitèr peccat *art. 22. quæſt. 5. ille qui*.

Quid ſi audiat aliquis alium iurare falſum, & ipſe ſcit, & tacèt; Numquid peccat? Videtur, quod ſic, quià dicitur *Levitic. 5. Anima, quæ audierit vocem jurantis falſum, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam*. Præterea non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare, 86. *diſt. facientis*. E contrariò videtur, quod peccet manifeſtando; Nàm, qui crimen occultum pandit, non errorem corrigit, ſed prodit, ut dicit *Aug. 2. quæſt. 1. ſi peccaverit*. Præterea ſi prodierit eum, punietur fortè ille in corpore, vel occidetur à iudice, vel etiam à parentibus illius contrà quèm volebat peierare, vel ipſemet proditor de facili poterit mortis periculum incurrere? Reſpondeo, Aug. hanc quæſtionem dicit eſſe valdè difficilem, & perplexam, tamèn ſic ſolvit eam, ſcilicèt, quod ex quo Moyſes in prædicta auctoritate Levitici non expreſſit cui hoc eſſet indicandum ſufficit iſti, ut ſe abſolvat ab hoc peccati vinculo, ſi indicet talibus, qui magis poſſent prodeſſe, quàm obeſſe periuro, ſivè eum corrigendo, ſivè Deum pro eo placando, ut ſunt Sacerdotes, vel honeſti, & diſcreti parentes; Et ad hanc denunciationem faciendam talibus perſonis tenetur quilibèt, ſecundum omnes, qui viderit aliquem vicinum præcipitem in peccato committendo, 22. *quæſt.5. hoc videtur*; Sed ad denunciandum crimen iam commiſſum, dicunt ferè omnes doc. quod tenentur prælati ex præcepto, alii verò non tenentur, niſi ex conſilio; & intelligas prælatos largè tàm Eccleſiaſticos, quàm Seculares, etiàm patremfamilias circà familiam ſuam, 23. *quæſt. 4. duo iſta. & e. quæſt. 5. non putes, & e. art. 23. q. 4. cap. 1.* Hug. verò dicit indiſtinctè omnibus eſſe præceptu mà Domino, ubi ait; *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Sed ad hoc poteſt dici, quod ibi loquebatur Dominus Petro, per quod patet, quod prælatis tantùm dabat præceptum. *Opt. art. diſt. 26.* Deindè opinio Hug eſt nimis rigida; undè prima magis placet ſecundum Ray.

ARTICULUS IV.

De Pœna perjurii.

Circà quartùm, ſcilicèt de pœna periurii, ſciendum, quod pro crimine periurii imponitur pœnitentia ſeptem annorum, *6. quæſt. 1. quicunque*, quià hæc pœnitentia pro quolibèt mortali imponitur, *3. quæſt. 2. hoc ipſum*; tamèn inſpectis modis periurii, & qualitate, & cęteris circumſtantiis, vel magis, vel minus eſt aſpera pœnitentia imponenda, ut habetur in *lib. 5. tit. de canonibus pœnitentialibus*, hoc eſt in iudicio animæ; Sed in iudicio corporis, ſi accuſatus criminali cauſa convincitur, degradabitur *diſt. 25. § criminis*; Et eſt infamis, nec ad teſtimonium admittitur quantumcunque pœnitentiam egerit, *ut extra de teſt. teſtimonium, & 6. q. 1. infames*; Ex quo enim ſemèl eſt probatum contrà eum periurium, etiàm in modum exceptionis, expellitur in alio iudicio; & patitur hanc pœnam ordinariam, quià hoc crimen nimis frequentabatur,

tur, 22. *quæſt. ult.* & quià ipſum crimen tangit falſum teſtimonium, *extra de teſtim. ſicut nobis*; Hoc intellige de eo, qui ſcientèr dejeravit ponendo falſum pro vero, vel è contrà, vel veritatem celando *extra de crim. falſ. cap.* 1. vel veniendo contrà illud, quod juramento firmavit, niſi excuſet eum aliqua de conditionibus tacitis ſibi annexis, de quibus habitum eſt ſup., & hoc, quandò juramentum fuit licitum, vel ſervandum; ſi autèm fuit temerarium; aut fuit ſimplex; aut colligatum; ſi ſimplex in foro judiciali ſecundum Goſ. privatur beneficio, *extra e. tua* 1. §. *caeterum*; Sed in foro pœnitentiali imponitur pœnitentia tantùm unius anni, 22. *q.* 4. *Sacramento*; vel dic. ſecund. Hoſtien. quod non privatur in primo caſu, niſi quandò per inquiſitionem de perjurio conſtat, *extra c. quærelam*; Ubi verò perjurium eſt ſimplex, & temerarium, non privatur, nec infamis efficitur, ideoque non repellitur à teſtimonio; *ut extra de teſt. intimavit*, nec à promovendo; *extra e. de jurejur. ſicut noſtris*; Sed perjurus ſuperior, cum ſit infamis non poteſt promoveri, *extra de exceſſ. prel. inter dilectos*; Nàm & repellitur ab obtinendo, & habet locum hæc pœna; ubi Clericus duo contraria conjuravit, cum perjurium tunc vitari non poſſit, *extra c. quærelam*. Et hoc eſt crimen magis puniendum in Epiſcopis, quàm in inferioribus, *ut extra e. cum quidam*; *reſpondeo primo*. Si verò juramentum temerarium ſit colligatum, ut in conjurationibus, vel conſpirationibus illicitis; Si Clerici, vel Monachi commiſerint ſunt degradandi; ſi laici excommunicandi, & fiunt infames, *ſecundum Can.* 2. *quæſt.* 1. *conſpirationum*, & *c. conjurationum*; Nec admittuntur in teſtimonium, *extra de ſim. per tuas*; niſi agatur de generali ſtatu Eccleſiæ, ubi quidem interrogentur, ſi dicunt contrà eum, contrà quem conſpiraverunt, dummodò per alios legitimè comprobetur, ſententia valet; Sed & contrà alios eorum teſtimoniis ſtant, *extra de re judic. c.* 1. 2. & 7. Sed & ad detegendum conſpirationem admittuntur, & coguntur, ubi alii teſtes deficiunt, *extra de teſt cog. cap. ult.* ne tantùm maleficium remaneat impunitum. Conſtitutio verò fœudorum punit ſingulos tales in una libra auri. *in lib. feud. de pace, jur. fir. ſer. l. hac edictali* §. *conventiculas*; Sed ſecundum legem antiquam pro perſonæ qualitate ad furcam tolluntur, aut beſtiis ſubjiciuntur, aut in inſulam deportantur. *ff. de pœniſ. l. ſi quis aliquid*, & *l. aut facta reſpondeo primo*. Qui etiàm tales recipiunt, vel defendunt contrà Dei juſſionem, pœnam graviſſimam patiuntur, *c. de ſeditioſis l.* 1. & 2.

Utrùm autèm perjurus ſit infamis, diverſi diverſimodè dixerunt. Azon enim dixit, quod perjurus in juramento de præſenti, vel de præterito non eſt infamis, nec in juramento de futuro, niſi veniat contrà duo, ſcilicèt contrà juramentum, & pactionem; Ray. verò dixit, quod perjurus in juramento aſſertorio non eſt infamis, ſed in promiſſorio ſic. His autèm reprobatis Goſ. & Hoſt. dixerunt, quod perjurus eſt infamis, ſivè de præterito, vel præſenti, ſi ſcientèr, & prudentèr ſub juramento falſum afferat: ſivè juramentum ſpontè factum de dando, vel faciendo volens frangat, 6. *quæſt.* 1. *infames*; Talis enim mortalitèr peccat; ergò eſt infamis infamia canonica, 6. *quæſt.* 1. *illi, qui*. Itèm periurium eſt crimen, *extra c. quærelam*, ergò eſt famoſum *diſ.* 25. §. *nunc au. v. in Epiſt. verò*; Nec obſtat illud *extra de or. cog. cum dilectus in fin.* quià teſtes, quorum teſtimonium reprobatur inter infames haberi non debent, ut dicitur ibi. Verùm eſt, infamia legali, quæ generalitèr non in ipſo facto, ſed per ſententiam irrogatur, ſecùs eſt de Canonica; Vel dicendum, quod teſtimonium teſtium reprobatur, nec ex hoc ſolo de periurio convincuntur, ut ſi negocio apta non proferant, vel cauſam ſui teſtimonii manifeſtam non faciant, vel per plures contrarium probatur; *hæc Hoſt.* & *Goff.*

Ad hæc nota, quod licèt Deus non faciat differentiam inter loquelam ſimplicem, & loquelam iuratam, ut habetur, 22. *quæſt.* 5. *juramenti*; Eccleſia tamèn facit; quià mendax ſimplex non patitur pœnam quoad infamiam, & repulſam à teſtimonio, & à promotione, ſicuti mendax iuratus. Et hoc intellige ex quo eſt de crimine emendatus, *ut extra de teſt. teſtimonium*, minor etiàm pœna ei imponetur, quià minor eſt ibi contemptus, Hæc Hoſtien.

TITULUS XX.
De Voto.

ARTICULUS PRIMUS.
De fine, propter quèm dicitur fieri Votum.

CONſequentèr conſiderandum eſt de Voto. Et primò de fine propter quèm dicitur fieri. Secundò de forma, ſecundùm quàm debet fieri. Tertiò, de quibus debet fieri. Quartò quid eſt Votum. Quintò de ſpeciebus, & differentiis Voti. Sextò quis poteſt vovere. Septimò de Voti obligatione. Octavò de caſibus, in qubus poteſt à voto recedi. Nonò de Voti utilitate. Decimò de Voti commutatione. Undecimò de diſpenſatione. Duodecimò de prædicatione crucis.

Circà primùm quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm teneat votum de re bona factum propter malum finem?

II. Utrùm teneat votum de re bona factum propter temporale bonum; puta ſi quis propter ſanitatem corporis recuperandam voveat ſe facturum aliquod bonum?

III. Utrùm quis vovere poſſit aliquid propter finem indifferentem?

Cir-

Circà primùm; reſpondeo, quod non; & hoc patet; nam magis dependet votum à ſuo fine, quàm à ſua materia, quià *ſecundum Philoſophum 2. Meth. finis eſt cauſa cauſarum*; Sed votum factum de materia mala propter finem bonum non tenet, ut infrà oſtendetur; ergò multò magis non tenet votum de materia bona factum propter finem malum; Undè tale votum vovens graviter peccat; puta ſi quis voveret ſe ieiunaturum, ſi occiderit ſuum inimicum, *hæc Ric. 4. diſ. 38. quæſt. 1. art. 1. c.*

Circà ſecundùm, reſpondeo; Si vovens bonum illud non aſſequatur non tenet; nam in tali voto implicat huiuſmodi conditio, ſcilicèt ſi illud aſſequatur; & votum conditionale non tenet non exiſtente conditione, ut infra oſtendetur; ſed,

Obiicitur, quià votum de re bona factum propter finem malum non tenet ut dictum eſt, ſed bonum temporale eſt boni ſpiritualis finis malus, quià finis indebitus, g. &c.

Reſpondetur; Minùs bonum non eſt maioris boni finis per ſe, nec debitus, nec indebitus, quià nunquàm eſt finis eius ex intentione illius, qui principalitèr inſtituit ordinem in bonis; Non tamèn ſequitur, quod ſi ſtatuatur eius finis ex mala intentione voventis, quod eſt ipſum eſſe finem eius per accidens, quod verè poſſit dici eſſe manifeſtum, *hæc Ric. ubi. ſuprà 2. o.*

Circà tertiùm; reſpondeo, quod ſic ſumendo Indifferens reſpectu adeptionis vitę ęternę, ut cum quis vovet aliquod propter aliquod bonum temporale, quod habere non eſt utilius ei ad vitã æternam, quàm eo carere. Sumendo verò indifferens per reſpectum ad voluntatem voventis nullus aliquid vovere poteſt propter finem indifferentem; Impoſſibile eſt enim, quod aliquis intendat ſe obligare ad aliquod pro conſecutione alicuius rei, ad cuius adeptionem, vel non adeptionem voluntas indifferenter ſe habet, *hæc Ric. ubi. ſuprà art. 3. o.*

ARTICVLVS II.

De forma Voti.

SEquitur videre de ſecundò, ſcilicèt de forma voti. Et circà hoc quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm de forma Voti ſit, quod fiat Deo?

II. Utrùm de forma Voti ſit, quod fiat ex deliberatione?

Circà primùm; reſpondeo, quod ſic *extra c. magnæ* §. 1. nàm homo in voto obligat ſe ad faciendum aliquod bonum, Nulli autèm alio à Deo poteſt homo de iure ſe obligare totum, quià ſibi ſoli convenit de iure poteſtas ſuper hominem totum. Et nullus poteſt recipere de iure obligationem, niſi conveniat ei de iure poteſtas in illam rem; & ideò ſoli Deo poteſt fieri votum propriè loquendo de voto; quià tamèn ſalus totius hominis multùm promovetur per orationes Sanctorum, & illud aliquo modo poſſumus, licèt non plenè, quod impetrare valemus; ideò ſanctis aliquo modo convenit poteſtas ſuper hominem totum, & ideò poteſt fieri eis aliquo modo votum, non tamèn habens plenè rationem voti, *hæc Ric. 4. diſt. 38. quæſt. 2. art. 1. c.*

Circà ſecundùm, reſpondeo, quod votum dicitur à volendo, undè ſicut in nobis eſt duplex velle, ſcilicèt plenum, quod eſt deliberatiuum, & ſemiplenum, quod eſt velle ex ſurreptione; ſic eſt duplex votum, quoddam habens rationem plenam voti, quoddam non habens plenam rationem voti; de ratione primi eſt, quod ſit factum ex deliberatione, non autem de ratione ſecundi. Tale etiàm poteſt fieri ex ſurreptione; Et quià non habet plenam rationem voti; ideò non obligat de neceſſario, ſed de congruo tantùm, *extra c. venientis, & extra de regula ad noſtram*; Et ideò venire contra tale votũ etiàm propria auctoritate non eſt peccatum mortale, ut infrà dicetur; Nec intelligas per prædicta, quod actus volendi voluntatis cum deliberatione ſit de eſſentia voti, ſumendo votum pro obligatione, quæ manet poſtquàm tranſit actus ille, ſed quod de eſſentia voti ſic acceptã eſt, quod ſit factum per talem actum; ille tamèn actus convenientèr dicitur votum ſecundùm aliam ejus ſignificationem, *hęc Ric. ubi ſup. art. 2. c.*

Quid ergò de votis mulierum, quæ faciunt in partu, vel in infirmitatibus, vel anguſtiis ſuis, vel ſuorum; aut etiam, quæ viri faciunt moti ex aliqua anguſtia, vel turbatione? Numquid ea ſervare tenentur?

Reſpondeo, ſecundum Rod. ſi habuerunt intentionem obligandi ſe Deo, congitantes de cauſa, quæ movebat eos ad vovendum, ſcilicèt infirmitate, vel periculo, & de fine, ſcilicèt de evaſione periculi, propter quod evitandum vovebant, tenenda ſunt, licèt ex tribulatione, vel turbatione emiſſa ſint, juxta illud. *Pſal. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, & locutum eſt os meum in tribulatione mea, art. 17. quæſt. 4. ſunt qui opes*; nec fiunt hujuſmodi vota ſinè deliberatione, ex quo voventes ſunt in ſana mente: Idem credo de iuramentis, quæ non vergunt in deteriorem exitum.

ARTICVLVS III.

De quibus Votum fieri poteſt.

SEquitur videre de tertiò, ſcilicèt, de quibus votum fieri poteſt. Et circà hoc quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm votum fieri poſſit de re inutili ad ſalutem?

II. Utrùm votum fieri poſſit de omni bono utile ad ſalutem?

Circà primùm, reſpondeo *ſecundum Ric. 4. diſ. 38. quæſt. 3. art. 1. c.* quod ſic de facto; Multi enim fatui quandòque vovent non tantùm inutilia,

Digitized by Google

tilia, ſed etiàm nociva ad ſalutem; de iure verò non poteſt votum fieri, nec de malo culpę, quià Deus reſpuit obligationem oblatam ſibi contrà ſe ipſum: *undè Iſid. & habetur 22. quaeſt. 4. in malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum*; Nec de re inutili ad ſalutem ſub ratione, qua eſt indifferens, quià de ratione obligationis, quæ non eſt ad Dei honorem, nec eſt utilis ad offerentis ſalutem, non curat, & ideò talis obligatio non tenet ipſo jure; & dixi ſub ratione, qua, eſt indifferens, quià ſi ſit tale indifferens, quod per aliquam circumſtantiam per comparationem ad voventem ſit conferens ad ſalutem, ſic de illo poteſt fieri votum, licèt ratione generis ſit indifferens.

Si obiicitur de Jephte, qui propter votum filiam ſuam interfecit. *Judic. 11. & tamen hab. 11.* numeratur inter eos, qui per fidem vicerunt regna; dicendum, quod ipſe in vovendo fuit incautus, & in reddendo votum impius, ſed de illa impietate pœnituit, & ideò ſanctis annumeratus fuit; *hæc Ric. ibid. cap. 1.*

Circà ſecundum; reſpondeo ſecundum *Ric. ubi ſup. art. 2.* Votum aliud eſt commune, aliud ſingulare; ſivè votum aliud eſt neceſſitatis, aliud voluntatis; commune eſt, quod omnes in baptiſmo faciunt, cum diabolo, & pompis ejus renunciare promittunt, & tale ſit de eis, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; ibi tamèn diminutè invenitur ratio voti, quià votum propriè eſt quid voluntarium, & reſpectu principii, à quo procedit, & reſpectu ejus, quòd vovetur. Singulare eſt cum aliquis promittit, ſe ſpontè facturum aliquod bonum, ad quod aliàs non tenetur, licèt teneatur poſt votum. Et tale votum fieri non poteſt de bono neceſſario ad ſalutem; de his duobus votis *dicitur 17. quaeſt. 1. cap. 1. ſunt quædam, quæ non voventes, debemus, & quædam, quæ non voventes, non debemus, ſed poſtquam ea Deo promiſimus, neceſſariò Deo reddere conſtringimur.* Ad hoc nota *ſecundum Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. cap. 3.* quod maceratio proprii corporis, puta per vigilias, & jejunia non eſt Deo accepta, niſi in quantum eſt opus virtutis, quod quidèm eſt in quantum ſit cum debita diſcretione, ut ſcilicèt concupiſcentia refrenetur, & non nimis gravetur, & ſub tali tenore poſſunt hujuſmodi ſub voto cadere; propter quod *dicitur Rom. 12. rationabile obſequium veſtrum*; Sed quià in his, quę pertinent ad ſe ipſum, homo de facili fallitur in judicando, talia vota convenientiùs ſecundùm arbitrium ſuperioris ſunt ſervanda, vel prætermittenda; ità tamèn, quod ſi ex obſervatione talis voti magnum, & majus gravamen ſentiret, & facultas ad ſuperiorem recurrendi non adeſſet, homo tale votum ſervare non debet. Itèm vota hujuſmodi ſtulta, ut de non pectinando caput in Sabbato, & hujuſmodi ſunt potiùs deridenda, quàm ſervanda. *Hæc Thom. ibid.*

ARTICVLVS IV.

Quid ſit Votum.

SEquitur videre de quartò, ſcilicèt quid eſt votum. Et circà hoc quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm votū ſit actus latriæ, ſivè religionis?

II. Quid eſt votum ſecundum deffinitionem?

Circà primùm; reſpondeo ſecundùm *Thom. 2. 2. quaeſt. 88. art. 5. c.* Sicut dictum eſt ſupra, omne opus virtutis ad religionem, ſivè ad latriam pertinet per modum imperii, ſecundùm quod ad Dei reverentiam ordinatur, quod eſt proprius finis latriæ; ordinare autem alios actus in ſuum finem pertinet ad virtutem imperantem, non ad virtutes imperatas; et ideò ipſa ordinatio actuum cujuſcunque virtutis in ſervitium Dei eſt proprius actus latriè; Manifeſtum eſt autèm ex prædictis, quod votum eſt quædam promiſſio facta Deo; promiſſio verò nihil aliud eſt, quàm ordinatio quædam ejus, quod promittitur, in eum, cui promittitur. Undè votum eſt ordinatio quædam eorum, quæ quis vovet in divinum cultum, vel obſequium, & ſic patet, quod vovere eſt proprius actus latriæ.

Circà ſecundum; reſpondeo *Secundum Ric. 4. diſ. 38. queſt. 3. art. 2. cap. 2.* Ex prædictis de voto poteſt colligi talis deffinitio voti. Votum eſt propoſiti ſupererogātis boni promiſſio Deo facta propter bonum finem ex deliberatione firmata: ſupererogantis boni dicitur ad differentiam voti, quod eſt de bono neceſſario ad ſalutem, in quo voto non plenè invenitur ratio voti propoſiti, ideſt rei propoſitæ; Deo facta, dicitur ad differentiam promiſſionis homini factæ, quæ non habet rationem voti propriè dicti; propter bonum finem dicitur ad excludendum vota facta popter finem malum, quæ licèt ſint de re bona, non tamèn propriè loquendo ſunt vota; ex deliberatione firmata dicitur ad differentiam votorum, quæ fiunt ex ſubreptione, in quibus non invenitur plenè ratio voti, ut ſupra dictum eſt. Aliqui autèm ſupperaddunt intentionem obligandi ſe ad implendum promiſſum, dicentes ex nuda promiſſione etiàm ex deliberatione facta non obligari promittentem; ſola enim deliberatio non firmat promiſſionem: Prædicta autèm deffinitio eſt communis voto tàm publico, quàm privato, ſivè per vocem ſenſibilem expreſſo, ſivè per locutionem interiorem tantùm. Illa autèm deffinitio; votum eſt conceptio melioris propoſiti animi deliberatione firmata, eſt deffinitio voti taciti, quod fit Deo per locutiònem interiorem tantùm; deffinitio verò voti, quàm ponit Magiſter ſententiarum *lib. 4. diſ. 38.* ſcilicèt votum eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ ſunt Dei fieri debet, convenit voto per ſenſibilem locutionem expreſſo, ſivè ſolemni, ſivè privato. *Hæc Ric. ibid.* Ad hoc nota, quod votum per metum emiſſum, per patientiam, & perſeverantiam ſequentis temporis

poris ſit validum, *extra qui cle. vel vo. inſinuante.*

ARTICULUS V.
De ſpeciebus, & differentiis Voti.

SEquitur videre de quintò, ſcilicèt de ſpeciebus, & differentiis voti. Circà quod ſciendum, quod votum aliud eſt neceſſitatis, aliud voluntatis, quæ patent ex dictis *ſup. art. 3. quæſt. utrum votum fieri poſſit de omni bono utili ad ſalutem*. Votum verò voluntatis communitèr ſolet dividi in votum ſimplex, & in votum ſolemne. Votum ſimplex eſt, quod ſimplicitèr, & ſinè aliqua ſolemnitate emittitur; Votum verò ſolemne eſt ſecundum Rod. cui certa notificatio, vel expreſſio de jure, vel de conſuetudine introducta adhibetur, puta in voto Terræ Sanctæ, ſolemnitas adhibetur pro ſuſceptione Crucis; Tamèn ſecundum Gof. & Hoſt. ſolùm votum continentiæ ſolemnizatur. Poteſt etiàm *ſecundum Ricar. 4. diſ. 38. quæſt. 7. art. 3. c.* dici, quod non tantùm votùm continentiæ, ſed etiàm votum religionis, & per conſequens votum continentiæ, & votum obedientiæ, & etiàm votum paupertatis ſolemnizantur, quià votum religionis includit vota prædicta; ſolemnitas autèm, de qua loquitur Rod. eſt potiùs quædam publicatio, quàm propriè dicta ſolemnizatio; hujus autèm ſententiæ eſt *Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 7. cap. 2.* quià non particularibus actibus, ſivè operibus, ſed aſſumptioni novi ſtatus ſolèt ſolemnitas adhiberi, ut cùm quis de novo fit miles, vel conjux; & ideò cum quis vovet aliqua particularia opera ſolemnitas tali voto non congruit, ſed tantùm voto, quo ſe totaliter Dei ſervitio ſubjicit, quod quidem votum quaſi univerſale multa opera particularia compræhendit; *hæc Tho. ibid.* Undè ſciendum, quod ſecundùm Ric. ubi ſuprà, propriè loquendo, differentia eſt intèr votum publicum, & ſolemne, quià quodlibèt votum coràm multis, & in publico factum poteſt dici publicum, ſed non quodlibet tale poteſt dici ſolemne, non enim dicitur votum ſolemne, niſi quod habet in ſe aliquod annexum, ut in publicũ debeat venire, & per quod vovens ponitur in alteriùs hominis poteſtate, & tale eſt votũ in Sac. Ordinis ſuſceptione, per quèm ſuſcipiens conſtituitur Miniſter Eccleſiæ ad ſerviendum Deo publicè, & ponitur alitèr, quàm anteà ſub Epiſcopi poteſtate; undè tale votum eſſet ſolemne, etiàm ſi prædictum Ordinem ab Epiſcopo ſuſciperet in ſecreto, Profeſſio etiàm in religione facta, in ejus manu, qui poteſt eam recipere habet aliquid annexum in ſe, quò debet in publicum venire; Undè talis profeſſio ſolemnizat votum etiàm ſi in ejus manu fieret, qui poteſt eam recipere in ſecreto, quià talem oportet ſingularem vitam dimittere, & in clauſtro cùm aliis ſui Ordinis converſari, & ad hoc poteſt per prælatum cogi. Quarè autèm tale votum dirimat matrimonium jam contractum dicetur *in lib. 8. tit. 16. art. 1.*

Et premiſſis autèm dictis Ricar. ubi ſuprà videtur alitèr poſſe dividi votum, quàm diviſum ſit ſuperius, ſcilicèt hoc modò. Votum aliud eſt ſecretum, ut eſt illud, quod eſt voventi, & Deo notum; aliud publicum, ut illud, quod eſt coràm aliquibus aliis perſonis factum, ſivè notificatum; & publicum votum, aliud eſt non ſolemne, ut illud quod eſt qualitercumque aliis perſonis notificatum, aliud ſolemne, ut illud, quod habèt in ſe aliquod annexum, ut in publicum debeat venire, & per quod vovens ponitur in alteriùs poteſtate, ut dictum eſt ſuprà ſecundùm Ric. ubi ſuprà; vel poſſet dici, quod votum ſolemne eſt, cui ſolemnitas expreſſa in jure adhibetur. Sub voto autèm ſimplici, ſecundùm quod jura loquuntur de eo, intelligo compræhendi votum ſecretum, & votum publicum non ſolemne. Itèm votum; aliud purum, & abſolutum, ut cum ſimplicitèr emittitur; aliud conditionale, ut quandò conditio apponitur, puta cum dicitur: voveo jejunare, ſi Deus præſtiterit mihi filium, hæc Ric.

Sed per quid habet votum ſolemnizari? Reſpondeo; ſuper hoc diverſi diverſa ſcripſerant, quibus ad præſens omiſſis, dicendum eſt *ſecundùm Hoſt. in ſummo ſua tit. qui cle. vel vo. matri. contrà pri. circà finem; & ſecundùm Ric. ubi ſuprà; ut patet ex ſupradictis, & etiàm ſecundum Thom. 2. 2. quæſt. 80. art. 7. c. & pe.* quod votum ſolemnizatur tantùm ſupradictis duobus modis; uno modò per Sacri Ordinis ſuſceptionem, ut probatur *diſ. 29. Diaconi*; aliò modò per profeſſionem, *extra de regul. ſtatuimus, & 27. quæſt. 1. ut lex continentiæ*. Et hoc curia tenet, ut Hoſt. dicit; & hoc eſt expreſſum *lib. 6. c. quod votum*; & hoc intelligitur de profeſſione facta tacitè, vel expreſsè alicui de religionibus approbatis per Apoſtolicam Sedem; Eſt enim profeſſio duplex; una vera, & expreſſa, ut quandò verbis exprimitur, *ut 20. quæſt. 1. vidua, & extra de conver. conju. dudum*; alia eſt tacita, & præſumpta, & hæc inducitur ſecundum Hoſt. ex mora temporis, puta, quià per annum ſtetit ſinè reclamatione, *extra de regul. ad Apoſtolicam*; vel per evidentia ſigna; puta, quià quandò intrat, renunciat ſæculo, facit teſtamentum, ac ſi mori deberet, & transfert omnia bona ſua in hæredes, & legatarios, & in pias cauſas, & mutat habitum, vel habitum ſuſcipiendo renunciat evidentèr ſæculo, & beneficio illiùs decretalis, *extra de regul. ſtatuimus, & illius non ſolùm*; vel abſolutè aſſumit habitum profeſſorum; vel ſi non eſt diſtinctus habitus profeſſorum ab habitu novitiorum, ad minùs legit, & cantat, & facit omnia ſicut profeſſus, *extra de regula vidua, & c. ſtatuimus, & capitulo conſulti, & capitulo porrectum, & 27. quæſt. 1. vidua*; & dicit Hoſt. quod ſi aliquod prædictorum interveniat, debet indè fieri ſcriptura publica, ne negari valeat, *27. quæſt. 1. omnes fœminæ*, in qua profiteatur ſe, velle religiosè vivere, *27. q. 1. vidua.*

Secundùm Gar. & Ber. ex prædictis habetur, quod votum ſolemnizatur etiàm per habitus profeſſorum ſuſceptionem, tanquàm per præſumptam profeſſionem, *extra de regula ex parte, & extra, qui Cle. vel vo. inſinuante*. Et hoc eſt verùm ſecundùm Gof. & Hoſt. quandò votum præcedit habitus ſuſceptionem; ſi verò habitus ſuſceptio præcedit votum, non ſolemnizatur, *extra qui cle. vel vo. conſuluit*. Et ſic debet intelligi illud, *extra de regula ex parte*. Sic etiam debet intelligi, quod habitus non facit Monacum, *extra de regula. porrectum in reſponſione ad quæſtionem in tex.* vel poteſt etiam dici ſecundùm Hoſt. quod hoc intelligitur de habitu probationis, quià debet eſſe differentia inter habitum probationis, & profeſſionis, ut *in c. ſtatuimus in fin.* Sed Ray. notat, quod habitus extra Monaſterium aſſumptus, non inducit profeſſionem præſumptam, ſed tantùm ſimplex votum; & ſic intellexit decretales illas conſulti, & porrectum.

Si verò quis habitum ſuſcipiat in domo proprià, & votum emittat in manu publicæ perſonę, videtur votum ſolemnizaſſe, & ſeparatur matrimonium poſteà contractum. Sic intellexit *illud extra, qui Cle. vel vo. inſinuante*; & hoc propter profeſſionem, quàm fecit, non propter habitum ſuſceptum, alioquin contradicerent prima jura. Sed magis placet ipſi Hoſt. dictum Goff. Nunc verò, qui poſt quatuordecimum annum religionis habitum aſſumpſerit, ſi illum per annum geſtaverit, ex tunc religionem aſſumptam præſumitur verè fuiſſe profeſſus, ubi profeſſorum, & novitiorum habitus eſt diſtinctus. Secùs eſt de illo, qui antè completum annum quartumdecimum aſſumpſiſſet; diſtinctus autèm habitus intelligitur eſſe, ſivè ſint diſſimiles veſtes, ſivè benedicantur, quandò profitentibus conceduntur, ſivè aliquid aliud fiat, per quod habitus Novitiorum à profeſſorum habitu diſtinguatur, *hæc omnia lib. 6. de regula. Is qui*. Puta ſecundùm Joan., quià datur à certis perſonis, vel certis diebus, vel formis; Nunc autem *lib. 7. de regula. Is qui*, dicitur, quod eum, qui conſtitutus in diſcretionis ætate novitiorum habitum in aliqua religione per annum portaverit, hoc ipſo religionem illam decernimus eſſe profeſſum, niſi hujuſmodi habitus in colore, ſciſſura, vel formā ſit manifeſtè diſtinctus ab habitu profeſſorum.

Numquid votum continentiæ ſolemnizari poteſt ſinè religione, vel Sacro Ordine, remanendo in propria domo, ità quod impediat matrimonium contrahendum, & dirimat jam contractum?

Reſpondeo ſecundum Rod. quod ad ſolemnizationem talis voti neceſſaria ſunt quatuor, ſinè quibus non erit hujuſmodi votū ſolemne, quamvis fiat coràm mundo. Conſenſus de præſenti in perpetuam continentiam, ut dictum eſt; & notificatio ejuſdem conſenſus facta publicæ perſonæ, ſicut in matrimonio carnali, neceſſaria eſt notificatio conſenſus. Itèm traductio facta in manu publicæ perſonæ. Itèm approbatio, & receptio facta per illàm publicam perſonam; quià quantumcunque voveat aliquis, vel tradat ſe Deo quantum in ſe eſt, in hujuſmodi matrimonium ſpirituale tamèn, niſi adſit Vicarius Dei, qui loco ejus acceptet, & recipiat hujuſmodi votum, & traditionem, non erit, niſi votum ſimplex, quod emittitur à ſæculari in ſæculo remanente, hæc Rod. Aliqui tamèn dicunt, quod non eſt votum ſolemne, niſi alicui religioni ſe ſubjiciat, & habitum ejus induat.

Sed quæ eſt dicenda quoad hoc perſona publica? Reſpondeo. Epiſcopus, 27. *quæſt.* 1. *viduitatis*; vel ejus Vicarius, qui ſuper hoc habet ejus mandatum generale, vel ſpeciale. Itèm Abbas, vel Abbatiſſa, *extra, qui cle. conſuluit*. Et ſimilitèr quicunque aliùs Prælatus alicujus religionis, ad quem hoc ſpectat ſecundum ſui ordinis ſtatuta; vel Canonicus Regularis; vel etiàm Monachus, ſcilicèt ad hoc miſſus, *extra de dona. inter dilectos*; Secùs eſt, ſi non ſit ad hoc miſſus, *extra, qui cle. veniens, dicit etiam Innocen. extra de regula ſuper ca. porrectum*, quod ad hoc ſæcularis clericus, vel laicus ſufficeret de mandato Abbatis. Et idem eſt etiàm ſi ſinè mandato, nomine tamèn ejus fecit, & poſteà ratum habuit, *extra de conver. Coniu. dudum*; Sed antequàm ratificet, votum ſolemne non erit, nec matrimonium poſteà contractum dirimit. Ex prædictis ſecundùm Ric. & Rod. videtur, quod non ſit benè dictum, quod aliquis votum ſolemnizat, ſi ſuper altare voveat, licèt in domo ſuā permaneat, quià ibi non eſt perſona publica, quę illud recipiat.

Ad hæc nota, quod hodie Minoribus, & Prædicatoribus, & cæteris Ordinum Mendicantium inhibetur in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, ne antè probationis annum elapſum, quemquam ad probationem ordinis ſui, ſeù renunciationem ſæculi faciendam recipiant; Nec etiàm aliquatenus impediant, quo minus infrà illum annum ad religionem aliàm, quàm maluerit tranſeat, vel etiàm ad ſæculum omninò redeat, niſi major quattuordecim annis exiſtens ſit profeſſus tacitè, vel expreſsè, aut evidentèr conſtet, illum voluiſſe vitam mutare, quod tamèn non præſumitur, niſi clara probatione, vel competentibus indiciis oſtendatur; puta ſecun. Joan. An. ſi beneficio renunciavit, vel de bonis ſuis verbo, & facto diſpoſuit, vel aliis ſimilibus modis

Quod ſi aliquis fortè prædictorum infrà annum probationis aliquem receperit, receptus nullatenùs illi ordini obligatur, & recipiens à receptione quorumlibet ad profeſſionem ejuſdem ordinis eſt ipſo facto ſuſpenſus, & inſuper pœnæ, quæ fratribus ipſius ordinis pro culpis gravioribus conſuevit infligi, eſt ſubjiciendus, *lib. 6. de regula. non ſolùm, & c. conſtitutionem*. Et dicit Hoſt. quod ſuperior, qui non peccavit eum ab-

abſolvere poterit, *art. extra de ſen. exco. nuper*.

In ordinibus autèm non Mendicantibus profeſſio expreſsè, vel tacitè fieri poteſt licitè infrà annum, ſed expreſsè emiſſa etiàm ſæculari habitù non mutato, illi religioni præcisè obligat, quàm profitens eſt profeſſus; tacitè verò facta infrà probationis annum per ſuſceptionem habitus profeſſorum, non illi ſpecialitèr, cujus habitus eſt ſuſcæptus, ſed generalitèr religioni alicui obligat, ſi ſit ætatis aptæ, & ſi ſciens, & voluntarius, ac triduò perſeveret, *lib. 6. de regul. Conſtitutionem*; ex his patet, quod quantùm ad obligationem ex tacita profeſſione infrà annum non eſt differentia inter Mendicantes, & non Mendicantes, ſed in expreſſa ſic, quià hujuſmodi profeſſio in non Mendicantibus obligat illi religioni, in Mendicantibus autèm non obligat illi Religioni, ſed religioni tantùm in genere.

ARTICULUS VI.

Quiſnam poſſit vovere.

SEquitur videre de ſexto, ſcilicèt quis poſſit vovere. Circà quod ſciendum, quod votum, ut dictum eſt ſuprà, eſt quædam promiſſio facta Deo; Nullus autèm per promiſſionem poteſt ſe firmitèr obligare ad illud, quod eſt in alterius poteſtate, ſed tantùm ad illud, quod eſt omninò in poteſtate ſua. Sunt autèm ſexgenera hominum, quæ non ſunt omnimodè in po eſtate ſua, ſed alteriùs, & ideò non habent liberam facultatem vovendi, ſcilicèt; Religioſus, Epiſcopus, Clericus Sæcularis, Servus, Filiusfamilias, & Uxor. Prædicti tamèn *ſecundum Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. cap. 4.* vovendo non peccant, quià ſubintelligitur in eorum voto, ſi placuerit ſuperioribus ſuis.

De prædictis autèm ſex generibus per ordinem eſt dicendum. De religioſo igitùr eſt ſciendum, quod non poteſt vovere aliquid ſinè licentia Prælati ſui; undè *dicitur 20. quæſt. 4.* Monachum non licet vovere ſinè licentia Abbatis ſui; ſi autèm voverit, frangendum erit; ratio hujus eſt *ſecundum Thom. ubi ſup. cap. 3.* quià religioſus eſt ſubditus prælato quantùm ad ſuas operationes ſecundùm profeſſionem regulæ, & ideò, licèt ad horam aliquid facere poſſit, quandò non occupatur circà alià à Prælato, quià tamèn nullum tempus eſt, in quo non poſſit eum Prælatus circà aliquid occupare, nullum votum ejus eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati; Secundùm autèm *Ric. 4. diſ. 38. quæſt. 4. art. 1. c.* ratio hujus eſt, quià votum religionis eſt tantæ altitudinis, quod omnia alià commutari poſſint in illud, ut infrà dicetur; & ideò Eccleſia conſiderans hujus voti altitudinem, & humanam infirmitatem, voluit auctoritate Dei, nullum votum poſſe ſuperaddi voto religionis propter periculum tranſgreſſionis. Quà etiàm de cauſa jura conſentire videntur, quod vota, quæ fecit homo antè ſui profeſſionem in religione, quæ prælatus cum recipiens ignoravit, revocare poteſt poſtquàm notum ſibi fuerit; Quod probatur per hoc, quod religioſus eſt plùs ſub Prælato, quàm uxor ſub virò; & ut dicitur *38. q. 5. noluit* ſi adhùc innuptæ mulieri conceſſerat pater vota perſolvere, ſi antequàm perſolverit, nupſerit, & ejus viro hoc cognito non placuerit, non perſolvat. Et hoc omninò ſinè peccato. Ex hoc arguit Gloſſ Abbatem revocare poſſe votum Monachi, quod emiſit antè Monachatum *ſecundum Ricar. ubi ſup. c. juxtà ſinem*; ſecundùm Hoſt. autèm ſi talis primò temporale votum impleret, & poſtea religionem intraret, tutiùs faceret, quià tunc utrumque impleret *art. extra e. ſcilicèt de vo. & vo. re. per tuas, & meliùs de ſpon. commiſſum*; dicit autem Inno. ſuper caput ſcituræ, quod ſi religioſus voveret dicere unum Pſalterium, vel aliàm orationem, votum ſervet.

De Epiſcopo ſciendùm, quod votum facere ſinè licentia Papæ prohibetur, per quod vinculum intèr eum, & ſuam Eccleſiam diſſolvatur, *extra de renun. niſi cum pridem in ſin.* Nec etiàm aliud, per quod Eccleſiæ ſuæ gravitèr præjudicetur, *extra de jurejuran. ſicut noſtris*; undè non poteſt etiàm ſinè Papæ licentia generale, vel ſpeciale votum peregrinationis emittere propter quàm oporteret eum diù à ſua Eccleſia abſentari, *extra e. magnæ*; Si autèm non oporteret eum diù abeſſe, ſufficeret licentia Archiepiſcopi, ut dicit Rod. & idem *vult. Inno. extra e. ſuper c. magnæ*; votum tamèn abſtinentiæ, & eleemoſynæ temperatæ poteſt emittere, *art. 8. quæſt. 1. clemens, & extra de teſtamentis relatum 2.* & brevitèr poteſt emittere quodlibèt votum, per quod præbeat bonum exemplum, quià ad hoc tenetur, *extra c. ſcilicèt de vo. magnæ §. 1.*

De Seculari Clerico ſciendum, quod ſi habet ſub Epiſcopo aliquod beneficium debens reſidentiam, non poteſt ſinè licentia Epiſcopi votum longæ peregrinationis emittere, *ut in c. magnæ, & de conſecra. diſ 5. non oportet Miniſtrum*; Nec etiàm aliud votum, per quod eum oporteat ſuam Eccleſiam relinquere, *extra de renun. ammonet*; excæpto quod poteſt emittere votum de intrando religionem ſinè licentia Epiſcopi, ſufficit enim ſibi licentiam petere, *19. quæſt: 2. duæ*; Et etiàm ſecundùm aliquos de accipiendo Crucem, *extra de voto ex multa*, quià ad hoc licentiati eſſe videntur per Papam illi, qui poſſunt eſſe utiles terræ Sanctæ; aliqui verò intelligunt, quod poteſt emittere votum tranſmarinum de licentia prælati, vel Sedis Apoſtolicæ, *art. extra de clé. non reſid. fraternitati, & extra ec, ſcilicèt de voto Magnæ §. verum*; Aliud autèm votum caſtitatis, & abſtinentiæ facere poteſt, ſicut dictum eſt de Epiſcopo.

Ad hoc nota, quod ſicut habetur *lib. 6. de regul. beneficium*; beneficium ejus, qui intrat ordinem non eſt alicui conferendum infrà probatio-

tionis annum, niſi ipſe conſentiat; aut conſtet, quod voluerit abſolutè vitam mutare. Conſtet inquàm clara probatione, vel competentibus indiciis, *lib. 6. e. tit. non ſolum*; vel profeſſionem expreſſam fecerit; ſubaudi ſecundùm Joan. An. alicui de religionibus approbatis *lib. 6. de voto c. uno*; Sivè ſcientèr habitum profeſſorum recepit, ſcilicèt ubi eſt diſtinctus.

Quid ſi minor quattuordecim annis ingrediatur ordinem?

Reſpondet Joan. Andr. per hoc, quod dicitur infrà probationis annum, quod beneficium tale conferri non poteſt antè finem anni quintidecimi, quià annus quintuſdecimus eſt annus probationis, *in eo lib. 6. de regula c. 1.* Quod eſt verùm, niſi poſt quintumdecimum annum aliquod ſequentium ibidèm interveniat.

Sed nunquid conſtituto in probatione poteſt beneficium conferri?

Credit Joan. Andr. quod non; quià jàm fingitur religioſus quoad privilegium emunitatis, *lib. 6. de ſen. ex. religioſo. Reſpond.* 2. Et hoc intelligit de beneficio, quod per regulares poſſideri non poteſt. Ad Epiſcopatum talis eligi poteſt. *lib. 6. de elect. nullus*.

Sed numquid Canonicus Eccleſiæ Cathedralis ingreſſus Ordinem antè profeſſionem vocari debet ad electionem Epiſcopi ſi ſit in loco vicino, de quo debet aliàs vocari?

Reſpondet Joan. An. quod non; & ad hoc facit optimè perſimile de procuratore *lib. 6. de procura. cap.* 2. ſecùs eſt de patrono, vel eo, ad quèm non jure collegii, ſed jure ſingulari electio pertinet; *hæc Joan. An. ſup. c. beneficium*.

Quid fiet interim de beneficio talis?

Reſpondetur *in fin. illius cap. beneficium*, quod ille per alium debebit deſervire, ſcilicèt in Divinis officiis, & etiàm in cura, ſi ſit beneficium curatum, aſſignata ſibi beneficii ejuſdem congrua portione. Et ſecundum Joan. An. ibid. reliqua portio conſervabitur, vel in utilitatem Eccleſiæ expendetur *lib. 6. de elec. quià ſæpè*, nec debet illi dari. Sed Bar. Brixien. dicit, quod tamèn tenebat, quod ille interim haberet fructus, quià nondum eſt Monachus, & poteſt reverti; fatetur tamèn, quod conſuetudo in contrarium ſe habet. Mandabitur autèm prædicta proviſio per Epiſcopum executioni, *lib. 6. de elec. cum ex eo §. porrò*.

De ſervo ſciendum eſt, quod non poteſt vovere aliquid eorum, quæ impediunt eum à ſervitio domini ſui ſinè illiùs voluntate, *diſ. 54. ex antiquis & c. ſi ſervus ſciente*.

Quid ſi ſervus intraverit religionem?

Reſpondeo. Si ſit perſona nota, vel etiàm ignota, quià neſcitur, utrum ſit liber, vel ſervus recipi non debet ad Monachatum antè triennium; ita quod ſi ſervus, vel obligatus ratiociniis, ſcilicèt reipublicæ, vel colonus, ideſt originarius, vel aſcriptitius quæratur à domino ſuo, reddetur ei cum omnibus hiis, quæ attulerat, fide tamèn accepta de ejus impunitate; ſi autèm infrà triennium non fuerit requiſitus, poſteà quærere non poteſt *art. 17. quæſt. 2. ſi quis incognitus*; Longius tamèn tempus conceditur, ſi nimium diſtat, ut patet ibidem. Sed quandò incipiet illud triennium computari, dixit Auguſt. quod à tempore ingreſſus, & curret continuè in favorem religionis; Laurentius autèm, & Jo. & plures alii dicunt, quod à tempore ſcientiæ Domini, *art. prædicti c. ſi quis incognitus in fin.* ubi dicitur, niſi ſit tàm longè, quod inveniri non poſſit.

Sed quarè ſervus ignorante domino promotus in clericum repeti non poteſt infrà annum, ut dicetur *in lib. 6. tit. de ſervis non ordinandis*, ſed Monachus poteſt repeti infrà triennium?

Reſpondet *Inno. extra de ſervis non ordi. ſuper c. de ſervorum*, quod ratio hæc eſt, quià Clericus manet publicè; Monachus ſecretè.

Quid ſi receperint eum ad profeſſionem antè tempus prædictum?

Reſpondet Ray. & Hoſt. quod ille debet in ordine remanere, & Monaſterium debet ſatisfacere domino, quià fuit in culpa eum recipiendo, *art. 1. diſ. 54. ſi ſervus abſente*, & hoc ſecundùm Rod. quandò bona fide Monaſterium intraverit, credens ſe liberum eſſe, alitèr videtur reſtituendus domino, ſi ipſe ſcilicèt Dominus velit; vel dic etiàm ſecundùm Ray. & Hoſt. quod ſi iſte incognitus erat, & ſe liberum eſſe aſſerebat, vel fortè hoc per teſtes falſos probabat, ſi dominus noluerit ex gratia dimittere, ſpoliabitur tanquàm vilis, & indignus habitu, quèm accepit furtivè, & reſtituetur domino, *art. extrà de ſerv. non or. De ſervorum*.

Sed numquid talis eſt Monachus? Videtur, quod non, cum ſervus invito domino non debeat fieri Monachus, *16. quæſt. 1. qui verè*. Reſpondeo ſecundùm Rod. quidam dicunt, quod non poteſt fieri Monachus; Sed Ho. videtur velle contrarium; quià ſervus continentiam vovere, & propriis abrenunciare, & ſecundùm regulam Monachorum vivere, ſalvo jure domini, quod habet in corpore ſervi; & animam Deo obligare poteſt invito domino, licèt non poſſit aliis ſubjicere corpus. Sed ſubjectio corporis non exigitur ad Monachatum, quià in domo propria poteſt quis eſſe, & fieri Monachus, *art. 27. quæſt. 1. de viduis*.

Quid ſi fuerit poſteà manumiſſus; Numquid poſteà reverti tenebitur ad Monaſterium, ubi profeſſus fuerit?

Reſpondeo, ſecundùm Rod. dicunt quidam, quod non; ſed *Ho. innuit 17. quæſt. 2. ſi quis incognitus*; quod hujuſmodi ſervus licèt dicatur, quod non fuerit Monachus, quià tamèn quantùm in eo fuit, Monachus fuit, redire tenetur. Sed contrarium tenet, *extra de conver. conju. quidam intravit*; Et quidèm difficile eſt reſpondere, dato, quod ſervus non poſſit fieri Monachus; Sed dato, quod poſſit, ſicut ſentire videtur Ho. facilis eſt reſponſio; quià aliud eſt

de

de voto jurante Monaſterium invita uxore, quià Monachus non poteſt eſſe; cum annexa ſit continentia Monachali regulæ; undè revocatus ab uxore de Monaſterio non tenetur ea mortua ad Monaſterium redire, quià nunquàm fuit Monachus; ſed ſervus accepta libertate reverti debet, quià fuit Monachus.

Quid de voto peregrinationis facto à ſervo? Reſpondeo ſecundùm Hoſt. non poteſt ipſum exequi invito domino, niſi quandò eſt neceſſitas. *extra de ſen. ex relatum in fin.* & dic hìc de ſervo, ſicut dicetur infrà de filio familias, cum ſervus ſit domino adſtrictus tamquàm patri filius.

De filio familias diſtinguendum eſt *ſecundum Jo: Lau. Tan. Ray. Hoſt. & Inno. extra de regula ſuper c. ad noſtrum*; quod ſi ſit impubes, ſe non poteſt alicui voto obligare ſine patris, vel tutoris auctoritate, *extra de regula. Si quis*; & intellige Maſculum impuberem, uſque ad quartumdecimum annum, fœminam verò ad duodecimum annum completum; Undè ſi talis, ſcilicèt impubes intrat religionem per ſe pater, vel tutor, qui habet eum in poteſtate, poteſt eum revocare, ſi infrà annum, & diem, Principi, idèſt Papæ, aut proprio Epiſcopo, vel Regio, vel miſſo dominico, ideſt officiali, querelam deponat. *2. quæſt. 2. puella, & extra de regul. cap. 2.*

Sed quarè additur dies ad annum? Reſpondeo, ſecundum Rod. quià ſic placuit juris conditori; Poſteà verò non audietur, niſi Monaſterium fortè eſſet valdè remotum, quià tunc indulgebitur majus tempus ſecundùm Gof. *art. 17. quæſt. 2. ſi quis incognitus, & extra de procur. dilectus*; & currit annus prædictus à tempore ſcientiæ, *art. illiùs cap. ſi quis incognitus*; ibi longè *ſecundùm Goff. & meliùs ſecundùm Hoſt. extra de conceſſ. præben. quià diverſitatem, & extra de ſup. ne. præla. licèt*. Hæc *Hoſt. & Goff.* Si autèm talis non revocetur, & completo anno 14. in anno ſequenti, ſcilicèt 15. ſuæ ætatis profeſſionem faciat, vel habitum profeſſorum ſuſcipiat, vel profeſſionem priùs, ſcilicèt antè 14. annum completum factam, & expreſsè ratam habeat, irrevocabilitèr obligatur; alioquin exire poteſt liberè infrà annum ſequentem, ſcilicèt 15. quod ſi completo 14. anno per annum ſequentem, ſcilicèt 15. integrum in religione permanſerit, ubi habitus profeſſorum, & novitiorum eſt diſtinctus, profeſſionem videtur tacitè emiſiſſe; niſi ibidem nulla diſtinctio habitus habeatur, puta, quià profeſſi, & novitii, & alii communem cum eis vitam ducentes ſimili pœnitùs habitu induuntur. *lib. 6. de reg. cap. 1. ſcilicèt. Is qui*.

Si autèm talis, ſcilicèt impubes ponatur ab alio in monaſterio, ſcilicèt patre, vel tutore, aut ipſe non conſentit, tunc poteſt egredi quandocunque voluerit uſque ad ætatem legitimam 20. *quæſt. 1. puellæ, & e. quæſt. 2. puellæ*; aut conſentit, & tunc licèt conſenſus ille, qui fuit antè tempus pubertatis non teneat, tamèn non poteſt exire, prinſquam veniat ad ætatem legitimam, 30. *quæſt. 1. illud ad inſtar carnalis Matrimonii, extra de deſpon. impub. de illis 1.* Sed quamcitò pervenerit ad ætatem legitimam poteſt egredi, 20. *q. 2. puella, & extra de regul. conſultiſſimus. Hæc Ray. & idem dicit Hoſt.* & ſecundum Hoſt. fortè infrà triduum poſtquàm ad ætatem legitimam venerit, *extra de regul. ad noſtram*; quià tunc etiàm incontinenti egredi intelligitur, *art. 1. de judi. l. fin. & extra de cle. in cauſis*. Si verò tunc exire noluerit, ſed potiùs manere prælegerit, ex tunc irrevocabilitèr obligatur, quià ipſo facto cum mora temporis tacitè conſentire videtur, *art. extra de ſponſ. ad id, quod*; Hoc tamèn intelligendum eſt, quandò oblatus, ſivè poſitus ibi fuerit, 12. vel 13. anno, ut ſic ibidem ad minùs per annum moram contraxerit, *art. extra de reg. ſtatuimus, & expreſſe art. 1. de judi. properandum*; Undè quod dixit Goff. quod filius oblatus à patre, quandò ſtetit uſque ad tempus aptum profeſſioni, debet interrogari, utrùm habeat ratum ſuum introitum, non eſt neceſſe ſecundùm Hoſt., quià nec invenitur, quod talis ſit magis interrogandus, quàm alius, *Bern. tamèn dicit extra de reg. ſignificatam*, quod hoc faciant aliqui religioſi, & benè cauſa majoris certitudinis.

Nota etiàm, *quod Inno. dicit extra de reg. ſup. c. ſanè*, quod ſi impubes de conſenſu parentum, vel tutorum tacito, vel expreſſo religionem intravit, non poterunt eum poſteà revocare *extra de reg. ſignificatum*; & ſi habet tantùm unum parentem, ille ſolus poteſt eum offerre; & ſi habet tutores, alioſquè parentes, tamèn invitis tutoribus eos offerre Monaſteriis poſſunt. Credunt etiam aliqui, quod & ſi avus habeat in poteſtate filium, & nepotem, pater invito avo poteſt eum offerre, & non è converſo; & eſt ratio, quià in ſpiritualibus jus naturale poſitivo præfertur. Quod verò dictum eſt, quod impubes maſculus exire poteſt, intelligebat Auguſt. quandò malitia non ſupplebat ætatem; aliàs ſi diſcretus eſſet, exire non poſſet, niſi contra liceret; & idem videtur ſenſiſſe Ray. dicens, quod ſicut in matrimonio carnali malitia ſupplet ætatem, ità & in ſpirituali. Cùm enim obligare ſe poſſit diabolo, multò magis Deo, *ut extra de delic. pu. pueris, & de conver. conjug. c. verum & extra de reg. & tranſ. c. cum virū, & extra e. ſcilicèt de voto c. per tuas*. In hac etiàm opin. fuit *Inno. 3. extra de reg. poſtulaſti*. Hoc enim decre. non eſt hodiè in forma, in qua eſſe ſolebat; undè hodiè non poteſt obligari infrà annum, quin exire poſſit *lib. 6. e. non ſolum*; Et eſt ratio, quià grave eſt inexpertos homines Monaſteriis applicare, 19. *quæſt. 3. Monaſteriis ſecundum Hoſt. illud tamèn c. non ſolùm*, loquitur tantùm de prædicatoribus, & minoribus; extenditur tamèn per c. ſequent. ad omnes Ordines Mendicantes, Si tamèn impubes doli capax ſpontè intraverit, conſulit ei Ray. ad cautelam, quod non exeat, vel ſi exivit, quod redeat, niſi duxiſſet uxorem; non dicit tamèn eum

Digitized by Google

eum teneri, niſi ſecundùm diſtinctionem præmiſſam.

Ad hoc nota ſecundum Ray. quod ſi impubes doli capax emiſerit votum aliud, quàm continentiæ, videtur, quod ſit obligatus, niſi pater ſtatim cum audierit, revocet 22. *quæſt.4. mulier*. Et idem credit Rod. de voto continentiæ circà ingreſſum religionis, quià non poterit revocari, niſi ſtatim revocetur; & hoc intellige tàm de voto filii, quàm filiæ, licèt *Numer.* 30. fiat mentio tantùm de filia, & expone ſtatim in ipſa die, *Numer.* 30. *ubi dicitur: & in alterum diem diſtulerit ſententiam*. In tranſitu verò ad religionem datur patri annus, & dies, quià per illum eximitur à poteſtate patris, vel tutoris; non ſic autèm per alia vota. Hæc Rod.

Quid ſi voverit ſe ſervaturum continentiam, vel ingreſſurum religionem, cum venerit ad ætatem legitimam, vel cum pater ejus obierit? Numquid pater votum illud revocare, vel irritare poteſt contradicendo?

Reſpondet Rod. quod hoc non poteſt ſecundùm opinionẽ Aug. ſed ſecundùm opinionẽ, quę eſt humanior, poteſt; undè non tenebitur illud ſervare, niſi iterùm voveat, vel juret, quià obligatio ſemèl extincta non reviviſcit, nec pater, nec tutor peccat in revocando, quià hoc ſibi conceditur à jure, & à Deo, *hæc Rod. & Inno. ſuper c. ſcripturæ*.

Nota etiàm, quod licèt non obligetur quis ex voto, quod in minori fecit ſtatu, ſi tamèn major poſteà factus illud ratum habuit, quod vovit, obligatus erit, *extra e. cap.* 2. *in tex. & Gloſ. ſecundùm Bern. & Inno.* Dicit etiàm *Inno. extra e. ſuper c. ſcripturæ*, quod impubes, ſi ſit doli capax, & fecerit votum abſtinentiæ, vel peregrinationis, vel aliud, debet implere poſtquàm paternam exiverit poteſtatem, quià ſe potuit obligare Deo, ſicut & diabolo, *extra de deli. pu. c.* 1. Cum hujuſmodi tamèn eſt facilè diſpenſandum, cum ſint inexperti; de filio autèm familias adulto, ſivè pubere, ſciendum, quod poteſt votum religionis vovere.

Circà quod nota ſecundùm Hoſt. quod talis, aut intrat per ſe religionem, & tunc exire poteſt quandocumque vult, antè quàm faciat profeſſionem tacitam, vel expreſſam; poſtquàm autèm fecerit eam expreſſam, vel tacitam exire non poteſt, 27: *quæſt.* 1. *puellę*, & 2. *quæſt.* 2. *cap.* 1. & 2. *& idem ſecundum Ray.* Si autèm intrat oblatus à patre, aut invitus; ſi ſpontè, ſcilicèt, quià non contradicit tenet introitus, & obligatur filius; non tamèn irrevocabilitèr. Sic intellige illud *extra de reg. cum virum*. Expectabit ergò, & expectabitur per annum, & diem; nàm antè non poteſt exire *ſecundùm Hoſt. extra de reg. ſignificatum*; & completo anno, & die ſi voluerit, exire, vel remanere poterit; & ſi remanere conſenſerit, de certò exire non poterit, *ut in ea ſignificatum, & eo tit. cum ſcimus, &* 2. *quæſt.* 1. *illud*; Si verò intret invitus, exire poteſt, niſi per aliquam culpam ibi poneretur ad agendum pœnitentiam, ſcilicèt in perpetuum, vel ad tempus, 2. *quæſt* 1. *ſicut*, & 22. *quæſt.* 2. *placuit*, & *diſ.* 5. *ſi ille*; & intellige invitum, qui intravit propter metum, qui cadere poteſt in coſtantem virum, *extra quod me. ca: Prælatum, & c. cum dilectus, & idem dicit Ray.* quod autèm dicitur *extra de reg. cum virum*, quod Monachum facit, aut paterna devotio, aut profeſſio, intelligitur ſecundum Hoſt & Bern. ibidem ſequenti ratihabitione filii modo ſupradicto, *& ſic exponitur ibi aut pro ſecundo*; intelligi etiàm poteſt occaſionalitèr de paterna oblatione, ſivè devotione, quia licèt ad hoc non cogatur, honeſtum tamèn eſt, quod filius in hoc obtemperet patri.

Sed quid ſi non metu, ſed dolo inductus intravit aliquis religionem; numquid allegare poteſt decæptionem, & exire?

Reſpondeo ſecundùm Ray. quod non, quià non poteſt dicere ſe decæptum, cujus conditio eſt meliorata, nec alteriùs dolo, ſed ſuæ potiùs fatuitati adſcribat, *extra quod me. ca. cum dilectus, & de conver. conju. ex parte tua*. Alii tenent contrarium regularitèr, quod dante dolo cauſam contractui, non tenet contractus, 15. *q.* 6. *cap.* 1. ſecundùm autèm Hoſt. talis non poteſt exire ex quo fecit profeſſionem *extra de conver. conju. ex parte* 2. quià dolus in ſpiritualibus non reſcindit contractum, *extra quod me. ca. c. penul.* Hæc Hoſt. Votum autèm aliud à voto religionis, per quod gravitèr paternæ poteſtati præjudicaretur, vel pater indè ſcandalizaretur, non debet invito patre filius familias obſervare, pro eo, quod non eſt ſuæ voluntatis; cum ſit obligatus patrī jure paternæ poteſtatis, *ar. extra de ſen. extra mulieres*, & expreſsè dicit lex, quod non poteſt, ſicut nec impubes, nec ſervus *ut ff. de pollicit. l.* 2. §. 1.

Quid ergò ſi voverit elæemoſynam dare de peculio profectitio?

Reſpondeo; conſideranda eſt perſonæ patris qualitas, & eleemoſynæ quantitas, & ſecundùm hoc videtur, quod poſſit eleemoſynam reddere, niſi pater contradicat expreſsè, & idem intellige de uxore, & mercenario modica elemoſynam pauperi dante *art. ad hoc expreſsè ff. de dona. filiusfa* §. 1. & 2. hæc etiàm lex eſt conſideranda non improbanda, *art. extra de don. cæterum*. Hæc Hoſt.

Sed numquid poteſt filiusfamilias emittere votum peregrinationis longinquæ?

Reſpondet Hoſt. quod non, ut videtur, quià nimis præjudicaret paternæ poteſtati; excipe peregrinationem voti tranſmarini *art. extra e. ex multa* §. *quod autèm*. Et cauſam neceſſariam, ut ſi ſit à Papa abſolvendus *art. extra de ſenten. ex relatum*.

De uxore ſciendum, quod non poteſt vovere ſinè licentia viri, abſtinere, ſivè jejunare, peregrinari, ſivè religionem intrare. Quinimmò, ſi antè matrimonium contractum abſtinen-

tia

tiæ votum emiſerit, non debet invito viro illud adimplere; ſed & ſi de licentia viri votum ab initio emiſerit, idem erit, quià ſemper in hujuſmodi debet obedire viro, licèt vir peccet, illud, quod conceſſit, prohibendo, 33. *quæſt.* 5. *noluit*, *& c. manifeſtum*. Idem intelligunt quidam de viro vovente, quià non ad imparia judicantur, 32. *quæſt.* 1. *ſi quis uxor* 1. alii dicunt, quod in voto abſtinentiæ vir eſt ſuperior, quià caput, ut *in c. manifeſtum præallegato*. quod eſt concedendum ſecundum Hoſt. niſi circà debitum reddendum præjudicaretur uxori; Tale enim votum vir ſervare non poſſet invita uxore, quià nulla exceptio obſtat in hoc caſu, *extrà de conju. lepro. quoniam memini* §. *fin.* Ergò nec votum peregrinationis facere poteſt unus conjugum ſinè conſenſu alterius *art.* 33. *quæſt.* 5. *quod Deo*; undè dicit Ber. in quæſtionibus, quod ſi quis ire Romam vovit, & poſteà contraxit, uxore contradicente ire non poterit; fallit tamèn hoc in voto tranſmarino, quod præter voluntatem uxoris vir poteſt emittere, ut tamèn conſentiat, debet attentiùs admoneri *extra e. ſcil. de voto ex multa* §. *quod autem*; & quæ non vult remanere ſequatur virum ſuum, *extra e. quod ſuper his* §. *fin. hæc Hoſt. Ray. & Inno. extra e. ſcriptur. c.*

Sed numquid poſſunt viri ſimilitèr irritare juramenta uxorum facta antè matrimonium contractum, vel poſt?

Reſpondet Rod. quod non, niſi ſint de abſtinentia *ſecundum quod innuit Gloſſ Aug. numer.* 30. Notavit etiàm *Ho.* 33. *quæſt.* 5. *noluit*, quod ſi antè matrimonium contractum obligavit ſe mulier alicui homini, non poſſet poſt contractum matrimonium vir ejus deobligare eam ab illa obligatione; idem credit Rod. quod ſi poſt contractum matrimonium juraret aliquid alicui, quod ipſa poſſet contradicente viro facere, ipſe non poſſet tale juramentum irritare, aliàs credit, quod poſſit.

Quid ſi voveat uxor, quod non ibit ad convivium, vel aliquid aliud extrà domum propriam cum viro ſuo?

Reſpondet Rod. quod vir hujuſmodi votum, ſi tamèn eſt votum, vel etiàm juramentum revocare poteſt; Ho. tamèn notavit 33. *q.* 5. *manifeſtum*, quod vir illa ſola vota uxoris poteſt revocare, quæ ipſa ſinè ſcandalo viri implere non poteſt, ut de jejunando, ad matutinas ſurgendo, & in camiſia de nocte jacendo; alia autèm non poteſt revocare, nec uxor tenetur ejus revocationi obedire, ut ſi voveret, quod aliquid de proprio daret, ſi parafrenalia haberet, vel ſi voveret multa pater noſter, vel multos Pſalmos ſingulis diebus, vel de noctibus dicere, vel quod de cætero debitum non exigeret, vel ſimilia. De voto autèm continentiæ utrum alter conjugum eam vovere poſſit ſinè licentia alterius conjugis, dicetur infrà *lib.* 8. *tit. de bono fidei art.* 2. *& tit. de bono Sacram. art.* 2. *& tit. de imped. vot. continentiæ*, *& tit. de imped. ordinis*.

ARTICULUS VII.

De obligatione voti.

SEquitur videre de ſeptimo, ſcilicèt de obligatione voti; & circà hoc quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm omne votum licitum ſit obligatorium voventis ad implendum illud, quod vovit?

II. Utrùm votum teneret, ſivè obligaret, ſi aliquis non intrare religionem voveret?

III. Utrùm vovens intrare religionem, & poſteà intrans cum intentione exeundi, impleat votum ſuum?

IV. Utrùm ex nuda promiſſione oriatur obligatio?

V. Utrùm votum interpretatorium obliget?

VI. Utrùm ex ingreſſu religionis obligetur quis ad remanendum ibi?

VII. Utrùm votum ſub conditione factum, quæ conditio non impletur propter culpam voventis, ſit obligatorium?

VIII. Utrùm votum de non vovendo aliquid, niſi illud, quod vovetur, exprimatur verbo, vel dicto, vel ſcripto, ſit obligatorium?

IX. Utrùm votum magis obliget, quàm juramentum.

X. Utrùm hæres teneatur adimplere votum illius, cui ſucceſſit?

Circà primùm; reſpondeo, quod ſic; undè *Deut.* 23. *cum votum voveris domino Deo tuo non tardabis reddere, quià requirit illud Dominus Deus tuus. Extra de voto licèt*, dicitur quod uſque adeo ſolutio eſt neceſſaria poſt votum, ut ſinè ſalutis propriæ diſpendio non licèat alicui reſiſtere; ratio hujus eſt, quià omnis promiſſio licita facta cum intentione obligandi ſe, & etiam deliberatione, ſi acceptetur ab eo, cui fit, obligat promitentem, non tantùm ex præcepto Legis Divinæ, ſed etiam Legis Naturæ; ſed votum licitum eſt hujuſmodi promiſſio, & omnem talem promiſſionem recipit Deus, ergò &c. *Hæc Ric.* 4. *diſ.* 38. *quæſt.* 5. *art.* 1. *c.*

Notandum autèm ſecundùm *Tho:* 4. *diſ.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *cap.* 1. quod quidquid votum fieri impediret, ſi præſens eſſet, obligationem voto etiam facto aufert; undè ſi aliquid vouetur, & poſteà fiat impoſibile, quantùm ad hoc obligatio tollitur, ut ſi aliquis diues voueret Eccleſiam ædificare, quod poſteà ſuperueniente paupertate non poſſet facere, non obligatur, niſi ad illud quod poteſt.

Sed numquid vouens votum licitum, tenetur ſtatim ſoluere ipſum?

Reſpondeo ſecundùm *Tho:* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. *cap.* 3. obligatio voti cauſatur ex propria voluntate, & intentione; undè *Deut.* 23. *quod ſemèl egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facie*

Digitized by Google

facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate loquutus es ex ore tuo. Et ideò, ſi de intentione, & voluntate vouentis ſit obligare ſe ad ſtatum ſoluendum, ſtatim ſoluere tenetur. Si autèm ad certum tempus, vel ſub certâ conditione, non tenetur ſtatim ſoluere, ſed nec tardare debet ultrà, quàm intendit obligare ſe Deo. Dicitur enim *ibid. cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quià requiret Dominus Deus tuus illicò, & ſi moratus fueris, tibi reputabitur in peccatum*. Et ſecundùm Rod. cum aliquis vouet ſinè conditione, vel temporis præfixione, tenetur ſtatim illud exequi cum poteſt, niſi in vouendo habuerit aliud in mente; datur tamèn ei tempus ad arbitrium boni viri ad diſponendum de rebus ſuis. Porrò *ſecundùm Tho: 4. diſ. 38. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. cap. 7.* ſi is, qui vouerat religionem intrare, ex mora circà rerum diſpoſitionem probabilitèr timet perpetuum impedimentum, tenetur ulteriùs non diferre.

Quid de eo qui vouit ſe intraturum religionem, quæ non vult eum recipere?

Reſpondeo ſecundùm Ricar. 4. *diſ.* 38. *q.* 5. *art.* 1. *cap.* 2. Talis aut determinat ſuam intentionem ad unam religionem tantùm, aut non, ſi ſic non tenetur aliquàm religionem intrare, ſi illa noluerit eum recipere, quià quod vouit, non poteſt implere; ſi non, tenetur, ſe tot religionibus offerre quod unam inueniat ſi poteſt, quæ velit eum recipere, niſi ſit talis, de qua probabilitèr creditur, quod ſi de ea cogitaſſet, nullo modo intrare conſentiſſet. *Hæc Ric. ib.* Et ſi nullam inueniat, quę eum recipiat, ſit ſub obedientia Epiſcopi, & ſit Monachus ejus, *ſecundùm Inno.* Si autèm dubitet, quàm intentionem habuerit, ſecundùm *Thom: ſuper 4. ſen. & in ſumma* viam tutiorem eligere debet.

Quid ſi aliquis uouit infrà certum terminum aliquam religionem ingredi, & eſt receptus, & poſteà Prælatus non uult eum recipere?

Reſpondeo ſecundùm *Bern. extra c. per tuas*. Non eſt tranſgreſſor uoti, quià per eum non ſtetit; ſed Prælatus ille cogi poteſt, quod ipſum induat, ex quo recepit eum, niſi aliquid rationabile obſiſtat *art. extra de regula. cap. ult.*

Quid ſi conuerſi tranſeant ad Eccleſiam regularem?

Reſpondeo, intelligitur eos uouiſſe, & propriis renuntiaſſe, & ſi habitum hujuſmodi portant per annum, ſolemnizant uotum. Si autèm tranſeant ad Eccleſiam ſecularem, non intelligitur, eos uouiſſe ſecundum *Jo:* 27. *quæſt.* 1. *ut lex.* Eſtò quod aliquis uouerit religionem intrare, & antequàm intret in Epiſcopum eligatur; numquid tenetur religionem intrare? Videtur quod non, quià ſi profeſſus eſſet in religione, poſſet propter Epiſcopatum religionem dimittere, 18. *quæſt.* 1. *cap.* 1. Reſpondeo quod nihilominus tenetur intrare *extra de voto per tuas*; nec eſt ſimile de profeſſo, quià tranſgreſſor uoti eſt in peccato mortali, & electio talis eſt irritanda, quià ad ſacrorum adminiſtrationem eligitur, à quorum perceptione tempore electionis erat priuatus. Sed profeſſus in religione Epiſcopatum recipiens, non defraudat religionem, quià ab ea non recedit; oportet enim eum ferrē habitum ejus, *extra de vi. & ho. Cle. Clerici officia*. Non debet etiàm à priori propoſito recedere, 18. *quæſt.* 1. *de Monachis*. Quod eſt intelligendum ſecundum Gloſſ. ibidèm, quo ad ea, quæ ſunt de ſubſtantia Monachatus, cujuſmodi ſunt habitum religionis ferre, continentiam ſeruare, proprium non habere; non enim Epiſcopi ſunt diuitiarum domini, ſed diſpenſatores. Ad tempus autèm, & ex cauſa poteſt habitum alium deſuper ferre, 16. *quæſt.* 7. *nova in Gloſſ. & extra de vi. & ho. Cle. Deus*; non debet etiàm Epiſcopatum ſinè prælati licentia recipere, 58. *quæſt.* 2. *quàm ſit in Tex. & in Gloſſ.*

Circà ſecundùm, reſpondeo ſecundùm Hoſt. quod tenetur ſeruare uotum, licèt fuerit indiſcretum, niſi poſteà inſpiretur ſibi à domino contrarium. Illectus ergò non intret, 20. *quæſt.* 3. *Conſtituit, & extra de conver. conjug. dudum*, ex reuelatione uero ſecurè intret, *extra de divor. gaudemus*; & ſecundum has duas vias dicit procedere rationes pro, & contrà ex juribus ſumptas, & hæc ſolutio ſatis approbatur, 22. *quæſt.* 2. *beatus, & extra, de jurejuran. cap.* 2. & 3. Gratianus uerò iſtam quæſtionem ſoluere uidetur, dicens, quod ſi quis à parentibus coactus, uel Clericatus Tonſuram, uel religionis ueſtem ſuſcipiat, ſi neutrum ſe facturum juramento firmauerit, licèt hoc juramentum aliquibus uideatur reprehenſibile, quià opus charitatis juramento ſe non facturum promiſit, nulla auctoritate ſeruare prohibetur. Et ſi nunquàm hoc, uel illud faceret, non tamèn illo minùs ſalutem promereri ualeret, cum nonnulli in laicali habitu Sanctiſſimi, & Deo dilecti inueniantur, 22. *quæſt.* 4. §. *ult. antè fin. & diſ.* 61 *cap.* 2. *hæc Hoſt. ſecundùm autèm Ricc. quolibet* 3. *quæſt.* 29. *c.* ille qui jurauit, uel uouit ſe nunquàm intraturum religionem non eſt obligatus ad non intrandum. Conſtat enim, quod Chriſtus conſuluit opera perfectionis, & ſupererogationis; intrare autèm religionem, eſt ſupererogationis, ergò cadit ſub conſilio Chriſti; ergò cum ipſe non ſit ſibi contrarius, promiſſum ejus conſilio contrarium non uult eſſe firmum.

Præterea duæ ſunt partes juſtitiæ, ſcilicèt declinare à malo, & facere bonum; ergò contrà juſtitiam eſt omne juramentum, quod eſt contrarium declinationi mali, & operationi mali, & operationi boni, ergò illicitùm eſt jurare ſe aliquod bonum non facturum. Cum ergò intrare religionem ſit ualdè bonum, illicitum eſt jurare ſe nunquam intraturum religionem.

Sed obiicitur, quod iuramentum de re licita eſt ſeruandum, ſed non intrare religionem eſt res licita g. &c.

Reſpondo. Immò iuramentum de re licita non eſt ſeruandum, quandò excludit bonum, quod

quod ſub conſilio cadit.

Si objiciatur illud, quod ſupra dictum eſt, ſcilicèt de Gratiano, quo tale juramentum non prohibetur ſervari, dicendum eſt, quod ibi non benè ſenſit, vel poteſt dici curialiùs, quod non dicit, quod illud juramentum obliget, ſed intendit, quod non prohibetur ſervari, quià, qui ſic jurat, non prohibetur in ſæculo remanere. *Hæc Ric. ubi ſuprà cap.* 1. & 2.

Circà tertiùm, reſpondeo *ſecundùm Ric.* 4. *diſ.* 38. *quæſt.* 8. *art.* 3. *c.* Vovens intrare religionem, aut actualiter proponit in religione remanere, ita tamèn quod propoſitum illud non cadit ſub voto, ſed tantùm ipſum concomitatur; aut actualitèr proponit eam experiri, ut ſi ſibi placuerit, ibi remaneat, & ſi diſplicuerit, exeat; aut de nullo illorum actualitèr cogitat, ſed hoc tantum vovet, quià videtur ſibi animæ ſuæ eſſe bonum; aut dum vovet intrare, habet actualitèr propoſitum exeundi poſtquàm intraverit. Si primo modo vovit, aut quandò intrat, habet abſolutè propoſitum exeundi, & numquàm dandi operam, ut mutetur ſuum propoſitum; aut habet propoſitum exeundi, tamèn cum voluntate dandi operam, ut mutetur propoſitum ſuum. Primo modo intrans non implet votum ſuum ſecundum judicium, quià talis habet ex malignitate propoſitum exeundi: In his autèm, quæ domino offeruntur Deus magis penſat intentionem, quàm factum. Secundo modo, intrans implet votum, quià non habet abſolutè, nec ex malitia propoſitum exeundi, ſed magis ex infirmitate. Similitèr dici poteſt ſi voverit intrare ſecundo modo, vel tertio. Si autèm voverit quarto modo ſic intelligi poteſt triplicitèr. Uno modo quià ità vovet intrare, ut exeat. Aliò modo quia vovet introitum, & exitum. Tertiò, quià non vovet niſi introitum, & votum comitatur exeundi propoſitum. Et quolibèt illorum trium modorum vovens peccat, & non tenet votum, quià eſt temerarium, ut patet intuenti. Patet ergò quod vovens intrare religionem, eo modo, quo tenet votum, non implet votum ſecundùm divinum judicium, nec abſolvitur ab obligatione facta Deo, ſi intret cum propoſito exeundi abſolutè, & cum voluntate non dandi operam, ut mutetur propoſitum ſuum.

Circà quartùm; reſpondeo *ſecundum Ric.* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 3. *c.* Nuda promiſſio dicitur, quæ non eſt firmata fidei interpoſitione, nec juramento. Aut ergò eſt cum intentione obligandi, & tunc obligat. Aut non eſt cum intentione obligandi ſe, & tunc non obligat in foro conſcientiæ de neceſſitate ſalutis, ut quidam dicunt; ad quod facere videtur illud *extra c. ſcilicèt de voto litteraturam*, ubi dicitur de quodam, qui pavore mortis perterritus, *dixit: non diù hic morabor*, proponens in animo, quod religionem intraret, & ſi plus in voto non proceſſit, ejus tranſgreſſor dici non poterit, ſi non impleat, quod dixit. & dicitur *ibid in Gloſſ.* quod non dixit hoc animo ſe obligandi, & nemo ſe obligat, niſi qui ſe obligandi animum habet. Et ad hoc etiàm facit *ff. de ac. & ob. obligationum*. Licèt enim ex jure naturæ promittens obligetur ad implendum, quod promittit, niſi tamèn obligare ſe intenderit, illa obligatio non eſt neceſſitatis, ſed honeſtatis, & congruitatis; & ideò contraveniens non peccat mortaliter, ſed venialiter. Et hoc rationabile videtur, quià multi ex deliberatione dicunt aliqua bona ſe facturos, qui hoc non dicerent, ſi per hoc ſe obligatos ad faciendum illud tanquàm neceſſarium crederent. Aliqui tamèn dicunt, quod quælibèt promiſſio ex deliberatione facta obligat promittentem obligatione neceſſaria ad faciendum quod promittit, ſi ſalutem conſequi velit, 12. *quæſt.* 2. *quicumque ſuffragio*, & *quæſt.* 5. *quià Joannes*, & 22. *quæſt.* 5. *juramenti*. Rodol. verò tit. de voto notat, quod ſinè præjudicio credit, quod ſolum propoſitum non obligat, nec eſt mortale contravenire, niſi addatur promiſſio, vel votum expreſſum, vel tacitum, ſivè præſumptum.

Circà quintùm; reſpondeo *ſecundum Tho.* 4. *diſ.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *cap.* 5. quod ſic; undè ſi quis poſt tempus probationis in Monaſterio remanſerit, obligatur ex voto interpretativo, niſi fortè propter aliquàm cauſam fuerit ſibi terminus protelatus, vel in tali loco conſuevit protelari. Tunc autèm facientes hujuſmodi votum tenentur ad tria principalia vota religionis, ſed ad alias obſervantias, quarum tranſgreſſio ex diſſimulatione prælatorum inducitur, obligari non videntur, præcipuè ſi ſint ſimplices, talia ſufficientèr diſcernere neſcientes, *hæc Thom. ibid.*

Circà ſextùm, reſpondeo, quod non; immò Greg. IX. ſtatuit, quod Novitii in probatione poſiti poſſunt ad ſtatum priorem redire liberè infrà annum, niſi in tribus caſibus; primus eſt, ſi acceperunt habitum profeſſorum; ſecundus, ſi profeſſion m fecerunt; tertius, ſi evidentèr appareat, quod tales voluerint vitam mutare, & in religione Deo perpetuò ſervire, *extra de Reg. ſtatuimus*.

Sed quomodò apparet, quod vitam quis mutare velit?

Reſpondet ibidem Gloſſ. quod hoc apparet, ſi expreſsè ſæculo renunciet, vel ſi aliquid dicat, vel faciat, per quod ejus voluntas appareat. De hoc vide illud, quod *Hoſt. dicit ſupra eo. tit. art.* 5. *quæſt. ſed per quid habet &c.* Et nota, quod illa decretalis *extra de regul. conſulti*, quæ fuit Greg. VI. hodiè non videtur habere locum, ut ibi dicit Gloſſ. propter dictam decretalem *ſtatuimus*, quæ fuit poſterior, & fuit Inno. III.

Sed qualitèr ſcietur, quod fuerint in probatione?

Reſpondet Ray. quod hoc ſcietur, vel quià proteſtati ſunt ſe velle eſſe in probatione, vel quià acceperunt habitum novitiorum, quod habet locum in religionibus illis, in quibus habitus noviviorum eſt diſtinctus ab habitu profeſſorum; vel quià eſt ordo talis, qui non conſuevit aliquem ad pro-

Profeſſionem recipere, niſi habita probatione. Ubi autèm habitus non eſt diſtinctus, ſecundum quod habetur in *illo c. ſtatuimus* præallegato, debent tempore profeſſionis benedici veſtes, quæ profitentibus conceduntur, ut habitus novitiorum à profeſſorum habitu diſcernatur.

Quid ſi in aliquo prædictorum trium caſuum redeat ad ſæculum, & contrahat matrimonium?

Reſpondet Rod. quod in caſu primo, & ſecundo non tenebit matrimonium, nec etiàm in tertio, ſi talis ſimplicitèr renunciavit ſæculo, promittens ſe de cætero victurum in religione, tale votum, vel promiſſionem approbante prælato religionis illiùs, tunc etiàm votum ſolemnizaſſet; Sed ſi tantùm habitum novitii reciperet, & voluntatem manifeſtaret, votum ſimplicitèr eſſet, quod tantùm matrimonium contrahendum impediret.

Circà ſeptimùm; reſpondeo *ſecundum Ric. 4. diſ.* 38. *quæſt.* 5. *art.* 3. *c.* quod ſic; ad quod facit illud, quod dicitur *extra de ſpon. ſicut ex litteris*, de quodam, qui mulierem quamdam ſe ducturum in conjugem infrà certum terminum juravit, nec per virum, ſed per mulierem ſtetit, quod ipſe juramentum non implevit, quod viro non eſt imputandum, imò pro completa conditione eſt habenda. Idem ergò eſt quantùm ad æquivalentiam, ad hoc ut teneat promiſſio implere conditionem appoſitam, & non ſtare per illum, qui debet eam implere, quominùs impleatur. Sed quandò promittens impedit ejus impletionem, illo, qui debebat implere parato, per promittentem, & non per alium ſtat, ne impleatur; habenda eſt ergò pro impleta. Cùm ergò ſua promiſſio teneret, ſi conditio impleretur, nihilominùs etiàm tenet, quandò pro ejus culpa ſtat, quod non impletur; Undè cum aliquis Deo vovet aliquod ſpeciale obſequium, ſi à peccato, à quo tentatur præſervaverit eum, ſi incidat illud peccatum, nihilominus tenetur implere votum, quià quod Deus eum non preſervaverit ab illo peccato, ſtetit per eum, non per Deum, qui illum à peccato illo præſervaſſet, ſi ille voluiſſet.

Eſtò, quod aliquis horrens committere aliquod magnum ſcelus, quod nunquàm intendit committere, voueat, quod ſi committat, intrabit aliquam religionem, quàm non vult, ſed horret intrare; & poſteà illud ſcelus committat; numquid tenetur intrare religionem?

Reſpondet *Ricc. ubi ſuprà*, quod ſic; quià votum ſub conditione factum de re bona, & propter finem bonum, eſt obligatorium exiſtente conditione, ſivè illa conditio ſit bona, ſivè mala.

Circà octavum, reſpondeo, quod ſic; ita quod ſi poſteà voueat, & votum ſuum verbo, vel ſcripto non exprimat, peccat; Nàm tale votum eſt bonum, quià per voti expreſſionem in verbo, vel ſcripto habetur de voto facto certior cognitio; & præcauetur in vouendo præcipitatio, quorum utrumque eſt bonum; Nihilominùs tamèn videtur, quod teneat illud votum, ſi aliàs ſit licitum, cum vouere ſit bonum; & à Spiritu Sancto conſulatur per Pſalmiſtam; *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui &c.* Votum verò de non vouendo non obligat; Undè votum, de quo eſt propoſita quæſtio non obligat ad non vouendum, ſed obligat ad exprimendum per verbum, vel per ſcriptum, ſi contigerit emittere votum.

Circà nonùm; reſpondeo ſecundùm aliquos, quod ſic, quià obligatio voti cauſatur ex libero conſenſu voluntatis hominis, & fidelitate, quàm debet Deo; obligatio verò juramenti ex libero conſenſu hominis, & reverentia, quàm debet Deo in quantùm eſt veritas prima; Infidelitas autèm ſervi ad Dominum eſt grauior offenſa quacunque alia irreverentia, quàm ſeruus Domino facere poſſit; & hujus ſententiæ eſt Thom. Alii diſtinguunt de juramento, quià, aut ſit homini, aut ſit Deo; primò modo non ità fortitèr obligat, ſicut votum, quia obligatio, quæ ſit Deo in voto, eſt fortior obligatione, quæ ſit homini; ſecundo modo magis obligat juramentum cæteris paribus; Votum enim non importat niſi promiſſionem Deo factam ex deliberatione facta cùm intentione ſe obligandi. Hoc autèm totum importat juramentum, & addit adductionem perſonæ veritatis in teſtimonium ad majorem confirmationem promiſſionis. *Hæc Ric.* 3. *diſt.* 38. *quæſt.* 5. *art.* 2. *c.*

Circà decimùm; reſpondeo ſecundùm Ray. Pater non poteſt injungere filio neceſſitatem peregrinandi, *ut extra c. licèt*, ubi injunctio paterna tenuit, quià filius approbauit; Pæcuniariam verò ſatisfactionem injungere poteſt. *extra de uſu. ſua, & extra de ſolv. cap.* 1. Tamèn ſecundùm Hoſt. diſtingue, quià ſi hæres hæreditatem adierit, votum ejus, cujus eſt hæres tenetur implere, ſi vires hæreditatis patientur, maximè, ſi ſuſceperit ſpontè, *ut extra c. licèt*; Nàm obligationem voti conſtat ad hæredem tranſire *ff. de pollicita. l.* 2. *in fin.* Si verò non adierit, non tenetur, quià nec hæres, niſi ſpontè promiſerit, & tunc ſi in omni caſu intendit perſonam ſuam obligare, debet implere, non tàm ob promiſſionem factam à teſtatore, quàm ob ſuam; Sed ſi tamquàm hæres promittebat, ſperans hæreditatem adire; poſteà tamèn mutato conſilio abſtinuit, non tenetur, *arg. extra de elec. venerabilem* §. *fin.* & ſic etiàm intelligi poteſt illud, *extra c.* 5. *de voto licèt*. Sed quicunque hæreditatem adiit, obligatur, ut probatum eſt, & *arg. extra de ſolu. cap.* 1. Inno. verò *ſuper c. licèt* præallegato dicit, quod, qui votum tranſmarinum emittit pro ſubſidio Terræ Sanctæ, ſi impediatur morte, vel alitèr, cogitur alii committere, qui votum compleat, *arg. dict. c. immed.* Si aliis non committat, hæredes cogi poſſunt, ut vel illud compleant, vel expenſas, aut ſubſidium, quod pater, vel teſtator facturus eſſet, faciant; ſecùs eſt, ſi vouet propter deuotionem, vel aliàm cauſam; quià

quià tùnc ſi perſonalitèr ire non poteſt, mittere non tenetur, quià ſubintelligitur, ſi poterò, & hujuſmodi,

ARTICULUS VIII.

De Caſibus, in quibus poteſt à Voto diſcedi.

SEquitur videre de octavo, ſcilicèt de caſibus, in quibus poteſt à voto diſcedi. Circà quod ſecundùm Hoſt. nota, quod ubicunque voueo, vel promitto aliquid facere, quo facto, vel aliquid non facere, quo non facto, ſalus corporalis, uel ſpiritualis amittitur, uel peccatum mortale incurritur, non eſt ſeruandum uotum, uel juramentum, uel pactum, neque conſuetudo, neque lex, nec præceptum, neque etiàm aliquod uinculum firmitatis, 22. *quæſt.* 4. *cap. fin.* & *c. inter cætera*, & *extra de jurejuran. quanto*. In indifferentibus autèm, quæ ſi fiant non eſt peccatum mortale, & ſi non fiant nullum eſt peccati mortalis periculum, tenet uotum, & eſt ſeruandum *art. extra de no. ope. nunc. cum ex injuncto* §. *ſuper eo.* Niſi aliud dicatur ratione perſonę, quæ eſt inhabilis ad uouendum, de quo habitum eſt ſuprà articulo de uouente, & dummodò obligationi præcedenti licitè non ſit contrarium, *art. extra de jurejuran. eatenùs in fin.* & *c. veniens in fin.* quià nec tunc de facili ſinè peccato poſſet exequi, *art.* 22. *quæſt.* 5. *juramenti*. Hęc *Hoſt.*

Undè notauit *Hug.* 32. *quæſt.* 2. *non ſolùm*; quod ſi quis fecit uotum de carnibus non comedendis, & infirmetur, ità quod à medicis dicatur, quod eſt in periculo, niſi carnibus ueſcatur, & quod alitèr non poteſt euadere, de præcepto majoris, & etiàm ſinè præcepto poteſt carnes comedere, quià eſt cauſa neceſſitatis, & in hujuſmodi uoto conditio tacita fuiſſe uidetur, niſi neceſſitas cogeret, & præceptum majoris adeſſet. Itèm ſecundùm Hoſt. ſi quis uoueat dare certam menſuram annuatim, & non determinet, in arbitrio ejus eſt, ad quàm menſuram *det. extra de cenſi. ex parte per totum*. Licèt igitùr uotum ſit regularitèr implendum, in caſibus tamèn ab eo diſcedi poteſt.

Et notauit Hoſt. plures caſus; quorum primùs eſt, ſi commutetur in meliùs, *extra c. ſcripturæ, per totum*, & *de jurejuran. c.* 3. *in principio*. Alicubi autèm requiritur auctoritas ſuperioris, ut dicetur infrà. Secundùs Caſus eſt ſi non proceſſit ad actum, *extra c. litterarum in fin.* Tertiùs eſt, ſi uotum conditionale fuit, cum conditio deficit, 32. *quæſt.* 8. *c. fin. ſcilicèt non ſolùm in fin.* & *etiàm in art. ſuper illo c.* & hoc intelligas ſiuè ſit conditio ſpiritualis, & expreſſa, *extra de cond. appo. verum*, & *c. de illis*; ſiuè ſit tacita, quæ ex ſui natura ineſt uoto, ut ſi potero, ſi uixero, ſi Deus dederit; Niſi Deus alitèr reuelauerit ſecundùm Goſ. Si tamèn aliquis uoueat ex duabus cauſis, uel pluribus, uel ſub duabus conditionibus, uel pluribus, & nihilominùs intendat ſe obligare, qualibet illarum cauſarum, uel conditionum exiſtente, tenetur uotum implere, licèt deficiat una illarum, uel plures, dummodò extet una earum, ut dicunt Ray. & Rod. Quartus eſt ubi uouens non habet liberam facultatem uouendi, ut habitum eſt ſupra art. de uouente. Quintùs eſt ubi ſuperioris auctoritate dilatum eſt, uel redemptum, uel mutatum. Sextus ubi uotum ex ſui natura eſt illicitum, ubi quidem non tantùm à uoto poteſt, immò debet omninò diſcedi.

Notauit etiàm Goſ. aliùm caſum, ſcilicèt, quandò cauſa, proptèr quàm uotum eſt emiſſum, ceſſat, *extra c. magnæ in fin.* licèt ſecùs ſit in uoto religionis, quod ex cauſa falſa non uitiatur, *ut extra de conver. conju. dudum*. Hoſt. uerò dicit, quod etiàm in aliò uoto non ceſſat uotum ceſſante cauſa, licèt redemptio facilius admittatur, & hoc eſt, quod dicitur *extra c. magnæ* §. *fin.* ut probatur ibi ſpecialitèr nos induxit, & ibi facilius ceſſare potuit. Ceſſet ergò idem, & ſi ita non eſſet; nàm facile erat, ut innuit ibi faciliùs. Et hoc intellige ubi fuit cauſa inductiua, ſiuè compulſiua, uel etiàm finalis. Sed hoc non expreſſit *ff. de ver. ob. quicquid aſtringendæ per totum*, & *in ar. ſuper ea. l.* & *ſic poteſt intelligi*. Et ſic etiàm intellexit *Ray. extra de conver. conju. ex parte* 1. §. 1. Si uerò expreſſit hoc dicens, quod ſi talis cauſa deficeret, obligari nolebat, patet, quod ceſſauit quandò ceſſauit cauſa, *extra de ap. cum ceſſante*. Sic & ſi conditio defeciſſet.

ARTICVLVS IX.

De Utilitate voti.

SEquitur uidere de nono, ſcilicèt de utilitate uoti. Et circà hoc quæruntur plurà, ſcilicèt.

I. Utrùm expediat homini uouere?

II. Utrùm idem opus bonum factum cum uoto ſit magis meritorium, quàm factum ſinè uoto?

Circà primùm; reſpondeo ſecundùm *Ricc.* 4. *diſ.* 38. *quæſt.* 6. *art.* 1. *c.* Vouens, aut uouet bona, quorum obſeruatio uidetur probabilitèr proportionata infirmitati ſuæ ſpirituali, aut improportionata; primo modo expedit homini uouere, quià per hoc ampliùs firmat uoluntatem ſuam in bono, & excludit à ſe pro magna parte libertatem malè faciendi, & facit actum uirtutis latriæ, & ideò uouendo meretur; propter quod monet *Pſal. vovete*, & *reddite Domino Deo veſtro*. Secundo modo non expedit, nec licet; tale enim uotum non haberet diſcretionem comitem; cum per hoc uouens magis uidetur ſe illaqueare, quàm augere ſecuritatem de ſua ſalute. Quilibèt tamèn reputare debet obſeruantiam uoti religionis eſſe proportionatam ſuæ infirmitati ſpi-

Digitized by Google

ſpirituali, niſi per certam experientiam conſtet de contrario ſibi. Et propter bona extrinſeca,quę ſæpiùs uident, & audiunt, & propter majores conſolationes ſpirituales, quas ex Dei benignitate ob fauorem religionis, & Sancta Societate recipiunt obſeruantia aliquorum bonorum eſt proportionata alicui in religione exiſtenti, quæ non eſſet proportionata eidem in ſæculo remanenti. Sed

Objicitur; quià grauiùs peccatum, cæteris paribus, eſt peccatum religioſi, quàm laici; undè dicit Anſel. lib. de ſimilitudinibus, quod ſi pœnitere religioſus noluerit, majori damnationi ſubjacebit, ergò uouere non expedit?

Reſpondetur, quod licèt ex uoto peccatum aggrauetur, tamèn in benefaciendo etiàm magis meretur, ut in ſe. qu. oſtendetur;& etiàm de peccato pœnitens, majorem miſericordiam, quàm pęnitens in ſæculo conſequitur *ſecundùm Anſel. in lib. prædicto. Hæc Ric. ubi ſup. cap. 3.*

Circà ſecundùm; reſpondeo ſecundum *Ric. 4. diſ. 38. quæſt. 6. art. 2. c.* Quod ſic; Deus enim,cum acceptet opus propter operantem,tantò magis acceptat opus,quantò eſt ab homine ad ejus ſeruitium magis ſpiritualiùs dedicato Cęteris autèm paribus ſpecialiùs dedicatur homo ad Dei ſeruitium per uotum, quàm ſinè uoto; Prętereà, ut dicit *Anſel. de ſimilit.* Sicut obſequium ejus, qui domino totam arborem cum fructu offert, eſt acceptius Domino, quàm obſequium ejus, qui dat Domino de fructu arboris quantùm uult, non tamèn dat arborem, ſic ſeruitium religioſi eſt gratiùs Deo, quàm hominis ſæcularis.

ARTICULUS X.

De Mutatione Voti.

SEquitur uidere de decimo ſcilicèt de mutatione uoti; & circà hoc quæruntur plurà, ſcilicèt.

I. Utrùm uotum commutari poſſit?

II. Utrùm quodlibèt uotum commutari poſſit in uotum religionis?

Circà primùm; reſpondeo *ſecundùm Ric. 4. diſt. 38. q. 8. ar. 1 c.* Ut habitum eſt ſuprà, votorum, quædam ſunt neceſſitatis, & hæc redimi, uel com mutari non poſſunt, quià non poſſunt omitti ſinè peccato, *art. 17. quæſt. 1. ſunt quædam.* Alià ſunt uoluntatis; & talia ferè omnia redimi, & commutari poſſunt, ferè dixi, proptèr uota religionis, & continentiæ, de quibus ſpecialitèr quęretur *in ſe. art.* Sicut enim dicit *Ber. de præcep. & diſpen. 4. c.* iniquum foret ſi ſtatutum pro ſola charitate contrà charitatem teneret; Votum autèm fieri debet ex charitate, & pro charitate; undè ejus obligatio tenere contrà charitatem non debet. Contrà charitatem autèm teneret, ſi illud in melius commutari non liceret; Votum ergò commutari poteſt in melius bonum *extra e. magnæ circà fin.*

Hoc autèm fieri non debet propriâ auctoritate ipſius uouentis, quià nullus debet eſſe judex in ſua cauſa. Et ſi dicitur *Levit. ult. Animal, quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit Sanctum erit, & mutari non poterit.* Sed auctoritate juris uotum temporale commutari poteſt in perpetuam obſeruantiam religionis, ut dicetur in ſeq & votum religionis laxioris in arctiorem,priùs tamèn licentia ſui prælati petita, ſivè obtenta, ſivè non, *extra de reg. ſane, & c. licèt per totum in principio*; Jura verò, quæ contrarium dicere videntur, intelligi debent de eo, qui cauſa leuitatis, & non petita licentia tranſit ad ordinem alium; Si tamèn licentia non petita, tranſit, redire non tenetur ad bonum inferiùs, quod reliquit, *ut Ber. dicit lib. de præcep. & diſpen. c. 36.* Nec hoc eſt contrà prædicta, quià multa fieri prohibentur, quæ tenent, poſtquàm facta ſunt. *Hæc Ric. ubi ſup. c. 3.* & conuenit cum eo *Bern. extra de reg. licèt*; Si tantùm tranſeat cauſa levitatis, licentia etiàm petita revocari poteſt *ſecundum Hoſt. 19. quæſt. 3. Mandamus, & c. ſtatuimus, & extra de ætate, & qua, & ordine præf. & etiàm in Gloſſ. intelleximus.* vel intellige etiàm ſecundum Hoſt. quod levitas præſumitur, quandò licentia non petitur, *ut ibid.* ſecùs eſt, ſi petatur, ut dicitur *in c. licèt*; Undè quod dicit, *cap. ſtatuimus prææallegato*, ſinè permiſſione patris, ſubaude petita, licèt non obtenta.

Quid ſi dubitetur utrum ſit laxior, vel arctior religio ad quam tranſire petit, & utrùm velit hoc ex temeritate, vel ex divina inſpiratione?

Reſpondeo ſecundùm Hoſt. & Rod. Hoc eſt ſuperioris arbitrio relinquendum, idèſt ne ſcilicèt Sathanas ſe transformet in Angelum lucis, *extra de reg. licèt, ſtatim poſt medium.*

Quid ſi ſuperior arbitretur iniquè?

Reſpondeo ſecundùm Hoſt. ad ſuperiorem ſuperioris eſt recurrendum, *extra de elec. ne. pro defectu circà medium.*

Quid ſi quis regularis impetravit ab Abbate ſuo licentiam tranſeundi ad religionem arctiorem, & poſteà penitet eum? Numquid Abbas ille tenetur recipere eum revertentem?

Reſpondeo ſecundùm Rod. ſi ille non poteſt invenire religionem arctiorem,ubi recipiatur, aut ſubſtinere non poteſt ejus auſteritatem, poſtquàm eam probavit, tenetur eum recipere, ſi revertatur antè factam profeſſionem, nec repelli prætextu prioris licentiæ, vel renunciationis, ſi renunciavit Monaſterio primo, cum facta ſit ex cauſa tranſeundi ad religionem arctiorem, & cauſa non ſit ſecuta, alitèr recipere eum non tenetur.

Quid ſi petivit licentiam tranſeundi,& Abbas dixit, quod deliberaret, & antequàm reſpondeat, pœniteat eum, & dicit, quod non vult tranſire, Abbas tamèn poſteà licentiat eum, numquid exire tenetur?

Reſpondeo ſecundùm Rod. quod non, ex quo non concurrunt voluntates petentis,

tis, & licentiantis; Notavit etiàm Hug. quod non ſufficit licentia prælati ſinè licentia conventus, cum in alienatione prædii, quod minus valet, quàm homo, requiratur conſenſus capituli. Sed Rod. credit, quod ubi petit licentiam tranſeundi ad religionem arctiorem ſufficit ſoliùs Abbatis licentia; ad laxiorem autèm religionem tranſire non poteſt etiàm de conſenſu Abbatis, & conventus, quià eſt contrà jus. Quandò autèm Abbas, & conventus licentiant aliquem ſimplicitèr, & ille renunciat ſimplicitèr monaſterio ſuo ex odio fortè, vel rancore, vel alià cauſa, non valet, quod agitur, quià hoc non eſt niſi ei dare licentiam evagandi; Vota autèm peregrinationis, & abſtinentiæ, & hujuſmodi, commutari poſſunt auctoritate Epiſcopi; Iura enim hoc poſſe ab Epiſcopis non excludunt, *art. extra e. c. 1. in tex. & Gloſſ.*

Inferiores verò prælati Epiſcopis nullum votum commutare poſſunt, niſi fuerit eis ſpecialitèr commiſſum, ſivè conceſſum, præter prælatos religioſos, qui diſpenſare poſſunt in votis ſubditorum ſuorum; Vota autèm continentiæ, & religionis, & tranſmarinum commutari non poſſunt auctoritate Epiſcopi, ſed ſolùs Papa diſpenſare poteſt in illis, *extra eo de multa in principio; ubi Papa reſpondet primæ quæſtioni*. §. 1. *& c. veniens, & quatuor c. ſe*. Et idem eſt ſecundùm Hoſt. de voto crucis cujuſlibèt 24. *quæſt.* 1. *quoties*; Ratio cujus eſt *ſecundum Ric. 4. diſt.* 38. *quæſt.* 9. *art.* 2. *c.* quià non eſt diſpenſandum in votis illis niſi proptèr communem Eccleſiæ utilitatem, vel aliquam magnam neceſſitatem; & ideò commutatio eorum meritò reſervatur Papæ, qui curam habet totius univerſalis Eccleſiæ.

Numquid votum de jejunando in Sabbato ſemper eſt commutandum?

Reſpondet Rod. quod non oportet hujuſmodi votum revocare, vel commutare; poteſt tamèn in meliùs commutari; Nam & *ſecundum Canonem veterem de conſecrati. 4. Sabbato*; jejunandum eſt in die Sabbati, qui tamèn Canon, vel loquitur de conſilio, vel eſt abrogatus.

Quid de voto feriandi in Sabbato?

Reſpondet Rod. quod non eſt ſimplicitèr irritandum, vel neceſſariò commutandum, niſi vovens ſuſpectus ſit, quià judaizare velit.

Quid ſi quis vovit diverſa vota?

Reſpondet *Thom. 4. diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 4. *q.* 4. *c.* quod ſi unum eſt alteri compoſſibile debet utrumque ſervare, niſi fortè ſibi commutet votum præcedens in melius ſequens. Si verò unum ſit incompoſſibile alteri debet majus ſervare, & de minori ad arbitrium Prælati ſatisfacere.

Circà ſecundùm reſpondeo; volens facere profeſſionem in religione, ſi actualitèr, ſeù habitualitèr remanere velit obligatus ad vota, quæ fecerit in ſæculo, non computatur in votum religionis; tamèn poſtquàm ad notitiam prælati devenerit, cum ab illis votis abſolvere poterit, maximè ſi ignorat, ipſum eſſe ligatum illis votis tempore profeſſionis; ſi autèm actualitèr, ſeù habitualitèr intendat ſe non teneri ampliùs votis illis, ſed ſolo voto ſuæ religionis, abſolvitur ab illis per votum religionis propter ejus altitudinem, & perfectionem, *extra c. ſcripturæ*. Undè iſta commutatio fit auctoritate juris.

Si tamèn Rex unus, vel Imperator voverit, quod uſque ad certum tempus in Terra Sancta militabit, vel unus aliùs magnus Dominus exiſtens dux totius exercitus Cruce ſignatorum, & de cujus abſentia deſolaretur exercitus, vellet religionem intrare, in hoc caſu videtur ſecundùm Hoſt. & Rod. Papa conſulendus. Certùm eſt tamèn, quod perſona mediocris abſolveretur à voto tranſmarino per religionis ingreſſum, & profeſſionem in ea; Cum enim votum religionis ſit perpetuum, eſt majus voto peregrinationis Terræ Sanctæ, quod eſt temporale, ut habetur *extra e. c. præallegato: ſcripturæ, ſivè c. rens*. Reus fracti voti non habetur, qui temporale obſequium noſcitur in perpetuam religionis obſervantiam commutare.

Si dicatur, quod per votum aſſumptionis Crucis in ſubſidium Terrę Sanctę conſequitur homo remiſſionem omnium peccatorum, & ità videtur eſſe utilius voto religionis; ergò &c.

Poteſt *ſecundum Thom.* 2. 2. *quæſt.* 189. *art.* 3. *cap.* 3. rationabiliter dici, quod etiàm per ingreſſum religionis conſequetur quis remiſſionem omnium peccatorum; Si enim aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere de peccatis ſuis ſecundùm illud *Dan.* 4. *peccata tua eleemoſynis redime*, multò magis in ſatisfactionem pro omnibus peccatis, ſufficit, quod homo ſe totaliter divinis mancipet obſequiis per ingreſſum religionis, quæ excedit omne genus ſatisfactionis, etiàm pęnitentiæ publicæ, *ut habetur* 34. *quæſt.* 2. *admonere te cum lacrim*. Undè in vitis Patrum legitur, quod eamdem gratiam conſequuntur intrantes religionem, quàm conſequuntur baptizati. Si tamèn non abſolverentur ab omni reatu pœnæ, nihilominus ingreſſus religionis eſt utilior illa, quantùm ad promotionem in bonum, quæ præponderat abſolutioni à pœna.

Quid ſi quis ſuſcipit votum implendum pro matre? Numquid per ingreſſum religionis poteſt abſolvi?

Reſpondeo *ſecundùm Thom. in quadam q. de quolibèt*; quod ex quo ingreſſus religionis tali ſufficit pro ſe, ſufficit etiàm pro matre; vel etiàm ſi vult Abbas, illud votum poteſt implere.

Quid ſi aliquis Cruce ſignatus, vel alius vovit, quod expenderet, vel mitteret in ſubſidium Terræ Sanctæ centum Marcas, & poſt à ingreditur religionem? Numquid eſt liberatus omninò?

Reſpondeo ſecundùm Roff. quod ſic, quoad laborem peregrinationis, non quoad pęcuniam prædictam, quià nullus ſinè licentia ſpeciali Papæ poteſt commutare vota Terræ Sanctæ, nec ipſo jure mutantur per ingreſſum religionis, niſi

niſi quoad laborem peregrinationis.

Quid ſi quis voverit dare centum libras pauperibus, vel alicui certæ perſonæ, vel Eccleſiæ, vel facere Eccleſiam, vel domum alicui religioni; Numquid hujuſmodi votum commutari poterit in votum religionis?

Reſpondet Rod. quod aut ex tali promiſſione, vel voto, eſt alicui, vel aliquibus actio acquiſita, aut non; ſi ſic, non liberatur per ingreſſum religionis, niſi conſentirent illi, quibus donavit, vel promiſit; ſi non, liberatur, ſi intendat illud minùs bonum commutare in hoc majus, dummodò tamèn hoc fiat auctoritate Epiſcopi ſui, ſecundum Rod. Videtur tamèn, quod ad hoc ſufficiat auctoritas juris *extra c. ſcripturæ*.

Sed quomodò vota debent redimi, vel commutari?

Reſpondeo; ad hoc quod illud fiat licitè, & Canonicè requiritur auctoritas ſuperioris, ut dictum eſt, & cauſa rationabilis, quæ ſubſit; debet autèm ſuperior ibi attendere tria, ſcilicèt; Quid liceàt ſecundùm æquitatem; quid deceat ſecundùm honeſtatem; & quid expediat ſecundum utilitatem, ſivè neceſſitatem, *extra c. magnæ* §. 1. Undè debet conſiderare qualitatem perſonæ, & cauſam, & qualitatem, & quantitatem commutationis, ut ex hoc colligat, an commutatio ſit melior, & Deo acceptabilior; debet etiàm conſiderare cauſam, propter quàm votum eſt emiſſum; Nàm ea ceſſante, ceſſat faciliùs & effectus, *ut in cap. magnæ in fin. ultima ſcilicèt linea*; In voto ergò peregrinationis ſic fieri debet redemptio, ut expenſæ, quæ fierent in eundo, morando, & redeundo, in aliàs pias cauſas dentur; & labor itineris, jejuniorum, vigiliarum, & orationum laboribus compenſetur, *ut in c. magnæ §. penult. ad fin. & c. ſuper his*; *hæc Hoſt. & Ray.* Oblationem etiàm, quàm vovens in Eccleſia illa, ad quàm ire voverat, facturus eſſet, ſecundum Ray. ad ipſam mittere debet.

In voto verò abſtinentiæ debet haberi ratio aſperitatis, jejuniorum panis, & aquæ, & affluentia voventis, *extra e. cap. 1. c. magnæ §. penult. in fin.* Undè aliquis pauper parva pecunia, vel oratione, ſi nihil haberet, votum redimere poſſet; ubi regi, vel comiti magna non ſufficeret, *art. extra de maled. cap. 2. Hæc. Hoſt.* Nam pauperi operario conceditur redimere jejunia ſextæ Feriæ denario uno, *diſ. 82. presbyter*.

In voto autèm tranſmarino conſiderari debet intentio voventis, ſcilicèt utrùm intenderit peregrinari, vel bellare; ſi enim intendebat peregrinari, & ſit habilis ad eundum, quamvis inhabilis ad pugnandum, non redimat. Si verò intendat pugnare, & ſit inhabilis ad pugnandum, redimat; niſi fortè conſilio ſtrenuus ſit, vel fortè ſecum pugnatores ducere poſſet; Talis enim non eſt omninò impotens, *extra e. quod ſuper his §. penult. & fin. & cap. ex multis §. 2. quæſiviſti, & §. final. in fin.* Vel niſi ſit agricola, vel artifex, qui ſit ibi utilis, licèt non multi talium ibi ſint opportuni propter parvitatem poſſeſſionum, & paucitatem inhabitantium, *ut in c. quod ſuper his in reſp.*

Sed inter illos, qui habent impedimentum temporale, ut his dilatio concedatur; vel perpetuum, ut ab his redemptio recipiatur, eſt ſubtilitèr diſtinguendum, *ut in c. quod ſuper his* §. 1. In Clericis etiàm voventibus conſiderari debet, ſi Clericus Cruce ſignatus ſit ibi utilis, & neceſſarius, vel conſilio, vel prædicationis officio, vel quià deputatus eſt alicujus magnatis ſervitio, vel quià ſecum milites bellatores ducere poteſt, & tunc non recipitur redemptio. Si verò non ſit ibi opportunus, tunc recipitur, *ut extra e. ex multa §. fin. & c. poſtulaſti*; Nam ad pugnandum perſonaliter eſt inhabilis, ut patet *diſ. 50. clericum, qui paganum*. Sed & aliquoties poteſt votum redimere, etiàm ſi bellatores poteſt ducere; ut ſi ſit nimis ſenex, fragilis, & confractus, *ex c. magnæ §. verùm ætatis circà medium, & extra de renun. niſi cum pridem §. alià verò cauſa eſt*.

Oportet etiàm conſiderare; utrùm ex facilitate animi juvenilis votum ſit emiſſum, quià tunc eſt remittendum remiſſione competenti recepta, *extra c. veniens*; Nec debet prætermitti, quod licèt votum Hieroſolymitanum ſit magni favoris, ut patet *extra e. ex multa §. penul. quod autem*; ſi tamèn propter abſentiam unius perſonæ periculum immineret toti terræ, ſivè Provinciæ, conſultè votum remittitur, vel differtur; nec votum tranſgreditur, qui auctoritate Sedis Apoſtolicæ illud diſtulit adimplere, *extra c. non eſt. Hæc Hoſt.*

Quid ſi publica meretrix, quàm multi ſequuntur votum emiſerit tranſmarinum; Numquid redimere poterit illud?

Reſpondeo ſecundùm Hoſt. niſi corrigatur, nec ipſa, nec bellatores, qui ſequuntur eam ex amore corrupto debent admitti, nec ejus votum approbari, quià nec oblatio ſua debet recipi, ut dicetur *in lib. 6. tit. de Parochiis*.

ARTICULUS XI.

De diſpenſatione voti.

Sequitur videre de undecimo, ſcilicèt de diſpenſatione Voti; & circà hoc quæritur.

I. Utrùm omne votum ſit diſpenſabile?

II. Utrùm votum de nunquàm petendo a Papa diſpenſationem in aliquo voto, ſit obligatorium?

III. Utrùm Abbas retractare poſſit votum, quod fecit ſubditus de licentia ſua?

Circà primùm reſpondeo. Hug. & ejus ſequaces dixerunt, quod diſpenſatio poteſt duplicitèr ſumi, uno modo pro relaxatione juris; & ſic nullo modo votum eſt diſpenſabile, quià quod per votum Deo factum ab eo, qui eſt liberæ poteſta-

teſtatis in vovendo, vovens ſit obligatus, hoc eſt de jure divino; Papa autèm jus divinum relaxare non poteſt 25. *quæſt.* 1. *ſunt quidam dicentes*. Alio modo pro juris declaratione, & hoc modo aliqua ſunt diſpenſabilia, ut ea, quæ poſſunt in melius commutari, quià Papa poteſt interpretari, & declarare jus divinum; Aliqua verò non ſunt diſpenſabilia, ut ea; quæ dignam compenſationem habere non poſſunt, ut votum continentiæ, & religionis. Hujus ſententiæ eſt etiam *Ray. & Bon. 4. diſ. 38. quæſt. 2. art. 3. c. huic opinioni favere videtur*.

Et ſi dicatur quod poſſibile eſt, quod in Matrimonio pax Eccleſiæ detur, quæ eſt utilitas communis, quæ eſt præferenda privatæ, ergò &c.

Reſpondetur ſecundum eum, quod vovens debet eſſe magis ſollicitus de ſalute ſua, quàm aliorum. Et prætereà neſcitur, utrùm ex matrimonio pax daretur, & certum dimitti non debet pro incerto.

Pro hac etiàm opinione, eſt exemplum Beati Matthæi Apoſtoli, qui conſentire noluit, quod Effigenia virgo Deo dicata Regi nuberet, qui ſe fieri Chriſtianum, cum omni populo promittebat, quin potius mortem ſubſtinuit. *Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 11. c. in fine* diſtinxit de voto continentiæ, ſcilicèt quod Eccleſia diſpenſare poteſt in ipſo ſolemnizato per Sacri Ordinis ſuſceptionem, pro eo quod debitum continentiæ non eſt annexum eſſentialitèr Sacro Ordini, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Sed non poteſt diſpenſare in voto continentiæ ſolemnizato per religionis profeſſionem, quià debitum continentiæ eſſentialiter eſt ſtatui religionis annexum, per quàm homo ſe mancipat totaliter Dei ſervitio, quod non poteſt ſimul ſtare cùm Matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procurandi uxorem, prolem, & ea, quæ ad hoc requiruntur, *art. ad hoc extra de ſta. mo. cum ad Monaſterium in fin* ubi dicitur, quod cuſtodia caſtitatis eſt annexa regulæ monachali.

Si autèm objiciatur, quod tale votum poteſt eſſe impeditiuum melioris boni, ut pacis unius magnæ regionis; dicendum, quod periculis rerum humanarum eſt obviandum per res humanas, non per hoc, quod res divinæ convertantur in uſum humanum; religioſi autèm mortui ſunt ſeculo, & vivunt Deo; undè non ſunt revocandi ad vitam humanam occaſione cujuſcumque eventus, *ſecund. Thom. ubi ſup. c. 1.*

Sed contrà hoc objicitur *ſecun. Ric. 4. diſt. 38. q. 9. art. 1. c.* quià ut dictum eſt ſuprà, Prælatus religionis diſpenſare poteſt in votis ſubditorum ſuorum, ſi quà ſuperaddunt neceſſariis ad ſalutem, quæ ſunt ſupererogationis, ergò etiàm Papa poteſt hoc reſpectu omnium, cum in eo ſub Deo ſit plenitudo poteſtatis.

Videtur ergò dicendum, quod omne votum propriè dictum, ſcilicèt quod eſt de his, quæ ſunt ſupererogationis, eſt diſpenſabile, quià in quolibèt tali voto poteſt inveniri cauſa diſpenſationis rationabilis, ſcilicèt vel profectus majoris boni, vel vitatio mali; & hoc vel reſpectu reipublicæ, vel reſpectu voventis; Reformatio enim pacis intèr regna eſt majus bonum communitati, quàm continentia unius perſonæ. In tali ergò caſu, ſi perſona, quæ continentiam voverat, per obedientiam Papæ nubat, magis meretur obediendo, quàm continendo, quantum ad præmium ſubſtantiale, alitèr obligatio facta proptèr charitatem militaret contrà charitatem.

Prætereà recta ratio videtur dictare aliquem eſſe loco Dei in terra, qui periculis communitatum, & perſonarum, penſatis infirmitatibus, utilitatibus, & damnis poſſit rationabilitèr obviare; & dico rationabilitèr, quià ubi non eſſet diſpenſandi rationabilis cauſa, ſi diſpenſaretur, non eſſet diſpenſatio, ſed diſſipatio *ſecundum Ber. 3. de conſid. ad Eugenium c. 14. & hæc eſt opi. Ricc. ubi ſup. & Hoſt & Hug. Cardinalis SanctæSabinæ, quàm Hoſt. allegat in hac quæſtione, & Innoc. extra de ſta: monac: ſup. c. cum ad Monaſterium; & Jo: Theutonici*, qui dicit, quod vidit de facto diſpenſari, *Thom. autèm 2. 2. quæſt. 88. art. 11. cap. 2. dicit*, quod diſpenſari poteſt in voto temporalis continentiæ, ſicut in voto temporalis abſtinentiæ.

Sed contrà dictam ſolutionem plura objiciuntur. Et primò illud *Eccl. 26. omnis ponderatio non eſt condigna animæ continentis*, ergò videtur, quod diſpenſari non poſſit in voto continentiæ.

Reſpondeo *ſecundùm Gloſſ. ibid.* anima continens ideſt Chriſto deſponſata in ſpirituali ſcientia comparatur opibus mundi, & ſapientiæ ſeculari; Vel intelligitur *ſecund. Hug. Card.* de continentia à peccatis, & hoc non eſt contrà prædicta; ſi enim intelligeretur, quod in nullo actu eſſet major ratio meriti, quàm in obſervantia continentiæ, falſus eſſet intellectus, quià in ſubſtinendo martyrium eſt majus meritum; *Vel ſecund. Thom. ubi ſup. in fin.* illa auctoritas debet intelligi quantùm ad hoc; quod nec fæcunditas carnis, nec aliquod corporale bonum eſt comparandum continentię, quæ computatur intèr bona animę, ut dicit *Aug. lib. de Sancta Virginitate*; Undè dicit ſignantèr *animæ* non carnis continentis.

Objicitur etiàm, quià *extra de ſtatu Monac: prææallegato c. cum ad Monaſterium* dicitur, quod abrenunciatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis eſt ità annexa regulæ Monachali, ut nec contrà eas Papa valeat diſpenſare, ergo &c.

Reſpondeo; licèt Papa non poſſit facere, quod quis ſit Monachus, & non renunciet proprietatem, quià hoc eſſet facere contradictoria ſimul, poteſt tamèn de Monacho facere non Monachum, ſi adſit rationabilis cauſa. Vel ſecundum Hoſt. dicendum, cum dicit, quod Papa hoc non poteſt, verum eſt de jure communi, poteſt tamèn de plenitudine poteſtatis, licèt non deceat eum; ſic etiàm exponitur, 2. *quæſt.* 7. *Paulus*; Vel non

non poteſt ſinè magna, & evidenti cauſa, quàm putet magis Deo placere, *extra e. c. 1.* Porrò de plenitudine poteſtatis poteſt de jure ſuprà jus diſpenſare. *extra de conceſ. pręben. propoſuit circà fin.* Non peccat igitùr, ſed meretur Monialis obediendo in hoc domino Papæ, & cum anima ſua ſalvari poſſit, & multæ aliæ acquirantur; Ut ſi quis Rex Saracenorum offert ſua, & terræ ſuæ converſionem, ſi monialis aliqua daretur ſibi in conjugem.

Objicitur iterùm, quod religionis votum non poſſit in meliùs commutari; cum omnia alia vota commutari poſſint in ipſum, ut dictum eſt ſupra; ergò non poteſt in eo diſpenſari?

Reſpondeo *ſecundùm Ric. 4. diſt. 38. q. 9. art. 1. cap. 5.* quod immò poteſt commutari in majus bonum commune, licèt non in majus bonum privatum. Talis enim conditionis poſſet eſſe, qui vovit, quod votum illud commutari poſſet in aliud bonum magis expediens ſibi, licèt non poſſet commutari in magis expediens ſimplicitèr.

Ad hoc nota *ſecundùm Ric. ubi ſuprà cap. 6.* quod ſicut non eſt inconveniens, quod ſi aliquis reſuſcitaretur a morte corporali, aliqui eſſent non conjuges, licèt anteà conjuges fuiſſent; ità ſi aliquis ab illa morte, qua dicitur mori per ingreſſum religionis reſuſcitaretur per hoc, quod de Monacho fieret non Monachus per Papam, non eſſet inconveniens, quod aliqui eſſent non conjuges, qui fuerant anteà conjuges non carnaliter copulati.

Circà ſecundùm reſpondeo, *ſecundùm Ricc. ubi ſup. art. 3. c.* Votum de non petendo illud, quod eſt utile animæ voventis non eſt obligatorium, ſed quandoquè eſt utile animæ ejus, qui vovit, quod diſpenſetur ſecum in voto, quià quandoquè eſt nimis grave ad obſervandum, ità quod probabilitèr timet tranſgeſſionis periculum; ergò votum de nunquàm petendo diſpenſationem Papæ in aliquo voto non eſt univerſalitèr obligatorium. In caſu tamèn, in quo utiliùs eſſet animę voventis diſpenſationem non petere, quàm petere, obligatus eſſet ad non petendum; quià ſi quis voveret aliquod, quod in uno caſu poteſt eſſe utile ad ſalutem, & in alio caſu inutile, votum tenetur ſervare in eo caſu, in quo eſt utile ad ſalutem, non in illo, in quo eſt ad ſalutem inutile, niſi vovens intenderit, quod in nullo caſu obligetur, ſi non in omni obligatur.

Circà tertiùm reſpondeo *ſecundùm Ric. 4. diſt. 38. quæſt. 4. art. 3. o.* Si Abbas licentiam revocet antequàm ille faciat votum, & poſt revocationem voveat, poteſt retractare; Non tamèn illud votum eſt irritum. Si autèm votum fecerit ante revocationem licentiæ, tenet, donec cum eo fuerit diſpenſatum.

Sed numquid idem Abbas cum eo diſpenſare poterit? Videtur quibuſdam, quod non; quià cum ſubdito ſuo licentiam vovendi illud dederit, ſibi præjudicavit, ut in illo diſpenſare non poſſit. Alii dicunt, quod ſicut ex rationabili cauſa, eum licentiare potuit, ut voveret, ità ex rationabili cauſa, ſi occurreret diſpenſare, poſteà poterit; Nàm & idem Papa in voto facto de ſua licentia poteſt diſpenſare poſteà. Sed ſecundum alios non videtur hoc ſimile bonum, quià Papa ſub Deo habet ſuper omnes plenitudinem poteſtatis, non ſic autem Abbas ſuper omnes Monachos ſuos; Undè ſecundum *Ric. ibidem* tutius conſilium eſſet, quod ille Monachus de voto ſic facto ſe per Papam abſolvi faceret. Et ſi religioſus ille plures habeat prælatos per ordinem ſe habentes, ità quod, quidquid poteſt inferior poteſt ſuperior, & plus; ſi vovit de licentia inferioris poteſt de illo voto abſolvi a ſuperiori, ſed de voto facto de licentia ſuperioris abſolvi non poteſt ab inferiori.

ARTICVLVS XII.

De Prædicatione Crucis.

SEquitur videre de duodecimo, ſcilicèt à quo debet Crux prædicari, & contrà quos; & circà hoc quæritur 1. contrà quos poteſt, & debet prædicari?

Reſpondeo *ſecundùm Hoſt.* quod contrà Saracenos, & Hæreticos, ut patet *extrà e. quod ſuper his, & c. ſe. & c. fin. & extra de hær. excommunic.*

Sed numquid prædicari poteſt Crux contrà Schiſmaticos, & inobedientes, & rebelles?

Reſpondeo *ſecundum Hoſt.* hoc non eſt in jure expreſſum, ſed certè hoc non ſemper requiri debet, quià plurà ſunt negocia, quàm vocabula, *ff. de præſcrip. ver. l. 4.* Et ideò jure deficiente de ſimilibus procedi debet ad ſimilia *extra de reſcrip. intèr cæteras, & extra de tranſ. prę. intèr corporalia*; & naturalibus rationibus eſt utendum; ſi enim Crux tranſmarina per recuperationem terræ meritò prædicatur, multo magis pro unitate Eccleſiæ ſervanda Crux contrà Schiſmaticos prædicabitur *24. quaſt. 1. loquitur, & c. ſe.* Majus enim periculum imminet in hoc, quàm in illo, quià anima eſt pretioſior rebus. Prætereà ſi perſonarum offenſas attendamus, magis peccant Chriſtiani inobedientes, & Schiſmatici, qui ad fidem ſemel ſuſceptam redire præcisè debent cogi, quàm Saraceni, qui fidem recipere non coguntur inviti, *23. quæſt. 5. ad fidem & diſ. 14. de Judeis.* Prætereà nullum eſt ſchiſma, quod ſibi non confingat aliquàm hæreſim, *24. quæſt. 1. in Schiſma.* Cujus auctoritate poteſt, ſivè debet Crux prędicari? Reſpondeo *ſecundum Hoſt.* quod Auctoritate Papæ, ad quèm eſt de fidei periculo, & de cauſis majoribus recurrendum, & qui eſt Chriſti Vicarius generalis, *extra de tranſlat. præla. c. 1.*

Sed numquid auctoritate Epiſcopi Crux poteſt prædicari?

Reſpondeo *ſecundum Hoſt.* quod non; primò, quià nec remiſſionem tantam facere poſſet, quantam Crux requirit, *ut pat. extra e. ſi. de voto*

voto c. final. ſecundo; quià ad ſolum Papam pertinet de fide reſpondere, & ejus periculis obviare, 24. *quæſt.* 1. *quoties*; Tertiò, quià ad eum pertinet votum Crucis. Si tamèn Epiſcopus habeat temporalem juriſdictionem in aliquos, ex quo ſteterunt excommunicati tempore competenti, tùm quià eſt Epiſcopus, & Chriſti Vicarius 23. *quæſt.* 1. *Militare.* Tùm quià eſt dominus temporalis, ipſos tanquàm infideles, & res eorum, ſalvo eo, quod nullus occidatur, nec mutiletur, quod ſemper excipere debet, exponere poteſt; & hoc dico, ſi proſequatur injuriam Eccleſiæ ſuę, ſivè Reipu. ſecùs eſt, ſi intenderet ulciſci injuriam perſonæ proprię. Et curialiùs, & tutiùs faceret, ſi ad Papam recurreret *arg. C. de pig. l.* 3. Sed & tales auctoritate Eccleſiæ, vel principis ſinè ſignatione Crucis poſſunt impugnari cauſa juſtitiæ, & obedientię, & fidei defendendę, non cauſa cupiditatis, vel ultionis propriæ: ſic intellige: 23. *quæſt.* 1. *quid culpat.* & 2. *quæſt.* 2. *cap.* 1. & 2. hæc Hoſt.

Quid ſi tales convertantur; numquid poſt eorum converſionem eis ſatisfacere tenentur illi, qui damna dederunt?

Reſpondeo *ſecundum Hoſt.* quod non; imò eſt imputandum duritiæ, & culpę eorum *extra de homi. poſtulaſti*, quià nec peccaverunt, 23. *quæſt.* 4. *qui peccat*. Poteſt tamèn illorum gratis, qui voluerit miſereri, *extra de hęr. unigen. in fin.*

TITULUS XXI.

De Adjuratione.

DEindè conſiderandum eſt de adjuratione; & de hac quæruntur plura.

I. Utrùm liceàt adjurare homines?

II. Utrùm liceàt adjurare dæmones?

III. Utrùm liceàt adjurare irrationabiles creaturàs?

Circà primùm; reſpondeo, jurans juramento promiſſorio per invocationem Divini Nominis, quod ad confirmationem ſuę promiſſionis adducit firmitèr, ſe ipſum determinat ad faciendum, quod promittit. Sicut autèm homo ſe ipſum determinare poteſt ad aliquid agendum, vel patiendum, ità etiàm poteſt alios inducere, ſuperiores quidèm deprecando, inferiores autèm imperando. Cum igitur hic, vel ibi invocatur nomen Dei, vel alicujus ſacrę rei, adjuratio dicitur eſſe; Undè homines adjurare eſt eos per invocationem nominis Dei, vel alterius ſacræ rei obſecrando, vel imperando eos inclinare ad agendum aliquod, vel patiendum. Eſt autèm homo dominus actuum ſuorum, non autèm agendorum ab alio; & ideò ſibi neceſſitatem poteſt imponere per invocationem Divini nominis, non autèm aliis, niſi ſubditis, quos poteſt ex debito juramenti præſtiti compellere. Si igitùr aliquis per invocationem Divini nominis, vel alterius ſacrę rei alicui non ſubdito ſibi adjurando neceſſitatem agendi aliquod intendat apponere, ſicut imponit ſibi jurando, hujuſmodi adjuratio eſt illicita, quià ſibi poteſtatem uſurpat in alium, quàm non habet. Et ſic dicit *Orig. ſuper Matth.* quod ſi non licèt jurare ſecundum Evangelium notum eſt, quod non licèt adjurare alterum; & ideò manifeſtum eſt, quod in Evangelio princeps Sacerdotum adjuravit illicitè ibidem per Deum vivum. Tamèn propter aliquam neceſſitatem ſuperiores inferiores ſuos tali genere adjurationis poſſunt adſtringere. Si verò intendat tantùm pro reverentia Divini nominis, vel alterius ſacræ rei, aliquod ab alio obtinere ſinè neceſſitatis impoſitione, hujuſmodi adjuratio licita eſt reſpectu omnium; Vndè & Deum obſecramus per aliqua ſacra eum obteſtantes. Apoſtolus etiàm fideles obſecrat per miſericordiam Dei, ut pat. *Rom.* 12. quod pertinere videtur ad adjurationem.

Circà ſecundùm, reſpondeo; ſicut dictum eſt, duplex eſt adjurandi modus; unus per modum deprecationis, vel inductionis ad reverentiam alicujus ſacri; Sic non licet dæmones adjurare, quià hoc videtur pertinere ad quamdam benevolentiam, vel amicitiam, quà non licet ad dęmones uti; Alius eſt per modum compulſionis, & hoc modo licet nobis ad aliquod uti, & ad aliquod non; dęmones enim nobis in hac vita adverſantur, non autèm eorum actus noſtrę diſpoſitioni ſubduntur, ſed divinę diſpoſitioni, & Sanctorum Angelorum, quià, ut dicit *Aug.* 3. *de trin. ſpiritus deſertor regitur per ſpiritum juſtum*; poſſumus ergò dęmones adjurando per divini nominis virtutem tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant corporaliter, vel ſpiritualitèr ſecundùm poteſtatem datam à Chriſto, ſecundùm illud *Lucæ* 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuprà ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil nocebit vobis; & Marci 6. In nomine meo dęmonia ejicient*; Non tamèn licet eos adjurare ad aliquod ab eis addiſcendum, vel per eos obtinendum, ſicut faciunt nigromantici; hoc enim pertineret ad aliquam ſocietatem cum eis habendam, niſi fortè ex ſpeciali inſtinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dęmonum operatione utantur, ſicuti legitur de Beato Jacobo, qui per dæmones fecit hermogenem adduci ad ſe.

Circà tertiùm; reſpondeo, quod ſic; undè Apoſtoli Simon, & Judas leguntur adjuraſſe dracones, & eis pręcepiſſe, ut in deſertum locum abirent; ad cujus evidentiam ſciendum, quod creaturę irrationales ab alio aguntur ad proprias operationes; eadem enim actio eſt acti, & agentis, ſicuti modus ſagittę eſt quædam operatio ſagittantis; & ideò operatio irrationalis creaturæ non tantùm ei attribuitur, ſed principalitèr Deo, cujus

cujus diſpoſitione omnia moventur; Pertinet etiàm ad diabolum, qui permiſſione divina utitur irrationabilibus creaturis ad nocendum hominibus;ſic ergò adjuratio, qua quis utitur ad irrationalem creaturam, poteſt intelligi duplicitèr; uno modo,ut referatur ad eam ſecundum ſe, & ſic eſſet vana, quià non intelligit eam; alio modo,ut referatur ad eum, à quo agitur, & movetur; & ſic duplicitèr adjuratur irrationalis creatura, ſcilicèt vel per modum deprecationis ad Deum directè, quod pertinet ad eos, qui per invocationem Dei miracula faciunt, vel per modum compulſionis, quæ refertur ad diabolum, qui utitur irrationalibus creaturis in noſtrum nocumentum, & talis modus eſt in exorciſmo, per quèm poteſtas dęmonum excluditur ab irrationalibus creaturis.

TITVLVS XXII.

De tertio præcepto.

ARTICULUS PRIMUS.

De obſervantia Sabbati.

COnſequentèr conſiderandum eſt de tertio præcepto, quod eſt de obſervantia Sabbati. Et primò de ipſius Sabbati obſervatione à Deo pręcepta. Secundò gratia ipſius de feſtorum aliorum obſervatione ab Eccleſia indicta.

Circà primùm; primò de verborum hujus pręcepti expoſitione. Secundò de hujus præcepti qualitate, ſcilicèt utrum ſit morale, vel cerimoniale. Tertiò de obſervantię Sabbati ceſſatione, & Dominicæ ſucceſſione. Quartò à quibus operibus debebat in Sabbato, & nunc in Dominica debet homo vacare. Quintò utrum laborare in aliis diebus ſit in præcepto, ſicut quieſcere in die ſeptima, vel primo.

Circà primùm ſciendum eſt, quod verba quibus traditur tertium pręceptum *exod.* 20. ſunt hæc, ideſt: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices; ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; ſepimo autèm die Sabbatum Domini Dei tui eſt; non facies omne opus tuum, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, quæ eſt intra portas tuas.* In predictis verbis ponuntur tres clauſulæ, quarum prima pręcepit ſanctificationem, cum dicitur: *memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* Secunda in ſex diebus operationem ibi *ſex diebus &c.* Tertia interdicit in Sabbato omnem operationem ibi, *non facies &c.* Quantum ergò ad primam clauſulam dicit *memento*; circà quod nota, quod huic pręcepto, & non aliis additur verbum commemorationis *ſecundum Alex. Aug.* 3. *tit.* 1. *in expoſit. præcepti tertii in principio*; quià in præcedenti ſcriptura fuerat ipſis Judeis de Sabbati obſervantia mentio facta, *Gen.* 2. & *Exod.* 16. *ve.*) *ſecundum Ric.* 3. *diſ.* 37. *quaſt.* 2. *art.* 5. quià hoc præceptum ſimul erat morale, & cerimoniale. Cerimonialia autèm non ſunt ità de lege naturę ſicut moralia, ideò nec ita firmiter menti impreſſa.

Sequitur; *ut diem Sabbati ſanctifices.* Sanctificatio Sabbati eſt ad Deum vacatio. Sanctum enim ſecundum Orig. dicitur ſeparatum ab uſu communi ad cultum Dei; Præceptum ergò ſanctificationis eſt, ut cor à curis ſuperfluis ſeparetur, & divino cultui mancipetur, & hoc eſt vacare Deo. Hoc autem fit triplicitèr; primò generalitèr, ſcilicèt dum nos à vitiis ſeparamus, & intentionem noſtram ad Sabbatum, ideſt requiem ęternitatis habemus; ſecundò ſpecialitèr, dum ſcilicèt temporibus ſtatutis, & ad hoc deputatis ſeparantes nos etiàm à licitis operibus, Deo orando, & meditando vacamus, & hoc eſt ſanctificatio Sabbati. Tertiò ſpecialiſſimè, ſicut eſt in viris contemplativis, qui ab omnibus mundanis ſe ſeparant, ut Deo familiaritèr intendant. Prima ſanctificatio eſt neceſſaria. ſecunda eſt debita. Tertia perfecta. Notandum verò, quod vacatio, quæ eſt ad Deum intelligi poteſt duplicitèr, ſcilicèt in habitu, & in actu; in habitu non recipit taxationem temporis quantum ad eos, qui ſunt in charitate, quià offerunt in habitu Deo totum tempus vitę ſuę, tamèn quantùm ad ſervientes ex timore pœnę taxatur tempus. Vacatio verò in actu recipit taxationem temporis, quià degentibus in hac vita mortali non è poſſibile ſemper actu Deo vacare.

Intelligendum etiàm, quod obſervatio Sabbati poteſt duplicitèr intelligi; Vno modo determinatè, ut dicatur dies Sabbatis dies requiei, & ſic dies Dominica, & etiàm quælibèt alia dies inſtituta ad vacandum Deo poteſt dici Sabbati: Vndè *Deut.* 5. ponitur interpretatio talis. *Sabbatum eſt*, ideſt requies domini Dei tui;& hoc modo ſemper etiàm tempore gratię obſervatur; Alio modo dies Sabbati dicitur dies determinatata ſcilicèt ſeptima, *exod.* 35. *ſex diebus facietis opus, ſeptima dies erit Sabbatum*; & hoc modo licèt eſſet morale diſciplinæ, erat tamèn figurale, undè tranſiit figura completa. Poſteà ſubditur pro ratione motiva ſanctificationis Sabbati, ſex enim diebus fecit Deus Cœlum, & terram, & ſeptima die requievit, ideſt novas ſpecies facere ceſſavit. Aſſignatur autèm magis ratio in hoc præcepto, & in primo, quàm in aliis præceptis, quià alia habent rationem manifeſtam;& ideò non oportuit in eis rationem reddi. Sed primo præcepto, & huic additur aliquid ceremoniale, vel determinativum præcepti moralis communis, ut in primo, *non facies tibi ſculptile &c.* in iſto determinatur dies Sabbati, ideò & utrobique ratio debuit aſſignari.

Sequitur ſecunda clauſula, in qua præcipitur operari determinato tempore contrà otioſitatem, cum dicitur: *ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua*, ſed ad opera diverſa tenentur hominis diverſi.

Se-

Sequitur tertiâ clauſula, in qua interdicit operationem in Sabbato, cum dicitur: *ſeptimo autèm die Sabbatum domini Dei tui eſt, non facies omne opus tuum in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas.* Hoc autèm poteſt intelligi dupliciter; uno modo litteralitèr, ut homo vacet à corporalibus operibus, quæ vacationem ad Deum impediunt in ſolemnitatibus, ut negotiatio, & hujuſmodi; & ideò etiàm de irrationalibus præcipitur, ut quieſcant, qui ſinè ducatu hominis non laborant; alio modo ſpecialitèr, ut per quietem iſtam quies à vitiis deſignetur.

Sic ergò præceptum hoc mirabilitèr ad ſummam ordinat bonitatem; Prima enim clauſula præcipit ad Deum converſionem; Secunda præcipit Dei imitationem per opera miſericordiæ *Lucæ 6. Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis miſericors eſt*; non enim eſt illa bonitas otioſa; imò diffundit radios ſuæ beneficentiæ ſuper bonos, & malos; undè ibidem: *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*; Tertia injungit omnis malitiæ vitationem, qua præcipitur à vitiis quietudo.

Sed quarè magis præcipitur obſervatio Sabbati in ſpeciali, quàm aliarum ſolemnitatum? Reſpondeo; omnes ſolemnitates veteris legis ſunt inſtitutæ in commemorationem alicujus divini beneficii, vel præteriti commemorati, vel futuri præfigurati; Intèr omnia autèm beneficia Dei memoranda, primùm, & præcipuum eſt beneficium creationis, & memoratur in ſanctificatione Sabbati; Vndè *Exod.* 20 pro ratione hujus præcepti dicitur: *ſex diebus fecit Deus Cœlum, & terram &c.* Inter omnia verò beneficia præfiguranda, præcipuum, & finale erat quies mentis in Deo, vel in præſenti per gratiam, vel in futuro per gloriam, quæ figurabatur per obſervantiam Sabbati, ut dicitur *Iſa. 58. Si averteris à Sabbato pedem tuum, vocaveris Sabbatum Domini delicatum, & Sanctum Domini glorioſum*; hęc enim beneficia primò, & principalitèr ſunt in mente fidelium; Aliç verò ſolemnitates celebrabantur propter aliqua beneficia particularia temporalitèr tranſeuntia, ut Paſcha propter beneficia prçteritæ liberationis de Ægypto, & proptèr futuram Paſſionem Criſti, quæ temporaliter tranſivit, inducens nos in quietem Sabbati ſpiritualis. Et ideò intèr decem præcepta fit mentio de ſolo Sabbato.

ARTICVLVS II.

De hujus Præcepti qualitate; Vtrùm ſit morale, vel cęremoniale.

Circà ſecundùm ſciendum, quod hoc præceptum litteralitèr intellectum eſt partim morale, & partim cæremoniale; Morale quidèm inquantum homini præcipitur, quod deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum Divinis; Ineſt enim homini inclinatio naturalis ad hoc, quod cuilibet rei neceſſariæ deputet aliquod tempus, ut corporali refectioni, dormitationi, & aliis hujuſmodi; Vndè etiàm ſpirituali refectioni, qua mens hominis reficitur in Deo, ſecundum dictamen rationis naturalis, aliquod tempus deputat homo; & ſic habere tempus aliquod ad vacandum divinis cadit ſub Morali præcepto. Eſt autèm ceremoniale, in quantum in hoc præcepto determinatur ad hoc ſpeciale tempus, ſcilicèt dies ſeptima, in ſignum memoratiuum generalis beneficii, ſcilicèt productionis mundi.

Sex enim diebus Deus Mundum fecit, & in ſeptima requievit ſpiritualitèr intellectum eſt ceremoniale; nàm Allegoricè ſignificat Chriſti quietem in ſepulchro, quæ fuit in ſeptima die; Moralitèr autèm ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo; & ſecundum hoc eſt quodammodò præceptum generale; Anagogicè verò ſignificat quietem divinæ fruitionis in patria futura in ætate ſeptima. *Secundum enim Aug. lib. 83. quæſt. 83. & quæſt. contrà Fauſ.* Prima ætas generis humani fuit ab Adam uſque ad Noe; ſecunda à Noe uſque ad Abraham; tertia indè uſque ad David; quarta à David uſque ad tranſmigrationem Babilonis; quinta indè uſque ad adventum Domini; ſexta indè uſque ad finem ſęculi; ſeptima in requie Beatorum; Et quià hoc prçceptum quoad aliquod eſt Morale, quo ad aliquod eſt cęremoniale; ideò quandoquè ponitur intèr præcepta moralia; quandoquè inter cęremonialia.

ARTICULUS III.

De Ceſſatione Sabbati.

Circà tertiùm ſciendum, quod obſervatio diei Sabbati debuit ceſſare; ſignificabat enim obſervatio Sabbati futuram quietem Domini in ſepulchro die ſeptima, & requiem Beatorum in cœlo per Chriſti meritum futuram ætate ſeptima; & ideò adveniente veritate debuit illa figura ceſſare. Et etiàm proptèr excluſionem erroris, ne forsàn ex hoc aliquis crederet, quod adhùc obligatio ad ceremonias veteris legis maneret; Vndè *Greg. de conſe. d. 3. pervenit*, dicit: *pervenit ad me quoſdam perverſi ſpiritus homines prava inter vos aliqua, & Sanctæ fidei adverſa ſeminaſſe; ita ut in die Sabbati prohiberetur aliquid operari &c.* & *Apoſt. ad Coloſſ. 2. Nemo vos judicet in cibo, & potu, ſivè in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum: Corpus autèm Chriſti*; ideſt veritas hujus umbrę eſt Chriſtus, ideſt pertinet ad Chriſtum, vel ſignificat corpus Chriſti, quod ſecum ſumpſit de Virgine, vel quod eſt Eccleſia. Multum etiàm diſputat ſuper hoc Apoſtolus *Heb. 3. & 4.* Magis autèm debuit Sabbatum commutari in primam diem ſeptimanæ, quàm in aliàm diem;

diem; tùm proptèr memoriam noſtræ creationis, quià illa die creavit Deus cœlum, & terram; Tùm in memoriam noſtrę redemptionis pręteritę, & reſurrectionis futurę; Reſurrectio enim Chriſti manifeſtatio fuit noſtrę redemptionis, & exemplaritèr noſtræ futurę, & glorioſę reſurrectionis; & quià die illa Chriſtus reſurrexit, vocata eſt dies illa dies Dominica, propter Chriſti reverentiam, & ſuę reſurrectionis memoriam, quæ vocabatur priùs dies ſolis; ut habetur *C. de feriis l.* 2.

De hujus autèm diei, ſcilicèt Dominicę excellentia, & celebratione habetur *de Conſ. diſ.* 3. *Sabbato. & c. jejunia: & diſ.* 75. *quod die Dominico*. Vocabatur autèm prima dies ſeptimanæ dies ſolis priùs, quià ut dicunt quidam, in prima hora illius diei dominatur ſol, & in prima ſecundæ feriæ Luna, & in prima tertiæ Mars, & in prima quartæ Mercurius, & in prima quintæ Juppiter, & in prima ſextę Venus, & in prima Sabbati Saturnus. Succeſſit ergò in nova lege obſervatio Dominicę diei obſervationi Sabbati, non tamèn ex vi pręcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſię, & conſuetudine populi Chriſtiani, prędictis de cauſis. Non eſt autèm figuralis obſervatio diei Dominicę, ſicut fuit obſervatio Sabbati in veteri lege, & ideò non eſt ità arcta prohibitio operandi in Dominico, ſicut fuit arcta in Sabbato; undè quædam opera in Dominico conceduntur, quæ in Sabbato prohibebantur, ut decoctio ciborum, & hujuſmodi; & etiàm in quibuſdam operibus prohibitis faciliùs diſpenſatur propter neceſſitatem in nova lege, quàm in veteri, quià figuram pertinet ad proteſtationem veritatis, quàm nec in modico oportet præterire; opera autèm ſecundum ſe conſiderata mutari poſſunt pro loco, & tempore.

ARTICULUS IV.

A quibus operibus eſt ceſſandum.

Circà quartum, quod eſt à quibus operibus erat ceſſandum in Sabbato. Sciendum, quod in obſervantia Sabbati duo ſunt conſideranda, quorum unum eſt ſicut finis; & hoc eſt, ut homo vacet rebus divinis, quod ſignificatur ibi: *memento, ut diem Sabbati ſanctifices*. Illa enim in lege ſacrificari dicuntur, quæ Divino cultui applicantur. Aliud eſt ceſſatio operum, quę ſignificatur ibi: *ſeptima die Domini Dei tui non facies omne opus tuum*; Sed de quo opere intelligatur, *Levit.* 23. *exponitur*; *omne*, inquit, *opus ſervile non facies in eo*; Opus autèm ſervile à ſervitute dicitur. Eſt autèm triplex ſervitus. Vna eſt ſervitus Dei; Et ſecundum hoc opus ſervile dici poſſet opus latrię, quod pertinet ad Dei ſervitium. Alia eſt, qua homo ſervit peccato, ſecundum illlud *Jo.* 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Et ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſervile. Tertia eſt, qua homo ſervit homini; Eſt autèm unus homo ſervus alterius, non ſecundùm mentem, ſed ſecundùm corpus: & ideò ſecundùm hoc opera ſervilia dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri ſervit: opus autèm ſervile primo modo dictum non prohibetur in die Sabbati; quià hoc eſſet proprium fini obſervationis Sabbati. Et ſimilitèr etiàm nullius actus ſpiritualis exercitium eſt contrà obſervantiam Sabbati, putà ſi quis doceat verbo, vel ſcripto; Vndè *numer.* 28. *dicit Gloſ.* quod fabri, & hujuſmodi artifices otiantur in die Sabbati; lector autèm divinæ legis, vel doctor ab opere ſuo non deſiſtit, nec tamèn contaminatur Sabbatum. Opus autèm ſervile ſecundo modo, vel tertio dictum contrariatur obſervantiæ Sabbati, in quantum impedit applicationem hominis ad divina; & quià magis impeditur homo à divinis per opus peccati, quàm per opus licitum, licèt ſit corporale, ideò contrà præceptum hoc magis agit, qui peccat in die feſto, quàm ſi aliquod opus corporale licitum facit; Vndè *Aug* 5. *lib. de decem cor diſ. dicit: Melius faceret Judeus in agro ſuo aliquid utile, quam ſi in theatro ſeditionis aſſiſteret*.

Non tamèn peccans venialitèr in Sabbato, contrà hoc præceptum facit, quià veniale ſanctitatem non excludit. Opera autèm corporalia in tantùm ſervilia dicuntur, in quantùm propriè pertinent ad ſervientes. In quantùm autèm ſunt communia ſervis, & liberis, non dicuntur ſervilia. Quilibet autèm tàm ſervus, quàm liber tenetur in neceſſariis providere, non tantùm ſibi, ſed etiàm proximo, præcipuè in pertinentibus ad ſalutem corporalem ſecundum illud *Prover.* 24. *erue eos, qui ducuntur ad mortem*. Secundariò autèm in damnis rerum vitandis, ſecundum illud *Deut.* 22. *Non videbis bovem, aut ovem fratris tui errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo*. Et ideò opus corporale pertinens ſivè ad ſalutem corporis proprii, vel proximi, ſivè ad vitandum damnum imminens exterioris rei, non eſt contrà obſervationem Sabbati. Undè Dominus. *Joan.* 7. *Mihi indignamini, quià totum hominem ſaluum feci in Sabbato. Et Matth.* 12. *quis erit ex vobis homo, qui habet unam ovem, & ceciderit Sabbato in foveam, nonnè tenebit, & levabit eam, art. extra de feriis, licèt, &* 23. *quæſt.* 8. *Si nulla, & de conſ. diſ.* 1. *ſicut non alii. Hæc Thom.* 2. 2. *quaſt.* 122. *art.* 4. *c.* 3.

Utrùm autèm in diebus Dominicis vacandum ſit ab omni opere ſervili, patet ex reſponſione quæſtionis præcedentis, quià idem dicendum eſt de Dominica, quod dictum eſt de Sabbato. Poteſt tamèn *ſecundum Ric.* 3. *diſ.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 4. *c.* conſiderari, & notari per alium modum, quàm ſuprà ſit habitum, quid eſt opus ſervile. Sciendum ergò ſecundum ipſum, quod opus ſervile opponitur operi liberali, quorum utrumque inquantùm hujuſmodi penſari debet maximè ex proximo, & primo fine; ità quod ratione proximi, & proprii finis, non quidem finis accidentalis, quèm coſtituit intentio agentis, ſed eſſen-

eſſentialis, quèm principaliùs reſpicit quantùm ex parte ſua judicari debet opus ſervile ſimplicitèr, vel liberale; & ratione finis proximi, quèm conſtituit intentio agentis, debet formalitèr judicari opus ſervile, vel liberale per reſpectum ad agentem: Ut enim uult *Phil. 5. Eth. cap. 4.* Si quis luxurietur, ut lucretur, avarus; ſi autèm ut delectetur, luxurioſus videbitur. Certùm eſt autèm, quod corpus debet ſervilitèr animæ ſubdi, & anima deſuper ſedere ſicut libera.

Illa ergo opera, quæ tanquàm finem proprium, & proximum reſpiciunt temporale bonum corporis ipſius operantis ſunt ſervilia, etiamſi materialitèr eſſent ſpiritualia. Undè ſi quis in corde ſuo meditetur aliquid ſcientiale ordinatum, ut ad proximum, & proprium finem, ad temporale lucrum, illud opus eſt magis ſervile, quàm liberale. Similitèr ſi quis aliquod opus faciat, quod eſt materialiter ſervile, & illud ordinet ut ad finem proximum, & proprium, ad bonum ſpirituale ipſius animæ, magis eſt liberale, quam ſervile, ſaltèm per reſpectum ad agentem, ut ſcribere aliquod non propter temporale lucrum, ſed propter ædificationem animarum, & propter cultum divinum.

Quod confirmari poteſt *extra de feriis conqueſtus, & de ſtat. mon. cum ad monaſterium.* Cùm ergò ſit vacandum in Dominicis diebus ab omni opere corporali ordinato, ſicut ad proximum, & proprium finem, ad temporale bonum proprii corporis, vacandum eſt illis diebus ab omni opere, quod materialitèr, & finalitèr, ſeù formalitèr eſt ſervile ſimplicitèr, & per reſpectum ad agentem. Ab operibus autèm, quæ ſunt materialitèr libera, & formalitèr ſervilia, ut cum advocatus ſtudet, & cogitat de his, quæ cràs vult proponere propter lucrum temporale; & ruſticus de aratione terræ ſuæ, quàm in craſtina die vult arare; non ità aſtringitur homo abſtinere in diebus prædictis, ſicut ab operibus, quæ materialitèr, & formalitèr ſunt ſervilia, quià facilius eſt abſtinere ab his, quàm ab illis; undè per tales actus non peccat homo mortalitèr, niſi per hoc excludatur vacatio illa, quàm neceſſario debet cultui divino. Ab operibus autèm, quæ ſunt ſervilia materialitèr, & non formalitèr per reſpectum ad agentem: non tenetur homo neceſſariò ceſſare in Dominicis; undè *ff. de feriis l. penul. ſcil. divus Trajanus*, dicit *lex: ea, quæ ad militarem diſciplinam pertinent, etiàm feriatis diebus peragenda, ut addit apparatus.* Et ſic ſcholares legere, & ſcribere poſſunt; & ratio eſt, quià talia opera quantum ad ſuum finem proximum, & proprium ſunt liberalia. *Hæc. Ric: ibid.*

ARTICVLVS V.

De operatione in aliis diebus.

Circà quintum, quod eſt utrùm laborare in aliis diebus ſit in præcepto, ſicut requieſcere in die ſeptimo. Sciendum primò, quod triplex eſt labor, ſcilicèt debitus, conceſſus, & prohibitus. Debitus eſt duplex, unus excludens otium animæ inimicum, & ad hunc tenentur omnes, quià omnes tenentur ſe exercere in aliquo utili, ratione cujus excludant à ſe tentationis ingreſſum, ſecundum illud *Eccl. 33. Mitte illum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otioſitas.* Aliùs eſt introducens fructum, & ille eſt triplex. Unus Prælatorum de cura ſubditorum, de quo *Thi. 5. qui benè præſunt præſbyteri duplici honore digni habeantur, maximè, qui laborant in verbo, & doctrina.* Alius activorum, & hoc circà temporalia, ut habeant undè vivant, & aliis ſubveniant, de quo *Epheſ. 4. Magis autèm laboret homo operando manibus quod bonum eſt, ut habeat undè tribuat neceſſitatem patienti:* & ad hunc tenentur fortes corpore, ne cogantur vivere otioſè de bonis, quæ debentur aliis. Aut circà ſpiritualia, ut eſt labor Prædicatorum, & Præsbyterorum Sacramenta miniſtrantium. Et ſic, cum *Apoſtolus dixit 1. Corint. 3. Ego plantavi, Apollo rigavit*, ſubdit; *unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Tertius eſt contemplativorum, in quibus etſi quieſcat mens à ſtrepitu mundi, tamèn invigilat ſolicitando Deo placendi, & aliis gratiam impetrandi, & ſic dicit *ſponſa, Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat;* nàm in dormitione eſt quies, ſed in vigilia labor. De his laboribus dicitur *Sap. 3. bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* Et prædictis laboribus laborantes vivere poſſunt de eleemoſyna, quià pro illis, à quibus accipiunt, utilitèr laborant. Conceſſus, labor eſt hominum mundi circà occupationes temporalium, ut habeant undè vivant, & per temporalia acquirant æterna. *Eccl. 1. Cognovi, quod in eis eſſet labor, & afflictio ſpiritus.* Prohibitus, eſt labor curioſitatis, & cupiditatis, qui extinguit ſpiritualem quietem in Deo, de quo *Hierem. 9. ut iniquè agerent, laboraverunt.*

TITULUS XXIII.

De Feriis.

ARTICUS PRIMUS.

Undè Feriæ dicantur, & qualitèr diſtinguantur.

Poſteà, cum non tantùm vacandum ſit in diebus Dominicis, ſed etiàm in aliquibus aliis feſtis, quæ per Eccleſiam indicuntur; ideò ad majorem inſtructionem conſiderandum eſt brevitèr de Feriis. Et primò undè dicantur, & qualitèr diſtinguantur. Secundò quandò Feſta, & alii dies incipiantur, & finiantur. Tertiò quę in eis agi poſſunt, & quæ non, ſecundum jura.

Scien-

Sciendum igitùr, quod feriæ dicuntur, quaſi foeriæ, quià præſtant vacationem ab his, quæ agi ſolent in foro; Undè dicuntur Feriæ, quaſi feſtivæ. Feriarum aliæ ſunt temporaneæ, ut quæ dantur pro fructibus colligendis, & ſunt duorum menſium, quorum unus datur gratia Meſſium, alter gratia vindemiarum; & hæ feriæ ſecundum diverſas regiones citiùs, & tardiùs indicuntur. Et ideò à Præſidibus præcipiuntur, *extra e. quoniam in par. & ff. e. l. præſides*, & in his non debet fieri proceſſus judicialis niſi ex conſenſu partium, *extra c. conquæſtus* & dicit *ibid. Hoſ.* quod in omni terra debent dari feriæ pro Meſſibus, etiàmſi non creſcit ibi annona, quià homines habent ſibi communitèr de grano aliquo tempore providere. Sed pro vindemiis non dabuntur, niſi ubi ſunt vineę, vel ſaltèm ubi communitèr uſus vini. Aliæ ſunt repentinæ, ſcilicèt, quas Princeps, vel Imperator indicit, vel propter victoriam, vel quià duxit uxorem, vel quià filius eſt ei natus. Et ſi alius indixerit carebunt nomine, & per conſequens effectu. Quod patet. *C. e. à nullo Judice præſumi debet*; & dicuntur repentinæ, quià non ſunt certæ, imò repentè indicuntur.

Aliæ feriæ ſunt ſolemnes, ſive feſtivæ, de quibus principalitèr hic intendimus. Hæ autèm feriæ feſtivæ ſunt præcipuæ feſtivitates per circulum anni, ſcilicèt Nativitatis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis Euangeliſtæ, Sanctorum Innocentium, Sancti Silveſtri, Circumciſio Domini, Epiphania, Purificatio Sanctæ Mariæ, Paſcha cum tota ebdomada ſua, Rogationes tribus diebus, iſti tamèn tres dies non obſervantur de conſuetudine, quantùm ad manualem laborem; Aſcenſio Domini, dies Pentecoſtes, ſcilicèt ipſa dies, cum duobus diebus ſequentibus, Sancti Joannis Baptiſtæ, duodecim Apoſtolorum, & maximè Petri, & Pauli, Sancti Laurentii, Aſſumptionis Beatę Marię, Nativitatis ejus, & omnia feſta ejuſdem, ut dicitur *extra eo. conqueſtus*, Dedicatio Sancti Michelis; & hæc omnia probantur *de conſe. diſ. 3. pronunciandum*; dedicatio cujuſlibet Oratorii; feſtivitas omnium Sanctorum; Sancti Martini, & aliæ feſtivitates, quas Epiſcopi ſinguli in ſuis Epiſcopatibus, vel Eccleſiis cum populo laudaverunt, quæ ſunt non generalitèr omnibus, ſed tantùm vicinis circumſtantibus indicendæ. Quod tamèn intelligi debet de Sanctis canonizatis auctoritate Eccleſiæ Romanæ, quià Epiſopus per ſe non poſſet aliquem Sanctum canonizare, *extra de reli. cap.* 1. Reliquę verò feſtivitates per annum cogi non debent ad feriandum, nec prohiberi, ut in *c. pronunciandum*. Itèm ſtatuit Euſebius Papa feſtum inventionis Sanctæ Crucis ſolemnitèr celebrari, *de conſe. diſ.* 3. *Crucis*. Feſtum etiàm Exaltationis Crucis celebrari debet. De Annunciatione verò non fit ibi mentio, cum tamèn ſit celebre feſtum, quià fortè tempore illius concilii non erat illa ſolemnitas inſtituta.

Ad hoc nota, quod *extra de feriis, quoniam in par. §. prætereà uſque in fin. c.* quod feſtivitas Sanctę Trinitatis ſecundum diverſarum conſuetudines regionum à quibuſdam conſuevit in octava Pentecoſtes, & ab alis Dominica prima antè Adventum Domini celebrari. Eccleſia quidèm Romana in uſu non habet, ut hujuſmodi celebret ſpecialitèr feſtivitatem, cum ſingulis diebus gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & conſimilia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis. Itèm Pręlatis Eccleſiarum pręcipitur, quod feſtum Corporis Chriſti, feria quinta poſt Octavam Pentecoſtes annuatim ſolemnitèr celebrent; & per omnes Eccleſias faciant ſolemnitèr celebrari: & omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui matutinis ejuſdem feſti in Eccleſia, in qua idem feſtum fiet, vel Miſſę, vel primis, vel ſecundis veſperis interfuerint, pro qualibèt horarum 100. *dies*; qui verò tertiæ, ſextæ, nonæ, & completorio, pro qualibèt harum 40. Qui verò per octavas ejuſdem feſti Matutinis, Miſſæ, Veſperis, prædictis horis interfuerint 100. dies, per octavas diebus ſingulis de injunctis pœnitentiis relaxantur 7. *ſcilicèt lib. hoc eſt in Clem. de reliquiis ſi dominum*.

ARTICULUS II.

De Inchoatione Diei.

Circà ſecundùm ſciendum, quod dies incipit, & finitur diverſis temporibus, & horis, ſecundum diverſitatem eorum, de quibus agitur. Ad feriandum enim regularitèr incipit veſpera præcedenti, & finitur in ſequenti veſpera *extra eo. omnes c.* 1. Initium tamèn, & finis feſtorum conſiderari debet ſecundùm qualitatem eorum, & diverſarum conſuetudinem regionum, & ſicut magnitudo feſtorum exigit celebrari, ſic videtur ea debere priùs incipere, & tardiùs terminari, *extra eo. quon.* Quo verò ad ordinandum incipit dies in Veſpera, & finitur in mane ſequenti, ut *patet diſt. 75. quod à patribus*. Quoad judicandum autèm incipit in Solis Ortu, & finitur in Occaſu, cum ſcilicèt Judex jam pro Tribunali non poteſt honeſtè ſedere, *ut extra de Offi: dele: conſuluit*; Quoad ſolvendum verò incipit in medietate noctis unius, & finitur in medietate noctis alterius, *ut ff. eo. more Romano*; Quoad Treugas ſervandas incipit in Solis Ortu, & finitur in Occaſu, *ut extra de pace, & treuga c.* 1. Quoad jejunandum verò ſexta feria incipit poſt cęnam diei Jovis, & finitur in mane Sabbati; & idem eſt de jejuniis, *ut de Conſe. diſ.* 3. *de eſu. hæc Goff.*

AR-

ARTICVLVS III.

Quibus vacandum eſt diebus Feſtivis.

CIrcà tertiùm ſciendum, quod in diebus feſtivis debent homines vacare hymnis, Pſalmis, & Canticis ſpiritualibus, *de conſe. diſ.* 3. *jejunia*. Itèm prædicationi, & virtutibus, & regulari diſciplinæ, ſed & religioſi regulari obſervantiæ, tunc magis, quàm in diebus aliis, *extra de vit. & hone. cle. cum decorem*; *& de ſta. mon. cum ad Monaſterium*, *& de feriis licèt*. Ut autèm iſtis homines melius poſſint vacare, debent, ut dictum eſt ſuprà, abſtinere ab omni ſervili opere, ut à Mæchanicis, agriculturis, & ab aliis ſæcularibus negociis, ſcilicèt Mercaturis, placitis, ſententiis, judiciis, Sacramentis, niſi cauſa faciendæ pacis, *extra e. omnes*, *& de conſe: diſt.* 3. *rogationes*, *&* 15. *quæſt.* 4. *cap.* 1. *&* 2. *& cap.* 3. Undè nec ſententia lata, nec judicialis proceſſus factus in feſtis, ob Dei reverentiam ſervandis, etiàmſi partes conſentiant, tenet, niſi neceſſitas cogat, ut ſi res eſſet tempore peritura; vel pietas ſuadeat, ut ſi ſit cauſa debilium, vel miſerabilium perſonarum, ut dicit Bern. & hoc in diebus expreſſis, *extra e. conquæſtus*. Et exprimuntur ibi omnia feſta ſupradicta, & ſeptima dies Dominicæ Paſſionis, non tamèn ponuntur ibi tres dies Rogationum. Quod autèm dicitur *extra e. omnes*, quod Sacramenta preſtari non debent in diebus hujuſmodi, intelligendum, niſi pro pace, vel alia neceſſitate. Vel ſecundum *Ber.* pro fide, pro obedientia, pro fama, *extra de elec. ſignificaſti*. Dicit *Hoſt. ibid. in Gloſ.* quod hoc, & ſi ſit honeſtum, non tamèn neceſſarium, undè generalitèr non ſervatur.

Itèm non debemus in feſtis flectere genua, niſi in tribus caſibus. Unus eſt, cum Epiſcopi conſecratio, vel clericorum ordinatio celebrantur. Tunc enim conſecrans, & conſecratus tantùm genua flectere poſſunt, ſecundum quod modus conſecrationis requirit. Secundus eſt, cum ex devotione aliquis in ſecreto genua flectit, *extra e. quoniam*. Tertius eſt, cum ex devotione flectit quis in elevatione corporis Chriſti, quod etiàm de conſuetudine obſervatur. *Hęc Ray.*

Poſſunt autèm omnibus diebus feriatis agi ea, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis, ut adoptio, emancipatio, excomunicatio, abſolutio, ubi non requirit cauſę cognitionem, putà in criminibus notoriis, & manumiſſio, *C. e. actus* §. *in his tamèn*. Itèm ea, quæ fieri neceſſitas urget, vel pietas ſuadet, *ut extra e. conquæſtus*. Vrget autèm fieri neceſſitas agriculturam, piſcationem, ut cum multitudo piſcium immergitur, terræ foſſuram, mundationem vinearum. Quod intelligi debet, cum hæc ità fieri non poſſunt in aliis diebus, ne occaſione momenti pereat commoditas conceſſa proviſione cœleſti; *ut C. e. omnes Judices* §. *rari*; *hæc Goſ.* Vndè *ſecundum Rod.* ſi jacentibus ſegetibus in agris, aut fęnis in pratis, tempeſtas immineat, aut pluvia, quæ corrumperet, aut deterioraret multum talia à ſolo ſeparata, domini illarum rerum non ſunt prohibendi eas removere, ſed poſſunt indemnitati ſuę præcavere. Carnifices etiàm, & Pincernæ, qui in feſtis præparant ea, quę comedere debent in craſtino in mercato, vel in ſtationibus ſuis, & cęteri, qui præparant victualia in feſtis, ſi non potuerunt in die pręcedenti commodè pręparare, aut præparata ſinè periculo reſervare, mortalitèr non peccant. Pro quanta autèm neceſſitate liceàt in feſtis operari, potiùs eſt limitandum ad arbitrium boni viri, quàm ad aliquàm doctrinam generalem.

Non eſt etiàm dicendum, quod propter modicum opus, homo mortalitèr peccet, ſed quantum opus ſine peccato facere poſſit, eſt recurrendum ad arbitrium boni viri, *hæc Rod.*

Itèm nota, *ſecundum Ray.* quod Eccleſia, ideſt, Epiſcopus loci, vel ſi commodè non poteſt Epiſcopum adiri, Pręſbyter ſimplex diſcretus indulgere poteſt illis, qui juſtum habent bellum, & arctantur magna neceſſitate, quod poſſint arare, fructus colligere, foſſata facere, & alia hujuſmodi in diebus Dominicis, & aliis feſtis propter periculum hoſtium, præterquàm in majoribus feſtis. Et tunc etiàm ſi major neceſſitas appareret ad victum neceſſarium acquirendum, ità tamèn, ut de illis ſtudeant pro poſſe largiores eleemoſynas erogare, 23. *quæſt.* 8. *ſi nulla*, *extra e. licèt*. *Hæc Ray.* & addit *Rod.* quod poſſet neceſſitas eſſe tanta, & tàm notoria, quod auctoritate propria poſſent facere talia. *Hæc Rod.* Itèm ſi urget neceſſitas fieri quęſtiones latronum, & maximè Iſaurorum, per quod multorum ſalus procuratur, *ut C. eo. provinciarum*.

Itèm ſi urget neceſſitas appellari; undè non quolibèt tempore appellatur, *ut C. e. l.* 1. *per totum*. In exercenda autèm appellatione ſimilis eſt obſervantia feriarum ſolemnium & repentinarum, quià in neutris appellatio exercetur, *ut in C. e. l.* 1. tamèn non computantur omnes dies, *ut C. de appellationibus l.* 2. Pietas verò ſuadet dari tutores, & curatores pupillis, & aliis miſerabilibus perſonis, *ut ff. e. l.* 1. §. *ſed excipiuntur*. Suadet etiàm diſciplinam popularem, & ſimilitèr ſcholaſticam, & clericalem, *ut ff. e. divus*. Suadet etiàm pertinentia ad pacem, & concordiam, *ut C. e. l. fin.*

Sciendum etiàm, quod in temporibus his, in quibus agi non poteſt, ſi tamèn actio ſit peritura, eatenùs proceditur, ut litis conteſtatio, vel executoris conventio fiat, *ut in ff. e.* §. *Sed excipiuntur*. In duobus autèm menſibus, qui gratia fructuum conceduntur, agi poteſt ex conſenſu partium, quod quidem non contingit in feriis ſtatutis ob honorem Dei, principis, vel civitatis, *ut ff. e. ſi feriatis*, *& extra e. c. fin. hæc Goff.*

Sed numquid in feſtis laborari poteſt ad opus pauperum, putà agros eorum arando, vel quadrigando, vel alio modo?

Reſpondeo credo, quod ſic, ſi hoc fiat purè propter Deum, dummodò non ſit à Prælatis

pro-

prohibitum, & conſuetudini loci contrarium; ità tamèn, quod non per diem totam, nec uſque ad fatigationem magnam; nec etiàm propter hoc omittant audire Miſſam. Cum his convenit *Ric. 4. diſt. 37. quæſt. 2. art. 4. ut patet ex prædictis, & Rod.*

Numquid mortalitèr peccant, qui ad mercata vadunt, quæ in Dominica, vel aliis feſtis maximè præcipuis fiunt?

Reſpondeo *ſecundum Rod.* ſi quis faciat hoc aliquandò pro ſua neceſſitate, non conſuetudinariè, non peccat mortalitèr. Si autèm ducat in conſuetudinem, aut hoc facit ex improba cupiditate lucrandi, ut faciunt mercatores, qui proptèr frequentanda mercata, & nundinas, vix, aut nunquàm Eccleſias intrant, mortalitèr peccant. Mercata tamèn, quæ fiunt de victualibus competentibus ipſis feſtis, non ſunt illicita, aut facilè prohibenda; dummodò tamèn propter hoc non dimittant audire divina officia.

Quid de illis, qui in vigiliis feſtorum feriandorum mittunt æquos, vel alia ad ferenda neceſſaria in die feſto?

Reſpondet Rod. quod ſi ea, quæ afferunt ſunt neceſſaria ad diem feſti, ità quod ſine eis non poſſent ipſum commodè tranſire, nec antè ſuper his habendis ſibi poterant providere, poſſunt excuſari per neceſſitatem, aliàs non, maximè ſi faciant hoc in feſto, ut habeant ſua vehicula, & alia ad quotidiana opera exercenda. Per hujuſmodi enim neceſſitatem ſunt excuſabiles vectores mercium, & vinorum ad loca remota, cum ſine gravi incommodo non poſſent in feſtis vacare ab eundo, & quadrigando.

Quid de illis, qui à Dominis ſuis operari coguntur in feſtis?

Reſpondet Rod. quod ſi faciant hoc juſto metu inducti, videntur poſſe excuſari. Qui verò debent dominis ſuis vecturam bladorum, & afferunt diebus feriandis, ut diebus aliis vacare propriis laboribus liberiùs poſſint, non ſunt excuſabiles, niſi fortè ad hoc arcta neceſſitas eos cogat.

Quid de Scholaribus?

Reſpondet Rod. quod non licet eis diebus feriatis aliquid grande de quaterno in quaternum tranſcribere. Lectiones tamèn ſuas, quas ſinè ſcriptura non poſſent memoriæ commendare; vel ſermones, quos ſtylo, vel plumbo notaverunt poſſunt ſcribere, & etiàm lectiones librorum, quos audiunt emendare.

Quid de Barbariis, & Minutoribus, vel vectoribus peregrinorum in ſuis vehiculis, aut jumentis, aut de ferratoribus æquorum?

Reſpondet Rod. quod credit eos excuſari poſſe, ſi faciant hoc principalitèr propter neceſſitates eorum, quibus operas hujuſmodi faciunt. Si verò talis faciant principalitèr propter quæſtum, aut improbam cupiditatem, non debent excuſari. Illi autèm, qui faciunt in hujuſmodi feſtis barbam ſibi radi, aut æquos ferrari, ſunt excuſabiles, ſi ſuper his non poterunt antèà ſibi commodè providere.

Quid de Viatoribus, & Curſoribus?

Reſpondet Rod. quod ſivè hæc faciant pro pecunia, ſivè non, non audet eos condemnare; maximè, cum ſecundum legem conceſſum fuerit ire in Sabbato: licèt non ultra mille paſſus, quod iter Sabbati appellatur. *Act.* 1.

Quid de Molendinis ad ventum, vel ad aquam?

Reſpondet Rod. quod cum officium hujuſmodi Molendinorum expleri poſſit ſinè magna opera hominis, credit ſervandam conſuetudinem eſſe regionis non prohibitam à Prælatis, circà feriationem à talibus in feſtis feriandis. De Molendinis autèm, quæ trahuntur per jumenta, credit, quod equi quieſcere debent diebus feriandis, & celebrandis; cum ſecundùm legem non tantùm homines, ſed etiàm jumenta Sabbato ſint vacare juſſa. *Exod.* 20.

TITULUS XXIV.

De quarto Præcepto, quod eſt de Parentibus honorandis.

Conſequentèr conſiderandum eſt de quartò Præcepto, quod ponitur, *Exod.* 11. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. Deut. verò dicitur ſic: honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ſicut præcepit tibi dominus, ut longo tempore vivas, & benè ſit tibi.* Hic ergò primò conſiderandum eſt de hujuſmodi præcepti juſſione. Secundò de promiſſionis additione. Tertiò de hujuſmodi præcepti obligatione per varios Articulos.

ARTICULUS I.

De Juſſione Præcepti honorandi Parentes.

Circà hunc Articulum quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Quis dicitur Pater, & Mater in hoc præcepto?

II. In quo conſiſtit honor iſte Parentum?

III. Cujus virtutis eſt actus honorare Patrem.

Circà primùm; reſpondeo: Pater dicitur multiplicitèr, ſcilicèt creatione, ut Deus. *Deut.* 32. *Nonnè ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, fecit, & creavit te.* Prælatione, ut Prælatus, *ut ibid: Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi &c.* Et propagatione ſecundum carnem. Omnibus his modis poteſt hic accipi Pater. Præceptum enim illud poteſt intelligi triplicitèr. Primò ſecundum quod dicitur eſſe à lege naturæ. Secundò, ſecundum quod eſt legis ſcriptæ, à Deo inſpiratę. Tertiò ſecundum quod accipitur ſecundum

Digitized by Google

dùm allegoriam impropriè. Primo modo intelligitur Pater carnalis; Natura enim non novit niſi patrem carnalem, qui eſt principium in eſſe naturę. Secundo intelligitur pater ſpiritualis; lex enim ſcripta reputat patrem, non tantùm illum, qui eſt principium in eſſe naturę, ſed etiàm illum, qui eſt principium per Myſterium in eſſe gratię, ſecundum illud 1. *Corinth*. 4. *In Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui*. Tertio modo eſt Deus. Dicendum eſt ergò, quod hìc propriè, & per ſe honorari pręcipitur homo, qui eſt principium in eſſe naturę, vel in eſſe gratię. Vndè dicit Gloſſ. ſuper illud *Deut*. 5. *Honora Patrem*, ſcilicèt carnalem, vel ſpiritualem; Allegoricè tamèn, & impropriè Deus: Vndè *Gloſſ. alia ibid. dicit*: *Deum*, *& Eccleſiam*. Et ſimilitèr per accidens; Sicut enim in dilectione proximi intelligitur amor Dei, ſic in honore patris intelligitur honor Dei, à quo omnis paternitas in Cœlo,& in terra nominatur. Propriè autèm, & per ſe honorari pręcipiturDeus in primò pręcepto. *Hæc Alex. Aug. 3. tit. 1. c. de 4. Præcepto q. 1. o.*

Circà ſecundùm reſpondeo, quod honor iſtę conſiſtit in duobus, ſcilicèt in reverentia & ſubſtentatione, ut dicit Gloſ. ſuper illud *Epheſ. 6. honora patrem &c.* Reverentia conſiſtit in tribus. Primo in affectu, timendo patris offenſam ex amore. *Levi*. 19. *unuſquiſque Patrem*, *& Matrem timeat*; In effectu, ſcilicèt obediendo: *Epheſ. 6. Filioli obedite Parentibus veſtris*. In ſigno, ideſt aſſurgendo, & hujuſmodi. Sic ſumitur honor *Rom*. 13. *cui honorem*, *honorem*, ut patet per Gloſſ. Subſtentatio etiàm conſiſtit in tribus, ſcilicèt in ſolatio verborum. *Hieron*. *Nemo patrem aſperis verbis lędat*; *Hoc filii loquantur*, *quod Parentes delectat audire*. In ſervitio operum: *Eccleſ*. 3. *Qui timet Dominum, honorabit Parentes, & quaſi Dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt*. *In opere &c.* In exhibitione neceſſariorum; Vndè *Epheſ. 6. Honora Patrem &c. Gloſ. Honorare Patrem eſt ei reverentiam exhibere*, *& neceſſaria miniſtrarę*. Et hoc modo exponit Dominus hoc præceptum. *Matth*. 15. Debetur autèm uterque honor prędictus, ſcilicèt reuerentię, & ſubſtentationis, tàm patri carnali, quàm ſpirituali; quià enim uterque eſt principium, ideò debetur utrique reverentia; quià etiàm uterque indiget, ideò utrique debetur ſubſtentatio. Prætereà in Patre carnali eſt ſpecialis ratio reverentiæ, ſcilicèt ratio generationis. *Eccleſ*. 7. *Memento*, *quoniam*, *niſi per illos non fuiſſes*: & in Patre ſpirituali, præeminentia ſublimitatis. *Rom*. 13. *Omnis Anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Itèm in Patre carnali eſt ſpecialis ratio ſubſtentationis,ratio educationis. *Eccl*. 7. *retribue illis,quomodò & illi tibi*. In Patre verò ſpirituali,diſpenſatio inſtructionis.*Gal*.6. *communicet autèm his*, *qui cathechizatur verbo ei*, *qui ſe cathechizat in omnibus bonis*. *Hoc Alex. Au. 3. tit. 1. c. de 4. præcepto q. 2. art. 1. o.*

Poteſt etiàm dici, quod parentibus in quantùm hujuſmodi debetur honor reverentiæ, ſed ſubſtentatio, & alia debentur eis ratione alicujus accidentis, ſcilicèt ratione indigentiæ, vel alicujus hujuſmodi. Et quià quod eſt perſe, eſt priùs eo, quod eſt per accidens, ideò ſpecialitèr præcipitur honoratio parentum, in qua ſicut in quodam principali mandari intelligitur & ſubſtentatio, & quicquid aliud parentibus debetur. *Hæc Thom*. 2. 2. *quæſt*. 122. *art*. 5. *cap*. 3. Nota etiàm ſecundùm *Thom. ubi ſup*. quod in præcepto iſto intelligitur mandari quicquid pertinet ad reddendum debitum cuicumque perſonæ, ſicut ſecundarium includitur in principali. Nota etiàm *ſecundùm Alex. Aug. ubi ſup. quæſt. 2. art. 2.* quod ſecundùm propriam rationem non præcipitur hìc, niſi honor ejus, qui poteſt dici propriè pater, vel mater, ideſt principium per generationem ſcilicèt carnalem, vel ſpiritualem, ideſt patris carnalis, vel ſpiritualis, ſcilicèt prælati.

Secundùm communem tamèn rationem poteſt reduci ad hoc præceptum honor ſenis, qui dicitur pater ætate, ſicut dicitur, 1. *Ti*. 5. *Seniorem nè increpaveris*, *ſed obſecra ut patrem*. Et honor regis, qui pater dicitur miſericordia, *Eccleſ*. 4. *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater*. Et honor ſocii,ſecundùm quod ſuperior ęſtimatur, & honor cuique perſonæ alii exibendus.

Circà tertiùm reſpondeo, quod eſt actus virtutis ſpecialis, quæ pietas dicitur; & à Tullio pars juſtitiæ ponitur, *ut in 2. lib.* tangitur: cùm enim ad rationem juſtitiæ pertineat, quod debitum aliis reddat, ubi invenitur ſpecialis ratio debiti alicui perſonæ, ibi eſt virtus ſpecialis contenta ſub juſtitia. Debetur autèm aliquid alicui ſpecialitèr, quià eſt principium producens, & gubernans in eſſe; hoc autèm principium pietas reſpicit, in quantùm parentibus, & patriæ, & his, qui ad hoc ordinantur, officium, & cultum impendit; & ſic patet, quod pietas eſt virtus ſpecialis ad juſtitiam reducibilis, & quod ad eam pertinet honorem parentibus exhibere. Nota quod Tullius dicit, quod hæc virtus, ſcilicèt pietas exhibet patribus, & patriæ officium, & cultum, ut officium referatur ad obſequium, cultus verò ad reverentiam, & honorem; quià ut *Aug. dicit* 10. *de Civit. Dei*; colere dicimur homines, quos honorificatione, vel recordatione, vel præſentia frequentamus. Et quidèm in cultu parentum intelligitur cultus omnium conſanguineorum, qui ſic dicuntur, quià ex eodem patre proceſſerunt, ut patet per *Philoſ*. 8. *eth*. In cultu verò patriæ, intelligitur cultus concivium, & omnium patriæ amicorum, & ideò ad hoc principalitèr pietas ſe extendit. Si ergò cultus, & officium, ut dicit Tullius, debentur omnibus ſanguine junctis, & patriæ benevolis, non tamèn æquè omnibus, ſed præcipuè parentibus, aliis autèm ſecundum propriam facultatem, & decentiam perſonarum.

Ad hoc iterum nota, quod ſicut dicit *Aug*. 10. *de Civ. Dei*: More vulgi, nomen pietatis

etiàm in operibus miſericordiæ frequentatur; quod ideò arbitror eveniſſe, quià hic præcipuè fieri Deus mandat ea, quæ ſibi pro ſacrificiis placere teſtatur. Ex qua etiàm conſuetudine factum eſt, ut ipſe Deus pius dicatur.

Sed quarè non eſt datum præceptum de honore filiorum, & aliorum hominum, ſicut de honore parentum?

Reſpondeo; Ratio naturalis non ſatis dictat, quod aliquid ſit pro alio faciendum, niſi cum homo aliquid debet; Debitum autèm filii ad patrem, eſt maximè manifeſtum, & ideò non ponitur ſub aliquo præcepto decalogi, ut aliquod beneficium, vel obſequium alicui, niſi parentibus impendatur; Parentes autèm non videntur eſſe filiis debitores propter aliqua beneficia ab eis recepta, ſed potius è converſo filius, qui eſt aliquid patris, & pater amat filios, ut aliquid ipſorum, ut dicitur, 8. *Eth.* undè eiſdem rationibus non ponuntur aliqua præcepta pertinentia ad amorem filiorum, quibus non ponuntur aliqua præcepta ordinantia hominem ad ſe ipſum.

Quarè intèr præcepta ſecundæ Tabulæ primò ponitur pręceptum de parentibus honorandis?

Reſpondeo, quod hoc eſt ratione principii, cujus honor præcipitur; undè ſicut in ordine ad Deum, primum Præceptum eſt de honore principii, quod eſt Deus in prima Tabula; ità in ordine ad proximum, primum pręceptum eſt de honore principii, quod eſt homo in ſecunda Tabula; undè ſicut dicit *Hug. de San. Vic.* utrobique principii dignitas honoratur.

ARTICULUS II.

De Promiſſionis additione.

Circà ſecundùm quæruntur plura ſcilicèt.

Quarè magis promittitur præmium in primo Pręcepto, & in quarto, quàm in aliis Pręceptis?

Reſpondeo; Homines ut in pluribus ad utilitatem aliquam ordinant ſuos actus, & ideò in illis pręceptis oportuit promiſſionem addere præmii, ex quibus videbatur utilitas ſequi, vel aliqua utilitas impediri. Quià verò Parentes ſunt jàm in recedendò, non expectatur utilitas ab eis, & ideò huic præcepto additur promiſſio. Similitèr, & præcepto primo de prohibitione Idolatrię, quià per hoc videbatur apparens utilitas impediri, quàm homines credunt ſe per pactum cum dęmonibus initum conſequi poſſe.

Quarè Longęvitas promittitur pro parentum honore?

Reſpondeo; quod congruum eſt, ut ei, qui gratus eſt beneficio, beneficium conſervetur; Ingratus autèm, beneficio privari mæretur. Beneficium autèm vitę corporalis, poſt Deum, à Parentibus habemus, & ideò parentes honorans, quaſi beneficio gratus, męretur in vita conſervari; qui verò non honorat, tanquàm ingratus męretur vita privari. Quià verò Longævitas non alliceret, niſi cum proſperitate eſſet, ideò Deuteronomium, quod Exodum explanat, longęvitatem promiſſam in Exodo junctam habere proſperitatem determinat, addens; *& benè ſit tibi.* Hoc *ſecundùm Alex. An. 3. tit. 1. c. de quarto Præcepto quæſt. 3. art. 2. a.* Quià verò bona, vel mala pręſentia non cadunt ſub merito, vel demerito, niſi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem, ideò quandoquè ſecundùm occultam rationem divinorum judiciorum, quę maximè remunerationem futuram reſpiciunt, aliqui filii pii antè parentes decedunt, aliqui verò impii poſt eos diutiùs vivunt *ſecundùm Thom. 2. 2. quæſt. 122. art. 5. cap. 4.*

ARTICULUS III.

De obligatione hujus Præcepti.

Circà tertiùm, quod eſt de obligatione iſtius pręcepti quęruntur plura, ſcilicèt.

I. In quibus tenentur filii Patri obedire?

II. Utrùm honor ſit exibendus ex hoc pręcepto malo Pręlato?

III. Utrùm filius accuſans Patrem Hęreticum ſolvat hoc pręceptum?

IV. Utrùm occaſione Religionis ſint pręter-mittenda pietatis officia in Parentes?

V. Quid de Religioſis in hoc caſu eſt dicendum.

Circà primùm reſpondeo. Secundùm gradus Superioritatis eſt modus obeditionis, quià ut *dicitur Rom. 13. omnis poteſtas à Deo eſt, & omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Eſt autèm ſuperioritas conſtituta in ſpiritualibus; & in temporalibus duplicitèr, ſcilicèt, quantùm ad regimen Reipublicę, & proprię familię. Primo modo pręeſt Pręlatus ſpiritualis. Secundo Pręlatus ſęcularis. Tertio Pater carnalis. Sicut ergò determinatur obedientia Pręlati ſpiritualis in ſpiritualibus, & Pręlati ſęcularis in temporalibus reipublicę, ſic obedientia patris in diſpoſitione rei familiaris. Et ſecundùm hoc poteſt dici, quod filius patrisfamilias tenetur obedire patri in omnibus probabilitèr pertinentibus ad neceſſitatem, vel utilitatem rei familiaris. Sic intelligi debet illud *ad Col. 3. Filii obedite parentibus veſtris in omnibus,* & ſimili modo intelligi debent auctoritates conſimiles.

Quod autèm dicitur *Deut. 21. Si genuerit homo filium contumacem, & protervum &c. qui non audiat patris, & matris imperium, lapidibus obruet eum omnis populus;* quomodò intelligi debet, oſtenditur in ſequenti auctoritate, ubi dicitur: *Monita patris audire contemnens, & commeſſationibus vacans, atque luxuriæ, atque conviviis;* Undè contemptus correctionis eſt peccatum, & malitia converſationis, quę non corrigitur per monita patris: Undè patet, quod filius tenetur obedire patri in diſciplina bonorum mo-

morum; Quod intelligi debet de neceſſariis ad ſalutem. *Hæc Alex. An. 3. tit. 1. c. de quarto præcepto quæſt. 4. art. 3. 0.*

Notà ergò, quod filius quamdiù utitur bonis patris debet ei obedire in exercitatione actuum virtuoſorum, ſivè ſalubrium in diſpenſatione temporalium, & ſubminiſtratione obſequiorum, quandò etiàm vivit ſeorſim à patre, vivere debet ſecundum ejus imperium, & ſi expedit ſubminiſtrare obſequium. Si tamèn pater aliquid præcipiat, quod ſit contrà ſalutis profectum, non eſt ei obediendum, ſecundùm illud *Lucæ.* 14. *Qui non odit Patrem &c.*

Circà ſecundum; Videtur, quod non, quià 1. *Thimot.* 5. *qui benè præſunt duplici honore digni ſunt &c. Gloſſ.* ut ei ſpiritualitèr obediant, & exteriora exhibeant, ſed ille honor non determinatur niſi benè pręſidenti, ergò &c.

Contrà. *Ibid. alia Gloſſ.* Ille duplex honor exhibendus eſt omnibus Pręsbyteris, ſed maximè his, qui laborant verbo, & doctrina.

Reſpondetur *ſecundùm Alex. An. ubì ſup. art.* 5. malo Pręlato honor debetur quamdiù ab Eccleſia toleratur; & licèt malè pręſideat haberi debet ut benè pręſidens, quouſque ab Eccleſia deponatur. Undè non debent debita ei ſubtrahi à ſubditis, & generalitèr eſt dicendum, quod inferiorum non eſt judicare de Epiſcopis, utrùm ſcilicèt benè operentur. *Rom.* 14. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum?* Tamèn eos Dominus judicabit. *Iſa.* 3. *ſtat ad judicandum Dominus.* Et ſequitur verbum ad Pręlatos: *vos depaſti eſtis vineam meam, & rapina pauperis eſt in domo veſtra, hæc Alex. An. ibid.*

Circà tertiùm; reſpondeo: Hæreticus, aut ſibi tantùm officit, ut quandò hæreſis eſt occulta; aut etiàm alios prava doctrina corrumpit. Et hoc ſecundo modo tenetur filius accuſare patrem, ſed primo modo non tenetur; Ratio hujus eſt, quià honorem patris cœleſtis tenetur præferre honori patris carnalis; undè pater carnalis, qui dehonorat patrem cœleſtem, non eſt ſuſtentandus; Undè in tali caſu tenet illud Euangelicum. *Qui amat patrem, & matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Et in *Deuteronomio* 33. in laudem Levì dicitur. *Qui dicunt patri, & matri neſcio vos. Hæc Alex. An. ubi ſup. art. 2. in quæſtiuncula in fin.*

Circà quartum reſpondeo; Religio, & pietas ſunt duæ uirtutes; Nulla autèm virtus alii virtuti repugnat, quià ſecundùm *philoſ. in prædicamentis*; bonum non eſt bono contrarium; Undè non poteſt eſſe, quod pietas, & religio ſe mutuo impediant. Ad pietatem autèm pertinet exhibere parentibus officium, & cultum ſecundùm debitum modum; non eſt autèm debitus modus, ut homo plus intendat ad colendum patrem, quàm Deum; Sed ut dicit Ambr. ſuper Lucam: *Neceſſitudini generis divinę religionis pietas anteſertur.* Si ergò cultus parentum à cultu Dei nos abſtraheret, jàm cultui pietatis parentum inſiſtere, eſſet contrà Deum. Ideò in tali caſu pętermittenda ſunt pietatis officia in parentes propter religionis divinum cultum. Undè in hoc caſu dicit *Hieron. in Ep. ad Heliodorum: ſi pater in limine jaceat, ſi mater ubera, quibus te lactavit oſtendat: per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & ſiccis oculis ad vexillum Crucis evola. Summum genus pietatis eſt in hac re eſſe crudelem.* Sic etiàm Dominus dicit *Lucæ* 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores; adhuc autèm & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Si verò exhibendo parentibus obſequia debita non abſtrahatur quis à cultu divino, hoc jàm ad pietatem pertinebit. Et ſic non oportebit propter religionem deſerere pietatem; & in hoc caſu *Dom. Matth.* 15. redarguit Phariſeos, quod religionis intuitu, honorem parentibus debitum ſubtrahere docebant. Et ſic patet, quod ſi parentibus noſtris carnalia obſequia noſtra ſint neceſſaria, ut ſinè his ſubſtentari non poſſint, nec nos ad aliqua contrà Deum inducant; eos intuitu religionis deſerere non debemus: ſi autèm ſinè peccato eorum obſequiis vacare non poſſumus, vel etiàm ſinè obſequio noſtro ſubſtentari poſſint, licet eorum obſequia omittere, ut ampliùs religioni vacemus. *De hoc lib. 2. tit. 69. &c.*

Circà quintùm; Reſpondeo, alitèr, & alitèr eſt de conſtituto in ſæculo, & de profeſſo in religione. Primus enim ſi parentes habet, qui ſinè eo ſubſtentari non poſſint, non debet eis relictis religionem intrare, quià tranſgrederetur pręceptum de honoratione parentum, licèt quidam dicant, quod etiàm in hoc caſu licitè poſſet eos deſerere Deo committendo curam eorum. Sed ſi quis rectè conſideret, hoc eſſet tentare Deum, cum habens ex humano conſilio quid ageret, periculo ſub ſpe divini auxilii parentes exponeret. Si verò ſinè eo parentes poſſent vitam tranſigere, liceret ſibi parentibus relictis religionem intrare, quià filii non tenentur ad ſubſtentationem parentum, niſi in neceſſitate, ut dictum eſt. Licet, inquam, intrare etiàm contrà prohibitionem parentum; quià quilibèt ingenuus eſt liber quantum ad pertinentia ad diſpoſitionem ſui ſtatus; præſertim in his, quæ ſunt obſequii divini. Et magis eſt obtemperandum patri ſpirituali, ut vivamus, quàm parentibus carnis: *Hæbr.* 12. Undè Dominus, ut legitur *Matth.* 8. & *Luc.* 9. reprehendit diſcipulum, qui ſtatim nolebat eum ſequi intuitu ſepulturæ patris; poterat tamèn per alios ſepeliri, ut dicit *Chryſoſ.*

Secundus autèm ſcilicèt profeſſus in Religione reputatur quaſi mundo mortuus; Undè non debet occaſione ſubſtentationis parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & iterùm ſe negociis ſæcularibus implicare. Tenetur tamèn ſalva ſui prælati obedientia, & ſuæ religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, quomodò ſubveniatur parentibus ejus. *Hæc Thom.* 2. 2.

quæſt. 191. *art.* 4. *cap.* 4. & ſatis convenit cum eo *Alex. Ang.* 3. *tit.* 1. *c. de* 4. *præcepto quæſt.* 4. *art.* 2. *p.* Prætereà ſi talis non ſit obligatus ad exhibitionem corporalem honoris parentum, eſt tamèn obligatus ad exhibitionem ſpiritualem, ſcilicèt in reverendo, in conſolando, orando, ad bonum inducendo, & ſalutem animę procurando. In exhibitione enim ſprituali maximè habet perfici hoc præceptum, in qua eſt conformatio ad Deum. *Hæc Alex. Ang. ubi ſup. art.* 2.

TITVLVS XXV.

De quinto Præcepto, ſcilicèt non Occides.

CONſequenter conſiderandum eſt de quinto Præcepto, quod eſt: *Non Occides, Exod.* 20 Et primò de ipſo homicidio, quod ibi prohibetur explicitè. Secundò de aliis injuriis, quæ committuntur in perſonam proximi ibidem prohibitis implicitè, *ut pat. Matth.* 5.

ARTICULUS I.

De brevi hujus præcepti expoſitione.

CIrcà hunc primùm articulum. Sciendum, quod hoc præcepto explicitè prohibetur homicidium; Implicitè verò omnis motus iræ, ſicut explicat Dominus *Matth.* 5. Eſt autèm homicidium hominis ab homine facta Occiſio. Prohibetur ergò hominem Occidi ab homine, ab homine, inquam, ut ab homine, ſivè ut eſt homo, non autèm ab homine ut à lege, ſivè ut eſt legis Miniſter, dummodò non deſit juſtus ordo, juſta Cauſa. juſtus animus; Undè non prohibetur Occiſio juſta, ſed injuſta. Eſt autèm injuſta, ſi deerit aliquod trium prædictorum. Deeſt autèm juſta cauſa, cum aliquis ſinè merito occiditur. Deeſt ordo juſtus, cum occidit ille, qui non eſt legis Miniſter. Deeſt juſtus animus, cum judex occidit libidine vindictæ, non amore juſtitiæ.

Fit autèm homicidium triplicitèr. Primò voluntate, ut cum fit ex intentione. Secundò caſu, ut cum fit præter intentionem. Et hoc poteſt eſſe triplicitèr, ſcilicèt, vel dando operam rei illicitæ, vel licitæ, & adhibendo debitam diligentiam, vel non adhibendo. In primo caſu, & tertio non excuſatur à toto, ſed à tanto. In ſecundo excuſatur à toto. Tertiò fit homicidium ex neceſſitate. Et hoc aut neceſſitate vitabili, ut cum ſugere poteſt, & non vult propter verecundiam, vel cauſam aliam. Aut inevitabili, ut cum quis occidit alium non livore vindictæ, ſed amore conſervationis vitæ, & animę ſuæ, ne ſcilicèt perdat vitam, & animam; Et hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ. Primo modo excuſatur à tanto. Secundo modo conceditur imperfectis, non perfectis, & excuſatur à toto *ſecund. Aug. lib. de lib. arb.* Et hæc ad pręſens de differentiis homicidii ſufficiant, quià *in lib.* 6. *tit.* 14. de ipſis pleniùs agetur.

ARTICVLVS II.

De multiplici circa hoc præceptum dubitatione.

CIrcà hunc ſecundùm Articulum quęruntur plura. Scilicèt.

I. Vtrùm occidere plantas, & Animalia Bruta ſit peccatum, vel ſit contrà illud præceptum?

II. Vtrùm liceat occidere hominem peccatorem?

III. Vtrùm liceat perſonę privatę hominem peccatorem occidere?

IV. Vtrùm liceat clericis maleficos occidere?

V. Vtrùm alicui liceat ſe occidere?

VI. Vtrùm liceat mulieri ſe occidere, ne ab alio corrumpatur?

VII. Vtrùm liceat alicui ſe defendendo aliquem occidere?

VIII. Vtrùm aliquis hominem caſualitèr occidens incurrat homicidii reatum?

IX. Vtrùm hoc pręcepto prohibeatur occiſio hominis quolibèt modo dicta?

Circà primum reſpondeo, quod non; Ut enim dicit *Auguſt* 1. *de Civ. Dei. Quod dictum eſt non occides, intelligitur de homine*; Nullus enim peccat ex hoc, quod utitur aliqua re ad hoc, ad quod eſt. Ex ordinatione autèm Dei plantæ ordinantur ad uſum animalium, & animalia ad uſum hominum, quod fieri non poteſt ſinè mortificatione eorum. Dicitur enim *Gen.* 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & univerſa ligna, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus. Et Geneſ. 9. dicitur: omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum.*

Nec obſtat, quod occidenti bovem, vel ovem alterius, determinata ſtatuitur pœna *Exod.* 22. quià talis peccat non quià bovem occidit, ſed quià homini damnum in ſua re facit; undè non continetur ſub peccato homicidii, ſed furti, vel rapinæ.

Circà ſecundùm reſpondeo, quod ſic. *Exodi 22. Maleficos non patieris vivere; & Rom. 13. Non ſinè cauſa gladium portat; Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit; Secundùm enim Auguſt. in quæſtionibus ſuper Matth.* Cum homo ab homine occiditur, hoc fit, aut cupiditate nocendi, ſicut fit ab hoſte, vel injuſtè aliquid auferendi, ſicut fit à latrone, aut ordine obediendi, ſicut fit à judice, aut neceſſitate ſubveniendi, ſicut fit à milite. In primo, & ſecundo caſu nulli licet occidere. In tertio autèm, & quarto licet. Omnis enim pars eſt naturalitèr propter totum; undè videmus, quod ſi expediat ſaluti corporis humani conciſio alicujus membri, ſcilicèt, quià eſt putridum, & aliorum membrorum corruptiuum laudabilitèr pręciditur. Quęlibèt autèm perſona ſingularis comparatur ad totam

totam civitatem ut pars ad totum; & ideò ſi quis ſit communitate periculoſus, & ejus corruptiuus propter aliquod peccatum, juſtè occiditur, ut bonum commune conſervetur. Si ergò maleficus occidatur amore obedientiæ, ſeù juſtitiæ, non peccat judex condemnans, nec miniſter à judice juſſus occidens; peccant tamèn uterque ſi non faciant hoc juris ordine ſervato, 23. *quæſt.* 4. §. *penul. & quæſt.* 5. *miles*.

Nec obſtat, quod *Dom. Matth.* 13. prohibuit extirpari zizania, quæ ſunt filii nequam, ut ibidem dicitur; quià hoc fecit, ut parceretur tritico, ideſt bonis. Quod ſit, quandò mali non poſſunt occidi, quia ſimul occidantur, & boni, vel quià latent inter bonos, vel quià habent ſequaces multos, ità quod ſinè periculo bonorum non poſſunt interfici, ut dicit *Auguſt. contrà Parmenianum*. Quandò verò ex occiſione malorum non imminet periculum bonis, ſed magis tutela, & ſalus, tunc mali licitè poſſunt occidi.

Circà tertiùm reſpondeo, quod non; Undè *Aug. primò de Civ. Dei, qui ſinè aliqua publica adminiſtratione maleficum interfecerit, velut homicida reputabitur*. Sicut enim dictum eſt, occidere malefactorem licet, in quantum ordinatur ad ſalutem totius communitatis; & ideò ad illos tantùm pertinet, quibus cura committitur communitatis ſervandæ. Præterea dicitur in legenda Beatæ Luciæ; homo poteſt eſſe miniſter mortis, non vitæ, quià omnis vita à ſolo Deo, nec eam Deus dare voluit per miniſterium alicujus. Sicut enim auferre rem alicujus ſinè auctoritate, & voluntate ejus nunquàm licet *Deut.* 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego ſanabo*; ideoquè, quicumque non accipit poteſtatem, vel à divina auctoritate, quæ eſt in lege, vel ab ejus voluntate, ſcilicèt cognita ex inſpiratione; ſi interficit, contrà illud præceptum facit.

Nec obſtat, quod *Exod.* 32. præcepit Moyſes: *occidat unuſquiſque proximum ſuum pro peccato vituli conflatilis*, quià fecerunt hoc ex Domini præcepto.

Circà quartùm reſpondeo, quod non, 1. *Tit.* 3. *Oportet Epiſcopum ſinè crimine eſſe, non vinolentum, non percuſſorem. Et Bern. ad Eug. lib.* 4. *de Conſid. dicit; Aggredere ſubditos, ſed verbo, non ferro: Quid denuò uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam*, ſcilicèt in Petro, cui dictum eſt: *Mitte gladium tuum in vaginam*. Ratio hujus eſt, quià hoc præcepto *non occides*, prohibetur quilibèt occidere ſua auctoritate: quià ergò Miniſtris veteris teſtamenti erat auctoritas commiſſa; Miniſtris verò novi teſtamenti non eſt conceſſa, ut per ſe interficiant, ideò ex conſequenti prohibentur illo præcepto clerici interficere in cauſa juſtitiæ. Ratio autèm hujus eſt, quià ipſi ſunt clerici ad Miniſterium altaris, in quo repræſentatur paſſio Chriſti occiſi, qui cum percuteretur non percutiebat, ut dicitur 1. *Pe.* 2. Miniſter autèm debet ſuum dominum imitari ſecundùm illud *Eccl.* 10. *ſecundum Judicem Populi, ſic & Miniſtri ejus*. Et ideò non competit eis, quod percutiant, vel occidant.

Nec obſtat, quod Petrus *act.* 5. Ananiam, & Saphiram interfeciſſe refertur, quià hoc propria auctoritate non fecit, ſed potiùs Dei ſententiam de eorum morte promulgavit; vel potiùs eorum mortem, quam Diabolus inferre debebat prædixit, & cauſam ſcilicèt culpam patefecit.

Si objiciatur, quod Imperator auctoritatem accepit à Papa maleficos puniendi; dicendum, quod à Deo per Papam ſuſcipit auctoritatem, ut ſit Miniſter Legis, & juſtitiæ divinæ, ſed ab ipſa lege auctoritatem habet uſum Miniſterii juſtitiæ; Undè *Aug. in quæſtionibus* Levi: *Cum homo juſtè occiditur, lex occidit, non tù*, loquitur judici ſæculari.

Si objiciatur, quod ille facit, cujus auctoritate ſit; Undè Papa, & Epiſcopi, qui præpoſitos habeant, & judices in cauſa ſanguinis, videntur occidere; dicendum, quod duplex eſt auctoritas, ſcilicèt jubendi, & innuendi. Prima eſt pœnes Imperatorem. Secunda pœnes Papam, & Presbyteros. Hæc enim eſt prædicatio divinæ legis, & hortatio, ut principes obediant ei. De prima auctoritate, non de ſecunda intelligi debet, quod ille facit, cujus auctoritate ſit. Undè *Bern. ad Eug. lib.* 4. *de conſid.* oſtendit, quod uterque gladius eſt Eccleſiæ, ſcilicèt materialis, & ſpiritualis; Et quod ad eam pertinet gladius materialis, non quantum ad uſum, vel juſſum, ſed quantum ad nutum. *Qui*, inquit, *materiale gladium negat tuum, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Converte gladium tuum in vaginam; ergò & ipſe fortè tuo nutu, etſi non manu tua evaginandus. Alioquin ſi nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apoſtolis: ecce duo gladii hìc, non reſpondiſſet Dominus: ſatis eſt*. Uterque ergò eſt Eccleſiæ, ſcilicèt materialis, & ſpiritualis; ſedis pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus. Ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & juſſum Imperatoris.

Circà quintùm; Reſpondeo, quod non. *Undè Aug.* 1. *de Civ. Dei: Quod dictum eſt non occides, intelligitur de homine; Nec ergò alterum, nec te; Nec enim aliud, quàm hominem occidit, qui ſe occidit*. Eſt autèm hoc illicitum. Primò, quià peccat contra ſe ipſum; facit enim contrà naturalem inclinationem, & legem, & etiàm contrà charitatem, qua quilibèt tenetur diligere ſe ipſum. Et ideò ſemper eſt peccatum mortale. Secundò, quià peccat in Deum, ſicut qui ſervum occidit alienum, peccat in ejus Dominum. Et etiàm uſurpat ſibi judicium divinum; Pertinet enim ad Deum ſolum mortis, & vitæ judicium, ſecundum illud *Deut.* 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam &c.*

Nec obſtat, quod Sampſon ſe cum hoſtibus occidit; ut habetur *Jud.* 16 qui tamèn numeratur inter Sanctos *Hæb.* 11. quià ut dicit *Aug.* 1.

de

Digitized by Google

de Civ. Dei; hoc ſibi ſpiritus Dei latentèr ſuggeſſit; & eamdem rationem reddit de quibuſdam fœminis ſanctis, quarum memoria ab Eccleſia celebratur.

Non obſtat etiàm, quod Razias, qui ſe occidit, laudatur, quià ex hoc non laudatur, ſed propter zelum legis, qui oſtenditur ex hoc, quod ſe occidit, licet occidere non debuerit. Ut etiàm dicit *Aug.* 1. *de Civ. Dei*: Nullus ſibi debet manus injicere, ut effugiat hoſtes.

Sed objicitur, quià *Matth.* 10. dicitur. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*, & animam vocat ibi vitam; ſed qui ſe occidit illo deſiderio, de quo dicit Apoſtolus: *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, perdit animam ſuam propter Deum, ergò inveniet eam.

Reſpondeo ſecundum ſanctos, ibi anima dicitur vita animalis, quæ debet uno modo interimi, alio modo ſalvari. Secundum enim Platonem duplex eſt mors, una naturæ, ſcilicèt, cum anima egreditur; alia virtutum, ſcilicèt, cum per virtutes homo vitiis, & voluptatibus moritur. Prima eſt expectanda. Secunda procuranda. Perdenda eſt enim vita animalis ſecunda morte, non prima. Si tamèn illa prima pro Chriſto inferatur, patientèr eſt ſubſtinenda.

Circà ſextùm reſpondeo, quod non, quià non debet in ſe committere crimen maximum, quod eſt ſui ipſius occiſio, ut vitet minus crimen alienum. Non enim eſt crimen mulieris per violentiam violari, ſi conſenſus non adſit, quià non coinquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis, ut Lucia dixit. Fornicatio autèm, vel adulterium eſt etiàm minus peccatum, quàm homicidium præcipuè ſui ipſius. Eſt etiàm periculoſiſſimum peccatum occidere ſe, quià non reſtat tempus, ut per pœnitentiam illud peccatum expietur.

Circà ſeptimum reſpondeo ſecundum *Ric.* 3. *diſ.* 37. *q.* 3. *art.* 2 *c.* quod ſic, & hoc patet. Primo auctoritate; dicitur *Exod.* 22. *Si effringens fur domũ, ſivè ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor, non reus erit ſanguinis*. Sed multò magis licet defendere vitam propriam, quàm domum ſuam, ergò &c. Hoc etiàm probatur *per C. ad leg. Corn. de Sicc l.* 2. *& 3. & extra de homicidio ſignificaſti* 2. Vim enim vi repellere leges omnes, & omnia jura permittunt; Illud tamèn fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ; ubi *dicit Gloſſ. ſervatur æquum moderamen, ſi tantùm fiat illud, quo omiſſo violentia repelli non poſſit. Si ergò violentum interficis; ſi mortis periculum ab eo vitare non poteris, ſinè pœna interficis*. Et poſt pauca ſubdit: *Injuriam verò illatam perſonæ ex intervallo repellere non licet, quià ſic eſſet vindicta*. Et ſic intelliguntur jura, quæ videntur contraria. Secundò oſtenditur hoc ratione. Omnes in hoc coveniunt, quod qui interficit nocentem, ut miniſter legis, non eſt tranſgreſſor præcepti de non occidendo; ſed qui vult injuſtè alium occidere eſt nocens ſecundum legem humanam, & etiàm divinam, quià propter hoc eſt in mortali peccato, & qui defendendo ſe talem occidit, eum occidit, ut Miniſter legis, quià hoc lex ſibi concedit, ut allegatum eſt, ergò &c. *Hæc Ric. ibid.*

Ad majorem autèm evidentiam conſiderandum eſt ſecundum *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 7. *c.* quod nihil prohibet eſſe duos effectus unius actus, quorum alter ſit in intentione, alter verò ſit præter intentionem: Morales autèm actus accipiunt ſpeciem, & nomen ab eo, quod intenditur, non ab eo, quod eſt præter intentionem, cum ſit cauſa per accidens. Ex actu igitùr alicujus ſe defendentis poteſt ſequi duplex effectus, ſcilicèt propriæ vitæ conſervatio, & invadentis occiſio. Actus igitùr hujuſmodi ex hoc, quod intenditur quantum ad primum non habet rationem illiciti, cum ſi naturale cuilibèt, quod ſe quantum poteſt in eſſe conſervet. Poteſt tamèn aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini. Et ideò ſi aliquis ad defendendum propriam vitam majori utatur violentia, quàm oportet, erit illicitum; Si verò moderatè, erit licitum, ut patet ex ſupradictis. Sed quià homines non licèt occidere, niſi publica auctoritate propter bonum commune, ut patet ex ſuperius dictis, ideò illicitum eſt, ut homo intendat hominem occidere, ut ſe defendat, niſi ei, qui publicam habet auctoritatem, qui intendens hominem occidere, ad ſui defenſionem, hoc refert ad publicum bonum, ut patet in Milite pugnante contrà hoſtes, & in miniſtro judicis pugnante contrà latrones. *Hæc Thom. ibid.*

Quidam tamèn contrarium dicunt, ſcilicèt, quod non licèt hominem occidere in defendendo ſe, quià ut dicit *Aug.* 1. *de lib. arb.* loquens de illis, qui hoc faciunt, tales non ſunt à peccato liberi apud legem divinam, qui pro his rebus, quas oportet contemni, ſunt humana cæde polluti. Sed ſecundùm ejus mentem, ibidem, corpus noſtrum eſt inter res, quas oportet contemni. Hoc etiàm idem videtur dicere in Epiſt. ad Publicolam. Præterea plus tenetur quilibet diligere animam proximi, quàm corpus proprium, ſed volens alium occidere injuſtè eſt in mortali peccato, ergò ſi ſe defendens occidat eum in tali ſtatu, præponit ſalutem corporis ſui ſaluti animæ proximi. Hujus *opi. fuit Hug. diſ.* 50. §. *Si verò ira*. Sed ad hoc reſpondet *Ric.* 3. *diſ.* 37. *quæſt.* 3. *art.* 2. *c. Primum ad oppoſitum*. Ad auctoritatem enim Aug. dicit, quod intelligi debet in caſu, in quo ſcilicèt fugiendo, vel adjutorium invocando poſſet homo ſalvari, & non vult propter verecundiam, vel quandò per aliam viam cohibere poſſit malefactorem, vel quandò jàm accepto vulnere mortis inſequitur, & occidit recedentem. Ad rationem dicit, quod non ille, qui interficit eum ſe defendendo, ſed potiùs ipſe eſt cauſa ſuæ mortis, & damnationis, in quantum ſcilicèt illum alium ad occidendum eum quaſi interpretativè cogit; Undè ſi ratio illa valeret, minus peccaret occidens nocentem, quàm innocentem.

Sed

Digitized

Sed quid de Clericis; Numquid licet eis ſe defendendo aliquem occidere? Reſpondeo aliqui dixerunt indiſtinctè, quod hoc nulli perſonæ privatæ ſivè Clerico, ſivè Laico licet, ut dictum eſt ſuprà. Alii verò indiſtinctè dixerunt, quod hoc cuilibèt licet. Quidam autèm diſtinxerunt inter Clericos, & Laicos, dicentes, quod hoc Clericis nulla neceſſitate licet. Hujus opinionis videtur fuiſſe *Lav. & Ber. extra de hom. ſuſcepimus in Gloſſ.* ubi dicitur, quod Clericus non debet propter talia etiàm contrà Saracenos armis ſe defendere, & ſpoliantem interficere *art. 23. queſt. 8. cap. 2. & C. convenior. & extra e. c. ſuſcepimus, & extra de voto, ex multa, & diſt. 50. Clericus, qui paganum*. Laicus verò poteſt patriam, & res ſuas defendere, & hoſtem etiàm prævenire. *art. C. undè vi. l. 1. & 23. q. 2. Dominus Deus*.

Secundùm *autèm Alex. Aug.* quià ex lege naturæ non eſt diſtinctio Clerici, & Laici, & illud præceptum eſt ex lege naturæ, ideò ſi prohibeantur Clerici in caſu laico conceſſo occidere, hoc non erit ex prohibitione præcepti, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ. Undè illa diſtinctio reſpicit Eccleſiæ inſtitutionem. Ad hoc nota, quod ſecundum legem reus homicidii non erit, qui furem nocturnum occiderit; Quod intelligitur ſi ſinè periculo rerum, & perſonæ ei parcere non potuit, etiàmſi ſe telo non defendat; ut tamèn hoc cum clamore teſtificetur. Secùs eſt de diurno; Ratio eſt, quià de diurno diſcerni poteſt, quod ad furandum, non ad occidendum venit. Idèm tamèn de nocturno intelligitur, & diurno ſi ſe cum armis defendat, & pro periculo perſonæ *extra e. ſi perfodiens, & ff. ad l. corn. de ſicc. furem*. Et ſecundùm aliquos ſi diurnus velit me interficere, poſſum eum prævenire *art. C. ad l. cor. de ſicca l. 2. 3. & 4.* Ratio etiàm eſt, quià ſi nocturnus cum rebus recedat, eum poſteà non cognoſcam. Secùs eſt de diurno; Undè eum poſteà accuſare potero; Ideò non tàm facilè occidi poteſt.

Circà octavum reſpondeo ſecundùm *Philoſ. 2. phiſ.* caſus eſt cauſa agens præter intentionem, & ideò ea, quæ ſunt caſualia ſimplicitèr loquendo, non ſunt intenta, neque voluntaria. Et quià omne peccatum eſt voluntarium ſecundùm *Aug.* conſequens eſt, quod caſualia in quantum hujuſmodi non ſunt peccata. Contigit tamèn illud, quod non eſt actu, & per ſe volitum, vel intentum, eſſe per accidens volitum, & intentum, ſecundum quod cauſa per accidens dicitur removens prohibens: Undè quandò quis non removet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, dicitur quodadmodò homicidium voluntarium. Hoc autèm contingit duplicitèr. Uno modo, quandò dat operam rei illicitæ; alio modo, quandò non adhibet debitam curam. Et ideò ſecundùm jura, ſi aliquis det rei licitæ operam, & debitam adhibet curam, & indè ſequatur homicidium, non incurret homicidii reatum. Si verò det illicitæ rei operam; Vel etiàm dans rei licitæ operam, non adhibet debitam curam, ſi ſequatur indè homicidium, non evadit homicidii reatum, *diſ. 50. ſæpè*.

Circà nonum, reſpondeo, quod hìc prohibetur propriè occiſio corporalis; Impropriè verò, & ex conſequenti, & interpretativè occiſio ſpiritualis; Si enim mors animæ pejor eſt morte corporis, qui ergò prohibet inferre mortem corporis, multò magis animæ. Non tamèn propriè poteſt dici mors ſpiritualis, ſivè animæ ab aliquo inferri alicui, quià non per cauſam, ſed tantùm per occaſionem, quià culpa non poteſt eſſe in aliquo, niſi eo volente, licèt ei aliquis poſſit occaſionem verbo, vel facto præbere. De his quæ pertinent ad homicidium; Maximè de differentiis homicidii, & irregularitate, & aliis pœnis, quas quis incurrit, require *in lib. 6. tit. 14*.

TITVLVS XXVI.

De Injuriis corporalibus aliis ab homicidio.

POſteà conſiderandum eſt de aliis injuriis, quæ committuntur in perſonam proximi, quæ etiàm implicitè prohibentur, cum dicitur *non occides, ut pat. Matth. 5.* Et circà hoc quæruntur plura.

I. Vtrùm in aliquo caſu liceàt aliquem mutilare membro?

II. Vtrùm liceàt patribus verberare filios, aut dominis ſervos.

III. Vtrùm liceàt aliquem incarcerare?

Circà primùm reſpondeo, quod ſic; hoc enim licet publicæ poteſtati propter aliquod maleficium. *Exod. 21. oculum prò oculo*. Licet etiàm privatæ perſonæ ex voluntate ejus, cujus eſt membrum, vel etiàm ejus, qui gerit curam ipſius præcidere membrum putridum propter ſalutem proprii corporis conſervandam; alitèr verò nunquàm licet. Vndè etiàm in nullo caſu licet præcidere membrum propter quodcumque peccatum vitandum, quià ſaluti ſpirituali, ſemper poteſt alitèr ſubveniri, quàm per abſciſſionem membri, quià peccatum ſubjacet voluntati. Vndè *Chry. ſuper illud Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum: exponens*, dicit: *ideſt, non membrum abſciſſione, ſed malarum cogitationum interemptione. Eſt enim obnoxius maledictioni, qui membrum abſcidit. Etenim quæ ſunt homicidarum talis præſumit*. Et poſteà ſubdit: *nec ità concupiſcentia ſit manſuetior, ſed moleſtior. Aliundè enim fontem habet ſperma, quod in nobis eſt, & præcipuè à propoſito incontinente, & mente negligente, nec ità comprimit abſciſſio membri tentationes, ut frænum cogitationis*.

Circà ſecundùm reſpondeo inferre nocumentum alicui non licet per modum pœnæ, niſi propter juſtitiam. Nullus autèm juſtè punit aliquem, niſi ſit ejus diſpenſationi ſubjectus. Et ideò verbera-

berare aliquem non licet, niſi habenti poteſtatem aliquam ſuper eum, qui verberatur: Et quià filius ſubditur poteſtati patris, & ſervus poteſtati Domini, ideò licitè verberare poteſt pater filium, & dominus ſervum, cauſa correctionis, & diſciplinæ; ideò dicitur *proverb.*13. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum. Eccleſ.* 33. *Servo malevolo tortura, & compedes.* Per hoc autèm, quod *Apoſt. dicit Epheſ.* 6. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios*, non prohibetur patribus, quin verberent filios cauſa diſciplinæ, ſed ne affligant eos verberibus immoderatè; Quod autèm ſubditur, 1. *ibid. Et vos domini eadem facite ſervis remittentes minas*, dupliciter poteſt intelligi; Uno modo, ut remiſsè minis utantur, quod pertinet ad moderationem diſciplinæ. Alio modo, quod non ſemper impleant, quod ſunt comminati, quod pertinet ad hoc, quod judicium, quo quis comminatus eſt pœnam, quandoquè temperetur per remiſſionis miſericordiam.

Sed objicitur, quià *Phil. dicit.* 10. *Eth.* quod ſermo paternus habet ſolam monitionem, non autèm coactionem; Sed verberatio eſt quædam coactio, ergò non licet Patribus verberare &c. Reſpondeo, major poteſtas debet habere majorem coactionem, ſicut autèm Civitas eſt perfecta communitas, ità Princeps Civitatis habet perfectam poteſtatem cohercendi, & ideò poteſt infligere pœnas irreparabiles, ideſt occiſionis, vel mutilationis. Pater autèm, & dominus, qui præſunt familiæ domeſticæ, quæ eſt communitas imperfecta, poteſtatem habent imperfectam cohercendi ſecundùm pœnas leviores, quæ non inferunt irreparabile nocumentum, cujuſmodi eſt verberatio.

Circà tertiùm reſpondeo, quod ſic, ideſt ſecundùm ordinem juſtitiæ, aut in pœnam, aut cautelam alicujus mali vitandi; Vndè *Lev.* 14. *dicitur*, quod quidam propter peccatum blaſfemiæ incarceratus fuit. Simpliciter autèm aliquem includere, vel ligare pertinet tantùm ad eum, qui diſponere habet univerſalitèr de actibus, & vita ejus, quià per hoc impeditur etiàm à bonis agendis. Cuilibèt tamèn licet hominem detinere ad horam ab aliquo illicito opere mox perpetrando, putà ne de alto ſe proiciat, vel alterum feriat. Aggravatur autèm peccatum hujuſmodi injuriarum ex hoc, quod inferuntur in perſonas conjunctas.

Sed cui competit actio injuriarum, & contrà quos, & in quantum? Reſpondeo, quod actio datur injuriam paſſo. Patitur autèm quis in ſe ipſo, & in filio, quèm habet in poteſtatem, *Inſt. de injur.* §. *patitur*. Et ſimili ratione Epiſcopus in Clericis, & Abbas in Monachis, & dominus in ſervis, *ut ibid.* §. *ſe. ſervus autèm*; & vir in uxore, quæ ſi ſit filiafamilias datur actio tribus, ſcilicèt ipſi, & viro, & patri. Nec una actio conſumitur per aliam, *ut pat. ff. de injur. L.* 1. §. *ult.* Si tamèn injuria fiat viro, actio non datur uxori, quià æquum eſt uxores à viris defendi, non è converſo, *ut in rubrica præalleg. inſt.* §. *patitur*, & *ff. e. l.* 2. Datur etiàm hæc actio ſponſo, ſi fiat injuria ſponſæ *ff. e. l. item apud Labeonem quæritur* §. *ſponſum quoque*. Quod intelligitur de ſponſo in præſenti. Datur etiàm hæredi ob injuriam illatam cadaveri ejus, cujus eſt hæres, vel ſi fama ejus ſit laceſſita *ff. e. l.* 1. Datur etiàm actio non ſolùm contrà percuſſorem, ſed etiàm contrà eum, qui procuravit, quod percuteretur *ff. e. l. non ſolum* §. 1. Poſtquàm autèm conſtiterit in judicio de injuria, ſi ſit facienda condemnatio pœcuniaria, judex defert juramentum injuriam paſſo, quod juret quantùm de ſuo dediſſe vellet, antequàm talem injuriam ſubſtineret. Et quià ſi animosè juraret, judex priùs taxabit certam quantitatem pœcuniæ, infrà quàm jurabit; In quo conſiderabit qualitatem injuriam paſſi. Secundùm etiàm gradum dignitatis, & honeſtatis vitæ creſcit, & minuitur æſtimatio injuriæ *inſt. e.* §. *pœna*. Sed poſteaquàm juratum fuerit, non licebit in minori quantitate condemnare. *C. de judiciis rem non novam*, & *in auten. hodie. in l. poſt juſiuran*.

TITULUS XXVII.

De Duello.

Deindè quià ex Duello ſæpè provenit homicidium, ideò de Duello eſt hic agendùm, & primò de ipſo. Secundò de pœna ejus.

ARTICVLVS I.

De Duello ſecundum ſe.

Circà hunc articulum quæruntur plurà, ſcilicèt.

I. Quid eſt Duellum?

II. Vtrùm Duellum ſit licitum?

Circà primum reſpondeo, quod Duellum eſt ſingularis pugna, quæ fit ad probationem rei alicujus, itaut, qui ſic ſe probaturum offert, ſi vicerit, probaſſe credatur, ſi non vicerit, etiàm in probatione defeciſſe putetur. Dicitur autèm Duellum, quaſi duorum bellum. Dicitur etiàm monomachia quaſi unica, & ſingularis pugna. Dicitur etiàm in pleriſque partibus judicium, eo quod ibi judicium Dei expectetur.

Circà ſecundùm reſpondeo, quod non, etiàm inter laicos, quià ibi Deus tentatur. Et ſcriptum eſt *Deut.* 6. & *Matth.* 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum. Et* 22. *quæſt.* 2. *quæritur.*

Nec obſtat, quod David pugnavit cum Golia, 2. *quæſt.* 5. *Monomachia*; quià privilegia paucorum non faciunt legem communem, 26. *quæſt.*

quæſt. 2. *non exemplo*. Reprobatur etiàm Duellum ſecundùm legem Romanam, *ut C. de aſſ. & obl. negantes, & de gladiatoribus l.* 1. *lib.* 11. Lex tamèn Lumbarda, & municipalis in multis caſibus Duellum admittunt, & *Conſtitutio Frederici de pace tenenda in libro feudorum. Fredericus* §. *ſi quis hominem, dicit*: quod ſi quis hominem inter pacem conſtitutam occiderit, ſe per Duellum defendere poteſt, quod ad tuitionem ſui corporis eum occidit. Sed ſecundùm Hoſt. in aliquo caſu non debet admitti, ut dictum eſt, quià eſt probatio deceptoria, & ideò non tranſit in rem judicatam ſententia; Imò debet retractari veritate comperta, *ut extra de pur. vul. cap.* 2. §. *ult.*

Nec obſtat, quod crimen leſæ Majeſtatis dicitur crimen perduellionis, *ff. ad l. jul. majeſ. l. ult.* quià non ideò dicitur crimen perduellii, quod per duellum poſſit probari, ſicut quidam malè intellexerunt; ſed quià perduelles dicuntur hoſtes; ideò illud crimen dicitur crimen perduellionis, ideſt crimen hoſtis, vel hoſtile *ff. de ver. ſig. quos nos hoſtes &c.*

Sed cum invaluerit conſuetudo contraria ferè ubique terrarum, numquid talis conſuetudo excuſabit à mortali peccato?

Reſpondeo; dicunt quidam, quod ſic, inducentes illud *Amb.* 32. *quæſt.* 4. Objiciuntur Jacob quatuor uxores; quod quandò mos erat, crimen non erat, ſed illud fuit divina revelatione conceſſum, quæ quandoquè dicitur mos, quandoquè fas, *extra de diver. gaudemus* §. *qui verò pagani circà fin.*

A ii diſtinguunt, dicentes, quod ſi quis Duellum offerat, vel oblatum ſpontè ſuſcipiat, mortalitèr peccat; ſi verò ſit judice cogente delatum, cum alitèr periculum corporis, vel rerum evadere non poſſit, excuſatur, *extra de homi. interfeciſti*. Et hæc opinio eſt tolerabilior, quàm prima, ſecundùm Ray. & Goff. non tamèn admittunt eam.

Tertii dicunt cum Ala. quibus conſentiunt *Ray. & Goff. & Hoſt. extra e. cap.* 1. quod ille, qui judice cogente invitus Duellum ſuſcipit, & committit, excuſatur à tanto, non à toto; metus enim illud peccatum attenuat, non omninò evacuat, *extra quod metus cau. Sacris circà fin.* potiùs enim debet omnia mala pati, quàm peccato mortali conſentire, 32. *quæſt.* 5. *ità ne.* Graviùs tamèn peccat offerens ſpontè, quàm ſuſcipiens, judex deferens, ſivè auctoritatem præbens, Aſſeſſores, & Advocati, & quivis alii ad hoc conſilium, auxilium, vel favorem dantes; Præsbyteri etiàm benedictionem ſecundùm conſuetudinem aliquorum locorum præbentes. Rod. tamèn dicit, quod ſecunda opinio videtur eſſe rationabilis, & maximè ubi innocens accuſatur de crimine ad mortem, qui ſi duellum oblatum recuſet, ſtatim ſuſpenditur. Durum enim videtur dicere, quod talis teneatur ſe potiùs ſubſtinere ſuſpendi, quàm in duello ſe tueri; & fortè diſtinguendum eſt ſecundùm eumdem, quod in cauſa criminali licet duellum ſuſcipere, non offerre; in cauſa verò civili de temporalibus non licet offerre, nec ſuſcipere, cum temporalibus debeat quis potiùs omne damnum ſubſtinere, quàm Duellum ſic ſuſcipere.

Sed tamèn ſi licet laico res ſuas cum armis defendere, & eas defendendo raptorem occidere, ſi non poteſt alitèr defendere, ut aliqui volunt, non apparet ratio, quarè pro defenſione rerum ſuarum laicus non poſſit ſuſcipere duellum ſibi oblatum, vel potiùs illatum à judice, & hæc opinio eſt benignior, & etiàm probabilior videtur ſecundùm Rod. Tamèn contrà eum eſt, quod Duellum prohibitum eſt, ut patuit in quæſtione præcedenti. Clericus autèm ſecundùm omnes in nulla cauſa, & nullo modo per ſe, vel per alium poteſt Duellum offerre, vel etiàm oblatum ſuſcipere. Sed Eccleſia, ſivè Epiſcopus debet eum efficacitèr defendere, quià eſt de juriſdictione ſua, *extra de fo: comp. cap.* 1. & 2.

Quid ſi Clericus contrafacit, ſcilicèt offerendo, vel ſuſcipiendo?

Reſpondeo de rigore juris debet deponi, *extra eo. de Cler. pu. indu. c.* 1. *ut ſtatim dicetur*.

ARTICULUS II.

De pœna Duelli.

Circà ſecundùm ſciendum, quod pœna pugnantium eſt, quod ſi ſint Clerici debent deponi, ut dictum eſt; Si tamèn nec mors, nec mutilatio intervenerit, per Epiſcopum ſuum cum eis poterit diſpenſari, *extra e. cap.* 1. & 2. Si tamèn Presbyter, vel aliùs Clericus in duello oblato, vel ſuſcepto, ab eo partem digiti perdidiſſet, non tamèn tantam, quin ſinè ſcandalo poſſit ſolemnitèr celebrare, quantumcumque ſit gravis exceſſus, Epiſcopus ejus cum tali poſt peractam pœnitentiam poterit diſpenſare, *extra e. cap.* 1.

Sed etſi homicidium intervenerit, poteſt ſecundùm quod notat Gof. adhùc ſecum in beneficio diſpenſari, *extra e. cap.* 2. *in fin.*

Quod autèm dicitur alibi; cum homicida diſpenſari non poſſe, ut *diſt.* 50. *miror*, & in pluribus aliis juribus, in officio locum habet; Nam cum aliis diſpenſatur in beneficio, & non in officio, ut *diſ.* 50. *ſtudeat*. Secundùm tamèn, quod notat Hoſt. in beneficio curam animarum habente, cum tali non diſpenſabit inferior Papa. Contrà verò laicos quomodò ſit in talibus procedendum, require *in lib.* 2. *tit. de ſcand.* Ad hoc nota, ſicut notant *Goff. & Ray.* Si contingeret aliquem in duello mori, imputaretur omnibus, qui dediſſent ad hoc conſilium, auxilium, vel favorem, & eſſent omnes tales irregulares, 17. *quæſt.* 4. *omnes*.

Quid de Clericis illis, qui reliquias afferunt Pugilibus ad jurandum; Numquid fiunt irregulares, ſi ſequatur homicidium in duello?

Reſpendeo, Ray. videtur innuere, quod ſic; *ut in illa quæſtione. Sed cum invaluerit &c.* Tales enim videntur coadiuvare ad hoc, quod fiat Duellum; ſicut & illi, qui dant benedictionem. Hoc tamèn ſecundum Rod. durum videtur, dicere tamèn contrarium non eſt tutum.

Quid de Epiſcopis, & Capitulis, & Abbatibus, qui coguntur in Curiis Regum Duellum ſubire, aut res Eccleſiaſticas amittere? Quid etiàm de hujuſmodi perſonis habentibus juriſdictionem temporalem, in quorum Curiis Duella ordinantur?

Reſpondet Rod. quod ſi per ſe, vel per alios de ſpeciali mandato eorum Duellum offeratur, vel ſuſcipiatur, vel etiàm præſtent auctoritatem ſpecialem ad hoc faciendum, mortalitèr peccant, & fiunt irregulares, ſi mors indè ſequatur. Si verò hoc fiat per laicos, qui curam gerunt rerum ipſorum ſinè ſpeciali eorum mandato, licèt peccent mortalitèr ſubſtinendo, & diſſimulando talia fieri in curiis ſuis, ſivè ſuorum balivorum, cum ipſi ſciant, non tamèn ex hoc fiunt irregulares, ex quo ſuper hoc non præſtant auctoritatem, licèt ſuis balivis præcipiant, quod in tali cauſa juſtitiam faciant, quià in hujuſmodi generali mandato, nihil mandari intelligitur de duellis. Si verò Rex, vel Princeps aliùs perſonam Eccleſiaſticam velit cogere ad duellum, aut proptèr recuſationem duelli, ei bona Eccleſiæ, vel ſua auferre, debent Epiſcopi ſe invicem ſubſtantialitèr adjuvare; & debent potiùs omnia mala tolerare, quàm conſentire. Poteſt etiàm dici in publicis prædicationibus modeſtè tamèn, & quaſi compatiendo, quod qui hoc faciunt in ſtatu ſalutis non ſunt, & hoc maximè ubi creduntur juris ignorantia laborare, quę non eſt tolerabilis in Eccleſiaſticis viris, ſivè perſonis. Hæc autèm, quæ dicta ſunt de Duello, debent intelligi etiàm de judicio ferri candentis, & aquæ frigidæ, & aliis hujuſmodi, *hæc Rodon.*

TITULUS XXVIII.

De Torneamentis.

POſteà conſiderandum eſt de Torneamentis, quibus etiam quandoquè ſequitur homicidium. Dicuntur autèm torneamenta quædam nundinæ, vel feriæ, non intèr hoſtes, ſed inſtar hoſtilis pugnæ factæ: Et dicuntur nundinæ, quià ad ea de diverſis partibus, & cauſa lucri, ſicut ad nundinas, convenitur. Dicuntur etiàm feriæ à feriando, quià tunc milites ab aliis operibus vacant.

Quæritur autèm utrum torneamentum ſit licitum?

Reſpondeo. Aliqui dixerunt ſimplicitèr, quod non, pro eo quod fit ad oſtentationem, & eſt ibi vitę diſcrimen, & ideò quicquid indè ſequitur, ut mutilatio, & mors, talibus ſic pugnantibus imputatur. Et ſi dicatur, quod conceſſum fuit filiis Iſrael, ut diſcerent artem certandi cum Hoſtibus. *Judi.* 3. dicunt, quod non fuit hoc eis conceſſum niſi urgente neceſſitate, nec contrà ſe invicem, ſed contrà eos, quos expugnare debebant, ſcilicèt Chananeos. Et ſi dicatur, quod bellare in caſu eſt licitum, ergò diſcere bellare quod fit per exercitium, eſt licitum: dicunt, quod licitum eſſet, ſi debito modo, & ſinè ſalutis periculo fieret. Sed ſic non fit in torneando.

Alii diſtinguunt, quod tale exercitium fieri poteſt cum moderamine conflictus, & ſinè diſcrimine ſalutis, ſi adhibeatur debita cautela, & in preparatione, & in executione. Et tunc aut fit ad oſtentationem potentiæ, ſinè vanæ gloriæ: vel proptèr quæſtum avaritiæ: & tunc ſimplicitèr eſt illicitum. Aut propter experientiam propriæ fortitudinis, & uſus armorum, & bellicæ induſtriæ, ut habeatur idoneitas bellandi pro Fide, & pace Eccleſiæ: & tunc eſt licitum. Sic ergò ſi hoc fieret cum bono moderamine, & bona intentione, & propter Eccleſiam, non eſſet prohibitum, nec eſſet peccatum, ſed eſſet utile pro defenſione reipublicæ, & ideò non eſt prohibitum civili jure, quod *pat. ff. de alea. ſolent.* Ubi conceduntur ludi, in quibus virtus corporalis exercetur. Prohibetur autèm ſecundùm jus canonicum proptèr abuſum ludentium, proptèr quem ſæpè provenit indè mors hominum, & periculum animarum: obligat tamèn eos prohibitio quacumque torneant intentione, quià ſtatutum eſt generale; *extra de tornea. c.* 1.

Pœna Torneantium eſt ſecundùm Canones, quod Torneans ſi quem etiàm caſu occiderit; homicidii reus, & irregularis erit. Quià enim talis ludus eſt prohibitus, tanquàm multum periculoſus; quicquid ex eo ſequitur, ludenti totalitèr imputatur, *art. extra de præſum. cap.* 1. Nec ab hac pœna neceſſitas imminens in torneando excuſabit; quià ad hanc neceſſitatem ſpontè, & ex propoſito ſe ingeſſit; & ideò imputet ſibi, *art. ff. quod met. cau. ſi mulier.* Ille autèm, qui in torneando occiditur, carere debet Eccleſiaſtica ſepultura, licèt ſi mortuus fuerit, vel læthale vulnus acceperit, ei pœnitentia non negetur. *extra e. cap.* 1. *in fin.* Nec per conſequens viaticum, *art. diſtin.* 50. *pœnitentes, & extra de pœniten. quod in te.* Et ſic quod plus eſt, conceditur, & quod minus eſt, negatur; Quod eſt hìc ſpeciale, ut hoc terrore deſiſtant milites ab hoc ludo.

Hanc autèm pœnam patiuntur illi ſoli, qui illùc animo torneandi veniunt, & ibidem decedunt, & ſubaudi, vel læthale vulnus accipiunt. Si autèm aliquis curioſitate videndi torneamenta, vel cauſa repetendi debita, vel alia ſimili cauſa vadens illùc, mortuus ibi fortuito caſu fuerit, non negabitur ei Eccleſiaſtica ſepultura, maximè ſi Chriſti corpus receperit, & unctus Oleo Sancto fuerit *extra e. cap.* 2. ideò verò dicitur ibi *maximè*, quià ſufficiunt ibi certa ſigna pœnitentiæ, *extra de ſen. excom. nobis* 2. In Clerico tamèn, qui ad videndum torneamentum ivit, & ibi deceſſit, fortè locum habebit pœna

de-

decreti, 23. *quæſt. ult. Quicumque Clericus*; Quę eſt, quod licet ſepeliatur, pro eo tamèn nec oratio, nec oblatio fiat *ſecundùm Hoſt.*

Quid de militibus, qui illùc animo pugnandi accedunt, non tamèn occidunt, aliqui tamèn ab aliis occiſi ſunt. Numquid tales ad ordines promoveri poterunt?

Reſpondeo, quod non; *ſecundùm Ray. & Hoſt.* quià ad rem damnatam, & prohibitam acceſſerunt. Et idem dicunt de illo, qui intereſt bello illicito; impeditur enim talis proptèr culpam præcedentem, 15. *quæſt.* 1. *cap. fin. & de pęn. diſt.* 1. *ſi quis cum telo*. Poteſt tamèn, ut dicit *Ray.* cum talibus diſpenſare Epiſcopus, dummodò nec mors, nec mutilatio membri fuerit ſubſecuta, *art. etiàm de cle. pug. in Duello cap.* 1. & 2. Et intelligit Rod. ſi non fuerit per illos, licèt fuerit per alios ſubſecuta.

Quid de his, quæ milites, vel alii lucrantur in Torneamentis. Numquid poſſunt ea retinere?

Reſpondeo *ſecundùm Ric. quolibet* 2. *quęſt.* 29. & *ſecundùm Rod.* Si quis contrà legem Torneamentorum aliquid lucratus fuerit, ſi ſcit à quo habuerit, tunc ei reſtituetur, vel pro eo pauperibus dabitur, ſi habet, undè poſſit. Si autèm ſecundùm legem Torneamentorum aliquid lucratus fuerit, non tenetur ei reddere, à quo habuit; ſed in foro pœnitentiæ induci debet, quod illud in uſus pios eroget. Si autèm hanc pœnitentiam ſuſcipere nolit, non debet ad eam cogi, ſed alià pœnitentia debet ei imponi, & abſolutio impendi.

TITVLVS XXIX.

De Bello.

DEindè, quià in Bellis plurà fiunt homicidia, conſequentèr de ipſis ſunt aliqua notanda. Quædam enim quæruntur de eiſdem *in lib.* 2. *in. tit. de Charitate*; pro eo quod determinatur ibi de pace, quæ eſt effectus charitatis, cui ſcilicèt paci opponitur.

Quæruntur autèm ibi utrùm Bellare ſemper ſit peccatum, & utrùm Epiſcopis, & Clericis liceàt Bella facere; & utrùm liceàt uti inſidiis in Bellis; Utrùm liceàt Bellare in feſtis. His ergò quæſtionibus hic prætermiſſis. Primò videndum eſt, quomodò Bellum poteſt dici juſtum. Secundò utrùm liceàt ſe defendere, & ideò ſit.

ARTICVLVS I.

Quomodò Bellum poſſit dici juſtum.

CIrcà primùm hunc Articulum; ſciendum brevitèr, quod, ſicut dicitur *ibidem* in ſolutione primæ quæſtionis, juſtè Bellare licet. Ad hoc autèm, quod ſit juſtum Bellum tria requiruntur, ſcilicèt auctoritas Principis, cauſa juſta, & intentio recta, ut probatur *ibid.* Suppoſitis ergò his, quę dicuntur ibi, addendum eſt ad majorem inſtructionem de hac materia, quod ſicut *notat Hoſt. in ſumma tit. de trenga, & pace.* Multiplex eſt Bellũ. Unum, quod eſt intèr fideles, & infideles. Et hoc eſt juſtum ratione fidelium, & non reſpectu infideliũ, *extra de hære. excommunicamus*. Aliud Bellum eſt intèr fideles hinc indè, & hoc fit, aut auctoritate juris, aut judicis, aut propria voluntate; ſi fiat auctoritate judicis legitimi non errantis, putà quià ji, contrà quos dat auctoritatem ei ſubſunt immediatè, & habet jus exercendi in eos merum imperium, nec eſt judex in cauſa propria, nec errat, dici poteſt juſtum *ff. quod metus cauſa continet*. Igitùr contrà non ſubditos non dabit actionem, quià actor ſequitur forum rei, niſi fortè in defectum judicis injuriantis, jus reddere nolentis, 23. *quæſt.* 2. *cap.* 2. Ideò etiàm, qui non habet merum imperium hanc actionem dare non poteſt *ff. de juriſd. om jud. l.* 3. Nullus etiàm in cauſa propria poteſt eſſe judex, 23. *quæſt.* 1. §. 1. Non excuſabit autèm error judicis impugnantem ſaltèm à toto. *extra de tempor. dilectus* §. *cum igitur*; nàm etſi probabilis eſſet, comperto tamèn errore, ſatisfieri debet, *extra de fri. & ma. fraternitat.* §. *quamvis*. Eſt tamèn pro auctoritate judiciaria præſumendum, niſi appareret contrarium, *extra de renun. in præſentia*. Igitùr, qui auctoritate judicis talis, ſcilicèt legitimi non errantis, alium impugnat, juſtè impugnat: Impugnatus autèm injuſtè ſe defendit, quià tantò magis apparet de contumacia, & rebellione præſentuoſa, *art. de pæ. diſ.* 6. §. 1. *ad finem*.

Idem eſt ſi fiat auctoritate juris ubicunque conceditur à jure quoad eum, cui jus concedit, ſicut eſt ponere exemplum in aſſaſſinis, quos ſi quis receptaverit, eſt hodiè à populo Romano perpetuò diffidatus, ità quod poſſunt occupari ejus bona, ità quod nulla requiratur alia diffidantia, *lib.* 6. *de Hom. pro human.* §. *fin.* exemplum etiàm *in C. quandò liceàt unicuique ſinè ju. ſe. vin. l.* 1. Idem in proximi, vel vicini repellenda injuria. Si autèm non interveniat auctoritas juris, vel judicis hinc indè, eſt injuſtum quoad pugnantes, juſtum autèm quoad defendentes *ff. de juſtitia, & jure, ut vim, atque injuriam*, Eſt ergò Bellum juſtum ſecundùm *Hoſt. ibid.* quod edicto publico Principis geritur prò rebus repetendis, aut propulſandorum hoſtium cauſa, 23. *quæſt.* 2. *juſtum*, & §. *cum ergò*; & brevitèr, qui auctoritate judicis proprii rectè ſuperveniente gladium accipit, ſivè jubentis, ſivè conſentientis, juſtè bellat, 23. *quæſt.* 3. §. *ecce*. Qui ergò auctoritate propria gladium accipit, eſt gladio feriendus, 23. *quæſt.* 1. §. 1. Et qui ſinè juſſu principis bellum ingerit, tenetur lege Julia majeſtatis *ff. ad legem jul. majeſt. l.* 3. licèt imminente neceſſitate ſufficiat auctoritas magiſtri officioſorum, *ut C. de frabricenſibus in l. fin. lib.* 11.

Ad hoc nota *ſecundùm Hoſt.* ibidem, quod quandò eſt Bellum juſtum, non tantùm hæretici, ſed omnes capiuntur, & ſpoliantur, & ſpolians fit dominus rei, 23. *quæſt.* 5. *dicat.* & *diſt.* 1. *jus naturale*, & *ff. de acqui. re. do. l. naturalem* §. *ult.* Si tamèn aliquis ſub aliquo militet, tota præda eſt domini, ſed dominus tenetur eam æqualitèr dividere *ut* 23. *quæſt.* 1. *militare*. Fit autèm hæc diviſio ſecundùm qualitatem perſonarum. Quod autèm dicitur in dicta, *l. naturalem*, quod ea, quæ capimus in Bello, noſtra ſunt, verum eſt, quod ſunt accipientis, tenetur tamèn illa domino dare, ut ea dividat ſecundum perſonarum merita *ſecundùm Jo:*

Inſuper nota, quod deficiente juſtitia, Civitas, vel Dominus terræ ſi negligens fuerit reddere juſtitiam, poteſt impeti, 23. *quæſt.* 2. *Dominus Deus*, & adverſarius deprædari, *ut in l. de feud. de inveſtitura, quàm Titius accepit à Sempronio* §. *final.* Quod intelligi debet gladio ſpirituali præmiſſo, *extra de jud. cum non ab hom.* Ex præmiſſis dici poteſt *ſecundùm Hoſt. ibid.* quod eſt Bellum ſeptuplex. Primum ſcilicèt, quod eſt intèr fideles, & infideles poteſt dici Romanum, quià Roma eſt caput, & mater Fidei noſtræ, & hoc eſt juſtum. Secundùm eſt intèr fideles pugnantes autoritate judicum, & poteſt dici judiciale, & eſt juſtum. Tertium eſt, quod faciunt fideles judici contumaces, & eſt injuſtum; & poteſt dici præſumptuoſum. Quartùm eſt, quod faciunt fideles auctoritate juris; & poteſt dici licitum. Quintùm eſt, quod faciunt fideles contrà auctoritatem juris; & hoc eſt injuſtum; & poteſt dici temerarium. Sextùm eſt, quod faciunt fideles auctoritate propria alios impugnantes; & poteſt dici voluntarium. Septimùm eſt, quod faciunt fideles auctoritate juris ſe defendendo contrà eos, qui voluntariè impugnant; & hoc eſt juſtum, & poteſt dici neceſſarium. In Bello ergò Romano, judiciali, licito, & neceſſario, non tenetur quis ad reſtitutionem. In præſumptuoſo verò, temerario, & voluntario, tenetur quilibèt ad reſtitutionem. Secundùm hoc intellige illud *extra de jurejuran. ficut*, & *infrà ſi conſtiterit*.

Quid ergò de comitibus, & aliis dominis, qui ſinè auctoritate Principis arma ſumunt, & ſumi faciunt, & Vaſallos proprios exheredant?

Reſpondeo, Hoſt. non dubitat quin ad reſtitutionem teneantur, niſi ſervent ordinem juris, qui eſt, ſcilicèt, quod ſi Vaſallus juri ſtare velit, audiatur: ſi contumax eſt, impugnetur. Quod fieri poteſt juris auctoritate, vel judice præcipiente. *C. de Epiſ. & Cl. ſi qui in hoc genus*. Si ergò eſt Dominus, qui immediatè ſubeſt principi, conquæratur de Vaſallo proprio, & non dicat jus ſibi, ſed vel auctoritate Principis gladium aſſumat, vel ad Diœceſanum Vaſalli recurrat. Ad cujus monitionem, ſi noluerit obedire, excommunicabitur ratione peccati, *extra de jud. novit.* & ſi per annum excommunicatus ſteterit, ex tunc Diœceſanus eum, & res ejus exponere poterit *art.* 11. *quæſt.* 3. *rurſus* &c. *quiſquis*; Debet enim ſæculare brachium recurrere ad Eccleſiaſticum ſicut fit è converſo, *extra de jud. cum non ab homine* §. *final.*

Quid ſi Barones ſubditi Comitis, vel Ducis habent guerram contrà eum, vel etiàm comes contrà regem, vel è converſò? Cujus Principis auctoritas eſt requirenda?

Reſpondet Rod. quod Princeps, qui nullum habet ſuperiorem ſivè ſit Rex, ſivè Imperator poteſt auctoritate propria, ſi ſubſit cauſa juſtà, movere bellum tàm contrà ſubditos, quàm contrà extraneos. Poteſt etiàm ſuis ſubditis concedere auctoritatem bellandi tàm contrà Principem extraneum, quàm contrà ſubditos ejus, ſi cauſa ſubſit, & expedire viderit, ſed non contrà ſubditos proprios, quamdiù poteſt injurantem juſtificare, vel quamdiù vult coràm eo, vel coràm ſuo judice juri ſtare, ſi ſit judex intèr hujuſmodi Principem, & injurantem. Si autèm non poſſet reum juſtificare, aut ſi ille non vult juri ſtare, non tantùm Princeps hujuſmodi, ſed etiàm ille Princeps, qui ſuper ſe ſuperiorem habet, movere poteſt Bellum contrà hujuſmodi injuriantem, ſi ei ſubſit mediatè, vel immediatè, & paſſo bellandi contrà eum licentiam dare. Si autèm injurians non ſubſit immediatè, vel mediatè Principi ſuper ſe ſuperiorem habenti, ille dare non poteſt auctoritatem ſubdito ſuo movendi arma contrà eum, ſed auctoritas Principis ſuperioris eſt requirenda, maximè ſi injurians ille pertineat mediatè, vel immediatè ad juriſditionem illiùs Principis ſuperioris. Cum ergò Vaſallus Comitis habet guerram contrà Comitem, auctoritas regis eſt requirenda. Si autèm Comes contrà Regem, & Rex nolit ei jus exhibere, per pares Curiæ humilitèr requiſitus, ſi jus ſuum armis defendet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non peccat. Auctoritate tamèn propria Regem non poterit impugnare.

Papa tamèn facta de Regis exceſſu denunciatione, ſi Rex nollet à peccato deſiſtere, poſſet eum excommunicare, & creſcente contumacia, auctoritatem movendi contrà eum arma dare. Cum autèm Rex habet cauſam guerræ contrà Imperatorem, vel è converſo; non credit, quod uterque, vel alteruter teneatur jus ſuum proſequi in forma judicii, cum neuter illorum habeat ſuper ſe ſuperiorem. Peccaret tamèn movendo bella injuriam paſſus, ſi injuriator ſatisfactionem offert ad arbitrium virorum de plano, & ſinè ſtrepitu judiciorum.

Ad hoc nota *ſecundùm Hoſt. & Innoc. extra de reſt. ſp. ſup. c. olim cauſam*, & *de jurejuran. ficut* & *infrà*; Quod Bellum aliquandò dicitur propriè. Et ſic ſolus Princeps, qui ſuperiorem non habet poteſt indicere Bellum etiàm contrà eos, qui non ſunt de iuriſdictione ſua, ſed alterius Principis, & tunc poteſt capere perſonas, & res hoſtis, & etiàm aliorum iniuſtè iuvantium eum, &

capti

capti fiunt capientium ſervi, Aliquandò Bellum dicitur largè; Et ſic quiſquis Prælatus habens iuriſdictionem temporalem contrà ſubditos inobedientes, licitè movet arma, *15. quæſt. 6. auctoritatem*, *& c. nos Sanctorum*; Sicut etiàm talis licitè movet bellum pro tuendo jure Eccleſię; Qui etiàm poteſt intereſſe, licèt non debeat perſonalitèr pugnare, *23. quæſt. 3. Maximianus*, *& ea. quæſt. 8. igitur*; & in his caſibus, non dicitur propriè bellum fieri, ſed meliùs executio iuriſdictionis, vel iuſtitiæ *ff. de rei. ven. ſi res*. Itèm quandò quis vim vi repellit incontinenti: nec in his capti fiunt ſervi.

Dicunt tamèn aliqui, quod ſi Bellum non eſt indictum contrà aliquem, ſed aliquo dictorum modorum proceditur contrà eum, tunc niſi fortè de munitionibus eorum læderetur ille, qui procedit contrà eum; non poſſet capere res, vel perſonas auxiliatorum ejus; niſi primò proferret ſententiam contrà eos, *2. quæſt. 1. nos in quemquam* Et ſi non eſt de ſua juriſdictione, ſed alteriùs, debet coràm ſuo judice juſtitiam de eo petere, *23. quæſt. 2. dominus*. Si verò judicem non habeat coram quo poſſit ſuam juſtitiam obtinere, licet ſibi recuperare ſua, propria auctoritate, *C. de judæiſ. Judæi. & l. nullus*. Certum eſt tamèn, quod ſi perſonas, vel res eorum in bello capiat, dùm ſuam juriſdictionem exercet; poteſt perſonas punire, & res tenere, quià in ejus territorio deliquerunt, & ejus juriſdictionem impediunt.

Itèm dicunt quidam ibidem, quod ubi quis per alium rem ſuam, & ius ſuum conſequi non poteſt, licet auctoritate ſuperioris arma movere, & bellum indicere pro ſuis recuperandis, vel etiàm furtivè ſua, vel æquivalens, ſinè tamèn aliorum ſcandalo, & periculo accipere, *23. quæſt. 2. c. 2.* Tamèn ſi ſuper ſe principem habet, faciat hoc auctoritate ſua, *ut ea. quæſt. cap. 1. Hæc Innoc. & Hoſt.*

Quid ſi quis contrà aliquem bellum movit, & cauſam iuſtam movendi habet, quià pro damnis ſibi illatis, non tamèn intentionem rectam, nec auctoritatem habuit. Numquid talis tenebitur reſtituere quidquid in illo bello acquiſivit?

Reſpondet Rod. quod non, in foro pœnitentiali, niſi ceperit, vel damnificaverit adverſarium, plùs quàm ille iniuſtè de ſuo habuerat, vel eum damnificaverat. Et hoc vide *in lib. 3. tit. de pace. art. 6. quæſt. 1.*

Quid ſi clericus dominum ſuum in guerra iuſta comitetur, & de ea aliquid conſequatur; Numquid iſtud reſtituere tenetur?

Reſpondeo *ſecundùm Rod.* quod ſi datum ſit ei ab illis, quibus licuit rapere, poteſt illud retinere, ſi autèm ipſe rapuit; cum rapiendo peccaverit, induci debet in foro pœnitentiali, ſi poteſt, quod illud reſtituat ei, cui abſtulit, ſi ſcit quis ille ſit; ſin autèm, quod det pauperibus. Huiuſmodi enim Clericus rem illàm rapiendo non fecit ſuam, quià ſicut dominus eius non potuit ei dare auctoritatem bellandi, ità nec rapiendi; Tamèn rem talitèr raptam poteſt de conſenſu domini ſui retinere, dùm tamèn illam conceſſerit ſibi adhùc guerra durante, quià tunc perindè eſt, ac ſi eam ſibi dediſſet.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat vim, vel injuriam repellere.

Sequitur videre de ſecundo, ſcilicèt utrùm liceàt vim, vel iniuriam repellere. Videtur enim, quod non, per illud *Matth. 5. Dico vobis non reſiſtere malo, ſed &c.*

Reſpondeo, ad quæſtionem hanc valent illa, quæ dicta ſunt ſuprà, *ſcilicèt tit. de homicidio, utrùm alicui licèat ſe defendendo aliquem occidere, & quæſ. ſequenti, ſcilicèt, utrùm liceat Clericis.* Et ſicut ibi ſunt tres opiniones, ità & hìc; quidam enim, ut Hug. dicunt, quod nulli licet vim repellere repercutiendo, ſed tantùm defendendo, putà opponendo baculum, vel aliquod tale. Alii dicunt, quod laicis, non clericis licet repercutere, ut *Lau. & Bern.* Tertii dicunt, quod hoc etiàm licet clericis. Diſtinguunt tamèn, quod vis, aut infertur perſonæ, aut rebus; ſi perſonæ, tunc eſt vis repellenda priùs, quàm ſit illata, quià ſecundùm legem licet occidere inſidiantem, & occidere volentem. Quod intelligitur, niſi manus eius alitèr evadere poſſit, *ff. ad le. Aquil. l. 4. in princ. & 5.* Si autèm ſit vis illata; aut percuſſus videt eum, qui percuſſit paratum repercutere; & tunc licet eum repercutere; Aut videt eum quieſcere, vel diſcedere; tunc non licet ſibi eum percutere, quià hoc non eſſet ſibi iniuriam repellere, ſed ultionem expetere, contrà illud, *c. ſeditionarios diſ. 46.* requiritur ergò, quod percutiat ſe defendendo, non ulciſcendo, *23. quæſt. 1. quid culpatur. Et idem dicit Innoc. extra de reſt. ſpo. olim cauſam, & Goſ. tit. de homicidio, & Bern. e. tit. ſignificaſti nobis.* Et quod ſe defendat cum moderamine *extra de reſtit. ſp. olim cauſam, in fin.* Moderamen intelligitur, ut ſi vis cum armis inferatur, cum armis repellatùr, alitèr verò ſinè armis, *ff. de vi, & vi art. & l. 1. §. vim vi repellere.* Et ut non magis lædatur adverſarius maximè à propoſito, quàm exigat illata violentia *ſecundùm Rod.*

Debet tamèn circà hoc conſiderari qualitas perſonæ, ut interdùm paruus, vel debilis cum armis ſe defendat, ſi contrà ſe elevato pugno magnus, vel fortis veniat, *art. 3. quæſt. 7. §. tria, nàm, ver. ſi verò in uno adiutorio*; Si quis tamèn defendendo ſe moderamen excedat, non tamèn à propoſito, non tenetur ad aliquam ſatiſfactionem, niſi ad cautelam *ff. ad le. Aquil. ſi ex plagis, §. tabernarius*, ſi autèm excedat à propoſito, tenetur. Hanc opinionem modo præmiſſo Ray. recitat, & approbat, & convenit cum eo Goſſ. Dicit tamèn Ray. quod licèt ille, qui ſe defendendo contrà clericum exceſſerit non à propoſito, non incidat in excommunicationem; tutiùs tamèn

tamèn credit, quod teneatur ad ſatisfactionem aliquam de exceſſu, vel etiàm quantùm ad pœnitentiam, & irregularitatem, ſi fortè proptèr ſuam percuſſionem mors ſecuta fuit. Si tamèn ex propoſito exceſſiſſet, ad maiorem ſatisfactionem, & pœnitentiam teneretur, *extra de ſen. excom. cum non ab homine, & c. perpendimus, & de reſt. ſpo. olim cauſam, & de homic. ſignificaſti §. ult.*

Si autèm vis inferatur rebus repellere licet vim illatam, & inferendam, & potiſſimè illatam, dùm tamèn fiat in continenti, ideſt quamcitò ſcit vim illatam, priùs quàm divertat ad contrarium actum. *Idem Bern. ut in c. præallegato, & ff. de ver. ob. continuus in prin., & eſt ſecundùm Rod. & Bern. extra de homic. ſignificaſti; & Hoſt. extra de ſent. excomm. ſuper decretalem Innoc. dilecto.* Continuatio iſta intelligenda eſt ſecundùm negotii qualitatem, proùt exigit ad præparationem maiorem, vel minorem temporis tractum. Actus verò contrarius intelligitur, ſi diſſimularet iniuriam, & deponat animum proſequendi rem ſuam, aliis occupationibus dando operam.

Quid ſi fortè, dùm ille, cui vis infertur, vult hoſtem expellere de ſua poſeſſione, quàm occupaverat iniuſtè, & malè; aliqui occidantur, vel vulnerentur.

Reſpondeo. Credit Ray. quod tenetur ſecundum modum ſuprà poſitum in defenſione perſonæ, ubi ſcilicèt diſtinctum eſt, utrùm defendens ſe excedat à propoſito, & per eadem iura; & ſatis convenit cum eo *Innoc. & Hoſt. extra de reſt. ſpo. olim cauſam.* Et hoc intellige *ſecundum Ray.* de imperfectis; perfectis autèm repercutere non licet, quod oſtendit Dominus, dicens *Matth. 5. ſi quis te percuſſerit in una maxilla, præbe ei & aliam*, Et ad *Rom. 12. Non vos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ*, & ſimilia.

Si autèm quæratur, qui ſunt iſti perfecti? Reſpondet Rod. quod hoc debet intelligi de ſolis illis, qui per votum, vel præceptum, vel ſtatutum obligati ſunt ad non repercutiendum, quales fuerunt Apoſtoli, & Diſcipuli in Eccleſia primitiva, qui tenebantur ex conſtitutione Domini non repercutere, cum per ſanguinem Martyrum erat Eccleſia fęcundanda.

Ad hoc nota *ſecundùm Ray. & Rod. & Innoc. de reſt. ſpo. ſuper c. olim cauſam*, quod pro rebus repetendis, & defenſione patriæ poteſt moveri bellum ſinè auctoritate Principis, vel Eccleſiæ, quià cuilibet licet de iure naturæ vim repellere in continenti, & cum moderamine inculpatæ tutelæ; *diſ. 1. ius naturale, & extra de ſen. excom. ſi verò. Et dicunt Innoc. & Rod. ubi ſuprà*, quod hic dicitur bellum uti armis ad defendendum, non ad impugnandum, & dicit *Rod.* quod nomine rerum comprehenduntur non tantùm res corporales, ſed etiàm iniuriæ, pro quibus etiàm illatis poteſt moveri bellum ad conſequendam ſatisfactionem, non libidine vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ, vel quantum ad intereſſe; *Alex. autèm Ang. in 3. tit. 2. c. de legibus poſitionis quæſt. 2. 0. ad quæſtionem principalem reſpondens in tertio ſummæ ſuæ, ſic diſtinguit*, quod iniuria quæ infertur, aut eſt perſonalis, & privata, vel publica; ſi ſit publica propulſanda eſt iuſſu Principis, & manu militis *ad Rom. 13. non enim ſinè cauſa portat gladium, Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit:* Dicitur de Principe, cui etiàm propter hoc determinatur tributum *Matth. 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari &c.* & ipſis militibus ſtipendia *Lucæ 3. Eſtote contenti ſtipendiis veſtris*; Sed non niſi propter defenſionem reipublicæ, quæ fieri non poteſt ſinè repulſa hoſtilis iniuriæ. Si autèm ſit iniuria perſonalis, de illa intelligitur illud *Matth. 5. Dico vobis non reſiſtere malo*; Sed cum diſtinctione, quià iniuria perſonalis repelli poteſt triplicitèr, ſcilicèt uno modo impediendo, ſicut Apoſtolus *act. 23.* procuravit milites à Tribuno, ut ſervaretur illæſus; Sic licet omnibus iniuriam repellere; nec prohibetur hoc *Matth. 5.* hoc enim non dicitur propriè reſiſtere. Alio modo verbis arguendo; & ſic Dominus percuſſus alapa percuſſorem repræhendit, nec alteram præbuit. *Joann.* 18. Sic etiàm licet omnibus: Undè dicit etiàm *Gloſſ. ibid.* Oſtendit Dominus patientiæ præcepta non oſtentatione corporis, ſed præparatione cordis eſſe facienda. Et ſic intelligitur illud *Matth. 5. ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam; præbe ei & alteram*; Ideſt, ſis paratus aliam patientèr ſubſtinere. Tertio modo repugnando; & hoc duplicitèr, uno modo neceſſitate cogente, ut cum læſio alitèr vitari non poteſt. Et hoc aut ſinè armis, & ſic permittitur clericis, & laicis, & hoc flagrante maleficio cum moderamine inculpatæ tutelæ, & incontinenti, & ſic intelligitur illa lex canonizata: *vim vi repellere licet in inſtanti*, quià nequaquàm facto intervallo: aut cum armis; & hoc modo permittitur laicis, non clericis, & hoc cum circumſtantiis prædictis; non eſſet autèm moderamen, ſi inferretur vis ſinè armis, & repelleretur cum armis. Alio modo ulciſcendi libidine, ſic nulli licet. Sic intelligitur illud *Rom. 12. Non vos metipſos defendentes cariſſimi*, & cætera ſimilia.

Sic ergò iniuriam repellere impediendo, vel verbis arguendo licet omnibus. Repellere verò repugnando neceſſitate cogente ſinè armis licet clericis, & laicis repugnando; Sed cum armis licet laicis, & non clericis. Repellere autèm libidine vindictæ neutris licet. Et ex his patet quomodò hoc, quod dicitur *non reſiſtere malo*, differentèr intellectum eſt de conſilio, & de præcepto. Prędicta ſufficiant ad præſens de Bellis; nàm de homicidiis, quæ eveniunt de Bellis, habetur infrà *lib. 6. tit. 14.* quantùm ad irregularitatem, quæ provenit ex eis; De rapinis verò, quæ fiunt in Bellis, & in guerris habebitur infrà, cum agetur de ſeptimo præcepto.

TITVLVS XXX.

De Treugis.

ARTICULUS UNICUS.

Quid, & quotuplex ſit treuga &c.

POſteà conſiderandum eſt, de treuga, quæ ſolet fieri tempore guerræ. Eſt autèm treuga ſecuritas præſtita perſonis,& rebus ad tempus, diſcordia nondùm finita. Pax autèm eſt diſcordiæ finis.

Treugarum duæ ſunt ſpecies. Una conventionalis. Alia canonica. Conventionalis formam recipit ex conventione, *ut ff. de ſponſ. l. 1. §. ſi conveniat*. Illo autèm tempore, quod eſt in conventione eſt hoſti fides ſervanda, etiàm infideli, *ut 23. quæſt. 1. nol.* Quod eſt verum, ſi etiàm infidelis fidem ſervet fideli, aliàs non, *ut extra: de jurejuran. pervenit*; Undè illi, qui tempore treugæ Sarracenis bona ſua rapiunt, ad reſtitutionem tenentur; Habent etiàm puniri à Principe, cuius treugas frangunt, niſi eſſent perſonæ Eccleſiaſticæ. Canonica treuga eſt, quæ pretèr omnem conventionem certis diebus, & temporibus eſt ſervanda; certis diebus, ſcilicèt à quarta feria poſt Solis occaſum, uſque ad ſecundam in Solis ortu; Et ſic habet ſervari treuga feria quinta propter Aſcenſionem Domini; feria ſexta proptèr Paſſionem; Sabbato, quià eſt dies requiei; & Dominica propter reſurrectionem. Eſt etiàm ſervanda certis temporibus, ſcilicèt, ab Adventu Domini uſque ad Octavam Æpiphaniæ, & à ſeptuageſima uſque ad Octavam Paſchæ, *extra cap. 1.*

Sed de quo bello intelligitur prædictis temporibus, & diebus eſſe ab eo ceſſandum, ſcilicèt iuſto, vel iniuſto? Reſpondet Goff. quod poteſt intelligi de utroque: de iuſto quidem, quia etſi ab eo nullo tempore ſit ceſſandum, minùs tamèn eſt tunc inſiſtendum; de iniuſto verò, quià etſi nunquàm ſit faciendum, minus tamèn tunc, & ſic, etſi homines non poſſunt in totum corrigi, tamèn refrænentur utcumque. Ad has treugas ſervandas concurrit triplex funiculus; ſcilicèt excommunicatio diœceſanorum, confirmatio Epiſcoporum vicinorum, & mutuum conſilium à Coepiſcopis impendendum, *extra e. cap. 1.*

Sed quæritur; utrùm Epiſcopi ſint tranſgreſſores, ſi hoc non ſervent? Reſpondet Goff. quod non; quià hæc non ſunt utentium moribus approbata, *4. diſt. §. leges*; Et idem ſentiunt *Bern. & Hoſt. in ſumma, & communitèr magiſtri alii. Sed Hoſt. in apparatu extra e. cap.* 1. dicit, quod Epiſcopus, qui præceptum hoc non ſervat mortalitèr peccat, quod patet, per hoc, quod dicitur in dicto *c. ordinis ſui periculo ſubjaceat*, periculo, ideſt excommunicationi *ſecundùm Bern. & Hoſt.* vel periculo, ideſt depoſitioni *ſecundùm Hoſt.* quæ quidem pœna non infligitur, niſi pro peccato mortali, 11. *quæſt. 3. nemo Epiſcoporum*; dictum enim c. continet præceptum, & ſic imponit neceſſitatem; Nec conſuetudo contraria in talibus excuſat, *extra de conſue. c. fin. nec ille, §. leges*, intelligitur de ſtatutis præceptoriis, ſed in ſimplicibus Sciendum etiàm, quod ſunt aliquæ perſonæ certæ, quibus perpetuò treugæ Canonicæ debentur, ut ſunt Presbyteri, Monachi, Converſi, Peregrini, Mercatores, ruſtici euntes, & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, animalia, quæ arant, & quæ ad agrum ſemina portant, *extra e. cap.* 2. Romipetæ oratoria viſitantes, 24. *quæſt. 3. ſi quis Romipetas*.

Nota inſupèr, quod Prælatus, maximè Epiſcopus priùs de plano, & ſinè coactione, poſtea verò judiciaria poteſtate debet diſcordantes ad concordiam revocare, *ut diſt. 90. cap.* 1. & litigantes reconciliare *ff. de offic. Præſi. illicitas*.

Sed objicitur, quià ſi ſic, intèr litigantes manebunt crimina impunita, quod eſt contrà legem *ff. ad legem aquil. ſi ità vulneratus*.

Ad quod dicendum *ſecun. Goff.* quod dictum priùs locum habet in cauſis civilibus in actione injuriarum, quàm quilibèt remittere poteſt, ſi injuria Eccleſiam non attingat, 23. *quæſt. 4. ſi is qui, & ſi ſit facta non facienda. ff. de pac. ſi unus §. pacta*. Itèm hoc intelligitur de civilibus actionibus, eo ſalvo, quod in quibuſdam caſibus compoſitionis remedium non habet locum, *extra de pact. c. fin.* Itèm hoc intelligitur, ubi de crimine civilitèr agitur; Licèt enim quis neget crimen remittere, poteſt tamèn à civili actione, immò etiàm ab accuſatione deſiſtere, *extra de accu. veniens*. Sed videtur, quod Epiſcopus injuriam Eccleſiæ poſſit remittere, quià eſt pater Eccleſiæ *diſt. 65. eſtò*; Patèr autèm injuriam illatam filio poteſt remittere, *extra de jurejur. & ſi Chriſtus*. Reſpondet Goff. quod ſi Epiſcopus dicatur pater Eccleſiæ, eſt tamèn ejus procurator, *extra de do. c. fraternitatem*.

TITVLVS XXXI.

De ſexto Præcepto, ſcilicèt non Mœchaberis.

COnſequentèr conſiderandum eſt de præcepto ſexto, quod eſt: *Non Mœchaberis*. Circà quod nota, quod hoc præcepto non tantùm prohibetur adulterium, ſicut ſonat verbum Mœchandi; Mœchari enim eſt adulterari, & omnis Mœchus adulter eſt. Immò ſicut dicit Aug. prohibetur omnis illicitus coitus, & illorum membrorum omnis illicitus uſus. Omnem autèm illicitum concubitum determinat per ſeptem differentias, ſcilicèt fornicationem, meretricium, adulteriùm, ſtuprum, ſacrilegium, inceſtum, & peccatum ſodomiticum. Poſſet etiàm addi octava differentia, quæ poſſet per circumlocutionem nominari libidinoſus coitus conjugalis.

lis. Hæc autèm poſſunt ſic deffiniri.

Fornicatio eſt inordinatus concubitus, quo ſolutus ſolutam naturali uſu cognoſcit; & intelligitur ſolutus, & ſoluta quolibet vinculo, ſcilicèt conjugii, conſanguinitatis, ordinis, religionis, ſeù voti continentię; naturalis verò uſus dicitur ad differentiam illius, qui eſt contrà naturam.

Meretricium verò dicitur duobus modis, quemadmodum, & Meretrix. Meretrix enim dicitur uno modo, quę vagam libinem ſequitur; & ſecundùm hunc modum, Meretricium eſt vagæ libidinis inſectatio; Vaga autèm libido dicitur ad differentiam fornicationis, in qua eſt libido determinata reſpectu unius perſonæ, ut cum una extra matrimonium adhæret uni, extrà matrimonium dico, vel quodlibet aliorum prędictorum vinculorum. Alio modo dicitur Meretrix, cujus publicè venalis eſt turpitudo. Et ſecundùm hunc modum. Meretricium eſt mulieris ſolutæ publicæ venalis concubitus.

Adulterium verò eſt inordinatus concubitus, quo conjugalis thorus violatur; undè adulterium dicitur quaſi acceſſus ad alienum thorum.

Stuprum verò eſt inordinatus concubitus, quo virginalis integritas corrumpitur.

Sacrilegium verò ſecundùm nomen ſuum non appropriatur alicui differentiæ luxuriæ; ſacrilegium enim eſt læſio ſacræ rei: tamèn prout contrahitur ad differentiam luxuriæ, dicitur ſacrilegium; tamèn propriùs, & meliùs diceretur ſacrilegus concubitus, inordinatus concubitus, quo continentia Deo ſacrata læditur, ſivè violatur: Conſecratam dico continentiam in Monialibus, & religioſis, & his, qui receperunt ſacros ordines, vel emiſerunt continentiæ votum; omnium enim talium concubitus ſacrilegium eſt.

Inceſtus verò eſt inordinatus coitus, quo vinculum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel paternitatis corrumpitur.

Peccatum verò ſodomiticum eſt inordinatus coitus, quo naturalis uſus in illum pervertitur, qui eſt contrà naturam. Libidinoſus coitus conjugalis multiplicitèr accipitur. Ideò

Notandum ſecundum quod diſtinguunt Magiſtri, quod coitus conjugalis, aliùs eſt licitus, aliùs fragilis, aliùs impetuoſus. Licitus eſt triplex, ſcilicèt, vel cauſa ſuſcitandæ prolis ad cultum Dei, vel cauſa reddendi debitum, vel cauſa fornicationis vitandæ; primus eſt theuſebiæ virtus, ſcilicèt pietatis, quæ ordinat ad cultum Dei; Secundus juſtitię; Tertius cautelæ. Et in his dicunt nullum eſſe peccatum. Fragilis verò determinatur, qui ex fragilitate provenit, & in uxore fragilem delectationem quærit, quià non cauſa prolis, nec cauſa reddendi debitum, nec cauſa vitandæ fornicationis, ſed cauſa delectationis talis in conjuge. Et in hoc diſtinguunt, quià amor illiùs delectationis, aut pręponitur Deo, aut poſtponitur; ſi pręponitur conſtat, quod mortale peccatum eſt; hoc eſt, ſi diligatur plus quàm Deus; ſimilitèr & concubitus proveniens ex tali amore, mortale peccatum eſt; Si verò poſtponatur Deo, ità quod Deus ſemper plus diligatur, veniale eſt, & concubitus proveniens ex tali amore, venialis eſt, & hoc propter gratiam talis Sacramenti. Impetuoſus eſt, qui ex ſola libidine proveniens, metam honeſtatis, & rationis tranſcendit; & ideò ſemper eſt mortale. Et fit quinque modis. Primò cum fit cauſa faciendæ libidinis per meretricias blanditias. Secundò, cum fit contrà naturalem modum. Tertiò cum fit tempore prohibito. Quartò cum fit in loco prohibito. Quintò cum acceditur ad prægnantem partui vicinam, vel quæ eſt in fluxu menſtruo. Hæc ad pręſens ſufficiant de luxuria, & ſpeciebus, ſivè differentiis eius, quià de his agetur pleniùs *in 1. lib. ſeq. Tit. de Luxuria, & in lib. 8. ſpecialitèr de Adulterio.*

TITULUS XXXII.

De Septimo Præcepto, ſcilicèt: non furtum facies, ubi primò de Rapina.

Conſequentèr conſiderandum eſt de ſeptimo præcepto, quod eſt: *Non furtum facies.*

Circà quod ſciendum, quod furtum triplicitèr ſumitur *ſecundum Alex. Aug. 3. tit. 1. c. de ſeptimo præcepto quæſt. 1. art. 1. c.* ſcilicèt propriè, communitèr, & interpretativè. Propriè dicitur contrectatio rei alienæ ignorante domino contrà ſuam voluntatem. Nec oportet aliud addere, ut dicatur, ſicut quidam volunt, rei alienæ mobilis, quià intelligitur nomine contrectationis, res enim immobilis contrectari non poteſt, & hoc modo diſtinguitur ab uſura, & rapina; Rapina enim eſt contrectatio rei alienæ ſciente domino contrà eius voluntatem; uſura verò eſt contrectatio rei alienę ſciente domino contrà eius voluntatem abſolutam, ſed non contrà omnimodam voluntatem. Communitèr dicitur furtum omnis illicita uſurpatio rei alienæ, ſecundum quod dicit *Aug. in lib. quæſt. exod.* 22. quod nomine furti intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ; Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed apertè totum intelligere voluit quidquid illicitè rerum proximi aufertur; & ſecundum hoc nomine furti intelligitur rapina; & uſura. Interpretativè verò dicitur furtum omnis illicita poſſeſſio rerum. *Aug. ad Macedon. Nonnè omnes, qui ſibi videntur gaudere licitè conquiſitis, eiſque uti neſciunt, alienam poſſidere convincuntur; hoc enim rectè alienum non eſt, quod jure poſſidetur; hoc autèm jure, quod juſtè, & hoc juſtè, quod benè.* Quicquid ergò malè poſſidetur, alienum eſt; Malè autèm poſſidet, qui malè utitur. *Ambro. Nemo dicat proprium, quod commune eſt, pluſquàm ſufficit ad*

ad ſumptus, violentèr obtentum eſt. Cum igitùr furtum dicatur triplicitèr, ut viſum eſt, dicendum eſt de eo ſecundùm omnes tres modos. Et ideò ad plenam proſecutionem hujus materiæ.

Primò conſiderandum eſt de rapina, quæ eſt gravius peccatum furto propriè ſumpto. Secundò de furto propriè ſumpto. Tertiò de Sacrilegio, quod eſt quædam ſpecies furti propriè dicti, ut videbitur. Quartò de furto interpretativo.

Circà primùm, ſciendum primò, quod raptor dicitur duplicitèr; eſt enim raptor rerum, & raptor hominum, & præcipuè feminarum. Et dicitur propriè rapina rerum, & raptus mulierum, maximè virginum. Sed ad præſens nihil de raptu mulierum, ſed tantùm de rapina rerum; Hæc autèm committitur, cum quis per violentiam vi, & apertè res alienas rapit undecumque, excepto ſacro loco, vel re Eccleſiaſtica, quià tunc committitur ſacrilegium.

De rapina autèm rerum dicendum eſt primo, utrùm ſit peccatum. Secundò de pœna ejus. Tertiò de rapina, quæ fit in naufragiis. Quartò de rapina, quæ fit in pędagiis. Quintò de rapina, quæ fit in quæſtibus, & talliis, & ſimilibus. Sextò de rapina, quæ fit in guerris. Septimò de his, qui ſequuntur, vel inducunt alios ad rapiendum. Octavò de his, qui accipiunt de rebus raptis. Nonò de his, qui emunt de rebus raptis. Decimò de his, qui Eccleſias incendunt, vel in eis etiàm aliquid rapiunt. Undecimò de reſtitutione raptorum; igitùr ſit

ARTICULUS I.

De Rapina rerum.

Circà hunc primum Articulum quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm rapina fieri poſſit ſinè peccato.

II. Utrùm furtum, & rapina ſint peccata ſpecie differentia?

III. Utrùm rapina ſit peccatum graviùs furtò?

Circà primùm reſpondeo, quod non; Undè. *Iſai.* 61. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocauſto*; Quod non diceret, ſi rapina peccatum non eſſet; Rapina enim quamdam coactionem dicit, per quàm contrà juſtitiam aufertur alicui, quod eſt ſuum. In ſocietate autèm hominum nullus coactionem habet, niſi per publicam poteſtatem; Et ideò quicumque per violentiam aliquid aufert hujuſmodi, ſi ſit perſona privata non utens poteſtate publica, illicitè agit, & rapinam committit, ut patet de latronibus. Principibus verò publica poteſtas committitur, ut ſint cuſtodes Juſtitię; & ideò non licet eis uti violentia, & coactione, niſi ſecundum tenorem juſtitiæ, & hoc, vel contrà hoſtes pugnando, vel contrà Cives puniendo malefactores: Et quod aufertur per talem violentiam non habet rationem rapinæ, cum non ſit contrà juſtitiam. Si verò contrà juſtitiam alicui res ejus per publicam poteſtatem abſtulerint, illicitè agunt, & rapinam committunt, undè reſtituere tenentur.

Circà ſecundùm reſpondeo, quod ſic; undè *philoſ.* 5. *eth.* diſtinguit inter ea, ponens furtum occultum, rapinam verò violentam; licet enim habeant eundem finem remotum, ſcilicèt habere aliena; habent tamèn diverſos fines proximos, quià raptor vult habere per poteſtatem propriam, fur per aſtutiam: undè utrumque habet rationem peccati, ex hoc, quod eſt acceptio rei alienæ involuntaria ex parte ejus, cui ſubtrahitur; Sed in furto eſt involuntaria per ignorantiam, in rapina per violentiam, ut dicitur 3. *Ethi.*

Circà tertiùm reſpondeo, quod ſic; duplici ratione. Primò quià directiùs opponitur violentia, quæ eſt in rapina voluntati, quàm ignorantia, quæ eſt in furto. Secundò, quia per rapinam non tantùm infertur alicui damnum in rebus, ſed etiàm vergit in quamdam ignominiam, ſivè injuriam perſonæ, quæ preponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum, undè & rapina graviùs punitur, quam furtum, ut infrà patebit.

Nec obſtat prædictis, quod homines magis verecundantur de furto, quàm de rapina: quià homines ſenſibus inhærentes magis gloriantur de virtute exteriori, quæ patet in rapina, quàm de virtute interiori, quæ tollitur per peccatum, & ideò minùs verecundantur de rapina, quàm de furto.

ARTICULUS II.

De pœna Raptoribus debita.

Circà ſecundum ſciendum, quod pœna raptoris rerum ſecundùm leges eſt, quod infrà annum punitur in quadruplum, re ipſa in quadruplo computata, poſt annum verò in ſimplum, *ff. vi bo. rapto. l.* 1. & 2. Et hoc ſi agatur contrà eum civilitèr, ideſt ad pœnam pecuniariam; Si autèm criminalitèr, ideſt ad pœnam corporis, tunc diſtinguitur inter vim privatam, ideſt ſinè armis, & vim publicam, ideſt cum armis. Proptèr primam reus deponitur ab ordinatione rerum ſuarum, quià perdit factionem teſtamenti, & tertiam partem bonorum ſuorum. Proptèr ſecundam mittitur in exilium. *Inſt. de pub. jud.* §. *itèm lex julia*; Undè verſus.

Vis privata rerum deponit ab ordine rerum.
Sed deportatur, ſi vis armata probatur.

Secundùm verò Canones excommunicatur ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi rapinam commiſit, *extra e. cap.* 1. & 2. Contrahitur enim forum ratione delicti, *extra de foro compet. licet*. Nec abſolvitur, niſi priùs emendetur, *extra e. de raptoribus cap.* 1. Si autèm nolit, cum poſſit ſatiſfacere, vel ſatiſfaciendi plenam ſecuritatem dare: denegetur ei beneficium pœnitentiæ. Si verò uſque ad obitum in obſtinatione fuerit, & tunc emendationem, vel emendandi ſecuritatem præ-

ſtiterit, penitentiam, & viaticum, & Eccleſiaſticam ſepulturam habebit. *Si verò in morte ſatiſfacere non poterit, contritus viaticum habebit, & Eccleſiaſtica ſepultura carebit, extra eo. c. ſuper eo.* Et hoc ad terrorem aliorum, vel ad confuſionem cognatorum, ut per hoc inducantur ad ſatisfaciendum. Et intelligit hoc Hoſt. ſi ſæpè ſit admonitus; ſi verò ſuper hoc nunquàm fuerit admonitus, vel ſi fuerit, ſed modico tempore contumax fuerit abſolutus per Presbyterum proprium, ſepeliendus erit, & Hæredes cogentur per cenſuram Eccleſiaſticam ſatisfacere ſecundùm facultatem defuncti, *extra eo. in litteris*. Et idem eſt, ſi conſtitutus in morte ſatisfacere promiſit, ſi convaleſceret; & antè ſatisfactionem deceſſerit, ut ibidèm. *Si etiàm in vita ſatisfacere* non poſſet, non negaretur ei penitentia ſecundùm Hoſt. ſi ſe emendare promitteret, ſi ad pinguiorem fortunam veniret. Clerici, qui contrà prædicta fecerint, putà ſi contumacibus penitentiam in vita dederint, vel penitentes in morte, qui diù ſteterunt contumaces, & tunc erunt inopes ſepeliverint, vel eleemoſynas eorum acceperint, vel rapinam eorum participaverint, beneficio Eccleſiaſtico careant, & ordinis ſui damnum irrecuperabilitèr patiantur, *extra e. ſuper eo. §. ult. & ſecundùm Gloſſ. ibid. & ſecundùm Rod.* loquitur de raptoribus notoriis, non de occultis.

Ad hoc nota, quod conſimilitèr punitur prædo, ſicut raptor; prædo enim dicitur uno modo, qui alios injuſtè prædatur, ut qui ſpoliat viatores; Alio modo dicitur Miles, qui quærit ultrà ſtipendium ſibi taxatum, *23. quæſt. 1. militare*; & utriuſque horum eſt pena, quæ & raptoris, cum uterque poſſit dici raptor, ut prædo contineatur ſub raptore, ſicut ſpecies ſub genere, *15. quæſt. 1. ſanè*. Poteſt etiàm *ſecundùm Goff. & Hoſt.* prædo dici Prælatus, qui ut procurationem, vel ſervitium aliquod impendat legato, vel alii, plus exigit à ſubditis, quàm ſolvat, quærens prædam potiùs, quàm ſubſidium in ſubjectis, *extra de cen. c. prohibemus, & c. Eccleſiis, & extra de immunitate Eccleſ. quia plerique*. Judex etiàm ſecundùm Hoſt. qui jurgium alienum reputat prædam ſuam, dicitur prædo. *C. ad le. juliam repetundarum, l. omnes Judices*.

ARTICULUS III.

De ſpoliatione Navigantium.

Circà tertium quæritur, quid de principibus, vel aliis, qui de longa conſuetudine ſpoliant naufragantes? Reſpondeo. Tenentur reſtituere quicquid de ipſo naufragio habuerunt, ſivè illud ſit captum de ipſo naufragio, ſivè de Mari, ſivè de littore *ff. de incen. rui. naufr. ſi quis ex naufragio*. Nec excuſatur à peccato mortali quicunque recipit, niſi ea intentione receperit, ut ei reſtitueret, cujus erat; nec aliquis excuſatur aliqua conſuetudine, vel ſtatuto, vel præcepto; quià hoc eſt contrà Dei præceptum *Levit. 19. Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Et Thob. 4. Quæcumque oderis tibi fieri, alteri ne feceris*. Epiſcopus verò, vel quilibèt aliùs Prælatus, vel Clericus, qui tanti criminis particeps, vel conſentaneus eſſet, deponi deberet *art. de accu. cum dilecti*. Laicus verò niſi admonitus ſatisfecerit anathematizari debet, *art. 24. quæſt. 3. illi, qui & extra de trengis innovamus*. Secundùm vero leges tenentur infrà annum in quadruplum, poſt annum verò in ſimplum *ff. de inc. rui. naufr. l. 1. §. 1.* Hoc autèm intelligas, niſi ſint talia navigia, quæ exerceant piratam pravitatem, & tyrannidem, vel ſint Chriſtiano nomini inimica, *ut in coſt. Frider. ad dec. §. navigia*.

Quid de Principibus illis, qui conveniunt cum Nautis, quod eis dent annuatim pro ſingulis navibus per eorum terminos tranſeuntibus certam pæcuniæ ſummam pro tali abuſu quietando?

Reſpondet Rod. quod cum deberent gratis quietare, quicquid hac de cauſa accipiunt, tenentur reſtituere, quià non conveniunt cum eis Nautæ de illa ſponſione ſimplicitèr ſpontè, ſed ne ſuſtineant graviora.

ARTICULUS IV.

De Pedagiis.

Circà quartum, quod eſt de Pedagiis notat *Hoſt. tit. de Cenſ.* quod exactiones pedagiorum & ſalmariorum, & guidagiorum ſunt reprobatæ, niſi ab Imperatore, vel Rege, vel Lateranenſi Concilio ſint conceſſæ, *ut ff. de public. l. nec vectigalia*. Vel aliàs ex longiſſima conſuetudine, cujus non extat memoria, debitè introducta, *extra de verb. ſignific. ſuper quibuſdam §. præterea, & ff. de aqua quot. & æſti. l. hoc jure §. ductus. & ff. de aqua plu. l. 1. §. ult.* Et qui aliàs ipſas recipit, niſi admonitus ſatisfaciat, eſt *ſecun. Canon.* excommunicandus: *extrà de cenſ. innovamus*, Sed ſecundum leges eſt perpetuo exilio damnandus. *C. nov. vect. inſtitui non poſſe l. 1. 2. & 3.* Et quod dictum eſt, quod à Rege poteſt concedi pedagium, intelligit ipſe Hoſt. tantùm de Rege Romanorum.

Quærit autèm Hoſt. in ſpeciali de Rege Francorum, utrùm habeat poteſtatem pedagia concedendi? Et quidèm ſecundum aliquos, Papa reſpondiſſe videtur in conſimili quæſtione, quod ſic, *extra qui filii ſunt legi. per venerabilem*; Ipſi autèm Hoſt. videtur, quod non, niſi Papa dederit ei eamdem poteſtatem, quę data eſt Imperatori ar. *ff. de ori. jur. l. 2. §. deindè, quià difficile*; Et hi poſſunt hoc concedere in præjudicium ſuorum tantùm, non extraneorum, niſi fortè extraneos dicas factos ſuos ratione territorii, quod eſt veriùs ſecundùm Hoſt. *Innoc. autèm extra de cenſ. innovamus* dicit ſimplicitèr, quod Reges poſſunt imponere pedagia nova; peccant

tamèn,

tamèn, ſi faciunt hoc ſinè juſta cauſa. *Idem dicit Bern. ibidem; & tamèn ipſe Bern. extra de ver. ſign. ſuper quibuſdam.* dicit, quod ſolùs Princeps poteſt hoc ſtatuere, non Civitas. *C. nova vectì. non poſſe l. 2. & 3.*

Ad hoc nota *ſecundùm Ber. ſuper c. ſuper quibuſdam*, quod pędagia dicuntur, quæ dantur à tranſeuntibus in locis à Principe conſtitutis. Guidagia dicuntur, quæ dantur pro ducatu per terram alicujus, ut quis eat ſecurus. Salmaria, quæ dantur pro Sale, ſcilicèt, ut permittantur ſal emere, vel vendere.

Sed numquid hoc ſinè cauſa concedere poteſt?

Reſpondeo, Ray. innuit, quod non; immò requiritur cauſa, putà pro defenſione ſtratæ publicæ contrà prædones in terra, vel piratas in aqua, vel pro defenſione fidei, & patriæ contrà Paganos, vel Hæreticos, vel alia cauſa conſimilis juſta. In quibus caſibus, ſi is, qui recipit illud, facit proptèr quod inſtitutum eſt, licitè, & ſinè periculo conſcientiæ recipit illud. Idem eſt, ſi non facit, quià eſt pax in terra, ſed firmitèr proponit, quod hoc faceret, ſi neceſſitas immineret, *art. 22. quæſt. 2. vobis enim. ad fin. & ff. loca, & conduc. l. ex conducto §. ſi uno.* Et hoc intelligit Ray. ſivè ſit novum, ſivè antiquum. Facit tamèn hanc differentiam, ſcilicèt, quod novum nullatenùs eſt recipiendum, niſi coſtet de cauſa, propter quàm eſt impoſitum; antiquum verò recipi poteſt, licèt non poſſit cauſa manifeſtè ſciri, dummodò conſcientia poſſit probabilitèr formari, quod proptèr unam de cauſis prædictis, & ab illo, qui conſtituere potuit, conſtitutum fuit. Alitèr eſt rapina, & reſtituere tenetur. Et ſic induxit antiquitas *extra de cenſ. pervenit, & c. cum Apoſtolus §. probibemus.*

Hoſt. verò credit, quod ſi à Principe concedatur etiàm cauſa non expreſſa, vel ſi conſuetudo hoc approbet, cujus non extat memoria, ſinè ſcrupulo recipi poteſt. Is tamèn, qui recipit illud tenetur ſalvare ſoluentem infra ſuum diſtrictum in perſonis, & rebus ſecundum poſſe ſuum, quià proptèr hujuſmodi ſolvi conſuevit pędagium. Et ſi hoc non faciat, gravitèr peccat, quià etiàm ſinè pędagio ad hoc teneretur; non tamèn ob hoc tenetur ad reſtitutionem pędagii, niſi conſtet, quod hac cauſa conceſſum fuit, licèt quod plus eſt, ad ſatisfactionem integram teneatur, ſi in defectu juſtitiæ inveniatur, *23. quæſt. 2. Dominus Deus: & quæſt. 5. adminiſtratores: & c. de appel. ſi appellationem.* Si enim ſententia Ray. eſſet vera, vix, aut nunquàm ſalvaretur aliquis recipientium pędagia *ſecundùm Hoſt.*

Quid ſi Mercatores alicujus loci faciunt pactum de certa pęcunia ſolvenda pro beſtia alicui domino terræ, ità quod eos defendat?

Reſpondet Hoſt. quod tunc habet locum opinio Ray. *art. extra de cond. appell. verum.* Si tamèn Dominus metum intulerit, injuſtè recipit, & omninò reſtituere tenetur *ff. quod metus cau. metum §. ſed licet*; non tamèn tenet hoc pactum, niſi intèr eos, intèr quos eſt habitum *ff. de pac. ſi unus §. antè omnia.* Quod ſi talis non faciat illud, quod promiſit; nec illi mercatores ei fidem ſervare tenentur, *extra de jurejur. pervenit 2.*

Quid ſi quis portare faciat neceſſaria ad uſum vitę ſuæ, & familię? Numquid pro eis tenetur pędagium dare? Et videtur, quod ſic, quià ità tenet conſuetudo. Sed ſecundùm Hoſt. conſuetudo talis eſt irrationabilis, & ſic non eſt tenenda, *extra de conſue. c. fin.* & convenit cum eo *Ber. extra de ver. ſign. ſuper quibuſdam.* Nec obſtat *ff. de publi. ſi publicanus §. fin.* quià illud intelligitur de his, quę cauſa mercimònii deferuntur, ut ſequitur; nàm in his tribuit jus conſuetudo, cujus non extat memoria, *c. de vect. & commiſſ. o. ad fin.* Et ſi quis contravenerit, ſecundum leges decapitari debet, ut dicit lex ibid. expreſsè *l. univerſi provinciales*; dicit tamèn lex antiqua, quod Pręſes hæc Publicano ſignificare debet per litteras manu publica ſcriptas, rerum quantitatem continentes, & ſi plùs portaretur, illud amittitur. *ff. de pub. & vect. ſi publicanus §. 1.*

Sed numquid laicus ſinè peccato pędagium exigere poteſt à clerico, cum hoc jus habeat à Principe laico?

Reſpondet Hoſt. quod non: quià nullus laicus poteſtatem habet in Eccleſiaſticis rebus, *extra de conſt. Eccleſia*, & multò minùs in perſonis.

Numquid Chriſtiani tenentur pędagium ſolvere Sarracenis.

Reſpondeo, Ray. dicit, quod ſic, dùm tamèn ipſos tranſeuntes defendant; Nàm & hoſti eſt fides ſervanda, *22. quæſt. 4. innocens, & 23. quæſt. 1. noli*; & hoc, dummodò illùc tempore guerræ non vadant, nec merces prohibitas deferant, aliàs ſi hoc facerent, ut punirentur in quo deliquiſſent, eis injungendum eſſet, ut ponerent illud, ſcilicèt, pędagium in redemptionem captivorum, vel in ſubſidium fidei Chriſtianæ, vel ipſimet in eodem ſubſidio expenderent, ſi ad hoc idonei eſſent, vel alitèr, *extra de voto magnę. circà fin. & c. quod ſuper bis. ſecundùm Ray.* Si tamèn nolunt hanc pęnitentiam recipere, non credit Rod. quod ſint ad eam cogendi, præcipuè, dummodò velint aliàs pęnitere.

Secundùm autèm Hoſt. Chriſtiani non tenentur ad illam ſolutionem, quià Chriſtiani non ſubſunt Sarracenis; ſi tamèn volunt habere commoditatem terræ Sarracenorum, oportet, quod ſolvant, quià nec aliàs eorum tranſitum ſubſtinerent. Rod. verò dicit, quod Chriſtiani tenentur ad illud ratione pacti, ſi intervenit, & etiàm ratione ſtatuti; cum enim Sarraceni ſint in poteſtate ſtatuendi, & dominandi in terris, quas tenent, non ſunt ſpoliandi alicujus privatæ perſonæ auctoritate; undè non ſunt ſpoliandi, ſivè defraudandi pędagiis per aliquem Chriſtianum tranſeuntem per terram eorum.

Ad hoc nota ſecundùm Ray. & Hoſt. quod ubicumque quis exigit injuſtum pædagium, & ubicumque quis tranſiens negat juſtum, vel fraudat ipſum, tenetur quilibèt reſtituere ei, à quo extorſit, vel quèm fraudavit, vel hæredi ejus ſi inveniatur, aut erit in pias cauſas cum conſilio Eccleſiæ erogandum 14. *quæſt. 6. ſi res aliena*.

Itèm dicit Ray. quod ſi recipiens pędagium non ſervet illud, quod debet, vel etiàm ſi non recipiat juſtè, tranſeuntes non tenentur illud dare, etſi per mendacium illud ſubtrahant furtivè, licèt peccent ſaltem venialitèr in mendacio, tamèn reſtituere non tenentur. Itèm dicit Rod. quod ſi quis furtim pędagium aſportaverit, vel commiſerit furtum, vel aliud ſimile, ſuper quibus eſt pęna ſtatuta, non debet ſibi injungi in foro penitentiali, quod ſolvat hujuſmodi pęnam, niſi tunc demùm cum in foro judiciali fuerit condemnatus; ſed ſufficit, quod intereſſe ſolvat; & ſi intulit injuriam, ad arbitrium boni viri ſatisfaciat.

ARTICULUS V.

De quæſtibus, & Talliis, & ſimilibus.

SEquitur videre de quinto, ſcilicèt de quæſtibus, & talliis, & ſimilibus, quas Domini exigunt à ſubditis. Sciendum ergò ſecundùm Ray. *tit. de rapto. & Hoſt. tit. de immu. Eccl.* quod regularitèr Dominus petere non debet à ſubditis, niſi ea, de quibus inter eum, vel eius anteceſſores, vel ipſos, vel eorum anteceſſores planè, bona fide, ſinè dolo, & coactione convenit. De his ſolent fieri inſtrumenta. Omnia ergò ab initio impoſita, dùm tamèn non ſunt turpia, vel contrà Deum, poſſunt peti, & debent ſolvi, quià quilibet in traditione rei ſuę legem, quàm vult, ponere poteſt, *extra de pac. Antigonus*. Et quicquid ſubditus de his, ſcilicèt, quæ ſunt certa, ſinè Domini voluntate ſubtraheret, diminueret, vel celaret ſcientèr, ſicut fur reſtituere teneretur; & idem intellige *ſecundum Rod.* ſi non extet inſtrumentum. Eſt tamèn antiqua, & certa tallia à tempore, cujus non extat memoria, & ſcitur, vel probabilitèr creditur, quod ab initio fuerit impoſita juſta de cauſa, ità tamèn ſecundùm Ray. quod & ipſe Dominus compleat ſi quid ex illa cauſa, vel inſtitutione complere debeat. Ubi tamèn ponitur in inſtrumento indefinitè collecta, tallia, & hujuſmodi, debet intelligi, quod debet etiàm moderatè petere inſpectis oneribus, & facultatibus ſubditorum, *extra de cenſ. cum Apoſtolus*. Et idem credit Rod. ſi contineatur in inſtrumento, vel etiàm ſi ſit conſuetudo talis ſinè ſcripto, quod talia facere poſſit ad placitum ſuum. Et ſi de hoc Dominus habeat conſcientiam inducatur ad reſtitutionem faciendam.

Si autèm accipit Dominus ultrà conventa, & ſtatuta inter eum, & ſubditos ejus aliqua ſpontè oblata, nulla fraude adhibita, vel minis, vel coactione indirecta, reſtituere non tenetur, 1. *q. 2. placuit, & c. quam pio*. Exactio indirecta eſſet, ſi eis juſtitiam negaret, vel eos non defenderet, ſecundum quod deberet, ut ſic ab eis aliquod extorqueret, vel eis inſinuari faceret, quod ab ipſis aliquid habere vellet.

Si tamèn ex aliquibus circumſtantiis appareret reſtitutio impoſſibilis, vel multùm difficilis, ſatis videtur, quod conſuli poſſet his Dominis, quod in recompenſationem remitterent ſubditis communitèr cum conſenſu eorum, & libera voluntate aliquam ſervitutem, vel annuam præſtationem in perpetuum, vel ad tempus, ità quod videretur eis pleniſſimè ſatisfactum; vel etiàm, quod facerent in remiſſionem peccatorum illorum, quibus tenebantur, aliquod hoſpitale, vel aliquod opus ſimile pietatis, cum conſenſu tamèn eorumdem, ubi poteſt requiri; & hoc debet intelligi, niſi juſta cauſa ipſum Dominum ad talem exactionem faciendam inducat. Sunt enim quædam cauſæ juſtæ. Una pro defenſione patriæ, cum ſcilicèt invaditur ab hoſtibus injuſtè, *extra de immu. Eccleſ. pervenit*. Alia eſt ſi Dominus vult ire in exercitum indictum ab Eccleſia, vel à Principe contrà Hæreticos, vel Paganos, nec de ſuo ſinè gravi damno expenſas facere poſſet. Tertia eſt, ſi Dominus in guerra, vel in bello juſto ex parte ejus ſit ab hoſtibus captus, nec de ſuo redemptionem ſinè gravi damno ſolvere poſſit. Quarta, ſi vult ad Principem ire pro privilegio ſpecialis protectionis pro ſe, & ſuis ſubditis obtinendo, nec poteſt de ſuo facere expenſas ſinè gravi damno. Pro his cauſis, & aliis ſimilibus emergentibus, Dominus à ſubditis auxilium petere poteſt, dùm tamèn ſemper moderatè, & non cum eorum gravamine, & cum charitate, non ex violentia petat, 10. *quæſt. 4. unic. circa medium, & extra de cenſ. cum Apoſtolus §. prohibemus*.

Secundùm Ray. ſecundùm etiàm Rod. cauſæ præter prædictas alicubì uſitatæ, & approbatæ ſunt: quandò Dominus filium militem facit, vel filiam nuptui tradit, vel fęudum ſuum relevat, vel novum comparat. Hujuſmodi enim reſpiciunt commodum ſubditorum, quià ex talibus Dominus fit potentior, vel ditior, ac per hoc parcere poteſt ſubditis pluſquàm antè; & ideò videtur, quod pro talibus poſſit accipere à ſubditis, ubi eſt conſuetum, vel conſtitutum, dùm tamèn accipiat moderatè ſecundùm Rod. Si autèm Dominus velit ad aleas ludere, vel ultrà vires ad vanitatem in veſtibus, hoſpitibus, & ſimilibus expendere, non debet propter hujuſmodi exigere. Quod ſi fecerit, tenetur reſtituere: & idem eſt, ſi captus in bello injuſto exigat totam redemptionem, vel partem, quam hoſtibus ſolvit, ſecundùm Ray.

Ric. verò 2. *diſ. 44. quæſt. 3. art. 1. c.* circà tallias, quas imponunt Domini de novo ſubditis ſuis, diſtinguit ſic; ſcilicèt, quod ſubditi, aut ſunt ſervi, aut liberi; Si ſervi Domini ſimplicitèr poſſunt eis de novo tallias imponere, etiamſi non

non vergant niſi in bonum dominorum ipſorum, & ſervi tenentur eis obedire, quià ſervus, & res ejus ſunt poſſeſſio Domini; Undè *philoſ.* 1. *polit.* dicit, quod ſervus eſt res poſſeſſa; & ideò ſi fugiant Dominum debent reſtitui ſibi, *extra de ſervis non ord. de ſervorum*. Si autèm ſint liberi, ità quod Dominus dominetur politicè, aut Dominus ille eſt Rex, vel Princeps, aut Dominus inferior. Si primo modo poteſt auctoritate ſua pro utilitate boni communis de novo tallias ſuis ſubditis imponere, compenſata ſubditorum facultate, & negocii, quod eſt pro bono communi qualitate, & quantitate, *ff. de pub. & vect. vectigalia*. Quod debet intelligi, niſi facultates ſufficiant Regi, vel Principi pro boni communis promotione, & defenſione; ſi autèm illæ talliæ in nullo ſint ad utilitatem boni communis; nec Rex, nec Princeps temporalis poteſt eas de novo imponere; & ſi eas imponit, ſubditi non tenentur obedire, quià poteſtatis ſuæ limites exit. Si autèm ſit inferior non poteſt de novo ſubditis tallias imponere, & ſi imponit, cum exeat limites poteſtatis ſuæ, ſubditi non tenentur obedire, maximè quandò ſinè conſenſu Regis, vel Principis imponuntur; & hoc eſt expreſſum, *extra de cenſi. innovamus*. Et ſi quis contrafecerit, & admonitus non deſtiterit, donèc ſatisfecerit, communione careat Chriſtiana, ut Ibid. dicitur, *& extra de ver. ſign. ſuper quibuſdam*, *c. nova vect. inſti. non poſſe l.* 2. 3. & 4.

Sed contrà ſuper illud *Matth.* 17. *ergò liberi ſunt filii*, *dicit Gloſſ.* quod liberi ſunt filii Regis in omni Regno, multò magis ſunt liberi filii illiùs Regis, ſub quo ſunt omnia Regna, ergò videtur, quod Chriſtiani &c. Reſpondeo filios Regni vocat Chriſtianos illos, qui reliquerunt omnia temporalia propter Chriſtum, tales enim non tenentur ad aliquas exactiones temporales.

Pro altera parte objicitur illud, 1. *Petri* 2. *ſervi eſtote ſubditi Domini, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiàm diſcolis*, ergò &c. Reſpondeo, aut loquitur de ſubditis ſervis; aut ſi loquitur de ſubditis liberis, intelligendum eſt, quod debent eis eſſe ſubditi in his, ad quæ poteſtas eorum ſe extendit, ſecundùm Ric. 2. *diſ.* 44. *quæſt.* 3. *art.* 1. *cap.* 2.

Sciendum etiàm ſecundum Ric. *ubi ſuprà c.* quod aliquandò talliæ, quæ de novo imponuntur ſunt directè ad utilitatem boni communis, putà, quandò fiunt pro defenſione fidei, vel Regni, vel pro refectione pontium, vel viarum, Quandoquè autèm indirectè, & non ità apertè, ut cum aliqua injuria infertur Regi extra ſuum regnum, putà, quià ab adverſariis detinetur captivus ejus frater, filius, vel propinquus, vel aliqua terra, quæ de novo eſt devoluta ad Regem, poſſidetur violentèr ab adverſariis de facto; & Rex imponit ſubditis tallias, per quas jus ſuum recuperare poſſit, tunc illæ redundant in bonum ſubditorum, quià cum Rex virilitèr impugnat adverſarios, terram ſibi de jure debitam eripiendo, vel fratrem ſuum, vel conſanguineum injuſtè detentum liberando, ex hoc ipſe magis honoratur, & ab adverſariis timetur, & per conſequens ejus ſubditi fideles gaudent, & ſua bona ſecuriùs poſſident, & in majori habentur honore, & ſunt in meliori conditione: undè in tali caſu, ſi ad hoc non ſufficiant facultates Regis, poteſt à ſubditis etiam liberis accipere auxilium moderatum, compenſata negotii qualitate, & utilitate, & ſubditorum facultate. Videtur tamèn, quod negotio expedito, ſi regis facultates abundantèr augeantur, & aliquæ communitates nimis notabilitèr ſint gravatæ, Rex eis ſubvenire debet ſecundùm exigentiam, & proportionem, ſicut ei ſubvenerunt in ſua neceſſitate; Cum enim caput ægrotat, ei membra alia ſubminiſtrant, & ſimilitèr è converſò caput aliis membris.

Sciendum etiàm, quod quià facultates regum ſunt eis datæ proptèr promotionem, & defenſionem communis utilitatis, ſi facultates regis ſufficiant pro defenſione regni, vel fidei, non debet etiàm in illo caſu ſubditos talliare. Non tamèn eſt dicendum facultates Regis ſufficere, quandò non poteſt regnum, vel fidem defendere, niſi ità ſe depauperet, quod nihil ſibi remaneat in theſauro, quo ſe juvare poſſet, ſi iterùm infrà breve tempus ab aliis adverſariis invaderetur, maximè ſi multos habeat inſidiatores: tali enim Regi neceſſarius eſt theſaurus pecuniæ, quià adverſarii ſcientes eum ſic eſſe munitum, magis timent eum, & ex conſequenti magis pacificè poſſidet regnum ſuum; licèt multò plùs valeret ſibi theſaurizare amorem ſubditorum, quàm argentum, & aurum. *Hæc Ric. quolibet.* 3. *quæſt.* 28. *c.*

Quid ergò de militibus illis, qui cum violentia faciunt in caſtris ſuis tallias ſemèl, & bis, & quotiès videtur eis nunc plùs, nunc minùs?

Reſpondet Hoſt. quod tales ſunt prædones, & raptores, & tenentur ad reſtitutionem; nec aliqua conſuetudo, ſivè abuſus excuſat eos: cum enim incerta ſit conſuetudo, quàm allegant, quià nunc plùs, nunc minus, non habet locum conſuetudo, maximè ſi cum violentia fiat *art. in auth. de jud.* §. *furtivæ quoquè res*.

Quid ſi fiat ſtatutum, quod detur aliquid certum?

Reſpondet Hoſt. quod valet, ſi fiat de communi conſenſu ipſorum ſubditorum.

Quid ſi detur alicui privilegium, quod non teneatur ad dandum collectam in illis caſibus, in quibus alii communitèr adſtringuntur?

Reſpondet Hoſt. quod non valet, etiàmſi conſentiant vicini, *c. de decur. vacuatis lib.* 10.

Quid de Dominis illis, qui utuntur tali conſuetudine in hominibus ſuis, qui de mobilibus eorum capiunt quantum, & quandò volunt, & cum ſuſpicantur eos velle tranſire ad alium locum, omninò ſpoliant eos?

Reſpondet Rod. quod ſi certum ſit, quod ab initio fuerit impoſitum onus tale terræ ſinè malitia, & fraude, videtur tolerare poſſe, quod in tan-

tantùm utantur hujuſmodi conſtitutione, quod non gravent ſubditos ultra modum, aut ſtantes, aut recedentes, & quod Domini non tenentur ad reſtitutionem talitèr acceptorum. Si autèm non ſit certum, aut ſi credatur, quod non fuerit ab initio legitimè inſtitutum, hujuſmodi ſpoliationes ipſo genere factæ ſunt malę, & facientes eas tenentur ad reſtitutionem. In hoc tamèn caſu, & ſimilibus, qui tolerantur ab Eccleſia pro eo quod poteſt eſſe ibi dubitatio aliqua de jure, vel facto, non eſt abſolutio ſimplicitèr deneganda, ſed eſt facienda tamèn cum quadam dubitatione ſic: Abſolvo te de hoc in quantum poſſum, ſed timeo, vel credo, quod non ſufficiat tibi ad ſalutem, niſi te alitèr habueris in hoc caſu. *Hæc Rod.*

Quid de illis, qui emunt præpoſituras ſæculares, ubi non ſunt redditus, ſed ſolæ exactiones, & munera, & ſervitia, quæ recipiunt hujuſmodi Præpoſiti? Numquid talia reſtituere tenentur? Et ſi coguntur à Dominis hujuſmodi officia exercere, numquid tenentur potiùs omnia ſua dimittere, quàm in hoc obedire? Et quid de Dominis qui vendunt hujuſmodi Præpoſituras?

Reſpondet Rod. quod ſi non poſſunt hujuſmodi officia exercere ſinè peccato mortali, debent potiùs omnia mala tolerare, quàm ea aſſumere: & peccant mortalitèr quoties accipiunt munera propter faciendam gratiam alicui in præjudicium alterius. Aut ſi minis, & terroribus aliquid extorqueant, aut ſi quoſdam gravent, ut alii timentes, eis ſerviant, ne talia patiantur; tenentur ad reſtitutionem omnium talium, ſi poſſint, nec ſunt alitèr abſolvendi. Domini verò, qui præpoſituras vendunt, aut alios ad emendum cogunt, gravitèr peccant, cum gratis eas committere deberent, ex quo non ſunt ibi juſti redditus, aut proventus; & tenentur ad intereſſe illis, qui per hujuſmodi præpoſituras ſunt talitèr ſpoliati: & hoc eſt verum de illis Præpoſitis, qui reddunt jura. De Bedellis, aut Minoribus, quorum officium eſt tantùm citare, vel exequi judicata, vel mandata majorum, tenendum eſt, quod dicitur infra de officialibus, *tit.* 38. *art.* 6.

Sed numquid Dominis licet accipere mutuum ab hujuſmodi officialibus, ut ipſi, dùm ſunt in officiis tantumdem accipiant à ſubditis?

Reſpondeo ſecundùm Thom. in quadam Epiſtola; Si tales hoc pacto mutuent, ut accipiant officium, tale pactum eſt uſurarium, undè tenentur reſignare officium talitèr acquiſitum; Si autèm detur eis gratis officium, & poſteà recipiatur ab eis mutuum, hoc ſinè peccato fieri poſſet.

Quid de hominibus alicujus militis, qui, cum haberent uſuarium in quodam nemore, dominus ſuus illud abſtulit eis? Numquid tenetur reſtituere? Si quis etiàm eis aliquid auferat, numquid ſufficit ſi ille ſatisfaciat Domino eorum, cum ille Dominus hac utatur conſuetudine, ſcilicèt, quod de bonis eorum accipit quantum, & quandò vult?

Reſpondet Rod. quod ſi ſint verè ſervi, totum hoc fieri poteſt, ſi autèm ſint ſervi de corpore, quales ſunt in Francia quidam ſervi Eccleſiarum, & quorumdam nobilium, Dominus hoc facere non poteſt, & multò magis hoc non poteſt, ſi non ſint aliàs ſervi, niſi intantùm, quod Dominus eorum poteſt de conſuetudine, quantum, & quando vult de bonis eorum capere; & in hujuſmodi reſtringi debet talis abuſus, potiùs quàm relaxari.

Quid de militibus. Numquid retinere poſſunt emendas, quas levant ſecundùm conſuetudinem ſuam, & aſſiſias terræ ab illis, inter quos judicant, & ab illis, qui in foreſtis ſuis defenſis delinquunt, cum pœna ſit multò major damno illato?

Reſpondeo ſecundùm Rod. tàm milites, quàm perſonæ Eccleſiaſticæ emendas, quas levant ſecundùm conſuetudinem legitimam, & judicium regis poſſunt retinere ſinè peccato, quandò ſubeſt cauſa, & ſervatur juris ordo; nec eſt corrupta intentio, ut ſcilicèt faciant hoc non propter avaritiam, ſed propter juſtitiam.

Nec obſtat, quod pęna ſit major damno, quià pęnæ hujuſmodi non tantùm propter intereſſe, ſed etiàm propter arcenda crimina ſunt ſtatutæ; ſunt tamèn temperandæ penſatis negociorum, & perſonarum circumſtantiis, quià culpa eſt proſequi totam culpam; undè non debent habenæ militibus relaxari; maximè in hac parte in conſilio animæ. Securiùs tamèn eſſet hujuſmodi pęnas in pios uſus convertere, in quantùm ſcilicèt excedunt damnum illatum.

ARTICULUS VI.

De Rapinis, & damnis, quæ fiunt in Guerris.

Sequitur videre de ſexto, ſcilicèt de rapinis, & de damnis, quæ fiunt in guerris. Et circà hoc quæruntur plura; ſcilicèt.

Quid de Dominis illis, qui guerras ad invicem habentes, utrique pauperes, & ruſticos alterius ſpoliant, capiunt, incarcerant, & cruciatibus vel redimere ſe cogunt, vel miſerabilitèr expirare? Reſpondet Ray. *tit. de rapto.* & *Hoſt. tit. de pe. & re.* quod miles habens juſtum bellum contrà alium militem licitè facit ſuum quicquid ab hoſte capit, vel ab auxiliatoribus ejus, ſivè à ſubditis ſuis, ſivè ab aliis, quouſquè ſecundùm conſcientiam ſit ei ſatisfactum de omni damno dato injuſto, & labore, & operis ſuis, & ſuorum hominum, vel donec ipſe hoſtis offerat jus, vel velit ſatisfacere ſibi, *diſ.* 1. *jus gentium* & 23. *quæſt.* 7. *ſi de rebus*. Subditos autèm illos, qui Deum plùs, quàm homines timentes nolunt Domino ſuo in bello illicito impendere auxilium, conſilium, vel favorem, nullatenùs debent in aliquo damnificare; pęna enim actores ſuos debet tenere, nec eſt ulteriùs protrahenda, quàm culpa, *extra de his, quæ fi. à ma. par. ca. quæſivit*, &

& 1. q. 3. cap. 1. & 1. q. 4. §. item pro peccato.

Quid ſi habens juſtum bellum fecerit incendia, vel effracturas, vel extirpaverit arbores, vel vineas in terra propria ſui adverſarii, vel hominum ejus. Numquid pro his tenebitur in aliquo?

Reſpondet Rod. quod de illis damnis non tenebitur, quæ bona fide intulit, aut à quibus abſtinere commodè non potuit, ſecundùm induſtriam, & conſuetudinem bona fide pugnantium; Si autèm animo craſſandi, & malitiosè ea intulit, cum aliàs poſſet commodè ſibi conſulere, tenebitur; & compenſabuntur illa damna cum damnis datis ſibi, & hominibus ſuis, uſque ad concurrentes quantitates; & de eo, quod ſuper exercuerit, tenebitur ſatisfacere illis, quos damnificavit.

Quid de eo, qui movit injuſtè bellum? Numquid tenebitur de omnibus damnis à ſe, vel ſuis illatis adverſario ſuo, & hominibus ejus?

Reſpondet Rod. quod ſic. Numquid etiàm talis tenebitur hominibus propriis de damnis illatis eis ab adverſario ſuo, & hominibus ejus, dùm ille adverſarius juſtè rebellat? Reſpondet Rod. quod ſic; niſi etiàm homines ejus mala fide juverint eum; tunc enim non habent contrà eum actionem, cum nullus ex culpa ſua cōſequi debeat actionem: Hoc eſt verū ſecundùm aliquos in foro contentioſo. Si tamèn juverint eum ad hoc inducti ejus conſilio, vel timore, vel coactione, vel quolibet alio modo, aliàs non facturi, tenetur eis ad reſtitutionem in foro pęnitentiali, quià, qui dat occaſionem damni, damnum dediſſe videtur. Nobilis autèm ille, qui juſtè pugnat ſecundùm Rod. non tenetur hominibus ſuis de damnis, quæ paſſi ſunt ab adverſariis, cum & ipſi, & ſe, & ſua pro Domino ſuo exponere teneantur. Non tenetur, inquàm, niſi fuerit in culpa eos negligentèr defendendo. De hac materia dicit *Innoc. extra de jurejur. ſuper c. ſicut, & infrà*; quod vocati ad juſtum bellum habent actionem mandati contrà vocantem, niſi ex debito teneantur, vel niſi ex cauſa pietatis, vel humanitatis, vel parentelæ faciant, *23. q. 3. non inferenda*. Vocati verò ad bellum injuſtum nunquàm habent contrà vocantem actionem mandati, vel aliam ad impendia, vel dāna contigentia occaſione dictæ vocationis, vel mandati, quià in re turpi non contrahitur obligatio, *ff. mandati, ſi mandavero tibi, §. qui ædem*.

Quid ſi duo nobiles componant ſuper guerra ſua. Numquid poſſunt componere, vel tranſigere ſuper damnis datis hominibus ſuis, nulla reſtitutione facta illis?

Reſpondet Rod. quod ſic; ſi fiat hoc de conſenſu damnificatorum, aliàs ille, qui bellum movit injuſtè, non poteſt per ſuam compoſitionem præjudicare hominibus ſuis, quin ipſe de proprio teneatur eis ſatisfacere de damnis ſuis, niſi, & ipſi paritèr cum eo fuerint in culpa, ut dictum eſt; In quo caſu, etſi non tenetur eis in aliquo in foro contentioſo, pro eo quod participarunt ei in crimine ſcientèr; in foro tamèn pęnitentiali, ſi hoc fecerunt ad ſuam perſuaſionem, alitèr non facturi, tenetur. Qui autèm habuit juſtum bellum, non debet cum adverſario componere cum præjudicio hominum ſuorum, ſed vel ipſe debet eis reddere damna ipſis illata, vel procurare, quod ab adverſario reddantur. Hoc tamèn intellige de illis damnis, quæ paſſi ſunt in incendiis, & rapinis rerum ſuarum.

De expenſis autèm, quas fecerunt ad exercitum veniendo, vel ibi morando, ſatis ſolent Domini componere, vel diſſimulare propria auctoritate. Quod etiàm de privatis damnis concedi poteſt, ſi ipſi Domini viderint ex cauſa probabili ea potiùs remittenda eſſe, quàm commodo pacis carere, & pericula bellorum incurrere. Et cum in hoc caſu Domini gerant utilitèr negotium ſubditorum, talitèr componendo, ſubditi debent ratum habere; ſed & ſi ab initio contradicant, nè compoſitio fiat, niſi refuſis ſibi damnis, ſi ex juſta cauſa domini viderint expedire, poſſunt à bellando deſiſtere, licèt fortè non poſſent damna illata quitare, quià ſicut penès Principes eſt auctoritas bellum movendi, ità & auctoritas deſiſtendi. *Hæc Rod.*

Prædictis concordat *Hoſt.* dicens, quod ſi inter duos milites, vel Principes fuerit guerra injuſta, & hinc indè damna multa illata, & poſteà pax inter eos ſit facta, & damna hinc indè data reremiſſa, non videtur hæc remiſſio ad homines utriuſque extendenda, niſi de conſenſu eorumdem ſit facta *art. C. de tranſactio. l. 1. & extra de mai. & obe. c. fin.* vel niſi forsàn alitèr pax haberi non poſſit. Ibi quidèm utilitèr pactis geritur negotium utriuſque partis; & ſic intelligi poteſt *ff. de pac. conventionum*; Alitèr non poſſum jus remittere hominis mei, cum nec poſſim ab eo tantumdem extorquere ſinè rapina.

ARTICVLVS VII.

De his, qui Raptores ſequuntur.

SEquitur videre de ſeptimo, ſcilicèt de illis, qui ſequuntur raptores ad prædam capiendam, vel ipſos majores ad rapiendum inducunt; & dicit Ray. quod ſequentes ſcientèr raptores, vel ignorantèr, poſteà tamèn ſcientèr eos ad rapiendum juvantes, & ipſos ad hoc quoquomodò inducentes, ſi ſciant, vel credant illos proptèr eorum ſequelam, ſivè corporale auxilium, vel inductionem ſuam feciſſe rapinam, alitèr non facturos, quilibet talis in ſolidum tenetur, idèſt de toto damno; Aliàs non tenentur, niſi de his, quę indè habuerunt, & de omni damno, quod ipſi, vel aliqui de familia ſua fecerunt directè, vel occaſionalitèr: *art. ad hanc diſtinctionem extra de ſen. & re judi. c. 1. & 2. & de æta. & qualita. tuam, & ſen. ex. intèr alia*. Hæc Ric. & convenit cum *eo Hoſtien. tit. de pe. & re.* & addit ibidèm, quod ſi credat, quod etiàm ſinè adjutorio ſuo, vel inſtigatione damnum feciſſent, non tamèn tantum, tenentur ad illud, quod probabilitèr credunt, eos plùs feciſſe propter ſuum auxilium, vel inſtigationem.

Quod autèm dixit de his, qui tenentur in ſoli-

ſolidum; intelligas etiàm de his, qui defendunt ipſos raptores in errore ſuo, & recipiunt eos in caſtris ſuis, ſcilicèt, quod tenentur in ſolidum quandò proptèr defenſionem, vel receptionem hujuſmodi impediuntur damnificati recuperare damna. Idèm etiàm intellige de illis, quorum nomine fit rapina, ſi ipſi prius quàm rapina fieret, eam fieri mandaverunt, vel quod nomine eorum geſtum eſt, poſteà ratum habuerunt, 2. *quæſt.* 3. *qui conſentit*, & *duobus*, *c. ſequent.* & *extra de reſti. cum ad ſedem*; *Hæc Ray.* & *idem dicit Hoſt.*

Quid ſi principalis, vel etiàm unus eorum, qui tenetur in ſolidum ſatisfecit de toto damno? Numquid cæteri liberantur quoad ipſum damnum, vel intereſſe?

Reſpondet Ray. quod liberantur; quià bona fides non patitur, ut idem bis exigatur, *ff. de re. jur. bona fides*. Et ſecundùm Rod. intereſſe comprehendit hìc & expenſas, & incommoda, quæ quis incurrit occaſione damni ſibi illati. Ille autèm cui ſatisfit, tenetur ſatisfacienti cedere actionem ſibi contrà alios competentem, quoad judicium animæ, non ut ab uno petat in ſolidum, ſed à ſingulis pro rata; excepto principali, ideſt, niſi is, qui ſatisfecit in ſolidum, eſſet principalis. Non tenetur autèm quoad judicium contentioſum, quià qua fronte poteſt petere ceſſionem, qui punitur ex contumacia ſua *ff. de admi. tuto. ſi plures* 2. *Hæc Ray.* Secundùm autèm Hoſt quod dicit Ray. de ceſſione facienda in judicio animæ, non videtur multum utile, cum ex ea agi non poſſit, niſi de voluntate confitentis publicetur; ſed nec ex hoc agi poterit in foro contentioſo ob legem prædictam. Sivè tamèn ſit facta ceſſio, ſivè non; alii, qui nihil ſolverunt, ad relevandum eum, qui ſatisfecit in ſolidum, ſunt pro ſuis partibus efficacitèr inducendi, quià ſolvens geſſit utilitèr eorum negotium; ergò tenentur id, quod fecit ratum habere, & ei ſatisfacere, *art. ff. de neg. geſſ. cum pecuniam*: & *l. Pomponius in fin.* & *l. ſe. hæc Hoſt.*

Nota ſecundùm *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 42. *art.* 6. *cap.* 3. ſi principalis in facto ſolvit, omnes alii, qui ſcilicèt fuerunt ab eo inducti ad damnum faciendum ſunt liberati. Si verò alius ſoluit, illi, qui ſunt principales in facto, & illi, ad quos res pervenit, illi reſtituere tenentur.

Nota etiàm ſecundùm *Innoc. extra de homic. ſicut dignum*, quod ſi ſpoliatus liberalitèr raptori dimitteret, tunc credo, conſiliarium eſſe liberatum, quià liberatus eſt ille, qui principalior tenebatur, & qui res habuit; ſed ſi conſiliarius eſſet abſolutus à ſpoliato, non crederem alios liberatos, ad quos res illæ pervenerunt, niſi eos expreſsè intenderit liberare, nec etiàm eum, qui rapinam fecit, ſi de rapina nihil habuerit, quià naturalitèr, & etiàm de jure divino conveniens eſt, quod ſublato principali tollatur acceſſorium, ſed non è converſò, *extra de conſt. translato*. Immò etiàm ſi liberalitèr liberaretur raptor principalis, non proptèr hoc liberaretur conſiliarius à reſtitutione, ſi quod pervenit ad eum de rapina, niſi aliùs pro eo ſatisfeciſſet; Nàm & in hoc caſu in animæ conſilio, dicendum eſt conſiliario, quod ſatisfaciat illi principali, qui pro eo ſatisfecit, non autèm offenſo, quià jàm ei eſt ſatisfactum; ſecùs autèm fieret in judicio. *Hæc Innoc.* Intelligendum autèm, quod uno ſatisfaciente cæteri non liberantur quoad pœnam, immò poteſt ab eis exigi pœna quadruplici, ſcilicèt in judicio, ut dictum eſt ſuprà de pœna raptoris. Et pœna unius non liberat alium, 12. *quæſt.* 2. *Cum devotiſſimam*.

Quid ſi plures fuerunt raptores quaſi pares, quià nullus alium induxit ad eundum, nec erat alter alterius dominus, ſed quilibet per ſe ivit?

Reſpondeo, Ray. diſtinguit, quià aut ſimul vadunt, aut non: ſi ſic; quilibet tenetur in ſolidum, & hoc intelligit Rod. cum unus ſinè aliis non auderet, vel non poſſet damnum inferre, *art. ad hoc*, *extra de homic. ſicut dignum*; Aliàs quilibet tenetur tantùm pro illa parte damni, quàm intulit. Si autèm non fuerunt ſimul, ſed quilibet faciebat ſeparatim per ſe damnum, non provocans alios ad damnificandum; quilibèt tenetur pro eo, quod fecit: vel fortè in utroque caſu tolerari poſſet, quod quilibet de his, quæ habuit, ſatisfaceret, & alios pro poſſe ad ſatisfaciendum induceret. Sed primùm dictum eſt tutiùs, ſecundum Ray. & Hoſt. Dicunt tamèn *Hoſt.* & *Innoc. ſuper. c. ſicut dignum*, quod in hoc æſtimatio eſt habenda, ut qui eſt magis ſtrenuus, & qui majorem incuſſit timorem, etiàm plùs hoſtibus teneatur. Volunt etiàm ibid. quod, cùm aliqui vadunt cum raptoribus, vel furibus, & non cooperantur eis ad aliquod damnum faciendum, non videntur in aliquo teneri, ſi nihil receperint de rebus ablatis. Caveant tamèn coſcientiæ, quià ſi parati erant eos contrà ſpoliandos defendere, & proptèr ſuam præſentiam, & ſociorum ſuorum non audebant damnificantibus eos reſiſtere, non poſſunt eſſe liberi à reſtitutione. Si etiàm aliqui vadunt cum eis, non animo obſſendi, vel defendendi, non excuſantur, niſi hoc notificent adverſariis, qui aliàs fortè res ſuas defendere non audent; Idem enim eſt, ac ſi juvarent. *Hoc ſecundùm Innoc.* & *Hoſt.* De hac materia vide infrà tit. de furtis.

ARTICULUS VIII.

De his, qui res raptas recipiunt.

SEquitur videre de octavo, ſcilicèt de illis, qui nec juvant, nec conſentiunt ad rapiendum, de raptis tamèn accipiunt; & quidèm tenentur reſtituere, ſed diverſis modis. Diſtinguit enim Ray. quod, qui dono accipiunt preciſè tenentur ad reſtitutionem, quod eſt verum ſecundum Hoſt. ſivè accipiant ſcientèr, ſivè ignorantèr, ſi veritatem poſteà percipiunt *ff. ſi cer. pe. ſi* & *me*, & *Titium*; Niſi forſàn hæc conſumpſiſſent antequàm veri-

veritatem intelligerent. *C. de rei vend. certum eſt*. Qui verò edunt, bibunt, vel in uſus neceſſarios expendunt, ut uxor, & cæteri de familia, tenentur de omnibus, quæ ſic expendunt, niſi in caſu, ſcilicèt, cum agunt cauſam ſpoliatorum, monendo, & inducendo pro poſſe raptorem ad reſtituendum; Tunc enim non tenentur, etiamſi reſtitutio non ſequatur: Non tenentur, inquam, de his, quæ expenderunt pro tempore, quo circà ejus emendationem laboraverunt; non enim credit Rod. quod uxor, & familia de rebus raptis vivere poſſint per totum annum propter unam admonitionem, vel propter duas; undè ſatis videtur, quod religioſi euntes ad raptores, ut inducant eos ad reſtituendum, excuſentur, ſi comedant apud eos, præcipuè ſi commodè invenire non poſſunt apud alios; probantur hæc *extra de accu. ex parte*; & eſt expreſſum *lib. 6. de ſen. ex. cum voluntate* §. *prædicatores*; & hoc intelligas cum moderamine, ſcilicèt, ſi probabilitèr habeatur ſpes de correctione ejus, & ſi etiàm propter expenſas eorum non ſubtrahatur raptori reſtituendi facultas in toto, vel magna parte *art. 2. quæſt. 6. anteriorum* §. *illud*.

Quid faciet uxor, vel familia raptoris, ſi non habetur ſpes de ejus correctione, vel videt virum ad inopiam vergere, & quaſi fieri non ſolvendo?

Reſpondeo ſecundùm Ray. diſtinguo, quod aut ibi ſunt aliqua juſta à non juſtis diſtincta; aut nihil eſt ibi, niſi de rapina; aut ſunt mixta. In primo caſu poteſt expendere de juſtis. In ſecundo caſu nullo modo comedat indè, ſed aliundè ſibi victum procuret, vel ab amicis, vel conſanguineis ſuis, vel laborando manibus propriis, vel alio modo honeſto. Diſtinguit verò in hoc caſu Rod. ſcilicèt, quod de ipſa re rapta eadem numero non licet aliquid expendere, niſi in caſu ultimæ neceſſitatis; de re verò empta de re rapta poterit comedere, etiàm ſinè caſu ultimæ neceſſitatis, cum propoſito reſtituendi; vel faciet ſecundùm quod dicetur in *ſeq. quæſt.* In tertio verò caſu idem dicendum eſt ſecundùm Ray. quod dictum eſt in ſecundo, ſcilicèt ſi ità ſint mixta, quod non poſſunt diſcerni, poterit licitè neceſſaria ſumere, ſi vir ſit ſolvendo, dùm tamèn habeat in mente vivere de licitè acquiſitis. Si autèm non eſt ſolvendo, idem dicendum eſt, quod dictum eſt in ſecundo caſu, ſcilicèt, quandò nihil eſt ibi, niſi de rapina.

Quid faciet uxor, vel familia, ſi nihil inveniet, niſi de rapina? Numquid morietur fame?

Reſpondeo, quod non; ſed ſecundùm quod notat Ray. ſubeſt ei triplex auxilium. Unum eſt, ut recuperet dotem, ſi poteſt; poteſt enim recuperari dos etiàm conſtante matrimonio, quandò vir ad inopiam vergit, *c. de ju. do. l. ubi adhuc matrimonio, in fine*. Secundum eſt, quod denunciet amicis ejus, vel Decano, vel Archydiacono, vel Epiſcopo, vel aliis, qui poſſint, vel velint prodeſſe, qui perſuadeant ei; vel etiàm ſi probari poteſt, compellant eum, ut paſcat eam de juſto 2. *quæſt. 1. Si peccaverit, & extra de jurejuquemadmodum*, vel tradat ei dotem, vel partem dotis, vel committat alicui perſonæ honeſtæ, quæ de honeſto lucro provideat ſibi, *extra de pig. & litteris, & de dona. propter nuptias, & de dote reſt. poſt di. per noſtras*. Tertium eſt, quod ſi eſſet adeò in arcto poſita, quod nec inveniret quid comederet, etiàm eleemoſynas; nec ulteriùs ſine periculo pati poſſet neceſſitatem famis, tunc poſſet etiàm de raptis rebus ipſis ſumere neceſſaria ſibi, quià neceſſitas non habet legem, *de con. di. 1. ſicut*. Quicquid tamèn ſic expenderit, doleat in animo, & proponat firmitèr reſtituere quamcitò poterit, quicquid indè expenderit. In omni tamèn caſu prædicto tenetur uxor viro reddere debitum, & è converſò, niſi ſubſit aliud impedimentum, *33. quæſt. 5. ſi dicat*.

Recolligendo ergò brevitèr prædicta, poteſt dici, quod de bonis uſurarii raptoris, & furis, etiàmſi nihil habeant de juſto, poteſt quis licitè percipere in pluribus caſibus. Et primò, ſi cauſam expoliatorum agat, ſcilicèt procurando fidelitèr, quod eis reſtitutio fiat. Secundò ſi recompenſet, putà ſi eis in licitis, & honeſtis ſerviat. Tertiò ſi ſe recompenſaturum proponat, & ſe habiturum facultatem ad hoc probabilitèr credat. Quartò ſi neceſſitas cogat, putà quià aliàs non poteſt commodè habere undè vivat, ut accidit pauperibus mendicantibus. Et hoc etiàm modo excuſari poſſunt filii, & filiæ exiſtentes in domo patrum, qui aliàs vivere non poſſunt, & ſimilitèr uxores. Quintò ſi eos tales eſſe neſciat.

ARTICULUS IX.

De res raptas Ementibus.

SEquitur videre de nono, ſcilicèt de illis, qui emunt de rebus raptis; Circà quod ſciendum, quod Ray. diſtinguit, quod, aut raptas eſſe ſciebant, vel probabilitèr credebant; aut de juſto eſſe putabant; aut nihil de hoc, ſcilicèt utrùm eſſent raptæ, vel non, cogitabant. In primis duobus caſibus ſubdiſtingue, quià, aut emit quis mala fide, ideſt cupiditate acquirendi ſibi, aut bona fide, voluntate reſtituendi domino rei. In primo caſu tenetur indiſtinctè reſtituere quicquid de illa poſteà fiat ab eo, vel ab alio; & eſt ratio, quia committit furtum contrahendo rem alienam invito domino, & fur ſemper eſt in mora; Undè nec prætium, quod dedit, ab eo, cujus eſt res, repetere poterit; nec expenſas, ſi quas ibi fecit. Tenetur etiàm reſtituere omnem utilitatem, quam ex illa re habuit. Non liberatur etiàm ſi reſtituat rem illam deteriorem, quàm ad eum pervenit; Et ſi aliquo tempore medio fuerit res melior, quàm fuerat tempore emptionis, vel etiàm, quàm fuerit tempore, quo poſtea vendidit eam alii, ejus, quod plurimi fuerit, æſtimatio facienda erit: *ff. de fur. quamvis res furtiva*. Hoc intellige, quandò

Digitized by Google

dò res non habetur, ſed ſi habetur, credo, quod ſufficiat, quod reſtituatur æquè bona ſicùt erat, quandò fuit ablata.

Et quod dictum eſt de primo emptore, intelligi debet de ſecundo, & omnibus aliis ſequentibus, qui cum mala fide rem illam emunt; ſcilicèt, quod ſemper tenentur reſtituere rem illam quocumque modo perierit, ſecundùm majorem æſtimationem totius temporis medii; Si tamèn raptor plenè reſtituit rei æſtimationem cum toto intereſſe, cęteri, qui emerunt, vel dono acceperunt, liberantur quantùm ad reſtitutionem faciendam domino rei. Credit tamèn Ray. quod quicquid indè ex lucro habuerunt, ſcilicèt antè reſtitutionem factam, ſivè totum, ſi res fuit ſibi gratis data; ſivè quod ſupereſt deducto prętio pro re illa dato, ſi fuit empta, debet cum conſilio Eccleſiæ in uſus pauperum erogari: ſed hoc facere, *ſecundum Hoſt. & Rod.* non eſt neceſſarium, ſed eſt conſilium; quià ille penès quem res illà eſt, jàm intelligitur eam ex voluntate Domini poſſidere, ſcilicèt ex quo ſibi ſatisfactum eſt plenè, *art. ff. de evic. ſi ſervus §. ult. & l. ſi mancipium § duplo*; Debet tamèn quilibet talis agere penitentiam de furto, quod commiſit, 14. *quæſt.* 5. *qui habetis*.

Sed numquid ſatisfaciens poterit ſibi conſulere de prætio ſoluto adverſus venditorem?

Reſpondet Ray. quod non, niſi quandò emit, expreſsè ſibi cautionem fecerit: Obſtat enim ejus turpitudo, 10. *quæſt.* 2. §. *hoc juſ. in fin.* Si verò emit quis rem raptam, vel furtivam bona fide, ſcilicèt, intentione reſtituendi Domino, poteſt ab eo repetere illud, quod pro ejus conſervatione expendit, niſi fortè cum re illa aliqua lucratus fuiſſet, de quibus illas expenſas recompenſare poſſet. Et brevitèr, quicquid adeſt ſibi ex illa re, ut penſio, merces, fructus, vel ſimile, tenetur reſtituere. Quicquid verò ſibi abeſt, ut prętium, & expenſæ moderatæ, poteſt repetere; vel cum eo, quod ex ipſa re ſibi advenit, uſque ad quantitatem concurrentem compenſare. Dicit etiam Hoſt. quod poteſt repetere omnia prædicta, etiamſi res ſinè ſua culpa pereat, vel perdatur; ratio eſt, quià geſſit negotium utilitèr Domini ſui. *Probantur hæc extra, de accu. ex parte. & lib. 6. de ſen. ex. cum voluntate §. Prędicatores.* Sed ſecundum Hoſt. licèt in judicio animæ ei de ſua conſcientia credatur; in judicio tamèn contentioſo ei non crederetur; niſi publicè hoc proteſtaretur, *c. de fur. l. 2. & extra de elect. quià proptèr §. fin.*

Sed quid ſi ille, qui bona fide emit, fecit perquiri diligentèr, cujus res eſſet, ut ipſam ei reſtitueret, & invenire non potuit?

Reſpondeo, quicquid res illa valet, ultrà illud, quod iſti emptori debetur, cum auctoritate Eccleſiæ in pias cauſas pro anima ejus, cujus res fuit, erogetur. Et conſulit Ray. quod hæc fiat publicè, ut omnis ſuſpicio evitetur, & ſic erit liberatus, quià etiam in hoc geſſit utilitèr negotium ejus *art. ad hoc* 12. *quæſt.* 2. *quatuor. circà fin.* Et dicit Hoſt. quod ſi pauper eſſet, poſſet à Prælato ſibi relinqui, ſicut alii pauperi. In aliis autèm caſibus, ſcilicèt ſi ſciebant, aut credebant eſſe de juſto, quod tenebant; vel fortè habebant animum indifferentem, ideſt ſuper hoc nil cogitantem, excuſantur, ſed diverſimodè: Nàm qui ſciebant, vel probabilitèr credebant eſſe de juſto, ſimplicitèr non tenentur in aliquo, ſed durante bona fide; qui verò temerè credebant, vel ignorantia craſſa, & ſupina, vel proptèr fatuam ſimplicitatem, vel ſuper hoc nihil cogitabant, reſtituere tenentur. Et dicit Rod. quod ignorantia dicitur craſſa, & ſupina per ſimilitudinem hominis craſſi, vel ſupini, qui non videt ea, quæ ſunt apud pedes ejus, vel propè.

Ad hanc autèm diverſitatem pleniùs diſcernendam, diſtingue ſecundùm Ray. cum Aug. quod raptor, aut erat Dominus, & tunc tenetur illud, quod dictum eſt ſuprà in quæſtione illa, ſcilicèt, quod de Dominis illis, qui gueram &c. aut erat ſubditus; & tunc diſtingue, quià ſubditus, qui movet bellum pro Domino ſibi mandante, aut ſcit bellum eſſe juſtum, aut injuſtum, aut dubitat. In primo caſu non tenetur reſtituere ea, quæ accepit ab hoſtibus, niſi ſecundùm edictum Domini; nec peccat, niſi corruptam intentionem habeat, ſcilicèt per cupiditatem, & odium, vel ſimilia. In ſecundo verò caſu, ſcilicèt, dùm ſcit, vel probabilitèr credit bellum eſſe injuſtum, tenetur, quià tenetur plus timere Deum, quam hominem. In tertio non tenetur, quià excuſatur propter bonum obedientiæ, licèt fortè peccet Domino contrà Deum malè præcipiendo, 22. *quæſt.* 1. *quid culpatur*. Undè ſecundùm Rod. ſi Vaſſallus Ducis, vel Comitis ab eo vocetur ad movendum bellum contrà quem non licet auctoritate propria movere bellum, excuſatur, ſi dubitet, utrùm Dominus ſuper hoc auctoritatem habeat à Rege. Et ſic de aliis cauſis, ex quibus bellum eſt juſtum, vel injuſtum. Secundùm enim Hoſt. talis excuſatur propter bonum obedientiæ, ſi inquiſivit quantum potuit, & peritiores conſuluit, & ſempèr dubius remanſit; Alioquin affectator ignorantiæ, ſicut nec expers ſcientiæ puniretur, *extra de cland. deſpon. cum inhibitio. §. ſi quis verò*; Nec excuſatur timore perdendi fœudum, vel incurrendi aliquod temporalem damnum 22. *quæſt.* 5. *ita ne*, licèt metus culpam attenuet quoad pœnitentiam iniungendam circà orationes, & jejunia *extra, quod metus cau. ſacris*; Et cum auctoritas juris, vel judicium requiretur ad hoc, quod bellum ſit juſtum, dici poteſt, quod ubi habetur auctoritas judicis, ſi judex erraverit, ad pugnantis tamen conſcientiam ſufficit. Et in hoc caſu poteſt habere locum dicta diſtinctio in foro pœnitentiali; Secùs eſt in contentioſo, ubi error detegeretur tempore ſuo. *Hæc Hoſt.*

Sed numquid ſic excuſantur amici, vel cognati bellantes, qui non ſunt ejus ſubditi, & Mi-

Milites extranei ſtipendiarii, ſi credant bellum eſſe juſtum?

Reſpondeo ſecundùm Rod. non excuſat eos bonum obedientiæ, ſicut ſubditos; nec committere ſe debent diſcrimini, ut juvent aliquem in prajudicium alterius, 14. *quæſt.* 6. *denique*; Sic ergò procede circà emptorem ſecundùm Ray. quod ſcilicèt, ſi ſcit venditorem juſtè, & ex juſto bello habuiſſe, licitè poteſt emere, nec tenetur reſtituere. Qui verò de juſto bello eſſe neſciebat, ſed probabilitèr credebat, quià omnes ejus vicini, vel major pars, vel ad minus ſapientes ità credebant, non tenetur hac bona fide durante; Sed ſi poſteà ſciat rem de rapina fuiſſe, debet reſtituere, ſcilicèt, & rem, & fructus ejus extantes. De conſumptis enim bona fide non tenetur; etſi de ſententia judicis reſtituit, prætium à venditore etiàm invito ſi vult, repetere poterit, 12. *quæſt.* 2. *vulterana*. Si verò ſimplicitèr, ſcilicèt ſinè auctoritate judicis, venditor ſibi tenetur in foro pœnitentiali ad intereſſe, ſed ad hoc judicio contentioſo non poterit cogi, *ff. de evic. ſi rem*, *& extra de emp. & ven. ſi venditor*. Qui verò emerunt de rapina ignorantèr ignorantia juris, quæ in tali caſu non excuſat, vel etiam ignorantia facti craſſa, & ſupina, quià ſcilicèt omnes vicinos, vel pro majori parte, vel etiàm pauciores, ſed ſapientiores audierunt, dicentes: bellum illud eſſe injuſtum, & contra Deum, vel fortè, quià Eccleſia prohibebat, vel excommunicabat publicè auctores, & principes, vel participes ipſius belli, tenentur ad reſtitutionem, 12. *quæſt.* 2. *qui & humanis*, *& extra de ord. ab Epiſcopo requiſivit*.

ARTICULUS X.

De his, qui in Eccleſiis aliquid rapiunt, vel ipſas Eccleſias lædunt.

SEquitur videre de decimo, ſcilicèt de his, qui in Eccleſiis aliquid rapiunt, vel ipſas Eccleſias lædunt.

Quæritur ergò primò. Quid de illis, qui rapiunt in Eccleſiis, aut de bonis Clericorum, aut Eccleſiarum, quæ ſunt in terra ejus, contrà quem juſtè geritur bellum: Numquid raptores talia reſtituere tenentur?

Reſpondet Rod. quod ſic, niſi fecerint hoc auctoritate Prælati Eccleſiaſtici.

Quid de illis, qui confugiunt ad Eccleſias imminentibus hoſtibus, & ibi capiuntur ab eis? Numquid eos ibi capientes debent ipſos dimittere liberos?

Reſpondet Rod. quod ſic, niſi Eccleſiam incaſtellaverint, aut indè hoſtes impugnaverint; Tunc enim, cum violent immunitatem Eccleſię, non debent gaudere immunitate Eccleſiæ. Idem etiàm credit, ſi ibi reponant victualia ſua, de quibus in impugnatione hoſtium ſubſtentantur, ſcilicèt, quod ſi rapiantur ab adverſariis juſtè bellantibus, reſtituere non tenentur; Et fortè etiàm rapiendo non peccant.

Quid de illis, qui incendunt Eccleſias in bello juſto? Numquid tenentur de damno dato?

Reſpondet Rod. quod ſi non ſint incaſtellatæ, & hoc ex propoſito fiat, tenentur; ſi autèm ſint incaſtellatæ, aut ſi non ex propoſito, ſed à caſu incendantur, dùm ſcilicèt illi juſtè bellantes operam rei licitæ præſtant, quià ſcilicèt hoſtium machinas, villam, & caſtrum incendunt, quod aliàs expugnare commodè non poſſunt, non tenentur.

ARTICULUS XI.

De his, quæ pertinent ad reſtitutionem raptorum.

SEquitur videre de undecimo, ſcilicèt de aliquibus pertinentibus ad reſtitutionem raptorum; & quæruntur plura, ſcilicèt.

Quid ſi hujuſmodi perſonæ, ſcilicèt, quæ reſtituere tenentur, reſtituendo rem, vel ejus emendationem, adeò pauperes remaneant, quod fortè cum filiis, & familia non habeant aliquid undè vivant?

Reſpondet Ray. quod ſi poteſt ſcire eum, vel ejus ſucceſſores, cujus res fuit, oſtendat ei reſtituendi voluntatem, & ſuam neceſſitatem, & poteſt petere quitationem, vel dilationem. Et ſi iſti benè contrito, vel veracitèr volenti etiàm modicum illud, quod habet, reſtituere, niſi alitèr poſſit animæ ſuæ conſulere, ſpoliatus totum, vel partem remiſerit, liberatus erit. Si autèm quitationem, vel dilationem non poſſit impetrare, debet totum ſuum poſſe facere, vendendo ſcilicèt omnia bona ſua, etiàmſi oporteat eum, & ejus familiam mendicare, ut dicit Rod. Si verò non poſſit ſcire, debet in pias cauſas illud cum conſilio Eccleſiæ erogare; & poteſt ei dilatio dari, & pars, vel totum remitti, ſi expediat ad neceſſariam ejus ſubſtentationem ſicut alterius pauperis, ſecundùm Ray. & Rod. De hoc etiàm vide *infrà lib. 3. tit. de uſura art. 8. de reſtit. uſurarum q. quid ſi is.*

Quid de illis, qui ſi vellent ſuperfluas expenſas dimittere, poſſent rapta reſtituere? Quid etiàm de illis, qui omnia bona ſua reſignant in manu pęnitentiarii, promittentes, quod tantùm facient damnificatis, quod erunt contenti, putantes hoc de modico ſe facere poſſe, quià illi ſe credunt totum amiſiſſe? Quid etiàm de illis, qui non reſignarent in manu pęnitentiarii, niſi crederent eis totum, vel partem dari, quandò neſciunt, cui debet reſtitui? Numquid tales ſunt in ſtatu ſalutis?

Reſpondeo Rod. quod non; oportet enim, quod fide bona, & ſine fraude raptor faciat quicquid poteſt, ut damnificatis, ſi novit eos, ſatisfaciat, & ſi non novit, pauperibus tribuat: alitèr abſolui non debet à pęnitentiario, ſi conſtet ſibi de ejus impęnitentia, vel intentione prava. Non eſt tamèn neceſſe ſecundùm Rod. quod fiat hujuſmodi

modi reſignatio in manu pœnitentiarii; dummodò ſit paratus hoc facere ad arbitrium ejus, vel alterius boni viri. Sed & de hoc vide *infrà lib. 3. tit. de uſura in 7. art. quæſt. Cujus auctoritate malè ablata &c.*

Ad hoc nota, quod *Ricard. 4. diſt. 15. quæſt. 5. art. 3. cap. 5. & Sco. 4. diſt. 15. quæſt. 2. cap. 6.* Sic diſtinguunt de illo, qui damnum intulit, & nihil habet prætèr neceſſaria ſibi, ſcilicèt, quod talis, aut habet aliquid ultrà neceſſaria ad ſubſtentationem naturæ, licèt ſit ei neceſſarium ad victum, vel decentiam ſui ſtatus, & perſonæ; aut non; ſi ſic tenetur reſtituere; non enim licet alicui vivere de aliena re cum honore ſæculari. Nec etiàm valet tantum ſtatus ſolemnis alicujus perſonæ quantumcumque neceſſariæ reipublicæ, quem teneret per non reſtitutionem, quantùm valet juſtitia, & fidelitas ejus, & juſtitia communis per reſtitutionem. Si autèm non habeat ultrà neceſſaria ſubſtentationi naturæ; tunc damnificatus, vel non indiget ad ſubſtentationem naturæ re ſibi ablata, vel indiget. Si non indiget non tenetur ei reſtituere, quià neceſſitas facit omnia communia, *ff. ad l. rodiam. l. ſi laborantem nave §. cum in eadem in tex. & Gloſſ.* Si autèm indiget, tunc, aut prius factus eſt indigens illa re ad ſubſtentationem naturæ ille, qui abſtulit; aut priùs ille, cui eſt ablata; aut uterque eodem tempore. Si primo modo non tenetur reſtituere, quià à tempore, quo res illa facta eſt ſibi neceſſaria ſubſtentationi naturæ, jus fuit ei acquiſitum in re illa, cum tunc damnificato non eſſet neceſſaria. Secundo autèm, & tertio modo poteſt dici ſinè præjudicio, quod tenetur reſtituere, quià res illa ſemper fuit damnificati de jure.

Quid ſi in primo caſu detentor veniat poſt extremam neceſſitatem ad fortunam pinguiorem? Numquid tunc reſtituere tenetur?

Reſpondet *Scotus ubi ſupra*, quod ſic; quià obligatio illa ad reſtitutionem rei ablatæ, vel equivalentis procedit à prima occupatione illius rei, quæ fuit injuſta antè neceſſitatem extremam; & ideò illa obligatio per neceſſitatem extremam non eſt extincta, ſed tantùm ſopita. Si verò nunquàm occupaſſet rem illam antè neceſſitatem extremam, tunc ſimplicitèr juſtè occupaſſet eam, tanquàm rem ſuam, nec teneretur ad reſtitutionem aliquam.

Quid ſi periculum imminet ſpoliato, & ille qui tenetur, induci non poteſt ad ſatisfaciendum ſtatim, nec ſpoliatus ad dandum aliquam dilationem?

Reſpondet Hoſt. quod Presbyter diſcretus informare poteſt conſcientiam ſuam, ex eo quod intendit utilitèr gerere negotia creditoris, ut ſi videt, quod non poteſt alitèr in perpetuum recuperare, vel non ità commodè; poteſt recepta ſufficienti cautione dilationem concedere, & ſub hac conditione, ſcilicèt, ſi hoc fecerit, peccatorem abſolvere; ut ſic & creditor, quod ei debetur, recuperet, & peccator non deſperet, *art. ff. de ſolu. ſolvere.*

TITVLVS XXXIII.

De Furto propriè ſumpto.

Deindè conſiderandum eſt de furto propriè ſumpto; & primò quid eſt, & undè dicatur. Secundò de ſpecibus, ſivè differentiis ejus. Tertiò utrùm ſit, & quale ſit peccatum furti. Quartò de ejus pœna. Quintò de ejus reſtitutione. Hinc ſit.

ARTICVLVS I.

Quid ſit furtum propriè dictum, & undè dicatur.

Quantùm ad primum ſciendum, quod furtum propriè ſumptum, *eſt fraudulosa alienæ rei contrectatio invito domino, quæ ſit animo lucrandi, ſcilicèt gratia rei, vel poſſeſſionis ejus, vel uſus, ff. e. l. 1.*

Benè autèm dicitur *contrectatio*, quià ſinè ea non eſt propriè furtum, licèt interveniat voluntas, verbum, vel ſcriptura, ut *ff. e. l. 1.* undè ſi quis concupiſcat illicitè rem alienam ſinè contrectatione, facit contrà aliud præceptum, ſcilicèt, *non concupiſces &c. Fraudulosa* verò additur, quià ſi quis credebat rem ſuam eſſe, ac per hoc licere ſibi eam ſurripere, non committit furtum. *Inſt. vi. bono. rap. §. quià tamèn, & §. ſe. Invito Domino* ideò apponitur, quià ſi credit Dominum permiſſurum, & juſta cauſa ſubſit hoc credendi, non tenetur reus furti, etiàm ſi dominus non erat permiſſurus; Si autèm juſta cauſa non ſubſit hoc credendi, tenetur *ff. eo. ſi is, qui rem*; ſi verò facere credebat invito Domino, & tamèn Dominus velit, furtum facit quantùm ad intentionem, mortaliterquè peccat, non tamèn tenetur ad reſtitutionem, nec Dominus petere poteſt obſtante ſibi ejus voluntate. *ff. e. inter omnes §. penul. Rei alienæ* ideò adjungitur, quià non committitur furtum in re pleniſſimè propria; pleniſſimè dixi, quià ſi alius haberet jus in illa re, ut ſocius, vel creditor, vel alius ſimilis, etiàm Dominus rem illam furtivè ſurripiens alicui tali furtum faceret, & teneretur actione furti, ſed res non eſſet furtiua *ff. e. ſi res §. 1. & l. ſi is, qui rem, & l. ſi ſocius. Animo lucrandi* ponitur ibi, quià ſi quis alicujus ancillam meretricem rapuerit, vel celaverit, non lucri, ſed libidinis cauſa, non facit furtum, licèt aliàs gravitèr peccet *ff. eo. verum. Gratia rei, vel poſſeſſionis ejus, vel uſus* ponuntur ibi, quià non ſolùm committit furtum, qui lucrifacere vult ſic furtivæ rei dominium, ſed etiàm qui rei poſſeſſionem, vel uſum, *diſt. 50. l. qui ſacrum, & ff. eo. qui jumenta.* Dicitur autèm furtum à furno, ideſt nigro, vel obſcuro; eo quià clàm, vel obſcurè, & plerumquè de nocte fiat *ff. e. l. 1.* Poteſt etiàm dici à furno, in quo fur plerumquè latet.

Ex præmiſſis patet, quod qui accipit equum, vel rem aliam commodatam uſque ad locum certum, ſi cum illa re ultrà locum certum procedat, furtum committit, niſi in caſu poſito ſuprà in verſu illo, ſcilicèt, *invito Domino &c.*

Sed quid ſi aliquis rem ſibi conceſſam ad utendum, alii commodaverit; numquid committit furtum? Utiquè; quià non eſt ſibi conceſſa ad uſum iſtum. Præterea videtur hoc facere gratia ſui lucri. Species enim eſt lucri, ex alieno beneficio ſibi debitorem acquirere. Similitèr & creditor furtum committit, ſi utatur pignore ſibi obligato *ff. e. ſi pignore. in principio*. Et brevitèr in omni contrectatione rei alienæ contrà domini voluntatem committitur furtum: Undè circà hoc inhereas verbis deffinitionis.

ARTICVLVS II.

De ſpeciebus, ſivè differentiis Furti.

Circà ſecundum Articulum ſciendum, quod furtorum, aliud eſt manifeſtum, ut illud, cum quo fur deprehenditur antequàm ad locum veniat deſtinatum: intelligitur autèm locus deſtinatus ille, in quo eodem die diſponebat manere. Aliud eſt non manifeſtum, ut illud, cum quo fur non deprehenditur, *ff. e. l. 2. & 3.* Itèm furtorũ, quædam retinent nomen generale; quædam verò habent, ratione materiæ ſpecialis, nomen ſpeciale. Et horum eſt quadruplex differentia, quià furtũ rei ſacræ, dicitur ſacrilegium; furtum Reipublicæ, dicitur peculatus, *23. quæſt. 3. quid igitur, & ff. ad leg. jul. peculis l. 1.* Furtum ex grege, dicitur abigeatus *ff. de abigeis* §. 1. Furtum hominis, dicitur plagium, ut cum quis hominem liberum vendit, vel emit, donat, vel accipit, vel permutat, *ff. ad l. flaviam de plag. l. 1.* & idem ſi alienum ſervum, vel ancillam ſollicitaverit, vel exportaverit, ideſt, furtivè ad aliam regionem *e. e. l. 1.*

ARTICVLVS III.

Utrùm furtum ſit peccatum, & quale &c.

Circà tertium Articulum quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm furtum ſempèr ſit peccatum?

II. Utrùm furtum ſit peccatum mortale?

III. Utrùm alicui liceàt furari proptèr neceſſitatem.

Circà primùm Reſpondeo, quod ſic; Undè *exod. 20. Non furtùm facies*. Habet autèm furtum rationem peccati propter duo. Primò ratione contrarietatis ad juſtitiam, quæ reddit unicuique quod ſuum eſt; Opponitur enim juſtitiæ inquantùm eſt acceptio rei alienæ. Secundò ratione doli, quem fur committit occultè rem alienam uſurpando; Undè patet, quod omne furtum eſt peccatum. Sciendum tamèn, quod accipere aliena auctoritate judicis hoc decernentis non eſt furtum, quià jàm ſit ibi debitum per hoc, quod eſt ſibi ſententialitèr adjudicatum: Undè multominùs fuit furtum, quandò filii Iſrael tulerunt ſpolia Ægyptiorum ad Domini juſſum, pro eo quod Ægyptii eos affligebant ſine cauſa; ideò ſignantèr dicitur *Sap. 10. juſti tulerunt ſpolia impiorum*.

Circà ſecundùm reſpondeo, quod ſic; cum ſit contrarium charitati, ſecundùm quàm eſt vita ſpiritualis. Ad charitatem enim pertinet, ut proximo velimus, & operemur bonum; per furtum autèm infertur ei in rebus damnum: Undè *Zacca. 5. omnis fur judicabitur*; Nullus autèm condemnatur ſecundùm Dei judicium, niſi pro mortali peccato. Nota tamèn, quod accipiens furtivè minima, ut unam acum, vel pennam præſumere poteſt hoc non eſſe contrà Dei voluntatem, & pro tanto poteſt excuſari à mortali peccato. Si tamèn habeat animum furandi, & inferendi proximo nocumentum, etiàm in hujuſmodi poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut etiàm in ſolo cogitatu per conſenſum. *Hæc Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. & 6.* Non enim quod furto ſublatum eſt, ſed mens furantis attenditur, *14. quæſt. 6. cap. ult.*

Circà tertiùm reſpondeo, ea, quæ ſunt juris humani derógare non poſſunt juri naturali, vel divino. Secundùm autèm ordinem naturalem ex Dei providentia inſtitutum res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc, ut ex eis ſubveniatur hominum neceſſitati; & ideò propter rerum diviſionem, & appropriationem ex humano jure procedentem non impeditur, quin ex eis ſit hominum neceſſitati ſubveniendum; & ideò res, quas ſuperabundantèr habent aliqui, debentur pauperum ſuſtentationi; undè *Ambr. & habetur diſ. 47. ſicut hi, qui per inſam. Eſurientium panis eſt quèm detines; nudorum indumentum eſt, quod recludis; miſerorum redemptio, & abſolutio eſt pecunia, quam in terra etiàm fodis*. Sed quià multi neceſſitatem patiuntur, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubveniri, committitur arbitrio uniuſcujuſque diſpenſatio rerum ſuarum, ut ex eis neceſſitatem patientibus ſubveniat. Si tamèn adeò ſit urgens, & evidens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitate de rebus occurentibus ſubveniendum eſſe, putà, cum imminet periculum perſonæ, nec alitèr ſubveniri poteſt, tunc licet ex rebus alienis, ſivè manifeſtè, ſivè occultè ſublatis ſuæ neceſſitati ſubvenire. Nec hoc habet proprie rationem furti, vel rapinæ: Tùm quià illud naturale jus, & divinum exigit, ut dictum eſt; Tùm quià neceſſitas omnia communia facit, *art. diſt. 42. §. 1. & 22 quæſt. 1. dilectiſſimus*; Tùm quià Dominus rei tunc ei ſubvenire teneretur, ſi præſens eſſet, *diſt. 86. paſce*: Undè talis licitè potuit, & debuit credere Dominum permiſſurum, & ità non commiſit furtum; Tùm quià neceſſitas legem non habet, *de conſe. diſ. 1. ſicut*. Si autèm ſit neceſſitas, ſed non tanta, peccat,

eat, ſed peccatum neceſſitas attenuat; & in tali caſu loquitur *extra de fur. ſi quis. Si quis*, inquit, *per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit veſtem, vel pecus, pęniteat hebdomadas tres*.

Quid ſi quis rem uſurario, vel avaro furetur, vel rapiat, ut indè eleemoſynam faciat?

Reſpondeo ſecundùm Ray. talis furtum, vel rapinam committit, quià non ſunt facienda mala, ut eveniant quæcumque bona, 30. *quæſt.* 1. *noſſe*, *&* 32. *quæſt.* 4. *ſicut non ſunt*. Sed videtur, quod ille non faciat furtum, quià non facit hoc animo lucrandi: ſed non eſt ità; quià ſpecies lucri eſt ex alieno largiri, ut habitum eſt *ſuprà art. primo*. In caſu tamèn, in quo periculum imminet perſonæ, nec poteſt alicui ſubveniri, poteſt etiàm aliquis ſecundùm Tho. occultè rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti.

Quid ſi quis furetur, ut reſtituat Domino, & hoc faciat?

Reſpondeo ſecundùm Hoſt. talis videtur excuſatus *art. ff de poſſ. bona fides*; nàm etiam utilitèr gerit negotium furis, ergò cogitur ratum habere, *ff. de neg. geſ. ſed an ultrò* §. 1.

Numquid peccat, qui rem ſuam apud alium depoſitam, vel injuſtè detentam, accipit furtivè? Reſpondeo ſecundùm Thom. in ſumma, quæſt. de furto, quod primus peccat, quià depoſitarium gravat, quià tenetur reſtituere, & innoxium ſe oſtendere; Undè ſic accipiens tenetur eum indemnem ſervare. Secundus verò peccat contrà communem juſtitiam, dùm uſurpat ſibi rei ſuæ judicium juris ordine prætermiſſo, & ideò tenetur domino ſatisfacere, & operam dare, ut ſedetur ſcandalum proximorum, ſi tamèn ortum ſit, non autèm tenetur aliquid reſtituere, quià non gravat detentorem.

Quid ſi aliquis Chriſtianos furetur captivos à paganis detentos, ut libertati reſtituat eos?

Reſpondeo, credit Ray. quod talis non tenetur hominem talem reſtituere, & maximè, ſi Pagani circumciderant eum in contemptum fidei Chriſtianæ. Dixit enim Dominus ad *Joſue* 8. *pone inſidias urbi poſt eam*. 23. *q.* 2. *Dominus Deus*. *Quod conſtitueret ſibi Dominus retrorsũ inſidias, ideſt bellatores inſidiantes hoſtibus; ut dicit Aug. cum quis movet bellum juſtum; utrùm apertè, an ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt; & Greg. contrà hoſtes fidei, non tantùm à parte, ſed etiàm à dorſo laborandum eſt*, 23. *quæſt.* 8. *ut pridem*. Prætereà quid intendit ille, niſi animam liberare à peccato idolatriæ, & occaſionem peccandi infideli ſubtrahere? ergò operatur ſalutem animæ utriuſque. Neutra ergò juſtitia habet quærelam.

Sed videtur obviare dictum Aug. ſcilicèt, quod *fides etiàm hoſti ſervanda eſt* 23. *quæſt.* 1. *noli*. Ad quod reſpondet Ray. quod illud eſt verum, quandò fides eſt hoſti promiſſa, ſcilicèt tempore treugæ; & ſic videtur velle, quod Chriſtiani poſſunt furari Chriſtianos detentos à Paganis tempore guerræ, non autèm tempore treugæ.

Quid ſi quis furetur tempore treugæ?

Reſpondet Ray. quod ſi Paganus illum ceperat, & detinebat, quià ſibi damnum intulerat, & quià fidem ſibi fregerat; ille, qui furatus eſt eum, ſibi tenetur reſtituere, non hominem proptèr animæ periculum, ſed damnum ab illo ſibi illatum; vel pro intereſſe probabilitèr æſtimato, moderatum redemptionis prætium. Et hoc ſi non compulit captivum illum ad circumciſionem, vel idolatriam, vel ad aliud mortale peccatum; ſi enim ad aliquod tale ipſum compuliſſet, furans eum pęnitùs liberatus eſſet *art. diſt.* 54. *nulla*; Quantum autèm ad hominem, quem furatus fuit nullo modo peccavit, ſi rectam intentionem habuit; immò potiùs meruit, dummodò aliàs ſatisfaciat, ut dictum eſt priùs.

Sed quid ſi Pagani in bello ceperint Chriſtianos? Numquid tempore treugæ poſteà factæ licebit eos furari?

Reſpondet Ray. quod ſi treuga ità generalitèr ſit facta, ut non liceat alterutris invicem aliquid auferre, vel ſurripere, nec violentèr, nec alio modo, non licebit eos furari. Si autèm fuerit conventio facta tantùm de violentia non inferenda, licitè Chriſtiani poſſunt furari non tantùm hujuſmodi captivos, ſed etiàm caſtra, quæ de terra Chriſtianorum occupaverunt, latentèr intrando, & ſinè violentia occupando; nec ſuper his ad reſtitutionem aliquam tenebuntur.

Sed quid ſi Pagani redeant ad recuperandum hujuſmodi caſtra, & violentèr repellantur? Numquid erit fracta treuga?

Reſpondet Rod. quod non; quià quandò conventio fuit facta de violentia non inferenda, & non fuerunt fraudes, & furta excluſa, fuit intelligendum de violentia non inferenda in ingreſſu poſſeſſionis; non autèm de illa, quæ fit pro re jàm obtenta defendenda, niſi & de illa expreſſa mentio ſit facta.

Quid ſi Chriſtianus captivus furetur aliquid Sarraceno, qui detinet eum?

Reſpondeo ſecundùm Ray. *tit. de furtis*, *& Hoſt. tit. de pe. & re.* Si fuit captus tempore treugæ, quià eam frangebat, & ſic fuit in culpa, & non imminebat neceſſitas famis, tenetur ad reſtitutionem; ſi autèm injuſtè detinebatur, vel tempore belli captus fuerat, vel neceſſitas famis imminebat, cum talem Sarracenus paſcere teneatur, ad reſtitutionem non tenetur: & dicit Rod. quod tunc ſit compenſatio rei ſic ſurreptæ cum injuria detentionis illiùs Chriſtiani injuſtè. Prætereà, cum hujuſmodi Sarracenus ſit hoſtis, non refert, quo noceatur eidem, *art. c. de commer. & merc. l.* 2.

ARTICULUS IV.

De pęna Furti.

CIrcà quartùm Articulum, qui eſt de pęna furti, ſciendum, quod *ſecundùm l.* hæc eſt

eſt varia, ſecundùm quod agitur variè de ipſo; quandoquè enim agitur criminalitèr, ideſt ad corporis pœnam; quandoquè civilitèr, ideſt ad pęnam pecuniariam. In primo caſu non poteſt fur ſupendi, vel demembrari, vel exoculari, ſed alitèr caſtigari, putà, per fuſtigationem, vel exilium, vel alio modo, prout videbitur judici; quod eſt verum de furo ſimplici. Si autèm ſit pluſquàm fur, putà, quià aggreditur violentèr cum armis, vel ſine armis, in domo, vel in itinere, vel in mari, ſubjicietur legalibus pęnis, *ut in aut. ut nulli judic.* §. *ult. coll.* 9. Sunt autèm pœnæ illę, ſcilicèt, quod fures capite puniantur, vel ſuſpendantur, ſi ſæpiùs hujuſmodi commiſerunt, & famoſi ſint: Cęteri autèm in metallum damnantur, vel etiàm in inſulam relegantur, *ut ff. de pęnis l. capitalium* §. *craſſatores*, & §. *famoſos*. Dicit autèm Rod. quod licèt fur ſecundùm jura ſcripta non ſit ſuſpendendus, contrarium tamèn in multis locis de conſuetudine ſervatur; & poteſt addi, quod hæc conſuetudo eſt ſatis rationabilis; tùm proptèr conſervationem communis pacis, & quietis; tùm proptèr incorrigibilitatem, ut in pluribus, malitiæ talis. In ſecundo verò caſu, ſcilicèt, cum agitur civilitèr, pęna furti manifeſti eſt quadruplum, non manifeſti verò duplum *extra e. c.* 2. & *Inſt. de obl. quæ naſ. ex delic.* §. *pœna*; & hoc competit, & peti poteſt poſt annum. *Inſt. de perp. & tem. ac.* §. *furti*.

Agitur ergò contrà furem, ut viſum eſt, civilitèr, & criminalitèr, & è converſò, *ff. de fur. l fin.* Contrà verò rem furreptam agitur de conditione furtiva; nàm actio furti pœnam habet legitimam, conditio rem ipſam: Undè non una conſumitur per aliam *ff. de cond. fur. ſi pro fure* §. *furti*; Secundùm autèm Canon ſi furtum ſit occultum, & fur ſit ſpontè confeſſus poſt reſtitutionem, ſi tamèn eam facere poſſit, ſubaudi ſecundùm Hoſt. & poſt peractam pœnitentiam, vel partem pęnitentię, rectè ad ſacros ordines promovetur, *extra e. ex litteris*. Si quis tamen in ipſo peccato deprehenſus, fuerit interfectus, cum conſtet eum deceſſiſſe in peccato mortali, non orabitur pro eo: Secùs eſt, ſi antè mortem ſit confeſſus, quià tunc communio negatur, *extra e. cap.* 2. Accuſatus autem, & confeſſus, vel convictus deponitur, & in monaſterio detruditur. *extra de pęnis tue.* tenetur autèm reus furti non tantùm is, qui furatur, ſed etiàm is, qui furi conſilium, vel opem dedit. Conſilium dat, qui ſuadet, impellit, & inſtruit aliquem ad furandum. Opem fert, qui miniſterium, & adjutorium præbet ad rem ſurripiendam. *Inſt. de obl. quę ex delic. naſ.* §. *interdùm*, & tenetur furti non manifeſti *ff. e. l. is qui opem*; Non tamèn tenetur quis de conſilio, niſi ſit ſecutum *ff. e. ſi is* §. *cui ſitu*. Itèm ille, qui cum fure partitur, eſt fur: *extra e. qui cum fure*; datur autèm actio furti contrà furem, etiamſi ſit impubes, dummodò ſit doli capax *ff. e. impuberem*.

Sed quid de eo, qui ſcit furem, vel rem furtivam? Numquid tenetur eum, vel eam indicare interrogatus ab eo, cujus eſt, vel à judice? Et videtur, quod ſic: *art. C. de fur. civile eſt*. Sed contrà, quià non tenetur indicare ſine judicio, ideſt ſine ſalario; non enim turpitèr accipit. *ff. de præſcrip. verb. l. ſolent qui* §. *ſolet*: cui ſententiæ dicunt ſtandum legis doctores, quià nullo ſpeciali jure cogitur quis indicare furem, *art. in l. prædicta*. & *ff. de offic. pręſ. l.* 3. Poteſt etiàm dici ſecundum Hoſt. quod in foro judiciali, ſivè canonico, ſivè civili refert, utrùm nolit indicare propter lucrum, quod indè ſentit, vel quià participavit, vel quià pecuniam à fure recepit, nè indicaret, & tunc tenetur, ſicut fur; & hoc eſt, quod notat *decr. extra e. qui cum fure partitur*; talis enim accipit etiàm ſecundùm legem *ff. de cond. ob tur. cau. ſi quis à ſervo meo*: aut non vult indicare propter amicitiam, & humanitatem, quàm habet cum fure; & tunc non eſt cogendus, ſed eſt in ejus poteſtate, an velit amicitiam vendere pro pecunia, & talis non turpitèr accipit, ut *ibid. l. idem eſt*; turpitèr autèm acciperet, ſi teneretur indicare, *ut ibid. l. ult.* & *extra de ſim. nemo*; licèt autèm talis non accipiat turpitèr, tamèn inhoneſtè petit hac de cauſa, *ff. de variis*, & *extraor. e. cog. l.* 1. In primò ergò caſu doloſè non vult indicare, & ideò eſt cogendus, & ſi quid eſt datum, per actionem de dolo repetitur. In ſecundo licitum eſt, & ideò non repetitur; ſed hoc eſt, quod diſtinguit lex *ff. de præſcrip. verb. ſolent qui* §. *ſolet*, & ſic partitur amicitiæ *ff. de recep. l.* 2. Sed in judicio animæ reus judicatur; & ſic loquitur *extra e. qui cum fure*; illud autèm non eſt reprobandum, ſcilicèt, quod iudex eum ex officio cogat; ſed licet quis non cogatur furem indicare, cogitur tamen contrà eum teſtificari, de quo *dic. ut infrà tit. de falſo teſtimonio art.* 4. Si quis autem furi, vel ſocio eius aliquid dederit, ut ei rem ſuam reddat, vel indicet, repetitur per conditionem ſcilicèt furtivam, *ff. de cond. ob tur. cauſam l.* 4. *in fin. hæc Hoſtien.*

Nota, quod ille, qui ſcit ubi eſt res rapta, vel furtiva, & non indicat, cum de hoc inquiritur ab eo, peccat: Undè *Hieron. non tantùm fur, ſed etiàm ille reus tenetur, qui furti conſcius, quærente poſſeſſore, ideſt Domino, non indicat*: *extra de fur: qui cum fure*; Talis tamèn *ſecundum Thom.* 2. 2. *q.* 42. *art.* 7. *c.* 7. *c.* & *Rod* reſtituere non tenetur, niſi ad hoc ex officio teneatur.

Quid ſi ex re furtiva, ut ancilla, partus ſit editus? Numquid erit furtivus, & tenebitur actione furti ille, apud quem eſt editus?

Reſpondet Hoſt. quod ſi aliquis ancillam prægnantem ſurripiat, & apud eum pariat, vel non prægnantem, & apud eum concipiat, & pariat; partus eſt furtivus, & ille, apud quem eſt editus, tenetur actione furti; ſi autem pariat apud alium bonæ fidei poſſeſſorem, licèt partus ſit furtivus, ille tamèn non tenetur actione furti. Quod intelligas de vacca furtiva, licèt contradicat *ff. de*

uſu

Digitized by Google

uſu cap. ſi aliena §. 1. quià illud corrigitur *ſecundùm Azon. ff. e. qui vas* §. *ſi ancilla*; & in his caſibus, ſcilicèt quandò parit apud furem; vel concipit apud furem, & parit apud bonæ fidei poſſeſſorem, certum eſt partum, vel fœtum uſucapi non poſſe; ſi autèm concipiat, & pariat apud bonæfidei poſſeſſorem non eſt furtivus, nec datur actio furti.

Sed numquid bonæ fidei poſſeſſor impeditur uſucapere? Reſpondeo, ſi ſciat matrem alienam antequàm conciperet, impeditur; ſi poſtquàm concepit ſimplicitèr ſcivit alienam non furtivam, & ſic ignorat vitium rei, non impeditur uſucapere *ff. de uſucap. ſequitur* §. *de illo*; Sed ſi antequàm pariat ſciat furtivam, impeditur uſucapere. Si verò hoc ſciverit poſt partum, impeditur uſucapio, niſi Dominum certificaverit ſe habere ancillam, & partum ejus; ſi tamen hoc faciat, poteſt, & debet denunciare Domino, quod veniat, & agat contrà eum, ſi jus habet, quià eſt paratus reſpondere. Et hoc valdè notandum eſt, ſcilicèt, quod poſterior ſcientia de partu, impedit hanc uſucapionem, quià in partu committitur furtum, cum in ipſum non habeat titulum, licèt haberet in matrem *ff. pro ſuo, ſi ancillam*: ſecùs eſt ſi habeat in ipſum titulum *ſecundùm Azon. hac Hoſtien.*

Quid de uxore, filiis, & ſervis, ſi ſurripiant occultè de rebus viri, parentum, & dominorum?

Reſpondeo committunt furtum, ſed vir non aget contrà uxorem, nec è converſò actione furti conſtante matrimonio, ſed actione in factum; qui tamèn opem ferunt uxori ad furandum viro, furti tenentur *ff. e. ſi quis ux.* Pater verò agit contrà filium, ſi habeat caſtrenſe peculium, aliàs non *ff. e. nec cum filio*. Idem eſt ſi pater ſurripiat aliquid filio de caſtrenſi peculio. Servus autè non poteſt verberibus caſtigari, ſed non in judicio conveniri, niſi contrectet poſt manumiſſionem. *C. an ſervus ex ſuo facto l. ult.* Servientes verò, ſivè mercenarii conveniri non poſſunt actione furti proptèr vilia; quià talia furta non ſunt publicè vindicanda *ff. e. ſi libertas*. *Hæc Hoſt. & Goff.*

Quid de muliere, quæ habens prodigum virum celat aliquid de rebus communibus contrà prohibitionem viri?

Reſpondit *Rodol. tit. de ſæcularibus*, ubi agitur de eleemoſyna; quod ſi uxor hoc bona fide faciat, ſcilicèt, ut ſibi, & viro de his, quæ celavit, pro tempore provideat, non peccat, nec tenetur obedire viro præcipenti, quod ei omnia tradat, quià ei omnia tradendo, daret quaſi gladium furioſo.

ARTICULUS V.

De reſtitutione Furti.

Circà quintùm Articulum, qui eſt de reſtitutione furti quæruntur plurà, ſcilicèt.

I. Utrùm damnificans alium injuſtè in exterioribus bonis per furtum, vel alio modo teneatur ad reſtitutionem?

II. Cui ſit reſtitutio facienda?

Circà primum reſpondeo, quod ſic; undè *Aug. ad Macedonium, & habetur 14. quæſt. 6. cap. 1. Si res aliena, proptèr quàm peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Hæc Aug.* Non ſolùm autèm ille, qui eſt executor damnificationis injuſtę, ſed etiàm omnes participes in illo crimine tenentur reſtituere. Participare autèm in crimine contigit novem modis, qui in his verſibus continentur.

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Juſſio, ut cum Dominus jubet ſervo, vel ſubdito, ut furetur, 11. *quæſt. 4. Julianus, & c. ſi is, qui prœeſt fecerit.*

Conſilium; duplicitèr impenditur furi; uno modo ipſo facto, ut cum quis ſcalam furi ſupponit, *ff. de fur: in furti actione* §. *rectè*; Et talis ſecundùm leges tenetur furti non manifeſti, *ut ibid. l. is, qui opem*; Alio modo ſolo verbo; & talis ſecundùm leges, ut quidam dicunt de furto, non tenetur. *Inſt. de obl. qui ex delictis naſcun.* §. *certè, qui nullam*; ubi dicitur: *qui nullam operam ad furtum adhibuit, ſed tantùm conſilium dedit, non tenetur furti*; ſed hoc eſt verum, niſi furtum fuerit ſubſecutum; tunc enim etiàm ſecundùm leges tenetur, *ff. e. ſi is, cui* §. *ſi tu*; Secundùm etiàm jus Canonicum, & divinum tenetur, quià ſecundùm Canones in foro pœnitentiali maleficia, voluntate, & propoſito diſtinguuntur, *extra de ſen. ex. cum voluntate, in principio.*; *Matth.* 12. *Et ex verbis tuis condemnaberis.*

Conſenſus; ſcilicèt expreſſus, quià facientem, & conſentientem par pœna conſtringit, 2. *quæſt. 1. notum ſit*; Et dicit Rod. quod intelligitur de conſenſu cooperationis.

Palpo; ideſt adulator, qui ſcilicèt laudat aliquem de furto, vel rapina, vel detrahit alicui apud furem, vel raptorem, dicendo, quod gravitèr eum offendit, & ſic incitat eum ad furandum, vel rapiendum ſibi: *art. inſt. de obl. quæ ex delic. naſ.* §. *undè illud. verſ. ſolicitaverit.*

Recurſus; ſivè receptans, ſcilicèt furem cum furto in domo ſua, vel etiàm, qui defendit furem recurrentem ad eum, ne cogatur reſtituere rem furtivam; talis enim æquè punitur, ſicut fur, *ff. de recep. l. 2.*

Participans; ideſt partem accipiens in furto *extra e. qui cum fur.*

Mutus, ſcilicèt, qui videns aliquid, vel ſciens aliquem paratum furari, vel rapere, tacet doloſè, cum tamèn impedire ſolo verbo poſſet ſinè ſuo periculo, contrà illud *Proverb. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes*; hic tamèn non tenetur reſtituere, niſi ex officio teneatur reclamare.

Non

Non obſtans; ſcilicèt facto, cum ſinè ſuo periculo reſiſtere poſſit, quià non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare: *diſt. 86. facientis*; ubi dicitur: *culpam procul dubiò facientis habet, qui, quod poteſt corrigere, negligit emendare*; Et hoc locum tantùm habet in his, quibus incumbit ex ſuo officio prohibere, *art. extra de ſen. excommuni: quantæ præſump.*

Non manifeſtans; qui ſcilicèt, ſcit ubi eſt res furtiva, & non indicat, ſed celat ſcientèr, & maximè, cum interrogatur à judice, vel ab eo, cujus eſt, ſi ſciat furem, vel rem acceptam furtivè, cum tamèn ſciat ſe poſſe veritatem ſinè ullo ſuo periculo reſpondere. Talis enìm ſecundùm Canones eſt reus furti, *extra e. qui cum fure. Et* 11. *quæſt.* 3. *quiſquis*. Niſi fortè, cum fur alicui Presbytero revelaret ſecretò ſe furtum commiſiſſe; tunc enìm Presbyter non deberet eum indicare, *extra de exceſ. præl. dilectus filius*. De hoc tamèn latiùs eſt habitum ſuprà *articulo præcedenti quæſt. ſed quid de eo, qui ſcit &c.*

Diſtinguitur autèm communitèr de quolibet prædictorum hoc modo, ſcilicèt, quod, aut ſinè ipſo damnum ſecutum fuiſſet; aut non; ſi ſic, non tenetur in ſolidum, ſed ſolum in tantum, quantum habuit indè; ſi non, tenetur ad totalem reſtitutionem damni dati, quià, qui dat occaſionem damni, damnum dediſſe videtur, *ff ad legem Acquil. qui occidit*, §. *in hac quoque actione*; *& extra de injur. & de dam. da. ſi culpa*. Quidam tamèn hoc concedunt tantùm de eo, qui dat occaſionem damni, & habet Dominium, vel auctoritatem ſuper eum, qui injuſtè intulit damnum, cùm aliàs ille non intuliſſet: undè dicunt, quod ſi non habeat dominium, vel auctoritatem ſuper eum, cui præcepit, vel dedit conſilium, vel auxilium, non tenetur in ſolidum, licèt aliàs non feciſſet *art.* 23. *quæſt.* 4. *fortè, & c. iſta duo nomina*. Primum tamèn dictum tutiùs videtur *ſecundùm Ric.* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 5. *art.* 4. *c. & Scot.* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 4. Uno tamèn totum reſtituente, alii non tenentur damnificato reſtituere, ſed illi, qui fuerunt principales in facto; & illi, ad quos res pervenit, reſtituere tenentur illis, qui reſtituerunt pro rata portionis, quæ eos continget, *ſecundùm Sco. ubi ſupra, Ric. ubi ſup. & communitèr omnes*.

Quid ſi res furtiva caſu fortuito pereat? Numquid fur poſteà tenebitur reſtituere eam?

Reſpondeo, quod ſic; quià fuit ſemper in mora reſtituendi, & ideò non liberatur interitu rei, ſicut non violentus. *C. eo. ſubtracto: & C. quod metus cau. l.* 1. Et hoc eſt verum, niſi res interierit poſtquàm eam fur Domino loco, & tempore congruis reſtituendam obtulit, & eam recipere noluit; jàm enìm moram purgavit. *C. de cond. fur. l. ult. & ff. e. tit. l.* 1. *in re furtiva*. Reſtituet autèm fur rem furtivam cum fructibus perceptis, & qui percipi potuiſſent à primo poſſeſſore, *extra de reſt. ſpo. gravis ff de rei ven. ſi novis* §. *generalitèr*. Et ſi res periit fiet æſtimatio ejus pro illo tempore, in quo plùs valuit à tempore furti, *ff. e. l.* 1. *in re furtiva* §. *ſi ex cauſa*; Et ſimili modo fiet, ſi res ſit deteriorata; Et hæc eadem intellige de re rapta ſecundùm Ray.

Quid ſi fur rem furtivam ſumptibus ſuis melioravit? Numquid expenſas repetet, vel retinenebit?

Reſpondet Ray. & Hoſt. & Goff. quod non, imò etiàm nec is, qui mala fide emit, *extra de re. Eccl. non alien. ad audientiam* 16. *q.* 3. §. *poteſt verſ. univerſos, &* 10. *quæſt.* 2. § *hoc jus porrectum in fin.* niſi de evictione ſibi proſpexerit, ut tunc contrà venditorem regreſſum habere poſſit, *c. de evic. ſi fundum*; bonæ autèm fidei poſſeſſor expenſas repetit, *extra de integ. reſt. requiſivit* 12. *quæſt.* 2. *volteranæ*. Dicit autèm Rod. quod hoc, ſcilicèt, quod fur non poteſt petere, vel retinere expenſas, quas fecit in melioratione rei, eſt verum, ſi agatur in foro judiciali; ſed rigor ille non eſt obſervandus in foro pœnitentiali, quià ex quo plenè ſatisfactum eſt damnificato, iniquum eſt illum locupletari cum alterius detrimento.

Quid ſi furtum ſit commiſſum in uſu rei, & non in ipſa re?

Reſpondeo, quod fur etiàm poſt reſtitutionem tenetur ad æſtimationem illius uſus, alitèr enim non eſſet purgatum furtum, 14. *quæſt.* 6. *ſi res*.

Quid de Hærede furis?

Reſpondeo tenetur in ſolidum, ſi ſolus fuerit hæres; ſi autèm fuerint plures hæredes quilibet tenetur pro illa parte, pro qua hæres exiſtit, *ff. de cond. fur. in conditione*; Si tamèn res furtiva tota ad unum eorum pervenerit, ille tenebitur in totum, *ff. comm. l.* 3. §. *hæres*.

Quid de uxore, quæ furtum fecit antè matrimonium, vel poſt per ſe, vel cum viro ſuo? Numquid licebit ei de rebus communibus ſibi, & viro ſatisfacere?

Reſpondet Rod. quod ubi de conſuetudine regionis communicant ſibi credita, & debita ex contractu, vel maleficio, ſi res furtiva, quàm mulier ſurripuit antè matrimonium, vel poſt ſola, vel cum viro, vel quam vir ſolus ſurripuit, antè matrimonium, vel poſt, extet adhuc in eorum poteſtate, uxor eam reſtituere poteſt domino, & etiàm contradicente viro. Si autèm res ſit conſumpta, vel ſi ſolus vir furatus ſit eam, & mulier participavit conſentiendo, vel comedendo ſpontanea, vel invita, poteſt uxor, ſi vir non contradicat viri negotium gerendo, & ſe ipſam liberando, æſtimationem rei conſumptæ vero Domino latentèr reſtituere de communibus bonis, ſi alitèr non poteſt; Nec erit furtum, quià non eſt contrectatio fraudolenta, nec animo lucrandi: Viro autèm prohibente, facere non debet hujuſmodi reſtitutionem, cum ipſa non habeat rerum adminiſtrationem, ſed vir. Si tamèn in

ſi in hoc caſu faceret latentèr reſtitutionem bona fide de communibus bonis, non eſſet ei penitentia quaſi pro mortali injungenda *Jo. 14. quæſt. 5. cap. ult.*

Quid ſi aliquis rem furtivam emit ignoranter, & bona fide, & in foro publico, & publicè; Numquid poteſt ſaltèm pretium, quod dedit, à domino petere, cum deprehendit rem furtivam eſſe; vel rem retinere, donec ei ſit pretium perſolutum?

Reſpondeo, quod non. *C. e. in civil.* Nec ſe defendere poteſt occaſione alicujus ſtatuti ſuper hoc æditi, cum ſit contrà Deum; poterit tamèn à venditore petere pretium, *12. quæſt. 2. valterana*. Poterit etiàm expenſas retinere, quas exiſtens bonæ fidei fecit pro rei conſervatione, vel melioratione, & non tenetur de fructibus perceptis, & conſumptis durante bona fide; de extantibus tamèn tenetur ad reſtitutionem ex quo inceperat habere malam fidem *extra de integ. reſt. requiſivit:* & *extra de rebus Eccl. non alienandiſ. ad noſtram*; non tenebitur etiàm ſi durante bona fide res periit, vel eam alienavit. In utroque enim horum caſuum non tenetur propter bonam fidem; & in primò etiàm, quià non erat in mora, & in ſecundo, quià non deſiit dolo poſſidere, & quià pretium ex re furtiva redactum non eſt furtivum, *ff. e. qui vas. §. ult.* & *extra de alie. ju. mu. cauſa facta, cap. 1.* & *2. arg. à contrario ſenſu*.

In ſumma ergò nota, quod malè fidei poſſeſſor re perdita, vel in alium tranſlata tenetur ad verum rei pretium cum circumſtantiis poſitis ſuprà in quæſtione illa, ſcilicèt, quid ſi res &c. Poſſeſſor verò bonæ fidei tenetur reſtituere, ſi habet; Si autèm non habet de lucro tenetur in tantùm, in quantùm eſt locupletior factus, & non plùs, quià non tenetur de conſumptis, *ff. de pe. hæ. ſi poſſeſſor §. reſtituere,* & *in l.* & *non tantùm,* & *l. ſi rem. Hæc Ray.* & *Rod.* Emptor autèm bonæ fidei eſſe videtur, qui aut ignoravit rem alienam eſſe, aut putavit venditorem vendendi poteſtatem habere, *ff. de ver. ſig. bonæ fidei*.

Circà ſecundùm reſpondeo ſecundùm Ray. quod reſtitutio eſt facienda ei, cui res fuit ſurrepta, dummodò ſua interſit ex cauſa honeſta rem non eſſe ſurreptam, ut quià habebat in re jus pignoris, vel uſum, vel ſimile; *ff. e. is cujus*; Si enim & ipſe eſſet fur, non ſibi, ſed domino eſſet reſtituenda, vel ei, cui primò fur ſurripuerat, ſi ſua intererat, ut dictum eſt, ex cauſa honeſta rem non ſurripi. Cautè tamèn fiat per medium pœnitentialem, vel alteram perſonam religioſam tacitò nomine furis. *Hæc Ray.*

Ad hæc nota, quod quandò res alicui, cujus non intereſt ſubtracta, pervenit ad aliquem, qui verò Domino reſtituit illam, debet ei, cui res eſt ſubtracta ſignificari per ſe, vel per alium tacito nomine ſuo, quod liberatus eſt à delicto illo; Si tamèn reſtituat ei, cui ſubtraxit, licèt gravitèr peccet, eo quod non reddit ei, qui jus habet in re, liberatur tamèn, ità quod ei reſtituere non tenetur, cujus eſt, quià non tenetur ei, niſi ratione rei; & non ratione alicujus injuriæ, quam intulerit ſibi, & ideò deobligatur, quandò reſtituit eam in ſtatum priſtinum, in quo eam reperit. Et quod dictum eſt de reſtitutione facienda ſpoliatis, intelligendum eſt etiàm de hæredibus eorumdem; mortuis enim ſpoliatis regularitèr debet fieri reſtitutio hæredibus ſuis, ſi poſſunt inveniri; & hoc eſt verum ſecundùm Rod. quandò ſpoliatus fecit teſtamentum, & certam ſummam legavit. Si autèm mandavit in teſtamento diſtribui per executores quicquid ad eum ſpectabat de mobilibus, & debitis, debet fieri reſtitutio ejus executoribus pro rata, & liberis ejus pro rata, & uxori ejus pro rata, ſi uxor, vel liberi debent habere in rebus illis aliquàm portionem. Si verò contempſit teſtari, debet in ſolidum fieri illi, qui debet ſuccedere ſibi; & idem eſt, ſi morte præventus non potuit teſtari, niſi fortè loci conſuetudo habeat, quod pro talitèr cedente teſtamentum Eccleſia faciat; Tunc enim ad conſilium Eccleſiæ fiet reſtitutio pro anima ejus. *Hæc Rod.*

Si verò non inveniuntur ſpoliati, vel etiàm ignorantur, tunc ſecundùm Ray. cum conſilio, & auctoritate Eccleſiæ, ſivè pœnitentialis diſtribuatur in pias cauſas. Et hoc in illa villa, vel ſi villa neſciatur, in illa Diœceſi, ubi eſt facta rapina, *arg. ex extra de rapt. cap. 1.* Et dicit Rod. quod oportet, quod talis reſtitutio fiat in eadem villa, ſi commodè fieri poſſet, aliàs ſi ſit multùm remota, vel ex alia juſta cauſa, ſufficit, quod alibi fiat.

Quid de pecunia, vel re alia Judæo, vel uſurario furtim ſublata, vel etiàm inventa ab aliquo? Numquid liberabitur eam illis reſtituendo, à quibus ille Judæus, vel uſurarius accepit uſuras?

Reſpondet Rod. quod ſic, maximè, quandò ille Judæus, vel uſurarius nihil habet, niſi de uſura. Diſtinguendum tamèn eſt circà pecuniam, vel etiàm rem aliam furtivam, quo ſi ſit adhuc in illa ſpecie in qua fuit ſublata apud furem, potiùs debet reſtitui judæo, vel uſurario, ne fur aliis eam reſtituendo adhùc perſeveret in culpa furti rem alienam contrectando, ſecundùm eos, qui dicunt, quod in uſura transfertur dominium. Si autèm ſit conſumpta, tunc locum habet, quod dictum eſt, ſcilicèt, quod fur liberare ſe poteſt reſtituendo illis, qui dederunt uſuras illi judæo, vel uſurario. Secundùm verò eos, qui dicunt, quod in uſura non transfertur dominium, non habet prædicta diſtinctio locum. Et ſecundùm aliquos etiamſi in uſura transferatur dominium, tamèn quià competit repetitio, & ad reſtituendum cogi poteſt, immò pleniùs jus habet in re uſuraria ille, qui ſolvit uſuram, quàm uſurarius, & per conſequens ei potiùs reſtitui debet. In omnibus tamèn caſibus prædictis liberabitur fur reſtituendo judæo, vel uſurario, cui ſurripuit.

Quid de eo, qui furatus eſt decimas, quas lai-

laicus percipiebat injuſtè uſurpando jus Eccleſię? Cui reſtituet, ſcilicèt, laico, vel Eccleſiæ?

Reſpondet Rod. quod ſivè iſti, ſivè illi reſtituat, liberatus erit; meliùs autèm eſt, ſi non timeatur ſcandalum, vel periculum reſtituentis, quod reſtituat Eccleſiæ gerendo negotium militis, quod ipſe, cum ſit utilitèr geſtum, tenetur habere ratum; debet tamèn denunciare illi laico per ſe, vel ſaltèm per alium, quod in tantùm eſt liberatus.

TITULUS XXXIV.

De ſacrilegio prout eſt ſpecies Furti.

POſteà conſiderandum eſt de ſacrilegio, quod eſt ſpecies furti propriè dicti, ut habitum eſt ſuprà. Circà quod, primò videndum eſt, quid ſit ſacrilegium, & undè dicitur, & an ſit ſpeciale peccatum. Secundò quibus modis committitur. Tertiò quæ pęna ejus: ideò ſit.

ARTICULUS I.

Quid ſit ſacrilegium, & undè dicatur &c.

QUantum ad primum Articulum ſciendum, quod ſacrilegium eſt ſacræ rei violatio, vel ejuſdem uſurpatio. Et dicitur hæc violatio communitèr quæcunque irreverentia, vel dehonoratio. Undè dicitur ſacrilegium, quaſi ſacrilædium, quià lædit ſacrum; vel dicitur ſacrilegium ab eo, quod quis legit, ideſt furatur ſacrum. Dicitur autèm aliquid ſacrum, quià ordinatur ad Dei cultum; & ex hoc, quod aliquid deputatur ad Dei cultum, fit quiddam divinum, & ſic ei quædam reverentia debetur, quæ in Deum refertur; & ideò omne illud, quod ad irreverentiam ſacrarum rerum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, & rationem ſacrilegii habet.

Eſt autèm ſacrilegium ſpeciale peccatum; habet enim ſpecialem rationem deformitatis, quià ſcilicèt res ſacra per aliquam irreverentiam violatur; undè & quandoquè invenitur ab aliis ſeparatum, ut ſi judex rapiat aliquem de loco ſacro, quem alibi licitè capere poſſet.

ARTICULUS II.

Quibus modis committatur ſacrilegium.

CIrcà ſecundùm ſciendum, quod ſacrilegium committitur quandoquè ratione perſonæ, ut cum quis verberat clericum, vel perſonam religioſam, 17. *quæſt.* 4. *quiſquis*. Quandoquè ratione loci, ut cum emunitas Eccleſiæ, vel Cimiterii violatur. Quandoquè ratione rei, ut cum res ſacra, vel ſacro uſui deputata violatur, ſivè uſurpatur. Et hoc poteſt eſſe tripliciter, ſcilicèt auferendo ſacrum de ſacro, ſcilicèt loco; vel non ſacrum de ſacro; vel ſacrum de non ſacro, 17. *quæſt.* 14. §. *ſacrilegium*, & *eodem præall. c. quiſquis*.

Largè tamèn dicitur ſacrilegium, qui articulos fidei, vel præcepta Dei neſciendo, vel negligendo violat, & offendit. 17. *quæſt.* 4. *conſtituit*. Itèm, qui de judicio principis diſputat, vel judicat revocando ſcilicèt illud indubium, ut dicitur ibidem; ſecùs eſt, ſi proptèr diſcuſſionem, vel evidentiam majorem fiat hoc. Et hoc eſt verum, niſi conſtaret evidentèr judicium illud eſſe contrà Deum; Ratio hujus eſt, quià *ſecundùm philoſ.* 1. *Eth.* commune bonum gentis eſt quoddam divinum, & ideò antiquitùs Rectores reipublicæ divini vocabantur, quaſi divinæ providentiæ miniſtri; & ſic per quamdam nominis extenſionem illud, quod pertinet ad irreverentiam Principis, ſcilicèt diſputare de judicio ejus, an oporteat illud ſequi, ſecundùm quamdam ſimilitudinem ſacrilegium dicitur. Itèm qui committunt officia publica judæis, ſunt ſacrilegi, 17. *q.* 4. *conſtituit*. Ratio hujus eſt, quià populus Chriſtianus per fidem, & ſacramenta ſantificatus eſt, ſecundùm illud, 1. *Corint.* 6. *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*. Et ità illud, quod fit in injuriam populi Chriſtiani, ſcilicèt, quià infideles ei præficiantur pertinet ad irreverentiam rei ſacræ; undè dicitur ſacrilegium. Itèm quicumque rem Eccleſiæ datam retinuerit, vel acceperit contrà voluntatem ejus, 17. *quæſt.* 4. §. *qui autèm*, & *cap. nemini*, & 12. *quæſt.* 2. *nulli*. Itèm tranſgreſſor juris publici, quod conſiſtit circà ſacra, & Sacerdotes, & adminiſtratores, de quibus habetur *diſt.* 1. *jus publicum*.

Diſtinguuntur autèm ſpecies ſacrilegii ſecundùm diverſam rationem ſanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreverentia exhibetur; Attribuitur autèm ſanctitas, & perſonis ſacris, & divino cultui dedicatis, & locis ſacris, & quibuſdam aliis ſacris; Ordinatur autèm loci ſanctitas ad ſanctitatem hominis, qui cultum exhibet in loco ſacro, 2. *Mach.* 5. *Non propter locum, gentem, ſed propter gentem, locum elegit Dominus*; Et ideò ſacrilegium, quo peccatur in perſonam ſacram eſt gravius. Sunt tamèn in utraque ſpecie diverſi gradus ſecundùm differentiam perſonarum, & locorum ſacrorum. Similitèr, & tertia ſpecies, quæ circà alia ſacra committitur, habet diverſos gradus ſecundùm differentiam rerum ſacrarum, intèr quas ſummum tenent locum ſacramenta, quibus homo ſanctificatur; Quorum præcipuum eſt Euchariſtia continens ipſum Chriſtum, & ideò ſacrilegium, quod contrà eam committitur, eſt graviſſimum. Secundùm verò locum poſt ſacramenta, tenent vaſa conſecrata ad ſacramentorum ſuſceptionem, & ipſę imagines, & ſanctorum reliquiæ, in quibus ſancti quodammodò venerantur, vel dehonorantur. Deindè pertinentia ad ornamenta Eccleſiæ, & Miniſtrorum. Deindè deputata ad ſubſtentationem miniſtrorum, ſivè ſint mobilia,

ſivè immobilia. Quicumque autèm contrà aliquod prædictorum peccat, ſacrilegium committit.

Ad hoc nota, quod omne peccatum, quod ſacra perſona committit materialitèr, & quaſi per accidens eſt ſacrilegium, ut dicit Hieron. quod nugæ ſacerdotis ſunt ſacrilegium, vel blaſphemia; Formalitèr autèm, & propriè illud ſolum peccatum ſacræ perſonæ eſt ſacrilegium, quod agitur directè contrà ſanctitatem ejus, ut ſi virgo Deo dicata fornicetur; eadem etiàm ratio eſt de aliis.

ARTICULUS III.

De pœna ſacrilegii.

Circà tertium articulum, qui eſt de pœna ſacrilegii ſciendum, quod pœna ejus ſecundùm leges eſt decapitatio, ſi perſonæ Eccleſiaſticæ atrox injuria fiat. *C. de epi. & cler. Si quis in hoc*; Aliàs judicis arbitrio reſervatur pro qualitate perſonæ, rei, temporis, & loci diverſimodè moderanda *ff. ad. l. jul. pecu. l. 1. §. 1. & l. ſacrilegii*. Secundùm autèm Canones eſt duplex pœna, ſcilicèt ſpiritualis, & pecuniaria; Spiritualis prætèr pœnitentiam eſt excommunicatio; cum diſtinctione tamen, quià pro ſacrilegio in perſonam Eccleſiaſticam commiſſo eſt major excommunicatio ipſo jure; pro ſacrilegio verò in rebus commiſſo eſt minor excommunicatio, prætèr quoſdam caſus, in quibus eſt excommunicatio major, ut cum quis Eccleſiam incendit, vel frangit, de quo pleniùs habetur *in lib.* 7. Conveniens enìm eſt, quod qui ſacris injuriatur, à ſacris arceatur, quod fit per excommunicationem; Quià tamèn per hanc pęnam multi non ſufficientèr à peccando arcentur, ideò ſecundùm leges adhibetur decapitatio, & ſecundùm Canones pœna pęcuniaria, ut ſic à ſacrilegiis revocentur.

Quales verò, & quanta ſit pęcunia perſolvenda pro ſacrilegio commiſſo, ſivè in perſona, ſivè in rebus, habetur 17. *q.* 4. *ſi quis in atrio*; *& ſi quis contumax*, *& ſi quis inventus*, *ſi quis deinceps*. In quibus quidem capitulis diverſæ pœnæ ponuntur, & diverſimodè, quæ quidem contrarietas ſolvitur per hoc, quod ſunt diverſæ pœnæ ſeſecundùm diverſas conſuetudines diverſarum Eccleſiarum. Vel poteſt dici quod pœna arbitrio judicis imponetur.

TITULUS XXXV.

De Furto interpretativo.

Deindè conſiderandum eſt de furto interpretativo; & primo de illo, quod committunt aliqui divites laici. Secundò de illo quod committunt aliqui clerici. Tertiò de illo, quod committunt aliquæ perſonæ malè accipiendo à clericis. Quarto de illo, quod committitur pro peccato carnis.

ARTICVLVS I.

De Furto, quod committunt divites laici.

Circà hunc Articulum. Quæritur.

Utrùm divites, qui nolunt in neceſſitate pauperibus ſubvenire, debeant interpretari fures, & raptores?

Circà hoc reſpondet *Alex. Ang.* 3. *tit.* 1. *c. de ſeptimo præcepto quæſt.* 5. *art.* 1. *o.* quod ſic; licèt enìm ſubtractio beneficii in quantùm ex ejus defectu pauper perit, ſit contrà illud præceptum *non occides*, tamèn in quantùm non communicant in neceſſitate bona pauperi, eſt contrà illud, ſcilicèt, *non furtum facies*. Dicitur enìm *Eccl.* 4. *Fili eleemoſynam pauperi ne defraudes*, & ſequitur: *redde illi debitum ſuum*; ergò divites debent eleemoſynas dare pauperibus; Si ergò non reddant in neceſſitate, cum tunc ſit tempus reddendi debitum, quid aliud ſunt, niſi raptores? utpotè rem alienam, ſcilicèt pauperi violentèr detinentes; *Non enim, ut dicit Ambr. eſt minoris criminis, quàm habenti tollere cum poſſis, & abundans ſis indigentibus denegare*. Et itorùm idem; *Nemo proprium dicat, quod commune eſt; plus quàm ſufficit ad ſumptus, violentèr detentum eſt*. Ex prædictis patet, quod divites, qui retinent ſuperflua, & ultrà ſumptus neceſſaria, cum ſciant, & videant pauperes indigere, rapinam committunt. Hoc autèm intellige, ſalva neceſſitate, ſecundùm ſtatum perſonæ. Plura enìm ſunt neceſſaria Regi, quàm Comiti; & Comiti, quàm militi; Neceſſarium eſt enim Regi theſauirare, ut inſurgentibus hoſtibus contrà regnum, habeat undè poſſit militibus pro defenſione Regni ſtipendia miniſtrare.

ARTICVLVS II.

De furto, quod committunt aliqui Clerici &c.

Circà ſecundùm quæritur.

Quid de Eccleſiarum Prælatis, & aliis Clericis, qui bona Eccleſiæ pauperibus debita dant meretricibus, conſanguineis, potentibus, divitibus, & ſimilibus? Numquid tales ſunt cenſendi raptores?

Ro-

Reſpondeo, ſi conferant perſonis inhoneſtis, non proptèr ſubſtentationem naturæ, ſed proptèr laſciviam carnis; & ſi etiàm conferant conſanguineis proptèr affectum cognationis, ut ſcilicèt eos ditent ultrà ſtatum ſuæ conditionis, & ſui generis, ità ut, cùm ſint nati de humili genere, poſſint cum magnatibus matrimonium contrahere. Itèm ſi conferant potentibus, & divitibus non proptèr aliquam cauſam licitam, & honeſtam, ſed proptèr ſæculi favorem, & pompam, raptores ſunt; & per conſequens tenentur omnia reſtituere, qui talitèr contulerunt. Peccant autèm triplicitèr. Primò bona Eccleſiaſtica indebito modo ſervando; Si enim laicus ſervans res proprias ultrà ſumptus ſuos, cum ſciat pauperes indigere, violentiam, & rapinam dicitur committere, ut dictum eſt, multò magis clericus in caſu conſimili, conſervans bona Eccleſiaſtica, quę ſunt ſpecialitèr pauperibus debita; quià ut dicit *Hieron. ad Damaſum Papam*; *Quicquid habent clerici pauperum eſt*. Secundò bona Eccleſiæ malè expendendo; *Undè Bern. ad quemdam Canonicum: Conceditur tibi, ut ſi altari ſervias, de altari vivas, non ut fræna deaurata, & ſimilia emas. Ergò quicquid pratèr neceſſarium victum, & veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*. Ad idem, 12. *quæſt*. 2. & *ſi illi*. Tertiò perſonis indignis conferendo. *Aug. & habetur diſt. 86. donare res ſuas Hiſtrionibus vitium eſt immane*, ideſt magnum; Et iterum *idem. eadem diſt. Qui venatoribus, & hiſtrionibus, & meretricibus donant, non attendunt illi naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani*; de hoc idem, 16. *quæſt*. 1. *decimæ*.

Nota rationem dicti Hieron. *quod quicquid habent clerici pauperum eſt*. Quod Hug. notat 12. *quæſt*. 1. *expedit*, quod proprietas rerum Eccleſiaſticarum eſt Eccleſiæ, vel Dei, non Clericorum, & quod clerici percipiendo fructus ſuarum præbendarum non faciunt eos ſuos quoad proprietatem, & quod non licet eos expendere, niſi in uſus domeſticos, & cauſas pietatis. Sunt autèm res Eccleſiæ pauperum, ut exponunt quidam, non quantùm ad proprietatem, & dominium, ſed quantùm ad debitum, ideſt, quià eis debentur.

Sed numquid prædictam reſtitutionem facere tenentur de bonis patrimonialibus, ſi habent ea, aut ſufficit, quod ea reſtituant de fructibus Eccleſiæ, quos habent, vel habituri ſunt?

Reſpondet Rod. & Hoſt. quod cum quicquid ſupereſt uſibus eorum de proventibus Eccleſiarum pauperibus debeatur, non ſufficit facere reſtitutionem de talibus, ſi habent bona patrimonialia, vel aliundè, quàm de Eccleſia acquiſita, niſi quatenùs ſibi ſubtraherent de neceſſariis, vel quatenus expendiſſent circà utilitatem Eccleſiæ de bonis patrimonialibus, aut aliundè, quàm per Eccleſiam acquiſitis.

Quid de illis, qui bona Eccleſiæ in neceſſariis expendunt, Eccleſiæ tamèn non deſerviunt? Numquid ſunt raptores cenſendi?

Reſpondet *Alex. Aug. 3. tit. 1. c. de ſeptimo præcepto quæſt. 5. art. 2. quæſtiuncula* 3. quod ſic. Ratio hujus eſt, quià ad hoc eis Eccleſiæ beneficia dantur, ut in Eccleſia Dei laborent; ſi ergò non laborant, habere non debent; Qui enim non laborat, non manducet. Si enim agricolæ daretur pecunia, ut in agro laboraret, & ipſe acciperet, non tamèn laboraret, nonnè fur, & latro eſſet? Sic etiam videtur de iſtis. Prætereà dicit Hieron. quod Eccleſiã fraudare eſt ſacrilegium; ad hoc enim beneficia dantur eis, ut ſerviant Eccleſiæ; tales enim ſunt ſacrilegi, & raptores.

Quid de Prælato, vel Clerico adminiſtrationem habente, & malè adminiſtrante? Numquid tenetur Eccleſiam indemnem reddere?

Reſpondeo ſecundùm Ray. & Hoſt. quod ſic; vel ſi ipſe non fecerit, tenentur ad hoc ejus hæredes. Si ipſe fortè aliqua de rebus Eccleſiæ expendit in meliorationem proprii patrimonii; vel etiàm ſi proptèr nimiam diligentiam rerum propriarum neglexit res Eccleſiæ, & ità diminutę ſunt aliquæ, vel amiſſæ proptèr ſuam culpam. Sed ſecundùm Hoſt. de culpa, ſeu negligentia ſui procuratoris, Vicarius teneri videtur; *extra de offic. archid. ea. quæ*; ubi etiàm dicunt Ber. & Hoſt. quod Prælatus tenetur de bonis Eccleſiæ, amiſſis dolo, & culpa lata, & levi. Similitèr è converſò ſecundùm Ray. & Hoſt. ſi de rebus propriis expendit aliquandò in utilitatem Eccleſiæ, ipſe, vel hæredes ejus, cum hoc conſtiterit, recuperare de rebus Eccleſiæ poteſt, ut hinc indè compenſatio debita fiat, *art. ad hoc 2. quæſt. 7. lator. in fin* & 12. *quæſt*. 4. *cap*. 1. & 2. Hoc tamèn ſecundùm Hoſt. intellige, quandò eſt læſio gravis, vel etiàm quoad alienationem, vel diminutionem rerum immobilium, vel mancipiorum Eccleſiæ, vel etiàm ſuorum redditum; Non enim prohibetur Prælatus quominùs poſſit de fructibus, & redditibus Eccleſiæ perceptis, quos ſuos facit aliqua erogare. Si tamèn in hoc excederet, reprehendi poſſet.

ARTICVLVS III.

De Furto, quod committunt aliquæ perſonæ malè accipiendo à Clericis.

Circà tertium, quæritur,

Quid de Focariis, & hujuſmodi turpibus perſonis, & aliis ſupradictis, qui ſic ditantur, vel paſcuntur de rebus Eccleſiæ? Numquid ipſi tenetur ad reſtitutinem?

Reſpondet Ray. quod ſic; quià non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, 14. *q*. 6. *ſi res aliena*. Sed differentèr; nam turpes perſonæ indiſtinctè reddere tenentur, ſi poſſunt, niſi fortè fuerit eis datum cauſa eleemoſynæ, cum eſſent in ſumma neceſſitate, quod debuit fieri, *diſt.*

diſt. 86. non ſatiſ. verſ. paſce; divites verò, & potentes ſimilitèr tenentur ad reſtitutionem, ſi receperint per fraudes, vel minas, vel per indebitam importunitatem, vel aliàs ſinè cauſa juſta. Clericus tamèn, vel Prælatus excuſaretur in tali caſu ſi dedit, ut ſuam redimeret vexationem, à qua non poterat alitèr liberari, *extra de Simo. dilectus filius* 6. Si verò non data ad hoc opera, ſed caſu fortuito proptèr aliquam cauſam neceſſariam, & honeſtam venerunt, & impediti, ad propria redire non potuerunt, nec invenerunt aliquod ad emendum, vel non habebant undè emerent, tunc ſi procurati fuerunt temperatè cauſa hoſpitalitatis, & elemoſynæ, non tenetur aliquis ad reſtitutionem *art. 11. q. 3. quoniàm multos, & diſ. 42. quieſcamus*.

Idem dicendum eſt, ſi erant benemeriti, honeſti, & ſpirituales viri, præſertim quià jàm impenderant Eccleſiæ ſervitium ſuum deffendendo eam contrà prædones, & tyrannos, vel præſtando ſibi patrocinium in cauſa, vel dando ſibi de rebus propriis, vel aliis ſimilibus modis: Talibus enim tenetur Eccleſia rependere vicem, *12. quæſt. 2. quicumque ſuffragio, & c. Eccleſiaſticis*.

Quod autem prædictum eſt, quod perſonæ ſupradictæ reſtituere tenentur ea, quæ talitèr à clericis cæperunt, verum eſt, ſi clericus, qui dedit per hujuſmodi donationem, factus ſit non ſolvendo; tenentur tamèn de eo, quod habuerunt per fraudem, vel injuriam, vel violentiam, vel hujuſmodi, etiamſi clericus ſit ſolvendo.

Quid de illis, qui dono fortè alicujus ſervitii præcedentis occaſione, accipiunt in perpetuum, vel ad vitam ſuam uſum fructum alicujus poſſeſſionis ab Eccleſiis, vel monaſteriis?

Reſpondeo *ſecun. Ray. tit. de uſu.* Si aliquis advocatus gratis ſervivit Monaſterio, vel Eccleſię, vel etiam aliquis dives gratis mutuavit pecuniam ſuam, licitè recipere poteſt hujuſmodi gratis, ideſt ex dilectione, licèt ſit exorta ex prædicto ſervitio, *12. quæſt. 2. quicunque & c. Eccleſiaſticis, & c. charitatem*. Idem dicendum eſt, ſi adhùc nullo impenſo ſervitio tales donum à monaſterio receperunt, dummodò ſtudeant de competenti ſervitio fidelitèr reſpóndere, ne aliàs videantur bona pauperibus debita conſumere, proptèr quod ſtrictiùs judicatur de rebus Eccleſiæ, licèt gratis recæptis, quàm de rebus Prælatorum.

Sed cui prædicta reſtitutio fiet?

Reſpondet Ray. quod auctoritate judicis pęnitentialis fieri debet Eccleſiæ, cui ſic injurioſè ablatum eſt, ità quod non illi eidem, qui dedit, cum turpitèr dedit: Tunc enim non ſibi, ſed ſucceſſori ejus poterit fieri, vel in utilitatem Eccleſiæ converti, vel ſi pęnitentiario videbitur expedire, ejuſdem loci pauperibus elargiri, *art. 17. quæſt. 4. ſi quis in atrio, & extra de offic. ordiniſ. cum vos*; & ſecundùm Rod. ultimum eſt meliùs, cum pauperes indigent, & Eccleſia ſatis abundat; Alitèr meliùs eſt, quod in utilitatem Eccleſiæ pauperis convertatur.

Inſuper nota, quod Prælatus duplicitèr aliquid poteſt Eccleſiæ ſurripere. Uno modo ſurripiendo rem deputatam alteri, non ſibi, ut rem capituli; & tunc reſtitui debet ei, cujus eſt. Alio modo rem Eccleſiæ ſuæ deputatam transferendo in dominium alterius, ut ſcilicèt conſanguinei, vel amici. Et tunc talis res reſtitui debet Eccleſiæ, ut convertatur in utilitatem ejus, vel cuſtodiatur ſucceſſori. Quod autèm dicit Ray. de auctoritate judicis pęnitentialis, eſt verum ſecundùm Rod. ſi ſuper talibus diſponendis habeat poteſtatem.

ARTICVLVS IV.

De furto, quod committitur pro pecato carnis.

Circà quartum quæritur.

Quid de muliere, quæ pecuniam accepit pro carnali opere?

Reſpondet Rod. quod ſi recepit à clerico ſæculari de rebus propriis, non tenetur reſtituere, etiamſi ſit monialis, ſed acquiritur monaſterio ejus illud, quod accepit. Honeſtiùs tamèn eſt, quod monaſterium illud non retineat, ſed eroget in pios uſus. Si autèm accepit à clerico ſæculari de rebus Eccleſiæ, debet fieri reſtitutio ſecundùm quod dictum eſt in præcedenti quæſtione, niſi Epiſcopus velit diſpenſare cum muliere, quæ recæpit, quod retineat illud, ſi eſt ſæcularis, aut cum monaſterio, ſi eſt regularis.

Si autèm recæpit à perſona regulari de rebus monaſterii, quod præſumendum eſt, niſi de contrario conſtet, aut recæpit ab habente adminiſtrationem, aut à ſimplici clauſtrali. In primo caſu debet fieri reſtitutio monaſterio, vel prioratui, vel adminiſtratori, de cujus bonis datum eſt, & poteſt fieri reſtitutio eidem perſonæ, quæ dedit, ſi adhùc remanet in adminiſtratione illa, maximè, ſi creditur correctus; aliàs tutiùs eſt, quod ei non reddatur, ſed fiat, quod dictum eſt ſuprà. Si tamèn tali non correcto facta ſit reſtitutio, liberata eſt, quæ accæpit. Si autèm amotus ſit ab adminiſtratione illa, aut ſi eſt ſimplex clauſtralis, qui dedit, fieri debet reſtitutio monaſterio, vel prioratui, vel adminiſtratori; Nec liberatur ſi ſolverit illi, qui dedit, niſi tunc demùm, cùm id converſum fuerit in utilitatem Eccleſiæ, monaſterii, prioratus, vel adminiſtratoris; Nec retineri poterit à monaſterio illius mulieris regularis illud, quod accepit à regulari alterius loci, niſi de conſenſu Abbatis, & Conventus, ſi donum fuerit magnum; aut Abbatis ſolius, ſi fuerit parvum, vel etiàm mediocre.

Quod autèm dictum eſt de rebus talitèr datis à Regularibus perſonis, intellige etiàm de rebus datis à perſonis ſæcularibus, etiàm laicis, qui non ſunt ſui juris, ut cum ſervus, & filiusfamilias, quandò dant talibus, de rebus etiàm pæculiaribus, niſi rerum illarum habeant ità liberam admini-

miniſtrationem, quod quaſi paterfamilias de eiſdem diſponere poſſint. Itèm quod dictum eſt de moniali reſpectu viri regularis, tenendum eſt è converſò, quandò vir regularis recepit aliquod de muliere regulari. Vir autèm ſæcularis, quod à muliere conjugata recæpit pro carnali copula, debet reſtituere viro, ſi illa de rebus dotalibus, vel communibus dedit; ſi autèm dedit de parafrenalibus; aut ſi mulier ſoluta ſui juris dedit aliquid Amaſio de rebus propriis, licèt ſit honeſtum, quod expendat illud in pias cauſas, non tamèn tenetur, niſi velit. Poterit etiàm ei reſtituere, quod dedit, quod videtur meliùs, ſi pęniteat, vel egeat.

Numquid perſona regularis reſtituere poteſt auctoritate propria, quod accepit pro carnali opere; vel quod habuit de furto, vel rapina?

Reſpondet Rod. quod ſi cuiquam competit repetitio rei datæ, diſtinguendum eſt, quod ſi adhùc extat res data penès eum, cui data eſt, & non audet, vel timet, vel non poteſt impetrare, quod fiat reſtitutio per Prælatum collegii, reſtituat auctoritate propria ſecundum formam ſupradictam, etiàm contradicente Prælato, quià magis eſt Deo obediendum, quàm hominibus. Si autèm non extat, quià jàm eſt conſumpta, inanis eſt actio, quàm excludit inopia debitoris. Si autèm non eſt conſumpta pęnitùs, ſed eſt converſa in utilitatem monaſterii, vel habet aliquid, quod comparavit ex re ſibi data, ſi non poteſt, vel non audet, vel timet impetrare, quod fiat reſtitutio per Prælatum, gerat bona ſide negotium monaſterii, reſtituendo cui debetur, ut dictum eſt. Vel ſi fuit datum de bonis Eccleſiæ ſæcularis impetrando diſpenſationem Epiſcopi, quod poſſit à monaſterio detineri, vel in pios uſus erogari; Non tamèn contradicente Prælato, faciat hoc proptèr bonum obedientię; niſi res illa ſit comparata de pecunia Eccleſiæ, vel perſonæ in hoc privilegiatæ, ſcilicèt, quod rem emptam de ſua pecunia poſſit vendicare, ut eſt miles, & pupillus; in quo caſu, ſcilicèt contradicente prælato, eam reſtituere poteſt, ſi eam habeat, ut dictum eſt de ea re, quæ adhuc extat pęnès illam perſonam, quæ accepit.

TITVLVS XXXVI.

De octavo Præcepto, ubi primò de Mendacio.

COnſequentèr conſiderandum eſt de octavo præcepto, quod dicitur, *Exod.* 20. *& Deut.* 5. *Non loqueris contrà proximum tuum falſum teſtimonium*. In quo quidèm *ſecundùm Aug. lib. de mendacio*, omne genus mendacii prohibetur. Secundùm enim *Alex. Aug.* 3. *tit.* 1. *c. de octavo præcepto, art.* 5. *cap.* 1. teſtimonium largè dicitur omnis ſermo, qui atteſtatur de animo dicentis; *& ſic dicit Aug. lib. de mendacio: Quiſquis aliquid annunciat, teſtimonium perhibet animo ſuo*; Et ſecundùm hoc omne mendacium eſt falſum teſtimonium. Strictè verò dicitur teſtimonium, ſermo apud judicem, ut non erret in judicando, vel etiàm apud eum, qui docetur in doctrina ſalutis, ne erret in fide, ut dicit *Aug. in e. lib.* & ſic patet, quod in hoc præcepto prohibetur mendacium; & hoc explicatur *Levit.* 19. *ubi dicitur ſic. Non mentiemini, nec decipiat unuſquiſque proximum ſuum.* Prohibetur etiàm in hoc præcepto falſitas, ut dicunt *ibi Gloſſ. & Iſidorus*. Et hoc eſt verum *ſecundùm Alex. ubi ſuprà art.* 3. *c. de falſitate*, apertè dicentis, quæ attenditur in mendacio.

Sed numquid prohibetur taciturnitas veritatis, cum veritas requiritur?

Reſpondet *Alex. ubi ſuprà art.* 4. quod ſic; quià in iſta negativa, ſcilicèt: *Non loqueris contrà &c.* includitur affirmativa, quà præcipitur obſervantia veritatis ad proximum. Negativa tamèn obligat ſemper, & ad ſemper, & affirmativa ſemper, ſed non ad ſemper, ſed pro tempore, & cauſa. Cauſa ergò facit taciturnitatem veritatis eſſe culpabilem 2. *q.* 3. *quiſquis, & eſt Aug. ad Caſul. & Chryſ. dicit*, quod non tantùm eſt proditor veritatis, qui palàm mentitur, ſed etiàm qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet, aut qui liberè veritatem non defendit, quam liberè defendere convenit. Cauſa etiàm, & opportunitas facit taciturnitatem eſſe licitam: Undè *Aug. lib. de Mendacio: licet predicatori celare quicquid ſibi pro tempore videtur, mentiri autèm numquàm*; de hoc vide *infrà in ſeq. tit. art.* 5.

Quià igitùr, ut patet ex prædictis, mendacium prohibetur in hoc præcepto; ideò primò dicendum eſt de ipſo mendacio, quod eſt communiùs; Secundò de teſtimonio falſo, quod eſt peſſima ſpecies mendacii, ut dicit Gloſſ. Videndum eſt ergò primò, quid eſt mendacium. Secundò in quo differunt hæc tria, ſcilicèt mentiri, dicere falſum, & mendacium. Tertiò quot ſunt ſpecies, ſivè differentiæ mendacii. Quartò utrùm mendacium ſit peccatum mortale, & quandò eſt veniale. Quintò de quibuſdam dubitabilibus circà mendacium.

ARTICULUS I.

Quid ſit mendacium.

CIrcà primum igitùr ſciendum, quod mendacium ſecundùm *Aug. lib. de mendacio: eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi*, 22. *quæſt.* 2. §. *ille ergò*. Ad cujus intelligentiam ſciendum, quod dictum exteriùs prolatum habet duplicem comparationem; unam ad rem ſignificatam; & ſic dicitur ſermò verus, cum ſcilicèt res adæquatur ſermoni, vel etiàm fallax, cum ſcilicèt non adæquatur. Alteram comparationem habet ad intentionem dicentis, & ſic dicitur ſermo

mo verax, cùm ſcilicèt intentio adæquatur ſermoni. Ergò mendacium nominat dictum per comparationem ad rem, & ad dicentem. Ideò ad completam mendacii rationem duplex falſitas concurrit; una per comparationem ad rem; altera per comparationem ad loquentis intentionem. Et hæc duplex falſitas tangitur in dicta deffinitione mendacii. Prima falſitas in mendacio tenet rationem materialis. Secunda rationem formalis; & ab illa ſecunda dicitur quis mendax.

Sed videtur, quod dicta notificatio non conveniat mendacio officioſo, & jocoſo; quià in neutro horum intendit quis fallere; ſed in officioſo intendit prodeſſe; in jocoſo delectari, ergò &c.

Reſpondeo, quod in dicta notificatione verbum fallendi non tantùm importat decipere, ſed etiam falſum dicere, & hoc eſt omni mendacio commune. Falſum enim dicere exteriùs, quodammodò fallere eſt, dùm homo dicit illud, quod poteſt hominem ad falſitatem deducere, & per conſequens fallere, & decipere; Vndè mendacium jocoſum, & officioſum ex ipſo genere operis rationem habet fallendi, licèt ex intentione dicentis non dicatur ad fallendum.

ARTICULUS II.

In quo differant mentiri, dicere falſum, & mendacium.

CIrcà ſecundum ſciendum, quod mentiri, juxtà ethymologiam vocabuli, *eſt contrà mentem ire*, ideſt dicere, vel facere aliquod contrà illud, quod eſt in conſcientia.

Aug. autèm ſtrictiùs ſumit mentiri, prout ſcilicèt eſt in ſermone, dicens: *qui mentitur, contrà illud, quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi*, 22. *quæſt.* 2. *is autèm*. Dicere falſum, eſt dicere aliquid eſſe ità, quod non eſt ità; non diſtincto, utrùm intendat dicere verum, vel falſum. Mendacium verò compræhendit utrumque: Eſt enim mendacium, ut dictum eſt, falſa ſignificatio vocis, eccè falſum dicere; cum intentione fallendi, eccè mentiri.

Ex his patet, quod hæc duo, ſcilicèt falſum dicere, & mentiri, ſe habent ut excedentia, & exceſſa, quià non omnis, qui mentitur dicit falſum, immò aliquandò dicit verum, licèt intendat dicere falſum; & è converſò, non omnis, qui dicit falſum, mentitur, imò aliquandò credit dicere verum, licèt dicat falſum, ergò, qui mentitur, ſemper fallit voluntate, licèt quandoquè fallatur in facti veritate; & ideò ſempèr peccat, quià ream linguam non facit, niſi mens rea, 22. *quæſt.* 2. *homines in fin.* Qui verò dicit falſum, non ſemper peccat; aliquandò enim dicit falſum cum intentione; & tunc eſt peccatum, & mendacium; aliquandò dicit falſum, & credit dicere verum; & tunc ſi adhibuit debitam diligentiam non peccat; Si autèm peccat, venialitèr peccat, *ut in c. homines prææalleg.* Qui autèm dicit mendacium, ſemper peccat, *ut 4. quæſt. 1. in fin.*

ARTICVLVS III.

Quot ſint ſpecies, ſivè differentiæ mendacii.

CIrcà tertium ſciendum, quod ſpecies, ſivè differentiæ mendaciorum *ſecundum Aug. lib. de mendacio, & habetur*, 22. *quæſt.* 2. *primùm*; ſunt octo.

Primum eſt mendacium in doctrina religionis; & ſecundum *Alex. Aug.* 2. *tit.* 2. *& c. de mendacio art. 7. quæſtiuncula* 5. religio ſumitur hìc communitèr ſecundùm quod nos religat ad tenendum non tantùm ea, quæ ſunt circà fidem, ſed etiàm ea, quæ ſunt circà mores bonos; in his enim duobus conſiſtit ſumma Chriſtianæ religionis.

Secundum, ut aliquem lædat injuſtè, quod ſcilicèt eſt tale ut nulli proſit, & alicui obſit, ut mendacium detractionis, & falſi teſtis in cauſa criminali.

Tertium eſt, quod uni prodeſt, & alteri obeſt, ut teſtimonium in cauſa pecuniaria.

Quartum eſt, quod fit ſola mentiendi, fallendiquè libidine, ut cum quis delectatur in aſtutia mendacia componendi; & ſicut dictum eſt ſuprà, libido fallendi non dicitur hìc libido decipiendi, ſed dicitur libido falſum dicendi. Et dicitur hìc mendacium fieri ſola libidine mentiendi, quià cum libido dicatur à libendo, nihil habet hìc mendacium nec in ſe, nec in cauſa extrà illum, in quo eſt libido, ſcilicèt mentientem; propter quod etiàm Aug. vocat ipſum mendacium merum. Non ſic de aliis mendaciis, quià habent cauſam extrà mentientem, ſcilicèt nocendi, vel juvandi, vel placendi.

Nota etiàm hìc, quod libido poteſt dici duplicitèr, uno modo ſtrictè, & propriè, ſecundùm quod dicit Aug. quod libido eſt appetitus animi, quo aliquod temporale præponitur bono æterno; & ſic non eſt radix, niſi mortalium peccatorum; & ſic non ſumitur in quarto mendacio. Secundo modo dicitur communitèr, ſcilicèt prout eſt radix non tantùm mortalium, ſed etiàm venialium; Undè cum dicatur à libendo, ſicut liberè, quod eſt liberi arbitrii, poteſt inordinatè moveri ad mortale, & veniale, ità & hìc libido poteſt eſſe radix utriuſque. Et ſic cadit libido in ratione hujus mendacii. *Hæc Alex.* 3. *tit.* 1. *c. de octavo præcepto art.*6. *o. &* 2. *tit.* 2. *c. de mendacio art.* 7. *quæſtiuncula* 4. *& Bon.* 3. *diſt.* 38. *art.* 5.

Quintum eſt, quod fit placendi cupiditate, ut mendacium adulationis.

Sextum eſt, quod nulli obeſt, & alicui prodeſt, ſcilicèt ne ſibi pecunia auferatur.

Septimum eſt, quod nulli obeſt, & alicui prodeſt, ut ſcilicèt mortem evadat.

Octavum, quod nulli obeſt, & ad hoc prodeſt,

deſt, ne caſtitas violetur.

Eſt & alia diviſio mendacii brevior, ſcilicèt in mendacium Pernicioſum, Jocoſum, & Officioſum. Et colligitur ex verbis *Aug. ſuper illud Pſal. perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & habetur, 22. *quæſt.* 2. *ne quis*; Et hæc ſecunda diviſio mendacii eſt ſecundùm Ray. & Hoſt. plenior, quàm prima; quià ſecundùm eos, mendacium pernicioſum compræhendit ſub ſe primas quinque differentias primæ diviſionis; mendacium verò officioſum compræhendit reliquas tres. Sic ſecundùm ipſos mendacium jocoſum in ſecunda diviſione ſupradditur membris primæ diviſionis. Secundùm autèm omnes theologos, quorum ſcripta vidi, ſcilicèt *ſecundùm Alex. Aug. ubi ſuprà art. 5. c. Bon. ubi ſuprà, Ric. 3. diſt. 38. art. 3. & Pet.* non ſuperadditur diviſioni primæ, ſed continetur in ea, & compræhendit ſub ſe quartum, & quintum membrum ejus. Et hoc veriùs credo: Undè una illarum non excedit aliam, nec è converſò, & una illarum includitur in altera, & è converſò. Hoc autèm ſic patet.

Mendacium enim habet pro formali completivo, ut dictum eſt ſuprà, intentionem fallendi; Et ideò ſecundùm intentionem dicentis habet mendacium in ſpecies diverſificari. Intendit enim, aut prodeſſe, & ſic eſt mendacium officioſum; aut delectari, & ſic eſt jocoſum; aut lædere, & ſic eſt pernicioſum. Pernicioſum autèm continet tria prima membra primæ diviſionis, ſecundùm quod aliquis poteſt lædere, vel in ſpiritualibus, & ſic eſt primum membrum primæ diviſionis; vel in temporalibus, & hoc, aut, ut alicui obſit, & nulli proſit, & ſic eſt ſecundum membrum; aut ut alicui obſit, & alicui proſit, & ſic eſt tertium. Jocoſum verò continet duo membra primæ diviſionis, ſcilicèt quartum, & quintum; intendit enim mentiens delectari, & hoc vel ſeipſum ad ſolatium provocando, & ſic eſt quartum, ſcilicèt mendacium ſimplicitèr jocoſum; vel audientes, & ſic eſt quintum. Mendacium autèm officioſum continet tria ultima membra, intendit enim mentiens prodeſſe alteri, vel in rèbus, & ſic eſt ſextum membrum; vel in corpore, & ſic eſt ſeptimum; vel in anima, & ſic eſt octavum, & ſic patet propoſitum.

Sed numquid eſt mendacium, ſi quis non impleat, quod promiſit?

Reſpondeo: qui aliquid promittit, ſi animum habeat faciendi, quod promittit, non mentitur, quià non loquitur contrà id, quod gerit in mente. Si verò non faciat quod promittit, videtur infidelitèr agere per hoc, quod animum mutat. Poteſt tamèn ex duobus excuſari; Uno modo, ſi promiſit illud, quod eſt illicitum manifeſtè, & tunc promittendo peccavit, undè mutando voluntatem, benè facit; alio modo ſi ſint mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum; ut enìm dicit *Seneca lib. de offic.* ad hoc, quod quis facere teneatur, quod promiſit, requiritur, quod omnia maneant immutata, aliàs nec fuit mendax in promittendo, quià quod promiſit, habebat in animo ſub conditionibus debitis, nec etiam eſt infideli non implendo, quià eædem conditiones non extant. Undè & Apoſtolus non eſt mentitus, quià Corinthum non ivit, quo ſe iturum promiſit, ut dicitur, 2. *Corint.* 11. & hoc proptèr impedimentum, quod ſupervenit. *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. *c.* 5.

Ad hæc nota; quod mendacium poteſt ſumi triplicitèr, ſcilicèt propriè, & ſic eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi. Et communitèr accipitur pro peccato duplicitatis, ſcilicèt, cum aliud eſt in mente, & aliud doloſè ſumitur in opere, ſecundùm illud *Pſal. mendaces filii hominum in ſtateris*. Tertiò ſumitur communiſſimè, & ſic dicit Gloſſ. ſuper illud *Pſal. quià delectaſti me*, quod omne peccatum mendacium eſt, quià eſt contrà legem, & veritatem, quod dicitur pro tanto, quià à vero bono elongat, & veram delectationem, quàm promittit non dat; & ſic etiàm ſumitur *Jo: 8. Diabolus mendax eſt, & pater ejus*, ideſt mendacii, ideſt peccati, ſecundùm Gloſſ. & in *Pſal. omnis homo mendax*, ideſt peccans. Hæc *Alex. Aug. 3. tit. 1. c. de octavo præcepto art. 6. c. prim. ad oppoſitum*.

ARTICULUS IV.

Utrùm Mendacium ſit peccatum, & quale.

Circà quartum articulum quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm mendacium ſit ſecundùm ſe malum, & peccatum?

II. Utrùm omne mendacium ſit mortale peccatum.

Circà primum reſpondeo, quod ſic; undè nullo pacto, nullo fine, nulla diſpenſatione humana, vel divina poteſt fieri benè. Et hoc Aug. dicit expreſsè *lib. de mendacio*, & nititur multiplicitèr probare: Et in hoc conveniunt communitèr doctores, ut dicit *Bon. 3. diſt. 38. art. 2. c.* Ratio hujus eſt, quià duplicitèr dicitur aliquid eſſe malum, ſcilicèt, aut ex genere actus, ut cum actus ſuper materiam indebitam tranſit; aut ex malitia intentionis. Poteſt autèm actus tranſire ſuper materiam duplicitèr, ſcilicèt reſpectu Dei, & reſpectu proximi; ſi reſpectu Dei, ſic eſt malum in ſe, & ſecundùm ſe, neque ullo modo poteſt fieri benè, ut eſt Deum odire; Si reſpectu proximi, ut eſt nocere proximo, ſic eſt malum in ſe, non tamèn ſecundùm ſe: Undè poteſt aliquo fine fieri benè, quià poteſt ibi recta intentio ſupervenire. Si autèm aliquid eſt malum ex malitia intentionis, tunc ſivè ſit reſpectu Dei, ſivè proximi ſimplicitèr eſt malum, & nullo fine poteſt fieri benè, quià dicit privationem debiti finis; Tale autèm eſt mendacium, quià non tantùm dicit malum, ex hoc, quod tranſit ſuper indebitam materiam, ſed etiàm quià habet intentionis malitiam.

Circà ſecundùm reſpondeo, quod non; ſed aliquod eſt mortale, aliquod eſt veniale; Mendacium enim eſſe peccatum mortale dupliciter poteſt intelligi, ſcilicèt aut per ſe, ſcilicèt ratione ſuæ ſpeciei; aut per accidens, ſcilicèt ratione alicujus circumſtantiæ. Primò modo illud mendacium eſt peccatum mortale, quod eſt ſecundùm ſuam ſpeciem contrà charitatem, ut eſt mendacium in doctrina religionis, & mendacium, quod eſt in nocumentum proximi, ſivè proſit alicui alii, ſivè nulli; & ſic tres primæ differentiæ, quæ continentur ſub mendacio pernicioſo ſunt peccata mortalia ratione ſuæ ſpeciei; Et de hujuſmodi intelligitur illud *Pſal. perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & illud *Sap.* 1. *Os, quod mentitur occidit animam*. Illud autèm mendacium, quod ſecundùm ſuam ſpeciem non eſt contrà charitatem, non eſt ſecundùm ſuam ſpeciem peccatum mortale, ſed veniale, ut mendacium, in quo non ſuprà, ſed infrà Deum intenditur aliqua levis delectatio, vel etiàm utilitas proximi. Et ſic mendacium continens duas differentias mendacii, ſcilicèt quartam, & quintam, & mendacium officioſum continens tres ultimas differentias, non ſunt ſecundùm ſuam ſpeciem peccata mortalia, ſed venialia; Undè Aug. ſuper illud *Pſal. perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: *Duo*, inquit, *ſunt genera mendaciorum, in quibus non eſt magna culpa, ſed non ſunt ſinè culpa, ſcilicèt, cum aut jocamur, aut proximo conſulendo mentimur*. Secundo modo, ſcilicèt per accidens etiam mendacium jocoſum, & officioſum poteſt eſſe mortale. Et hoc contingere poteſt quadrupliciter. Primò ratione nocumenti, ut cum mentiens videret probabiliter ex ſuo mendacio alicui imminere aliquod notabile nocumentum, licèt illud mendacium non eſſet ad hoc ordinatum. Alio modo ratione nimiæ libidinis, ſivè complacentiæ, delectationis, quod contingit in mendacio jocoſo, putà ſecundùm Rod. cum aliquis ſuam, vel alterius complacentiam, ſivè delectationem in ſuo mendacio dilectioni Dei, & mandatorum ejus præponeret, & tunc in tali mendacio mortaliter peccaret; Undè Aug. Nullum peccatum adeò eſt veniale, quod non fiat criminale, dùm placet; ſecùs eſt ſi delectatio illa eſſet ſub Deo, *art. 25. diſt.* §. *criminis*. Tertiò ratione contemptus etiàm in mendacio jocoſo, ut cum quis pro indifferenti, & pro nihilo habet dicere tota die mendacia jocoſa ſicut faciunt mimi, & juculatores, & ſimiles ſecundùm *Hoſt. art. a. diſt.* §. *aliàs*; Secùs eſt de aliis, quibus hoc accidit fortè rarò, vel ex eventu; undè ſi Ray. & Hoſt. quandò dixerunt quartum, & quintum genus mendacii eſſe pernicioſa, & mortalia peccata, ſi intellexerunt hoc modo, ſcilicèt ratione alicujus circumſtantiæ, putà contemptus, vel libidinis, vel nocumenti, vel ſcandali, benè dixerunt; ſi autèm intellexerunt ratione ſuæ ſpeciei, contrarium ſentire videntur *Alex. Ang.* 2. *tit.* 2. *c. de mendacio art.* 4. *o. Bon.* 3. *diſ.* 38. *art.* 3. *c. Ric.* 3. *diſt.* 38. *art.* 3. *c. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 4. *c.* quibus in hac materia magis aſſentiendum puto. Quarto ratione ſcandali; ſcandalum autèm ex multis cauſis contingere poteſt; Et contingit frequenter ratione circumſtantiæ perſonæ, ut cum mentiens eſt perfectus, & quoad vitæ ſtatum, & quoad reputationem hominum; in tali enim, ſi conſcientia dictet ſibi probabiliter, quod ex ſuo mendacio ſequetur ſcandalum, mendacium eſt peccatum mortale, ſecùs eſt ſi ſit perfectus, non tamèn in opinione hominum; licèt enim in tali ſit gravius peccatum, quàm in homine imperfecto, non tamèn eſt mortale, quià non ſubjacet ſcandalum; & ſic intelligi poteſt quod dicit Aug. ſuper illud *Pſal. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; *Si quis*, inquit, *non vult hominem perdere ad mortem verum taceat, ſed falſum non dicat, ne pro corpore alterius animam ſuam occidat*; Et ſimiliter illud, quod *idem dicit lib. contrà mendacium*, ſcilicèt, quod perfectorum eſt præceptum non tantùm non mentiri, ſed nec velle mentiri; Et hæc, quæ dicta ſunt in hac ſolutione conſonant verbis *Bon. Ricc. & Thom. ubi ſuprà*.

Notandum autèm circà quintum genus mendacii, ſcilicèt mendacium adulationis ſecundùm Ray. quod tripliciter quis adulatur, ſcilicèt attribuendo alicui bonum, quod non habet; approbando malum, quod habet; & ſuper extollendo bonum, quod habet. Primo modo, & ſecundo credit Ray. eſſe peccatum mortale, ſed ſecundo modo gravius, 22. *quæſt.* 2. *primum*, & *diſ.* 46. *ſunt nonnulli*, & *diſt.* 38. *c. nullus*. Tertio modo credit veniale, *diſt.* 25. §. *alias eo demùm*. Quidam tamèn dicunt in primo modo eſſe veniale; hæc Ray. Secundum verò Hoſt. primo modo poteſt dici mortale in mimis, & ſimilibus, in aliis verò, quibus hoc accidit fortè rarò, vel ex eventu, eſt veniale.

Quià verò de mendacio in homine perfecto ſunt diverſæ ſententiæ, ideò ut meliùs ſatisfiat lectori, referam eas ſuccinctè.

Dicunt enim quidam, quod mendacia illa, quæ ſunt venialia in imperfectis, ut mendacium jocoſum, & officioſum, ſunt etiàm venialia in perfectis, magis tamèn gravia. Alii dicunt, quod mendacia officioſa ſunt ſempèr in perfectis mortalia, jocoſa verò ſunt venialia, pro eo quod homo mendacia officioſa ex animo dicit, & per ea fallere intendit, non autèm per jocoſa; hæc autèm; ſcilicèt mendacia jocoſa eſſe venialia in perfectis, intelligendum videtur ſecundùm Ray. & Hoſt. quando ille, cui dicuntur jocoſa mendacia, ſcit dici cauſa jocandi. Sic videtur Aug. dicere illud, 22. *quæſt.* 2. *ne quis*; & quando in dicendo ea non eſt contemptus, vel libido nimia. Dicitur autèm hìc perfectus ſecundùm Ray. & Hoſt. vir clauſtralis, ſivè religioſus, qui ex toto renunciavit mundo: Et multò magis ſecundùm Hoſt. Epiſcopus, qui ſicut præcellit in dignitate, ità preeminere debet aliis in religione, & ſanctitate;

vel etiàm vir perfectus dicitur ſecundùm Hug. & Jo: ut Hoſt. refert, ille, qui ſi decederet, ſtatim ad patriam evolaret.

Prima opinio magis placet Ray. & qui tenent eam, reſpondent ad verba Aug. ut dicit *Bon.* 3. *diſt.* 38. *art.* 4. *c.* quod Aug. non intendit dicere, quod prædicta mendacia ſint perfectis viris peccata mortalia, ſed quod ſint eis graviora, & magis indecentia, quià mentiendo ſe, & alios ad mortem diſponunt.

Secunda verò opinio magis conſonat verbis Aug. qui videtur expreſsè dicere ſuper illud *Pſal. perdes omnes, quoi loquuntur mendacium*, quod mendacium officioſum eſt viris perfectis mortale peccatum; ipſe enim propter magnum veritatis zelum maximè deteſtatus eſt mendacium, & ideò illud ſaltem à viris perfectis voluit elongare, ut veritas in aliquibus ſedem ſolidam inveniret; *ſecundùm Bon. ubi ſup. in fin. art.* & hæc ſecunda opinio eſt tutior *ſecundùm Hoſt. art. diſt.* 5. *ad ejus*.

Tenet etiàm eam frater Guil. de Mara, loquens indiſtinctè de viris perfectis; videtur etiàm ei magis adhærere Bon. diſtinguit tamèn rationabilitèr de viris perfectis, ut jàm ſtatim patebit; Secundùm enim, quod ipſe dicit; homo non obligatur ſpecialitèr ad aliquid ultra alios, niſi ratione voti emiſſi, vel officii commiſſi, vel ſcandali imminentis, vel conſcientiæ dictantis. Si ergò viri perfecti ſunt obligati ad non mentiendum àliquo genere mendacii, cum non ſint obligati ad hoc ex præcepto, nec ex voto, nec ex officio commiſſo, erunt obligati proptèr ſcandalum, & conſcientiæ vinculum; & ideò diſtinguendum eſt, quod quidam ſunt perfecti publici, quidam occulti; primis adhibetur fides tanquàm conſervatoribus veritatis, & quià mendacium deprehenſum facit, ut homo non credat alteri, ſi ipſi mentirentur, jam nec eis crederetur, nec aliquibus aliis, & ſic veritati præjudicaretur, & aliis occaſio ſcandali daretur; Et ideò tales debent habere conſcientiam, quod pro nulla re dicant mendacium propter vitandum ſcandalum, & veritatis contemptum. Quandò ergò dicunt; mortalitèr peccant, tùm quià faciunt contrà conſcientiam, tùm quià alios activè ſcandalizant; non ſic autèm ſcandalizantur de imperfectis, vel de perfectis occultis, ideò tales non ſic obligantur ad omne mendacium evitandum. Sed

Contrà; ſuper illud *Rom.* 14. *omne, quod non eſt ex fide, eſt peccatum*, dicit Gloſſ. *Omne, quod fit contrà conſcientiam, ædificat ad gehennam*, ſed omne mendacium fit contrà conſcientiam, ergò &c.

Reſpondeo, ad gehennam ædificat per cauſam peccatum mortale, ſed per occaſionem, ſivè diſpoſitionem veniale; Undè etiàm mendacium veniale ædificat ad gehennam diſpoſitivè: vel etiàm ſecundùm *Petr.* 3. *diſt.* 38. quicquid fit contrà conſcientiam faciendi ex neceſſitate, ædificat ad gehennam, non autèm quicquid fit contrà conſcientiam faciendi ex honeſtate.

Ad hoc nota *ſecundùm Alex.* 3. *tit.* 1. *c. de octavo præcepto art.* 6. *c. juxta reſponſionem ad objecta*, quod cum Aug. dicit ſuper illud: *perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, quod vir perfectus mentiri non debet pro conſervanda alterius vita, ne perdat animam ſuam; non intendit dicere, quod perfectus quocumque mendacio mentietur, mortalitèr peccet; ſed quod ſemper mendacium vitare debet, ne pro vita alicujus ſervanda diſcrimen committat in animam ſuam; propter veniale enim citiùs veniet ad mortale; Undè, cùm dicit, dum vitam alterius ſervat, ſupple, mendacio veniali, animam ſuam perdat, ideſt aliquandò perdere cotingat mendacio mortali; Præterea, quià neſcitur utrùm mendacium proveniat ex radice mala, ſivè libidine, ideſt amore mortali, vel veniali, ideò dicit, ne fortè &c. undè non aſſerit propter hoc, quod perdat animam ſuam. Eſt autèm libido mortalis appetitus animi, quo bonis æternis quædam temporalia præponuntur, ut vult *Aug. lib. contrà mendacium*. Libido verò venialis eſt appetitus ſenſualitatis, vel rationis, quo aliquod temporale nimis diligitur, tamèn ſub Deo. Hæc Alex. ubi ſuprà.

Sed numquid omne mendacium eſt prohibitum in hoc præcepto, ſcilicèt, *non loqueris falſum teſtimonium?*

Reſpondeo, quod ſic; loquendo de mendacio, quod provenit ex libidine mortali, non autèm mendacium proveniens ex libidine veniali; Sic nec in aliis præceptis prohibetur culpa venialis. Et quod *dicit Aug. libro de mendacio*, quod in nullo caſu eſt mentiendum, intelligitur, quià eſt malum ſecundùm ſe, & mendacium mortale ſeparat à veritate divina, veniale autèm ad ſeparationem diſponit. *Hæc Alex. Aug. ubi ſuprà*.

Quæritur etiàm, quod genus mendaciorum ſit gravius peccatum?

Reſpondeo ſecundùm, quod Beatus Aug. dicit, gradus mendaciorum ſequitur ordinem, ità quod primum eſt magnum, & ultimum eſt minimum. Ratio hujus eſt, quià ſecundùm quod vult *Philoſ. lib. topic.* Si magnum in uno genere excedit maximum in alio genere, & ſimilitèr hoc genus excedit illud; Undè ad hoc, quod aliquod genus excedat alterum, non oportet, quod ſingula hujus excedant ſingula alteriùs generis, ſed quod ſummum in uno genere excedat ſummum in alio genere. Exemplum poteſt poni de Equo, & Aſino. Quoniàm ergò inter mendacia omnia illud eſt maximum, quo quis intendit nocere in ſpiritualibus, ideò primum genus mendacii, quod fit in doctrina religionis, cum ad hoc ordinetur, eſt inter omnia mendacia ſummum. Quià verò non poteſt aliquis pro cauſa majori mentiri, quàm pro conſervatione ſpiritualis boni, vel bono ſpirituali annexi, ideò illud mendacium eſt leviſſimum, quod fit pro conſervanda corporis caſtitate, vel aliquo ſimili. Et ſic gradatim

tim aſcendendo, & deſcendendo eſt videre in aliis; Undè valdè rationabilitèr Aug. ſpecies mendaciorum, & gradus ordinavit.

ARTICULUS V.

De quibuſdam dubitabilibus circà mendacium.

Circà quintum Articulum plurà ergò quæruntur, ſcilicèt.

I. Utrùm Sancti Patres mentiti fuerint in aliquibus dictis ſuis, quæ referuntur in Sacra Scriptura?

II. Utrùm obſtetrices peccaverint mortalitèr, vel venialitèr in mendacio ſuo, de quo dicitur *Exod* 1. quo dixerunt: *non ſunt hebrææ mulieres, ſicut Ægyptię &c.* In quo ſunt mentitæ?

III. Utrùm liceat alicui dicere mendacium, ut ad fidem, vel religionem alliciat proximum?

IV. Utrùm Prædicator, & Doctor Theologiæ ſempèr mortalitèr peccet mentiendo, cum faciat contrà doctrinam ſuam, quę eſt doctrina veritatis?

V Utrùm liceat alicui mentiri pro conſervanda alterius vita?

Circà primum reſpondeo; in Sacra ſcripturà, ut dicit Aug. inducuntur aliquorum geſta quaſi exempla perfectæ virtutis, de quibus non eſt exiſtimandum eos mentitos fuiſſe; Si qua tamèn in eorum dictis mendacia videantur, intelligi debent eſſe dicta figuralitèr, & prophæticè. Quod enim dixit Abraham *Geneſ.* 22. ſe ad ſervum cum puero reverſurum, non fuit mendacium, quià ſecundùm Alchin. etſi intendebat filium immolare, credebat tamèn, ut dicit Apoſtolus, quod Dominus eum ſuſcitaret. Sciebat enim, quod firma erat promiſſio, quà dictum fuerat ei. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*; Vel cum dixit, *revertemur*, ſubintelligitur, ſi dominus voluerit.

Non eſt etiàm mentitus Abraham *Geneſ.* 12. & 20. dicens, quod Sara eſſet ſoror ſua, ut dicit Aug. in quæſtionibus ſuper Geneſ. hoc dicens: *veritatem voluit celare, non mendacium dicere. Soror enim ſua dicebatur, quià filia fratris ejus erat*; undè ipſe dixit *Geneſ.* 20. *Verè ſoror mea eſt filia fratris mei, & non matris meæ*, quià ſcilicèt ei attinebat ex parte patris.

Iſaac etiàm dicens, *Geneſ.* 26. de Rebecca uxore ſua, quod ſoror ejus eſſet, non fuit mentitus, quià erat ejus ſoror, & uxor.

Jacob etiam dicens *Geneſ.* 27. ſe eſſe Eſau Primogenitum Iſaac, non eſt mentitus, quià hoc dixit myſticè, pro eo quod primogenita ejus debebantur ſibi de jure; Et ſic Jacob erat Eſau primogenitus non in perſona quidem, ſed in jure primogenituræ. Uſus autèm fuit hoc modo loquendi per ſpiritum prophætiæ ad deſignandum myſterium, quià ſcilicèt populus minor, ſcilicèt gentilium, ſubſtituendus erat in locum Primogeniti, ſcilicèt populi Judeorum, vel etiam ad deſignandum, quod populus ab eo deſcendens erat præferendus quantùm ad Deum populo ab Eſau deſcendenti. Iſaac verò dixit hoc Jacob fraudolentèr egiſſe, quià ſic exiſtimabat; undè nec ipſe mentitus fuit.

Joſeph etiàm *Geneſ.* 42. dicens fratribus ſuis: *exploratores eſtis*, non fuit mentitus, quià hoc non dixit aſſerendo, ſed potiùs tentando, ſivè interrogando.

Non fuit etiàm mentitus *Geneſ.* 44. dicens, quod habebat ſcientiam auguriandi; quià ibi ſumitur augurium communitèr pro futurorum prævisione. Vel poteſt dici, quod hoc dixit interrogativè exprimens opinionem populi, quam de ipſo habebat; Vel etiàm ſecundùm *Aug. 5. ſuper Geneſ.* Joſeph dixit illa non ſeriò, ſed jocò; & ideò non eſt habendum pro mendacio; mendacia enim à mendacibus ſerioſè dicuntur, quod debet intelligi ſecundùm quod mendacium dicitur falſa vocis ſignificatio, cum intentione fallendi.

Quidam verò laudantur in ſcripturis non proptèr perfectam virtutem, ſed proptèr quamdam virtutis indolem, quià ſcilicèt in eis apparebat aliquis affectus laudabilis, ex quo movebantur ad aliqua indebita facienda; & ſic Judith laudatur, non quià fuit Holoferni mentita, ſed proptèr affectum, quàm habuit ad ſalutem populi, pro qua ſe periculis expoſuit; licèt etiàm dici poſſit, quod ejus verba ſunt ſecundum aliquem intellectum myſticum vera; Undè ſecundùm Gloſſ. ibidem, non dixit illa adulatoriè mentiendo, ſed futura prophæticè prædicando.

Circà ſecundùm videtur, quod mortalitèr peccaverint, quià dicit Gloſſ. Greg. quod *benignitatis earum merces, quæ in æterna vita remunerari poterat, per mendacii culpam, in mercedem temporalem eſt commutata.* Nihil autèm hanc commutationem facit, niſi peccatum mortale, ergò &c.

Contrà hoc, eſt Gloſſ. alià ibidem, dicens: *levioris eſt culpæ, ſi quiſquam mentiatur præſtando beneficium.* Itèm videtur, quod circà hoc Hieron. ſit contrarius Græg. ſuper Iſai. verſus finem, quià dominus eis præparavit domos ſpirituales, & ſic videtur, quod non retribuerit eis in præſenti.

Reſpondeo: hic eſt multiplex modus dicendi; unus eſt, quod obſtetrices mentitæ fuerunt pro conſervatione vitæ puerorum, & propriæ, & reſpectu vitæ puerorum mendacium illud fuit ex pietate, & peccatum veniale, quià erat mendacium officioſum; reſpectu verò vitæ propriæ, quam magis diligebant, quam veritatem, fuit ex libidinoſo amore vitæ ſuæ eo tempore, quo veritas erat confitenda, ſcilicèt quandò interrogatæ fuerunt in judicio à judice; & ſecundùm hoc fuit peccatum mortale, & abſtulit eis mercedem, quam priùs meruerant, parvulos Dei timore ſervando. Et ſecundùm hoc loquuntur diverſimodè Sancti; & huic opinioni magis videtur adhærere *Alex. Aug.* 2. *tit.* 2. *c. de mendacio*

Digitized by Google

cio: art. 6. q. 2. ſed ille modus dicendi eſt *ſecun. Bon. 3. diſt. 38. q. circà litteram, q. 1.* calumniabilis, quià durum videtur, quod aliquis dicens aliquod leve mendacium pro ſalute corporis ſui; mortalitèr peccet. Dicunt etiàm aliqui, ut dicit *Riccar. 3. diſt. 38. in expoſitione litteræ*, quod obſtetrices, quià requiſitæ in judicio à judice, ubi quilibet tenetur non negare veritatem, mentitæ fuerunt, ideò mentiendo mortalitèr peccaſſent, niſi fuiſſet opus miſericordiæ, cujus inquiſitio ad Pharaonem non pertinebat, quia non eſt data aliqua poteſtas homini ad agendum aliquod contrà Deum. Alius autèm modus dicendi eſt, quod in obſtetricibus illis eſt duo conſiderare, ſcilicèt beneficium pietatis præcedens, & mendacium ſubſequens; Et primum fuit ex pietate quadam naturali, quod quidèm non erat vitæ æternæ meritorium de condigno, quià non erant in charitate, ſed de congruo, quià diſponebat eas ad charitatem; ſed mendacium ſubſequens diſpoſuit ad contrarium, & ideò pietas præcedens fuit temporalitèr remunerata proptèr mendacium, quod ad gratiam, ſivè charitatem viam impedivit, quod quidèm facere poteſt veniale. Et hoc vult dicere Greg. cum dicit: *Benignitatis earum merces, quæ in æterna vita remunerari poterat*, poterat, inquàm, potentia remota, non potentia diſpoſita, & propinqua, & ex hoc nulla eſt controverſia inter Greg. & Aug. nec etiàm inter eos, & Hieron. quià ipſe non vult dicere, quod obſtetrices habuerint domos ſpirituales per gratiæ aſſecutionem, ſed quod quodamodò præparatæ fuerint ad gratiam per timorem, & pietatem. Et huic modo dicendi adhæret Bon. ubi ſuprà. Hunc etiàm modum ponit Alex. ubi ſupra. Tertius modus dicendi eſt *ſecundùm Thom. 2. 2. quæſt. 11. art. 4. c. 3.* quòd obſtetrices quoad effectum præcedentem meruerunt remunerationem æternam: undè Hieron. exponit, quod Dominus ædificavit eis domos ſpirituales, ſed quoad actum mendacii non meruerunt remunerationem æternam, ſed fortè aliquam temporalem, cujus merito non repugnabat deformitas illius mendacii, ſicut merito remunerationis æternæ: & ſic intelligi debent verba Greg. quod merces benignitatis earum, quæ potuit eis in æterna vita retribui, præmiſſa culpa mendacii in remunerationem temporalem eſt declinata; non enìm intelligit, quod per illud mendacium amiſerint remunerationem æternam, quam jàm meruerant ex affectu præcedenti. *Secundùm verò Alex. 3. tit. 1. c. de 8. præcepto, art. 6. c. 7. ad oppoſitum*; ſi mendacium obſtetricum proceſſit ex libidine mortali, putà, ſi diligebant vitam temporalem Hæbreorum ſuper Deum, fuit mortale; & in hoc caſu loquitur Greg. Si verò proceſſit ex veniali libidine, ideſt amore ſub Deo, fuit veniale; Et ſic loquitur Hieron. ſupponens eas ex pietate fuiſſe mentitas, ſub Deo tamèn vitam illorum dilexiſſe, & ideò vitam æternam meruiſſe.

Eſtò quod aliquis videat ſibi periculum iminere amittendi caſtitatem, numquid licebit ei mentiri proptèr illud periculum evitandum?

Ad hoc reſpondet *Alex. Aug. 2. tit. 2. c. de mendacio art. 7. quæſt. 2. & Bon. 3. diſt. 38. art. 6. in reſponſione ad primam quæſtionem*, quod ille, qui eſt in tali periculo conſtitutus, aut eſt perfectus amator continentię, aut imperfectus; ſi eſt perfectus, ità quod poſſit confidere de continentia mentis, non debet mentiri pro vitanda corruptione carnis, quià ſicut dixit Beata Lucia; *Si me invitam violaveris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*; In tali enìm eſſe poſſet illa paſſio ſinè culpa. Si autèm eſt imperfectus, rationabilitèr timere debet, ne ſuccumberet, ſi ad ſtatum illum veniret, & ideò ei conceditur evadere periculum majoris peccati, per minus peccatum: Undè ſanius conſilium eſt tali falſum aliquod dicere, quàm illam paſſionem ſubſtinere; Et hoc eſt, quod dicit *Aug. lib. de mendacio*: peccata illa, quæ ità committuntur in homine, ut eum faciant immundum, & in peccatis noſtris vitare debemus; Ac per hoc nec peccata dicenda ſunt, quia ideò fiunt, ut immunditia evitetur; quod intelligi debet, non quod non ſint peccata ſimplicitèr, ſed quod non ſint gravia. Et ſicut dictum eſt de viro imperfecto reſpectu ſui; ſic etiàm dicendum eſt de viro imperfecto reſpectu alterius imperfecti, ſecundum Bon. ubi ſuprà.

Circà tertium reſpondet *Bon. ubi ſup. reſponſione ad 2. quæſt.* quod non; quià non indiget Deus mendacio noſtro, nec debet aliquis credere, quod aliquis convertatur per falſi ſuggeſtionem, ſed potiùs per Spiritus Sancti inſpirationem, quià ut dicit Greg. *in vanum laborat lingua Doctoris, niſi intùs operetur gratia Salvatoris*.

Circà quartum Reſpondet *Petr. 3. diſt. 38.* quod non; graviùs tamèn peccat, ſi ſcandalum, vel contemptus doctrinæ ſit annexum, tunç enim ſi ſciens hoc mentitur, mortalitèr peccat. Si dicatur, quod faciat contrà doctrinam, dicendum, quod facere contrà illud, quod homo docet faciendum ex neceſſitate, peccatum eſt mortale, ſed non contrà illud, quod docet ex conſilio, vel utilitate.

Circà quintum reſpondet *Pet. 3. diſt. 38.* quod non; neque etiàm imperfecto; licet enim imperfecto veritatem celare, ſed non falſitatem dicere, ſecundùm Aug *art. pro eo. 22. quæſt. 2. primum, & diſt. 14. quod ait quæ ſunt capitula Aug. & 22. quæſt. 2 omne, quod eſt cap. Iſid.* Imperfectus ergò de quæſito ad mortem debet celare veritatem, ſcilicèt ſophyſticè, vel figurativè quærentes deludendo, vel omninò tacendo, vel expreſsè ſe non indicaturum aſſerendo, ſed non debet falſum dicere; Si verò, ex eo, quod non mentitur, conjecturam accipiunt, non tamèn ipſe prodit.

Si dicatur, quod Aug. dicit, quod hoc non convenit perfectis *22. quæſt. 2. ne quis*, ergò à contrariò ſenſu convenit imperfectis?

Re-

Reſpondeo, quod dicit illud non convenire perfectis, non quià conveniat aliis, ſed quià minus convenit eis. Undè *Aug. lib. de menda. De quæſito*, inquit, *ad mortem, ſi neſcis, te neſcire fatendum eſt; ſi ſcis, non eſt dicendum neſcio; Si autèm ſit neceſſariò dicendum, dices: ſcio ubi eſt, nunquàm autèm demonſtrabo. Secundùm autèm Hoſt. tit. de pœ.* poteſt reſponderi: ſi talem quæris, curre illùc citò; ità tamèn, quod ſibi oſtendatur alia via, quam fugiens teneat, vel aliùs locus, quàm ubi latet; vel ſic: Multi domum iſtam intrant, & exeunt, quos non video, nec ſcio ubi ſit, ideſt, in quo angulo domus; vel ſic: Non vidi eum diù eſt; poſſum enim intelligere illud *diù* ſicùt volo; vel ſic: Non eſt hic, ideſt in loco, ubi ſum.

TITULUS XXXVII.

De falſo Teſtimonio, & Teſtibus.

POſteà conſiderandum eſt de falſo teſtimonio; Et primò de peccato ejus. Secundò de pœna ejus. Tertiò qualitèr teſtis in teſtificando ſe habere debet. Quartò an teſtes ſint cogendi, & qualitèr, & quandò. Quintò utrùm teſtes peccent ſe ſubtrahendo à teſtimonio. Sextò utrùm liceat eis pecuniam recipere pro ferendo teſtimonio. Septimò, qui poſſunt eſſe teſtes, & qui non. Octavò quot teſtes requiruntur. Cætera de teſtibus relinquo juriſperitis gratia brevitatis. Undè ſit.

ARTICVLVS I.

De peccato falſi teſtimonii.

CIrcà primùm ſciendum, quod falſum teſtimonium ſemper eſt peccatum mortale, habet enim deformitatem tùm ex perjurio, quià teſtes non admittuntur, niſi jurati, & ex hoc eſt ſemper mortale peccatum ex ſuo genere, ſicut & quælibet alia injuſtitia; Tùm ex falſitate, ſecundùm quod omne mendacium, non tamèn ex hoc habet, quod ſempèr ſit peccatum mortale; undè falſum teſtimonium in judicio prolatum ad juſtitiam impediendam non habet rationem peccati mortalis ex mendacio, ſed ex perjurio.

Nota tamèn, quod in teſtimonio non debet homo aſſerere pro certo quaſi ſciens illud, de quo non eſt certus, ſed dubium debet ſub dubio proferre, & illud, de quo eſt certus, pro certo debet aſſerere. Si quis tamèn ſollicitè recogitans æſtimet ſe certum eſſe de hoc, quod eſt falſum, non peccat mortalitèr aſſerens illud, quià non dixit falſum teſtimonium per ſe ex intentione, ſed per accidens contrà illud, quod intendit.

ARTICVLVS II.

De pœna falſi teſtimonii.

CIrcà ſecundùm ſciendum, quod ſicut dicit Aug. teſtis falſus tribus eſt obnoxius, ſcilicèt Deo, cujus præceptum contemnit; Judici, quem mentiendo fallit; & proximo, quem lædit, *extra de cri. falſ. ca.* 1. Proptèr primum ſeptennis pœnitentia ſibi tamquàm perjuro debet imponi, 6. *quæſt.* 1. *quicumque*. Proptèr ſecundum infamabitur, 22. *quæſt.* 5. *ſi quis convicius*, vel verberibus caſtigabitur, 5. *quæſt.* 5. *illi qui*, vel extraordinariè poterit puniri, *ut C. de teſtibus l. nullum*. Proptèr tertium ſecundùm modum læſionis condemnabitur, *art. C. de pœ. judic. qui malè judic. l.* 2.

ARTICULUS III.

Qualitèr teſtis in teſtificando ſe habere debet.

CIrcà tertium, ſciendum, quod teſtis debet perſona communis eſſe, & debet jurare tactis Sacroſanctis Evangeliis puram, & meram veritatem, quam novit de facto, ſuper quo inducitur dicere, nulla adjecta falſitate, 3. *quæſt.* 9. *hortamur*, & 4. *quæſt.* 4. *nullus unquàm*, & 14. *quæſt.* 5. *non ſanè*. Epiſcopus tamèn non tangit Evangelia, licèt coràm eo ponantur; poteſt etiàm ei juramentum remitti de partium voluntate ſecundùm Ray. *art. extra de jurejur. cum quidam*, & *C. de jurejur. l.* 1.

ARTICVLVS IV.

An teſtes ſint cogendi, & qualitèr, & quandò.

CIrcà quartum ſic diſtingue ſecundùm Goff. quod aut requiritur teſtimonium in cauſa civili, aut in criminal; ſi in civili, tunc generalitèr quilibet ſciens veritatem debet cogi perhibere teſtimonium veritati, *C. de teſt. ſi quandò*, & 14. *quæſt.* 2. *quamquàm*; Si in criminali, aut agitur de crimine civilitèr, & ſic etiàm ſunt cogendi, *extrà de teſt. co. prætereà*, & *c. cum contrà*. Aut criminalitèr, & tunc aut agitur de crimine falſi, & ſic etiàm ſunt cogendi, *ut in c. cum contra*; aut de alio crimine, & tunc generalitèr non ſunt cogendi, *extra de teſt. co. dilectorum*; præterquàm ſi per alios veritas non poteſt liquere, *ut in c. quamquàm præalle*; vel niſi ſe ſubtrahant gratia, odio, vel timore, *extra de teſt. co. cap.* 1. Sunt autèm cogendi per cenſuram Eccleſiaſticam, ut patet ex forma litterarum Papæ per clauſulam illam, ſcilicèt *teſtes, autèm &c.* quę ſi non ponatur ibi, ut ſolet fieri, quandò in eis ſit mentio de crimine, nihilominùs judex ad jura ſe referat, & teſtes cogat, vel non cogat ſecundùm ſupradicta.

Con-

Conſuetudo tamèn Curiæ Romanæ eſt, quod in cauſis de facto, ubi agitur de crimine, nullum teſtem cogat, qualitercumque de eo agatur; & idem ſervatur in litteris non apponendo clauſulam prædictam. Notat etiàm *Ray. tit. de rapt.* quod quandò quis proptèr defectum probationum rem ſuam amitteret, tunc perſonæ privilegiatæ, & Presbyteri cogendi ſunt jurati teſtificari, 14. *quæſt.* 2. *quamquàm*, non tamèn in cauſa ſanguinis.

ARTICVLVS V.

Utrùm Teſtes peccent ſe ſubtrahendo à teſtimonio.

Circà quintum ſciendum ſecundùm Goff. quod illi, qui ſubtrahunt ſuum teſtimonium illi rei, quæ non niſi per eos probari poteſt, mortalitèr peccant; & ideò cogendi ſunt ſatisfacere, ſicùt de aliis mortalibus 6. *quæſt.* 1. *illi, qui*; & maximè peccat, qui metu alterius celat verum: undè *Aug.* 2. *quæſt.* 3. *Quiſquis metu cujuſque poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe provocat, quià magis timet hominem, quàm Deum*, & poſt pauca: *uterque reus eſt, & qui celat verum, & qui mendacium dicit, quià ille non vult prodeſſe, & iſte vult obeſſe.*

Thom. verò 2. 2. *quæſt.* 7. *art.* 1. *c.* circà hoc ſic diſtinguit, ideſt quod quandò requiritur teſtimonium alicujus, aut requiritur auctoritate ſuperioris, cui tenetur obedire in his, quæ pertinent ad juſtitiam; & ſic tenetur ferre teſtimonium in his, in quibus ſecundùm ordinem teſtimonium exigitur juris, ut in manifeſtis, & in his, de quibus infamia præceſſit; in aliis verò non tenetur. Aut requiritur, non tamèn auctoritate ſuperioris; & tunc ſi teſtimonium requiritur pro liberatione hominis ab injuſta morte, ſivè pœna quacumque, vel falſa infamia, ſivè etiàm ab aliquo damno, tenetur teſtificari; Etſi etiàm teſtimonium ejus non requiritur, tenetur facere quod in ſe eſt, ut denunciet veritatem alicui, qui poſſit ad hoc prodeſſe ſecundùm illud *Prov.* 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*; & *Rom.* 1. *digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus*. *Gloſſ. conſentire eſt tacere, cum poſſis arguere*. Super his verò, quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis teſtificari, niſi cum à ſuperiore cogitur ſecundùm ordinem juris, quià ſi circà hoc veritas occultetur, nulli ſpirituale damnum ex hoc naſcitur; Et ſi periculum imminet accuſatori non eſt curandum, quià ſe ſpontè ingeſſit in hoc periculum; Alia verò ratio eſt de reo, cui periculum imminet ipſo nolente.

Sed numquid licet hujuſmodi teſtimonium ferre de commiſſis in ſecreto ſibi?

Reſpondeo, quod non, de commiſſis, ſcilicèt ſibi in ſecreto per confeſſionem, ſi novit ea tantùm per viam confeſſionis, quià vinculum ſacramenti eſt majus hominis præcepto. Circà verò ea, quæ committuntur homini ſub ſecreto alitèr quàm per confeſſionem, ſic diſtinguit *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. *cap.* 2. ſcilicèt, quod ſi ſint talia, quæ ſtatim ut novit ea manifeſtare tenetur, ut ſi pertineant ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel etiàm grave damnum alicujus perſonæ, tunc per ſecreti commiſſum obligari non poteſt, quin de his teſtificetur, vel ea denunciet; quià alitèr fidem frangeret, quàm alteri debet. Si verò ſint talia, quæ quis prodere non tenetur, benè poteſt obligari ad celandum, ex hoc, quod ſibi committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiàm ex præcepto ſuperioris, quià celare ea tenetur de jure naturæ, ſuprà quod non eſt Prælatus. *Hæc Thom. ibid. De hoc tamèn vide in lib.* 2. *tit.* 67.

Quid ſi qui jurent teſtimonium non perhibere?

Reſpondeo; credit Goff. juramentum eſſe temerarium, quandò non niſi per eos poteſt de veritate liquere; tunc enim poſſent etiàm propria auctoritate contravenire, 22. *quæſt.* 4. *in malis*; Et hoc quandò eſt certum mortale ex hoc provenire peccatum, ſecùs eſt ſi dubitaretur; tunc enim eſſet priùs auctoritas requirenda ſuperioris; *extra de elec. venerabilem*.

Quid ſi unus interfuit negotio, & cum ſciat non poſſe probari per unum, juravit non perhibere teſtimonium veritati?

Reſpondeo; credit Goff. hoc juramentum eſſe temerarium, quià etſi unus non faciat probationem plenam, facit tamèn ſemiplenam, & fit delatio juramenti, ut per illud probatio compleatur *C. de rebus cre. in bonæ fidei*.

Quid ſi adverſarius ſubtrahat teſtes?

Reſpondeo; oſtendit ſe fovere litem iniquam, *extra de teſt. conſtitutis*; Et experiri debet in ſe judicis auctoritatem eluſam.

ARTICVLVS VI.

Utrùm aliquibus liceat pecuniam recipere pro ferendo teſtimonio.

Circà ſextum, ſciendum, quod teſtis nihil debet recipere pro teſtimonio ferendo, quià ſicut non debet eſſe ſententia venalis, ità nec teſtimonium, 14. *quæſt.* 5. *non ſanè*. Expenſas tamèn recipere poteſt à producente eum, 4. *quæſt.* 3. §. *venturis*.

Quid ſi teſtis corruptus dicat teſtimonium falſum?

Reſpondeo, teſtimonium nullum eſt, & quià venale, & quià falſum; & proptèr pœnam falſi tenetur in judicio animæ illi, quem ſuo teſtimonio læſit, ad omne intereſſe, *art. extra de teſt. ſicut*. Pecunia verò data non reſtituetur ei, qui turpitèr dedit, quia ei obſtat propria turpitudo, *ut in c. non ſanè*, ſed ei, cujus injuria data videtur, 1. *quæſt.* 1. *jubemus*.

Quid ſi pecunia ſit data ſimplicitèr, ut teſtimonium ferretur?

Re-

Reſpondeo; dici poteſt in hoc caſu ſecundùm Goff. quod ille, qui dedit eam, repetere poteſt, ſi non dedit eam animo, ut teſtem corrumperet, ſed ut ſibi juſtitiam conſervaret: *art. extra de ſim. dilectus*, & 14. *quæſt.* 5. *nonſanè*.

ARTICULUS VII.

Quinam poſſint eſſe Teſtes, & qui non.

Sequitur videre de ſeptimo, ſcilicèt, qui poſſunt eſſe teſtes, & qui non. Circà quod ſciendum, quod in Teſtibus potiſſimè ſeptem ſunt conſideranda; Undè verſus,

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides; in teſtibus iſta requires.

Conditio; quià ſi eſt ſervus à teſtimonio repellitur, 4. *quæſt.* 3. §. *item in criminali verſ. itèm liberi*. Diſtinguitur tamèn, quià ſervus, aut eſt manumiſſus; & tunc recipi poteſt in teſtimonium eorum, quæ vidit tempore ſervitutis; Aut eſt manens ſervus; & tunc, aut interrogatur de his, quæ pertinent ad dominum ſuum; aut de aliis. In primo caſu non admittitur, ſcilicèt, nec pro domino, nec contrà dominum, niſi in criminibus exceptis, ſcilicèt adulterii, fraudati cenſus, & læſæ Majeſtatis; Interrogari tamèn in facto ſuo poſſunt, ut in dicto §. *itèm ſervi*. Quidam autèm dicunt alios caſus duos, ſcilicèt, cum vir uxorem dicitur occidiſſe *ſecundùm legem ult. de Sicariis*; Et cum agitur de occiſo domino. In his verò, quæ pertinent ad alium, quàm ad ejus dominum, admittitur ſervus in defectum teſtium *ut in dicto verſ. itèm ſervi*.

Sexus; Quià mulier non admittitur ad teſtimonium cum agitur de crimine criminalitèr; admittitur tamèn, cum agitur de crimine civilitèr etiàm contra Clericos, *extra e. quoniàm*; Et in crimine excepto, ut in ſimonia *extrà de ſimo. tanta*. Et in cauſa inquiſitionis, & denunciationis, & exceptionis, *extra e. tam litteris*, & *c. ſuper eo.* & in cauſa civili, præterquàm in teſtamentis, 4. *quæſt.* 2. §. *ſi teſtes*. Et in cauſa matrimoniali, *ut in c. tam litteris*, & *extra de ver. ſign. forus in Gloſ.*

Ætas; quià maſculus minor quatuordecim annorum, & fœmina minor duodecim annorum non admittitur in Civilibus, 4. *quæſt.* 3. *cap.* 1. In criminalibus autèm minor viginti annorum, 4. *quæſt.* 3. §. *itèm in criminali in verſ. itèm teſtium*. Poteſt tamèn pubes quatuordecim annorum teſtificari in criminibus exceptis, ut in nece domini occiſi, & læſæ majeſtatis *ff. ad Sil. l.* 2. & 4. *quæſt.* 3. *cap.* 1. *in Gloſſ.* Sed & pubes teſtificari poteſt de his, quæ vidit in ætate pupillari, & maximè de his, quæ vidit, cùm erat proximus pubertati *ff. e. l.* 1.

Diſcretio; quià & furioſus, & mentecaptus repellitur, ſicùt ab officio judicandi, 3. *quæſt.* 7. §. *tria*.

Fama; *extra e. de teſt. teſtimonium*. Nota ſecundùm Abbatem, quod in cauſa criminali repellitur quis proptèr infamiam juris, vel facti; in civili verò non repellitur proptèr infamiam facti, *ut in c. teſtimonium*.

Quid ſi produxi contrà te teſtem infamem, & eumdem poſteà producis contra me. Numquid eum repellere poſſum?

Reſpondeo, quod non, ſcilicèt ratione eorum, quæ priùs commiſit, quàm producerem eum, ſed ratione poſteà commiſſorum, ſecundùm Guil. Durandi.

Fortuna; quià pauper repellitur, quià de facili cauſa lucri mentitur 4. *quæſt.* 3. *itèm in criminali ver. teſtes*. Secundùm tamèn Jo: ſi caret ſuſpicione, benè admittitur *inſt. de ſuſp. tu.* §. *ult.*

Fides; quià infidelis non admittitur contrà fidelem, *extra de hære. cap.* 1.

Licèt autèm prædicta ſeptem potiſſimè ſint in teſtibus conſideranda, ſunt tamèn conſideranda, & alia, ſcilicèt.

Octavò; ſi ſit inimicus, quià talis repellitur à denunciatione, & accuſatione, & teſtimonio. *extra de accu. cum oporteat*; & ab inquiſitione, quià inimicus non poteſt eſſe inquiſitor *ibid. c. ad petitionem*; & à judicio, *extra de reſt. ſpo. itèm cum quis*. Relinquitur autèm arbitrio judicis, quæ inimicitiæ à prædictis repellant, *ff. de quæſtionibus*, *l.* 1. §. *quæſtioni*. Et quidèm ſecundùm Guil. etiàm leves inimicitiæ à prædictis repellunt, præterquàm à teſtimonio, quià teſtem non omninò repellunt, ſed debilitant. *in auc. de teſt.* §. *ſi verò, coll.* 7.

Nonò; nullus admittitur in cauſa de re propria 4. *quæſt.* 3. §. *itèm in criminali*. Nota ſecundùm Goff. nullus admittitur in cauſa ſua principalitèr, vel ſecundariò, *c. e. l. omnibus*; Undè venditor in cauſa rei venditæ non admittitur pro emptore, quià propria venditoris cauſa videtur; Nequè debitor in cauſa pignoris pro creditore; *ff. de appella. l. ab executore*. Fallit hoc in legatariis, & commiſſariis, qui ferunt teſtimonium in cauſa teſtamenti, cum agitur de hæreditate; non de legatis, & fideicommiſſis. Fallit etiàm hoc in collegiis, & corregularibus. Monachi enim, & clerici in cauſis Monaſterii ſui, & Eccleſiæ ſuæ poſſunt teſtificari, ità tamèn, quod ſtatuant unum, vel duos procuratores ad agendum, & reſpondendum; & illi duo non poſſunt eſſe teſtes in cauſa illa, ſed alii poſſunt *extra e. inſupèr*. Similitèr Prælatus poteſt eſſe teſtis, ità tamèn, quod ponat alium procuratorem, quià non poteſt eſſe ſimul actor, & teſtis *ſecun. Hoſt.* Similitèr hyconomo, vel vicedomino agente pro rebus Eccleſiæ poteſt Epiſcopus teſtis eſſe. *Hæc Hoſt. extra e. inſupèr*. Innoc. verò contradicit.

Decimò; obſcuri, & ignoti; tales enim non admittuntur, niſi cum tormentis, *in auc. e. l. ſancimus*; *ſecundùm Goff.*

Undecimò; executores negotiorum, ut procuratores, curatores, tutores, & Sindici non admit-

admittuntur in cauſa; in qua ſunt executores, *extra e. inſuper*.

Duodecimò; ſocii criminis *extrà e. veniens*, ſed intellige, quod ſocii criminis, & muneris non admittuntur ad teſtificandum, ſed ad accuſandum: ſocii verò criminis non muneris admittuntur ad utrumque in criminibus exceptis, & ad detegendam conſpirationem, *extra de teſt. e. c. ult.*

Decimotertiò; non admittitur quis in cauſa communi, quià cauſa communis duorum eſt utriuſque *ff. de ritu. nup. illud*.

Decimoquarto; pater non poteſt eſſe teſtis in cauſa filii, nec è converſo, niſi in caſibus; poſſunt enim pater, & mater teſtificari pro filio in cauſa matrimoniali; ut dicetur *infrà lib* 8. & in cauſa de ætate, & cognatione, & nativitate, *ff. de prob. l. etiàm*; & in cauſa religionis, 20. *quæſt.* 3. *præſens*; & in cauſa teſtamentaria, *Inſt. de teſt* §. *in teſtibus*; Omnes autèm alii conſanguinei poſt patrem, & matrem admittuntur in cauſa civili, ſivè ſint propinqui, ſivè remoti, quià non invenitur prohibitum *ff. e. l.* 1. In criminali autèm cauſa contrà fratrem, vel pro fratre non admittitur frater, niſi in crimine hæreſis, *extra de præſum. litteras*; *Ber. verò extrà e. in litteris*: diſtinguit de conſanguineis, quod aut proptèr affectionem præſumitur contrà eos, ſic non admittuntur; aùt non præſumitur, & ſic admittuntur; ſi tales apparent, qui veritatem gratiæ proponant, 4. *quæſt.* 3. §. *itèm eos teſtes*.

Decimoquintò non admittuntur domeſtici, vel familiares; nàm in criminali cauſa non licet accuſatores teſtes de domo propria ducere, 3. *quæſt.* 5. *cap.* 1 Et dicuntur propriè domeſtici, vel familiares, quibus imperare poteſt ratione patriæ poteſtatis, vel dominicæ, 4. *quæſt.* 3. §. *Itèm in criminali*; ut uxor, colonus, ſervus, libertus, adſcriptitius, mercenarius, filius in poteſtate patris, & omnes habitantes in domo.

Nota tamèn ſecundùm Hoſt. quod ſi aliquis fuit colonus meus, vel mercenarius, & modò non eſt talis, de conſuetudine admittitur, ut pro me teſtetur, niſi ipſum in fraudem ejeciſſem à me, ut prò me teſtificaretur. Itèm ſecundùm Guil. uxor pro virò, vel quilibet domeſticus prò domeſtico non teſtificatur, niſi adverſarius velit, quià hoc eſt introductum in ejus favorem, *ar. C. de leg. quod favore*; Sicùt advocatus alterius partis poteſt in teſtem admitti, *extra e. Romana*; & patronus, & gener, & nurus, qui ſunt de familia, *c. de ver. ſig. l. fin. in prin.* familiares dicuntur conſanguinei, affines, amici, 4. *quæſt.* 3. §. *itèm teſtium*; non tamèn quilibèt amicus repellitur, ſed tantùm ille, qui eſt maxima familiaritate conjunctus, *ff. de verb. ſign. latè*. Nec quilibet affinis, ſed qui ex nuptiis affinitatem contraxit, *extra de eo. qui co. diſcretionem*; Admittuntur tamèn quandoquè domeſtici in cauſa criminali, quandoquè in civili; In criminali verò in duobus caſibus. Primò, cùm canonici prælatum ſuum accuſant, 2. *quæſt.* 7. *lator*. Secundò, cum accuſatur matrimonium propter conſanguinitatem, 25. *quæſt.* 6. *cap.* 1.

Nota ſi Monachus, vel Clericus accuſet aliquem de collegio poteſt alios monachos in teſtes inducere, quià non reputantur magis domeſtici accuſantis, quàm accuſati; Si verò accuſet extraneum, tunc non poteſt, 14. *q.* 2. *ſupèr prudentiam*. Admittuntur etiam quandoquè domeſtici in cauſa civili, ideſt in legatario, vel fideicommiſſario, qui licèt ſit domeſticus poteſt etiàm teſtificari in cauſa teſtamenti, cùm agitur de hæreditate, *Inſt. de teſt.* §. *legatarius*. Itèm in his; quæ fiunt in capitulo, quià illa non facilè probantur, niſi per canonicos, *extra e. veniens* 2. Itèm in his, quæ fiunt in domo, *C. de repu. conſenſu*. Itèm in cauſa Eccleſiæ ſuæ, in quà, & Monachi, & Clerici poſſunt teſtificari, *extra e. inſuper*. Canonicus autèm non tantùm poteſt eſſe teſtis in cauſa Eccleſiæ ſuæ, ſed etiàm poteſt eſſe teſtis concanonici ſui in cauſa propria, non tantùm contrà ſuum concanonicum, ſed etiàm contra alium, quià non eſt domeſticus huius, ſed Eccleſiæ tantùm *ſecundùm Jo.* 14. *quæſt.* 2. *ſupèr pruden.*

Decimoſextò; non admittuntur illi, qui cognoſcunt perſonas litigantes, quandò ſcilicèt agitur de contractibus, *art. in aut. e.* §. 1. *& extra e. cum cauſam in Gloſſ.*

Decimoſeptimò; excommunicati, & ſuſpenſi, *extra de ac. olim*, quod eſt verum de ſuſpenſi ab homine *ſecundùm Hoſt. ibidèm*.

Decimoctavò; perjuri, *extra e. ſicùt nobis*.

Decimononò; non admittuntur ad teſtificandum criminoſi, ſi ſint de crimine convicti; vel confeſſi, vel etiàm ſi adhùc poſſunt convinci, *extra e. ſuper eo*. ſecundùm autèm leges tantùm condemnati repelluntur.

Sed numquid teſtis, cui crimen objicitur excipere poteſt, quod excipiens ſit criminoſus?

Reſpondeo, quod non; quià excipiens proſequitur jus ſuum ſe defendendo, & nullus prohibetur à defenſione juris ſui, etiàm ſi excommunicatus eſſet, *extra e. teſtimonium in Gloſſ.* Hoſt. autèm dicit, quod ſi excipiens ſit excommunicatus, vel talis, cui forus eſt interdictus, repelli poteſt.

Nota, quod criminoſus, aut non eſt emendatus de crimine, & ſic repellitur a teſtimonio in omni cauſa, præterquàm in cauſa inquiſitionis, quandò ſcilicèt ſit inquiſitio tàm in capite, quàm in membris; tunc enim recipitur, quia ea, quę domi fiunt, per domeſticos probari debent, *extra e. veniens*; Undè ſufficiunt teſtes qualeſcumque ſint, niſi ſint corrupti, vel inimici, *extra de ſen. & re. ju. cum.* 1. *& à*. Sed ſi extranei teſtes adducerentur, tunc requiritur, quod non eſſent criminoſi. *Hæc Goff. & Jo:* 2. *quæſt.* 1. *Deus omnipotens*. *Bar.* dicit quod non admittuntur criminoſi, niſi ſint de crimine emendati, vel niſi

in criminibus exceptis, ſcilicèt ſi ille, contrà quem ſit inquiſitio, fuit anteà de illo crimine infamatus. *Hæc Bar. in c. Deus omnipotens.* Aut eſt emendatus de crimine, & tunc, aut eum infamia comitatur, aùt non; ſi non, admittitur in cauſa civili, niſi ſit perjurus quantumcumque pęniteat; Et idem eſt in cauſa criminali, ſi agatur civilitèr; Si autèm criminalitèr, repellitur, niſi in criminibus exceptis, ſcilicèt ſi probet ſe per Præsbyterum pęnitentiam egiſſe. Sed in aliis criminibus repellitur ſivè ſit convictus de crimine in alio judicio, ſivè poſſit convinci, vel etiàm ſi gravata ejus opinio ſit pro eo quod quandoquè fuit ſic repulſus; In crimine tamèn hæreſis admittitur etiàm perjurus. Si autèm eum infamia comitetur, ut ſi fuit condemnatus de furto nomine ſuo, quià non poteſt facere judex, quod talis infamia non ſequatur, *ff. de furtis; non poterit*, ſic repellitur in quàlibet cauſa, niſi fuerit priùs in integrum reſtitutus, *extra c. teſtimonium*.

Vigeſimò; laici; laici enim non poſſunt accuſare clericum, neque teſtificari contrà eum in cauſa criminali.

Nota tamèn, quod aut agitur de crimine civilitèr, aut criminalitèr; ſi civilitèr, ſcilicèt in modum exceptionis, ſic admittuntur laici contrà clericum tàm ad accuſandum, quàm ad teſtificandum; aut criminalitèr, & tunc non admittuntur contrà clericum ad accuſandum, nec ad teſtificandum in criminibus non exceptis, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur: in exceptis verò ſi accuſent zelo malo, non admittuntur, ſi verò zelo bono, admittuntur. Clericus contrà quem agitur de crimine excepto, aut fuit anteà infamatus de illo crimine; & tunc admittuntur etiam viles perſonæ, & criminoſi, & ad accuſandum, & teſtificandum, prætèr inimicos, & conſpiratores, & participes criminis; ſpeciale tamèn eſt in crimine Simoniæ, & læſæ Majeſtatis, in quibus admittuntur participes criminis ad accuſandum, ſed non ad teſtificandum *diſt. 79. ſi quis*; Proptèr quod Hugo intelligit de ſocio criminis, non muneris, quandò ſcilicèt res non proceſſit ad actum, quia pecuniam non dedit, nec recepit. Quod Jo: non credit, quià Simoniæ crimen procedit inſtàr læſæ majeſtatis. Aut eſt bonæ famæ, ſic non admittuntur laici niſi bonæ famæ. Clerici verò contrà clericos admittuntur, niſi ſint criminoſi, vel etiàm irregulares; Non enim poſſunt Præsbyteros accuſare, vel contrà eos teſtificari, qui ad Sacerdotium eligi prohibentur, 2. *q.* 7. *ipſi*. Quod eſt verum ſecundùm Jo: in cauſa criminali, non civili: Undè Bigamus non poteſt accuſare clericum criminalitèr, ſed civilitèr tantùm. Similitèr nec qui membrum amiſit aliquo caſu, poteſt accuſare clericum ordinis ſuperioris, ſed clericum ejuſdem ordinis, vel inferioris accuſare poteſt, 2. *quæſt. 7. clericus*. Et hæc ſunt vera de accuſatione; Secùs eſt de denunciatione. *extra c. cum nuncius in Gloſſ.*

Vigeſimoprimò; accuſati de crimine; Accuſatus enim de crimine pendente accuſatione non poteſt teſtificari in cauſa criminali, nec aliquem accuſare, niſi fortè in criminibus exceptis; Nec etiàm poteſt ad ordines promoveri, *extra c. c. ult.* Sed in civili poteſt admitti poſt ſententiam, etiamſi ſit appellatum, quià adhuc eſt integer ejus ſtatus, ut iterùm honoribus fungatur, *ff. de appell. interp. nihil innov. l.* 1. ubi dicitur, quod appellatione interpoſita, ſivè ea recepta ſit, ſivè non, medio tempore nihil novari poteſt.

Vigeſimoſecundò; Conſpirantes; hi enim non admittuntur in teſtimonium contrà illud, contrà quèm conſpiraverunt, ſed contrà alios, ſic, *extra de ſen. & re judic. cum.* 1. & à §. 2.

Vigeſimotertiò; Judices, Advocati Aſſeſſores appellantis in cauſa principali; Tales enim non poſſunt eſſe teſtes cauſa appellationis, *lib 6. c. romana &c.*

Vigeſimoquartò; Mediatores; in contractibus enim non admittitur mediator, niſi de conſenſu partium, *& in aut. c. quoniam verò*.

Vigeſimoquintò; ſtatuliberi, ideſt quibus libertas eſt ſub conditione relicta, cum ſint ſervi: *C. de ſtatuliberi*.

Vigeſimoſexto; Liberti; hi enim non poſſunt teſtificari contrà patronum, & filium ejus, vel pro patrono, *ff de fideicom. lib. Paulus*, hoc fallit tamèn in quibuſdam criminibus.

Vigeſimoſeptimò; qui fuerunt in cuſtodia publica pro aliquo crimine, niſi priùs ſe purgaverint, 4. *quæſt. 3. cap.* 1.

Vigeſimoctavò; hermaphroditi; in his enim qualitas ſexus incaleſcentis oſtendit, an poſſint teſtificari in cauſis criminalibus, & in ultimis voluntatibus, in quibus mulier non recipitur, 4. *quæſt.* 3. §. *itèm hermaphrodita*. Sed ſi quis utatur utroque membro, ut accidit quandoquè de facto, tunc Epiſcopus faciat eum eligere, quo membro velit uti, & jurare, quod de cętero non utetur alio membro *ſecundùm Hoſt.*

Vigeſimonono; Vaſſalli non poſſunt contrà dominos, vel pro dominis teſtificari in cauſa criminali, *ar. extra de offic. deleg. cauſamque inter. Guil.* dicit, quod immò poſſunt, licèt non poſſint eſſe Judices. Alii diſtinguunt, quod Vaſſallus aut eſt obligatus ad certa ſervitia, & non ad juramentum, & tunc poteſt; ut patet de illis, qui tenent decimas ab Eccleſia in feudum. *extra de deci. quamvis*; aut ad proteſtandum Sacramentum fidelitatis, & tunc non poteſt, quià hujuſmodi Sacramentum repreſentat quamdam ſpeciem ſervitutis *ar. extra de re. ju. indignum*.

Trigeſimò; Gratioſi, ideſt adulatores, 2. *quæſt. 5. ſimilitèr*.

Trigeſimoprimò; Socius omnium bonorum *ar. C. c. l. omnibus*; poteſt tamèn pro parte ſocii ſui, non pro ſua teſtis eſſe, ità quod ei nullum emolumentum acquiratur, *ar. extra de præben. dilectus in fin.*

Ad hæc nota, quod qui repellitur ab accuſando, repellitur etiàm à teſtificando, 4. *quæſt.* 2.

&

Digitized by Google

& 3. *cap.* 1. Hæc tamèn regula fallit; primò in civilibus, quià clerici, qui ſunt irregulares non ſuo crimine, ut bigami, & mutilati, admittuntur ad teſtificandum in civilibus contrà clericum, non ad accuſandum; in criminibus verò neutrum poſſunt. Secundò in mulieribus, quæ repelluntur ab accuſando, niſi in exceptis criminibus, & tamèn admittuntur ad teſtificandum, niſi in ultimis voluntatibus. Tertiò in criminibus privatis; in his enim non poteſt accuſare, cujus non intereſt, & tamèn poteſt teſtificari.

Itèm quicumque admittitur ad accuſandum, admittitur etiàm ad teſtificandum, 4. *quæſt.* 2. & 3. *cap.* 1. *art. à contrario*. Hæc regula fallit; primò in criminibus non exceptis, quando quis proſequitur injuriam ſuam, vel ſuorum, tunc enim quilibet poteſt accuſare, etiàm infamis; & tamèn infamis non poteſt teſtificari, 3. *quæſt.* 5. *conſtituimus*. Secundò in criminibus exceptis, ubi admittitur laicus infamis ad accuſationem clerici infamis, *art. extra de Sim. tanta*; ſed non ad teſtificandum, niſi præſumptione aliqua præcedente, *art. extra de reg. ju. cum in contemplatione*; *Hæc Jo:* 1. *quæſt.* 1. *ſi quis Epiſcopus*, & 4. *quæſt.* 2 *ſup. c. teſtes in ſumma*.

Itèm omnes, qui ſunt ſuſpecti in judicando ſuſpecti etiàm ſunt in teſtificando, quià teſtes ſinè ſuſpicione, & infamia debent eſſe, 2. *quæſt.* 7. *teſtes*; omnes tamèn, qui de jure poſſunt repelli, ſunt admittendi, ſi is, contrà quèm producuntur eorum teſtimonio fuerit uſus in alio judicio, niſi docuerit aliquid de novo legitimum poſteà emerſiſſe, 4. *quæſt.* 3. §. *itèm in criminali. verſ. itèm ſi quis teſtibus*.

ARTICULUS VIII.
De numero Teſtium.

SEquitur videre de octavo, ſcilicèt quot teſtes requiruntur.

Circà quod ſciendum, quod regularitèr duo ad minus ſunt neceſſarii *extra e. veniens in fin.* Undè ſi non potes probare tuam intentionem, niſi per unum teſtem, cede actionem tuam ex cauſa donationis alicui amico tuo, & ille agens poteſt te, & illum producere in teſtes, *art. extra e. inſuper*. Quandoquè tamèn creditur uni, & primo in matrimonio in favorem matrimonii; quandoquè creditur uni in reſtitutione in integrum *extra de reſt. in inte. ex literis*. Secundò, in revocatione mandati facta procuratori, *extra e. de procu. ex inſinuatione*. Tertiò quandò partes conſentiunt, *ar. C. de fideicom. l. final.* Quartò in Papa, cui ſoli creditur, 20. *quæſt.* 1. *quicumque*. Quintò, quantùm ad præſumptionem; licèt enim unus teſtis non faciat plenam probationem, facit tamèn præſumptionem, *diſt.* 86. *tanta*. Sextò, quandò quæritur de conſcientia alicujus, *extra e. tam litteris* §. *fin.* Septimò quandò fama, vel alia adminicula adſunt, *extra e. præterea* §. 1. & *in fin.* & *Hoſt. extra e. licet*.

Octavò, de rebus ablatis alicui violentèr creditur ei per proprium juramentum, *extra de his, quæ vi. ſup. eo*. Nonò, quandò non præjudicatur alicui, ut de baptiſmo alicujus, *de conſ. diſt.* 4. *cum itaquè*. In hoc tamèn caſu credendum eſt tantùm Chriſtiano; Si tamèn præjudicaretur alicui de baptiſmo alicujus, non crederetur uni, ut ſi quid legatum eſſet alicui, ſi baptizatus eſſet, tunc enìm præjudicaretur hæredi *ſecun. Jo:* Idem eſt de conſecratione Eccleſiæ. Decimò, quandò quis vult probare ſe pœnitentiam egiſſe, creditur ejus confeſſori, *extra de Simo. nemo*. Et poteſt dicere in generali, quod ille confeſſus eſt ſecum, & credit eum pœnituiſſe de omnibus peccatis. Undecimò; creditur uni teſti de aliquo, quod habuit ſigna pœnitentiæ. Duodecimò, in cauſa denunciationis, ubi perſona denuncians cum uno teſte ſufficit ad probandum charitativam monitionem, *extra e. in omni*. Decimotertiò, ubi agitur ad impediendum matrimonium, *extra de ſpon præterea*. Decimoquartò; in cauſa teſtamentaria, cum teſtator uni fidem voluit adhibere, *ff de dote. prele. Theopompus*. Decimoquintò; quandò quis habuit probabilem cauſam ignorantiæ, ut ſi verberavit clericum, qui non habebat tonſuram, ſi juraverit ſe ignoraſſe eum clericum, creditur eì, *extra de ſen excom. ſi verò* 2.

Itèm quandoquè non ſufficiunt duo, & primò cum accuſatur Cardinalis, 2. *quæſt.* 4 *præſul*. Secundò in teſtamentis, codicillis, & donationibus cauſa mortis, ut patebit infrà in titulis ſuis. Tertiò in probatione confeſſionis quinque requiruntur ſaltèm non rogati, licèt ſufficerent duo rogati. Quartò, cum quis debitum, quod continetur in ſcriptis vult probare ſe totum, vel ejus partem ſolviſſe. Hoc enìm non poteſt facere, niſi per teſtes quinque idoneos, qui interfuerunt, *C. e. l. teſtium*.

TITVLVS XXXVIII.
De Judicibus, & eorum Officialibus.

DEindè conſiderandum eſt de falſitate, quæ committitur contrà proximum in judicio per alios, quàm per teſtes. Et primò, de falſitate Judicum. Secundò, Advocatorum. Tertiò, Accuſatorum. Quartò, Reorum, ſivè eorum, qui accuſantur. De prędictis omnibus tractat pleniſſimè *Alex. Ang.* 3. *tit.* 2. *part.* 1. *o.* Sed ego de ipſis ponam hìc aliqua brevitèr magis neceſſaria in foro conſcientiæ, relinquens alia Juriſperitis gratia brevitatis.

Circà primum dicendum eſt de multiplici judicio, & ſuſpicione, & quali, vel quo judicio judex poſſit judicare. Secundò, quid juris de ſententiæ iniquæ latione. Tertiò quid juris de pecunia recepta à judice. Quartò de judicis idoneitate. Quintò de judicandi modo, ſivè qualitate.

tate. Sextò de officialium judicis dolo, & cupiditate.

ARTICULUS I.

De multiplici judicio, & ſuſpicione &c.

Circà primum nota *ſecundùm Aug. homil. de pœnitentia, & etiàm in Gloſſ.* 1. *Corint.* 5. ſuper illo verbo, *ſi is, qui frater nominatur*, inter vos, *eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere; quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare?* Hæc Apoſtolus dicendo, noluit hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel extraordinario, uſurpatoquè judicio, ſed potiùs ſecundùm legem Dei, & ordinem Eccleſiæ, ſivè ultrò confeſſum, ſivè accuſatum, & convictum.

Secundùm hoc igitùr eſt duplex judicium, ſcilicèt judicium ſecundùm legem Dei ordinatum, & judicium temerarium. Primum conceditur homini; & eſt duplex, ſcilicèt judicium diſcretionis, & correptionis. Judicium diſcretionis conceditur omni homini in manifeſtis, & certis: judicium verò correptionis conceditur Prælatis in convictis, vel confeſſis, de quo in Pſal. *erudimini, qui judicatis terram*. Judicium verò temerarium univerſalitèr interdicitur homini. Eſt autèm judicium temerarium ex parte judicantis; & ex parte rei judicatę. Ex parte judicantis triplicitèr; Primò per uſurpationem, ſicut dicit *Gloſſ. ſuper illud Matth.* 7. *Nolite judicare, Gloſſ. temerariè*; Judicium enim temerarium eſt quandò illi, quibus non eſt commiſſum, judicant. *Rom.* 14. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum.* Secundò proptèr indignitatem. *Rom.* 2. *in quo alterum judicas tè ipſum condemnas*; eadem enim agis, quæ judicas. Tertiò proptèr ignorantiam. *Dan.* 13. *Sic fatui filii Iſrael non judicantes, nequè quod verum eſt cognoſcentes; condemnaſtis filiam Iſrael.* Primum horum eſt temerarium proptèr defectum poteſtatis. Secundum proptèr defectum bonitatis. Tertium proptèr defectum ſcientiæ. Eſt autèm poteſtas de eſſentia Judicii; bonitas autèm, & ſcientia ſunt de congruitate, & idoneitate ejus.

Similitèr ex parte rei judicatæ eſt judicium temerarium triplicitèr. Primò quandò judicatur perſona quantùm ad futurum eventum. Undè ſupèr illud *Matth.* 7. *Nolite judicare &c.* dicit *Gloſſ. neſcimus qualis eſt futurus, qui nunc apparet malus, de cujus correctione deſperare temerarium eſt judicium.* Secundò, cum judicatur intentio incerta; Undè ſuper illud *Matth.* 7. *Nolite judicare. Gloſſ. ſunt quędam incerta quo animo fiant, de quibus judicare temerarium eſt.* Tertiò, cum judicatur factum occultum, ſcilicèt judicanti; ſecundùm quèm modum dicitur, 1. *Corint.* 4. *Nolite antè tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Quantùm autèm ad circumſtantiam judicii, dicitur juſtum ex animo, cauſa, & ordine.

Ex prædictis patet, quod judex judicare non debet aliquem de occultis, neque de incertis, nec de his, quæ non pertinent ad ipſum; aliàs peccat contrà proximum. Triplex namquè eſt gradus ſuſpicionis *ſecundùm Thom.* 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 3. *c.* Primus eſt, cum quis ex levibus indiciis de bonitate alicujus incipit dubitare; & hoc eſt peccatum veniale, & leve; pertinet enim ad tentationem humanam, ſinè quà non ducitur iſta vita, ut habetur in *Gloſſ ſuper illud* 1. *Corint.* 4. *Nolite antè tempus judicare*. Secundus eſt, cùm quis ex levibus indiciis pro certò malitiam alterius æſtimat; & hoc ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale, in quantùm non eſt ſinè contemptu proximi. *Undè Gloſſ. ſubdit ibidem. Et ſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quià homines ſumus, judicia tamèn, ideſt diffinitivas ſententias, continere debemus.* Tertius eſt, cùm aliquis judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum; & hoc directè pertinet ad injuſtitiam; undè eſt peccatum mortale.

Itèm *ſecundùm Alex. Aug.* 2. *tit.* 2. *c. de ſuſpicione art.* 7. *c.* eſt ſuſpicio triplex, ſcilicèt temeraria, probabilis, & violenta. Temeraria eſt, quandò ſunt pauca ſigna mali, & multa boni, & ex tali ſuſpicione judicare, ideſt condemnare, eſt peccatum mortale. Probabilis eſt, quandò ſunt multa ſigna mali, & pauca boni, & ex tali ſuſpicione judicare eſt peccatum, ſed non ità grave; Veniale tamèn eſt, dùm ſtat in ſuſpicione; ſi verò perveniat ad firmam aſſertionem cùm pertinacia, præſumitur eſſe mortale. Violenta, eſt cum apparent omnia ſigna mali, & nulla boni, & tunc non eſt peccatum. De præſumptione autèm quære *in* 8. *tit. de ſig. verb* Ex prædictis patet, quod licet homini judicare hominem judicio quidèm ſecundùm legem Dei, & Eccleſiæ ordinationem ordinato, non autèm judicio uſurpato, neque judicio ſuſpicioſo, niſi ſecundùm ſuſpicionem violentam.

Si objiciatur, quod Moyſes videtur uſurpaſſe judicium occidendo Ægyptium; dicendùm, quod hoc videtur feciſſe, quaſi adeptus auctoritatem ex divina inſpiratione, ut videtur per hoc, quod dicitur, *Act.* 7. *quod percuſſo Ægyptio exiſtimabat Moyſes intelligere fratres ſuos, quod Deus per per manus ejus daret ſalutem populo Iſrael.* Vel poteſt dici, quod Moyſes ibi defendendo Hæbreum exceſſit modum debitum; ſicut innuit *Ambr. lib. de offic.* & *Aug. contrà Fauſt.* Et in quæſtionibus Exod. ubi etiàm vult, quod licèt illud factum Moyſi fuerit vitioſum, fuit tamèn virtutis futuræ ſignum, quià liberaturus erat populum.

AR-

ARTICULUS II.

Quid juris de ſententiæ iniqua latione.

Circà ſecundum quæritur.

Quid ſi judex dolo malo ſententiam ferat iniquam?

Reſpondeo *ſecundùm Ray. tit. de rap. & Hoſt. in ſum.* Si hoc faciat timore, vel amore, ſivè odio, ſivè cupiditate, ſivè aliqua alia cauſa, tenetur præcisè læſo ad omne intereſſe, niſi poſſet induci ille, pro quo ſententiam tulit, ad integram reſtitutionem, *C. de pœna judicis, qui malè judicat l. novo jure.* 11. *quæſt.* 3. *quatuor*. Et ſecundùm leges, multas alias pœnas ſubſtinere debet. Imponi etiàm debet ei prætèr reſtitutionem pœnitentia tanquàm pro graviſſimo crimine, 11. *quæſt* 3. *quicumque*.

Quid ſi Judex iniquam tulit ſententiam per imprudentiam?

Reſpondeo *ſecundum Ray. & Hoſt.* tenetur læſo ſecundùm leges in quantum æquum, & bonum videbitur religioni judicantis *ff de extraord. cog. in fin.* In judicio tamèn animæ tenetur ad reſtitutionem; in culpa enim fuit, cum ſe inſufficientem ſcivit, vel ſcire debuit, & tamèn cauſam judicare præſumpſit; & idem eſt ſi erat ſufficiens quoad ſcientiam, ſi ſtudere voluiſſet, ſed quià negligens fuit, & ſtudere noluit; quem condemnare debuit, abſolvit, & è converſò; & procede hìc *ſecundum diſti. poſitam de clerico percuſſore art. de homicidio caſuali in principio*; Mitiùs tamèn eſt agendum cum iſto, quam cum illo, qui fecit dolosè. *Secundùm tamèn Rod.* ratio ſupradicta, ſcilicèt, quod in culpa fuit, quià ſe inſufficientem ſcivit, vel ſcire debuit, non habet locum niſi in judice ordinario, qui debet eſſe ſufficiens ad ſuum officium. Delegatus autèm ſæpè ex certa ſcientia delegantis eſt ignarus juris, dummodò ſit bonus homo. Et quod talis ad reſtitutionem teneretur, ſi neceſſitate obedientiæ judicaret, & bona fide de conſilio peritorum iniquam ſententiam ferret, irrationabile eſſet, niſi in inquirendo conſilium, culpabilis, aut negligens fuiſſet; tunc enim ad reſtitutionem teneretur.

ARTICVLVS III.

Quid juris de pecunia recepta à Judice.

Circà tertium quæritur.

Quid ſi judex accepit pecuniam, ut ferret ſententiam?

Reſpondeo *ſecund. Ray. & Hoſt. ibid.* aut accepit pecuniam, ut judicaret iniquè, aut ut benè, aut ſimplicitèr: in primo caſu ſi tulit ſententiam iniquam tenetur, ſicut dictum eſt ſuprà in illo, qui judicavit dolo: Pecuniam autèm acceptam, ſivè tulerit ſententiam iniquam, ſivè juſtam, ſivè nullam, tenetur indiſtinctè reſtituere, non ei, qui dedit, cum turpiter dederit, ſed ei, in cujus injuriam recepit, 1. *quæſt.* 1. *jubemus*, *& l. jul. repetund. ar.* 17. *quæſt.* 4. *ſi quis in atrio*. In ſecundo, & tertio caſu ſimilitèr tenetur reſtituere, quià cum ex officio teneretur judicare benè, & gratis, turpitèr accepit; & idem dicendùm eſt, ſi pecuniam accepit, ut non judicaret, 1. *quæſt.* 1. *jubemus*, *& l. jul. repetundarum*; *& extra de Simo. nemo*, *&* 11. *quæſt.* 3. *non licet*.

Sed cui reſtituet?

Reſpondeo illi, qui dedit, ſi bona intentione dedit, ſcilicèt, ut jus, & quietem ſibi ſervaret, 14. *quæſt.* 5. *non ſanè*, *& extra de Sim. dilectus filius* 1. Si verò dedit, ut ſibi judicis animum ſub recti ſpecie inclinaret, & ità indirectè, & tacitè intendebat eum corrumpere, ſi hoc ſcit judex, non illi, qui dedit, ſed pauperibus, vel ei, in cujus injuriam data fuit, reſtituere debet, *ut in c. præallegat. non ſanè*, ut dictum eſt ſuprà de eo, qui dedit, ut iniquè judicaret.

Quid ſi nullo modo Judex ſententiam ferre voluit, & ideò pauper aliquis, vel alius jus ſuum amittit?

Reſpondeo *ſecundùm Ray. & Hoſt.* tenetur reſtituere, & debet æſtimationem litis læſo propter malitiam, vel negligentiam ejus, 23. *quæſt.* 2. *Dominus Deus*, *& e. quæſt.* 5. *adminiſtratores*.

Numquid Judices poſſunt à partibus aliquid recipere?

Reſpondeo non licet judici vendere judicium juſtum, quamvis juriſperito liceat vendere juſtum conſilium, & advocato juſtum patrocinium, 11. *quæſt.* 3. *non licet*; *&* 14. *quæſt* 5. *non ſanè*; Undè judices ordinarii non debent aliquid petere etiàm expenſas, cùm proptèr juſtitiam tenendam ſuas habeant dignitates, & redditus aſſignatos, *diſt.* 86. *non ſatis*, *&* 23. *quæſt. militare*. Judices verò Prælati, quibus Papa cauſas delegat, non videtur *ſecundùm Hoſt.* quod etiàm expenſas petere poſſint; ſi tamèn ſua ſtipendia ſufficiant ſibi, quià de his vivere debent, *ut in ca. militare*, *præallegat.* Niſi fortè oporteat eos domum exire, quià tunc quatenùs plus expendunt, quàm expenderent domi, petere poſſent, 10. *quæſt.* 3. *cavendum eſt ſanè*. Et ſic intellige, quod alii dicunt, eos expenſas indiſtinctè petere poſſe, & jura, quæ pro ſe inducunt, ſcilicèt, quod nemo tenetur propriis ſtipendiis militare, 28. *quæſt.* 1. *jàm nunc in fin. & extra de præſcriptio. cum ex officii*. Nàm & ſi quis de mandato principis ad aliam eat provinciam, expendere debet ea, quæ domi expenderet, *in auten. de mandato prin.* §. *illud. coll.* 3. Sed ſi litigantes ſunt pauperes, nihil habebit, *ut dicitur ibid.* §. *ſit quoque tibi*. Si etiàm ordinarius dat delegatos, expenſas facere debet, *extra de offic. or. inter cætera*. Habentes enim ſtipendia Eccleſiaſtica dicere non

Digitized by Google

non poſſunt, quod militent ſtipendiis propriis, *extra de dona. cap. 2.* Si tamèn equos, vel aliquid aliud occaſione hujuſmodi cauſæ perderent, quod domi non amiſiſſent, credo, quod petere poſſent, *ar. ff. de incendio, ruina, naufragio, l. 1. §. ex incendio*. Et ſi ultrà hoc judices petant, tanquàm indebitum repeti poteſt, *ar. extra de cenſ. procuratores.* Et ſententia lata occaſione illa non tenet, *ar. extra de exceſſi. Prælator. cum ad quorumdam*. Quà enim fronte poſſunt expenſas petere? Non ratione intereſſe, quià hoc domi expendiſſent; nec ratione laboris, quià Papę debent obedire; nec ratione judicii, quià non debet eſſe venale: nec peti debent expenſę niſi occaſione negocii, de quo quęritur factæ, *extra de proc. cum pro cauſa*; Undè ſi plus expendant, quàm domi expendiſſent, illud petant, ut dictum eſt, dùm tamèn expenſæ ſint moderatæ reſpectu perſonæ, *extra de cenſ. procuratores*, & *11. quæſt. 3. illud, hæc Hoſt.*

Poſſunt tamèn judices exenia moderata, ſivè modica ſpontè oblata recipere; ut eſculentum, & poculentum & hujuſmodi, quæ ſtatìm conſumuntur, vel non extenduntur ad munerum quantitatem, *diſt. 18. de eulogiis*; Non tamèn credo, quod à litigatoribus debeant recipere etiàm ſpontè oblata proptèr ſuſpicionem vitandam, niſi conſideratis circumſtantiis poſitis infrà de Simonia; Hęc Ray. Poteſt autèm judex aliqua petere ratione Aſſeſſorum, ſi petat bona fide, ut quià erat ei periculoſum judicare ſinè conſilio, quià minus diſcretus erat, *ar. diſt. 37. §. final.* ſecùs eſt, ſi erat ſufficientèr ad hoc diſcretus, vel nihil aſſeſſori dederit, vel nullum habuit, vel indè partem ſibi aliquam acceperit, quià tunc fraudulentè petit *ſecundùm Ray. & Hoſt.* Conſulit igitùr Hoſtien. quod judex Aſſeſſorem habeat de conſenſu partium, & cum eo conveniat, & ſi non conſentiant, ſed ejus opinioni ſtare volunt, imputent ſibi. Ipſi enìm non eſt periculum, dummodò judicet ſecundùm conſcientiam juris, ergò clerici, nedum à malo; immo ab omni ſpecie mali debent abſtinere. Sic intellige *extra de offic. ordin. inter cætera*; quicquid alii dicant. Verum eſt tamèn, quod quicquid ſit de jure, de facto obtinet, quod tam delegati, quàm ordinarii, tàm Prælati, quam privati; ex quo tanquàm delegati cognoſcunt, expenſas omnes habere volunt ex ſua conſuetudine prava, vel potiùs corruptela.

Quod autèm Prælatus nihil à clerico ſuo petere debeat, probatur, 11. *quæſt. 1. ſi quis cum clerico. Hæc Hoſt. tit. de vi. & honeſt. cle.*

ARTICULUS IV.

De Judicis idoneitate.

Circà quartum quæritur.

I. Utrùm Prælatus malus juſtè judicare poſſit ſubditos ſuos?

II. Utrùm inferior poſſit judicare ſuperiorem?

Circà primum reſpondeo; videtur, quod non, quià judicium ejus eſt temerarium proptèr ejus indignitatem, ut dictum eſt ſuprà in principio hujus tit. Prætereà Ambr. dicit ſuper illud *Pſal. Beati immaculati. Ille*, inquit, *judicet, qui non agit ea, quæ putat in alio punienda, ne cum de alio judicat, in ſe ſententiam ferat.*

Contrà *Matth. 23.* dicit Chriſtus de malis Prælatis Judeorum; *quæcunque dixerint vobis, facite &c.*

Reſpondeo *ſecundùm Alex. Aug. 3. tit. 2. c. de judicibus art. 3. c.* Eſt judicare de officio poteſtatis; & eſt judicare de idoneitate, & merito poteſtatis; primò modo judicare poteſt Prælatus malus; ſecundò modo non niſi bonus. Primum ſine ſecundo eſt damnabile judicanti, ſalubre tamèn eſt ſubdito obtemperanti; Undè mali Prælati, dùm ab Eccleſia tolerantur, effugere judicium non eſt licitum, obtemperare eſt proficuum; & ſecundùm has duas vias diverſimodè loquuntur auctoritates diverſæ.

Ad hoc nota *ſecundùm Thom. 2. 2. quæſt. 60. art. 2. cap. 3.* quod illi, qui ſunt in gravioribus peccatis judicare non debent eos, qui ſunt in eiſdem peccatis, vel minoribus, ut dicit *Chriſoſt. ſuper illud Matth. 7 Nolite judicare*, & præcipuè ſi ſint publica, quià ex hoc ſuos ſcandalizant; Si verò ſint occulta, & incumbat ex officio neceſſitas judicandi, poteſt cùm humilitate, & amore, vel arguere, vel judicare; *Undè Aug. lib. de ſerm. domini: ſi invenimus nos in eodem vitio eſſe, ingemiſcamus*; non tamèn ideò homo ſic ſe condemnat, ut novum peccatum committat, ſed condemnans alium, oſtendit ſe ſimilitèr condemnabilem eſſe proptèr idem, vel ſimile peccatum, *ut Thom. ibid.*

Circà ſecundum reſpondeo, judicare dicitur duplicitèr, ſcilicèt propriè, ut judicare ex poteſtate, ſivè auctoritate; & communitèr extenſo vocabulo ad arguere, corripere, & monere. Arguere propriè eſt ſuperiorum reſpectu inferiorum; undè *Apoſt. ait Thym. argue cum omni imperio.* Corripere eſt reſpectu parium; *Matth 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Monere verò eſt inferiorum reſpectu ſuperiorum; undè *Bern. ad Eugenium: Moneo te, non arguo.* Dicendum igitùr, quod judicare propriè, ſcilicèt ex auctoritate merita examinando, arguendo, & puniendo non eſt inferiorum; ſed judicare communitèr ſumptum, ſcilicèt monendo ex charitate eſt bonorum ſubditorum reſpectu aliorum ſuperiorum, vel Prælatorum.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De judicandi modo, ſivè qualitate.

Circà quintum quæruntur plura.

I. Utrùm debeat judex judicare ſecundùm veritatem, quàm ipſe novit; vel ſecundùm allegata?

II. Numquid judex poteſt contrà aliquem procedere ſinè accuſatione?

III. Numquid judex poteſt pœnam dimittere, vel augere?

IV. Quid fiet de pœnis exactis per judices Eccleſiaſticos.

V. Numquid licet judici pœnam relaxare?

Circà primum; De hoc require *ſuprà tit. de furam. art. 10. quæſt. 7.*

Circa ſecundùm reſpondeo judex eſt interpres Juſtitiæ; juſtitia verò non eſt ad ſe ipſum; & ideò oportet, quod judex inter aliquos dijudicet; hoc autèm fit, cum unus eſt actor, & alter reus; Si ergò non ſit accuſator legitimus, non fatigetur reus, *extra de accuſ. cap. 1.* Quandoquè tamèn infamia tenet locum accuſatoris; Undè ſuper illud *Geneſ. 4. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, dicit Gloſſ. evidentia patrati ſceleris accuſatione non eget, proptèr quod proptèr infamiam purgatio indicitur. extra e. venienſ. in fin* vel ſaltèm ex officio ſuo à ſuperiori inquiritur, *extra e. qualitèr.* In denunciatione autèm quià non intenditur peccantis punitio, ſed correctio, ideò nihil contrà eum agitur, cujus peccatum denunciatur, ſed pro eo; & ideò non eſt ibi neceſſarius accuſator.

Circà tertium reſpondeo *ſecundùm Hoſt. extra de rap. in Arciepyſcopopatu* licet judici ex cauſa pœnam unam in aliam commutare, quandò ſcandalum non imminet, & ubi procedit ex officio, *ff. de his, qui non infa. quid ergò*; Secùs, quandò cauſa non ſubeſt, vel quandò ab alio accuſatur, quià tunc nec melior, nec durior inſligi poteſt, *ut C. ne ſanctum Bap. ite. l. 3. in fin.* ſæpè tamèn fit contrarium de facto; Hæc ponit idem *Hoſt. in ſumma tit de accuſ. Ber. verò extra de offic. dele. de cauſis, & de accuſationibus ſuper his*, diſtinguit ſic, ſcilicèt, quod pœna, aut eſt expreſſa in jure, aut non; ſi ſic, tunc judex, & delegatus non poteſt illam dimittere, nec ab ea poteſt appellari; ſi tamèn diverſæ pœnę ſint expreſſæ in jure, minor imponatur, *de pæ. diſt. 1. pęnæ.* vel erit locus gratificationi, *extra de jure patro. cum autem*; vel illa imponatur, quæ magis timetur, *extra ut lite non conteſta. quoniam in fin.* judex autèm ordinarius, ſi ſuper crimine diſpenſare poteſt, eam poteſt minuere, *extra de judic. ac ſi clerici*; Si autèm non poteſt diſpenſare, non poteſt eam minuere: ſi autèm pœna non ſit expreſſa in jure, tunc relinquitur arbitrio judicis, *ut in ca. de cauſis*, & ab hac appellari poteſt; Undè ſi excederet, reduci deberet ad arbitrium boni viri, *extra de jurejur. quintavallis, & conveniens. Hæc Ber.*

Ad hoc nota, quod multiplex eſt pœna, quæ peti poteſt, ſcilicèt canonica, vel legalis, *16. quæſt. 1. ſtatuimus.* Conſuetudinalis, *extra de offic. ord dilectus.* Contumaciæ, ubi pecunia peti poteſt, dummodò non excedat modum, *C. de modo mulctarum, illuſtres*; & avaritia vitetur, ut ſcilicèt pecunia pauperibus detur; pars autèm à parte non accipiat ultrà ſuum intereſſe, *extra de dol. & contum. cap. 1.* licèt lex hanc totam permittat peti, *ff. de coll. bonorum l. 2.* niſi ubi petitur ſatisfactio iniuriæ *extra de injur. olim* Iudicialis, & hæc etiàm petitur, ut cùm quis obligat ſe ad probandum ſub pœna decem librarum, *extra de elec. cum dilectus.* Arbitraria, & hæc petitur ab eo, qui non ſervat arbitrium, *extra de arb. dilecti.* Conventionalis extrà iudicium appoſita, & hæc peti poteſt, quatenùs intereſt, *ff. de act. emp. & ven prædia.* niſi apponatur in fraudem, *ut ibid. l. Papinianus. Hæc Hoſt. in ca. dilecti.*

Circà quartum reſpondet *Goff. tit. de pæn.* quod pœnæ exactę ratione delicti, damnum, vel iniuriam Eccleſiæ contingentis applicari debent Eccleſiæ damnum, vel iniuriam paſſæ, *extra de pę. cap. 2.* Si verò damnum, vel iniuria reſpiciat aliquem privatum, applicabitur ei pœna ſivè canonica, ſivè à iudice irrogata, ſivè conventionalis.

Circà quintum reſpondeo, quod non; *Deutor. 16.* dicitur de omicida: *morietur, nec miſereberis ejus*, & hoc duplici ratione; primò ex parte accuſatoris, ad cuius ius pertinet quandoquè, ut reus puniatur; ſecundò ex parte reipublicæ, cùm fungitur poteſtate, ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniantur, ſicut membrum putridum abſcinditur, ne aliqua pars corporis corrumpatur, vel lædatur. Quantùm ad primum non differt inter iudices inferiores, & ſummum, quià quilibet iudex tenetur unicuique reddere ius ſuum. Sed quantùm ad ſecundum, differt, quià iudex inferior non habet poteſtatem abſolvendi reum à pœna contrà leges impoſitam ſibi à ſuperiore, ſed iudex ſummus, ſcilicèt princeps, cui eſt plenariè commiſſa poteſtas publica, ſi paſſus iniuriam velit remittere, poteſt licitè reum abſolvere, ſi hoc utilitati publicæ viderit non obſtare.

Nec obſtat prædictis illud *Jacob. 2. Judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non facit miſericordiam*, quià hoc habet locum in his, quæ iudicis arbitrio requiruntur. In illis enim intelligitur illud *Eccleſ. 2. Noli eſſe nimis juſtus*, ubi *Aug. ergò pęnitentes, miſericordes eſſe monemur*; Non autèm habet locum in his, quæ per legem divinam, vel humanam determinantur.

AR-

itized by Google

ARTICVLVS VI.

De Officialium Judicis dolo, & cupiditate.

Circà ſextum articulum, qui eſt de officialibus iudicis ſciendùm *ſecundùm Ray. tit. de rap.* quod ipſi indiſtinctè, ſi iudicem dolo induxerunt ad malè iudicandum, tenentur ſecundùm diſtinctionem poſitam *ſuprà tit. de rap.* Si verò iudex per imprudentiam aſſeſſoris malè iudicavit, excuſatus erit, ſi ſimplex erat, & conſcientiam bonam habuit, nec in culpa fuit eligendo talem aſſeſſorem, quià communitèr bonus, & ſufficiens credebatur; magis ergò fuit aſſeſſor in culpa, quia præcipuè eligitur proptèr ſcientiam, non ſic iudex, & ideò precisè tenetur læſo, *ff. quod quiſquis juris l. 2.*

Si autèm officiales inferiores, ut nuncii infulati, vel ſimiles habeant certos redditus aſſignatos ſibi, non licet eis aliquid à litigantibus, vel etiàm aliis ſubditis extorquere, ſicut ſuprà dictum eſt de iudice ordinario. Si verò non habent, diſtingue *ſecundùm Alex. Aug. 3. tit. 2. c. de perſonis aſſiſtentibus judicio, art. 2. c.* quod ſecundùm conſuetudinem, & morem terræ recipere poſſunt; ſed per vim, vel immoderatam improbitatem recipere non poſſunt. Hæc diſtinctio per verba Aug. ad Maced. probatur, & habetur, 14. *quæſt. 5. non ſanè.* Dicit tamèn Hoſt. quod dicti officiales, ſcilicèt inferiores, etſi certum ſalarium habeant, ſi tamèn ſecundùm morem terræ, non per vim, vel per immoderatam improbitatem extorquent aliquid parvum, ut obulum, vel denarium, vel aliud quid certum, non tenentur illud reſtituere, ſed indè poſſunt eleemoſynam facere. Aſſeſſor autèm ſi certum habeat ſalarium, & extorquet ultra, tenetur. *ar. extra de vi. & honeſt. cle. cum ab omni*; *Hæc Hoſt. e. tit.*

TITVLVS XXXIX.

De Advocatis.

Deindè conſiderandum eſt de Advocatis, & primò, quæ debent in advocando ſervare. Secundò, qui poſſunt, & qui non, advocare; ideò ſit.

ARTICVLVS I.

Quæ debent Advocati in advocando ſervare.

Circà primum ſciendum, quod ipſi tenentur in advocationibus quatuor obſervare.

Primum eſt, quod examinent cauſæ qualitatem, & ſi viderint eam iuſtam, ſi voluerint, eam aſſumant; ſi verò iniuſtam, renuant: Undè diligentèr cavere debent, ne cauſam aſſumant iniuſtam, vel deſperatam, & ſi fortè eam ignorantèr ab initio acceperint, & in proceſſu talem cognoverint, ceſſent, vel Clientulo ſuo conſulant, quod cedat, vel componat ſinè adverſarii damno. Et ſecundùm Goff. ſalarium illud receptum reſtituat. *C. de jud. rem non novam.* Tamèn, ut dicit Hoſt. illa lex non dicit de ſalario hoc, quod dicit Goff. quia tunc non habet advocatus aliquid pro labore, quem fortè ſubiit bona fide. Si verò nequam advocatum clientulum ſuum inducat ſcientèr ad movendum, vel defendendum cauſam iniquam, ad damna, & expenſas ei tenetur, *ar. C. de adminic. tu non eſt ignotum.* Tenetur etiàm ſi proptèr ſuam imprudentiam, vel negligentiam cauſam amiſerit, *ff. de offic. præf. illicitas §. ſicut*; & multò fortiùs ſi proptèr infidelitatem, & proditionem, quià tunc eſt dignus majori pœna *ff. de pe. ſi quis.* Tenetur etiam qualicunque vitio ſuo cauſam amiſerit, *ar. ff. de evi. emptori*: ſecùs eſt, ſi ex qualitate cauſæ, vel defectu probationum, quià vitium eſt materiæ, non artificis, *ff. ad l. aquil. ſi ſervus, ſervum § ſi calicem.*

Secundum, quod obſervare debent advocati, eſt, ut ſervent in adjudicando tria. Primò, modeſtiam, ut non procacitèr, nec conviciando, vel vociferando proponant. *C. e. quiſquis vult eſſe cauſidicus*: & hoc niſi quatenùs litis utilitas expoſcit. Secundò, veritatem, ſcilicèt, ut non mentiantur, nec falſa jura allegent, nec falſa inſtrumenta, nec falſos teſtes, nec falſas rationes, vel probationes inducant, nec cavillationibus ſe juvent, nec dilationes non neceſſarias petant, 3. *quæſt. 7. hæc tria verſ. quis autèm ex litig.* Advocato tamèn defendenti juſtam cauſam licet prudentèr occultare ea, quibus impediri poſſet ejus proceſſus, non tamèn licet ei uti aliqua falſitate. Tertiò, legalitatem, & de contingentibus nihil omittant.

Tertium, quod obſervare debent, eſt, ut petant ſalarium moderatum ſivè ab initio, cum faciunt pactum; ſivè ex poſtfacto, ſi ab initio non fuit determinatum quantum eſſet. Debet autèm attendi moderamen ſalarii ſecundum quatuor; quorum primum eſt magnitudo cauſæ; ſecundum labor advocationis; tertium ſcientia, facundia, & honeſtas advocantis; quartum conſuetudo regionis. Et ſecundùm horum quatuor conſiderationem poteſt, & debet majus, & minus taxari, 3. *quæſt. 7. §. tria verſ. apud urbem.*

Quartum, quod obſervare debent advocati, eſt, ut neque conveniant ab initio de ſalario cum gravi damno litigatoris, & præcipuè de quota parte litis, 3. *quæſt. 7 § arceantur*; Quinimmò etiam tales ab advocando arceantur, *ut ibid.* Nec etiam poſt litem inceptam nullum ineant pactum cum clientulo ſuo, *ut in §. tria ver. prætereà.* Sed poſt peractam cauſam de ſalario caveri poteſt, *ff. de var. & extraor. cog. l. 1. §. ſi cui.* Hoc etiam intrepidè tenendum eſt, quod adhibitis circumſtantiis prædictis licitè poteſt ſinè peccato petere ſala-

ſalarium advocatus, 11. *quæſt.* 3. *non licet*; & quod ibi dicit Aug: quod licet juriſperito vendere juſtum conſilium, intelligit Ray. quandò laborat in libris volvendo, & ſtudendo, & acta reſpiciendo, & fortè cum aliis peritis diſputando; Aliàs ubi ſinè labore reſpondere poteſt, credit, quod nihil recipere debet: immò quod gratis accepit à Deo, debet dare gratis pro eo, ſecundùm illud: *gratis accepiſtis, gratis date*. Quod non intelligit Hoſt. ſi conſilium petens ſit dives, quià etſi non laborat modò, laboravit tamèn ſtudendo, & diſcendo. Si verò advocatus ſalarium extorſit, undè extorquere non debuit, vel pluſquàm debuit, reſtituere tenetur. Si tamèn ſinè fraude, & dolo ejus aliqua ſibi à clientulo ſuo ſpontè oblata recipiat, non tenetur ad reſtitutionem. Et idem dicendum eſt de juris conſulto, 14. *quæſt.* 5. *non ſanè. in fin & ea. quæſt. 6. ſi res.*

Tenetur etiàm advocatus reſtituere omnia, quæ injuſtè amiſerunt illi, contrà quos patrocinium præſtabat, proptèr pertinaciam ejus, *Hæc Ray.* Undè dicit Hoſt. *tit. de pœni.* quod ſi advocatus per ſuam cavillationem abſtulit ſuo adverſario bonam cauſam, vel gravavit eum in aliquo, petendo dilationem ſuperfluam, vel allegando falsè contrà conſcientiam, vel faciendo poſitionem duplicem, vel cavilloſam, vel per inſtructionem falſi teſtis, vel inducendo clientulum ſuum ad negandum veritatem, tenetur in ſolidum quoad verum intereſſe.

Itèm advocatus ſecundùm Ray. tenetur de ſua ſcientia eleemoſynam facere, & advocare pro miſerabilibus perſonis, quià proptèr defectum advocati, quèm conducere non poſſunt, cauſas amittunt, & gravantur injuſtè 11. *quæſt.* 3. *pauper.* ad inſtar medici, qui gratis tenetur languido pauperi curam, & conſilium impartiri; mortem enim probatur languentibus infligere, qui hanc cum poſſit, non excludit *diſt.* 83. *in principio. Hæc Ray.* Patrocinari enim cauſæ pauperis opus eſt miſericordiæ; undè de hoc idem dicendum eſt, quod infrà de aliis operibus miſericodiæ ſuo loco dicetur. Et ideò dicendum eſt, quod tenetur, ſcilicèt in caſu, putà *ſecundùm Thom.* 2. 2. *quæſt.* 71. *art.* 1. *c.* cum aliquis occurrit advocato maximè ſibi convictus tantam ad præſens neceſſitatem patiens, quod in promptu non appareat, quomodò alitèr ei ſubvenire poſſit; Aliàs non tenetur, ità quod peccet non faciendo: ſed ſi ſinè tali neceſſitate ſubveniat, laudabilitèr facit. Et idem dicendum eſt de medico quantùm ad curationem pauperis.

ARTICULUS II.

De his, qui officio Advocati fungi non poſſunt.

Circà ſecundum ſciendum, quod repelluntur ab advocando Monachi, & Canonici Regulares, & quilibet alii religioſi, tàm in foro ſæculari, quàm Eccleſiaſtico. Tales enim peccant advocando niſi pro monaſterio ſuo, nihilominùs imperante ſuo prælato; *extra e. cap.* 2. Itèm Clerici in Sacris Ordinibus, etiàm non beneficiati, & clerici in minoribus, ſi ſint beneficiati, advocare prohibentur coràm judice ſæculari, niſi in cauſa propria, vel pro ſua Eccleſia, vel pro conjunctis, & miſerabilibus perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, *extra e. cap.* 1. *& lib.* 6. *c. cum Sacerdotis*; Et ità poſſunt hac urgente neceſſitate, vel cauſa eleemoſynæ. Clerici verò in minoribus, & non beneficiati poſſunt advocare, & ſalarium recipere etiàm in foro ſæculari; ſicut poſſunt etiàm juſtam negociationem, ſi ſint pauperes, exercere, *extra ne cle. cap.* 1. Utriſque verò licet advocare in foro Eccleſiaſtico, *arg. à contrario ſenſu. extra e. cap.* 1. Epiſcopi verò nec in cauſa propria, nec in cauſa Eccleſiæ poſſunt advocare, ſed advocatum habebunt *ſecundùm Goff.* 5. *quæſt.* 3. *quià Epiſ.* Quod intelligit Hoſt. coràm judice ſæculari, quià coràm Eccleſiaſtico poteſt, ſi placet ſibi, & per procuratorem, & per ſe, litigare. Sic intelligitur *extra de jura. calum. c. fin.*

Nota tamèn, quod prædictæ perſonæ advocare poſſunt in caſibus præmiſſis, ità tamèn, quod divinum officium, cui intereſſe tenentur, non impediatur, *ar. diſ.* 21. *cleros, & clericos.*

Nota etiam, quod clerici in cauſa criminali non poſſunt allegare coram judice ſæculari *diſt.* 61. *aliquantos*, niſi ad hoc ut ſupplicent pro reis, 23. *quæſt.* 5. *cap.* 1.

Nota etiàm, quod clericus non debet aſſumere cauſam pro extraneis contrà Eccleſiam, in qua beneficium obtinet; & ſi contrà eam advocatus, vel procurator eſſe præſumat, poteſt tanquam ingratus hoc beneficio ſpoliari, *extra e. c. cum ſacerdotis §. clericus.* Et idem eſt contrà ſuum Epiſcopum, *extra de exceſſibus Prælat. gravem.*

Sed numquid Epiſcopus reputabitur extraneus reſpectu Eccleſiæ Epiſcopalis, aut unus de canonicis reſpectu Epiſcopi, & capituli?

Reſpondet Rod. quod non, cum pœnæ ſint reſtringendæ, non ampliandæ, & hoc quandò litigatur de jure, quod illi habent, in quantum ſunt canonici, vel Epiſcopus illius Eccleſiæ. Secùs eſt fortè, ſi unus de canonicis ageret contrà Epiſcopum, vel capitulum, petendo aliquid jure hæreditario; & alius canonicus ejus eſſet in illa cauſa advocatus, vel procurator. Itèm dicit *Innoc. extra e. ſuper c. fin.* quod etiàm laicus ſi beneficium habeat ab Eccleſia, privari debet beneficio, ſi contrà Eccleſiam advocet.

Quid ſi duæ Eccleſiæ, in quibus quis eſt beneficiatus agant ad invicem contra ſe?

Conſulit Hoſt. quod neutri noceat, ſed concordiam tractet, *ar. extra e. c. fin* Si tamèn ſit Prælatus alterius, videtur, quod poſſit agere contrà reliquam, & etiam jus ſuorum contrà propriam Eccleſiam defendere, ſi monita noluit emendare;

dare. Et hoc innuit hoc, quod dictum eſt ſuprà pro extraneis: Dicuntur enim ſui, hi, contrà quos non poteſt ſecundùm legem teſtificari, *extra de teſt. c. cap.* 1. appellatio autèm ſuorum eſt largior, quàm domeſticorum *diſt.* 47. §. *neceſſe. propè finem, ibi: qui ſuos &c.* lex autèm dicit, quod pro filiis, parentibus, uxore, conſanguineis, & affinibus ex tranſverſo uſque ad quartum gradum poteſt patrocinium impartiri, *C. de adv. diverſ. jud. l. petitionem §. licentia.*

Quid ſi Epiſcopus, & capitulum litigent?

Reſpondet Hoſt. quod debet adherere Epiſcopo, ſi credat, quod injuria ſibi fiat; *ar. extra de verb. ſign. cum clerici*; aliàs adherebit capitulo, *ar. extra de jurejur. petitio.* Si autèm dubitet, de pace tractet. In hoc tamèn caſu videtur, quod debeat potiùs eſſe cum capitulo, ne remaneat indefenſum *ar. extra de jurejur. brev.* Niſi fortè Epiſcopus præcipiat contrarium, cui eſt in dubio obediendum; in facto tamèn proprio hoc præcipere non debet.

Numquid aliquis cogi poteſt, ut pro miſerabilibus perſonis ſit contrà Eccleſiam, à qua beneficium habet?

Reſpondet Hoſtien. quod ſic; ſi aliùs haberi non poteſt, dummodò Eccleſia habeat alium ità bonum, qui foveat juſtitiam ejus; aliàs ſecùs eſt, *ar. extra de teſtamen. cum in officiis*, ſicut & quilibet in defectu probationis cogitur dicere veritatem.

Nec obſtat, ſi juramentum defenſionis, ſivè fidelitatis ipſi Eccleſiæ fecerit; Quià tacitè hanc conditionem habuit, ſcilicèt, niſi ſuperior contrarium ei præceperit, *ar. extra de jurejur. veniens §. verum quià, & c. venientes.*

Quid, ſi quis cum Epiſcopo cauſam habens advocatum non invenit? Numquid Epiſcopus ei advocatum contrà ſe dabit?

Reſpondet Hoſt. quod ſic, niſi Deum offendere velit; ſed advocatus non debet ei contrà conſcientiam obedire.

Itèm repellitur ab advocando quis quandoquè judicis officio; quià utitur ſimul officio advocati, & aſſeſſoris, quià in eadem cauſa non poteſt quis duo officia exercere, 4. *quæſt.* 4. *c.* 1. & 2.

Itèm quandoquè repellitur quis, quià judex videns ex una parte advocatos rudes, & ex altera prudentes, æquè vult diſtribuere, & unum eorum parti indigenti, cui denegat ſuum patrocinium, dare. *C. e. de poſtula. providendum. &* 3. *q.* 7. §. *tria, & §. ſi quis verò.* Debet enim judex advocatum dare feminis pupillis debilibus, & illis, qui non ſunt ſuæ mentis, vel qui proptèr potentiam adverſarii advocatos invenire non poſſunt, *ff. de offic. procon. nec quicquam §. fin. per totum.* Nec tunc gratis dare debet, ſed ſalario à parte convento, vel ſtatuto à judice moderato quodammodò ſupradicto, *ff. de var. & extraor. cogn. l.* 1. Hoc quidèm ſecundùm Hoſt. moderamine adhibito ſaltèm circà clericos; quod ſi pauper ſit is, cui datur, gratis advocet, & à Deo remunerationem expectet; ſi autèm advocatus à judice juſſus alicui patrocinium neget ſinè excuſatione evidenti, non advocet, *C. e. providendum*, ideſt interdicatur ſibi officium advocationis.

Itèm repellitur quis, ſi pecuniam ob non advocandum accepit, *ff. ad l. Jul. repetunda. l.* 3. §. *lex. julia re.*

Itèm Hæreticus, Paganus, & excommunicatus, 4. *quæſt.* 1. *cap.* 1. *& extrà de hær. vergentis, & c. excommunicamus, & de pœn. diſt.* 1. *nemo vel in fora.* Ubi etiàm habemus, quod judex peccat, & puniri debet, qui ſcientèr tales admittit.

Itèm qui leges audivit Pariſiis *extra de privil. ſuper ſpecula.*

Itèm qui habens perſonatum leges audivit, & infra duos menſes non reſipuit, *extra ne clerici, vel mon. ſuper ſpecul.* Sunt etiàm aliæ perſonæ prætèr prædictas prohibitæ, de quibus 3. *quæſt.* 7. §. *tria.* Sed pœnæ nominatæ ſpecialiùs pertinent ad judicium animæ.

Ad hoc nota *ſecund. Hoſt.* quod in caſu, in quo advocatus non eſt perſona idonea, vel religioſus, vel in ſacris conſtitutus in caſibus non conceſſis, ſi aliàs diligentèr officium ſuum exequatur, nec ſit in culpa amiſſionis cauſæ, non tenetur illud, quod pro ſalario recepit, reſtituere ei, qui dedit, cum ſua non interſit, ſed aliàs eſt ei injungendum, quod eroget in pias cauſas, *ar.* 14. *quæſt.* 5. *non ſanè* 5. *c. ult. &* 12. *quæſt.* 2. *gloria Epiſc.* Si verò immoderatam quantitatem recepit, tunc illud, quod nimis recepit, reſtituere tenetur illi, à quo extorſit.

TITULUS XXXX.

De Accuſatoribus.

POſteà conſiderandum eſt de Accuſatoribus; & Primò, quid eſt accuſare. Secundò, Utrùm quis teneatur accuſare. Tertiò, de temerariæ accuſationis detectione. Quartò, quos quis poteſt accuſare. Quintò, quid juris eſt de eo, qui pecuniam recepit pro accuſatione. Ideò ſit.

ARTICVLVS I.

Quid ſit accuſare.

CIrcà primùm ſciendum, quod accuſare propriè eſt alterius crimen deferre ad pœnam canonicam, vel legalem. Communitèr verò dicitur accuſare etiàm denunciare crimen alterius ad pœnitentiam peragendam. Utrumque horum, ſi fiat ex charitate eſt licitum, & ſanctum, quia ſivè plectendo, ſivè ignoſcendo, hoc benè agitur, ut vita hominum corrigatur, 23. *quæſt.* 5. pro-

prodeſt. Si autèm ex malignitate, illicitum eſt, & etiàm mortale peccatum; quià primo modo intenditur vel fratris correctio, ut in denunciatione, vel bonum reipublicæ, ut in accuſatione. Secundo verò modo intenditur proximi læſio. Dicuntur etiàm accuſatores largè detractores, & ſimiles *ſecundùm Ray*.

ARTICVLVS II.

Vtrùm quis teneatur accuſare.

Circà ſecundum ſciendum, quod accuſatio ordinatur principalitèr ad bonum reipublicæ, quod quidèm procuratur per punitionem peccantium, ad quam agitur in accuſatione: & ideò ſicut quis tenetur bonum procurare, vel etiàm vitare malum reipublicæ, ſic etiàm tenetur accuſare. Undè *ſecundùm Thom.* 2. 2. *quæſt* 68. *art.* 1. *c* Si crimen ſit tale, quod vergat in detrimentum reipublicæ, tenetur homo accuſare, dummodò poſſit illud ſufficientèr probare; Hoc enìm incumbit accuſatori, ut cum peccatum alicujus vergit in corruptionem multitudinis corporalem, vel ſpiritualem. Si verò non redundet in multitudinem, vel etiàm ſi ſufficientèr illud probare non poſſit, non tenetur tunc illud accuſare, quià nullus ad hoc tenetur, quod non poteſt debito modo perficere, *Hæc Thom. ibid.* Alias eſſet fratris proditor, 2. *quæſt.* 1. *ſi peccaverit*, & 5. *quæſt.* 1. *cap.* 2. Secretorum enim ſolus Deus eſt cognitor, & judex; & prætèr pęnitentiam gravis eſt pęna contrà tales inſtituta, quià ſcilicèt debent excommunicari, *diſt* 46. *accuſatores fratrum*. Poteſt tamèn, ſi eſt occultum, dicere perſonis talibus in ſecreto, quæ poſſint prodeſſe, & non obeſſe; Quod autèm in caſu prædicto homo teneatur accuſare, eſt *ar. Levit* 5. ubi ſic dicitur: *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſquè fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt; niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam*. Ex quo, ut dicit Aug. videtur homo peccare, ſi ſcit aliquem falſum jurare, & tacet; ergò tenetur accuſare. Prætereà *dicit Aug. in regula ſua*: *Si frater vulnus habet in corpore, quod velit occultare, cum timet ſecari, nonnè crudelitèr ſileres, & miſericorditèr indicares? Quantò ergò magis debes vulnus animæ manifeſtare, ne deteriùs putreſcat in corde.*

Sed objicitur, quià ex dicta auctoritate Levitici videtur, quod qui audit perjurantem, debet eum accuſare, etiàm ſi ſolus ſciat, cujus contrarium habitum eſt ſupra?

Ad quod Reſpondet Aug. ibid. quod à tali peccato ſe exuit, qui talibus indicat, qui poſſunt perjuro magis prodeſſe, quàm obeſſe, ſcilicèt corrigendo, vel orando.

Utrùm verò homo teneatur crimen alterius denunciare; require ſuprà *tit. de perjurio ar.* 3. *quæſ.* Quid ſi aliquis audiat alium jurare &c.

ARTICULUS III.

De temerariæ accuſationis detectione.

Circà tertium nota, quod ſicut habetur 2. *quæſt.* 3. §. *notandum*. Accuſatorum temeritas triplicitèr detegitur. Aut enìm calumniantur; aùt prævaricantur; aut tergiverſantur. Eſt autèm calumniari, falſa crimina intendere, ſivè imponere, ſubaudi, ſcientèr, & animo calumniandi, *extra de calum. cap.* 2. Contingit enìm quandoquè, quod aliquis accuſat aliquem ex animi levitate, ſcilicèt, quià nimis facilè credit, quod audit, & hoc eſt temerarium; quandoquè verò contingit hoc ex juſto errore; hæc autèm omnia prudens, & juſtus judex debet diſcernere. Tanta autèm, & talis pœna imponenda eſt accuſatori calumnioſo; quanta, & qualis eſt imponenda accuſato, ſi convincatur, *ff. de calum. l. fin.* Prævaricari eſt vera crimina abſcondere, ſcilicèt fraudolentèr, ut cum accuſator contrà crimina, de quibus accuſavit, cum reo colludens proprias probationes diſſimulat, & falſas accuſationes admittit. Undè dicitur prævaricator, quaſi primi, ſivè præcedentis ſcilicèt intenti variator, quià ſcilicèt partem adverſam adjuvat, prodita ſua cauſa. Tergiverſari eſt animo ab accuſatione deſiſtere, animum ſcilicèt accuſandi deponendo non qualitercumquè, ſed inordinatè; in hoc enìm quod ab inceptis deſiſtit, quaſi tergum vertit. Poteſt enìm aliquis ab accuſatione deſiſtere duplicitèr. Uno modo, ſi in ipſo proceſſu accuſationis cognoverit eſſe falſum illud, de quo accuſabat; & ſic pari conſenſu accuſator, & reus ſe mutuò abſolvunt. Alio modo, ſi Princeps, ad quem pertinet cura boni communis, quod per accuſationem intenditur, abſolverit accuſatorem. Si verò deſiſtat inordinatè, putà, proptèr conventionem aliquam cum adverſario, facit injuriam reipublicæ, & ideò hoc ei remitti non poteſt per accuſatum, ſed per Principem, qui curam reipublicæ gerit.

Patet ergò ex dictis, quod contingit peccare in accuſatione, vel quià injuſtè contrà accuſatum agitur, vel quià reſpublica læditur, dùm ſcilicèt peccati punitio impeditur: primum fit calumniando; ſecundum fit prævaricando, vel tergiverſando.

Nota etiàm, quod accuſatori calumnioſo debetur pęna duplex. Una eſt pęna talionis, ut dictum eſt ſuprà; Si tamèn judex cognoverit eum accuſaſſe non animo nocendi, ſed ex levitate animi, vel ex cauſa erroris juſti, non imponit pœnam talionis. Alia eſt pęna infamiæ; & quandoquè Princeps remittit pęnam, & non abolet infamiam; quandoquè etiàm infamiam abolet.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Quos quis poſſit accuſare.

CIrcà quartùm quæritur primò, ſcilicèt; Utrùm ſubditi poſſint accuſare ſuos Prælatos? ad quod

Reſpondeo, quod ſic; Clericus enim accuſare poteſt Epiſcopum, 2. *quæſt.* 7. *lator.* & *c. præſumunt*. Et Monachus Abbatem, ſivè priorem, ubi non eſt Abbas. Et cum non habet proprium, debet ei de bonis Monaſterii provideri, *extra de accuſ. ex parte*. Si tamèn loculos habeat, debet ei hoc auxilium denegari, *extra de offic. ord. quanto*. Et multò magis eſt ſubveniendum ſæculari, ſi egeat, ſivè ſit clericus, ſivè laicus de bonis communibus, ſivè in quibus præſumitur jus habere, *C. de ord. cog. l. fin.* Hoc etiàm volunt multa alia jura *ſecundum Hoſt.*

Nec obſtat illud *c.* 2. *quæſt.* 7. *ipſi Apoſtoli*, & *c. teſtes per totum*; ex quibus habetur, quod non auditur minor ordine volens accuſare majorem, quià ſecundùm Hoſt. corriguntur per illa præallegata Capitula, ſcilicèt *lator. præſumunt*. Diſtinguendum tamèn eſt, quod prohibita eſt accuſatio prælatorum ab ignotis, & etiàm à notis criminoſis, & infamibus; non autèm notis bonis ex affectu charitatis: quæ diſtinctio elicitur 2. *quæſt.* 7. *quærendum*, & §. *his auctoritatibus*, & *c. præſumunt*. Et ſecundùm hanc diſtinctionem intelligi debent omnes canones, quibus prohiberi videtur accuſatio Prælatorum. Non eſt etiam prohibita accuſatio Prælatorum à criminoſis, & infamibus in caſu, ſcilicèt, cum ipſi Prælati exorbitaverint in fide, 2. *quæſt.* 7. §. *opponitur*.

Sciendùm etiàm, quod aliqui Prælati non poſſunt accuſari proptèr excellentiam dignitatis, ut Papa, & Imperator, quià ſunt ſuprà jus, & legibus ſoluti. Papa enim non habet ſuperiorem, niſi Deum, 9. *quæſt.* 3. *nemo aliorum*, niſi in crimine hæreſis, *diſt.* 40. *ſi Papa*.

Numquid Monachus accuſare poteſt alium, quàm Abbatem, vel priorem ſuum?

Reſpondeo, quod non, *extra de accuſ. ex parte*, quod intelligitur contrà voluntatem Abbatis, ſed de voluntate Abbatis admittitur utilitate Monaſterii exigente *ar. de poſtul. ex parte*. Aliàs ſecundùm Canones, niſi Monaſterii interſit, Abbatis licentia non ſufficit, cum ſit mortuus mundo. 16. *quæſt.* 1. *placuit communi noſtro conſilio*. Licèt denunciare poſſit ad pœnitentiam non tantùm fratres, ſed etiàm quemlibet fidelem etiàm Abbate contradicente. Ad hoc enìm teneatur quilibet *ſecundùm Aug.* quià generalitèr dictum eſt: *Si peccaveris in te frater tuus &c. Ad hoc* 11. *quæſt.* 2. *Julianus*, & *extra de jurejur. quemadmodum* §. *fin.* Alii verò, ut Ala. & Guil. Naſon. intelligunt, quod Monachus poteſt alium accuſare de voluntate Abbatis, etiamſi Monaſterii non interſit, 2. *quæſt.* 7. *cum paſtoris*. Hoſt. autèm eſt primæ opinionis.

Numquid Laici poſſunt Clericos accuſare?

Reſpondeo, Bar. & Melan. dixerunt, quod laici bonæ famæ admittuntur ad accuſationem Clericorum; & jura, quæ contradicere videntur, *ut* 2. *quæſt.* 7. *cap.* 1. & 2. & *plura alia*, intelliguntur de laicis criminoſis. Sed eis apertè contradicit *extra de teſt. de cætero*; niſi in criminibus exceptis, ut dictum eſt ſup. In illis enìm dicunt quidam, quod omnes laici etiàm criminoſi, & infames admittuntur ad accuſandum, & teſtificandum, etiàm meretrix *extra de Simon. tanta &c.* Alii dicunt quod nullus laicus admittitur contrà clericos, etiàm in criminibus exceptis, niſi eorum opinio ſit gravata, vel ſi quis ſuam, vel ſuorum injuriam proſequatur; & ſic ſentit Goff. quià generalitèr laici prohibentur clericos accuſare, 2. *quæſt.* 7. *ipſi Apoſt.* & *c. teſtes per totum*.

Et ſi quæratur in quo ergò ſunt excepta crimina? Reſpondet, quod infames admittuntur contrà laicos non infamatos, & contrà clericos non infamatos, 2. *quæſt.* 1. In primis admittuntur etiàm in teſtes contrà laicos intervenientibus etiàm aliis adminiculis, *extra de Simo. licet Heli.* & *c. per tuas* 1. Tancredus verò viam mediam tenens dixit, quod omnes laici bonæ famæ, & bonæ vitæ in criminibus exceptis admittuntur, & non in aliis, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur, vel niſi in caſu, *extra de fer. non or. nullus*; alitèr hæc crimina non viderentur excepta. Laici verò criminoſi, vel infames non admittuntur, niſi etiàm clerici fuerint malæ famæ, quià tunc admittuntur, niſi ſint inimici, ut colligitur, *extra de accuſ. cum. pa. Mantonel.* & *extra de Simon. tanta*, & *c. per tuas*. Excipiuntur etiàm participes criminis, *extra de teſt. veniens*. Jo: tamèn dicit, quod laici bonæ famæ poſſunt accuſare ſuum Prælatum, quia ſua intereſt habere bonum Prælatum, *ar.* 2. *quæſt* 7. *clericos*; & *quæſt.* 4. *illud tamèn*. Secundùm etiàm eundem communior eſt opinio, quod non poſſunt, niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur. *Hæc Hoſt.*

ARTICULUS V.

Quid juris eſt de eo, qui pecuniam recepit pro accuſatione.

CIrcà quintum nota, quod ſi aliquis accuſator pecuniam accepit ob accuſandum, vel non accuſandum; crimen concuſſionis commiſit, & tenetur reſtituere ei, qui dedit, ſi non turpiter dedit: Aliàs ei, in cujus iniuriam data fuit, 1. *quæſt.* 1. *jubemus*, & *c. ſe. ſecundùm Ray.*

TITULUS XXXXI.

De Accuſatis.

DEindè conſiderandum eſt de reis, ſivè accuſatis, ſivè iudicandis. Et primò, qui ſunt iudicandi. Secundò, utrùm iudicandis liceat effugere iudicium damnationis, ideò ſit.

ARTICVLVS I.

CIrcà primum Articulum, quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm generalitèr mali ſint judicandi, ſivè puniendi?

II. Utrùm abſens poſſit condemnari?

III. Utrùm multitudo peccans ſit punienda.

IV. Utrùm judex punire debeat reos in ſe delinquentes?

Circà primum reſpondeo, quod univerſalitèr mali ſunt corrigendi per admonitionem, ſecundùm illud *Matt.* 18. *ſi peccaverit in te frater &c.* Sed non ſunt univerſalitèr puniendi per condemnationem &c. Non enìm ſunt aliqui condemnandi, niſi concurrentibus tribus, ſcilicèt, juriſdictione, convictione, & pace, ſivè unitate Eccleſiæ. De primis duobus patet ex prædictis ſuprà, *tit. de judicibus in prin.* De tertio, ſcilicèt de pace Eccleſiæ *dicit Aug. contrà Epiſtolam Parmeniani: Quandò cujuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ſi non tales habeat defenſores, quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ.*

Circà ſecundum reſpondeo, quod non, niſi ſit abſens ex contumacia, quales fuerunt Dathan, & Abyron, qui vocati à Moyſe noluerunt venire *num.* 16. Abſens verò ex juſtà cauſa non poteſt legitimè condemnari: Undè Severinus Papa 3. *quæſt.* 9. *Abſens nemo judicetur cap.* 1. *& c. abſens*, & quià hoc divinæ, & humanæ leges prohibent.

Circà tertium; Videtur quod non. *Matth.* 13. de Zizaniis dicitur: *Vis imus, & colligimus ea? Reſpondit Dominus, quod non, ne fortè eradicetis ſimul, & triticum: Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem* Ibi dicit *Gloſſ. non eſt excommunicanda multitudo, nec Princeps populi.* Itèm *Aug. ad Bonifac. ubi per graves diſſentionum ſciſſuras non hujus, aut illius hominis eſt periculum, ſed ſtrages jacent populorum, detrahendum eſt ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis ſincera charitas ſubveniat.*

Contrà *Exod.* 27. Moyſes proptèr idolatriam præcepit occidi multitudinem uſque ad 23. millia hominum. Præthereà, 4. *Reg.* 1. Elias zelo juſtitiæ igne celeſti duos quinquagenarios cum ſuis quinquaginta condemnavit. Prætereà *Deut.* 7. Præcipitur filiis Iſrael, ut 7. gentes, quæ erant in terra promiſſionis percuterent uſque ad interfectionem, ergò &c.

Reſpondeo *ſecundùm Aug. lib. contrà Fauſtum*: Crimina ſunt punienda, quandò ſalva pace Eccleſiæ fieri poteſt, in quo tamèn diſcretio eſt adhibenda; Aliquandò enìm delinquentium multitudo diù per patientiam eſt expectanda; Aliquandò eſt in paucis punienda, ut eorum exemplo cæteri terreantur, & ad pœnitentiam provocentur. Sic Moyſes, & Elias idolatriam in paucis puniverunt, ut alii perterriti eam dimitterent. Ad illud, quod dicit *Deut.* 7 de gentibus, dicit Greg *ibi patientèr tolerandi ſunt mali, ubi aliqui inveniuntur boni*, quod quià non erat in gentibus illis, univerſalitèr divino judicio ſunt deletæ. Per prædicta patet reſponſio de zizaniis; illud enìm non eſt faciendum ubi timetur, ne ſimùl eradicetur triticum. Secundùm enìm Aug. quandò multitudo eſt in ſcelere, nec ſalva pace Eccleſiæ mali poſſunt puniri, debent potiùs tolerari.

Circà quartum reſpondeo, quod ſic, intuitu honoris divini, ſivè officii ſui, non autèm intuitu propriæ injuriæ: Undè Beatus Petrus contumelias illatas ſibi cum gaudio ſuſcipiebat; peccata verò, quæ committebantur in Deum, acerbè puniebat, ut patet in Anania, & Saphyra *Act.* 5. Apoſtolus etiàm per totam Epiſtolam ſuam ad Corint. pia monitione, per contemptum delinquentes in ipſum ad amorem ſui revocat; Elymam verò Magum, qui cæteros à fide retrahebat, cæcitate percuſſit *Act.* 13. Quod autèm Elias ignem poſtulavit de cœlo, non cujus meriti eſſet apud Deum oſtendere voluit, ſed quod ille Deus verus eſſet, quem colebat. Beatus etiàm Sylverius Papa injuriantes ſibi anathematizavit, ſed hoc intuitu Dei, & Eccleſiæ, cujus Paſtor erat, fecit.

ARTICVLVS II.

Utrùm judicandis liceat effugere judicium damnationis.

CIrcà ſecundùm quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm quis mortalitèr peccet negando veritatem, per quàm condemnaretur?

II. Utrùm liceat accuſato ſe calumnioſè defendere.

III. Utrùm liceat reo per appellationem judicium declinare?

IV. Utrum condemnato ad mortem liceat ſe defendere, ſi poſſit?

Circà primum reſpondeo; Thom. dicit, quod ſic, 2. 2. *quæſt.* 69 *art.* 1. *c.* quià quicumque facit contrà debitum juſtitiæ, mortalitèr peccat. Ad debitum autèm juſtitiæ pertinet, quod aliquis obediat ſuo ſuperiori in his, ad quæ jus ſuæ prælationis extenditur; Et ideò accuſatus ex debito tenetur judici, qui eſt ſuperior eius, exponere veritatem, quàm ab eo ſecundùm formam iuris exigit; Et ideò ſi eam conſiteri noluerit, vel

Digitized by Google

vel mendacitèr negaverit, mortalitèr peccat; Si verò judex hoc exigat, quod non poteſt ſecundùm ordinem iuris, non tenetur ei reſpondere, ſed poteſt per appellationem, vel alitèr licitè ſubterfugere, non tamèn licet ei mendacium dicere.

Nec obſtat prædictis illud *Chry. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, nequè apud alium accuſes*; Quià in caſu prædicto non proditur à ſe, ſed ab alio, dùm ei reſpondendi neceſſitas imponitur à ſuperiori ſuo.

Si dicatur, quod ibi videtur eſſe mendacium officioſum, quod eſt veniale peccatum; quià homo ibi mentitur, ut liberet ſe ipſum; Dicendum, quod immò eſt ibi aliquid de pernicioſo admixtum, quià iudici debitum, ſcilicèt confeſſionem veritatis negat, & accuſator punietur, ſi in probatione deficiat.

Circa ſecundùm reſpondet *Thom.* 2. 2. *q.* 49. *ar.* 2. *c.* quod non; undè etiàm in cauſa criminali iuramentum de calumnia eſt præſtandum, *extra de juram calu. inhærentes*.

Nota etiàm, quod aliud eſt veritatem tacere, aliud eſt falſitatem proponere. Primum licet in aliquo caſu; non enim tenetur quis omnem veritatem confiteri, ſed tantùm illam, quam poteſt, & debet ab eo requirere judex ſecundùm ordinem juris, putà, cum ſuper aliquo crimine præceſſit infamia, vel apparuerint aliqua expreſſa indicia, vel etiàm præceſſit probatio ſemiplena. Secundùm autèm, ſcilicèt falſitatem proponere, in nullo caſu alicui licet. Sic ergò accuſato licet ſe defendere, veritatem illam, quàm confiteri non tenetur occultando per aliquos congruos, & licitos modos, putà, quod non reſpondeat ad quæ reſpondere non tenetur: Hoc autèm non eſt ſe calumnioſè defendere, ſed prudentèr evadere; Non autèm licet ei, vel falſum dicere, vel verum illud, quod confiteri tenetur, tacere; nequè etiàm aliquam fraudem, vel dolum adhibere, quià fraus, & dolus vim mendacii habent: Et hoc eſt ſe calumnioſè defendere. Undè non licet reo in caſu ſanguinis corrumpere ſuum adverſarium; peccat enim accuſator, ſi colludat cum reo, qui eſt noxius, quod patet ex hoc, quod pœnam incurrit legibus conſtitutam, 2. *quæſt.* 3. *cap.* 1. & *cap* 2. & *c.* 3. & *c.* 4. Undè cum inducere aliquem ad peccatum ſit peccatum, patet, quod etiàm reus peccat cum adverſario colludendo, quamvis huic peccato lex civilis non adhibeat pœnam, quià multa ſecundùm leges humanas relinquuntur impunita, quæ ſecundùm Dei judicium ſunt peccata, *Hæc Thom. ubi ſuprà*.

Circà tertium reſpondet *Thom. ubi ſup. ar.* 3. *c.* quod ſic; ſi appellat ex confidentia juſtæ cauſæ, quià ſcilicèt injuſtè gravatur à judice, ut habetur, 2. *quæſt* 6. *cap.* 1. & *ſe.* Hoc enim eſt prudentèr evadere: undè Apoſtolus ad Ceſarem appellavit *act.* 25. Non autèm licet appellare cauſa moræ afferendæ, ne contrà eum juſta ſententia proferatur; hoc enim eſt ſe calumnioſè defendere, quod non licet, ut dictum eſt.

Circà quartum reſpondet *Thom. ubi ſup. ar.* 4. *c.* quod non, ſi ſit juſtè condemnatus; Undè *Rom.* 13. *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, & per conſequens *ſibi damnationem acquirit*; licet enim judici eum reſiſtentem impugnare; undè patet, quod ex parte rei ſit bellum injuſtum, & ideò indubitantèr peccat. Si autèm ſit condemnatus injuſtè, licet ei ſe defendere; tale enim judicium eſt ſimile violentiæ latronum, ſecundùm illud *Eze.* 22. *Principes ejus in medio ejus, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem*, & ideò licet in tali caſu reſiſtere, niſi fortè proptèr vitandum ſcandalum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur: licet autèm ei effugere ſi poſſit, etiàmſi ſit juſtè condemnatus. Tenetur tamèn non reſiſtere agenti, quin patiatur, quod juſtum eſt eum pati: ſicut etiàm ſi quis juſtè eſſet condemnatus mori fame, non peccaret, ſi cibum ſibi occultum datum ederet, quià non ſumere eſſet ſe occidere. *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt*. 49. & *cap.* 2.

TITVLVS XLII.

De Falſariis.

Cum dictum ſit in præcedentibus de falſitate, quam committunt aliqui in foro judiciali, poteſt hìc ſubjici de falſitate, quàm aliqui faciunt circà literas Domini Papæ; quà ſcilicèt pœna ſunt puniendi ſecundùm Canon. Alià de hac materia relinquantur Juriſperitis, ideò ſit.

ARTICULUS UNICUS.

Qua pœna ſint puniendi Falſarii Literarum Apoſtolicarum &c.

Circà hoc ſciendum, quod ſecundùm Canon. pęna talium eſt multiplex; Nam ille, qui per ſe, vel per alium falſitatem exercet, ipſo jure cum omnibus fautoribus, & defenſoribus ſuis eſt anathematis vinculo innodatus.

Idem eſt de his, qui ſcientèr utuntur falſis literis Apoſtolicis. Sed tales infrà viginti dies à tempore cognitionis pęnam evitant excommunicationis; hoc dico de utentibus, non falſantibus, ut *extra e. ad falſariorum*.

Quid ergò ſi quis per triginta dies literas tenuit, ex quo falſas literas novit, & poſteà produxit in judicio, & cum redargueretur de falſitate incontinenti deſtruxit, vel renunciavit?

Reſpondeo proculdubiò excommunicatus eſt, ſed tamèn ſi occultum eſt, eum Eccleſia non vitabit. Currunt ergò eidem viginti dies à tempore conſcientiæ occultæ quoad Deum, ſed quoad Eccleſiam à tempore conſcientiæ publicatæ, ad quod accedit illud *extra de Sim. ſuam nobis*, & *c. tua nos in fine.* & *extra de ſent. excom. à*

nobis

nobis 2. Quod autèm dixi, quod infrà viginti dies vitatur pęna, *ut extra e. de cri. fal. dura.* intellexit Goff. de literis, quas quis per alium impetravit; nam ſi per ſe ipſum, vel ſi conſcius fuit, vel debuit eſſe, ſtatim pęna incurritur, *ut extra e. ad falſariorum.*

De falſario autèm Domini Papæ diſtingue, utrùm de falſitate dubitetur; vel certum ſit. Si dubitetur, tunc eſt falſarius capiendus, & in carcerem mittendus, & ſuper pęna eſt Summus Pontifex conſulendus, *ut diſt. 19. in memoriam.* Sic intellige illud *extra e. ſuper e. & extra de reſcrip. cap.* 2. Si autèm pro certò ſciretur, quod eſſet falſarius, non per ſuſpicionem, ſed per rei evidentiam; ſi clericus ſit, degradandus eſt, & poteſtati ſæculari tradendus ſecundùm conſtitutiones legitimas puniendus; per quam & laici convicti legitimè puniuntur, *ut extra e. ſi de cri. fal. ad falſariorum.* Clerici etiàm ipſo jure In hoc caſu officiis, & beneficiis perpetuò ſunt privati, ut ibid. & hoc intelligitur de illo, qui per ſe, vel per alium falſavit; ſed ſi quis ſcientèr utitur literis ab alio falſatis, non eſt ipſo jure privatus, ſi clericus ſit, ſed officio, & beneficio ſpoliandus, ideſt ſuſpendendus, ſub audi, & nihilominùs excommunicatus quouſque dignè ſatisfecerit. Laicus etiàm per eamdem ſententiam excommunicationis ipſo jure illatam ſatisfacere cogitur competentèr, & intelligas in utroque ad arbitrium Papæ, quià nec per alium reſtitui poterit, nec abſolvi. Sic intelligas *extra e. ad falſariorum §. qui verò in principio, & c. dura. §. ult.* Vel poteſt dici, quod quamvis Papa abſolutionem ſibi retinuerit, non tamèn ſatisfact. omnem, cùm dicat in iſtis, & in illis, ſcilicèt clericis, & laicis, malitiam graviùs, quàm negligentiam puniendam. Quod autèm dixi de pęna imponenda in utentibus literis ab alio falſatis, & de malitia graviùs, quàm negligentia punienda, etiàm de his, qui falſas literas impetrant, ſtatuitur obſervandum, *ut extra e. ad falſariorum.* De hac materia require in *lib. 7. tit. 2. caſu verò* 24.

Si quis autèm Clericus literas Regis falſaverit, caracterizatur in facie; primò à ſuis ordinibus degradatus provinciam abjurabit, & ſic abire permittitur, *ut extra e. de cri. fal. ad audientiam.* Et idem intelligo de falſario cujuſlibet principis ſęcularis, quia de ſimilibus idem eſt judicium, *extra de transla. inter corporalia. §. 1. in fin. & de reſcrip. inter cæteras, & de ſimon. ſuper quodam: in fin.*

Falſarius verò Epiſcopi deponitur, & in Monaſterio detruditur, *ut diſt. 50. ſi Epiſcopus, aut Presbyter.* Vel dic, quod eſt ab officio, & beneficio ſuſpendendus, vel ſuſpenſus nunciandus: ſicut & falſarius capituli, donec indulgentiam Sedis Apoſtolicæ mereatur, *ut extra de teſt. tàm literis, §. ult.* Vel meliùs dictum Dam. intelligitur, quandò in modum accuſationis convincitur criminalitèr accuſatus; Quandò autèm quis in modum inquiſitionis eſt convictus, habet locum, quod dixi, ut innuit illa Decretalis *tàm literis*; vel quandò falſarius civilitèr convenitur ad hoc, ut beneficio Eccleſiaſtico privetur. Quod habet locum etiàm in falſario delegati, vel quovis alio, *ut extra de reſcrip. olim ex literis in fin. & de offic. dele. cùm olim magiſter.* Cum ergò ab obtento removeatur, multò fortiùs ab obtinendo repellitur, *ut extra de exceſ. Prælat. inter dilectos §. prætereà.* Sed & quæ ſit pęna falſæ cartæ ex dicto, vel tacito, legitur *extra de reſcrip. ſuper literis.*

TITVLVS XLIII.

De duobus ultimis Præceptis, quibus prohibetur concupiſcentia alienarum Uxorum, & rerum.

Conſequentèr conſiderandum eſt de nono, & decimo Præcepto ſimùl, quià ſimùl ponuntur *Exod.* 20. *Sic: Non deſiderabis Uxorem proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, neque omnia, quæ illius ſunt. Et Deut.* 5. *ſic: Non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt*; ideò ſit.

Articulus Unicus.

De his, quæ ſpectant ad ultima duo Præcepta Decalogi.

Ad evidentiam eorum, quæ ad iſta præcepta pertinent; poſſunt quæri plura; ſcilicèt.

I. Utrùm hæc duo præcepta, quæ ſcilicèt ſunt de non concupiſcendo malum, ſint præcepta legis naturalis?

II. Utrùm Evangelium ſuperabundet à lege, ſecundum illud: Lex cohibet manum, non animum, Evangelium etiàm animum. Hoc enim non videtur, cum in his præceptis animus cohibeatur?

III. Utrùm in his duobus præceptis prohibeatur concupiſcentia generalis?

IV. Utrùm hìc prohibeatur interior actus concupiſcentiæ in primo motu, aut in delectatione, vel in conſenſu?

V. Utrùm ad idem præceptum pertineat prohibitio voluntatis, & operis?

Circà primum reſpondeo, quod ſic, quià ſicut in corde noſtro eſt ſcriptum, quod malum non eſt faciendum, ità etiàm quod malum non eſt concupiſcendum.

Nec obſtat illud *ad Rom. 7. Concupiſcientiam neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces*; Quià Apoſtolus loquitur in perſona eorum, in quibus lex naturalis erat in tantum obſcurata, quod neſciebant, utrùm concupiſcentia eſſet peccatum; & quantùm ad hoc dicit *Gloſſ. Neſciebam peccatum eſſe.* In ali-

aliquibus autèm non erat ità obtenebrata, quin benè ſcirent eſſe peccatum, ſed non tàm grave.

Circà ſecundum reſpondeo, quod lex prohibet cordis actum, ne judæi rudes, & carnales putarent ipſum eſſe conceſſum; & tamèn ſuperabundat Evangelium in duobus. Primò in generalitate prohibendi, quià *Matth.* 5. prohibetur actus cordis inordinatus ſecundùm vim iraſcibilem, & concupiſcibilem; in lege autèm tantùm ſecundùm concupiſcibilem. Secundò in expreſſione, quià in lege non prohibetur niſi inordinatio affectionis, cum dicitur: *Non concupiſces*; In Evangelio vero prohibetur intentio cogitationis. *Matth.* 5. *Ego dico vobis, omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jàm mœchatus eſt in corde ſuo*; & eſt ſenſus legis divinæ: Si oculum habeas intentionis in mulierem cogitatio, ut concupiſcas eam, jàm mœchatus es &c. *ſecundùm Alex. Ang. 3. tit. 1. c. de duobus ult. præceptis ar. ult. in fin.*

Circà tertium reſpondet *Alex. Ang. ubi ſup. ar. 3. c.* Secundùm formam præcepti prohibetur concupiſcentia generalis; omne enim concupitum eſt extrà; aut ergò eſt communicans nobiſcum, aut non. Si ſic, intelligitur per uxorem ſecundùm modum Decalogi per Synedochen a parte totum; Si non, intelligitur per rem proximi.

Circà quartum reſpondet *Alex. Ang. ubi ſuprà ar. 4. c.* quod triplicitèr poteſt concupiſcentia ſumi. Uno modo poteſt dici appetitus vegetabilis; & talis concupiſcentia prout eſt inordinata, eſt a fomite movente, ideſt à corruptione originalis culpæ. Alio modo poteſt dici appetitus ſenſibilis; & hæc prout eſt inordinata, eſt à movente ſenſualitate cum fomite. Tertio modo concupiſcentia eſt appetitus rationalis; & ſic eſt à liberi arbitrii voluntate. Concupiſcentia primo modo eſt in ſuggeſtione; ſecundo in delectatione; tertio in conſenſu. Dicendum ergò, quod per ſe concupiſcentia, prout eſt in conſenſu rationalis voluntatis, prohibetur. Concupiſcentia verò, quæ eſt in delectatione ſenſualitatis, vel ex ſuggeſtione fomitis in actu vegetabilis, non prohibetur ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, quia non erat prohibendum, nè illæ concupiſcentiæ ſint in nobis, quià hoc eſt impoſſibile nobis, ſed prohibentur, nè ſequantur eas ſecundùm illud *Eccl.* 18. *poſt concupiſcentias tuas non eas*: Ire autèm idem eſt, quod conſentire. Concupiſcentias autèm ſuggeſtionis, & delectationis non prohibet propriè, ſed ex prohibitione conſenſus oſtenduntur malæ, & vitandæ. Sic ergò per hæc præcepta non prohibetur motus primus concupiſcentiæ, qui conſiſtit infrà limites ſenſualitatis, ſed prohibetur directè conſenſus voluntatis in opus, vel delectationem.

Circà quintum reſpondet *Alex. Ang. ubi ſup. ar. ult. c.* quod aliquandò contingit eſſe peccatum in voluntate non ſequente opere; ne quis ergò crederet eſſe peccatum tantùm cum opus jungitur voluntati, ſeparatim prohibetur mala voluntas. Quandoquè verò opus ſequitur voluntatem, & tunc voluntas, & opus exterius, ſi conſiderentur in radice, ſcilicèt libidine, & intentione, ſunt idem peccatum. Si verò conſideretur voluntas in ſe, & opus in ſe; aliæ ſunt circumſtantiæ boni debitæ actui exteriori, quàm voluntati, quià diverſificatur modus, locus, tempus, & quædam aliæ circumſtantiæ, licèt circumſtantia finis ſit eadem. Si ergò, ut dicit Aug. peccatum eſt actus incidens ex defectu boni; alius autèm defectus actus eſt hinc indè; ergò ſecundùm hoc aliud peccatum; Ut ergò hoc daretur intelligi prohibetur voluntas, & opus. Lex igitùr ſecundùm rationem lationis perfectam docuit utrumque vitandum: in aliquibus enim proptèr unitatem radicis, voluntatem, & opus uno præcepto prohibuit, ut in homicidio, & falſo teſtimonio; in aliquibus verò duobus præceptis proptèr differentiam defectus inordinationis, ut in Mœchia, & furto.

Sed quarè magis prohibetur ſeorſim voluntas, & opus in his, quàm in aliis.

Reſpondeo, quià delectatio Mœchiæ, & utilitas divitiarum ſunt proptèr ſe appetibilia inquantum habent rationem delectabilis, vel utilis; & ideò debuit in eis prohiberi opus, & concupiſcentia. Sed Homicidium, & falſitas ſecundùm ſe ſunt horribilia: & ideò non eſt ſimile de his, & de illis.

Quarè magis inſpeciali prohibentur avaritia, & luxuria, quàm alia vitia capitalia?

Reſpondeo, quod illa duo prohibentur magis explicitè, quià proptèr improbitatem libidinis citiùs progrediuntur in opus exterius. Nihilominùs tamèn & alia vitia capitalia ibi prohibentur implicitè. Superbia enim prohibetur ibi in adoratione Dei, & honorificatione proximi: Invidia, & Ira in prohibitione Homicidii. Accidia in ſanctificatione Sabbati. Avaritia in prohibitione furti. Luxuria, & Gula ſibi conjuncta in prohibitione Mœchiæ, & Adulterii, ubi prohibetur omnis illicitus coitus, & immoderata delectatio carnalis.

TITVLVS XLIV.

De Præceptis Evangelicis regulantibus circà operanda, & vitanda.

HAbito jàm de præceptis moralibus divinæ legis veteris, conſequentèr conſiderandum eſt de præceptis moralibus divinæ legis novæ, ſcilicèt Evangelicæ. Horum autèm quædam ſunt generalia reſpectu omnium, ut ea, quæ continentur in ſermone Domini in Monte *Matth.* 5. 6. & 7. & *Lucæ.* 6. Quædam verò ſunt ſpecialia reſpectu perſonarum præſidentium, ut præcepta, quæ ſpecialitèr dantur Apoſtolis *Matth.* 10.

Ad præſens autèm agendum eſt tantùm de gene-

generalibus ; & hoc ſecundùm ordinem Evangelii , præcipuè *Matth.* in quo primò traduntur præcepta de faciendis , & vitandis . Secundò præcepta de ordinata intentione habenda in faciendis *Matth.* 6. *ibi* : *Attendite , ne Juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus &c.* Itèm intèr præcepta prima dantur præcepta . Primò ordinantia iraſcibilem cum dicitur *Matth.* 5. *Audiſtis , quià dictum eſt antiquis : non occides* . Secundò ordinantia concupiſcibilem , cum dicitur ibid. *Audiſtis , quià dictum eſt : non Mœchaberis &c.* Tertiò ordinantia rationalem , cum ibidem additur : *Audiſtis , quià dictum eſt : non perjurabis &c.* Itèm ordinantia iraſcibilem conſiſtunt in duobus. Scilicèt primò in prohibitione iræ , cùm dicitur : *Audiſtis , quià dictum eſt antiquis : Non occides &c.* Et hæc patent per ea , quæ dicentur *in lib.* 2. *tit.* 49. ſcilicèt de clementia , & manſuetudine , & vitiis oppoſitis *art.* 3. Secundò in juſſione reconciliationis , & concordię . Reconciliationis reſpectu ejus , quem læſimus , cum dicitur : *Si offers munus &c.* ſequitur : *vade priùs reconciliari fratri tuo.* Concordię reſpectu ejus , à quo læſi ſumus , cùm dicitur : *eſto conſentiens &c.* vel reconciliationis reſpectu amici , concordiæ reſpectu inimici. Et de his duobus eſt hìc dicendum :

Poſteà ſequuntur præcepta ordinantia concupiſcibilem ; & hęc ſunt tria . Primò enim prohibetur voluntas męchandi , cùm dicitur : *Omnis , qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam &c.* Et de hoc require *infrà lib.* 2 *tit. de luxuria.* Secundò jubetur declinatio occaſionis mæchandi ibi : *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te , erue eum* ; Et de hoc dicetur hìc . Tertio reprobatur ſeparatio conjugii legitimi excepta cauſa fornicationis , cum dicitur *Matth.* 5. *dictum eſt autèm antiquis : quicumque dimiſerit uxorem ſuam &c.* Et de hoc require *inf. lib.* 8. *art.* 2.

Deindè ponuntur præcepta ordinantia vim rationalem ; & Primò pręceptum ordinans eam in verum , cum dicitur *Matth.* 5. *Iterum audiſtis , quià dictum eſt antiquis : Non perjurabis* . Et de hoc require *ſup. tit. de juram. & tit. de perjurio* . Secundò ponuntur præcepta rationalem ordinantia in bonum ; & inter hæc eſt primum pręceptum patientię ; Secundò præcepta beneficentiæ ; Tertiò præcepta dilectionis , & benivolentiæ . Itèm intèr præcepta patientiæ , primò præcipitur patientia reſpectu læſionis corporum ; Secundò reſpectu ablationis rerum ; Tertiò reſpectu angariæ operum . Itèm intèr præcepta beneficentiæ ; primò præcipitur erogatio ; ſecundò mutuatio . Primò ergò conſiderandum eſt de præceptis regulantibus circà facienda , & vitanda ; deindè de præceptis regulantibus intentionem circà illa . Et de primis eſt agendum ſecundùm ordinem ſupradictum in titulo iſto prætermiſſis illis , de quibus alibi determinatur . Primò igitùr conſiderandum eſt de præcepto reconciliationis . Secundò de præcepto concordiæ . Tertiò de præcepto vitandi occaſionem mæchandi . Quartò de præcepto patientiæ reſpectu læſionis corporum . Quintò de præcepto patientiæ reſpectu ablationis rerum . Sextò de præcepto patientiæ reſpectu angariæ operum . Septimò de præcepto erogationis . Octavò de præcepto mutuationis. Nonò de præcepto dilectionis inimicorum ; ideò ſit .

ARTICULUS I.

De Præcepto reconciliationis .

Circà præceptum ergò reconciliationis ſciendum , quod ponitur *Matth.* 5. *ſi offers munus tuum &c.* uſquè : *vade priùs reconciliari fratri tuo &c.* Hęc autèm verba ſecundùm quod habetur *ab Aug. lib. de ſerm. Dom in mon. & à Chry. ſuper Matth.* ſic debent exponi : *ſi offers munus tuum* ; ideſt tuæ ſubſtantiæ , vel operationis bonæ ad altare Eccleſiæ , vel matris tuæ : *ſecundùm enim Gloſſ.* Cor eſt templum , altare fides , cui niſi munus dimittatur , Deo non placet ; *Et ibi recordatus fueris , quod frater tuus habet aliquid adverſum te* ; ſcilicèt proptèr injuriam à te ſibi illatam ; *relinque ibi munus* , ſcilicèt tui ſacrificii , *& vade* corporalitèr , ſi ſit præſens , vel ſpiritualitèr , ſcilicèt motu cordis , ſi ſit abſens *reconciliari fratri tuo* , ſcilicèt ab eo veniam poſtulando , & ſibi ſatisfaciendo . Vel *ſi frater tuus habet aliquid adverſum te* , ideſt te læſit , proptèr quod eum odis , *vade* , ſcilicèt ſibi in corde , parcendo , ad quod teneris de neceſſitate . Si verò iveris corporalitèr eum ad amicitiam revocando , & rogando , hoc erit perfectionis ; Et cum ſic feceris , tunc veniens , offers munus tuum Deo , ſcilicèt gratum .

ARTICULUS II.

De Præcepto concordiæ .

Sequitur videre de ſecundo præcepto concordiæ ; hoc autèm ponitur *Matth.* 5. *ſic* ; *Eſto conſentiens adverſario tuo citò , dum es in via cum eo ; ne fortè tradat Adverſarius tuus te judici , & judex tradat te Miniſtro , & in Carcerem mittaris . Amen dico tibi : non exies indè , donec reddas noviſſimum quadrantem* . Hęc verba poſſunt exponi , *ut patet ex Gloſſ.* triplicitèr . Secundùm quod adverſarius poteſt dici homo ; ſermo divinus ; & Deus . De adverſario homine ſic ; *Eſto conſentiens adverſario tuo* , ideſt beneficus ei ſubveniendo , & benivolus diligendo ; *citò* ſcilicèt ante mortem ; *dum es in via* , ideſt in hac vita , *cum eo ne fortè &c.* ſic temperavit , *ut dicit Gloſſ.* ut locum pœnitentiæ non auferret ; *ne fortè adverſarius tuus tradat te judici* , ideſt ſit cauſa tuæ traditionis judici , ideſt Chriſto *Jo: Pater omne judicium dedit filio . Et judex tradat te miniſtro* , ideſt diabolo , *& in carcerem* , ſcilicèt inferni *mittaris* , ſcilicèt ab eo ; *Amen dico tibi ; non exies indè , donec* , ideſt nun-

nunquàm. Deſignat enim hoc ſecundùm Aug. perpetuitatem, ſicut ibi: *donec ponam inimicos tuos*. *& Matth. 1. Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. reddas noviſſimum quadrantem*, ideſt, ſubſtineas pœnam etiàm minimo peccato debitam, quià nihil manet impunitum. Quadrans ſecundùm Hieron. eſt quoddam genus nummi valens duo minuta, & ſignificat peccata minuta, vel pœnam minutis peccatis debitam; & ſecundùm Aug. nunquàm erit in ſolvendo, & nunquàm in reddendo, ideſt nunquàm exibit.

Poſſunt etiàm exponi de adverſario, qui eſt ſermo Dei, ſic: *eſto conſentiens adverſario tuo*, ideſt Dei verbo, ſcilicèt ei obediendo. Et dicitur Dei verbum adverſarius, quià nobis peccantibus adverſatur: *citò dum es in via cum eo. Gloſſ.* cum ſermone divino *in via*, ideſt Chriſto rectè gradimur; dum ei obediendo ad vitam æternam pertingimus: *ne fortè tradat te adverſarius tuus judici*; ideſt ſit cauſa tuæ traditionis.

Tertiò poſſunt exponi de adverſario, qui eſt Deus, adverſatur enim nobis proptèr peccata noſtra: *eſto conſentiens adverſario tuo*, ſcilicèt Deo, ipſum reverendo, & ei obediendo, cum quo ſumus in via, quià ipſe eſt ubiquè. Alià exponuntur, ut priùs.

ARTICVLVS III.

De præcepto vitandi occaſionem mæchandi.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de præcepto vitandi occaſionem Mæchandi; hoc autèm ponitur ſic *Matth. 5. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrum, quàm totum corpus eat in gehennam. Et ſi manus tua dextera ſcandalizat te, abſcinde, & projice abs te; expedit enim &c.* Hæc autèm verba ſecundùm quod apparet ex Gloſ. ſic exponi poſſunt: *Si oculus tuus dexter*, idèſt exterior aſpectus, interior cogitatus, conſiliarius proprius, ſtudium, quo quis vacat vitæ contemplativæ ſcandalizat te ad malum trahendo, vel in errorem inducendo, vel malum conſulendo, vel ſuperbiam erigendo, reddendo ſingula ſingulis, *abſcinde eum*, ſcilicèt à te ſeparando, & *projice abs te*, ſcilicèt ab eo longè recedendo. Et per hoc, quod dicitur dexter, intelligitur illud, quod ſit rectà intentione; quod ſi ſit occaſio peccati, quidquid ſit, illud debemus à nobis removere; *& ſi dexter oculus*, idèſt quod ſit cum bona intentione, quod minorem præbet occaſionem mali, debet removeri; multò magis oculus ſiniſter, ideſt, quod ſit mala intentione, quod præbet majorem occaſionem mali; *expedit enim tibi*, idèſt minus eſt malum tibi, vel magis eſt utile tibi, ut pereat unum membrum tuum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. *Et ſi manus tua dextera*, ideſt exterior contactus, interior voluntas, ſivè conſenſus, familiaris adjutor, vel amicus, ſtudium vitæ activæ ſcandalizat te, ſcilicèt ad malum trahendo, vel inducendo, *abſcinde*, ſcilicèt à te ſeparando, *& projice abs te*, ſcilicèt longè ab eo recedendo.

Nota, in oculo, vel in manu, vel in alio membro conſidero vitium, & illud eſt removendum; Et actum, qui ſi ſit malus, eſt per continentiam declinandus; & ipſum membrum, ſivè membri naturam, quæ eſt bona, & illa eſt ſervanda; *expedit enim &c.* ut priùs.

Si dicatur, quod tale præceptum ſit ad literam ſervandum, quià ſic invenitur in vitis Patrum frequentèr à Sanctis eſſe factum; Dicendum, quod illud non legitur ad exemplum, ſed excuſatur per Spiritum Sanctum, quo inſpirante creditur eſſe factum, ut dicit *Aug. 5 de Civ. Dei*: de Sampſone, qui ſe occidit *Judic.* 16. quod non excuſatur alitèr, niſi quià latentèr hoc ſpiritus ſuggeſſerat, qui per eum miracula faciebat: Undè ſecundùm Can quicumque tali occaſione ſibi membrum abſciderit, irregularis eſt.

ARTICULUS IV.

De Præcepto Patientiæ reſpectu læſionis corporum.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de præcepto patientiæ reſpectu læſionis corporum; Hoc autèm ponitur *Matth. 5. ſic: Audiſtis, quià dictum eſt oculum pro oculo, dentem pro dente.* Hoc dictum eſt *Exod.* 21. & conceditur ibi, non præcipitur lex talionis, quià non erat præceptum morale, ſed judiciale. Et ſequitur *Matth. 5. Ego autèm dico vobis*, idèſt ſuperaddendo, *non reſiſtere malo*, idèſt injuriæ ab alio illatæ, vel *malo*, ideſt homini injurianti; *Sed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram*; dexteram dicit, quià eſt notabile membrum, & evidens, q. d. Si quis tibi gravem, & manifeſtam injuriam intulerit, paratus ſis patientèr ſubſtinere aliam, ut non movearis per impatientiam; etſi gravem, & manifeſtam, multo magis levem, & occultam: & hoc eſt, quod dicit: *præbe ei & alteram*.

Nota, quod dicit Aug. quod in Sacra Scritura ſunt præcepta, & exempla Sanctorum, ut per exempla intelligamus præcepta. Hoc enim præceptum: *Si quis te percuſſerit &c.* intellige per Chriſti factum, qui dicit percutienti: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo*: Undè concludit, quod hujuſmodi præcepta intelliguntur quo ad animi præparationem, ut ſcilicèt homo ſit paratus patientèr talia ſubſtinere, ita quod in corde ſit animi benivolentia. Dicit tamèn *Pet. in poſtil. ſuper Luc.* quod eſt conſilium perfectionis, non præceptum.

Utrùm autèm liceat vim vi repellere, require ſuprà *tit. de Bello*.

Sed numquid hìc retractatur lex talionis?

Reſpondet *Alex. Aug. in* 3. quod ſic, quoad privatam perſonam, non quoad judicem; pri-

vata

vata enim perſona ſi vindictam expeteret, malum pro malo redderet, ut dicit Aug. Judex verò amore juſtitiæ juſtum pro injuſto redderet, & ità bonum pro malo.

Nota etiàm, quod ut dicit Aug. hìc non prohibetur vindicta, quæ eſt ad correctionem, quià ipſa pertinet ad miſericordiam; ſed hoc non conceditur, niſi cui eſt ex ordine data, & ſinè ira, ut patri in filium.

Nota etiàm ſecundùm *Thom. in prima ſecundæ*, quod illud præceptum fuit non ut vindicta expeteretur, ſed ut juſtitia ſervaretur.

ARTICULUS V.

De Præcepto patientiæ in ablatione rerum.

Sequitur videre de quinto, ſcilicèt de præcepto patientiæ reſpectu ablationis rerum. Hoc autèm ſic ponitur *Matth. 5. & ei qui vult tecum in judicio contendere*, ideſt contentiosè agere, *& tunicam tuam tollere*, ideſt veſtem inferiorem, *dimitte ei & pallium*, ideſt veſtem ſuperiorem; & hoc maximè pertinebat ad Eccleſiam primitivam, ſcilicèt, ut liberiùs prædicarent.

Sed ex hoc videtur, quod non liceat debitum repetere; & ad idem facit illud *Lucæ 6. Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas; & qui aufert tibi veſtimentum, etiàm tunicam noli prohibere*.

Reſpondeo hoc non licet ſub judice infideli, *1. Corint. 6 Audet aliquis veſtrum habens negocium adverſus alium, judicari apud iniquos. Gloſ. ideſt infideles*, qui ſunt iniqui fidelibus quocumque modo poſſunt; & *ſecundùm Pet. ibid. in poſtil. ſua in Gloſſ.* intelligitur ubi non habentur fideles judices, per quos ſua repetere poſſint. Sub fideli autèm judice poteſt quis repetere quadruplicitèr; ſcilicèt, ex zelo juſtitiæ; ex neceſſitate, cum indiget in præſenti; ex infirmitate, cum timet de proximo indigere; & ex cupiditate, ut cum abundat in divitiis, & appetit ampliùs abundare. Primò modo, ſecundo, & tertio licet ſua repetere; non autèm quarto modo. Licet autèm ſua repetere in charitate, & benivolentia; ſed non contentione, & fraudolentia. Et hoc ſecundo modo intelligitur illud *Matth. 5. Si quis voluerit tecum in judicio contendere &c. dimitte ei & pallium. Gloſſ. antequàm contendas*, idèſt cum contentione repetas.

Sed quid de religioſis?

Reſpondeo, ſi habent in communi licet eis repetere debito modo, ſcilicèt non ut bona ſua, ſed ut bona Congregationis, & proptèr utilitatem non propriam, ſed communem; quæ eſt quadruplex, ſcilicèt, pauperum ſuſtentatio; malorum repreſſio, quià ſi non fieret hoc, daretur malis occaſio aliena rapiendi; pacis, & unitatis conſervatio, quæ deſtrueretur, ſi non liceret repetere ſua; & infirmorum conſolatio, qui turbarentur, ſi ſua repetere non poſſent. Si verò nihil habent, nec in proprio, nec in communi, tunc non licet talibus repetere, cum non habeant rerum proprietatem, vel dominium, ſed tantùm uſum: poſſunt tamèn denunciare, vel judici, ut ſuper hoc provideat ſecundùm quod ſibi videbitur expedire; vel alteri, ſcilicèt procuratori, qui petat nomine ejus, ad quèm dominium rerum ipſarum noſcitur pertinere, ut ſic earum uſum poſſint habere.

Nota etiàm *ſecundùm Gloſſ. Aug. 1. Corint. 6.* quod perfectis licet ſua repetere ſinè cauſa, ſinè lite, ſinè judicio; Non enim committitur eis movere cauſam antè judicem. Infirmis verò licet repetere ſua antè judicem cauſam movendo, ſed non cum contentione, & fraudolentia, nec apud judices infideles, ſcilicèt ubi poſſunt haberi judices fideles. Ex prædictis concludit *Alex. Ang. 3. tit. 4. c. de præceptis patientiæ quæſt. 2. art. 1. 2.* ubi tractat de hoc præcepto, quod repetere ſua contentiosè, vel fraudolentèr, vel coràm judice infideli eſt omnibus prohibitum; repetere verò ſinè contentione, ſinè fraude, nec coràm judice eſt omnibus conceſſum; perfectis verò prohibitum: Undè non repetere eſt conſilium infirmis, præceptum perfectis. Et vocat perfectos, ut dicit ubi *ſupra art. 2.* qui renunciaverunt propriis, talibus enim non licet repetere ſua, ut ſua, ſed benè licet eis repetere ſua, ut alterius, intuitu communis boni, ut ſuprà dictum eſt.

Nec obſtat prædictis, quod ſuprà illud *1. Corint. 13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt*, dicit *Gloſſ. Charitas non repetit ablata*; Quià eſt verum, quod charitas non repetit cauſa cupiditatis; hoc enim nulli licet, ſcilicèt repetere ex cupiditate, quæ amat pecuniam propter ſe; ſed repetere ex zelo juſtitiæ convenit omnibus imperfectis ſecundùm debitum modum.

Sed quid ſi ex repetione ſcandalizetur ille, à quo repeto? Videtur enim, quod tunc non liceàt repetere, quià dicit Auctor. *Quantùm potes ſinè peccato vitare ſcandalum proximi, debes*.

Reſpondet *Alex. Ang. ubi ſuprà art. 3. cap. 3.* quod oportet tenere quod eſt certum; certum eſt enim quod raptor eſt, qui abſtulit, incertum autèm eſt, quod ſcandalizetur. Si verò ſciam, quod indè ſcandalizabitur, ſi ſim infirmus, & timeam meum caſum ex non repetitione, præponderat ſcandalum proprium ſcandalo alterius, & plus teneor ipſum vitare, quàm ſcandalum proximi. Si verò ſim perfectus, & repetam debito modo, ſicut præponderat bonum commune bono ſpirituali, ſic præponderat ſcandalum proprium communitatis, & plurium, ſcilicèt diſſipatio pacis, & utilitatis communis, & incentivum delinquendi, quę omnia acciderent, ſi non liceret ſua repetere proptèr ſcandalum proximi ſingulare.

Sed numquid licet repetere non tantùm neceſſa-

ceſſaria, ſed etiam ſuperflua?

Reſpondeo, quod ſic, ſed in hoc eſt differentia, quià poſt repetitionem potes neceſſaria retinere, ſed ſuperflua teneris indigentibus diſpenſare, quià ſunt aliena ad retinendum, tua ad diſpenſandum.

Quid de ſervis? Numquid repetentur?

Reſpondeo *ſecundùm Aug. in lib. de Serm. Dom. in mon.* Si ille, inquit, ſervus rectiùs, & honeſtiùs ad colendum Deum à te Domino educatur, & regitur, quàm ab illo, qui cupit eum auferre, neſcio utrùm quis audeat dicere, ut veſtem eum debere contemni q. d. in tali caſu non debet contemni repetitio ſervi ſicut pallii.

Ad hæc nota, quod quamvis liceat repetere ſua in judicio ſecundùm modum ſupradictum, non tamèn expedit omnibus. Primò proptèr honeſtatem. *Proverb. 2. honor eſt homini, qui ſe ſeparat à contentione.* Secundò proptèr pacis conſervationem. *Chryſ. omne judicium irritatio cordis eſt.* Tertiò proptèr multorum peccatorum vitationem. *1. Cor. 6. Jàm omninò delictum eſt in vobis, quod judicium habetis inter vos. Chryſ. difficilè eſt rem dimittere, ſed difficiliùs eſt de judicio ſinè peccato exire.* Quartò proptèr advocatorum malignitatem. *Pſal. tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua.*

ARTICVLVS VI.

De Præcepto Patientiæ reſpectu angariæ operum.

Sequitur de ſexto præcepto, ſcilicèt patientiæ reſpectu angariæ operum, de quo *Matth. 5. Et quicumque te angariaverit mille paſſus; vade cum eo alia duo millia.* Eſt autèm angaria indebiti obſequii extorſio in propria perſona. Expone ergò: *Quicumque te angariaverit mille paſſus*, ideſt compulerit ire per mille paſſus; & *ſecundùm Gloſſ.* dicit mille, quià illud erat iter Sabbati, in quo deſignatur perfectio ſpiritualis, quæ oſtenditur in hujus præcepti impletione, & hanc rationem ponit *Aug. lib. de ſerm. Dom. in mon. Vade cum eo alia duo millia*, idèſt ſis paratus animo patientèr ire, ſi fuerit neceſſe; & additur binarius ad deſignandum, quod debet habere perfectionem patientiæ in ore, & in corde.

ARTICULUS VII.

De Præcepto erogationis.

Sequitur de ſeptimo ſcilicèt de præcepto erogationis, de quo dicitur *Matth. 5. Qui autèm petit à tè, dà ei. & Lucæ 6. omni petenti te, tribue.* Juxtà quod autèm dicitur *Lucæ. 2. date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Expone: *qui petit à te*, ſcilicèt ex neceſſitate, & indigentia; *dà ei*, ſcililicèt ex charitate, & benivolentia. Et intelligitur hoc præceptum *ſecundùm Gloſſ.* de his, quæ juſtè, & honeſtè dari poſſunt. Res autèm, quæ eſt neceſſaria, ità quod nullo modo ea carere poſſum, non poteſt dari honeſtè; Res verò aliena non poteſt dari juſtè; Res autèm ſuperflua non poteſt retineri juſtè.

Ad hæc nota, quod licet negare rem petenti, aliquandò proptèr propriam indigentiam, ſicut excuſavit ſe mulier 3. *Reg.* 18 *apud Heliam*: Aliquandò proptèr petentis ſufficientiam. *Hieron. divitibus dare, nihil aliud eſt, quàm perdere*: Aliquandò proptèr petentis malitiam: *Eccl. 12. Benefac humili, & ne dederis impio*: Aliquandò proptèr meliùs conferendi providentiam, ſecundùm illud: *Deſudet eleemoſyna in manu tua, donec invenies, cui des*, quod fortè ſumptum eſt *de Eccl. 29. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo*; Alia de hac materia require *in lib. 5. de eleemoſyna.*

ARTICVLVS VIII.

De Præcepto mutuationis.

Sequitur de octavo, ſcilicèt de præcepto mutuationis, de quo *Matth. 10. Et volenti à tè mutuari, ne avertaris*, ſcilicèt mutuum negando. Et hoc ſinè ſpe alicujus lucri, *ſecundùm illud Lucæ. 6. mutuum date*, ſcilicèt indigentibus. *Et Deut. 23. Fratri tuo abſque uſura illud, quo indiget, commodabis*; ideò ſequitur *Lucæ 6. Nihil indè ſperantes*, ſcilicèt ab homine ultrà ſortem, ità ſcilicèt, quod proptèr hujuſmodi ſpem principalitèr mutuetis; licet quidem ſperare, & bonum eſt ſperare à Deo indè mercedem, quia ſivè ille reddat, ſivè non, Deus tamèn reddet, ut dicit Gloſ.

Poteſt tamèn ſinè vitio uſuræ ſperari beneficium ab homine; obligatur enim ex beneficio *ſecundùm illud Matth. 7. Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Peccatur autèm circà mutuum multiplicitèr. Primò indigenti non dando *Eccl. 29. fænerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius.* Secundò datum nimis importunè repetendo, quandò hoc non poteſt ſolvere. *Iſai. 58. omnes debitores veſtros repetitis; ibi Gloſſ. qui non habentem repetit, Deo violentiam facit.* Tertiò pignora neceſſaria detinendo, vel deſtruendo: *Exod. 22. Si proximo tuo pignus acceperis, veſtimentum ejus antè Solis occaſum reddes ei.* Quartò cum uſura exigendo, contrà illud *Lucæ 6. nihil indè ſperantes.* Quintò pro dilatione termini ſolutionis munera accipiendo: *Pſal. qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Alia quæ pertinent ad mutuum, & uſuram require infrà *lib. 3. tit. de mutuo, & tit. de uſura.*

AR-

ARTICVLVS IX.

De Precepto dilectionis inimicorum.

SEquitur videre de nono, ſcilicèt de præcepto dilectionis inimicorum, & de hoc require *in lib. 2. tit. de Charitate*.

Et quantum ad præſens poteſt notari, quod diligere proptèr mutuę familiaritatis oblectamentum eſt vanum. *Pſal. Filii hominum ut quid diligitis vanitatem*. Diligere proptèr peccati conſenſum eſt malignum *ſecund. illud Nahum. 1. Sicut ſpinę ſe invicem complectuntur* Diligere proptèr beneficium acceptum, vel ſperatum eſt mercenarium, de quali amico dicitur. *Eccl. 6. Eſt amicus ſocius menſæ*. Diligere proptèr amorem reciprocum eſt naturæ debitum. *De quo Rom. 13. Nemini quidquam debeatis; niſi ut invicem diligatis*. Diligere verò proptèr bonum habitum, vel ſperatum eſt bonum, & gratuitum, & meritorium; Secundùm enim Aug. qui diligit proximum, diligere debet eum, aut quià eſt bonus, aut ut ſit bonus.

TITVLVS XLV.

De Preceptis Evangelicis regulantibus intentionem.

ARTICULUS UNICUS.

De iſtorum preceptorum expoſitione.

DEindè conſiderandum eſt de præceptis regulantibus intentionem reſpectu faciendorum, & vitandorum. Et quià ad ordinatam intentionem requiruntur duo, ſcilicèt, amor boni, ne ſit libido in voluntate; & diſcretio boni, ne ſit error in electione; ideò dantur aliqua præcepta de rectitudine intentionis, cùm dicitur *Matth. 5. Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis &c.* Et aliqua de diſcretione, cum dicitur: *nolite judicare &c.*

Circà primum, primò prohibetur obliqua intentio; ſecundò ejus occaſio, ſcilicèt inordinata temporalium dilectio, & ſolicitudo, cum dicitur: *Nolite ſolliciti eſſe &c.*

Circà ſecundum verò, ſcilicèt diſcretionem; primò prohibetur temeritas judicandi; ſecundò præcipitur diligentia ſibi cavendi, cum dicitur: *attendite à falſis Prophetis*. Et quià infirmitati humanæ difficile eſt, & quaſi impoſſibile indiſcreta judicia vitare, ideò adduntur tria præcepta. Primò unum de petendo auxilium gratiæ, cum dicitur: *petite &c.* Secundò de ſervando æquitatem legis naturæ reſpectu proximi, cum dicitur: *omnia quæcumque &c.* Tertiò de conatu ad amorem Dei, cum dicitur: *intrate per anguſtam portam. Gloſſ.* ideſt, *charitatem*.

Itèm circà indiſcretionem temerarii judicii nota, quod aliquis judicat ex auctoritate, ut Prælati; aliquis ex vitæ dignitate, ut perfecti; aliquis ex doctrinę veritate, ut doctores, & prędicatores. Et ſecundùm hoc accidit indebitum judicium tripliciter. Primò ex defectu, ſeu abuſu auctoritatis in cauſarum examine; & hoc prohibetur *Matth. 7. nolite judicare &c.* Secundò ex dignitate vitæ in vitiorum reprehenſione; & hoc prohibetur, cum dicitur *ibid. Quid vides feſtucam &c.* Tertiò ex defectu diſcretionis doctrinæ in prædicatione, cum dicitur *ibid. Nolite Sanctum dare canibus*.

Ex prędictis colligitur, quod novem ſunt pręcepta, quibus intentio ordinatur, de quibus eſt hìc dicendum, ſecundum ordinem prędictum brevitèr tranſeundo. Primum igitùr prędictorum præceptorum eſt illud: *Attendite, ne juſtitiam veſtram*, idèſt opera juſtitiæ veſtrę *faciatis coram hominibus*, ſcilicèt hac intentione, *ut videamini ab eis*, ſcilicèt ità quod in hoc, ſcilicèt favore hominum non conſtituatis finem veſtrorum operum. *Sic enim, ſecundum Greg. opus eſſe debet in publico, ut tamen intentio maneat in occulto*, alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt; & meritò, quià ſerviſtis hominibus, non Deo, & hoc explanatur in eleemoſyna, oratione, & jejunio Poſteà Matth. 6. concluditur generalitèr: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*, ſcilicèt favorem, & laudem hominum de bonis operibus appetendo: *Theſaurizate autèm vobis theſauros*, idèſt bona opera faciendo, *in Cœlo*; & ità in loco tuto. In theſauro intelligo quid prætioſum, copioſum, delicioſum, & ſtabile, quià ſervatur in futurum; Hęc autèm omnia excellentèr inveniuntur in cœlo, nihil verò tale eſt in terra, ideò meritò debet theſaurizari in cœlo, non in terra.

Poſſet autèm hic quæri, utrùm teneamur omnes actiones in Deum referre? Sed reſponſio hujus quæſtionis habetur *in lib. 2. tit. 2.*

Secundùm præceptum eſt illud *Matth. 6 in fine: nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*, idèſt in poſterum, *Gloſ. interlinearis. Non labor, & providentia damnatur, ſed ſollicitudo mentem ſuffocans*: qualem autèm ſollicitudinem prohibeat, quære *infrà lib. 2. tit. de prudentia art. 4.*

Tertium pręceptum eſt illud *Matth. 7. nolite judicare*, ideſt non affectetis alios judicando condemnare, quià non debetis alios judicare libidine vindictæ, ſed zelo juſtitiæ. Vndè prohibet hic inordinatum affectum, ſivè appetitum inordinatum judicandi; *& non judicabimini*, ſcilicèt judicio æternæ condemnationis, *in quo enim judicio*, ideſt in quali, vel pro quo judicio *judicaveritis*, ſcilicèt juſtè, vel injuſtè, *judicabimini*, quià ſi judicaſtis juſtè, judicabimini ad præmium, ſi injuſtè ad ſupplicium. Eſt autèm multiplex judicium, ſcilicèt propriæ diſcuſſionis, quod laudatur 1. *Corinth. 2. Si noſmetipſos judicaremus, non utiquè judicaremur*. Diffinitionis, quod permittitur de apertis, quæ non poterunt

terunt fieri bono animo *ſecundum Gloſ.* Auctoritatis, quod datur judicibus *Levit.* 19. *juſtè judica proximo tuo*. Suſpicionis de occultis; *Jacob.* 2. *facti eſtis judices cogitationum iniquarum*. Temeritatis cum aſſertione *Rom.* 14. *tu, qui es qui judicas alienum ſervum?* & hoc fit quadrupliciter. Primò, quandò fertur ſententia de occultis cordis. Secundò, quandò fit interpetratio mala de dubiis. Tertiò, quandò definitur de futuro ſtatu hominis. Quartò, quandò contrà jus aſſumitur executio juris; de hac materia require ſuprà de falſitate judicis.

Quartum præceptum eſt illud *Matth.* 7. & *Luc.* 6. *quid vides*, ideſt quarè conſideras *feſtucam*, ideſt levia peccata *in oculo*, ſcilicèt conſcientiæ, vel intentionis *fratris tui*, ideſt proximi, ſcilicèt corripiendo, & *trabem*, ideſt gravius crimen *in oculo tuo*, ideſt in conſcientia tua *non vides*, ideſt non conſideras, ut ſcilicèt amoveas. Hęc enim eſt natura oculi, ſcilicèt ut ſe non videat, ſcilicèt corporalis, non ſpiritualis. *Chry. ſi te magis diligis, quàm proximum, quarè ipſum procuras, & non prius te ipſum*, & poſt pauca ſequitur, *Hypocrita*, ſcilicèt, qui te ſimulas bonum, ſcilicèt corrigendo, cum ſis malus, *eiice primò trabem de oculo tuo*, ſcilicèt verè pęnitendo, & *tunc videbis*, ideſt, videre poteris *eiicere feſtucam de oculo fratris tui*, ſcilicèt corrigendo. *Greg. imperitus, & improbus eſt medicus, qui aliis mederi appetit, & proprium vulnus neſcit*, ſed omnes ſumus tales medici. *Hilarius: vix invenitur aliquis ab hoc vitio alienus, quia quilibet ſuis vitiis favens aliena facile repræhendit*. De hac materia, ſcilicèt de correctione require infrà *lib.* 2. *tit. de correctione*

Quintum præceptum eſt illud *Matth* 7. *nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas mittatis antè porcos, ne fortè conculcent eas pedibus, & canes converſi dirumpant vos*.

Nota *ſecundum Auguſt.* 2. *lib. de ſermone Domini in monte cap.* 15. *Sacra Scriptura dicitur ſanctum, quia non debet corrumpi, & margaritæ, quia non debet contemni, canes ſunt veritatis impugnatores, porci verò veritatis contemptores*. Secundùm hoc ergò ſic exponitur; *nolite ſanctum* ideſt Sacram Scripturam, *dare*, eam, ſcilicèt aperiendo, & prędicando, *canibus*, ideſt hęreticis infidelibus; *neque margaritas mittatis* prædicando *antè porcos*, ideſt luxurioſos, & carnales, *ne fortè conculcent eas* vilificando, ſcilicèt porci, *pedibus*, ſcilicèt ſpiritualibus, intellectu reprehendendo, & affectu contemnendo, & *canes converſi*, ſcilicèt contrà vos *dirumpant vos*, ſcilicèt murmurando de vobis, vel verberando, vel fortè occidendo.

Sed videtur Chriſtus contrarium prædictis feciſſe infidelibus prędicando?

Reſpondeo *ſecundum Auguſt.* Hęretici, ſivè infideles, aut ità ſunt obſtinati, quod de eorum correctione non ſperatur, aut ſperatur; ſi ſic, ſic eſt eis prędicandum, ſicut faciebant Apoſtoli, ſi non, aut habitant cum aliis, qui prędicationem recipiunt, & tunc eſt eis prędicandum, & ita intelligitur, quod hic dicitur.

Poteſt autèm hic quæri ratione hujus præcepti, quid teneatur ſcire doctor, ſivè prædicator?

Reſpondet *Alex. Ang.* 3. *tit.* 4. *c. de præceptis ordinantibus intentionem quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 1. quod contingit triplicitèr docere, ſcilicèt, ſimplicitèr exortando, & hoc eſt communitèr omnium; prędicando, & hoc eſt ſacerdotum; Cathedram tenendo, & hoc eſt doctorum. Primis ſufficit ſcire ſimplicitèr credenda, & divina mandata. Secundis eſt neceſſarium ſcire exponere credenda, & mandata, ſecundum illud 1. *Pet.* 13. *parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem &c.* Tertiis eſt neceſſarium ſcire omnia ad ſuam doctrinam pertinentia.

Sed numquid facere tenetur prędicator illud, quod prædicat aſſerendo?

Reſpondet *Alex. Ang. ibidèm quæſt.* 2. quod tenetur facere quidquid aſſerit faciendum de his, quæ pertinent ad neceſſitatem ſalutis; non autèm, quæ pertinent ad perfectionem, ſcilicèt religionis, ad quam non omnes tenentur.

Quid de peccatore, numquid peccat prędicando?

Reſpondeo *Alex Ang ubi ſupra quæſtiuncula* 3. quod aliquis docet, quià tenetur ex officio, quaſi de neceſſitate; aliquis docet, quaſi ex voluntate;

Itèm peccatum aliquod eſt notorium, aliquod occultum. Dicit ergò, quod exiſtens in peccato notorio, ſivè prædicet ex neceſſitate officii, ſivè ex voluntate, peccat. Illum autèm, qui eſt in peccato occulto dicit peccare, cum ex voluntate prędicat, & hoc ratione contemptus; non autèm illum, qui prædicat ex officio, dùm tamèn illud faciat cum timore, & quaſi coactus neceſſitate. Simplicitèr autèm videtur dicendum, quod exiſtens in peccato, ſivè occulto, ſivè manifeſto docens, vel prædicans, ſi non ſtudeat dolere de peccato, ſimplicitèr dicitur contemnere, & ideò peccare.

Sextum præceptum eſt illud *Matth.* 7. *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis*. *Petite*, fidelitèr credendo, *quærite* ſpe fiducialitèr poſtulando, *pulſate* charitate ardentèr deſiderando; & hæc expoſitio elicitur *ex Gloſ. vel petite ore, quærite corde, pulſate opere*; omnis enim, qui petit, ſcilicèt illud, quod debet, & eo modo, quo debet, ſcilicèt piè, pro ſe, perſeverantèr, & ad ſalutem, quod eſt petere in nomine Jeſu, accipit, ſcilicèt, vel ad votum, ut quandò ſibi datur illud, quod petit, vel ad meritum, ut quandò non datur illud, ſed equivalens. Undè *Jo.* 14. *quidquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam*. Et qui quærit cordis deſiderio, invenit in præmio; & pulſanti ad januam Paradiſi, aperietur oſtium cęleſtis palatii.

Se-

Septimum præceptum eſt illud *Matth.* 7. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines*, ſcilicèt inquantum homines, quià ſic ſunt juſti, & rationabiles, undè intelligitur de voluntate rationabili, & conſiliata, ut enim dicit *Auguſt. voluntas communitèr ſumpta eſt bonorum, & malorum, ſtrictè verò ſumpta eſt tantùm bonorum, cupiditas tantùm malorum. Et vos facite eis*, quià totùm eſt juſtum, quod faciunt vobis. Eccè pręceptum affirmatiuum legis naturalis, & in hoc includitur aliud præceptum negatiuum juris naturalis, ſcilicet: *non facias aliis quod tibi non vis fieri*, quod habetur *Tob.* 4. *Hoc eſt enim lex, & Prophetæ* ideſt in hoc implentur.

Octavum præceptum eſt illud *Matth.* 7. *intrate per anguſtam portam*, anguſta porta dicitur vel charitas, ratione difficultatis in diligendo inimicos, vel pœnitentia, ratione pœnalitatis in ſubſtinendo, & hæc porta eſt anguſta in ingreſſu, lata in progreſſu, ſed latiſſima in egreſſu. *Proverb.* 4. *vias ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui. Pſal. latum mandatum tuum nimis*, quia lata, & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem; hæc porta, & via eſt cupiditas, quæ eſt radix omnium malorum. 1. *Thi. ult. & multi intrant per eam*, quià ut dicitur *Matth.* 20. *multi ſunt vocati, pauci verò electi*.

Nonum Præceptum eſt illud *Matth.* 7. *Attendite*, ideſt diligentèr cauete, *vobis à falſis Prophetis*, ideſt quibuſlibet deceptoribus, ſivè ſint hęretici, qui fallunt per falſam doctrinam, fidem, & ſcripturam corrumpendo; ſivè ſint Hypocritæ, qui fallunt ſanctitatem ſimulando, *qui veniunt*, non mittuntur à Deo, *ad vos* decipiendos *in veſtimentis ovium*, ideſt in habitu, & ſignis juſtorum, *intrinſecùs autèm*, ideſt interiori propoſito, ſivè deſiderio, *ſunt lupi rapaces*; Lupi ſunt ratione voracitatis, & crudelitatis, & calliditatis, & ſunt rapaces, quia rapiunt ab intellectu fidem, ab affectu charitatem, & ab effectu ſanctitatem; *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, ab operibus eorum occultis, vel ab exitu operum: de hoc require in *lib.* 2. *tit.* 27. *de hypocriſi*.

TITVLVS XLVI.

De lege humana ſcripta, ſcilicèt de Conſtitutionibus.

HAbito de lege divina, & ejus pręceptis, congruitas ordinis exigit aliqua brevitèr de lege humana dicere, & primò de lege ſcripta, quæ dicitur conſtitutio; ſecundò de lege non ſcripta, quæ dicitur conſuetudo.

Circà primum nota, quod nomine legis, & nomine conſtitutionis ad omnes decretales prorogari poteſt: reſtricto tamèn vocabulo, conſtitutiones dicuntur Principum; leges populi Romani; edicta Prætorum, ſecundùm quod notat *Goff. tit. de conſt.* Sumendo ergò nomèn legis, & conſtitutionis ad præſens communitèr pro eodem, videndum eſt. Primò, quid eſt lex, ſivè conſtitutio, & undè dicatur. Secundò, qualis debet eſſe lex. Tertiò, quis facere poteſt conſtitutiones. Quartò ad quid fiunt conſtitutiones. Quintò, de virtute conſtitutionis. Sextò, qualitèr conſtitutioni derogetur. Septimò, quænam conſtitutio incipit arctare. Octavò, de pęna non ſervantium conſtitutiones; ideò ſit.

ARTICVLVS I.

Quid eſt lex, ſivè conſtitutio.

L*Ex eſt quędam ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis promulgata*; & benè dicitur promulgata, quià ut dicitur *diſt.* 4. leges inſtituuntur, cum promulgantur. Secundùm verò quod habetur *diſ.* 1. §. *cum itaque*: Conſtitutio eſt jus ſcriptum; ſicut conſuetudo eſt jus non ſcriptum moribus utentium approbatum, *ut diſ.* 1. *conſuetudo*. Dicitur autèm hic lex à ligando, vel legendo; conſtitutio verò dicitur quaſi commune ſtatutum, quià Papa cum fratribus ſuis, & alii Pręlati cum capitulis, & canonicis ſuis faciunt conſtitutiones.

ARTICVLVS II.

De qualitate legis.

CIrcà ſecundum ſciendum quod ſicut tradit *Iſidorus lib. Ethi.* Lex debet eſſe talis, quæ congruat religioni, quæ diſciplinæ conveniat, quæ ſaluti proficiat; Primum attenditur inquantùm convenit legi divinę; Secundùm inquantum convenit naturę; Tertium inquantum expedit utilitati humanæ. Itèm debet eſſe clara, nihil ambiguum continens, vel obſcurum; *extra de conſtitut. c. ult.*

ARTICULUS III.

Quis facere poteſt Conſtitutiones.

CIrcà tertium ſciendum *ſecundùm Goff. & Hoſt.* quod conſtitutiones facere poſſunt Papa cum fratribus ſuis in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis; & cæteri Prælati cum canonicis, & capitulis ſuis, *extra de his, quæ fiunt à Præl. per totum*; & Legatus in provincia ſibi commiſſa *extra de offic. Leg. c. fin.* & Capitulum circà ea, quæ ſpectant ad ipſum *extra c. de conſt. cum acceſſiſſent*, & aliud collegium approbatum *extra c. ex litteris*; & Synodus Provincialis *diſt.* 16. *quod dicitis*, & c. Synodus Epiſcoporum *diſt.* 18.

de

de Conciliis: & Epiſcopus *extra de majo. ſi quis*; & *dicit Inno. extra de loca. c. 1. & extra de ſent. excom. à nobis*; Quod Epiſcopus cum capitulo ſuo facere poteſt ſtatuta ſuper juridictione ſua, ſed ſuper aliis non poteſt, niſi hi, quorum intereſt conſentiant, vel ad minus ſint pręſentes, *extra de his quæ fiunt à Præl. c. fin.*

Princeps etiàm poteſt condere legem cum proceribus ſuis in temporalibus *C de leg. & conſt. l. humanum eſſe*; Et Pręfectus cum præcario. *C. de offic præfec. formam*. Et hi quibus mandat Imperator, *ut in prologo inſtit. §. cumquè hic Deo propit.* & Populus Romanus, *inſtit. de jure nat. gen. & civ. §. lex eſt*, licèt dicatur hæc poteſtas in Principem tranſlata *c. de vete. jure. l. 1.* hoc enim ſecundùm *Goff. dicitur*, non quià populus eam animo à ſe abdicaverat, ſed quià conceſſit, & olim eam tranſtulit, tamèn eam poſteà revocavit *ff. de orig juriſ. leg. 2. & Senatus ff. de leg. & ſe. con l. non ambigitur*. Et Civitas, ſivè univerſitas *inſtit. de jure naturæ §. 1. & 2.*

Nec obſtat quod etiàm aliàs dicitur, quod ſoli Principi licet condere legem: Quià ſuperiores, de quibus dictum eſt, quod poſſunt condere legem, auctoritate Principis condere intelliguntur; ſic etiàm in Eccleſiaſticis facere intelliguntur prædicti conſtitutiones authoritate Papæ; undè & in Conciliis intelligitur excepta authoritas Papæ: *extra de elec ſignificaſti, & diſ. 17. per totum Hæc Goff.*

Poteſt autèm hìc quæri, utrùm omnis lex humanitùs poſita derivetur à lege naturali?

Reſpondeo ut dicit *Auguſt. 1. lib. de lib. arb. non videtur eſſe lex, quæ juſta non fuerit*; undè quantum habet de juſtitia, tantum habet de virtute legis. In rebus autèm humanis dicitur aliquid eſſe juſtum, ex eo quod eſt ſecundùm rationis regulam rectam: prima autèm rationis regula eſt lex naturæ; undè omnis lex humanitùs poſita intantum habet de ratione legis, inquantum à lege naturæ derivatur; Si verò in aliquo diſcordet naturali legi, non erit lex, ſed corruptio legis.

Sciendum autèm, quod aliqua derivantur à principiis communibus legis naturæ per modum concluſionum, ut hoc, quod eſt non eſſe occidendum, poteſt derivari ſicut concluſio ab eo, quod eſt, nulli eſſe malum faciendum; quædam verò per modum determinationis, ut lex naturæ habet, quod qui peccat puniatur, ſed quod tali pęna puniatur, eſt quędam determinatio legis naturæ; utraque igitùr inveniuntur poſita lege humana, ſed ea, quæ ſunt primi modi, habent vigorem, non tantùm ex lege humana, ſed etiàm ex lege naturali. Ea verò, quæ ſunt ſecundi modi vigorem tantùm habent ex lege humana; *Hæc Thom. 1. 2. quæſt. 95. art. 2.*

Quid de condentibus leges iniquas, vel ſtatuta contrà Dei legem, & Eccleſiæ libertatem?

Reſpondeo tales leges, & talia ſtatuta ipſo jure non valent *diſt. 8. quę contrà mores, & 32. quæſt. 7. flagitia.* & facientes, & conſentientes mortaliter peccant, undè ſecundùm *Iſai. 10. væ, qui condunt leges iniquas*, & ſunt ipſi, & hæredes eorum, niſi eas deleverint, ipſo jure excommunicati; de hoc vide, & dic ut infrà *l. 7 tit. 2. caſu 12. & ſe.* Et ſi qui damnificati fuerint occaſione talis legis, vel ſtatuti, tales, & eorum hęredes tenentur reſtituere juxtà diſt. poſitam ſuprà *tit. 31. de. 7 præcepto art. de pedagiis, & quæſtibus*. Tenentur etiàm in ſolidum, qui induxerunt principes ad condendum tales leges, omnes enim obſervatores mortalitèr peccant, & tenentur reſtituere omnia, quæ talium legum occaſione lucrati ſunt, *per ſimile in dicto tit. art. 7. de his, qui ſequuntur raptores &c. Hæc Ray.* & idem eſt *ſecundùm Hoſtien.* ſi fiant contrà jus poſitiuum ad pauperes opprimendos, & juſtitiam impediendam.

ARTICVLVS IV.

Ad quid fiunt Conſtitutiones.

Circà quartum ſciendum, quod conſtitutiones ad hoc fiunt, ut appetitus noxius ſub juris regula limitetur, *ut extra e. in proœmio*, & ut humana audacia coherceatur, tutaquè ſit intèr improbos innocentia *diſ. 4. fact.*

ARTICVLVS V.

De virtute conſtitutionis.

Circà quintum nota quatuor actus legum, ſivè conſtitutionum in his verſibus contentos.

Quatuor ex verbis virtutes collige legis,
Permittit, punit, imperat, atquè vetat.

Inveniuntur etiàm in jure conſilia, quæ *ſecundum* Goff. ſub permiſſione continentur.

Sed numquid lex humana cohibere debet omnia vitia?

Reſpondeo, quod non; *undè Auguſt. de libero arbitrio. Videtur mihi lex humana iſta rectè permittere, & divina providentia judicare; hæc Auguſt.* Lex ergo humana rectè permittit aliqua vitia, ſcilicèt illa, quæ non poteſt cohibere, ut fornicationem ſimplicem cum meretrice, licèt enim ſit grave peccatum, & lege divina puniendum, tamèn quià proptèr hominum corruptionem difficile eſt à carnis voluptatibus multitudinem hominum abſtinere, ideò ne homines in mala majora, & reipublicæ magis nociva, ut in adulterium, & peccatum contrà naturam inciderent, noluit lex humana hoc prohibere, tanquàm aliquid per rectores multitudinis puniendum, undè *Auguſt. 2. de lib. arb. aufer meretrices, & libidine omnia turbat, pone eas loco matronarum; decorem dehoneſtas.* Illa autèm præcipit lex humana puniri, quæ ſunt graviora,

viora, & à quibus eſt poſſibile majorem partem multitudinis abſtinere, & precipuè, quæ ſunt in nocumentum aliorum, ſinè quorum prohibitione ſocietas humana conſervari non poſſet, cujuſmodi ſunt homicidium, adulterium, & alia hujuſmodi. *Hac Thom. 1. 2. q. 95. art. 2. c.*

Numquid lex humana pręcipit omnes actus virtutum?

Reſpondeo; lex humana, ut dictum eſt, ordinatur ad commune bonum, & ideò præcipit tantùm illos actus virtutum, qui ſunt ordinabiles ad commune bonum, vel immediatè, ut cum aliqua fiunt directè proptèr bonum commune; vel mediatè, ut cum aliqua ordinantur à legiſlatore pertinetia ad bonam diſciplinam, per quam cives informantur, ut commune bonum juſtitiæ, & pacis conſenſum ſervent; *Hæc Thom. ubi ſupra art. 3. c.*

ARTICVLVS VI.

Qualitèr Conſtitutioni derogetur.

Circà ſextum ſciendum, quod derogatur conſtitutioni priori per conſtitutionem poſteriorem *extra de cogna. ſpiritu. cap. 1.* etſi in poſteriori nulla fiat mentio de priori; licèt ſit ſecùs in reſcriptis *extra de reſcrip. cęterum*, cujus diverſitatis ratio eſt *ſecundum Goff.* quià in legibus, & conſtitutionibus continentur jura; omnia autèm jura continentur in pectore Papæ, vel Principis, *ut c. de teſt. l. omnibus*, & ideò cum Papa condit coſtitutionem poſteriorem, quaſi ex certa ſcientia faciat memoriam prioris, tollitur prior. Sed in reſcriptis continentur facta; factorum autèm habere memoriam, & in nullo peccare eſt potiùs divinitatis, quàm humanitatis, *c. de veteri jud. enu. l. 2. §. ſi quid autem.* Undè non præſumitur, quod Papa præſcius primi reſcripti, concedat ſecundum: & hoc intelligo in priori, & poſteriori ſecundùm tempus, non ſecundùm ordinem ſcripturæ.

ARTICVLVS VII.

Quandò conſtitutio incipit arctare.

Circà ſeptimum ſciendum, quod conſtitutio incipit arctare poſt duos menſes ab ejus publicatione *extra ne cle. vel mon c. ult.* Ante verò hoc tempus non ligantur ignorantes *extra e. l. de conſt. cognoſcentes*. Hoc intelligit *Hoſtien. de conſtitutione principis*, ut in juribus prædictis, quià conſtitutio talis eſt generalis, & omnes aſtringit, *extra e. c. fin.* Conſtitutio autèm inferiorum ſtatim ligat facta promulgatione, niſi fortè abſentes, quibus nec totum dabo, nec illud limitabo, quià plus, & minus eorum juriſdictio protenditur, ſed arbitrio boni judicis hæc committo, *extra qui matri. ac poſſunt c. fin.* Extenditur etiàm conſtitutio ad futura, non ad præterita *extra e. l. de conſt. c. fin.*

Sed numquid lex humana homini neceſſitatem imponit in foro conſcientiæ?

Reſpondet *Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 4. c. ſic*. Leges humanæ, aut ſunt juſtæ, vel injuſtę; ſi juſtæ habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æterna, à qua derivantur: *Prover. 8. per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Dicuntur autèm leges juſtæ ex tribus concurrentibus ſimul. Primò ex fine, quandò ſcilicèt ordinantur ad bonum commune. Secundò ex Authore, quandò ſcilicèt lex lata non excedit poteſtatem ferentis. Tertiò ex forma, quandò propriè ſecundùm æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Injuſtæ autèm ſunt leges duplicitèr. Uno modo per contrarietatem ad bonum humanum, ut quandò deficit ibi aliquod trium prædictorum, & tales leges non obligant in foro conſcientiæ, niſi proptèr vitandum ſcandalum, vel turbationem, proptèr quod etiàm homo debet cedere juri ſuo *ſecun. illud Matth. 5. Qui aufert tibi tunicam, dimitte ei & pallium.* Alio modo per contrarietatem ad bonum divinum, ut leges tyrannorum inducentes ad idolatriam, vel ad aliud, quod ſit contrà legem divinam, & tales non licet ſervare.

Numquid omnes homines ſubduntur legi humanæ?

Reſpondeò, duplicitèr quis poteſt eſſe ſubiectus legi. Uno modo ſicut regulatum regulæ, & ſic omnes ſubiecti poteſtati ſubduntur ejus legi; *& ſic dicitur Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Alio modo ſicut coactum cogenti, & ſic legi ſubduntur tantum mali, quià eorum voluntas diſſonat legi. Princeps autèm, *ut dicit juriſperitus.* legibus eſt ſolutus, quod eſt verum, quantùm ad vim coactivam; ſed quantùm ad Dei judicium debet voluntarius legem implere: *undè extra, cum omnes, dicitur: quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure debet uti.* Eſt etiàm Princeps ſuprà legem, inquantum poteſt, cum expedit, legem mutare, & in ea pro loco, & tempore diſpenſare.

Numquid licet ſubdito legi agere prætèr verba legis?

Reſpondeo; Legiſlator legem proponit ſecundum ea, quæ contingunt, ut in pluribus, ferens intentionem ad utilitatem communem; undè ſi caſus emerſerit, in quo obſervatio talis legis ſit communi ſaluti damnoſa, non eſt ſervanda; ut ſi in civitate obſeſſa, lex ſtatuatur; quod portę civitatis maneant clauſæ, hoc eſt utile communi ſaluti, ut in pluribus. Si tamèn contingat hoſtes inſequi aliquos cives, in damnum cederet civitatis, niſi aperirentur ejus portæ, & ideò tunc eſſent aperiendæ; & ideò dicit *Hilarius, quod intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quià non res ſermoni, ſed rei debet eſſe ſermo ſubjectus.* Conſiderandum tamèn, quod etſi legis obſervatio ſecundùm verba non habeat ſubitum

tum periculum, cui ſtatim opporteat ſuccurri, non tamèn pertinet ad quemlibet, ut interpretetur, quid eſt utile civitati, & quid inutile; ſed hoc tantùm pertinet ad rectores, & Principes, qui proptèr hujuſmodi cauſas habent authoritatem de legibus diſputandi. Si verò periculum ſit ità ſubitum quod ad eos recurri non poſſit, neceſſitas diſpenſationem habet annexam.

Si dicatur quod ejus eſt legem interpetrari, cujus eſt condere; Dicendum, quod ille, qui ſequitur intentionem legiſlatoris, non interpretatur ſimplicitèr legem; ſed in caſu, in quo manifeſtum eſt latorem legis aliud intendiſſe. Si enim ſit dubium, debet vel ſecundùm verba legis agere, vel ſuperiores conſulere. Rectores autèm multitudinis diſpenſare poſſunt in legibus humanis, quandò requirit hoc cauſa rationabilitèr cedens in utilitatem boni communis. *Hæc Thom.* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 6. *o.*

ARTICVLVS VIII.

De pœna non ſervantium conſtitutiones.

CIrcà octavum ſciendum, quod ſi quis conſtitutiones non habet, arguendus eſt de negligentia; qui verò habet, & non ſervat, corripiendus eſt de temeritate *ut diſ.* 20. *ſi decreta*. Si verò aliquis non ſervat eas in contemptum Eccleſiæ Romanæ, hæreticus eſt cenſendus, *ut diſ.* 20. *de libellis*; ſalvis aliis pœnis, quæ per ſingula jura ſingularitèr imponuntur non obſervantibus eas.

TITVLVS XLVII.

De lege humana non ſcripta, ſcilicèt de conſuetudine.

DEindè conſiderandum eſt de conſuetudine, & Primò, quid eſt, & undè dicitur. Secundò, qualitèr, & ex quot actibus inducitur. Tertiò, quæ conſuetudo præjudicet juri. Quartò, quæ eſt conſuetudo generalis, & quæ ſpecialis. Quintò, an una conſuetudo aliam contrariam tollat, ideò ſit.

ARTICVLVS I.

Quid ſit conſuetudo.

CIrcà hunc primum articulum ſciendum *ſecundùm* Goff. quod conſuetudo *eſt quoddam jus moribus, ideſt aſſiduis actibus inſtitutum, quod cum lex deficit, pro lege ſuſcipitur*. *diſ.* 1. *conſuetudo*, quià eſt in communi uſu, ut ibidem.

ARTICVLVS II.

Qualitèr, & ex quot actibus inducatur conſuetudo.

CIrcà hunc ſecundum articulum ſciendum, quod, *ſecundum* Goſ. conſuetudo inducitur, cum expreſsè populo placet aliquid obſervari pro conſuetudine in futurum; undè non eo ipſo, quod aliquid ſit, jus conſuetudinarium inducitur *ar. ff. de itinere, actuque privato l. fin.* Inducit autèm unus actus conſuetudinem 25. *quæſt.* 2. *ità nos*.

ARTICVLVS III.

Quæ conſuetudo præjudicet juri.

CIrcà hunc tertium articulum ſciendum *ſecundum* Goſ. quod cum aliquid ſit multoties, provenire videtur ex deliberato judicio rationis, & indè eſt, quod conſuetudo inducta ſupradicto modo, ubi viget, tollit jus, dummodò ſit rationabilis. Interpretatur etiàm legem *extra e. cum dilectus*. Pro lege ſuſcipitur, cum lex deficit, ut dictum eſt ſuprà; ſecùs eſt ſi non ſit rationabilis *ff. de leg. & ſe. con. quod non ratione*. Si autèm non ſit inducta ſupradicto modo, ſed per quamdam aſſuefactionem hominum, ſi non ſit ad præſcriptionem quadraginta annorum perducta, *ſecundum canones*, non vincit legem *extra. cum conſuetudinis*. Si autèm ſit ad præſcriptionem perducta, & jus parit, & legem vincit *extra e. c. ult.* Sed etſi tanto tempore ſervata fuerit, quod non ſit in memoria hominum quandò ceperit, legem vincit *ar. ff. de aqua plu. l.* 1. *in fin.* Similitèr, & illa conſuetudo, quàm Romana ſervat Eccleſia, & ab aliis præcipit ſervari. 11. *diſ. nolite*. Et quod dictum eſt præſcribi conſuetudine, intelligitur cum inducitur circà illud, quod eſt præſcriptibile; aliàs ſecùs eſt, *extra de præſcrip. cauſam*.

Sed quæ conſuetudo dicetur rationabilis?

Reſpondet *Ber. extra e. ſcilicèt de conſuetudine c. fin. in Gloſſ.* 4. Quod generalitèr illa conſuetudo eſt rationabilis, quæ non obviat canonicis inſtitutis. Irrationabilis verò eſt, quæ reprobatur à jure, ut illa *extra e. ex parte noſtra, & c. cum venerabilis*; & conſuetudo oneroſa, *extra e. cap.* 1. *& c. cum internos*; & generalitèr, ubi ſit aliquid contra morem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſivè libertatem *extra de elect. cum terra, & c. Sacroſanta*.

Ex ſupradictis recolligi poſſunt plura, quæ requiruntur ad hoc, quod conſuetudo præjudicet juri communi; & ſuper addit aliqua *Ber. extra e. c. fin. in Glo.* 5. Primò, quod ſit rationabilis. Secundò, quod ſi præſcripta. Tertiò, quod certa ſcientia, & non per errorem ſit inducta. Quartò, quod ſit inducta eo ſciente, qui jus condere poteſt *ff. de l. de quibus cauſis in fin.*

Quin-

Digitized by Google

Quintò, quod ſit tale jus, quod poſſit præſcribi. Sextò, quod uſus ſis illa conſuetudine, ſivè vicibus illis, quibus es uſus, eo animo ut intendas te jus habere, ſivè credas; & ut illud in poſterum facias *ff. de itinere, actuque pri. l. ult.* alias non prodeſt, ut dicitur ibi. Septimò, quod major pars populi ſit uſa conſuetudine illa, quià ſicut minor pars populi non poſſet inducere legem, ità nec conſuetudinem. *Hæc Ber.* Dicit tamèn in fine ejuſdem Gloſ. quod ad hoc, quod conſuetudo præjudicet juri, ſatis videtur ſufficere *ſecundùm c. fin. extra e.* ſi conſuetudo ſit rationabilis, & præſcripta.

Sed numquid quælibet multitudo conſuetudinem inducere poteſt?

Reſpondeo *ſecundùm Thom.* 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 3. *cap.* 2. Si ſit libera multitudo, quæ poſſit ſibi facere legem, poteſt etiam pari ratione inducere conſuetudinem; Si verò non habeat liberam poteſtatem legem ſibi condendi, vel leges ſuperioris tollendi; nihilominus tamèn conſuetudo in tali multitudine prævalens vim obtinet legis, ubi per eos toleratur, ad quos pertinet imponere multudini legem; ex hoc enim videntur ipſam approbare conſuetudinem.

Sed quantum tempus requiritur ad hoc, quod conſuetudo ſit præſcripta?

Reſpondeo *ſecundùm Canon. ut dicit Goff. & habitum eſt ſuprà, & Hoſtien.* requiritur tempus quadraginta annorum. Secundùm leges tamèn eſt diverſitas, *ut notat Hoſt. tit. de conſuetudine*, quià ſecundùm Jo. Bar. ſufficiunt decem anni intèr præſentes, & viginti inter abſentes. Secundùm verò alios ſpectandum eſt tempus, cujus non extat memoria. *Innoc. autèm extra e. ſuper. c. dilectus* dicit, quod in Eccleſia neceſſaria eſt præſcriptio quadraginta annorum; ſed in aliis ſufficit præſcriptio decem, vel viginti annorum: & hæc ſunt vera, ſi illud, quod præſcribitur, vel aſſueſcitur, habet continuam cauſam. Itèm ſi conſuetudo eſt generalitèr contrà omnes, tàm contrà Eccleſias, quàm alios, ſufficit præſcriptio decem annorum contrà omnes. Quidam verò diſtinguunt inter Eccleſias, & privatos, alitèr ſi non habet cauſam continuam, neceſſaria eſt præſcriptio temporis, cujus memoria non exiſtat.

Ad hoc nota, ad majorem evidentiam, differentiam inter præſcriptionem, & conſuetudinem. Differunt autèm *ſecun. Hoſt. tit. de conſuetudine.* Primò quià præſcriptio habet locum in rebus mobilibus, & immobilibus, corporalibus, & incorporalibus, ut in ſervitutibus, juriſdictionibus, electionibus, & hujuſmodi. Secundò quià præſcriptio acquiritur ſingulari cum privato; ſed conſuetudo non magis acquiritur illi, quam iſti. Tertiò, quià in præſcriptione titulus, & bona fides requiruntur *extra de præſcrip. ſi diligenti*; ſed in conſuetudine non requiritur, niſi uſus, & tempus completum; undè hic eſt uſus loco tituli. Quarto, quià privilegium, & præſcriptio aliquotiès non concurrunt *extra de præſcrip. veniens*; Sed conſuetudo, & privilegium bene concurrunt *extra e. cum dilectus.* Quintò quia præſcriptio eſt actionis, ſivè juris petendi excluſio *ar. C. de annali excep. l. fin. in fine*; Sed conſuetudo eſt de ſui natura actionis, ſivè juris acquiſitio, ut apparet *extra dè elec. conſtitutis, & c. in Geneſ. in fin.* præſcriptio verò non reſpicit propriè uſum: ideò enim præſcribitur contrà aliquem, quià non agit, vel non utitur ſuo jure; conſuetudo verò reſpicit uſum, & ideò allegatur, quod ità communitèr actum eſt, vel uſum; nihilominus, & conſuetudo negativa reſpicere poteſt, ubicumque probari poteſt, ſcilicèt, quod tale quid, vel tale non debet fieri *ar. extra de elec. cum Eccleſia Vulterana ad fin.* ſecùs eſſet ſi nullo modo poſſet probari. Sextò, quià conſuetudo erronea non juvat, ſecùs eſt de præſcriptione, quia titulus putativus etſi verus non ſit, dùm tamèn probabilis error excuſet, dat juſtam cauſam uſucapiendi. Sed de hoc vide infrà *lib. 3. tit. de præſcrip.*

ARTICULUS IV.

Quæ ſit conſuetudo generalis, & quæ ſpecialis.

Circà hunc quartum articulum ſciendum, quod conſuetudo generalis eſt, quæ generalitèr obſervatur, ut *extra e.* ſcilicèt *de conſti. cap.* 1. & *c cum omnes. & diſ.* 11. *nolite. & de conſecra. diſ.* 1. *c. baſilicas.* Specialis conſuetudo eſt, quæ in certo loco vigorem, & obſervantiam habet *diſ.* 12. *novit.*

ARTICULUS V.

An una conſuetudo aliam contrariam tollat.

Circà hunc quintum articulum ſciendum, quod conſuetudo poſterior tollit conſuetudinem priorem *extra de cogn. ſpirit. cap.* 1. Et hoc eſt verum, ſi diverſæ conſuetudines in eodem municipio diverſis temporibus oriantur; ſecùs eſt, ſi in locis diverſis *diſ.* 12. *ſcit ſancta*: undè conſuetudo aliquorum non debet ſubverti more contrariorum *diſt.* 12. *illud.* Itèm conſuetudo mala nullo tempore confirmatur, quinimò tantò eſt perniciosior, quantò eſt diuturnior *extra e. c. fin.* Itèm conſuetudo in Eccleſiæ gravamen inducta revocari debet *extra e. cap.* 1. Itèm ſicut jura reducuntur ad concordiam cum juribus *C. de offic. Do. l. una*, ſic & conſuetudo juri, vel privilegio contraria reducitur ad concordiam per interpretationem *extra e. cum dilectus.*

Explicit liber primus de Preceptis.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS
De Virtutibus, & Vitiis.

TITULUS I.

De voluntario, & involuntario.

EXpeditis per Dei gratiam in libro præcedenti his, quæ pertinent ad divinorum præceptorum conſiderationem, conſequentèr dicendum eſt in hoc ſecundo libro de his, quæ pertinent ad conſiderationem virtutum, & vitiorum; & primò in communi; ſecundo in ſpeciali.

Circà primùm; Primò dicendum eſt de bonitate, & malitia prout conſiderantur in actibus humanis; Secundò de habitibus malis, ſcilicèt vitiis in communi; Tertiò de habitibus bonis, ſcilicèt de virtutibus in communi. Et quià actus humani non dicuntur boni, vel mali, niſi inquantum ſunt voluntarii, ideò prius conſiderandum eſt de voluntario, & involuntario. Et primò quid dicitur in homine voluntarium. Secundò quid cauſet involuntarium. Ideò ſit

ARTICVLVS I.

Quid dicatur in homine voluntarium.

CIrcà primum ſciendum eſt, quod illud dicitur in homine voluntarium, cujus homo habet in ſe plenum dominium, ſicut eſt de actu interiori, qui eſt *velle*, & aliis viribus imperare; ſed non habet dominium plenum de actu exteriori membrorum, qui eſt *facere*. Et ex his patet, quod non tantùm eſt voluntarium cum actu, ſed etiàm ſinè actu, & quandoquè ſinè actu exteriori, cum actu interiori, ut cum vult non agere.

Nota tamèn, quod omittere actum interiorem, vel exteriorem non dicitur in homine voluntarium, niſi quandò ſcit, poteſt, & debet velle, vel imperare; ſicut ſi navis pereat proptèr abſentiam ejus, qui non poteſt, vel neſcit, vel non debet eam regere, non dicitur ſubmerſio ejus voluntaria in illo, ſed in eo, qui poteſt, & ſcit, & debet. *Hæc Gual.* Attendendum etiàm, quod non velle dicitur duplicitèr *ſecundùm Thom. 1.2. quæſt. 6. art. 2. cap. 2.* Uno modo prout ſumitur in vi unius dictionis, ſcilicèt, nolle: Undè ſicut dicitur, nolo legere, ſenſus eſt, volo non legere; ſignificatur velle non legere; & ſic non velle cauſat voluntarium. Alio modo in vi orationis, & tunc non affirmatur actus voluntatis, & hujuſmodi non velle cauſat involuntarium.

ARTICVLVS II.

Quid cauſet involuntarium.

CIrcà ſecundum ſciendum, quod involuntarium cauſant violentia, & ignorantia: Undè *Phil. 3. ethi. cap. 1.* dicit, quod involuntarium eſt, quod violentia, vel ignorantia factum eſt, licèt igitur violentia non poſſit inferri voluntati, quantum ad primum ejus actum, qui ab ipſa immediatè dicitur, ſcilicèt velle, poteſt tamèn quantum ad actus, qui ab ea imperantur, ut ambulare, & loqui, inquantum per violentiam impediri poſſunt membra exteriora, ne voluntatis imperium exequantur. Cauſat igitùr violentia involuntarium, quià directè opponitur voluntario, cum voluntarium ſit à principio intrinſeco, violentum verò ab extrinſeco; & ſic eſt contra voluntatem, & per conſequens involuntarium.

Ignorantia autèm cauſat involuntarium ea ratione, qua privat cognitionem, quæ præexigitur ad voluntarium, voluntarium enim ſecundùm quod dicit *Phil. 3. ethi. & Dam. 2. lib. eſt cujus principium eſt in ſe ipſo cognoſcente ſingula, & quæ oportet operari, ideſt cujus gratia operatur*; non tamèn quælibet ignorantia privat cognitionem, hujuſmodi. Ignorantia enim tripliciter ſe habet ad actum voluntarium, ſcilicèt concomitanter, conſequenter, & antecedenter. Concomitanter, quan-

Digitized by Google

quandò ignorantia eſt de eo, quod agitur, & tamèn etiàm ſi ſciretur, non ageretur; & talis ignorantia non facit involuntarium, *ut dicit Philoſophus*, quià non cauſat aliquid repugnans voluntati, ſed facit non voluntarium, quià non poteſt eſſe actu nolitum, quod eſt ignoratum. Conſequenter autèm ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipſa eſt voluntaria, & hoc contingit duplicitèr. Uno modo, quandò actus voluntatis refertur in ignorantiam, ut habeat excuſationem peccati, vel non retrahatur à peccato, & hæc dicitur ignorantia affectata; Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis ſcire poteſt, & debet; Sic autèm non agere, & non velle dicitur voluntarium, ut ſupra dictum eſt. Hoc autèm modo dicitur ignorantia duplicitèr; Uno modo cum quis non conſiderat id, quod conſiderare debet, quæ eſt ignorantia malę electionis ex paſſione, vel habitu proveniens; de qua poteſt intelligi illud *Proverb*. 14. *errant, qui operantur malum*. Alio modo, cum quis notitiam, quam debet habere non curat acquirere, & ſic ignorantia juris, quam quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi ex negligentia proveniens; Et de hoc intelligitur illud *Corinth*. 14. *ignorans ignorabitur*: & his modis ignorantia non poteſt cauſare involuntarium; cauſat enim ſecundum quid involuntarium, inquantum præcedit motum voluntatis ad agendum, qui non eſſet, ſcientia præexiſtente. Antecedenter autèm ſe habet ad voluntatem ignorantia, quæ non eſt voluntaria, & tamèn eſt cauſa volendi hoc, quod aliàs non vellet; ſicut cum homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non ageret, ſi eam ſciret; ut cum quis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem, & talis ignorantia cauſat involuntarium ſimplicitèr. *Hæc Thom*. 1. 2. *quæſt*. 6. *art*. 8. *c*.

Sed quid de metu, concupiſcentia, ira, ebrietate; Numquid hæc cauſant involuntarium?

Reſpondeo, quod non; Metus enim non cauſat, imò *ut dicitur* 3. *Ethic. c. primo, & idem vult Greg. Nazianzen. lib. de homine*, operationes, quæ metu fiunt partim ſunt voluntariæ, partim involuntariæ, ideſt mixtæ, magis tamèn, imò quaſi ſimplicitèr ſunt voluntariæ. Quod patet ſic; Unumquodque judicandum eſt ſecundùm illud, quod eſt, quando eſt in actu, non ſecundùm illud, quod in apprehenſione conſiderantis eſt; quę autèm metu fiunt, cum ſunt in actu, voluntariæ ſunt, quià voluntas movet organa, ut dicitur ibidem; Involuntaria autèm ſunt ex apprehenſione damni, ut patet in eo, qui projicit merces in mare; *& hęc eſt ſententia Philoſophi, & ratio ſua ibidem*. Nec etiàm concupiſcentia cauſat involuntarium, *ut vult Philoſ*. 3. *ethi. cap*. 4. quià concupiſcentia eſt principium movens intrinſecum, non extrinſecum, non inferens violentiam, ſed alliciens per complacentiam. Et multò minus cauſat involuntarium ira; quià eſt paſſio magis voluntaria, cum ſit minus à natura, quàm concupiſcentia; *Undè Gregorius Nazianzenus lib. de homine c.* 20. *Iratus, & ebrius malum voluntariè agunt*. De ebrietate tamèn diſtingue, quià ſi homo ſit cauſa ejus, non facit involuntarium; ſi verò homo non ſit cauſa ejus, facit involuntarium. Aliquis enim inexpertus virtutem vini, volens illud bibere, ſi ſciret eam, non biberet; ſi temperatè bibit, & inebriatur, puto, quod opus ſequens hujuſmodi ebrietatem judicandum ſit involuntarium. *Hæc Gualterus*.

TITVLVS II.

De bonitate, & malitia actuum humanorum in communi.

DEindè conſiderandum eſt de bonitate, & malitia actuum humanorum, & primò in communi; Secundò in ſpeciali de bonitate, & malitia actuum interiorum, & exteriorum. Tertiò de bonitate, & malitia actuum exteriorum, Quartò de his, quæ conſequuntur bonitatem, vel malitiam actuum humanorum. Ideò ſit

ARTICVLVS I.

Utrum bonum, & malum ſint differentiæ, & quales actuum humanorum, & utrum aliquis actus ſit indifferens.

CIrcà hunc articulum, ſciendum eſt, quod actuum ipſius hominis quidam ſunt non morales, ut illi, qui non procedunt ab homine per actum liberæ voluntatis; & talium differentiæ eſſentiales non ſunt bonum, & malum. Quidam verò ſunt morales, ut illi, qui procedunt ab homine per actum liberæ voluntatis; & iſti poſſunt duplicitèr conſiderari; uno modo inquantum ſunt quędam eſſentiæ, vel naturæ; alio modo inquantum ſunt morales, & hoc ſecundo modo, non primo dividuntur per bonum, & malum morale, tanquàm per differentias eſſentiales, & ſpecificas. Sicut etiàm artificialium, in quantum ſunt hujuſmodi, aliquę ſunt differentię eſſentiales, quę tamèn ratione materiæ, de qua ſunt, eis ſunt accidentales.

Eſt autèm triplex differentia boni moralis, & ſimilitèr mali; quoddam enim eſt bonum ſecundùm ſe, ut diligere Deum; quoddam eſt bonum ex circumſtantia, ut occidere hominem proptèr juſtitiam; & bonum ex genere, non quod propriè ſit genus, ſed quià eſt conforme generi, quià ſicut genus dicitur ens in potentia ad ens completum, quæ potentia completur, & ſpecificatur per actum differentiarum, ſic actus tranſiens

ſiens ſuper materiam debitam eſt bonum moris, tamèn imperfectum, quià eſt indifferens ad hoc, quod benè fiat, vel malè; & cum per circumſtantias determinatur, quodammodò ſpecificatur, & completur, ut cum aliquis dicitur dare eleemoſynam propter Deum.

Similitèr eſt triplex malum moris, ſcilicèt, malum ſecundum ſe, ut odire Deum; Malum ex circumſtantia, ut dare eleemoſynam propter vanamgloriam; Et malum ex genere, ut occidere hominem; intèr hęc autèm omnia eſt reperire medium; nàm intèr bonum, & malum ſecundum ſe ſunt quaſi media illa, quę nec ſunt bona ſecundum ſe, nec mala ſecundùm ſe, ut ſunt bona, vel mala ex genere, vel ex circumſtantia. Intèr bonum etiàm, & malum ex circumſtantia ſunt media tàm indifferentia, quàm bona, & mala ex genere, quæ omnia indifferentèr fieri poſſunt bona, vel mala ex circumſtantia. Intèr bonum autèm, & malum ex genere cadit medium indifferens ſimplicitèr, ut comedere, vel feſtucam levare, quæ non dicunt bonitatem, vel malitiam moris; & ſic patet, quod diviſio actionis per bonam, & malam, quantum ad genus operis, ſivè actionis non eſt per immediata; & in hoc conveniunt communitèr omnes.

Ex prędictis patet, quod loquendo de actibus quantum ad genus operis, ſeu actionis, aliqui actus ſunt indifferentes, qui ſcilicèt medium tenent intèr bonum, & malum; undè non ſunt moraliter boni, nec mali. Sed alio modo poſſumus loqui de actione, quantum ſcilicèt ad modum agentis; Et hoc duplicitèr, quià quædam eſt actio hominis non ut rationalis, quæ eſt actio naturæ, ut naturę, ut bibere, & comedere, & hujuſmodi; & hoc de ſe eſt indifferens, & poteſt eſſe indifferens in agente, ut cum nec actu, nec habitu deliberat, quarè hujuſmodi dicuntur agi, quià ſunt actus naturę, non ut eſt deliberativa. Alia verò eſt actio hominis, ut eſt rationalis, & deliberativus, ut loqui, diſputare facta exteriora, vel res ordinare, & hi actus de ſe ingenerali loquendo ſunt indifferentes. Dicunt tamèn aliqui, quod quandò ſunt in exercitio, vel in homine actu agente non ſunt indifferentes, competunt enim ei, ut eſt deliberativus; & ideò ſi tales actus ſunt reſpectu objecti debiti, & cum debitis circumſtantiis, & ad debitum finem relati, ſunt moralitèr boni; Si autèm aliquid horum defuerit, ſunt moralitèr mali. Et ideò dicit *Dominus Matth.* 12. *quod de omni verbo otioſo reddet homo rationem in die judicii*, & per conſequens de omni opere otioſo. Super quo verbo *dicit* Greg. quod otioſum verbum eſt, quod caret ratione juſtæ neceſſitatis, vel piæ utilitatis. *Hęc Gual.* & hæc eſt opinio *Gual. & Thom.* 1. 2. *quæſt.* 18. *art.* 9. *c.* Et videtur rationabilior *ſecundum Riccar.* 2. *diſt.* 40. *quæſt.* 2. *art.* 3. *c.*

Alii dicunt, quod eſt aliqua operatio ſivè interior, ſivè exterior, quæ nec eſt moralitèr bona, nec mala; nàm actio procedens à voluntate deliberativa, aut eſt ad Deum ordinata, aut non, & hæc eſt diviſio per immediata. Si ſic eſt bona, & meritoria vitę æternę, vel merito condigni, ſi fiat ex charitate; vel merito congrui, ſi fiat extrà charitatem. Si non eſt ordinata ad Deum, aut hoc eſt per inordinatam converſionem ad creaturam, & ſic eſt mala ex converſione; aut proptèr operantis negligentiam, & ſic eſt mala ex omiſſione; aut proptèr operantis infirmitatem, & miſeriam, & hęc neutro modo eſt mala; ſed eſt indifferens. Deus tamèn ex ſua pietate decrevit proptèr noſtram infirmitatem multas operationes non imputare nobis, nequè ad męritum, nequè ad demeritum; & ex conſequenti tales actiones reſpectu noſtri non videntur bonæ moralitèr, nec malę, ut cum quis loquitur alicui ex naturali pietate, vel alium ſalutat ex urbanitate, vel faciat aliquid ex indigentia naturæ, ut quià ambulat, ut recreetur; vel comedit, ut reficiatur, nec tamèn hoc refert in Deum; tales enim actiones non ſunt mæritoriæ, quià ad Deum non referuntur. Dicere verò, quod eſſent demæritoriæ durum videretur, cum non fiant proptèr inordinatam converſionem ad creaturam, nec omittuntur ad Deum referri proptèr loquentis negligentiam, ſed tantùm proptèr quamdam infirmitatem, quæ eſt in nobis ex corpore corruptibili aggravante animam. *Hujus ſententiæ eſt Bon. lib.* 2. *diſt.* 41. *quæſt.* 1. *art.* 3. *c.* ubi optimè tractat quęſtionem iſtam Huic etiàm opinioni concordare videtur *Hieron. in Epiſt. quadam ad Auguſtinum, quæ eſt in numero Epiſtolarum ejus* 16. *dicens*; quod ambulare, dirigere, proicere ſputum, nec bonum, nec malum eſt.

Si objicitur illud 1. *Chor.* 10. *ſivè manducatis, ſivè bibitis, ſivè aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Dicunt quod illud eſt conſilium, non præceptum, & illud omittere, non eſt ſemper peccatum. Ad illud, quod dicitur pro prima opinione de verbo domini, poteſt dici, quod actus, qui non refertur ad bonum finem eſt otioſus, ſed non ſemper opportet, quod referatur explicitè ad finem, qui eſt Deus, ad hoc quod non ſit otioſus, ſed ſufficit, quod referatur ad aliquem bonum finem civilem, vel corporis honeſtam recreationem; nec tamèn omnis talis actus eſt remuneratione dignus. *Hæc Riccar.* 2. *diſt.* 40. *art.* 3. *cap.* 3. *pro prima opinione.*

Sed numquid unus, & idem actus poteſt eſſe bonus, & malus?

Reſpond *Gual.* duplex eſt actus, ſcilicèt interior ſimplex, & indiviſibilis ſtatim tranſiens; & exterior continuus, & diviſibilis diù manens. Primus non poteſt eſſe ſimul bonus, & malus, ſecundùm morem, cum ſit indiviſibilis. Secundus autèm poteſt; quià in ſui initio poteſt eſſe bonus; & malus in fine. Hujuſmodi tamèn actus, licèt ſit unus ſecundùm naturam, non eſt tamèn unus ſecundum morem, ſed ſunt duæ operationes morales, ut cum quis incepit prędicare proptèr Deum, & proptèr vanamgloriam finit.

Ti-

TITULUS III.

De bonitate, & malitia interioris actus voluntatis.

POſteà conſiderandum eſt de bonitate, & malitia interioris actus voluntatis. Et primò in ſe. Secundò in comparatione ad conſcientiam. Tertiò in comparatione ad voluntatem divinam; ideò ſit

ARTICULUS I.

De bonitate, & malitia interioris actus voluntatis in ſe.

CIrcà hunc primum articulum quæruntur plura ſcilicèt.

I. Quid faciat voluntatem bonam?

II. Utrùm unius bonę voluntatis ſit unus ſolus finis?

III. Utrùm bonitas actualis voluntatis addat aliquam bonitatem ſuper bonitatem ipſius habitus gratiæ.

Ad primum reſpondeo *ſecundum Anſel. de gratia, & lib. arb. cap.* 11. Triplex eſt voluntas. Prima eſt inſtrumentum, ſivè potentia animæ, & hæc eſt bona ex habitu bono, vel virtute; ſicut paries eſt albus albedine; bonum enim eſt, quod habet qualitatem bonam, *ut dicitur* 1. *thopic.* Secunda eſt habitus, vel diſpoſitio, ſivè affectio voluntatis derelicta ex actu voluntatis, ſivè uſu; & hęc voluntas eſt bona ex bona actione; & mala ex mala; quià quales ſunt actus, tales generantur habitus, vel diſpoſitiones 2. *ethic. c.* 3. Tertia eſt actus voluntatis potentiæ, & hoc proptèr naturalem bonitatem, quam habet, eo quod eſt quædam actio, habet totam bonitatem ex ejus ordine ſufficienti ad debitum finem. Ad hujuſmodi autèm ordinem alicujus actus requiruntur quatuor. Duo ſcilicèt ex parte finis. Primum eſt, ut illud, quod quis appetit, vel vult ut finem, ſit in ſe bonum, quià proptèr finem operatur quis, non quià finis, ſed quià bonum; & ideò dicitur 2. *phi. quod bonum, & finis ſunt idem.* Secundum eſt, quod non ſit tantùm in ſe bonum; ſed etiàm meliùs his, quæ appetuntur proptèr ipſum, *& ideò dicit Auguſt.* 6. *de Civ. Dei cap.* 1. quod, qui laudat Deum proptèr pecuniam, non habet bonum finem, neque bonam voluntatem. Tertium eſt ex parte eorum, quæ ordinantur in finem, ſcilicèt, quod ſint ſecundum rationem rectam ordinabilia, & apta ad talem finem aſſequendum. Quartum eſt ex parte ordinantis, ſcilicèt quod voluntas ratione regulata ordinet, vel velit bona in genere, vel indifferentia ad bonum finem. His quatuor concurrentibus, voluntas, quæ eſt actus, eſt bona, & ſi aliquid horum defuerit, non eſt bona, *quià ut dicit Dyon.* 4. *c. de divi. nominibus: Bonum eſt ex tota ſua cauſa. Hæc Gual. & Bon.* 2. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 1. *c.*

Circà ſecundùm; Reſpondeo, quod ſic; ſcilicèt finis principalis, propter quod intelligendum, quod actum habere plures fines poteſt eſſe triplicitèr. Uno modo, ita quod unus ſit ſub altero, & propter illum. Secundo, quod unus finis ſit principalis, & alter non principalis, ita tamèn, quod finis non principalis non refertur ad principalem actum. Tertiò ità quod uterque ſit principalis. Exemplum pone de eo, qui vadit ad Eccleſiam pro diſtributionibus; aut enim principalitèr intendit Dei honorem, & cum hoc ſimul intendit habere pecuniam, ut eam ad honorem Dei pauperibus diſtribuat, vel in alios uſus licitos convertat; aut intendit Dei honorem, & cum hoc ſimul intendit acquirere pæcuniam, ita tamèn, quod acquiſitionem illam non redegerit ad Dei gloriam, nec tamèn pecuniam illam finem principalem ſtatuit, quià eam propter ſe non diligit; aut intendit Deo placere, & ſimul etiàm pęcuniam acquirere, ut poſſit theſaurum ſuum augere, & in eo delectari, diverſos fines ſtatuere. Primo modo pertinet ad bonam voluntatem, & eſt mæritorium. Secundò modo non eſt bonæ voluntatis loquendo formalitèr; non tamèn ei ſic repugnat, quin in ea ſtare poſſit, eſt enim ibi peccatum veniale, non mortale; *hoc vult dicere Aug. lib. confeſ.* cum dicit: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non proptèr te amat.* Tertio modo eſt contrà bonam voluntatem, talis enim vult duobus dominis ſervire, quod eſt impoſſibile, *ut dicitur Matth.* 6. Cum enim ſit unum ſolum, & verum bonum, quod quietat humanum deſiderium, oportet, quod voluntas ad hoc, quod ſit bona, & recta, ſtatuat ſibi unicum finem ultimum. *Hæc Bon.* 2. *diſ.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *c.*

Circà tertiùm, reſpondeo, dixerunt quidam, quod nullam addit bonitatem à Deo remunerabilem, quantum ad præmium ſubſtantiale; ſed quantum ad accidentale ſic. Sed contrà hoc eſt, *quod Ber. in lib. de libe. arb. quaſi in fine dicit* quod ad promærendum coronam, Deus facit homini coadiuvationem, cum facit volentem, hoc eſt voluntati ſuæ conſentientem; itaque voluntas in auxilium reputatur in meritum; conſtat autèm, quod loquitur de actu voluntatis. Præterea actus eſt finis habitus, & nobilior eo; undè & habitus gloriæ ordinatur ad actum gloriæ. Si ergò aliquid de præmio ſubſtantiali correſpondet habitui gloriæ, videtur quod etiàm aliquid de præmio illo correſpondeat actuali voluntati interiori per gratiam elicitæ: Ideò videtur ſinè præjudicio dicendum *ſecundum Ric.* quod actualis voluntas elicita à voluntate potentia per gratiam addit habitui gratiæ bonitatem aliquam à Deo remunerabilem, quantum ad præmium ſubſtantiale; ità quod præmium ſubſtantiale habitui gratiæ, & actibus interioribus voluntatis, per gratiæ habitum elicitis, correſpondet: undè prop-

Digitized by Google

propter tales actus plus habebit de præmio ſubſtantiali, quàm ſi ſinè ipſis à corpore deceſſiſſet.

ARTICVLVS II.

De bonitate, & malitia actus voluntatis in comparatione ad conſcientiam.

CIrcà ſecundum quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm ad hoc quod voluntas ſit bona, neceſſe ſit, quod ſe conformet conſcientiæ rectę; & hoc eſt idem, quod quærere: An omnis conſcientia recta liget ad faciendum, quod dictat?

II. Utrùm voluntas diſcordans à conſcientia erronea ſit mala? Sivè utrùm conſcientia erronea liget?

III. Utrùm conſcientia erronea liget ad errorem deponendum, vel ad faciendum quod dictat?

IV. Utrùm conſcientia erronea peccatum excuſet?

V. Utrùm plus liget præceptum divinum, quàm erronea conſcientia dictans contrarium; ideſt utrùm magis peccet faciens contrà Dei præceptum, quàm faciens contrà conſcientiam?

VI. Utrùm conſcientia erronea plus liget, quàm præceptum Prælati de indifferentibus, quæ præcipere poteſt?

Circà primum reſpondeo, quod ſic; tunc enim conſcientia eſt recta, quandò eſt recta ſecundùm legem divinam ſcriptam nobis pro regula datam; & ideò ſicut ad hoc quod voluntas ſit bona, neceſſe eſt, quod ſe conformet legi divinę, ità etiàm neceſſe eſt, quod ſe conformet conſcientiæ rectæ; quià ſicut lex divina, ità & conſcientia recta ligat voluntatem ad faciendum ea, quę in divina lege pręcipiuntur, & ad vitandum ea, quę ibi prohibentur, & ad probandum conſilia, informationes, & exortationes, quę ibi ponuntur. Non tamèn voluntas cum ſit libera ligatur violentia, vel neceſſitate aliqua abſoluta, ſed conditionata; quià ſi velit pręmium habere, & ſupplicium vitare, neceſſe habet ſequi ducatum conſcientię rectę; *Undè Hieron. dicit*, quod conſcientia eſt dux animæ, & *ſecundum Dam. 4. lib. c.* 14. eſt lex intellectus noſtri.

Circà ſecundum reſpondeo, quod ſic; conſcientia enim, ut dictum eſt, eſt lex intellectus noſtri, ideſt animę humanę, & ideò ſicut conſcientia recta, quę eſt lex juſta ligat voluntatem, vel hominem per formam, quam habet; ità etiàm erronea, quæ eſt lex injuſta, apprehenſa tamèn, vel credita eſſe juſta, & recta, ligat voluntatem, & obligat, quamdiù talis videtur. *Hæc Gual. in quæſtionibus diſputatis.*

Circà tertiùm, reſpondeo. Conſcientiam errare contingit duplicitèr, ſcilicèt dictando aliquid indifferens eſſe præceptum, vel prohibitum, ut levare feſtucam eſſe mortale peccatum; vel dictando aliquid contrà Dei pręceptum, vel prohibitionem, ut occidere patrem eſſe licitum. Dico ergò ad quęſtionem, quod in primo caſu ligat ad faciendum quamdiù durat; in ſecundo non ligat ad faciendum, ſed ad ſe deponendum, quià nihil poteſt ligare hominem in his, quæ ſunt contrà Deum, & hæc videtur eſſe opinio *Bon. in ſecundo ſent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 3. c.* Alii verò concedunt primum dictum, & negant ſecundum, attendentes, quod erronea conſcientia, etiàm in his, quę ſunt contrà Deum dictans, ligat ad faciendum, ſed per accidens, & ſecundum quid, non per ſe, & ſimplicitèr, ſicut recta conſcientia, *per accidens* inquam, quià non ligat ad faciendum inquantum erronea; ſed in quantum creditur recta, & juſta: *ſecundum quid* inquam, quià non ligat ſemper, & in omnem eventum, ſed quamdiù durat, ideſt videtur habenti recta eſſe. Ad deponendum autèm ſe non ligat, quià nec hoc dictat, *& hæc videtur eſſe opinio Petri in ſecundo ſuo.* Concordando verò dici poteſt *ſecundùm Gual.* quod erronea conſcientia duo includit, ſcilicèt errorem, & conſcientiam; ratione primi ligat ad deponendam eam vinculo divini pręcepti. *Unde ad Ephe. 4. Deponite veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris*; ratione verò ſecundi ligat vinculo conſcientiæ ad faciendum quod dictat, nec tamèn ſimplicitèr eſt perplexus, quià poteſt, & debet deponere illam, & illo ſimplicitèr ligatur, & propriùs, & magis ad deponendum, quàm ad faciendum, & ſi de illa per ſe neſciat judicare, debet peritiores conſulere; vel ubi deeſt ſibi humanum conſilium, debet ſe per orationem ad Deum convertere. *Hanc quæſtionem inter quæſtiones ſuas optimè, & pleniſſimè tractat Gual.* ſed ego de ea brevitèr tranſeo gratia brevitatis.

Circà quartum reſpondeo. Lex iniqua ſuum conditorem à peccato non excuſat, ſed potiùs condemnat, *ſecundum illud Iſai. 10. Væ qui condunt leges iniquas.* Conſcientia autèm erronea eſt lex iniqua ab eo cujus eſt condita, & ideò ſimplicitèr non excuſat, ſed magis peccatum facit, vel aggravat, ad cujus evidentiam

Nota, quod triplicitèr errat conſcientia. Primò indifferentia judicans eſſe præcepta, vel prohibita. Secundò è converſo præcepta, vel prohibita judicans eſſe indifferentia. Tertiò judicans præcepta eſſe prohibitiones, vel è converſo. In primò caſu non excuſat, ſed illaqueat, & condemnat. In ſecundo, & tertio nota, quod conſcientia erronea includit duo, ſcilicèt conſcientiam putativam, & errorem. Ex primò excuſatur peccatum pro tanto, quià minus contemnit, quandò fornicari non credit eſſe peccatum, & ideò fornicatur; ſed pro tanto aggravat, quià libidinoſiùs, & ſecuriùs peccat: *Undè Jerem. 4. Sapientes ſunt, ut faciant mala.* Quoad ſecundum diſtinguitur, cum enim omnis errans ſit ignorans, *ut dicit Auguſt. in Euch. 17.* Triplex autèm eſt error, ſicut & ignorantia. Prima eſt ignorantia negationis, quæ dicitur ſimplex neſcientia mandatorum, & de hac *dicit Auguſt. lib. de gra. & lib. arb.* quod excuſat; ſed

ſed non ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat; ſi propterea non credidit, quia non audivit; ſed fortè ut minus ardeat: & ſic patet, quod non excuſatur à peccato mortali, ſed fortè ut minus ſit, & minùs puniatur, *fortè* dicit, quia licèt minus contemnat proptèr conſcientiam, tamen libidinoſiùs, & ſecuriùs ex hoc, peccato ſe immergit, & ideò tantùm nocet ex parte una, quantum excuſat ex altera. Secunda eſt ignorantia privationis, quia privat cognitionem eorum, quæ ſciri debent; & eſt eorum, qui ſcire nolunt, & hæc non excuſat; ſed accuſat; *undè Gloſ. Lucæ* 12. *ſuper illud: Servus, qui cognovit &c.* Qui ſcire nolunt, & poſſunt, non ignorantes, ſed contemptores judicantur. Tertia eſt ignorantia diſpoſitionis, ſcilicèt quandò quis non tantùm neſcit, nec ſcire vult, ſed etiàm diſpoſitionem, vel habitum ſcientiæ inducit, quia veritatem impugnat; De quibus *Job.* 24. *Ipſi rebelles ſunt lumini, neſcierunt vias ejus*; & hæc ignorantia eſt propriè in conſcientia erronea, quia dictat contrà prohibitiones, & præcepta, de qua 1. *Corint.* 14. *Scribo vobis Domini mandata, ſi quis ignorat, ignorabitur*; & hæc ignorantia adhùc minus excuſat, & plùs aggravat, & ideò conſcientia erronea ſimplicitèr non excuſat; in aliis tamèn magis aggravat, ſcilicèt quoad contemptum diſcendi, & libidinem delectandi. *Hęc Gual.*

Circà quintum reſpondeo quod ſic; plus enim ligat conſcientia recta, quàm erronea, quia ut dictum eſt ſuprà, recta per ſe ligat, & ſimplicitèr; erronea verò per accidens, & ſecundùm quid. Conſcientia autèm recta eſt, quandò Dei præcepto concordat; ſimplicitèr ergò ligat Dei præceptum plùs quàm conſcientia erronea.

Circà ſextum, reſpondet Gual. quod obediens Pręlato contrà conſcientiam, aut captivat cõſcientię judicium affectu, vel effectu, ut ſubdens ſe præcepto Pręlati; aut facit contrà conſcientiam, & affectum voluntatis, obediens Prælato timore animi, vel amore deordinato. In primo caſu faciens, contrà conſcientiam non peccat, ſed męretur, licèt non poſſit deponere conſcientiam, vel non deponat; ſicut non potens reſpondere rationibus contrà fidem, voluntatem tamèn captivans ille obediens Deo mæretur 2. *Cor.* 10. *Captivantes omnem intellectum in obſequium fidei.* In ſecundo caſu peccat, ſed minùs, quàm ſi faceret contrà Prælati pręceptum. Primò quià agens contrà Prælati præceptum magis contemneret Deum, quià contemnes Pręlatum, non autèm contemnens conſcientiam erroneam, contemnit Deum: *Undè Bern. de diſpen. & præ. cap.* 9. *Deus ſibi coequari, & quodammodò reputat Prælatorum reverentiam, & contemptum conteſtans in eis: Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit &c.*

Si dicatur, quod hoc eſt verum quandò conſcientia ſubditi ſcit præceptum Prælati eſſe ſecundùm Deum, quod neſcit errans.

Reſpondet *Bernar.* Quidquid homo vice Dei præceperit, quod non ſit certum Deo diſplicere, haud ſecùs omninò accipiendum, quàm ſi Deus pręciperet. Secundò, quià talis Prælatum, imò totum Colleggium magis offendit, & ſcandalizat, quàm ſi contrà conſcientiam faciat. Tertiò, quià ſe magis ad malum diſponit, ſcilicèt ad inobedientiam, & ab rebellionem, & ad ſequendum proprium ſenſum, & ad pervertendum veritatis judicium, *de quo Iſai.* 5. *Veh, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. Hæc Gual.*

ARTICVLVS III.

De bonitate voluntatis humanæ in comparatione ad voluntatem Divinam.

Circà tertium articulum quęritur

Utrùm bonitas voluntatis humanæ dependeat ex conformitate voluntatis divinæ?

Reſpondeo, quod ſic. Illud enim, quod eſt primum in quolibet genere eſt menſura, & ratio omnium, quæ ſunt illius generis; unum quodque autèm rectum, & bonum eſt, inquantum attingit ad propriam menſuram; & ideò ad hoc, quod voluntas hominis ſit bona requiritur, quod conformetur voluntati divinæ, tanquàm propriæ menſuræ, cum ipſa ſit prima, & ſumma voluntas; Et hæc conformitas attenditur in volito, ſcilicèt ut homo velit illud, quod ipſe ſcit Deum velle, quod ipſe homo velit. Scimus autèm quod Deus quicquid vult, ſub ratione boni vult, & per conſequens ſcimus, quod ipſe vult hominem velle, quidquid vult ſub ratione boni; & ideò quicumque vult aliquid ſub qualicumque ratione boni, habet voluntatem conformem divinæ voluntati, quantum ad rationem voliti; ſed in particulari neſcimus, quid Deus velit; & quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati divinæ. In ſtatu tamèn gloriæ omnes ſcient Dei voluntatem, non tantùm in communi; ſed etiàm in particulari, & ideò conformabunt voluntatem ſuam voluntati divinæ, non tantùm in communi, ſed etiam in ſpeciali; *Hæc Thom.* 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 10. *c.*

Notandum verò, quod ſecundùm aliquos neceſſe eſt conformare voluntatem noſtram voluntati divinæ ſolum quantum ad illa volita, quæ nobis exprimuntur à Deo ſigno præcepti explicitè, vel implicitè; & hoc ſufficit ad ſalutem, *cum Chriſtus dicat Matth.* 19. *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Quantùm autèm ad illa, quę nobis exprimuntur ſigno conſilii, eſt congruum non neceſſarium; & pro hac opinione videtur facere, *quod dicit Auguſt. in Ench. cap.* 60. *Aliquandò bona voluntate vult homo, quod non vult Deus, ſicut homo vult patrem ſuum vivere, quem Deus non vult vivere. Preterà Deus vult aliquos homines damnari, nullus autèm tenetur velle damnari.* Alii dicunt, quod voluntate deliberativa tenemur velle abſolutè, & omnibus pen-

penſatis, quicquid ſcimus Deum velle voluntate abſoluta omnibus penſatis, dùm tamèn nobis congruat illud velle, & dicunt hoc implicari in radice Decalogi, quæ eſt amor Dei; & pro hac opinione videtur facere *Gloſ. ſuper illud Pſal. Non adhæſit mihi cor pravum*, ideſt *cor ſuum*, quod habet homo, qui non vult omnia, quę Deus vult. Sed qui vult primam opinionem tenere, poteſt ad iſtam Gloſ. reſpondere; quod loquitur de voluntate præcepti, & non ſigni. Qui verò vult tenere ſecundam opinionem, reſpondere poteſt ad authoritatem *Auguſt.* quod loquitur de his, quę velle nobis non congruit. Ad illud verò, quod dicitur, *quod nullus tenetur velle damnationem*, poteſt dici, quod hoc eſt verum, quià hoc velle non congruit homini. Quidam tamèn dicunt, quod licèt non teneatur velle, habendo reſpectum ad ſuam naturam, & abſolutè, tenetur tamèn hoc velle ſub conditione hac, ſcilicèt, ſi decedat in mortali. *Hæc Pet. in diſt.* 48. *quæſt.* 2. *art.* 2. *c.* Vel poteſt dici *ſecundùm Thom.* 1. 2. *q.* 19. *art.* 10. *cap.* 2. quod Deus non vult alicujus damnationem, vel mortem, niſi ſub ratione juſti. Undè ſufficit in talibus, quod homo velit juſtitiam Dei, & ordinem naturę ſervari.

Sed numquid tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati divinę in forma volendi, ſcilicèt in charitate?

Ad hoc reſpondet *Alex. Lomb.* 1. *diſ.* 48. *quæſt. unica art.* 3. *c.* quod homo non tenetur ad hoc abſolutè, quià ſi homo diligat non ex charitate, ſed ex benevolentia naturali, non peccat, ſed tenetur conditionalitèr, ſcilicèt ſi vult mereri vitam æternam, *& conſimilitèr reſpondet Pet. in diſ.* 48. *quæſt.* 2. *ar.* 1. *c.*

TITVLVS IV.

De bonitatè, & malitia, quantum ad actus exteriores.

DEindè conſiderandum eſt de bonitate, & malitia quantum ad actus exteriores. Propptereà ſit

Articulus Unicus.

Vtrùm bonitas, & malitia propriùs ſit in actu voluntatis interiori, quam in actu exteriori.

AD hujus evidentiam ſciendum, quod aliqui actus exteriores poſſunt dici boni, vel mali duplicitèr. Uno modo ex ordine eorum ad finem, ut dare eleemoſynam proptèr Deum, dicitur eſſe bonum, & dare eleemoſynam proptèr vanamgloriam dicitur eſſe malum, & hæc bonitas, vel malitia propriùs invenitur in actu interiori voluntatis, cujus proprium objectum eſt finis, & ex eo derivatur ad actum exteriorem. Hæc autèm bonitas, vel malitia actus exterioris tota dependet ex voluntate. Eſt etiàm omninò eadem circumſtantia actus voluntatis interioris, & actus exterioris, quandò dicitur bonus, vel malus ſolum ex ordine ad finem. Sicut potio amara ex hoc ſolo eſt bona, quod eſt ſanativa: undè eadem eſt bonitas ſanitatis, & potionis: *Undè dicit Auguſt. lib. retractation. quod voluntas eſt, qua peccatur, & qua rectè vivitur.* Alia bonitas, vel malitia actuum exteriorum eſt, quam habent ſecundùm ſe, ſcilicèt ſecundùm genus ſuum, & ſecundùm circumſtantias in ipſis conſideratas, ut dare eleemoſynam ſervatis debitis circumſtantiis, dicitur eſſe bonum; & hæc bonitas, vel malitia non derivatur, nec dependet à voluntate, ſed à ratione, ex qua etiàm dependet bonitas voluntatis, ſecundùm quod in ipſam refertur; undè ſi conſideretur bonitas exterioris actus ſecundùm quod eſt in ordinatione, & apprehenſione rationis, eſt prior, quàm bonitas actus voluntatis; ſecundùm tamèn, quod eſt in executione operis ſequitur bonitatem voluntatis, quæ eſt principium ejus, & hanc bonitatem, vel malitiam, quandò eſt actus exterior, habet tunc. Alia eſt bonitas actus exterioris, & alia eſt bonitas voluntatis, quæ eſt ex fine, ita quod bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem, & bonitas actus exterioris ſecundum ſe redundat in actum voluntatis, ut dictum eſt, & idem eſt de malitia; ſicut medicina ſaporoſa prætèr hoc, quod eſt ſanativa, habet rationem delectabilis. Si ergò voluntas eſt bona ex objecto, & ex fine, exterior actus eſt bonus; ſed ſi voluntas ſit mala ex intentione finis, vel ex actu volito, actus exterior erit malus, quià ut dicit *Dionyſius de divinis nominibus: bonum eſt ex tota cauſa, malum ex defectu partis. Hæc Thom.* 1. 2. *quæſt.* 20. *art.* 1. *c.*

Sciendum autèm, quod licèt quandoquè ſit alia, & alia bonitas, vel malitia interioris actus voluntatis, & actus exterioris; uterque tamèn actus, prout conſideratur in genere moris ſunt unus actus. Undè actus exterior malus, eſt unum, & idem peccatum formalitèr cum illo actu voluntatis interiori, à quo cauſatur, quià actus exterior non eſt moralis, niſi per comparationem ad actum voluntatis, & rationis. Si enim perfectè furioſus cum perfecta furioſa carnalitèr copuletur, ille actus non erit in genere moris; undè non erit moralitèr bonus, nec malus. *Hæc Ric.* 2. *diſt.* 42. *quæſt.* 1. *art.* 1. *c.*

Sed numquid exterior actus addit in bonitate, & malitia ſuper actum interiorem?

Reſpondeo, quod non, loquendo de bonitate, & malitia exterioris actus, quam habet ex voluntate finis: & hoc dico niſi contingat ipſam voluntatem ſecundum ſe fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis; quod videtur poſſe cotingere triplicitèr. Uno modo ſecundùm numerum, ut cum quis vult facere aliquid bono fine, vel malo, & tunc non facit, poſteà verò vult, & facit

facit, duplicatur actus voluntatis; & ſic ſit duplex bonum, vel duplex malum. Alio modo quantum ad extenſionem, ut cum quis aliquid facere vult bono fine, vel malo, & propter aliquod impedimentum deſiſtit; alius autèm voluntatis motum continuat quouſque opere perficiat, manifeſtum eſt, quod voluntas hujus eſt diuturnior in bono, vel malo, & ſecundùm hoc pejor, vel melior. Tertio modo quantum ad intenſionem: Sunt enim quidam actus exteriores, qui inquantum ſunt delectabiles, vel pœnales nati ſunt intendere, vel remittere voluntatem; contingit autèm, quod quantò voluntas intenſiùs tendit in bonum, vel malum, tantò eſt pejor, vel melior. Loquendo autèm de bonitate, vel malitia actus exterioris, quam habet ſecundùm materiam, & circumſtantias, ſic comparatur ad voluntatem, ut terminus, & finis, & ſic addit ad bonitatem, & malitiam voluntatis, quià omnis inclinatio, vel motus perficitur in hoc, quod ſequitur finem, vel attingit terminum; undè non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ opportunitate habita operetur. Si verò poſſibilitas deſit, voluntate exiſtente perfecta, ità quod operaretur, ſi poſſet, defectus perfectionis, qui eſt ex actu exteriori, eſt ſimplicitèr quid involuntarium. Involuntarium autèm, ſicut non meretur pœnam, vel præmium in operando bonum, vel malum; ità etiàm non tollit aliquid de præmio, vel pœna, ſi deficiat ſimplicitèr involuntariè ad faciendum bonum, vel malum. *Hęc Thom. 1. 2. quæſt. 20 art. 4. c.*

Undè nota *ſecundùm Gual. in 2. & Alex. Ang. in 3. de præceptis ordin. motus concupiſcibilis quæſt. 2. o. & ſumunt ab Auguſt. ſuper Gen. & concordant cum præmiſſis*, quod duplex eſt voluntas mala, ſcilicèt incompleta, vel ſemiplena, quæ non exit in opus malum, etiamſi habeat facultatem temporis, & loci opportunitatem; & completa, ſivè plena, quæ exit in opus malum, ſi tempus habeat, & locum. Ad primam addit opus malum, quià auget conſenſum, & contemptum; ad ſecundam addit opus malum, quià auget libidinem, quantum ad genus peccati carnalitèr; & quandoquè etiàm infertur nocumentum, maximè quantum ad peccatum, quod committitur in proximum. Talis enim non minùs contemnit intenſivè ſola voluntate; quàm voluntate, & opere, ſed tantùm extenſivè: Intenſivè tamèn eſt libido major in executione. De voluntate primo modo dicta intelligitur *Gloſ. ſuper illud Pſal. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum. Qui opus addit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.* Sed de voluntate ſecundo modo dicta intelligitur *Gloſ. ſuper illud Pſal. Etenim in corde iniquitates operamini in terra. Si vis, inquit, & non potes, Deus reputat factum. Hæc Gual.* De hoc *Bon. optimè loquitur lib. 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 2. c.*

Numquid eventus ſequens addit ad bonitatem, vel malitiam actus exterioris?

Reſpondeo, eventus ſequens, aut eſt præcogitatus, aut non; ſi ſic, addit; cum enim quis cogitat, quod ex opere ſuo multa mala ſequi poſſunt, nec proptèr hoc dimittit; ex hoc apparet, quod ejus voluntas eſt deordinata. Si verò non ſit præcogitatus, aut per ſe ſequitur, & ut in pluribus, & tunc addit; conſtat enim actum eſſe meliorem ex genere ſuo, ex quo ſequi poſſunt plura bona; & pejorem, ex quo ſunt nata ſequi plura mala. Aut ſequitur per accidens, & ut in paucioribus, & tunc non addit. Non enim judicatur de re aliqua ſecundùm illud, quod eſt per accidens; ſed tantùm ſecundùm illud, quod eſt per ſe. *Hæc Thom. 1. 2. quæſt. 20. art. 5. c.*

TITVLVS V.

De merito, & demerito actionis humanę.

POſteà conſiderandum eſt de his, quę conſequuntur actus humanos ratione bonitatis, vel malitiæ.

Circà quod brevitèr tenendum, quod actus bonus, vel malus habet rationem culpabilis, & laudabilis ſecundùm quod eſt in poteſtate voluntatis; rationem verò rectitudinis, & peccati ſecundùm ordinem ad finem. Quandò enim actus hominis tendit in finem debitum ſecundùm ordinem rationis, & legis æternæ, tunc eſt rectus; quandò verò deviat ab illo ordine, tunc habet rationem peccati. Habet etiàm actus bonus, vel malus rationem meriti, vel demeriti, & hoc ſecundùm rationem juſtitiæ in comparatione ad alterum, ſcilicèt ad Deum; aliàs ſequeretur, quod Deus non haberet curam de actibus humanis. His ergò præſuppoſitis, ſit

ARTICULUS UNICUS.

De actibus bonis, & malis per comparationem ad meritum, & demeritum.

CIrcà hunc articulum quęruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm actus exterior bona intentione factus ſit meritorius?

II. Utrùm agens tantùm mereatur, quantum intendit mereri per bonitatem ſui actus?

III. Utrùm ultrà bonę intentionis meritum addat aliquod meritum exterior actus?

IV. Utrùm peccans plùs demereatur per actum voluntatis interiorem inordinatum, & per actum exteriorem ſimul, quam per actum interiorem tantùm?

V. Utrùm ſola intentio recta ſinè opere exteriori ſufficiat ad meritum?

VI. Utrùm ad meritum ſufficiat intentio ſecundùm habitum?

Circà primum reſpondeo. Intentio poteſt eſſe motus, ſivè motivum voluntatis ordinantis actum exteriorem in finem; & ſic omnis actus exterior

terior

terior bona intentione factus, eſt meritorius; quia ille motus nunquàm eſt bonus, niſi ſit ordo rectus; & ad hoc, quod ſit ordo rectus requiritur, quod ſit actus ordinabilis, & quod voluntas ſit ordinans; & quod ſit finis bonus, & in ſe, & in ratione finiendi; hoc eſt, quod ſit melior his, quę ſunt ad finem, & talis, ad quem actus debet dirigi ſecundùm rectum judicium rationis. Alio modo intentio poteſt dicere finem intentum; & ſic non omnis actus exterior bona intentione factus eſt meritorius, ſed tantum illi actus, qui ſunt de genere bonorum, vel illi, qui de ſe ſunt indifferentes, qui quandoquè poſſunt eſſe meritorii ratione finis intenti. *Undè dicit Phil. 2. Eth. quod quædam mox nominata convoluta ſunt cum malitia*; Et poſteà ſubdit: *Non eſt igitùr circà hæc dirigere, ſed ſemper peccare. Hęc Ric. 2. diſt. 40. quęſt. 1. art. 1. c. & Bonav. 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 1. c.*

Quo ad ſecundum dico: Agentem tantum mereri, quantum intendit, duplicitèr poteſt intelligi; Uno modo, ità quod actus tantum valeat ad meritum, quantum agens credit valere ipſum, & ſic non eſt verum. Alio modo, quod quanta eſt bonitas actus intentionis, tantum actus exterior valeat ad meritum; & hoc eſt verum. Ipſa autèm intentio ſępè major eſt in bonitate in eo, qui ſuum actum non tantum credit valere, quàm in illo, qui ſuum actum magis credit valere.

Si ergò objiciatur Gloſ. *ſuper illud Matth. 12. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona*; quę dicit: *tantum boni quis facit, quantum intendit*; Dicendum, quod ſic debet intelligi, ſecundum quod bonus eſt actus intendendi, tantum eſt bonus actus exterior elicitus ex illa intentione, quià per intentionem eſt bonitas moralis in eo. *Hac Richar. 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. c.*

Inſuper nota, quod quantitas intentionis triplicitèr poteſt intendi; Uno modo quantum ad quantitatem, vel fervorem affectus intendentis; & ſic quantitas intentionis menſurat meritum, quià ex quanto affectu charitatis opus bonum facis, tantùm mereris, quià meritum penſatur pœnès charitatem. Alio modo quantum ad quantitatem operis intenti, & ſic non menſurat, quia tunc dives avarus dans denarium plùs meretur, quàm liberalis habens charitatem dans centum denarios. Tertiò, quantum ad quantitatem finis, ſic etiàm non menſurat, quià Deus eſt omnium meritorum finis ultimus, qui non eſt aliquandò major, aliquandò minor; *ſecundùm autèm Bonav. 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. c. hæc Gloſ. ſcilicèt, quantum quis intendit, tantum facit, eſt duplex*, ex eo quod hii *tantùm, & quantùm* poſſunt eſſe adverbia, vel nomina; ſi enim ſunt adverbia, dicunt quantitatem actus intendendi, & faciendi; & tunc eſt locutio generalitèr vera, ſivè reſpectu bonorum, ſivè malorum, quià quantum actus intendendi eſt intenſior in bonitate, vel malitia, tantum operatio exterior eſt bona, vel mala. Omne enim meritum, vel demeritum reducitur ad actum voluntatis, licèt aliquo modo circumſtantiæ exteriores faciant ad majorem voluntatis damnationem. Si autèm ſint nomina, dicunt quantitatem ex parte intenti, & operati, & tunc non eſt generalitèr vera, quià opus exterius factum non ſempèr commenſuratur intentione. Sępò enim intendit homo facere bonum magnum, & facit parvum, quià parvam habet charitatem. Eſt autèm aliquo modo vera in malis, ſcilicèt intendendo, non diminuendo, & ſecundum quod *tantùm, & quantum* dicunt quamdam comparationem proportionalitatis, non commenſurationem ęqualitatis. Undè qui intendit multum peccare, multum peccat, qualecumque opus faciat; non tamèn qui parum intendit, parum peccat; maximè ſi opus multum deforme fuerit. Ex prędictis patet quomodò intelligitur *Gloſ. ſuper illud Matth. 12. Bonus homo de bono theſauro &c. ſcilicèt quantum*, inquit, *bonum intendis, tantum facis*.

Ad tertium reſpondeo. Ad pręſens poſſumus loqui de merito duplicitèr, ſcilicèt reſpectu præmii ſubſtantialis, vel accidentalis. Reſpectu præmii accidentalis exteriores actus aliquam rationem meriti addunt interiori intentioni. *Undè Gloſ. ſuper illud ad Gal. 6. Tempore ſuo metemus*, dicit, quod quantum ſeminamus in operibus, tantum metemus in fructibus. Reſpectu autèm præmii ſubſtantialis, videtur, quod actus exteriores non addant aliquam rationem meriti, niſi diſpoſitivè, ſcilicèt inquantum eleemoſynæ multiplicant interceſſores pro dante. *Thob. 12. eleemoſyna à morte liberat. Et Proverb. 3. redemptio animæ divitis divitiæ ejus*; & inquantùm exteriores actus excitant actum voluntatis interiorem ab bonum, & per conſequens valent ad gratiæ radicationem, & converſationem; quibus ſcilicèt gratiæ habitui, & interioribus actibus ejus præmium ſubſtantiale debetur. *Hæc Ricar. 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 4. c. De hac materia optimè, & copiosè tractat Bonaventura in 2. diſt. 40. quæſt. 2. in tribus articulis ultimis.*

Circà quartum reſpondeo; Si voluntatis actus interior ſit ęquè intenſus in deordinatione ſua ſinè actu exteriori, ſicut cum ipſo, non magis demeretur peccans per utrumque eorum ſimùl, quàm per interiorem tantùm, quem opere complere non poteſt; & hoc dico loquendo de demerito intenſivè, quià tunc non eſt major contemptus in utroque ſimul, quàm in interiori per ſe. Dicunt tamèn aliqui, quod malus actus exterior addit demeritum malo actui interiori reſpectù alicujus pœnæ accidentalis, ſaltèm loquendo de actu exteriori, qui eſt malus ex genere, proptèr tranſitum ejus ſuper objectum indebitum: Undè in damnatis plùs remurmurabit conſcientia contrà eum, qui voluit innocentem occidere, & occidit, quàm contrà eum, qui voluit innocentem occidere, & non potuit: ſuppoſito,

poſito, quod fuerint pares in mala voluntate. Si autèm loquamur de demerito extenſivè, plùs demeretur homo per utrumque ſimul, quàm per interiorem tantùm, quià pluribus nocet, & plura mala infert, & plùs delectat peccantem. *Hæc Ricc. 2. diſt. 42. quæſt. 1. art. 2. c.*

Circà quintum reſpondeo: Aut homo habet facultatem faciendi opus exteriùs, quod præceptum eſt, aut non; Si ſic, plena voluntas ponit effectum ſi adſit facultas, aliàs ſi non ponit, cum poſſit, non vult plenè; ſed ſemiplenè, et pigrè: ſicut piger, qui vult, et non vult Et *dicit Greg. in quadam Homil.* quod nemo de bona voluntate ſibi blandiatur; imò de dilectione Dei mens, lingua, et manus requiratur. Diſtingue tamèn, quià aut ei occurrit tempus, et locus neceſſariò implendi præceptum, putà, quià vult eleemoſynam dare, et occurret ei aliquis, cui videt neceſſitatem extremam probabilitèr imminere, niſi ſubveniat ei; et tunc ſola intentio non ſufficit ad meritum: imò etiàm talis tranſgreditur mandatum. Aut non occurrit ei tempus neceſſitatis, ſed indigentiæ rationabilis, vel congruitatis; et tunc etiàm intentio ſola ei non valet ad meritum, liberat tamèn eum à trangreſſione, quià pręcepta affirmativa non obligant niſi pro tempore neceſſitatis. Si autèm homo non habeat facultatem operandi, tunc ſola bona intentio ſinè opere exteriori ſufficit ad meritum ſubſtantialis prę mii, non autèm accidentalis. Deus enim neminem obligat ad impoſſibile: et de tali poteſt intelligi illud *Greg. in quadam homil. Non eſt manus vacua à munere, ſi cordis arca repleta fuerit bona voluntate. Hæc Ricar. 2. diſ. quæſt. 1. ar. 1. c.*

Circà ſextum reſpondeo. Intentio ſecundùm habitum poteſt intelligi triplicitèr. Vno modo ità quod conſiſtat in ſolo habitu reſpectu principii operationis, et continuationis ejus, uſque in finem, et hoc non ſufficit ad meritum, quià non eſt ipſius operationis principium. Alio modo ità quod illa intentio ſit actualis reſpectu principii operationis, non tamèn reſpectu totius continuationis ejus uſquè in finem; et ſic dicunt quidam, quod tota operatio eſt meritoria in virtute actus ipſius intentionis, per quam illa operatio fuit incepta. Tertio modo ità quod ſit in actu reſpectu principii operationis explicitè, ità quod explicitè intendat operationem incipere, et complere; ſed reſpectu totius continuationis non manet intentio in actu explicitè, ſed implicitè; ſicut homo in volendo quidquid eſt ad finem actualitèr, implicitè tamèn vult ipſum finem. Et ſic dicunt quidam eſſe neceſſarium ad hoc, quod tota operatio ſit meritoria, quod illa intentio ſit in actu explicitè, vel implicitè per totam operationem à principio, uſque ad finem. *Hæc Ricc. 2. diſ. 41. quæſt. 1. ar. 2. c. Secundùm autèm Bon.* ad hoc, quod aliqua operatio ſit meritoria, ſufficit relatio ejus habitualis in Deum; Et poteſt dici hæc relatio habitualis duplicitèr. Uno modo, quandò quis operationem aliquam refert ad Deum actualitèr in principio illiùs operationis, vel etiàm alterius, ad quam illa conſequentèr ſe habet. Si autèm operationem alterius generis inciperet, oporteret, quod intentionem renovaret ad hoc, quod eſſet meritoria. Alio modo dicitur hæc relatio, ſivè intentio habitualis, quandò non eſt præcogitatio in actu de Deo, ut cum ex ſola conſideratione boni operis, ipſa charitas prompta, vel aliqua alia virtus charitate informata ad illud opus inclinat; ut cum vir religioſus obedit Prælato ſibi præcipienti, etiamſi nihil cogitet de Deo, ſed tantùm conſideret obedientiæ bonum. *Hæc Bonav.*

TITVLVS VI.

De vitiis, & peccatis in communi.

DEindè conſiderandum eſt de habitibus malis, hoc eſt de vitiis, & peccatis in communi; & eſt habitus, pro ut de eo hic loquimur, qualitas de difficili mobilis. Eſt autèm aliquis habitus bonus, aliquis malus. Habitus bonus dicitur, qui diſponit ad actum convenientem naturæ; Sicut actus virtutum humanæ naturæ conveniunt, quia ſunt ſecundum rationem; Actus verò vitiorum humamanæ naturę diſconveniunt, quià ſunt contrà rationem. Dicendum autèm eſt primò hìc de vitiis, & peccatis in communi. In ſpeciali verò conſiderabitur de eis infrà, cum tractabitur de virtutibus in ſpeciali, ubi juxtà unamquamque virtutem ſpecialem agetur de ſpeciali vitiò ſibi oppoſito, pro eo quod oppoſita juxtà ſe poſita magis eluceſcunt.

Circà vitia autèm, & peccata in communi conſiderandum eſt primò de ipſis. Secundò de ſubjecto peccati. Tertiò de cauſa ejus. Circà primum; Primò videndum eſt, quid ſit peccatum. Secundò de diviſione peccati. Tertiò de comparatione peccatorum ad invicem. ideò ſit

ARTICULUS I.

Quid ſit peccatum.

QUantum ad primum ſciendum eſt, quod *ſecundum Auguſt. 22. lib. contrà Fauſtum. Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contrà legem Dei*, & ſic hæc definitio eſt peccati actualis mortalis, quià eſt peccati actualis. Dicitur ibi, quod eſt dictum, vel factum, vel concupitum ſecundùm actum triplicis potentiæ, ſcilicèt interpretativę, operativæ, & affectivæ; quià verò eſt mortalis dicitur ibi, quod eſt contrà legem Dei. Peccatum enim veniale dicitur peccatum ſecundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale, non enim eſt contrà legem Dei, quià venialitèr peccans non facit, quod lex prohibet, nec etiàm præter-

y Google

termittit illud, ad quod lex obligat per preceptum; ſed facit prætèr legem, quià non obſervat modum rationis, quem lex intendit: Tenetur autèm ibi ſimul, vel diſiunctivè, ſed membrum ultimum intelligitur præcisè, reliqua verò minimè: Undè ſenſus eſt, quod omne peccatum, aut eſt dictum, aut concupitum, aut factum; aut factum, & concupitum; aut concupitum tantùm. Intelligitur autèm dicta deffinitio de peccato commiſſionis, non de peccato omiſſionis; vel ſumitur ibi factum communitèr, prout extenditur, ad operationem, & ad ceſſationem ab opere, ſecundùm quem modum homo nihil operans, requiſitus quid faciat, reſpondet ſe quieſcere. *Hęc Ricc. 2. diſ. 35. in expoſitione literæ.*

Poteſt autèm hic quæri utrùm omne peccacatum ſit voluntarium?

Reſpondeo quod ſic. *Undè August. lib. 1. tetractat. cap. 12. & lib. de vera religione.* peccatum inquit eſt adeò voluntarium, quod ſi non ſit voluntarium, non eſt peccatum. Nàm peccatum originale eſt voluntarium voluntate aliena, ſcilicèt Adæ. Peccatum verò actuale mortale eſt voluntarium voluntate propria, ſcilicèt peccantis. Veniale verò quoddam eſt voluntarium voluntate propria, & ſimplicitèr, ut illud, quod fit ex deliberatione, ſicut mendacium jocoſum; quoddam eſt voluntarium medio modo, ſcilicèt partim voluntate, ſcilicèt Adæ, qui illud deliberativè voluit, ex quo corruptio ſequuta eſt, ex qua etiàm in nobis oriuntur motus inordinati, qui dicuntur eſſe peccata venialia; partim voluntate propria, ut illud, quod conſurgit ex repugnantia carnis ad ſpiritum, vel corruptionis virium animę. Tale enim peccatum, etſi non ſit à voluntate propria antecedente, oritur tamèn à voluntate concomitante, & non prohibente, vel non præcavente, cum poſſit pręcavere, vel prohibere. Licèt enim ſit ſtatus aliquis in quo neceſſe eſt, aliquem in aliquod peccatum determinatum cadere, potuit tamèn illum ſtatum præcavere, & ideò ſi non præcavit, imputatur ejus voluntati, licèt illud tunc prohiberi non poſſit: ideò dicitur voluntarium quodammodo, ſivè interpretativè, *& ſecundùm Auguſt.* quodammmodò tenet rationem culpæ, quodammodo pœnæ; undè dicit, quod quià homo peccatum vitare non voluit, dum potuit; inflictum eſt ei, ut cum vult vitare, non poſſit.

Si objiciatur, quod *ſuper illud Proverb. 24. ſeptiès in die cadit juſtus, dicit Gloſ. Singulis diebus per neceſſitatem, vel fragilitatem carnis, vel volentes, vel inviti peccamus;* Dicendum, quod ibi dicitur invitus aliquis peccare non per omnimodam voluntatis privationem, ſed per privationem voluntatis plenæ, ſivè complacentiæ: ſæpè enim diſplicet nobis, quod ſic inordinatè movemur. Loquitur etiàm de neceſſitate venialium generalitèr, quantum ad omnia venialia, non quantum ad hoc, vel illud determinatè, vel etiàm quantum ad aliquod genus venialis; ut in juvene forti, qui non poteſt omninò vitare motus carnis, licèt vitare poſſet hac hora, vel illa, & hunc motum, vel illum. *Hæc Bon. in 2. diſ. 41. q. 2. art. 1. c.* Exemplum hujus eſt in nave exiſtente in mari perforata in pluribus locis, cujus quidem nauta poteſt quodlibet foramen ſibi demonſtratum obturare, non omnia ſimul, & ideò licèt poſſet prohibere introitum aquæ per unum foramen, non tamèn omnem aquæ introitum, quià dùm unum obturat, aqua per aliud intrat. Dicitur autèm omne peccatum voluntarium, quià cauſalitèr ſolus actus voluntatis, qui eſt velle, eſt peccatum; formalitèr tamèn, & quaſi eſſentialitèr eſt peccatum non tantum actus voluntatis, ſed etiàm aliarum virium animæ, quæ poſſunt elicere per habitum vitii in ſe exiſtentem actum vitioſum. Intrumentalitèr verò, & materialitèr actus organorum, & actus in materia recepti, ut homicidium, fornicatio ſunt peccata; Ratio hujus eſt, quià peccatum eſt averſio à Deo, & converſio deordinata ad creaturam: *Undè Auguſt. dicit lib. de liber. arb.* quod peccatum eſt ſpreto incommutabili bono mutabilibus rebus adherere. Non ſolum autèm voluntas, ſed etiàm intellectus per actum ſuum putà, diſcredendo avertit ſe à Deo, & convertit ſe ad creaturam inordinatè. Similitèr iraſcibilis, & concupiſcibilis, licèt ſecundùm ſe non avertant ſe à Deo, quià Deum ſecundùm quod ſunt vires ſenſitivæ, non attingunt; tamèn in quantum à voluntate moventur, & in quantum aliquod contrà Dei præceptum attingunt, quaſi in alio, & per aliud ſe à Deo avertunt. *Hæc Gual.*

Adhuc nota, quod aſſignari poteſt differentia intèr vitium, peccatum, culpam, & demeritum, licèt ſępè unum pro alio ſumatur. Vitium enim eſt carentia habitualis diſpoſitionis convenientis naturæ rei. *Undè dicit Auguſt. 3. de liber. arb. quod perfectæ naturæ deeſſe perſpexeris, illud voca vitium.* Peccatum verò eſt carentia actus debiti, quoad peccatum omiſſionis, vel carentia rectitudinis in actu, ex eo, quod declinat à regula ſua. Culpa autèm eſt in actu non recto, in quantum eſt in poteſtate voluntatis. Demeritum verò eſt culpa per comparationem ad retributionem.

ARTICVLVS II.

De diviſionibus peccatorum.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de diviſione peccati. Circà quod eſt ſciendum, *quod Magiſter ſententiarum lib. 2. diſ. 42. innuit* ſeptem diviſiones peccati ſecundùm ejus comparationem ſeptuplicem. Poteſt enim comparari peccatum. Primò ad cauſam, ex qua habet ortum, & ſic dividitur in originale, & actuale. Secundò ad pœnam, ad quam terminatur, & ſic dividitur in mortale, & veniale; Quando enim quis pec-

can-

cando ab ultimo fine avertitur, quantum eſt ex natura peccati, & virtute peccantis irreparabilitèr labitur, quià principium vitæ ſubtrahitur: & ideò ille dicitur peccare mortalitèr, æternalitèr puniendus. Qui verò peccat citrà averſionem à Deo ex ipſa ratione peccati reparabilitèr deordinatur, quià principium vitæ ſalvatur, ideò dicitur peccare venialitèr, quià ſcilicèt non ità peccat, quod pœnam interminabilem mereatur. *Undè Aug. ſuper Joan Crimen eſt, quod damnationem mereatur, veniale autèm eſt, quod non meretur damnationem*. Crimen nominat peccatum mortale. Opponuntur igitùr mortale, & veniale, ſicut reparabile, & irreparabile. Hoc dico per principium interius, non autèm per comparationem ad divinam virtutem, quæ reparare poteſt omnem infirmitatem. Tertiò comparatur peccatum ad motivum, & ſic dividitur in peccatum ex amore malè inflammante, & peccatum ex timore malè humiliante; quæ diviſio ponitur *ab Auguſt. ſuper illud Pſal. incenſa igni, & ſuffoſſa*, utrumque tamèn horum reducitur ad amorem ſui: Ideò enim homo vel bona appetit, vel mala refugit, quià ſe diligit: *Undè dicit Auguſt. 14. de Civit. Dei c. ult.* quod Civitatem Babilonis facit amor ſui uſque in contemptum Dei. Quartò comparatur ad actum ſubſtratum, & ſic dividitur in peccatum cordis, oris, & operis *ſecundùm Hieron. ſupèr Eccl.* Quintò comparatur ad perſonam offenſam, & ſic eſt diviſio peccati in Deum, in ſe, & in proximum, *ut habetur etiam ab Iſi. in lib. de ſum. bon.* Sextò comparatur ad præceptum, cui opponitur, & ſic dividitur in delictum, & commiſſum, ſivè in peccatum omiſſionis, & commiſſionis. Primum eſt contrà præceptum affirmatiuum. Secundum contrà negativum. Et eſt delictum, carentia actus debiti. Commiſſum verò eſt carentia boni debiti in aliquo actu voluntatis: Undè non opportet, quod delictum materialitèr conſiſtat in aliquo actu, quià non oportet, quod carentia actus debiti conſiſtat in aliquo actu ſubſtrato illi carentiæ. Nec etiàm *ſecundùm Ric. 2. diſ. 35. quæſt. 1. art. 1. c.* Delictum præſupponit neceſſariò, vel includit aliquem actum, tanquàm ſui cauſam, vel occaſionem.

Sed objicitur contrà hoc, quià delictum eſt peccatum actuale, ergò conſiſtit in aliquo actu. Præterèa omne peccatum eſt voluntarium, ergò conſiſtit in aliquo actu voluntatis.

Reſpondeo, peccatum actuale, ſecundùm quod dividitur contrà originale, non eſt tantùm actus deformitatis; ſed etiàm omiſſio actus debiti pro tempore, quo debetur. Voluntarium etiàm non tantùm dicitur actus voluntatis, ſed etiàm illud, quod eſt in potentia noſtra ut fiat, vel non fiat *ex 3. Ethi. cap.* 8. undè ipſum velle dici poteſt voluntarium, in quantum eſt in poteſtate voluntatis velle, & non velle. Septimò comparatur peccatum ad vitia, quæ oriuntur ex ipſo, & ſic dividitur in ſeptem vitia capitalia, de quibus require infrà, ubi agetur de cauſa peccati, ſecundùm quod unum peccatum eſt cauſa alterius.

Inveniuntur etiàm, & aliæ diviſiones, quæ tamèn ad has poſſunt reduci, ut illa, qua dividitur *1. Joan. cap. 2.* in concupiſcientiam carnis; concupiſcientiam oculorum; & ſuperbiam vitæ, reducitur ad illam, quæ eſt ex parte motivi. Similitèr illa, qua *Iſid.* dividit peccatum in peccatum, ex malitia, ex infirmitate, & ex pigritia, de quibus infrà dicetur. Illa verò diviſio, qua Greg. 21. *Moralium*, dividit peccatum, in peccata carnalia, & ſpiritualia, reducitur ad illam, quæ ſumitur penès actus ſubſtratos, & ſecundùm quod *dicit idem Greg. ſeptem capitalium vitiorũ quinque ſunt ſpiritualia, & duo carnalia*. Peccata quidèm ſpiritualia dicuntur, quæ perficiuntur in delectatione ſpirituali; carnalia verò, quę in carnali, ut gula, & luxuria. *Undè 2. Corinth. 7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus &c. Similitèr ad Galatas 5. ubi dicitur. Manifeſta ſunt opera carnis &c.* Caro *ſecun.* Gloſ. *ibidem*, ſumitur pro homine carnali vivente; & ideò illa dicuntur opera carnis, quià fiunt à carnali homine; dicitur autèm ſpecialitèr de luxuria *1. Cor. 6. qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*; quià etiam in hoc peccato quædam injuria fit corpori, dùm inordinatè maculatur. Avaritia verò, quæ cum peccatis carnalibus numeratur *ad Eph. 5.* accipitur inquantum res, in qua delectatur avarus, eſt corporalis; ſed ipſa delectatio pertinet ad ſpiritum, & ideò *ſecundùm* Greg. eſt ſpirituale peccatum.

ARTICULUS III.
De comparatione peccatorum ad invicem.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de comparatione peccatorum ad invicem. Circà quod nota, quod unum peccatum dicitur majus, vel gravius alio duodecim modis. Primo cauſalitate, ut peccatum Diaboli, cujus invidia mors introivit in orbem terræ. Secundo generalitate, ut peccatum Adæ, quod in omnes homines ſe diffudit. Tertio enormitate, ut peccatum Judæ. Quarto ingratitudine, ut peccatum ejus, qui plura gratiarum dona recæpit. Quinto periculoſitate, ut peccatum ignorantiæ. Sextò inſeparabilitate, ut avaritia, quæ vitiis aliis cum homine conſeneſcentibus ſola juveneſcit. Septimo importunitate, ut ſuperbia, quæ etiam quandoquè ex bonis operibus conſurgit. Octavo pronitate, ut luxuria. Nono majoris gratiæ impugnatione, ut peccatum in Spiritum Sanctum. Decimo offenſæ magnitudine, ut idolatria. Undecimo majori reſiſtendi facultate, ut peccatum Adæ. Duodecimo majori improbitate, & libidine; & ſic peccatum cujuſlibet generis fieri poteſt altero majus; & hi modi conſueverunt à doctoribus aſſignari, ut dicit *Bon. 2. diſ. 33. quæſt. 2. circà literam*. Poteſt etiàm addi prædictis, quod unum peccatum dicitur gravius alio ceteris paribus; uno modo ratione objecti principalioris; ſecundo ratione

circum-

circumſtantiæ concomitantis. Inveniuntur tamèn & alii modi; ſed iſti ſufficiant ad præſens tanquàm magis conſueti gratia brevitatis.

Objicitur autèm contrà hoc, quod dictum eſt in octavo modo, ſcilicèt, quod luxuria eſt peccatum gravius pronitate, quià *Greg. dicit in moralibus*, quod peccata carnalia ſunt minoris culpæ, quàm ſpiritualia, non ergò luxuria eſt graviùs peccatum, quàm peccata ſpiritualia.

Reſpondeo, quod *verbum Greg.* non debet intelligi quaſi quodlibet peccatum ſpirituale ſit majoris culpæ quolibet peccato carnali, ſed quià conſiderata ſola differentia ſpiritualitatis; & carnalitatis graviora ſunt peccata ſpiritualia cæteris paribus. Cujus ratio eſt, quià quantò eſt vehementius impulſivum, tantò homo minus peccat. Peccatum autèm carnale habet vehementius impulſivum, ideſt concupiſcentiam carnis nobis innatam; & ideò inquantùm hujuſmodi eſt minoris culpæ. Quod autèm primò dictum eſt, quod luxuria eſt gravius peccatum pronitate, intelligitur non quod offenſa ſit gravior, ſed quià proptèr majorem pronitatem eſt ibi pugna major, & per conſequens culpa minor, ut dictum eſt. Quod verò dicitur 3. *Eth.* quod peccata intemperantiæ ſunt maximè exprobrabilia; putà, gula, & luxuria; hoc pro tantò dicitur, quià ſunt circà delectationes illas, quæ ſunt communes nobis, & brutis; undè quodammodò homo per hęc peccata redditur brutalis; & indè eſt, quod ſicut *dicit Greg.* ſunt majoris infamiæ.

T I T V L V S VII.

De ſubjecto peccati.

A R T I C U L U S I.

In qua potentia animę eſt peccatum.

POſteà conſiderandum eſt de ſubjecto peccati, circà quod ſciendum, quod in peccato tria poſſunt conſiderari. Primum eſt ipſe actus, vel omiſſio ejuſdem. Secundum eſt ipſius actus, vel omiſſionis deordinatio. Tertium eſt culpabilitatis ipſius deordinationis ratio. Hic enim accipimus peccatum pro culpa. Quantum ad primum horum trium, illæ potentiæ ſunt ſubjectum peccati, per quas elicitur ille actus, qui eſt peccatum. Quantum ad ſecundum idem eſt dicendum, hoc excepto, quod actus deordinatus eſt in illa potentia, à qua elicitur, ſicut in ſubjecto immediato, & mediante ipſo actu eſt in potentia ſicut in ſubjecto. Quantum ad tertium omne peccatum eſt in ſola voluntate, ut in ſubjecto, *& ſic dicit Auguſt. in lib. de duabus animabus*, quod non niſi voluntate peccatur. Habet tamèn malus actus rationem culpæ, non inquantum eſt in voluntate; ſed inquantum eſt à voluntate: *Undè Auguſt. lib. de liber. arb. culpa eſt malum, quod facimus; pœna verò malum, quod patimur. Hæc Ricc. 2. diſt. 41. q. 2. art. 2. c.*

Quid de inordinato motu ſenſualitatis?

Reſpondeo ſenſualitas poteſt duplicitèr conſiderari. Uno modo ſecundum ſe; & ſic non eſt ſubjectum peccati, quià ſic eſt communis nobis, & brutis. Alio modo in ordinatione ad rationem, ſcilicèt inquantum eſt à ratione perſuaſibilis, & ſic poteſt eſſe peccatum in ea. Sciendum autèm, quod inordinatio ſenſualitatis quandoquè eſt ſinè omni culpa, cum etiàm quandoquè vitari non poſſit, ut quandò voluntas non eſt cauſa illius deordinationis, nec committendo, nec omittendo, nec antecedentèr, nec concomitantèr; quandoquè autèm eſt culpa venialis materialitèr in ſenſualitate, formalitèr autèm nunquàm, ſed in voluntate, & hoc eſt quandò inſurgit inordinatio in ſenſualitate per negligentiam voluntatis; Tunc enim imputatur voluntati pro culpa veniali, proptèr difficultatem refrenandi ſenſualitatem, & regendi. Et ſic dicit *Magiſter ſent. lib. 2. diſ.* 24. quod ſi in motu ſenſualitatis tantùm illecebra peccati teneatur, veniale, ac leviſſimum peccatum eſt. Quandoquè etiàm inordinatio ſenſualitatis imputatur voluntati pro culpa mortali, quandò ſcilicèt eſt contrà actum prohibitum, ut inſurgens ex voluntatis imperio deliberato. Semper enim inordinatio voluntatis in nobis eſt vitium, & peccatum, ſecundùm quod peccatum diſtinguitur contrà culpam, & demeritum; & ſecundùm hoc *dicit Auguſt. libro de lib. arb. ſunt quædam facta de neceſſitate improbanda, ut vult homo facere rectè, & non poteſt*. Quomodò autèm differant peccatum, & culpa dictum eſt ſuprà *titulo præcedenti in fin. 1. ar. Hæc Ricc. 2. diſ. 24. quæſt. 4. art. 1. c.* Undè aliqui brevitèr ſic diſtinguunt, ſcilicèt, quod motus carnis contingere poteſt, vel ex calefactione corpóris ſinè aliqua apprehenſione mentis, ſicut contingit in dormiendo, & ſic non eſt culpa; vel ex apprehenſione mentis, & ſic eſt culpa. *Hæc Pet. 2. diſ. 24. quæſt. 4. art. 1. c.*

Sciendum autèm, quod peccatum tàm ſpirituale, quàm carnale poteſt eſſe in ratione abſque hoc, quod oriatur à ſenſualitate; *Undè Aug. 14. de Civ. Dei c. 2. dicit*, quod qui omnia animæ mala putant ex corpore accidiſſe, ſunt in errore: Poteſt enim homo eligere actum gulæ, & luxuriæ non incitatus aliqua paſſione, frequentèr tamèn oriuntur ex ſenſualitate: *Undè cum Aug. 12. de Trin. cap.* 12. in progreſſu peccati comparat ſenſualitatem ſerpenti, inferiorem rationem mulieri, & ſuperiorem rationem viro; non loquitur niſi de peccato, quod oritur ex paſſione; *Illa verò Gloſ. quæ dicit ſuper illud Pſal. Altaria tua Domine virtutum. Nullo modo oriri poteſt aliqua mala ſuaſio in te, niſi carnis tuæ deſiderium commoveris*; intelligit de peccato carnali, & de ſuo modo oriendi, ut in pluribus, Superior etiàm portio rationis poteſt ſinè inferiori peccare, tàm mortalitèr, quàm venialitèr tàm peccato carnali, quàm ſpirituali, & ſumitur hęc ratio, pro ut compræhendit intellectum, & voluntatem. *Hæc omnia Ricc. 2. diſ. 24. q. 4. art. 2. c.*

Sed numquid poteſt eſſe peccatum mortale in inferiori portione rationis ſinè conſenſu ſuperioris?

Reſpondeo, quod non, ſinè conſenſu, inquam, expreſſo, vel interpraetativo: *Vndè Aug.* 12. *de Tri. c.* 7. *dicit*, quod ſi illecebra peccati ſola cognitionis delectatione teneatur, ſuperioris rationis authoritate conſilii membra retineantur, & non exhibeantur arma iniquitatis peccato, ſic habendum eſt, ut velut cibum vetitum mulier ſola comedat.

Ex his patet, quod numquàm pro ſola operatione portionis inferioris exhibentur membra iniquitatis arma peccato, quod facit quis cum mortalitèr peccat. Hoc autèm ſic declaratur *ſecundum Bon.* 2. *diſ.* 24. *parte* 2. *quæſt.* 2. *ar.* 2. *c.* Peccatum mortale dicit deordinationem à Deo, quæ eſt cum contemptu, & conſenſu; talis enim deordinatio eſt per averſionem, & hoc eſt partis ſuperioris; ejus enim eſt averti, cujus eſt conconverti, conſentire verò ejus eſt, cujus judicare, & regere. Hoc autèm eſt partis etiàm ſuperioris; & ideò non poteſt aliquod peccatum mortale eſſe in nobis, quod non ſuperiori parti imputetur, & in quo ipſa non deordinetur. Poteſt tamèn inferior portio ſinè ſuperiori, ſicut mulier ſinè viro comedere, ideſt delectari, & hoc patet in progreſſu tentationis, & delectationis carnalis, quandò incipit à ſenſualitate. Tunc enim primò delectabile offertur, ſivè percipitur; ſecundò delectatio advertitur; tertiò in id, ad quod delectatio trahit, conſentitur, vel diſſentitur. Delectabile percipere, eſt ſenſualitatis; Delectationem advertere, eſt inferioris partis rationis, quæ habet dijudicare interiores motus, quod non eſt partis ſenſitivæ; Diffinire autèm, an delectatio ſit amplexanda, vel refutanda eſt ſuperioris portionis. Contingit igitùr delectari ad apprehenſionem delectabilis antè adverſionem delectationis, & hoc eſt ſenſualitatis, & eſt peccatum veniale; contingit itèrùm delectari poſt adverſionem delectationis antè tamèn plenum conſenſum deliberationis, & hoc eſt inferioris partis; & aliquandò eſt veniale, aliquandò mortale, & tunc dicitur comedere ſola mulier; contingit itèrùm delectari poſt adverſionem delectationis, & poſt plenum conſenſum deliberationis, & tunc dicitur comedere vir, & eſt peccatum mortale in his peccatis, quorum actus eſt in prohibitione: Vndè ſatis difficile videtur diſcernere, quandò ſit hujuſmodi delectatio mortalis, quandò venialis.

Poteſt tamèn ſic diſcerni, quià aut illa delectatio ſtatim repellitur, & tunc eſt veniale peccatum, aut retinetur, & hoc poteſt eſſe triplicitèr; quià aut placet ipſa delectatio, & operis conſumatio, ſi, ſcilicèt, facultas adeſſet, & tunc comedit tàm vir, quàm mulier, & tunc eſt plenus conſenſus rationis ſuperioris, & eſt peccatum mortale: Hoc dico in his generibus peccatorum, quæ ſunt ex genere ſuo mortalia; Aut placet delectatio, ſed diſplicet peccati conſumatio, & tunc eſt conſenſus ſemiplenus, & tunc dicitur ſecundum *Bon. ibidem ubi ſup.* & *Alex. Anz.* 2. *tit.* 2. *de peccato conſenſus art.* 2. *o.* ſola mulier manducaſſe, eſt tamèn ibi peccatum mortale, quià non tantùm ratio inferior, ſed etiàm ſuperior conſenſit in illam delectationem; Aut utrumque diſplicet, ſcilicèt, ipſa interior delectatio, & operationis conſumatio; & tunc, aut non advertit periculum delectationis, nec repellit eam, & tunc peccat, ſed non mortalitèr; graviùs tamèn peccat, quàm ſi ſtatim virilitèr repuliſſet; aut periculum advertit, nec illam delectationem repellit, ſed revolui mentem in hujuſmodi cogitationibus ſinit; & tunc ſecundùm magiſtros peccat mortalitèr, quià licèt ibi non ſit conſenſus expreſſus, eſt tamèn interpretativus, & comedit ſola mulier *ſecundùm Bonav. ibidèm*. Peccatum tamèn illud imputatur viro, ideſt ſuperiori portioni, quià cum eam compeſcere teneretùr, non compeſcuit.

Aliqui tamèn negant in illa compeſcendi negligentia eſſe mortale peccatum, quantumcumque quis advertat periculum: quicquid tamèn ſit de hoc, via tutior eſt tenenda; & ſi alicui hoc contingat, ſanum eſt conſilium, quod de ipſo, ſicut de mortali pœnitet. Non loquimur autèm de delectatione quacumque, ut de illa, qua quis delectatur cogitando de pulchritudine mulieris, ſed de illa, quæ conſurgit ex cogitatione carnalis operis. Ex prædictis patet, quod mulier comedere poteſt ſinè viro, quià vir dicitur tantùm tunc comedere, quandò plenus adeſt conſenſus; & tunc dicuntur arma iniquitatis præſtari peccato, quandò totus homo ibi incurvatur ad peccatum, ſivè ſit peccatum carnis, ſivè ſpiritus; Peccare tamèn non poteſt mortalitèr ſinè viro quià non poteſt eſſe peccatum ſinè conſenſu viri vero, vel interpetrativo. Patet etiàm, quod conſenſus in delectatione attribuitur mulieri, quià eſt conſenſus ſemiplenus; conſenſus verò in opus attribuitur viro, quià eſt conſenſus plenus. Si autèm peccatum conſiſteret in ſola delectatione, tunc conſenſus in delectationem poſſet eſſe plenarius conſenſus. Nec tunc eſt ſuperioris partis tantùm ſed etiàm inferioris; undè non tantùm dicitur vir conſentire, quià movet exteriora membra, ſed quià movetur voluntate plenaria. Et hanc circumloquitur *Auguſt* per hoc, quod dicit: *virum comedere, cum iniquitatis arma præbentur peccato. Hæc Bon.* 2. *diſ.* 24. *par.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 2. *c. quæſt. poſt argumenta*.

Ad hoc nota *ſecundùm Ricc.* 2. *diſ.* 24. *q.* 4. *art.* 4. *c.* quod ſi voluntas tamdiù moretur in complacentia cogitatæ delectationis inordinatæ, quod æquè per illam moroſitatem deordinetur, ac ſi ſtatim conſenſiſſet in actu, tunc portio ſuperior conſentit interpretativè, quià tanta negligentia æquivalet tunc conſenſui expreſſo. Si autèm portio ſuperior conſentiat, quod compleatur in opere inordinatio cogitata, tunc conſentit expreſsè. Illa ergò inordinatio cogitata, aut eſt de genere ſuo venialis, ut eſt verbum jocoſum, & hujuſmodi; & tunc ſivè portio ſuperior conſentiat interpe-

Digitized by Google

terpretativè, ſivè expreſsè, non propter hoc peccat mortalitèr. Aut eſt de genere ſuo mortalis, ut eſt fornicari, occidere cauſa vindictæ, & hujuſmodi; & tunc ſivè conſentiat ex deliberatione interpretativè; ſivè expreſsè, eſt peccatum mortale; quandò talitèr, & tantùm delectatur in illa cogitatione, quod anima tantum deordinatur per illam, quantum deordinatur conſentiendo ex deliberatione contrà aliquod de Divinis præceptis. Complacentia verò illa antequàm ratio ſuperior conſentiat expreſsè, vel interpretativè; eſt peccatum inferioris portionis ſecundùm ſe, & eſt veniale. Et quod *Auguſt.* 12. *de Trin. cap.* 12. vult, quod ſi ſola mulier, ideſt portio inferior, comedat de re illicita, totus homo damnatur; intelligit, quandò mulier comedit cum conſenſu viri interpretativo. *Hæc Ricc. ibidèm*.

Ex prędictis patet, quod conſenſus in delectationem alicujus actus, qui ex genere ſuo ſit peccatum mortale, eſt peccatum mortale *ſecundùm Bon. ubi ſuprà. & idem etiàm vult Ricc.* 2. *diſt.* 24. *quæſt.* 4. *art.* 4. *Et Alex. Aug.* 2. *tit.* 2. *c. de peccato veniali in ſpeciali quæſt.* 2. *art.*, 2. *c. Thom. autèm dicit* 1. 2. *quæſt.* 74. *ar.* 8. *c* quod circà hoc aliqui ſunt diverſimodè opinati. Quidam enim dixerunt, quod conſenſus in delectationem eſt tantùm peccatum veniale. Alii verò quod eſt peccatum mortale; & hæc opinio, ut ipſe dicit, eſt communior, & verior. Concordare autèm volens dicit, quod aliquis cogitans de fornicatione poteſt delectari de duobus, ſcilicèt, vel de ipſa cogitatione, vel de fornicatione cogitata: Delectatio autèm de ipſa cogitatione ſequitur inclinationem affectus in ipſam cogitationem, quæ quidem ſecundum ſe non eſt peccatum mortale; ſed quandoquè eſt tantùm veniale, ut cum quis inutilitèr cogitat de ea; quandoquè autèm ſinè peccato omninò, ut cum quis utilitèr cogitat de ea, ut cum vult de ea prædicare, vel diſputare; & ideò per conſequens affectus, vel delectatio, quæ eſt de cogitatione fornicationis,non eſt de genere mortalis peccati, ſed quandoquè eſt veniale, quandoquè nullum; Undè nec conſenſus in talem delectationem eſt peccatum mortale; & ſecundùm hoc eſt vera opinio prima. Quod autèm aliquis cogitans de fornicatione delectetur in ipſa, vel in ipſo actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus eſt inclinata in hunc actum; undè quod aliquis conſentiat in hujuſmodi delectationem, hoc nihil aliud eſt, quam eum conſentire in hoc, ſcilicèt, quod ejus affectus ſit inclinatus in fornicationem: Nullus enim delectatur niſi in eo, quod eſt conforme ejus appetitui; Quod autèm aliquis deliberatè eligit, quod ejus affectus conformetur his, quæ ſecundùm ſe ſunt peccata mortalia, eſt peccatum mortale; Undè talis conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale, ut ſecunda opinio ponit; *Ex his concordat Auguſt.* 12. *de Trin.* dicens: *Totus homo damnabitur niſi hæc, quæ ſinè voluntate operandi, tamèn cum voluntate talibus animum oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata,per mediatoris gratiam remittantur*; Ex his patet, *quod Thom. & Bon.* in locis ſupradictis conveniunt in propoſita quæſtione.

ARTICVLVS II.

An primi motus ſint peccata.

CUm ſuprà ſit habitum de inordinato motu ſenſualitatis, poteſt hic quæri de primis motibus, qui ſunt inordinati motus, utrum ſint peccata; Ad cujus maiorem evidentiam primò videndum eſt, quid ſit primus motus. *Eſt autèm ſecundum Alex. Aug. motus ſenſualitatis ſecundùm impulſum fomitis impetuosè tendens ad fruitionem creaturæ delectabilis*; per hoc, quod dicitur ſenſualitatis tangitur ſubjectum in quo eſt primus motus.

Nota tamèn, quod ſenſualitas movetur aliquandò ſecundum regimen rationis ad ſubſtentationem naturæ, & talis motus non eſt inordinatus; aliquandò ſecundùm impulſum fomitis, & ille eſt primus motus, de quo nunc loquimur, & eſt inordinatus; & ideò additur ſecundum impulſum fomitis. Et intellige, quod ſicut ſe habet ſenſus ad rationem ſecundum viam cognoſcitivam, ità ſe habet ſenſualitas ad voluntatem ſecundum viam motivam: Undè ſicut cognitio ſecundùm ſenſum præcedit cognitionem ſecundùm rationem, ſic motus ſenſualitatis eſt prior motu voluntatis; & ideò benè dicitur, quod primus motus eſt motus ſenſualitatis.

Ad quæſtionem verò propoſitam reſpondent aliqui diſtinquendo intèr motum primò primùm, & ille eſt, qui primò inſurgit, & non eſt peccatum; & intèr motum ſecundò primum, qui ſcilicèt poſteà primò occurrit, & ille eſt peccatum, quià debet reprimi, ex quo ſentitur primò primus. Alii dicunt, quod omnis motus primus eſt peccatum, ſed non dicitur primus motus quouſque voluntatem attingit; Undè meliùs poſſet dici, ſcilicèt, quod delectatio inordinata, ſivè libidinoſa, quæ procedit à ſenſualitate, inquantum eſt peccatum originale corrupta, dicitur primus motus, & eſt peccatum, quià deberet eſſe ſubdita rationi, & movetur indebito modo prætèr rationem, & attingitur aliquo modo à ratione non faciente, ſed permittente, vel ejus radicem non comprimente.

Sed objicitur, quià ſuper illud Pſal. *Iraſcimini, & nolite peccare, dicit Gloſ.* quod primus motus non eſt in poteſtate noſtra; ſed nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt, *ut dicit Aug. lib. de correp. & gratia*, ergò primus motus non eſt peccatum.

Reſpondeo, quod benè eſt in poteſtate noſtra vitare iſtum motum, & illum, ſed non omnem, niſi eſſet gratiæ ſpecialis.

Et nota quod etſi quælibet vis motiva ani-

mana eſt prona ex ſui corruptione primaria; & ideò multiplicantur ſecundùm ea; omnis autèm pronitas eſt reſpectu apparentis boni. Illud ergò bonum, aut reſpicit ſpiritum ſecundùm ſe; aut ſpiritum in carne; Primo modo poteſt eſſe quadruplicitèr ſecundùm quatuor conditiones, ad quas eſt pronus appetitus noſter; Appetit enim quis bonum ſub ratione dignitatis, & hoc per ſuperbiam; vel ſub ratione proprietatis, & hoc per invidiam; vel ſub ratione ſecuritatis, & hoc per iram; vel ſub ratione quietis, & hoc per accidiam. Si verò ſit reſpectu boni, quod reſpicit ſpiritum in carne, hoc poteſt eſſe triplicitèr ſecundùm tres conditiones, ſub quibus ſpiritus carnalis appetit bonum; vel ſufficientis, & ſic eſt avaritia; vel demulcentis, & ſic eſt luxuria; vel reficientis; ſic eſt gula. *Hæc Bon. ubi ſuprà q. 2. ultrà medium.*

Sciendum autèm, quod ſecundùm *Bon. ibidem juxta principium*. Inanis gloria uno modo dicit appetitum dignitatis, & excellentiæ, & ſic eſt idem cum ſuperbia, & eſt vitium capitale, quià animus directè movetur ad dignitatem, & excellentiam appetendam; alio modo dicit appetitum laudis, & ſic eſt filia ſuperbiæ.

ARTICULUS IV.

De ignorantia, Infirmitate, & Malitia.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de ignorantia, infirmitate, & malitia. Circà quod ſciendum, quod hæc ſunt aliquo modo peccata, & quodammodo cauſæ peccatorum; proptèr quod peccatum eſt triplex, ſcilicèt, peccatum ex ignorantia, peccatum ex infirmitate, & peccatum ex malitia. Eſt igitùr ignorantia cauſa accidentalis peccati, ſicut remotio prohibentis, quià eſt privatio ſcientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, inquantum dirigit actus humanos. Infirmitas vero hìc intelligitur paſſio appetitus ſenſitivi. *Undè Tullius lib. 4. de Tuſcul. q.* paſſiones animæ vocat ægritudines; undè cum dicitur peccatum ex infirmitate, hoc magis refertur ad infirmitatem animæ, quam corporis. Dicitur tamèn & ipſa infirmitas animæ infirmitas carnis, inquantum ex conditione carnis paſſiones animæ inſurgunt in nobis, eo quod appetitus ſenſitivus eſt virtus utens organo corporali. Dicitur autèm hujuſmodi paſſio infirmitas, quià ſicut infirmitas corporalis impedit corpus hominis in executione propriæ operationis, ità paſſio animæ debilitat, vel impedit animam in propria operatione, dùm ſcilicèt appetitus ſenſitivus aliqua paſſione affectus, eſt rebellis ordini rationis. Licèt enim appetitus ſenſitivus inclinet quandoquè voluntatem, ſinè quà peccatum non perficitur, non tamèn neceſſariò, & ſufficientèr, quià in poteſtate voluntatis eſt conſentire, vel diſſentire his, ad quæ inclinat; & ideò dicitur *Gen. 4. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; Dicitur igitùr peccatum ex infirmitate illud peccatum, ad quod inclinat appetitus ſenſitivus affectus aliqua paſſione.

Malitia autèm ex qua dicitur quis peccare, poteſt intelligi malitia habitualis, & ſic dicitur quis peccare ex malitia, quià peccat ex inclinatione habitus. Poteſt etiàm intelligi malitia actualis, ſivè ipſa mali electio dicatur malitia, & ſic dicitur aliquis peccare ex malitia, in quantum peccat ex electione mali; ſivè etiàm malitia dicatur aliqua præcedens culpa, ex qua oritur ſequens culpa; ut cum aliquis impugnat fraternam gratiam ex invidia; & tunc actus interior eſt cauſa actus exterioris. Peccat autèm graviùs, qui peccat ex malitia certa cæteris paribus, quàm qui peccat ex paſſione, quià ibì movetur voluntas in malum ex ſe ipſa, hìc autèm ex paſſione, quaſi ex quodam intrinſeco impulſu. Graviùs etiàm peccat, qui peccat ex paſſione, quàm qui peccat ex ignorantia, quià ignorantia diminuit de ratione voluntarii, non autèm paſſio, ut dictum fuit ſuprà.

Sciendum etiàm quod licèt omne peccatum ſit contrà totam Trinitatem; loquendo tamèn appropriatè peccatum ex infirmitate dicitur eſſe contrà Patrem; peccatum ex ignorantia, contrà Filium; peccatum ex malitia certa, contrà Spiritum Sanctum. Sunt autèm ſex peccata propriè in Spiritum Sanctum, ſcilicèt, Deſperatio, Preſumptio, Obſtinatio, Invidentia fraternæ gratiæ, Impugnatio veritatis agnitæ, & Finalis impœnitentia.

TITVLVS IX.

De virtutibus in communi.

POſteà conſiderandum eſt de habitibus bonis, ſcilicèt de virtutibus; & Primò in communi. Ubi primò dicendum eſt, quid ſit virtus, & in quas partes dividitur. Secundò de virtutibus moralibus in communi. quaproptèr ſit

ARTICVLVS I.

Quid ſit virtus, & in quas partes dividatur.

CIrcà primum ſciendum, *quod virtus eſt bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur*, & colligitur hæc definitio ex verbis *Auguſt. & precipuè in ſecundo de liber. arb.* & convenit tantùm virtutibus infuſis; ſi verò auferatur hæc clauſula ultima ſcilicèt, *quam Deus in nobis ſine nobis operatur*; convenit etiàm virtutibus infuſis, & acquiſitis. Dicitur autèm virtus, *bona*, quià in ea eſt aliquid bonum; Et ſumitur ibì bonum, non

Digitized by Google

non pro bono communi, quod convertitur cum ente, & eſt in plus, quàm qualitas; ſed pro bono rationis, ſecundùm quod *dicit Dioniſ. 4. c. de divin. nom.* quod bonum animæ eſt ſecundùm rationem eſſe.

Notandum verò, quod aliquis malè poteſt uti virtute ſicut objecto, ut cum malè ſentit de ea, vel odit eam, vel ſuperbit de ea; Non autèm malè poteſt uti virtute, ſicut principio uſus, ità ſcilicèt, quod virtutis actus ſit malus.

Dividitur autèm virtus, ſecundùm quod de ea nunc intendimus, in virtutes morales, & theologicas, quæ diſtinguntur ab invicem penès objectum; quià objectum moralium eſt objectum creatum; Objectum autèm theologicarum eſt ens increatum ſub aliqua ratione, ſub qua eſt ſuprà noſtram naturalem facultatem. Moralibus ordinatur homo ad ſe ipſum, & ad proximum. Theologicis ad Deum, ut videbitur infrà. Dicendum eſt autèm primò de moralibus, poſteà de theologicis; & ſic procedatur gradatim aſcendendo de virtutibus inferioribus ad virtutes ſuperiores, & dignores. Et de moralibus primò in communi, poſteà in ſpeciali.

ARTICVLVS II.

De virtutibus moralibus in communi.

SEquitur ergò videre de ſecundo, ſcilicèt de virtutibus moralibus in communi: & Primò de duplici genere ipſarum. Secundò de ſubjecto ipſarum. Tertiò de numero. Quartò de nominatione.

Circà primum ſciendum, quod virtutes morales ſunt in duplici genere. Quædam enim nos ordinant ad civitatem ſupernam *ſecundùm illud Eph. 2. eſtis cives Sanctorum*; ordinant, inquam, elevando ad opera mæritoria civitatis ſupernæ; & hæ ſunt tantùm à Dei gratia, & ideò dicuntur, & ſunt gratuitæ. Quædam verò habilitant ad opera tantùm moralia, non autèm ad mæritoria, & illæ radicalitèr ſunt à natura, & ſic dicit *Dam. lib. 3. cap.* 14. quod virtutes ſunt naturales, completivè verò ſunt ab operum frequentia, ut vult P*hil. 2. eth. cap.* 2. Et hoc modo ſunt politicæ. De moralibus gratuitis tractat, & intendit Theologus; de politicis Philoſophus. Sunt autèm virtutes morales acquiſitæ, & infuſę ſecundùm aliquos diverſæ in ſpecie, cum ordinent ad diverſa, ut viſum eſt, & hujus ſententię fuit *Thom. 1. 2. quæſt. 68. art. 4. c. Et Ricc. 3. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. c.* Secundum aliquos verò ſunt eædem: Undè ſi in homine præexiſtant habitus virtutum moralium antè gratiam, illi iidem in adventu gratiæ gratificantur; & hujus ſententiæ fuit *Bon. 3. diſ. 33. quæſt. 1. ar. 5. c.*

Circà ſecundùm ſciendum; Quod omnes virtutès morales ſunt in parte rationali animæ, ut compræhendit & intellectum, & voluntatem. Hoc enim vult *Auguſt. 12. de Trin. c.* 14. Opportet etiàm dicere per experientiam aliquos habitus eſſe in appetitu iraſcibili, & concupiſcibili, per quos facilè obediat rationi, quos opportet dicere habere qualemcumque rationem virtutis; quià dicit *Philoſ. 3. eth. cap.* 8. *de fortitudine, & temperantia,* quod videntur eſſe irrationabilium partium, ſcilicèt iraſcibilis, & concupiſcibilis, & hoc in quantum participant aliquo modo rationem, per hoc, quod natæ ſunt ei obedire.

Circà tertium ſciendum, quod virtutes morales ſunt quatuor *ut habetur Sapien.* 8. Per virtutes enim morales ordinatur, & regulatur homo reſpectu proximi, & ſui; reſpectu proximi per juſtitiam; reſpectu ſui regulatur per prudentiam in actibus rationis; per temperantiam in actibus, ſivè paſſionibus concupiſcibilis; per fortitudinem in actibus, ſivè paſſionibus iraſcibilis.

Circà quartum ſciendum, quod prædictæ virtutes dicuntur virtutes morales, quià habilitant ad bonos mores rectę rationi convenientes. Dicuntur etiàm conſuetudinales, quià acquiruntur ex frequenti benè agere. Dicuntur politicæ, quià reddunt hominem benè ordinatum inter homines, à *polis*, quod eſt pluralitas. Dicuntur etiàm principales, quià omnes aliæ virtutes ad has reducuntur. Dicuntur Cardinales, à *cardine*, quià ſicut omnis motus hoſtii eſt circà cardinem, ſic etiàm tota vita activa hominis viventis ſecundùm rationem rectam circà has virtutes verſatur. Dicuntur etiàm generales, ſcilicèt ad omnes virtutes morales, quià in qualibet alia virtute morali eſt aliqua participatio alicujus earum.

TITVLVS X.

De prudentia, & ejus partibus, & vitiis oppoſitis.

DEindè conſiderandum eſt de unaquaque virtutum moralium in ſpeciali; & Primò de prudentia, quæ ſicut dicit *Ber. ad Eugenium non tantum eſt virtus, ſed etiàm auriga virtutum.* Secundò de juſtitia. Tertiò de fortitudine. Quartò de temperantia. Dicendo autèm de prudentia ſimul dicemus de vitiis ſibi oppoſitis. *Dicit autèm Auguſt. 4. contrà Julia.* quod omnibus virtutibus non tantùm ſunt vitia manifeſta diſcretione contraria; ut prudentiæ temeritas; ſed etiàm vitia, non in veritate, ſed quamdam ſpem fallente ſimilia, ut prudentiæ aſtutia.

Circà prudentiam ergò dicendum eſt. Primò de ipſa. Secundò de partibus ejus. Tertiò de vitiis. Quartò de negligentia, quæ opponitur ſollicitudini, quæ pertinet ad prudentiam. Quinto de vitiis, quæ falſam habent ſimilitudinem cum prudentia, ideò ſit

AR-

ARTICVLVS I.

Quid ſit prudentia &c.

CIrcà primum ſciendum quod prudentia *ſecundùm quod dicit Philoſ. 6. eth. eſt recta ratio agibilium*. *Auguſt. autèm dicit lib. de moribus Eccl.* quod prudentia *eſt amor circà ea, quibus adjuvamur, ab eis, quibus impedimur ſagacitèr eligens*; ſed hoc non intelligitur eſſentialitèr, ſed cauſalitèr, ſcilicèt in quantum amor movet ad actum prudentiæ. Actus autèm prudentiæ eſt triplex, ſcilicèt, conſiliari; de conſiliatis, & inventis judicare; & judicata ad opus applicari præcipere: & iſte tertius actus eſt principalis actus prudentiæ, quià alii duo ordinantur ad iſtum; *Vnde Philoſ. dicit 6. Ethi.* quod prudentia eſt præceptiva; Illam autèm applicationem facere non poteſt intellectus per prudentiam, niſi motus à voluntate recta; undè hæc applicatio eſt ipſius rectæ voluntatis, ut moventis; & eſt rationis per prudentiam, ut formantis intellectualitèr præceptum de faciendo applicationem prædictam. Undè quià præcipuus actus prudentiæ eſt circà agenda, de præconſiliatis, & judicatis præcipere; ideò ad ea propriè pertinet ſollicitudo, quià ut dicit *Iſid. Eth.* Sollicitus dicitur quaſi *ſolers citus*, ſcilicèt inquantùm aliquis ex quadam animi ſolertia eſt velox ad proſequendum ea, quæ ſunt agenda; *Vnde Philoſ. 6. ethi. dicit: Oportet operari velociter conſiliata, conſiliari autem tardè*. Eſt autèm prudentia gratuita in omnibus habentibus gratiam, quià quicumque habet gratiam, habet charitatem, & per conſequens omnes alias virtutes proptèr connexionem earum. *Dicit etiàm Greg. 2. Morali.* quod cæteræ virtutes, niſi ea, quæ appetunt, prudentèr agant, virtutes eſſe non poſſunt.

Notandum tamèn, quod duplex eſt induſtria, una, quæ eſt ſufficiens ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, & hæc eſt in omnibus gratiam habentibus, & etiàm indigentibus regi, conſilio alieno, qui ſaltèm ſciunt hoc conſulere ſibi, ut aliquos conſulant, & bona conſilia à malis diſcernant. Eſt etiàm in pueris baptizatis ſecundùm actum. Alia eſt induſtria plenior, per quam aliquis ſibi, & aliis ſcit providere non tantùm de neceſſariis ad ſalutem; ſed etiàm de quibuſcumque ad humanam vitam pertinentibus, & hæc non eſt in omnibus habentibus gratiam. In peccatoribus autem non eſt vera, & perfecta prudentia, quę ſcilicèt ad bonum finem totiùs rectæ vitæ conſiliatur, judicat, & præcipit, quæ ſola dicitur prudentia ſimplicitèr; & ſi quę in eis eſſe videatur prudentia, vel falſa, vel ſaltèm eſt imperfecta; *Vndè Philoſ. dicit 6. Ethi. Impoſſibile eſt prudentem eſſe, & non volentem bonum*.

ARTICVLVS II.

De partibus prudentiæ.

CIrcà ſecundum ſciendum, quod partes prudentiæ ponit tres *Tullius in retho. ſua*. Scilicèt memoriam, intelligentiam, & providentiam, *Macrob. autèm ſecundùm ſententiam Plot.* attribuit prudentiæ ſex partes; ſcilicèt *rationem, intellectum, circumſpectionem, providentiam, docilitatem, & cautionem*. *Ariſt. autèm 6. Ethi.* dicit ad prudentiam pertinere eubuliam, ſyneſim, & gnomon. Facit etiam mentionem circà prudentiam de eudoxia, ſivè euſtochia, ſolertia, ſenſu, intellectu. Quidam autèm Philoſ. Græcus dicit, quod ad prudentiam pertinent decem, ſcilicèt eubulia, ſolertia, providentia, regnativa, militaris, politica, iconomica, rethorica, phiſica; ſed illæ tres ultimæ ſunt partes prudentiæ ſumendo propriè prudentiam pro ſcientia; undè de eis nihil ad præſens. Prædictarum autèm virtutum, quædam ſunt partes quaſi integrales prudentiæ, quædam ſunt partes ſubjectivæ, quædam ſunt partes potentiales. Illa dicuntur eſſe, quaſi partes integrales alicujus virtutis, quæ oportet concurrere ad perfectum actum ejuſ; & tales partes prudentiæ ſunt octo, quarum quinque pertinent ad eam, ſecundùm quod eſt cognitiva, & tres, ſecundùm quod eſt præceptiva.

Circà verò cognitionem, conſiderantur tria; Primò ipſa cognitio, quæ ſi ſit præteritorum eſt memoria; ſi præſentium eſt intellectus, ſivè intelligentia, ſivè ſenſus, quià ſenſus prudentiæ, quem ponit *Philoſ. 6. Ethi.* idem eſt cum intellectu; undè *dicit ibidem: horum igitur habere oportet intellectum, hic omninò eſt ſenſus*. Secundò cognitionis acquiſitio, quæ ſi fiat per diſciplinam, dicitur docilitas; ſi per inventionem, dicitur euſtochia ab *eu*, quod eſt bonum, & *ſtochos*, quod eſt conjecturatio, quaſi bona conjecturatio; hujuſmodi autèm pars, ut dicitur 6. *Ethi.* eſt ſolertia, quæ eſt vera medii conjecturatio, *ut dicitur* 1. *Poſter.* Tertiò uſus cognitionis, ſcilicèt ſecundùm quod ex cognitis, aliquis procedit ad alia cognoſcenda; & hoc pertinet ad rationem. Ratio autèm ad hoc, quod rectè pręcipiat, tria debet habere; Primò ut ordinet aliquid accomodum ad finem, quod pertinet ad providentiam; Secundò ut attendat circumſtantias negocii, quod pertinet ad circumſpectionem; Tertiò ut vitet impedimenta, quod pertinet ad cautionem. Illæ verò dicuntur partes ſubjectivæ alicujus virtutis, quæ ſunt ejus ſpecies diverſæ; & ſic partes prudentiæ ſunt quinque, ſcilicèt monaſtica, per quam quis regit ſe ipſum; Iconomica, per quam quis regit unam domum vel familiam; Militaris, per quam quis regit exercitum; Politica architettonica, ſivè regnativa, vel Legis poſitiva, per quam, quis regit Civitatem, vel regnum; Politica ſcilicèt ſimpli-

citèr

citèr dicta ſubditorum, per quam benè ſe habent ad conſervationem politiæ benè ordinatæ. Hæ autèm prudentiæ differunt ſpecie ſecundum ſententiam *Philoſ. 6. ethi. cap. 5. & 3. Poli. c. 2.* Partes autèm potentiales alicujus virtutis dicuntur virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos ſecundarios actus, vel materias, quaſi non habentes totam potentiam principalis virtutis, & ſecundùm hoc ponuntur partes prudentiæ, Eubulia, quæ ſcilicèt eſt benè conſiliativa; Syneſis, quæ eſt de inventis per conſilium benè judicativa ſecundum ea, quæ communitèr accidunt; & Gnomon, quæ eſt benè judicativa eorum, in quibus opportet aliquando à communi lege recedere: Prudentia verò eſt circà principalem actum, qui eſt præcipere.

TITULUS III.

De vitiis contrariis prudentiæ.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de vitiis, quæ manifeſtè ſunt contraria prudentiæ, quæ ſunt imprudentia, & vitia ſub ea contenta.

Sciendum igitùr, quod imprudentia poteſt ſumi privativè, & contrariè; negativè enim non dicitur propriè, ità ſcilicèt, quod dicat tantùm carentiam prudentiæ, quæ poteſt eſſe ſinè peccato. Hæc tamèn carentia prudentiæ, & cujuſlibet virtutis includitur in carentia juſtitiæ originalis, quæ totam perficiebat animam; & ſecundum hoc omnes alii defectus virtutum reduci poſſunt ad originale peccatum. Privativè autèm dicitur imprudentia, inquantum aliquis caret prudentia, quam natus eſt, & debet habere; & ſic eſt peccatum ratione negligentiæ, qua non habetur ſtudium ad prudentiam habendam. Contrariè verò ſumitur imprudentia ſecundùm, quod ratio contrario modo movetur, vel agit prudentiæ; ut ſi recta ratio conſiliando agat, & imprudens conſilium ſpernat, & ſic de aliis ſervandis in actu prudentis; & ſic eſt peccatum ſecundùm primam rationem prudentiæ *Prover. 21. Theſaurus deſiderabilis*, ſcilicèt gratiæ, *& oleum in habitaculo juſti, & homo imprudens diſſipabit illud*; Non enim homo contrà prudentiam agit niſi divertens ſe à regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur; & ſi hoc contingat per averſionem à regulis divinis, eſt peccatum mortale; ſi verò præter eas agat ſinè contemptu, & detrimento eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſt veniale. Licèt autèm imprudentia ſit ſpeciale peccatum, ſicut & prudentia, cui opponitur, eſt virtus ſpecialis; eſt tamèn peccatum generale quodammodo ſcilicèt per participationem, in quantum ſcilicèt in quolibet peccato eſt defectus in aliquo actu rationis dirigentis, quod pertinet ad prudentiam, ſic etiàm prudentia participatur in omnibus virtutibus aliquo modo in quantum eſt earum directiva. Eſt autèm prudentia generale peccatum reſpectu quorundam peccatorum, quæ ſunt ſpecies ejus, quarum quædam ſumuntur, ſecundum partes ejus potentiales, & hoc ſecundùm tres actus rationis.

Quantum enim ad defectum conſilii circà quod eſt eubulia, eſt præcipitatio, ſivè temeritas; dicitur enim hæc præcipitatio ideſt ætate, qua ſcilicèt aliquis per impetum voluntatis, vel paſſionis fertur ad aliquod agendum pertranſitis gradibus mediis, per quos oportet ordinatè deſcendere rectè conſiliando. Hi autèm gradus ſunt memoria præteritorum; Intelligentia præſentium; Solertia in conſiderando futuros eventus; Ratio conferens unum cum alio; & docilitas per quam, quis acquieſcit ſententiis aliorum. Sub præcipitatione autèm continetur temeritas; Dicuntur enim illa temerè fieri, quæ ratione non reguntur: quod quidèm duplicitèr contingere poteſt; Uno modo ex impetu voluntatis, vel paſſionis; Alio modo ex contemptu regulæ dirigentis; & hoc ſecundum propriè importat temeritas: præcipitatio autèm ſe habet ad utrumque, licèt magis reſpiciat primum.

Quantùm verò ad defectum judicii circà quod ſunt ſyneſis, & gnomon eſt conſideratio, quæ ſcilicèt in rectè judicando deficit, & hoc quod contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit.

Quantùm autèm ad ipſum præceptum, quod eſt primus actus prudentiæ eſt inconſtantia, & negligentia; ex hoc enim aliquis dicitur eſſe incoſtans, & negligens, quod ratio deficit in præcipiendo ea, quæ ſunt conſiliata, & judicata; ſed differunt, quià inconſtans deficit præcipiendo, quaſi ab alio impeditus; negligens autèm per defectum propriæ voluntatis.

Itèm negligentia conſiſtit in defectu alicujus actus interioris ad quem pertinet electio; dicitur enim negligens, quaſi nec eligens. Pigritia verò, & torpor magis pertinent ad executionem, ità tamèn, quod pigritia dicit tarditatem ad exequendum; torpor verò remiſſionem in executione; & ſimilitèr deſidia dicit ceſſationem ab executione; undè dicitur à deſinendo.

Quædam verò ſpecies imprudentiæ ſumuntur per oppoſitionem ad partes, quaſi integrales prudentiæ; ſed quià omnes illæ ordinantur ad dirigendum tres prædictos actus rationis; hinc eſt, quod omnes defectus oppoſiti reducuntur ad quatuor prædictas partes, ut incautela, & incircumſpectio ad inconſiderationem; Defectus autèm docilitatis memoriæ, vel rationis ad præcipitationem; Defectus verò providentiæ, intelligentiæ, & ſolertiæ ad negligentiam, & inconſtantiam. Oriuntur autèm prædicta vitia ex luxuria, *ut dicit Greg. 21. Moral.*

AR-

ARTICULUS IV.

De Negligentia.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de negligentia. Circà quam ſciendum, quod negligentia provenit ex quadam remiſſione voluntatatis, per quam contingit, quod ratio non ſollicitatur, ut percipiat, quæ debet, vel quomodò debet. Hoc autèm contingere poteſt duplicitèr. Unò modo ex parte ejus, quod per negligentiam prætermittitur; quod ſi ſit de neceſſitate ſalutis, erit peccatum mortale. Alio modo ex parte cauſæ; ſi enim voluntas ſit intantùm remiſſa circà ea, quæ ſunt Dei, quod totalitèr à Dei charitate deficiat, talis negligentia eſt mortalis; & hoc maximè contingit, quandò negligentia eſt ex contemptu. Si verò negligentia conſiſtat in prætermiſſione alicujus actus, vel circumſtantiæ, quę non ſit de neceſſitate ſalutis, nec tamèn fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu fervoris, qui quandoquè impeditur per aliquod veniale, tunc eſt negligentia venialis. Ad hoc.

Nota, quod magna negligentia eſt culpa *ff. de ver. ſign. Magna*; Et diſſoluta negligentia propriè dolum eſt, *ff. ſi fidejuſſor. reſponſ.* 1. Et ſimilitèr negligentia craſſa eſt propriè dolum *ff. depo. quod nerva. in fin.* Et hæc negligentia craſſa ſcientiæ comparatur *ff. de re. du. cum ſex*. Securitas parit negligentiam, & negligentia parit offenſam *de pæ. diſ.* 1. §. *ex his omnibus* ſuper illo verbo *ſi fortè ignoſcat.* Proptèr negligentiam removendus eſt Prælatus *extra de Off. cuſto. c.* 1. Quod intellige de negligentia craſſa *ſecundùm Gloſ. ibidem* ſuper illo verbo *minus idoneus*. Notabilia, niſi ſpecialitèr notentur, neglecta eſſe videntur *ff. de injur. itèm apud Labeonem*. Itèm negligentia, quæ in propriis rebus eſt culpanda, in alienis eſt vituperanda. *C. man. in re mandata*.

ARTICULUS V.

De vitiis, quæ ſimilitudinem falſam habent cum prudentia.

SEquitur videre de quinto, ſcilicèt de vitiis, quæ ſimilitudinem habent cum prudentia; ſcilicèt prudentia carnis, aſtutia, dolus, & fraus. Sciendum igitur, quod circà prudentiam carnis, prudens dicitur aliquis duplicitèr; Uno modo ſimplicitèr, ſcilicèt in ordinem ad finem totius humanæ vitæ; Alio modo ſecundùm quid, ſcilicèt in ordine ad finem aliquem particularem, ſicut dicitur prudens aliquis in negociatione, vel alio hujuſmodi. Si ergò prudentia carnis ſumatur ſecundùm rationem abſolutam prudentiæ, ità ſcilicèt, quod in cura carnis conſtituatur finis totius vitæ, ſic eſt peccatum mortale; quià per hoc avertitur homo à Deo, cum impoſſibile ſit, eſſe plures ultimos fines; & ſic dicitur *Rom.* 8. *prudentia carnis eſt inimica Deo*. Si verò ſumatur ſecundùm rationem particularis prudentiæ, ſic eſt peccatum veniale; Contingit enim aliquandò, aliquem affici inordinatè ad aliquod delectabile carnis ſinè averſione à Deo; undè non conſtituit finem totius vitæ in delectatione carnis; & ſic adhibere ſtudium ad illam delectationem nudam, eſt peccatum veniale. Si verò aliquis actum carnis refert in finem honeſtum, ut cum quis ſtudet commeſtioni proptèr ſubſtentationem corporis, non dicitur prudentia carnis, quià ſic homo utitur cura carnis ad ſubſtentationem corporis, ut ad finem.

Sciendum autèm, quod aliquod peccatum poteſt habere falſam ſimilitudinem cum prudentia duplicitèr. Uno modo inquantum ſtudium rationis ordinatur ad finem, qui non eſt verè bonus, ſed apparens: & hoc pertinet ad prudentiam carnis; Alio modo in quantum aliquis ad conſequendum aliquem finem bonum, vel malum, utitur viis non veris, ſed ſimulatis, & apparentibus; & hoc pertinet ad aſtutiam propriè quoad excogitationem hujuſmodi viarum; ad dolum autèm, & fraudem propriè quoad executionem operis; ſed dolus conſiſtit in verbis, & factis, fraus propriè in factis; Sicuti tamèn *ut dicit Auguſt. contra Julia.* prudentia quandoquè ſumitur in malo abuſivè, ità & aſtutia quandoquè in bono, & hoc propter ſimilitudinem unius ad alteram, propriè tamèn accipitur in malo. Accipitur etiàm dolus abuſivè in bono ſenſu.

Sed quid de ſollicitudine rerum temporalium? Numquid eſt licita?

Reſpondeo ſollicitudo hæc poteſt eſſe triplex. Prima eſt anxietatis, & avaritiæ, & hæc eſt mala; Secunda eſt neceſſitatis, & providentię, & hæc eſt bona; Tertia eſt dubietatis, & diffidentiæ, & hæc etiàm eſt mala. Prima eſt ſuffocans; Secunda ad bonum ordinans; Tertia impediens. *Dominus ergò Matth. 6. dicens: nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*, non prohibet ſollicitudinem ſecundam, ſed primam, & tertiam; & quod homo non confidat plus de ſe, quàm de Deo; *Undè dicit Gloſſ. Interlinearis. Non labor, & providentia damnatur, ſed ſollicitudo mentem ſuffocans*. Oriuntur autèm prædicta vitia ex avaritia; *Undè Greg.* 12 *Maral.* ponit fraudem eſſe filiam avaritiæ.

Digitized by Google

TITVLVS XI.

De juſtitia, & injuſtitia.

CIrcà hoc ſciendum eſt, quod juſtitia triplicitèr poteſt accipi. Primò pro ipſo jure; undè quandoquè dicunt homines de ſuo jure, quod eſt ſua juſtitia. Secundò pro actu reddendi unicuique quod ſuum eſt. Tertiò pro habitu inclinante determinatè voluntatem ad reddendum unicuique quod ſuum eſt, & ad gaudendum de opere juſtitiæ; Quià ut dicit *Philoſ. 1. Ethi. neque juſtum aliquis diceret non gaudentem operatione juſta*. Primo modo juſtitia non eſt virtus, ſed eſt objectum juſtitię virtutis; Secundo modo eſt actus virtutis; Tertio modo eſt virtus.

Nota tamèn quod juſtitia ſecundùm quod eſt habitus virtutis poteſt accipi quatuor modis *ſecundùm Ricc. 3. diſ. 33. quæſt. 3. art. 5. c.* Uno modo communiſſimè ſcilicèt pro qualibet rectitudine animi, & ſic qualibet virtus eſt juſtitia quędam, & ſic fortè ſumit *Anſel. libro de veritate dicens, cap. 12. Juſtitia eſt rectitudo voluntatis proptèr ſe ſervata.* Alio modo pro rectitudine, per quam homo juſtificatur in conſpectu Dei, & ſic ſumitur pro charitate, *& ſic ſumit Auguſt. lib. 83. q. q. 61.* dicens; quod juſtitia, quæ per cętera diffunditur eſt dilectio Dei, & proximi. Tertiò pro qualibet virtute ordinata per juſtitiam legalem ad bonum commune; & ſic eſt idem cum qualibet virtute differens tantùm ſecundùm rationem. Quartò pro habitu determinante voluntatem ad firmitèr volendum ſervare rectitudinem debitam in operationibus, quę ſunt ad alterum; & hoc poteſt eſſe duplicitèr. Uno modo ad alterum, quæ eſt perſona ſingularis; & ſic eſt juſtitia particularis diſtincta per eſſentiam à virtutibus aliis, nec debet dici virtus generalis. Alio modo ad alterum, quod eſt communitas, & ſic eſt juſtitia legalis, & hæc eſt omni virtuti generalis inquantùm præcipit opera exteriora cujuſlibet virtutis ad bonum commune referri, ſecundùm quod vult *Philoſ. 5. Ethi. cap. 9.* Eſt tamèn una virtus ſpecialis diſtincta in eſſentia à virtutibus aliis; undè non eſt generalis aliis per prędicationem; ſed per virtutem.

ARTICVLVS II.

Quid ſit Juſtitia.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt quid eſt juſtitia. Diffinitur autèm juſtitia ſecundum quod conſiſtit in operationibus ad alterum, ſic enim propriè ſumitur; ſic etiàm hoc de ea intendimus à juriſperitis *ut inſti. lib. 1. Ricc. 1. ſic: Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuens.* Voluntas ibi nominat actum, non potentiam. Solent enim habitus deffiniri per actus; *perpetua* deſignat ibi, quod ad rationem juſtitiæ requitur, quod homo habeat propoſitum perpetuo, & in omnibus juſtitiam obſervandi; *Conſtans* verò deſignat quod opportet, quod in hujuſmodi propoſito firmiter perſeveret; *Jus ſuum unicuique tribuens* deſignat actum juſtitiæ per comparationem ad propriam materiam, & objectum. Aliquandò enim ponitur nomen actus pro habitu, qui per actum ſpecificatur; habitus enim dicitur ad actum; objectum enim juſtitiæ eſt ibi: dicit enim *Iſid. lib. Ethi.* Jus dictum eſt, quià eſt juſtum; Juſtum autèm eſt objectum juſtitiæ; *Undè Philoſ. 5. Ethi.* Omnes talem habitum volunt dicere juſtitiam, à quo ſunt operativi juſtorum.

Sciendum autèm, quod hoc nomen jus, eſt primò impoſitum ad ſignificandum rem juſtam; deindè eſt determinatum ad ſcientiam, qua cognoſcitur quid juſtum; deindè ad ſignificandum locum, in quo jus redditur, ut cum dicitur quis comparere in jure. Ulterius illud jus dicitur, quod redditur ab eo, ad quem pertinet facere juſtitiam; In definitione verò prædicta ſumitur jus pro re juſta. Si quis autèm prædictam definitionem vellet reducere in debitam formam, dicere poſſet; quod juſtitia *eſt habitus ſecundùm quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit*, & quaſi eſt eadem cum illa, quam ponit *Philoſ. 5 ethi. dicens, quod juſtitia eſt habitus ſecundùm quem dicitur aliquis operativus ſecundùm electionem juſti.* Licèt autèm juſtitia propriè dicta non ſit niſi unius hominis ad alterum; Metaphoricè tamèn dicitur juſtitia eſſe in uno, & eodem homine, ſecundùm quod ratio imperat iraſcibili, & concupiſcibili, & illæ obediunt rationi, & utilitèr, ſecundùm quod unicuique parti hominis attribuitur, quod ſibi convenit: *Undè Philoſ. 5. ethi.* hanc juſtitiam dicit metaphoricam.

ARTICVLVS III.

De actu juſtitiæ.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de actu juſtitiæ. Circà quod nota, quod proprius actus juſtitiæ, ut dictum eſt, eſt reddere unicuique, quod ſuum eſt, & hoc etiàm dicit *Ambr. lib. 1. de offic.* Eſt etiàm actus juſtitiæ judicium, ſivè judicare; & primum propriè pertinet ad juſtitiam in exequendo; ſecundùm in inſinuando. Judicium enim propriè nominat actum judicis inquantum eſt judex; Judex autèm dicitur, quaſi jus dicens; Jus autèm eſt objectum juſtitiæ; & ideò judicium ſecundùm primam nominis impoſitionem importat rectam deffinitionem juſti, ſivè juris. Quod autèm aliquis benè definiat aliquid in operibus virtuoſis, procedit ex habitu virtutis, & ideò judicium propriè pertinet ad juſtitiam; *Unde Philoſ. 5. ethi.* dicit, quod homines confugiunt ad invicem, ſicut ad quamdam juſtitiam

tiam animatam. Ulterius eſt judicii nomen applicatum ad ſignificandum rectam determinationem in quibuſcumque. In omnibus autèm ad rectum judicium duo requiruntur. Unum eſt virtus præferens judicium, & ſic judicium eſt actus rationis. Secundum eſt diſpoſitio judicantis, ex qua eſt idoneus ad recte judicandum, & ſic in his, quæ pertinent ad juſtitiam procedit judicium ex juſtitia. Sic ergò judicium eſt quidam actus juſtitiæ, ſicut inclinantis ad rectè judicandum; prudentiæ vero ſicut judicium proferentis; Spiritualis autèm judicat omnia 1. *Corint.* 2. quià ex habitu charitatis inclinatur ad judicandum rectè de omnibus, ſecundum regulas divinas, ex quibus pronunciat judicium per ſapientiæ donum; ſicut juſtus per virtutem prudentiæ judicium pronunciat ſecundum regulas juris; *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 6. *art.* 1. *cap.* 1. Accipitur autèm nomen judicii multiplicitèr. Primò pro caſu fortuito, ut cum dicitur: hoc evenit divino judicio; *judicio*, ideſt caſu fortuito. Secundò pro diſcretione animi, ut cum dicitur, quod in pueris non eſt judicium. Tertiò pro ultima voluntate teſtatoris. Quartò pro actione, undè judicium faciendum Quintò pro inſtantia, ſivè ordinatione cauſæ factæ coram judice inter actorem, & reum; & ſecundùm hoc judicium eſt actus humanus trium perſonarum, ſcilicèt Actoris, Rei, & Judicis; Et ſecundùm hanc acceptionem judicium aliud eſt civile, ut illud quod proponitur de pœcunia, vel re alia; Aliud criminale, ut illud, quod agit de criminibus puniendis, ſivè pœnis inferendis. Sextò ſumitur judicium pro ſententia judicis, & ſic eſt actus juſtitiæ, ut ſupra dictum eſt.

ARTICULUS IV.

De injuſtitia.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de vitio oppoſito juſtitiæ, ſcilicèt de injuſtitia, circà quod ſciendum, quod duplex eſt injuſtitia. Una illegalis oppoſita juſtitiæ legali, & hæc ſecundùm eſſentiam eſt vitium ſpeciale, inquantum reſpicit objectum ſpeciale, ſcilicèt bonum commune, quod contemnit; ſed quoad occaſionem eſt vitium generale, quià per contemptum boni communis poteſt homo ad omnia peccata deduci. Sic etiàm omnia vitia inquantum ſunt contrà bonum commune, rationem habent injuſtitiæ, quaſi ab injuſtitia derivata, ſicut etiàm ſupra eſt dictum de injuſtitia. Alio modo dicitur injuſtitia ſecundùm inequalitatem quamdam ad alterum, prout ſcilicèt homo vult habere plus de bonis, ut de divitiis, & honoribus; & minus de malis, ut de laboribus, & damnis; & ſic habet materiam ſpecialem, & eſt vitium ſpeciale, oppoſitum particulari juſtitiæ; Eſt autèm facere injuſtum ex genere ſuo peccatum mortale, quià infert nocumentum alteri, quod de ſe repugnat charitati; qui autèm facit injuſtum ignorans, non facit injuſtum niſi per accidens, quià facit prætèr intentionem, & ideò meretur veniam; & hoc dico loquendo de ignorantia facti, non autèm de ignorantia juris, quià illa non excuſat; *Unde Philoſ. de agentibus injuſta loquens* 5. *Ethi. dicit*: *Quicumque propter ignorantiam peccant, venialia ſunt.* Ille etiàm, qui injuſtitiam facit in parvis, deficit à perfecta ratione ejus, quod eſt juſtum facere, inquantum reputari poteſt non eſſe omninò contrà voluntatem ejus, qui hoc patitur; ut ſi quis auferat alicui pomum unum, vel aliquod tale, de quo ſit probabile, quod indè non lædatur, nec diſpliceat ſibi; *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 49. *art.* 1. & 4. *c.*

TITULUS XII.

De ſpeciebus juſtitiæ, quæ ſunt juſtitia diſtributiva, & commutativa.

DEindè conſiderandum eſt de partibus juſtitiæ; & Primò de partibus ejus ſubjectivis; Secundò de partibus quaſi integralibus; Tertiò de partibus quaſi potentialibus. Circà primum; Primò de ipſis partibus; Secundò de vitiis oppoſitis, ideò hìc ſit

ARTICULUS UNICUS.

De partibus ſubjectivis juſtitiæ.

CIrcà primum ſciendum, quod partes ſubjectivæ, ſivè ſpecies juſtitiæ ſunt duæ, *ut vult Philoſophus* 5. *Ethi.* ſcilicèt juſtitia diſtributiva, & commutativa. Eſt enim ordo unius privatæ perſonæ ad aliam, quem dirigit commutativa juſtitia, quæ conſiſtit in his, quæ mutuò fiunt inter duas perſonas ad invicem. Et eſt ordo ejus, quod eſt commune ad ſingulas perſonas, quem dirigit juſtitia diſtributiva communium ſecundum proportionalitatem.

TITULUS XIII.

De Vitiis oppoſitis prædictis ſpecibus juſtitiæ.

DEindè conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis prædictis ſpeciebus juſtitiæ, & Primò de vitio, quod opponitur juſtitiæ diſtributivæ, ſcilicèt de perſonarum acceptione. Secundò de vitiis oppoſitis juſtitiæ commutativæ; ideò ſit

Digitized by Google

Articulus Unicus.

De vitio oppoſito juſtitiæ diſtributivæ.

CIrcà hunc articulum quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm perſonarum acceptio ſit peccatum?

II. Utrùm acceptio perſonarum habeat locum in diſpenſatione ſpiritualium?

III. Utrùm acceptio perſonarum habeat locum in exibitione bonorum?

IV. Utrùm peccatum acceptionis perſonarum habet in judicio locum?

Circà primum reſpondeo, quod ſic. *Deut. 1. non accipietis perſonam cujuſquam.* Perſonarum autèm acceptio opponitur juſtitiæ diſtributivæ, cujus quidem æqualitas conſiſtit in hoc, quod perſonis diverſa tribuuntur ſecundùm proportionem ad dignitates perſonarum; Si ergò aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ, per quam illud, quod confertur ei, eſt ei debitum, non erit acceptio perſonæ; ſed cauſæ; *Undè Gloſ. ſuper illud Eph. 6. non eſt perſonarum acceptio apud Deum*; dicit, quod juſtus judex diſcernit cauſas, non perſonas. Ut ſi quis promoveat aliquem ad Magiſterium proptèr ſufficientiam ſciētiæ, hic attendit debitam cauſam, non perſonam. Si verò conſideret tantùm hic, quod eſt ille homo, ſcilicèt Petrus, vel Joannes, erit acceptio perſonę. Ad perſonam ejus refertur quælibet conſideratio non faciens ad cauſam, proptèr quam ſit dignus hoc dono; ut ſi quis promoveat aliquem ad Prælationem, vel Magiſterium, quià eſt dives, vel ejus cōſanguineus; ſic igitùr patet quod acceptio perſonarum eſt peccatum, cum juſtitiæ diſtributivæ opponatur in hoc, quod proptèr proportionem agitur; nihil enim, niſi peccatum virtuti opponitur; Undè acceptio perſonę *ſecundùm Alex. Aug. tit. 2. c. de acceptione perſonarum quæſt. 1. art. 1. c. in princ. eſt injuſtitia, qua præfertur perſona perſonæ proptèr indebitam cauſam.*

Sed objicitur, quià Deus videtur perſonas accipere; Quià quandoquè de numero hominum uniùs conditionis, unum per gratiam aſſumit, & alterum in peccato relinquit *ſecundùm illud Matth. 24. Duo erunt in lecto unus aſſumetur, & alter relinquetur, ergò &c.*

Reſpondeo duplex eſt datio; Una pertinens ad juſtitiam, qua ſcilicèt aliquis dat alicui, quod debetur ei, & circà tales dationes attenditur acceptio perſonarum; Alia eſt pertinens ad liberalitatem, qua ſcilicèt gratis alicui datur, quod ſibi non debetur; & talis eſt collatio munerum gratiæ, per quam peccatores à Deo aſſumuntur; & in hac donatione non habet locum acceptio perſonarum, quià quilibet poteſt ſinè injuſtitia de ſuo dare quantum vult, & cui vult *ſecundùm illud Matth. 20. Aut non licet mihi, quod volo facere? tolle quod tuum eſt &c. Hæc Tom. 2. 2. quæſt. 68. art. 1. cap. 2. c. ad tertium*, convenit cum eo *Alex. Aug. ubi ſuprà.*

Circà ſecundùm reſpondeo, quod ſic, *Unde Jac. 2. Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti; Dicit Gloſ. Quis ferat ſi quis divitem eligat ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore*; Sicut enim dictum eſt acceptio perſonarum inquantum talis contrariatur juſtitiæ; Quantò autèm aliquis in majoribus juſtitiam trāſgreditur, tantò gravius peccat: Undè cum ſpiritualia ſint temporalibus potiora, graviùs eſt peccatum accipere perſonas in diſpenſatione ſpiritualium, quàm temporalium. Quià verò perſonarum acceptio eſt, cum aliquid attribuitur perſonæ prætèr proportionem dignitatis ipſius; ideò conſiderandum eſt, quod dignitas alicujus perſonæ duplicitèr poteſt attendi; Uno modo ſimplicitèr, & ſecundum ſe, & ſic majoris dignitatis eſt, quæ magis abundat in ſpiritualibus donis gratiæ; Alio modo per comparationem ad bonum commune; contingit enim quandoquè, quod ille qui eſt minus ſciens, magis conferre poteſt ab bonum commune, proptèr potentiam, vel induſtriam ſecularem, vel proptèr aliquod aliud hujuſmodi; & quià hujuſmodi diſpenſationes ſpiritualium ordinantur principalius ad utilitatem communem *ſecundum illud 1. Corint. 12. Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*; ideò quandoquè ſinè acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium, illi, qui ſunt ſimplicitèr minus boni, melioribus prę̄feruntur; ſicut etiàm gratias gratis datas Deus quandoquè minùs concedit: Undè quilibet eligere tenetur, quantum ad conſcientiam eligentis meliores, vel ſimplicitèr, vel in comparatione ad bonum commune. Et quià ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, ut in pluribus eſſe ſolet utilior, quantum ad bonum commune, quià magis diligit Eccleſiam, in qua eſt nutritus: ideò ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ eſt aliquis de gremio Eccleſiæ eligendus; Quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere meliorem, quià ſic omnis electio calumniam pati poſſet. Sed

Objicitur, quià Prælati Eccleſiæ ſolent ad Eccleſiaſticas dignitates, ſivè beneficia precipuè conſanguineos promovere, quod videtur ad acceptionem perſonarum pertinere?

Reſpondeo circà conſanguineos Prælati diſtinguendum eſt, quod quandoquè ſunt minus digni, & ſimplicitèr, & per reſpectum ad bonum commune, & ſi tales dignioribus prę̄feruntur, eſt peccatum acceptionis perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium: Quare Prælatus non eſt Dominus, ut ea dare poſſit pro libito, ſed diſpenſator *ſecundùm illud 1. Cor. 4. ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei.* Quandoquè verò conſangine i Prælati ſunt ęquè digni ſicut alii, & ſic licitè poteſt ſinè acceptione perſonarum aliquis ſuos conſangineos præferre, quià ſaltèm in hoc præeminent, quod

de

de ipſis magis confidere poteſt, quod ſecum unanimitèr Eccleſiæ negocia tractent; Hoc tamèn eſſet proptèr ſcandalum d mittendum, ſi ex hoc aliqui aſſumerent exemplum dandi bona Eccleſiæ conſanguineis, etiàm indignis.

Objicitur iterùm, quià facilius diſpenſatur cum divitibus, & potentibus, quod contrahant matrimonium in gradu prohibito, quàm cum aliis ergò &c.

Reſpondeo, quod diſpenſatio matrimonii contrahendi principalitèr fieri conſuevit proptèr fędus pacis ſervandum, quod quidèm eſt magis neceſſarium communi utilitati, circà perſonas excellentes; ideò faciliùs cum eis diſpenſatur ſinè peccato acceptionis perſonarum; *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. *o.* & convenit cum eo in omnibus prædictis, ideſt ſolutione præſentis quæs. *Alex. Ang.* 2. *tit.* 2. *c. de acceptione perſonarum quæſt.* 1. *art.* 1. 2. *ar. principalis o.* & *ar.* 3. *principali.*

Ad hoc breviter nota *ſecundùm Alex. Ang. ibidem*, quod beneficium, ſi ſit purè temporale, licet conferre conſanguineo, ſi ſit bonus, ex intentione conſanguinitatis; Si verò ſit annexum ſpirituali, licet ei conferre ex intentione conſanguinitatis, non quidem principalitèr, ſed ſecundariò; ut ſcilicèt non egeat, ſed non ità ut luxurietur. Si verò ſit ſpirituale debet attendi ratio ſpiritualis. Itèm ſolet diſtingui, quod aliud eſt in majori dignitate; aliud in minoribus beneficiis; & aliud cum eligitur aliquis de gremio illius Eccleſiæ; & aliud cum eligitur de gremio alterius Eccleſiæ, ſivè poſtulatur: cum ergò Epiſcopus eligitur, requiritur, quod ſecundùm conſcientiam utilior eligatur; in minori verò beneficio, ſufficit quod bonus. Si verò poſtulatio fiat, major diligentia requiritur; Undè ſi non ſecundum conſcientiam, vel credulitatem eligat meliorem, & utiliorem, peccare videtur; *Hæc Alex. Ang. ubi ſupra* in ſine.

Circà tertium Reſpondeo, honor nihil aliud eſſe videtur quam quædam reverentia in teſtimonium virtutis alicui exibita, *ut patet per Philoſ.* 1. *Ethi.* & ideò virtus ſola eſt honoris debita cauſa. Aliquis tamèn honorari poteſt non tantùm proptèr virtutem propriam, ſed etiam proptèr virtutem alterius; ſicuti Principes, & Prælati honorantur etiàm ſi ſint mali, inquantum gerunt perſonam Dei, & communitatis, cui præficiuntur, & in quantum à Deo habent poteſtatem *ſecundùm Alex Ang. ubi ſuprà art.* 3. 2. *principalis o.* Et ſimilitèr parentes, & Domini ſi ſint mali, proptèr participationem divinę dignitatis, qui eſt omnium Pater, & Dominus. *Undè Exo.* 20. *honora patrem, & matrem tuam. Et Thim.* 6. *dicitur: quicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur.* Senes autèm honorandi ſunt proptèr ſignum virtutis, quod eſt ſenectus; *Undè Levi.* 19. *Coram cano capite ſurge, & honora perſonam ſenis*, hoc tamèn ſignum quandoque deficit: *Undè Sap.* 4. *Senectus enim honorabilis eſt, non diuturna, nequè annorum numero computata; Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Divites etiàm ſunt honorandi pro eo, quod in communitatibus majorem obtinent locum; Si verò ſolo intuitu divitiarum honorentur, ſcilicèt, ut credantur meliores, quià ditiores; vel etiàm honoribus Eccleſiaſticis digniores *ſecundùm Aug.* eſt peccatum acceptionis perſonarum. *Undè dicitur in Gloſ. Jac.* 2. *Quicumque divitem proptèr divitias honorat, peccat; Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 3. *o* & *Alex. Ang. ubi ſuprà* Secùs eſt ſi dives honoretur, ut ſcandalum ejus, & aliorum evitetur, ità tamèn, quod pauperes non contemnantur, nec dives in peccato ſuo foveatur.

Circà quartum reſpondeo quod ſic; *Undè Prover.* 18. *dicitur: accipere perſonam in judicio non eſt bonum.* Intantum enim eſt actus juſtitiæ, prout judex ad æqualitatem juſtitiæ reducit ea, quæ in ęqualitatem oppoſitam facere poſſunt; Acceptio enim perſonarum quamdam inęqualitatem habet, inquantum aliquid attribuitur alicui perſonæ proptèr ſuam proportionem, in qua ęqualitas juſtitiæ conſiſtit; & ideò manifeſtum eſt, quod per acceptionem perſonarum corrumpitur judicium; ſed

Objicitur, quià *Eccl.* 4. *dicitur: In judicio pupillis eſto miſericors*; ſed hoc videtur accipere perſonam pauperis; ergò acceptio perſonæ in judicio non eſt peccatum?

Reſpondeo, quod homo in judicio debet pauperi ſubvenire, quantum poteſt fieri ſine leſione judicii; alioquin locum habet illud *Exod.* 23. *Pauperis non miſereberis in judicio; hæc Thom. ubi ſuprà art.* 3. & 4. *o.* Sic ergò æquitas in judicio debet eſſe, ut à veritate non declinetur occaſione hujus, vel illius perſonæ.

Nec obſtat illud Eccl. 4. *ſcilicèt eſto &c.* quià intelligit, quod judex debet tueri miſerabiles perſonas ab oppreſſione divitum, & potentium. Et ſi amore, vel timore eorum, vel ſola ratione paupertatis deficiunt perſonæ, quæ ſunt neceſſariæ ad inſtructionem cauſæ pauperis, vel perſonæ miſerabilis, judex ex officio tenetur ſubvenire; in veritate autèm ſententiæ neutri parti debet parcere. *Hæc Alex. Ang.* 2. *tit.* & *c. de acceptione perſonarum art.* 3. *in princ. o.*

TITULUS XIV.

De Contumelia, Convicio, & Improperio.

POſteà conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis juſtitiæ commutativæ; horum autèm quædam committuntur circà commutationes involuntarias, putà, per hoc, quod aliquod nocumentum infertur proximo contra voluntatem ejus; Quod quidem fieri poteſt duplicitèr, ſcilicèt Verbo, & Facto; *Facto*, cum pro-

proximus leditur in perſona, vel in rebus; & de his, quæ ſic committuntur dictum eſt ſuprà *lib. 1. de Præceptis*. *Verbo* autèm leditur proximus extra iudicium, & in iudicio; Et quidem de proximi leſione in verbo, & in iudicio habitum eſt ſuprà *lib. 1. ubi agitur de octavo Præcepto*. De illa verò, quæ eſt extra iudicium hic dicendum eſt; & Primò de contumelia. Secundò de detractione. Tertiò de ſuſurratione. Quartò de deriſione. Quintò de maledictione. Sextò gratia huius materiæ, de multiloquio. Septimò quià ore non tantùm peccatur in loquendo, ſed etiam in tacendo; dicendum eſt de taciturnitate. Ideò ſit

ARTICULUS I.

De Contumelia.

Circà primum quęruntur plura; ſcilicèt,

I. Quid ſit contumelia, & utrùm conſiſtat in verbis?

II. Quomodo conveniunt, & differunt hæc tria, ſcilicèt convicium, improperium, & contumelia?

III. Utrùm contumelia, vel convicium ſit peccatum mortale?

IV. Utrùm aliquis debeat contumelias ſibi illatas ſubſtinere?

V. Utrùm contumelia oriatur ex ira?

VI. Utrùm melius fiat vindicta, vel ſatisfactio ſilendo, quàm convicianti reſpondendo?

VII. Utrùm aliquis vinci poſſit in conviciis ab alio, niſi priùs vincatur à ſe ipſo?

VIII. Utrùm contumelia ſit gravior adulatione?

IX. Utrùm contumelia ſit gravior detractione?

X. Qua pœna puniri debet conviciator fratris?

Reſpondeo ad primum ſic propriè loquendo; importat dehonorationem alicuius, ſcilicèt illam, quæ conſiſtit in hoc, quod aliquis illud, quod eſt contra honorem alicuius deducit in notitiam eius, & aliorum, quod quidem fit per aliqua ſigna; *Verba autèm, ut dicit Auguſt. 2. de doct. Chriſt. inter homines obtinent principatum ſignificandi*, & ideò contumelia propriè loquendo conſiſtit in verbo; *Vndè Iſid. lib. Ethi. Contumelioſus*, inquit, *dicitur aliquis, quià velox eſt, & tumet verbis injuria*; Undè contumelia *ſecund. Alex. Ang. 2. tit. 2 c. de contumelia art. 1. in princ. eſt peccatum ex improperio ſermonis manifeſto intendens ad nocumentum proximi*. Quià tamèn etiàm per facta aliqua ſignificatur aliquid; ideò extenſo nomine, contumelia etiàm in factis dicitur eſſe; *Vndè ſuper illud Rom. 1. contumelioſos, ſuperbos &c. dicit Gloſ.* quod contumelioſi ſunt, qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferunt. Eſt autèm contumelia maior, ſi quis alicui dicat eius defectum coram multis, quàm ſi dicat ſibi ſoli. Hoc enim cedit in detrimentum honoris ſui, vel reverentię ſibi ab aliis exibendę, & tamèn etiam ſi ſibi ſoli dicat, contumelia eſt, inquantum facit contrà reverentiam audientis. *Hæc ſecundùm Thom. 2. 2. quęſt. 72. art. 1. c. & Alex. Ang. ubi ſuprà c.*

Circà ſecundum reſpondeo. In hoc conveniunt, quod in verbis principalitèr conſiſtunt, quià per illa omnia repræſentatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris eius. Huiuſmodi autèm defectus eſt triplex, ſcilicèt defectus culpę, qui repræſentatur per convicium, quià dici conſuevit non tantùm animæ, ſed etiàm corporis. Vndè ſi quis iniurioſè dicat alicui, eum eſſe cęcum, convicium dicit; ſed non contumeliam. Si autèm dicat, quod ſit fur, non tantùm convicium, ſed etiàm contumeliam infert. Secundus defectus eſt minorationis, ſivè indigentiæ, qui etiàm derogat honori quamcumque excellentiam conſequenti; & hoc repræſentatur per verbum improperii, quod propriè eſt, quandò aliquis iniurioſè reducit alicui in memoriam auxilium, quod contulit ei neceſſitatem patienti; *Unde Eccl. 20. Exigua dabit, & multa improperabit*. Quandoquè tamèn unum iſtorum ponitur pro alio *ſecundùm Thom. ubi ſuprà* in reſponſione ad tertium argumentum; *& Alex. Ang.* Poteſt etiàm tertio dici, quod convicium dicitur ratione materiæ, ſcilicèt eo quod convicium, vel quaſi vitium imponitur; contumelia verò ratione motivi, eo quod cum quodam tumore progreditur, *ſecund. Alex. Ang. e. tit art. . c. in fine*.

Circà tertium reſpondeo quo ſic; Verba ſecundùm eſſentiam, ideſt inquantum ſunt quidam ſoni audibiles nulli inferunt nocumentum, niſi fortè gravando auditum cum quis nimis altè loquitur; Inquantùm verò ſunt ſigna repræſentantia aliquid in notitiam aliorum, multa damna poſſunt inferre, inter quæ eſt unum, quod homo damnificatur, quantum ad detrimentum ſui honoris, vel reverentiæ ſibi exhibendæ ab aliis. Hæc autèm ſignificatio ex interiori procedit affectu; & ideò in peccatis verborum maximè conſiderandum videtur ex quo affectu aliquis proferat verba. Tùm igitùr convicium, ſivè contumelia de ſui ratione importat quamdam dehonorationem, ſi intentio proferentis ad hoc feratur, ut per verba, quæ profert, honorem alterius auferat; hoc propriè, & per ſe eſt dicere convicium, & contumeliam, & hoc eſt peccatum mortale, non minùs quàm furtum, vel rapina; non enim homo minùs amat honorem ſuum, quàm rem poſſeſſam; undè meretur pœnam inferni, *ſecundùm illud Matth. 5. Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis*. Si verò aliquis verbum convicii, vel contumeliæ dixerit alteri, non tamèn animo dehonorandi, ſed fortè proptèr correctionem, vel proptèr aliquid hujuſmodi, non dicit convicium, vel contumeliam formalitèr per ſe, ſed per accidens, & materialitèr, inquantum ſcilicèt dicitur illud, quod poteſt eſſe convicium, & contumelia; Undè hoc poteſt eſſe quandoquè abſque omni

omni peccato; *Vndè Dominus dixit Apoſto'is Luc. 24. O ſtulti, & tardi corde &c.* Quandoquè verò poteſt eſſe cum peccato veniali, ut ſi ſit leve convicium non multum hominem dehoneſtans, & proferatur ex aliqua levitate animi, vel ex ira levi ſine firmo propoſito aliquem dehonorandi, ut cum aliquis intendit per hujuſmodi verbum aliquem levitèr contriſtare; Vndè requiritur diſcretio, ut homo modeſtè utatur hujuſmodi verbis, quià poteſt eſſe ità grave convicium, quod per incautelam prolatum, honorem ejus, contrà quem diceret, auferret; Et tunc homo mortalitèr peccare poſſet, etiam ſi dehonorationem alterius non intenderet. Sicut etiam ſi quis aliquem incautè ex ludo percutiens gravitèr lcdat, culpa non caret: *Ideò dicit Auguſt. de Ser. Dom. in Monte: Rarò, & ex magna neceſſitate objurgationes ſunt adhibendæ, in quibus non nobis, ſed ut Domino ſerviatur inſtemus.*

Sed objicitur, quià conviciari *ſecundùm Philoſ. 4. Ethi.* eſt actus virtutis, ſcilicèt eutrapeliæ, non ergò eſt peccatum.

Reſpondeo ad eutrapeliam pertinet dicere aliquod convicium leve, non ad dehonorationem, vel contriſtationem ejus, contra quem dicitur; ſed magis ad iocum, & delectationem, & hoc ſine peccato poteſt eſſe, ſi ſerventur debitæ circumſtantiæ. Si verò aliquis non formidet contriſtare eum contra quem profertur huiuſmodi convicium iocoſum, ut excitet in aliis riſum hoc eſt vitioſum, ut patet ibidem. *Hæc Thom. 2.2. quæſt. 72. art. 2. o. & convenit cum eo Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de contumelia art. 2. c.*

Ad quartum reſpondeo quod ſic; quandoquè tenemur enim habere paratum animum ad contumelias tollerandas, ſi expediens fuerit; Non tamèn tenemur hoc ſemper actu facere, ut haberi poteſt ex *verbis Auguſt. lib. de Ser. Dom. in monte.* Quandoquè opportet iniuriam illatam repellere, tùm proptèr bonum contumeliantis, ſcilicèt, ut eius audacia reprimatur, & de cetero huiuſmodi non attemptet *ſecundum illud Proverb. 26. Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur;* Tùm proptèr bonum multorum, quorum profectus impeditur per contumelias nobis illatas; quam rationem tangit *Greg. ſuper Ezech. homil.* 9. & opportet repellere moderate; ſcilicèt ex affectu charitatis, non ex cupiditate privati honoris: *Vndè Proverb. 26. ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris: Hæc Thom. ubi ſuprà art. 3. o.* Attendendæ etiam ſunt conditiones conviciantis, & convinciati, & ſecundùm hoc opportet convicium ſubſtinere, vel non ſubſtinere; Si enim convicium dicatur à provocato perſonæ pari, vel inferiori, vel etiàm ſuperiori, ubi non eſt iniuria officii; & præſumitur de medicina morbi, ſive intemperantiæ per ſubſtinentiam, ſubſtinendum eſt, & eſt meritorium; ſi verò dicatur ſuperiori in iniuriam officii, vel alii coram ipſo, & de remedio temperantiæ nihil præſumatur, ſi ſubſtineatur, non eſt ſubſtinendum. Hoc autèm difficile eſt cognoſcere, cum infertur convicium pari. Quandò autèm infertur inferiori, ſivè delinquens ſit inferior, ſivè non, ſubſtinere eſt opportunum. Prætereà aliud eſt arguere, vel corripere tempore, quo convicians eſt in furore, quià tunc non competit, non enim eſt tunc aptus ad recipiendum; Et aliud eſt iàm ſedato aliquantulum furore, quià tunc eſt ſibi proficuum *ſecundum illud Eccl. 20. quàm bonum arguere, quàm iraſci &c. De primo dicitur Eccl.* 8. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos*, ſcilicèt tempore, quo ira eis dominatur. *Hæc Alex. Ang. ubi ſuprà art. 3. o.*

Circà quintum reſpondeo quod ſic; *ut dicit Greg. 31. moralium.* Contumelia enim magnam habet propinquitatem ad finem iræ, quæ eſt vindicta; Nulla enim vindicta eſt irato magis in promptu, quàm inferre contumeliam, & ideò contumelia maximè oritur ex ira, tamquàm ex principio proximo; nihilominus tamèn naſci poteſt ex ſuperbia proptèr diſpoſitionem concomitantem; qui enim ſuperbi ſunt, æſtimant alios inferiores ſe; undè ex indignatione contumelias infigunt; ſic ergò motivum contumeliæ poteſt eſſe vel appetitus vindictæ, ſcilicèt cum ſe per hoc æſtimat vindicari, & ſic reducitur ad iram, vel contemptus inferioris, vel quaſi inferioris, & ſic ad ſuperbiam; *Hæc Alexan. Ang. ubi ſuprà art. 5. c.*

Circà ſextum reſpondeo ſi fiat comparatio in genere, meliùs eſt ſilere, quàm reſpondere ad victoriam obtinendam, plus enim eſt vincere vitium, quàm perſonam, *ſecundum illud Proverb. 16. Melior eſt ſapiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium:* Si verò fiat comparatio ſecundùm conditiones perſonæ, meliùs poteſt eſſe in caſu reſpondere, quàm ſilere.

In iudice enim eſt laudabile, quod imponat ſtulto ſilentium, tollitur enim ſibi aliquandò præſumptio ſapientiæ per reſponſionem, ut ſcilicèt ſuam ſtultitiam recognoſcat; *Hæc Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de contumelia art. 4. c.* Si quis tamèn hoc animo taceret, ut contumeliantem provocaret ad iracundiam, hoc ad vindictam pertineret; ſed ſi quis taceret, ut det locum iræ, hoc eſt laudabile; *Vndè Eccl. 8. Non litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna; Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 72. art. 3. cap. 3.*

Circà ſeptimum reſpondeo ſimplicitèr quod non; vincitur enim quis à ſe multiplicitèr. Primò cum delinquit, & per hoc eſt cauſa convicii; Secundò ſi delinquit, tamèn dolet de convicio propter ſe, non proptèr conviciantem; Tertiò cum impotentem æſtimat ſe ad vincendum; Si verò nullo horum modorum à ſe vincatur, non poteſt ab alio vinci, licèt victus æſtimetur: *Vnde Criſoſt. Sit aliquis vir mirabilis, & magnus, & omnes vocent eum furem, & hujuſmodi, ille verò non moleſtetur, nec ſit ſibi conſcius alicujus*

ſus talis, licet multi de eo talem habuerint opinionem, non eſt convicium paſſus, ſed illi ſe ipſos confuderunt, ille autem non eſt confuſus. Hæc Alex. Ang. ubi ſuprà in fine.

Circà octavum reſpondeo, quantum ad hoc, quod contumelia dicit bonum malum, eſt gravior; quantum verò ad hoc quod contumelia magis ordinat cognitivam in bonum faciendum, vel ad malum declinandum, eſt minus gravis; Adulatio enim claudit oculum cordis, ne malum videatur; contumelia verò occaſionalitèr aperit, ut videatur malum, & caveatur. *Hæc Alex. Ang. ubi ſuprà art. 6.*

Circà nonum reſpondeo: Gravior eſt, quantum ad hoc, quod pluribus in ea publicatur malum; quantum verò ad hoc eſt minùs gravis, quià magis caveri poteſt malum, quod accidit ex contumelia, quàm quod accidit ex detractione; *Hæc Alex. Ang. ibidem.*

Circà decimum reſpondeo; Pœna pecuniaria facta æſtimatione iniuriæ arbitrio iudicis ſecundùm qualitatem iniuriæ, & hoc ſi civilitèr agatur. Si autèm criminalitèr extraordinaria pœna officio iudicis irrogatur *Inſt. de injuriis* §. *in fine.* Si quis autèm contumeliam, aut convicium intulerit Epiſcopo, mox depoſitus Curiæ tradatur, 2. *quæſt.* 1. *ſi quis ſacerdotum*; Idem eſt *ſecundum Hoſtien.* Si Epiſcopum Dominum ſuum publicè denegaverit, ut ibidem videtur, vel ſi ei auxilium non præbuerit, & occidi permiſerit; vel in eum manus violentas iniecerit *ff. de re jud. omne delictum* §. 1. *& fin. Hæc Hoſtien. tit. de cler. maled.*

T I T V L V S XV.

De Detractione, & Infamatione.

DEindè conſiderandum eſt de detractione, & Primò de ipſa. Secundò de eius pœna, ideò ſit

A R T I C V L V S I.

De Detractione.

CIrcà primum quæruntur plura, ſcilicèt

I. Quid ſit detractio?

II. Vtrùm detractio ſit peccatum mortale?

III. Quid ſit graviùs peccatum, ſcilicèt contumelia, vel detractio?

Ad primum reſpondeo, quod *Detractio eſt alienæ famæ per occulta verba denigratio.* Qui enim profert verba contra aliquem in occulto, quantum in ſe eſt, audientes facit habere malam opinionem de eo contra quem loquitur; Hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, ut verbis eius credatur; Vndè dicitur detrahere, quaſi ſubtrahere, ſcilicèt de fama eius, quod fit quandoquè directè, ut cum quis falſum alii imponit, vel peccatum auget verbis, vel revelat occultum, vel illud, quod eſt bonum dicit mala intentione factum. Quandoquè verò indirectè, ſcilicèt cum bonum alterius negat, vel malitiosè tacet. Vndè patet, quod detractatio differt à contumelia, quià contumelioſus loquitur contra aliquem maniſeſtè, detractor occultè; & quantum ad finem intentum, ſive nocumentum illatum, quià ille derogat honori, detractor famæ; *Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 73. art. 1. c. Alex. Ang. plenius 2. tit. 2. c. de detractione art. 1. o.*

Circà ſecundum reſpondeo, ut dictum eſt ſuprà; Peccata verborum maximè ſunt ex intentione dicentis iudicanda; Detractio autèm ſecundùm ſui rationem ordinatur ad denigrandam famam alicuius; Vndè ille per ſe loquendo detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur eo abſente, ut denigret famam eius; auferre autèm alicui famam eſt valdè grave, quià inter res temporales videtur fama prætioſior eſſe, per cuius defectum homo impeditur à multis benè agendis; proptèr quod dicitur *Eccl. 41. curam habe de nomine bono, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni, & prætioſi*; & ideò detractio per ſe loquendo eſt peccatum mortale; *Vnde ad Rom. 1. dicitur: detractores Deo odibiles*; Quod ideò dicitur, *ut dicit Gloſ., ne leve putetur, propter hoc, quod conſiſtit in verbis.* Contigit tamèn quandoquè, quod aliquis dicit aliqua verba, per quę diminuitur fama alicuius non intendens hoc, ſed aliquid aliud; Hoc autèm non eſt detrahere per ſe, & formalitèr loquendo; ſed tantùm materialitèr, & quaſi per accidens; & ſi quidem verba, per quæ fama alicuius diminuitur, proferat propter aliquod bonum, vel nocumentum evitandum, debitis circumſtantiis ſervatis, non peccat, nec poteſt dici detractio; *Si* autèm proferat ex animi levitate, vel proptèr aliquid aliud non neceſſarium, non peccat mortalitèr, niſi fortè verbum, quod dicit, notabilitèr famam alicuius ledat, & præcipuè in honeſtate vitæ, quià hoc ex ipſo genere verborum rationem habet peccati mortalis, & tenetur aliquis ad reſtitutionem faciendam, ſicut ad reſtitutionem cuiuſlibet rei ſubtractæ; *Hæc Thom. ubi ſuprà art. 2. c.*

Nota *ſecundum* Alex. Ang. *ubi ſupra art. 3. c.* quod revelare malum proximi ei, qui poteſt, & vult prodeſſe, & eo ordine, quo debet, & quo fine opportet, cum aliis circumſtantiis debitis ad eius correctionem, vel nocumenti, quod ibidem poteſt accidere, vitationem, eſt bonum; Si verò debitæ conditiones deſint, eſt malum; Et ſi quidem dicatur ex levitate, nec ſit voluntas nocendi, nec aggravetur ex circumſtantiis, eſt peccatum veniale; Si autèm ex deliberatione in nocumentum proximi, eſt mortale. Ad hoc etiàm nota *Gloſ. ſuper illud Proverb. 24. cum detractoribus non commiſcearis. Hæc*, inquit,

ſpe-

ſpecialiter vitio periclitatur ferè totum genus humanum; hoc ideò dicit; tùm quià pauci per viam ſalutis ambulant, tùm quià pauci, vel nulli ſunt, qui non aliquandò ex animi levitate aliquod dicant, undè in aliquo, vel leviter ſama alterius minoretur; *Vnde Hieron. dicit: Raro invenies, qui ità irrepræhenſibilem velit exhibere vitam ſuam, ut non libenter reprehendat alienam.*

Itèm nota *ſecundum Ray.* quod detractio, ſive infamatio quandoque fit verbis planis; quandoque verbis artificioſis, ideſt artificiosè excogitatis, ſicut cantilenis; quandoquè nutibus, & ſignis; quandoquè etiàm ſcriptis, qui dicuntur libelli famoſi, ut cum quis ſcribit cartam in iniuriam, & infamiam alterius, & proiicit occultè in Eccleſia, vel in platea, vel domo, ut inventa, & lecta alius infametur, & talis mortalitèr peccat; & contrà confectores talium libellorum, nec non & contra invenientes eos, & non ſtatim deſtruentes, ſed dolosè manifeſtantes, pœnæ graviſſimæ ſunt inſtitutæ, tàm ſecundùm leges, quàm ſecundùm Canones; ut flagellatio, excommunicatio *ſecundùm Canones 5. quæſt. 1. qui in alterius, & cap. hi, qui &c.* & ſi conſtet quis fecerit, poteſt accuſari, & deponi, cum ſit grave peccatum, & accuſatione digniſſimum, & condemnatione, *diſt. 25. §. nunc autèm circa mediùm di. Et decapitat. ſecundùm leges C. de famo. libel. l. u. Et 5. quæſt. 1. ſi quis famoſum.* In foro autèm penitentiæ tenetur ad reſtitutionem damni dati, ſcilicèt ſi aliàs abſque hujuſmodi infamatione non incurriſſet illud damnum; tenetur etiàm ad reſtitutionem famæ, ſi fortè propter hoc alius eſt infamatus: Quod fiet hoc modo, ſcilicèt, ut ubi publicè dixit verbis, vel cantilenis per ſe, vel per alium; vel etiàm ubi projecit libellum famoſum, nec non, & aliis locis ubi intelligit illum, contra quem hæc acta ſunt, infamatum, hoc eſt occaſione ſui dicti, vel facti, vel ſigni, publicè ſimilitèr recognoſcat errorem ſuum, & culpam per ſe ſi audet, vel per alium, ſi non audet per ſe, & pro poſſe removeat, vel ſaltèm alleviet infamiam; tenetur etiàm ſecum componere, & de injuria humilitèr veniam poſtulare in propria perſona, ſi audet; vel per alium, ſi non audet per ſe tacito nomine; *Probantur hæc 14. quæſt. 6. ſi res, & 5. quæſt. 1. quædam. Hæc Ric. Secundùm tamèn Hoſtien.* ſi ille, qui diffamavit ex recognitione erroris ſui magis infamaret infamatum, non dicat, ego de tali facto infamaveram; ſed dicat ſic; Ego infamaveram talem de eo, de quo eſt inter vos infamatus, benè ſcitis quid eſt illud; ſciatis, quod ego tanquàm malitioſus, & malus hæc adinveni, & mendacium eſt quidquid dixi; Et non dicat falſum, ſeù mendacium, quià contrà mentem dicebat proximum infamando, & tamèn verum poteſt eſſe, quod dicebat.

Sed quid ſi de diverſis infamatum, & à diverſis? Nam tunc neceſſe eſt, ut ſpecificetur, ſicut videtur.

Reſpondet *Hoſtien.* quod faciat hoc ad arbitrium infamati; vel ſi graviter arbitraretur, ad arbitrium judicis debent ſe purgare; *art. extrà de jurejur. veniens, & c. quintavallis, & de arbit. cap. 2.* De hac etiàm materia, ſcilicèt de reſtitutione famæ vide in *lib. 5. tit. de reſtitutione art. 2. quæſt. 3.*

Circà tertium reſpondeo, quod contumelia inquantum habet majorem proximi læſionem; ſicut & rapina eſt gravius peccatum, quàm furtum, ut dictum eſt ſuprà.

Ex quo vitio præcipuè oritur detractio?

Reſpondeo ex invidia, quià nititur qualitercumque minuere gloriam proximi.

Utrùm audiens tolerans detrahentem gravitèr peccet?

Reſpondeo quod ſic; Videtur enim conſentire detractori, undè fit particeps peccati ejus, & ſi inducat eum ad detrahendum, vel ſaltèm placeat ei detractio propter odium ejus, cui detraitur, non minus peccat, quàm detrahens, & quandoquè magis; *Vndè Ber. Detrahere, aut detrahentem audire, quod horũ damnabilius ſit, non facile dixerim. Et Hieron. Non minus auribus, quàm lingua fugiat detractiones.* Si verò placeat ei peccatum; ſed ex timore, vel negligentia, vel etiàm verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multò minùs, quàm detrahens, & plerumque venialitèr. Quandoquè etiàm hoc poteſt eſſe peccatum mortale; vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit corripere detrahentem; Vel proptèr aliquod periculum conſequens; Vel propter radicem, quæ timor humanus poteſt eſſe quandoquè peccatum mortale, ut habetur infrà. Non tamèn debet aliquis reſiſtere detractori arguendo eum de falſo, maximè ſi ſciat eſſe verum, quod dicit, ſed deberet eum verbis redarguere de hoc, quod peccat fratri detrahendo; vel ſaltem oſtendere, quod ei detractio diſpliceat per triſtitiam faciei, quià *ut dicitur Proverb. 25. Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem. Et Hieron. Si in nobis eſſet diligentia, ne paſſim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent. Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 73. art. 3. & 4. c.* & cum eo convenit *Alex. 2. tit. 2. c. de detractione art. 5. 0.*

ARTICVLVS II.

De Pœna Detractoris.

Sequitur videre de ſecundo, ſcilicèt de pœna detractoris. Circa quod ſciendum, quod detractor, ſecundum quod notat Goff. fit infamis, & ab Eccleſia projicitur *6. quæſt. 1. deteriores*; Itèm punitur ut homicida, *ut ibidem ſe. c. & de pœn. diſ. 1. homicidiorum*; Non quod detrahere ſit crimen ità grave, ſicut occidere; ſed quià punitur pœna æterna, ſicut occidere,

Digitized by Google

ſic dicitur Matth. 5. qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit gehennæ ignis.

TITVLVS XVI.

De Suſurratione.

POſteà conſiderandum eſt de ſuſurratione, circà quàm ſit

Articulus Unicus.

An ſit peccatum diſtinctum à detractione? & an ſit gravius peccatum detractione?

CIrcà primum reſpondeo, quod convenit cum detractione in materia, & modo loquendi; quià uterque dicit de proximo malum occultè, propterquod aliquando unum ponitur pro alio *Undè Eccl. 5. non appelleris ſuſurro*, ſuſurrones verò amicitiam nituntur ſeparare; *Undè ſuper illud Rom. 1. Suſurrones, detractores, dicit Gloſſ. Suſurrones inter amicos diſcordiam ſeminantes, detractores aut aliorum bona negant, vel minuunt.* Criminator autèm differt ab utroque,quià criminator eſt,qui publicè crimina aliis imponit,ſcilicèt accuſando, vel conviciando, quod non pertinet ad illos. Bilinguis autèm propriè dicitur ſuſurro; ſuſurro enim nititur amicos ab invicem ſeparare, ideò ad eos duabus utitur linguis, dicens uni malum de alio; Ideò dicitur *Eccl. 28. Suſurro, & bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes.*

Circà ſecundum reſpondeo quod ſic; Quià amicus præeminet inter exteriora bona. *Eccl. 6. Amico fideli nulla eſt comparatio*, quià & optima fama, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè neceſſaria eſt, & ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. Eſt etiàm majus peccatum, quam contumelia, quià melior eſt amicus, quàm honor; & amari, quàm honorari, ut dicitur 8. *Etib.* Undè benè oſtenditur gravitas hujus peccati *Proverb. 6. ubi dicitur: ſex ſunt, quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*, & hoc ultimum ponit eum, qui ſeminat diſcordiam inter fratres; *Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 74. art. 1. & 2. c.*

TITVLVS XVII.

De Deriſione, ſivè illuſione, & ſubſannatione.

DEindè conſiderandum eſt de deriſione, ideò ſit

Articulus Unicus.

An deriſio ſit ſpeciale peccatum diſtinctum ab aliis peccatis, quibus per verba proximus læditur? Et an deriſio ſit aliquandò peccatum mortale?

CIrcà primam quæſiti partem reſpondeo, quod ſic; quià finis ejus eſt diſtinctus ab aliis, qui ſcilicèt eſt confuſio, & erubeſcientia illiùs, qui deridetur; ſicut enim convicians intendit depreſſionem, & detrahens infamiam, & ſuſurrans diſcordiam; ſic deridens erubeſcientiam; In hoc autèm, ſcilicèt fine convenit, cum ſubſannatione, ſed differt in modo, quià irriſio fit ore, ideſt verbo chachino, ſubſannatio autèm naſo rugato, *ut dicit Gloſ. ſuper illud Pſal. qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Talis enim differentia non diverſificat ſpeciem; utrumque enim differt à contumelia, ſicut erubeſcentia à dehonoratione; eſt enim erubeſcentia timor dehonorationis, *ut dicit Dam.*

Circà ſecundam partem quæſiti, reſpondeo quod ſic; Cum enim aliquis malum, vel defectum ponit in ludum, vel riſum, qui ſecundum ſe eſt parvum malum, eſt veniale, & leve peccatum ſecundùm genus ſuum *ſecundùm Thom. 2. 2. quæſt. 75. art. 1. & 2. c.* Poteſt eſſe etiàm veniale peccatum, cum quis deridet aliquem ex levitate, nec vellet ejus malum *ſecundùm Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de deriſione art. 2. c.*

Cum autèm accipitur quaſi parvum ratione perſonæ, ſicut defectus puerorum, & ſtultorum, parum ponderare ſolemus,aliquem ſic illudere,vel deridere, eſt eum omninò parvipendere, & eum tam vilem æſtimare, ut non ſit de ejus malo curandum, ſed quaſi pro ludo habendum, & ſic eſt peccatum mortale, & eſt graviùs, quàm contumelia, quià contumelioſus videtur accipere ſeriosè, illuſor autèm in ludum, & ità videtur eſſe major contemptus, & dehonoratio. Eſt autèm illuſio, ſivè deriſio peccatum tantò gravius, quantò major reverentia debetur perſonæ, quæ irridetur; Undè grave peccatum eſt deridere juſtos, quià hoc multos retrahit à bono *Job 12. Deridetur juſti ſimplicitas*; Et graviùs eſt deridere parentes *Proverb. 30. Oculum, qui ſubſannat patrem, & deſpicit peccatum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus*; Et graviſſimum

num eſt irridere Deum, & quæ ſunt Dei *ſecundum illud 4. Reg. 19. cui exprobaſti*, & ſequitur, *contra Sanctum Iſrael*, ſcilicèt Deum; *Hæc Thom. ubi ſuprà art. 2. c.*

TITULUS XVIII.

De Maledictione.

ARTICULUS UNICUS.

Varia circa Maledictionem quæſita reſolvuntur.

POſteà conſiderandum eſt de maledictione, & circa hoc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm maledicere ſit ſemper malum?

II. Utrùm maledictio ſit idem, quod Blaſphemia?

III. Utrùm liceat creaturam irrationalem maledicere?

IV. Utrùm maledicere ſit peccatum mortale?

V. Utrùm maledictio ſit gravius peccatum, quam detractio?

Circà primum reſpondeo quod ſic; Maledictio fieri poteſt, vel reſpectu ejus, qui dignus eſt benedictione, vel cui competit benedictio; poteſt etiàm fieri zelo juſtitiæ, vel vindictæ; Ab illo etiàm fieri poteſt, cui convenit ex officio, vel non competit; Si ergò fiat maledictio reſpectu ejus, qui meretur maledictionem, cum aliis debitis circumſtantiis, erit maledictio bonum, licèt ſit malum ei, qui maledicitur; Si verò fiat illi, qui non meretur maledictionem, vel deſint aliquæ debitæ circumſtantiæ, erit maledictio malum. *Hæc Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de maledictione art. 1. c.*

Circà ſecundum reſpondeo quod ſic; Maledictio creaturæ, inquantum creatura eſt, redundat in Deum, & ſic per accidens habet rationem blaſphemię, & ſic in *Canonica Judę* accipitur blaſphemia pro maledictione, *ut dicit Gloſ. cum*, inquit, *Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus in Deum inferre blaſphemiam*. Et eadem ratio eſt de detractore; *Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 76. art. 4. cap. 2. & convenit cum eo Alex. Ang. ubi ſuprà art. 7. c. 2.*

Utrùm liceat aliquem maledicere?

Reſpondeo, quod ſic quandoquè: ſi enim aliquis impræcetur, vel optet malum alicujus ſub ratione mali, hoceſt inquantum eſt malum intendens ipſum malum, & ſic non licet; & hoc eſt maledicere propriè loquendo, & ſic præcipit *Apoſtolus Rom. 7. Benedicite, & nolite maledicere*. Si autèm ſub ratione boni intendendo ſcilicèt bonum, ſic licet, nec eſt maledicere propriè loquendo, ſed per accidens; quià principalis intentio dicentis non fertur ad malum; ſed ad bonum. Hoc autèm contingit duplicitèr; quandoquè ſub ratione juſti, & ſic judex licitè maledicit illum, cui præcipit juſtam pœnam inferri; Sic etiàm Eccleſia maledicit anatematizando; Sic etiàm Prophetæ impræcabantur mala peccatoribus, quaſi conformantes voluntatem ſuam divinæ juſtitiæ, licèt hujuſmodi impræcationes poſſint intelligi per modum pronunciationis. Quandoquè verò dicitur aliquod malum ſub ratione utilis, ut cum quis optat aliquem peccatorem pati aliquod impedimentum, ut ipſe melior efficiatur; vel ſaltèm, ut ab aliorum nocumento ceſſet. Dicere autèm malum alterius per modum enunciationis, ſicut aliquid exprimitur modo indicativo, pertinet ad detractionem; *Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 76. art. 1. c.* & convenit cum eo *Alex. Ang. tit. 2. art. 4. c.*

Circà tertium reſpondeo; Quod maledictio ad illud propriè pertinet, cui poteſt aliquid, vel benè, vel malè contingere, ſcilicèt rationali creaturæ. Aliis autèm dicitur bonum, vel malum contingere in ordine ad creaturam rationalem; ordinatur autèm aliquid ad eam triplicitèr. Primò per modum ſubvenientis; *& ſic Gen. 3. dixit Deus homini: Maledicta terra in opere tuo*, ut ſcilicèt per ejus ſterilitatem puniretur homo. Secundò per modum continentis, ſcilicèt temporis, vel loci, & ſic Job maledixit diei nativitatis ſuæ, proptèr culpam originalem, quam naſcendo contraxit, & proptèr contractas pœnalitates; & utroque modo poteſt intelligi David maledixiſſe montibus Gelboe 2. *Reg.* 1. Tertiò per modum ſignificationis; & ſic Dominus maledixit ficulneæ in ſignificationem Judeorum. Maledicere verò eis ſecundum ſe conſideratum eſt otioſum, & vanum, & per conſequens illicitum; *Hæc Thom. ubi ſuprà art. 2. c. & Alex. Ang. ubi ſuprà art. 3. c.*

Circà quartum reſpondeo, quod ſic ex genere ſuo, cum ſecundùm ſe charitati repugnet, qua diligimus proximum; *Undè 1. Corint. 6. neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*, & eſt peccatum tantò gravius, quantò perſonam, cui maledicimus, magis amare, & revereri debemus: *Undè Lev. 20. Qui maledixerit patri ſuo, & matri, morte moriatur*. Contingit tamèn verbum maledictionis prolatum eſſe peccatum veniale, vel proptèr mali parvitatem, quod quis alteri impræcatur; vel etiàm proptèr affectum proferentis maledictionis verba; dum ex levi motu, vel ludo, vel ex ſurreptione aliqua, talia profert, quià peccata verborum maximè ex affectu penſantur, ut ſuprà dictum eſt; *& ſic Aug. in Homilia de Purgatorio* ponit inter alia peccata, facilè, vel temerariè maledicere. *Dicit tamèn* Alex. Ang. quod ſi talia ducantur in conſuetudinem, poſſunt eſſe mortalia propter contemptum. *Hæc Thom. ubi ſuprà art. 3. c. & Alex. Ang. ubi ſuprà art. 2. c.*

Circà quintum reſpondeo, quod non; dicere enim malum culpæ per modum enunciationis,

nis, quod pertinet ad quatuor vitia præmiſſa, eſt peccatum, inquantum ex hoc proximo infertur aliquod nocumentum; Graviùs autèm peccatum eſt nocumentum inferre, quàm deſiderare, cæteris paribus; Undè detractio ſecundùm communem rationem eſt gravius peccatum, quàm maledictio ſimplicitèr deſiderium exprimens. Maledictio verò, quæ fit per modum imperii cum habeat rationem cauſæ, poteſt eſſe detractione gravior, ſi majus nocumentum inferat, quàm ſit denigratio famæ, vel etiàm levior ſi minus; Et hæc accipi debent ſecundùm pertinentiam per ſe ad hæc vitia. Poſſunt etiàm, & alia per accidens conſiderari, quæ dicta vitia vel augent, vel minuunt; *Hæc Thom. de hac materia. Hoſt. tit. de cler. maled.*

Nota, quod maledicorum alii maledicunt, ſivè blaſphemare præſumunt Deum, alii homines, aliis facta hominum, & dicuntur maledici, quaſi maledicentes. Generalitèr etiàm poteſt dici maledicus is, qui obloquitur de aliquo homine ei detrahendo, vel eum deprimendo *extra e. cap.* 1. Itèm ſi quis maledixerit Eccleſiaſtico Principi dicendo publicè aliqua verba in depreſſionem ſui officii, vel beneficii, ſi ſit clericus debet arbitrariè per judicem ſuum puniri, ità quod exemplo eius cęteri territi contra Romanam Eccleſiam non prorumpant *extra e. cap. 1. Et idem credit Hoſt. de Laico, ut 25. quæſt. 1. paratam*. Tamèn ut notat *Goſ. e. tit. Papa* idem dicere poteſt; Sic dicit Imperator Maximianus de eo, qui maledixit ſibi, ſcilicèt quod ſi hoc ex levitate proceſſit, contemnendum eſt §. *ff. ad l. Jul. ma. famoſi*; Si ex inſania miſerandum; Si ex iniuria remittendum *C. ſi quis male impe. l u.* Itèm de pœna maledicorum quære *infrà in lib. 5. tit. de Canonibus pænitentialibus*.

TITVLVS XIX.

De Multiloquio, & verboſitate, ſivè linguoſitate, & Taciturnitate.

ARTICVLVS I.

De Multiloquio.

DEindè conſiderandum eſt de multiloquio ſimul, & taciturnitate, & Primò de multiloquio; Circà quod ſciendum *ſecundum Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de multiloquio art.* 1. Quod multiloquium dicitur hic, ut eſt multitudo locutionis cum ſuperfluitate, vel proptèr utilitatem, vel neceſſitatem, & ſecundum hoc in multiloquio eſt peccatum. *Vndè Proverb.* 10. *in multiloquio peccatum non deerit*. Non autèm accipitur hic in ſua generalitate, in qua poteſt fieri benè, & malè; Opportet enim multis ſermonibus uti in difficilibus declarandis. Sciendum autèm, quod aliud eſt propriè loquendo multiloquium, & aliud verboſitas, ſivè linguoſitas. Verboſitas enim ſonat in contemptum provenientem ex conſuetudine ſuperfluæ, & inordinatæ locutionis. Multiloquium verò non determinat tantum, quantum linguoſitas, ſed ſtat in genere; & licèt multiloquium ſit aliquandò veniale peccatum, ſcilicèt pro ut eſt circa linguoſitatem, propter quod *Auguſt.* loquens de minutis peccatis, inter alia ponit illud, quoties loquitur quis plus, quàm opportet; nihilominùs autèm verboſitas, ſivè liguoſitas poteſt eſſe mortale peccatum; *Vnde Job. 2. Numquid vir verboſus juſtificabitur*, quaſi dicat: *Non*.

ARTICVLVS II.

De Taciturnitate.

SEquitur videre de taciturnitate. Circà quod ſciendum, quod tacere aliquando eſt actus virtutis; *Vnde* Greg. *dicit*; *Os diſcretum, & congruo tempore vox aperit, & rurſus congruo tempore taciturnitas claudit*. Aliquandò verò eſt nomen vitii; *Vnde Greg. Inordinatum ſilentium ſi culpa non eſſet, Propheta non dixiſſet: Veh mihi, quià tacui!* Si verò quæratur in quo genere peccati ſit, ſcilicèt delicti, vel commiſſi, dicendum quod in genere delicti: Tacere enim nihil aliud eſt, quàm non loqui in eo, qui poteſt loqui pro tempore, & loco, & aliis circumſtantiis; undè cum tenetur loqui, & non loquitur, peccat peccato delicti; ſicut ſi tenetur loqui pro loco, & tempore, & aliis circumſtantiis, & non loquitur, tranſgreditur.

Eſt autèm taciturnitas aliquandò peccatum veniale; aliquandò mortale. In his enim, quæ tenetur homo loqui, tacere, eſt peccatum mortale: verbi gratia tenetur homo proprium peccatum confiteri pro tempore debito, & aliis circumſtantiis, & mederi proximo ſermoni medicinali pro tempore debito, & aliis circumſtantiis; in his eſt peccatum mortale. Cum autèm non tenetur, ſed expedit, vel decet, eſt veniale. Quandò autèm hoc non eſt, & quandò eſt, determinare de ſingulis eſt difficile; ſed ipſa unctio docet, quod non permittit hominem ſibi adherentem de facili errare; Quod autèm *dicit* Greg. *Qui corrigere non valet, increpare non deſinat, ne ſe participem delinquentium ex conſenſu taciturnitatis addicat*, intelligitur de illo, qui tenetur ex officio corrigere, & mederi aliis in verbo correptionis, in talibus enim ſi fiat omiſſio pro tempore debito, eſt peccatum mortale.

Sed poteſt quæri proptèr illud *Eccl.* 20. *homo ſapiens tacebit uſque ad tempus*, quod ſit illud tempus?

Reſpondeo, quod illud tempus eſt, quando eſt opportunitas ex parte audientium, quandò ſcilicèt aliqui ex eis libentèr audiunt; *Sic enim dicit Apoſtolus 2. Thim. ult. Prædica verbum,*

inſta

inſta opportunè, importunè. Gloſ. opportunè, quantum ad eos, quibus placet; Importunè, quantum ad eos, quibus non placet. Et hoc dicit, quià etſi non placet aliquibus, dum audiunt, prodeſſe nihilominus impoſterum poteſt. Si autèm non adſint auditores aliqui, quibus audire placeat; aut creditur tales eſſe corrigibiles, & tunc etiam inſtare debet prædicator importunè; Si autèm credantur omninò eſſe incorrigibiles debet à prædicatione ceſſare *ſecundum illud Matth. 7. Nolite Sanctum dare canibus, nec margaritas projicere ante porcos.*

TITVLVS XX.

De partibus juſtitiæ, quæ ſunt declinare à malo, facere bonum, & de vitiis oppoſitis.

POſteà conſiderandum eſt de partibus quaſi integralibus juſtitiæ, quę ſunt, facere bonum, & declinare à malo; & de vitiis eis oppoſitis, ſcilicèt de tranſgreſſione, & omiſſione. Primò autem dicendum de prædictis duabus partibus juſtitiæ. Secundò de tranſgreſſione, & omiſſione, ideò ſit

ARTICULUS I.

De dictis duabus partibus juſtitiæ.

CIrcà primum ſciendum, quod duo prædicta ſunt partes juſtitiæ; *Unde Aug. de cor. & gra.* ponit ad juſtitiam legis illa duo pertinere. Si enim loquamur de bono, & malo in communi, prædicta duo pertinent ad omnem virtutem; & ſecundùm hoc non poſſunt poni partes juſtitiæ, niſi fortè juſtitia accipiatur pro ut eſt omnis virtus, licèt juſtitia ſic accepta reſpiciat quamdam ſpecialem rationem boni, pro ut ſcilicèt eſt debitum in ordine ad divinam, vel humanam legem. Sed juſtitia ſecundùm quod eſt virtus ſpecialis reſpicit bonum ſub ratione debiti ad proximum; & ſecundùm hoc ad juſtitiam ſpecialem pertinet facere bonum ſub ratione debiti in comparatione ad proximum, & vitare malum oppoſitum, ſcilicèt quod eſt proximo nocivum. Ad juſtitiam verò generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad proximum, vel ad Deum, & vitare malum oppoſitum. Dicuntur autèm hæc duo partes juſtitiæ generalis, vel ſpecialis, quaſi integrales, quià utrumque eorum requiritur ad perfectum actum juſtitiæ; Ad juſtitiam enim pertinet æqualitatem conſtituere, & conſtitutam conſervare. Conſtituit autèm aliquis æqualitatem juſtitiæ faciendo bonum, ideſt reddendo alteri, quod debetur ſibi; Conſervat autèm æqualitatem juſtitiæ jam conſtitutæ, declinando à malo, ideſt nullum nocumentum inferendo proximo.

Ad hoc nota, quod hæc duo ponuntur partes juſtitiæ ſecundum aliquam propriam rationem boni, & mali, ut dictum eſt; non autèm ponuntur partes alicujus alterius virtutis moralis, quià aliæ virtutes morales conſiſtunt circa paſſiones, in quibus bonum facere eſt ad medium venire, quod eſt ab extremis, quaſi à malis declinare; & ſic redit in idem in aliis virtutibus bonum facere, & à malo declinare. Sed juſtitia conſiſtit circa operationes, & res exteriores, in quibus aliud eſt ęqualitatem facere, & aliud factam non corrumpere.

Nota etiam, quod facere bonum eſt actus completivus juſtitiæ, & quaſi pars ejus principalis; Declinare verò à malo eſt actus imperfectus, & ſecundaria pars ejus; & ideò eſt quaſi pars ejus materialis, ſinè qua non poteſt eſſe pars formalis completiva.

Sed objicitur, quià ſuper illud *Pſal. Diverte à malo, & fac bonum, dicit Gloſ. Illud vitat culpam; hoc meretur vitam, & palmam;* Sed quælibet pars virtutis meretur vitam, & palmam ergò &c.

Reſpondeo, quod declinare à malo ſecundùm quod ponitur pars juſtitiæ, non importat negationem puram, quod non eſt facere malum; hoc enim non meretur palmam, ſed tantùm vitat pœnam. Importat autèm motum voluntatis repudiantis malum, ut etiàm nomen declinationis oſtendit, & hoc eſt meritorium, præcipuè cum aliquis impugnatur, ut malum faciat, & reſiſtit. *Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 79. art. 1. 0.*

ARTICVLVS II.

De tranſgreſſione, & omiſſione.

CIrcà ſecundum quęruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm tranſgreſſio ſit ſpeciale peccatum?

II. Utrùm omiſſio ſit ſpeciale peccatum?

III. Utrùm tranſgreſſio ſit graviùs peccatum omiſſione?

IV. Utrùm utrumque ſit peccatum mortale?

Circà primo reſpondeo, quod ſic. Nomen enim tranſgreſſionis derivatum eſt à motibus corporalibus ad actus morales; dicitur autèm aliquis ſecundùm motum corporalem tranſgredi, quià graditur ultra præfixum terminum ſibi. Moralitèr verò; quià graditur ultra terminum, qui ſibi præfigitur per pręceptum negativum; & ideò tranſgreſſio propriè dicitur, quandò aliquis agit contrà præceptum negativum, quod quidem materialitèr poteſt eſſe commune omnibus ſpeciebus peccatorum, quià per quamlibet ſpeciem peccati tranſgreditur homo præceptum aliquod divinum. Si verò ſumatur formalitèr, ſcilicèt ſecundum iſtam rationem ſpecialem, quæ eſt facere contra præceptum negativum, ſic eſt ſpeciale peccatum duplicitèr. Uno modo, ſecundùm quod opponitur generibus peccatorum aliis virtutibus oppoſitis; ſicut etiam ad propriam rationem juſtitię pertinet attendere debitum præcepti, ità ad propriam

priam rationem tranſgreſſionis pertinet attendere contemptum præcepti. Alio modo ſecundùm quod diſtinguitur ab omiſſione, quod contrariatur præcepto affirmativo.

Eſt autèm ſciendum, quod ſicut juſtitia legalis eſt omnis virtus ſubjectivè, & quaſi materialitèr; ità etiam injuſtitia legalis eſt materialitèr omne peccatum; & ſic deffinit *Ambr.* peccatum ſecundùm ſcilicèt rationem juſtitiæ legalis dicens: *Peccatum eſt tranſgreſſio legis divinæ*; *Hæc Thom. ubi ſuprà art.* 2. *c.* & *c.* 1.

Circà ſecundum reſpondeo quod ſic; Importat enim prætermiſſionem debiti boni, quod quidem pertinet ad juſtitiam propriè; ad generalem quidem, ſi ſumatur debitum in ordine ad legem divinam, vel humanam; ad ſpecialem verò ſi in ordine ad proximum: Undè eo modo, quo juſtitia eſt virtus ſpecialis, ut ſuprà dictum eſt, & omiſſio eſt ſpeciale peccatum diſtinctum à peccatis oppoſitis virtutibus aliis. Eo verò modo, quo facere bonum, cui opponitur omiſſio, eſt quædam ſpecialis pars juſtitiæ diſtincta à declinatione mali, cui opponitur trangreſſio; diſtinguitur enim omiſſio à tranſgreſſione; eſt autèm omiſſio peccatum actuale, pro ut negatio actus reducitur ad genus actus.

Ad hoc nota, quod quià nullus tenetur ad impoſſibile, ideò nullus omittit non faciendo, quod non poteſt; & hoc dico ſi ſit impotens prętèr ſuam culpam. Si verò ſit impotens propter ejus culpam præcedentem, ut cum quis inebriavit ſe de ſerò, & non poteſt ſurgere ad matutinas, ut debet, eſt peccatum omiſſionis; quod quidem incipit ei imputari ad culpam, quando eſt tempus operandi propter cauſam tamèn præcedentem, ex qua voluntaria redditur omiſſio. *Hæc Thom. ubi ſuprà art.* 3. *o.*

Nota *ſecundum Alex. Ang.* 2. *tit.* 2. *c. de omiſſione art.*7. *o.* Quod tunc dicitur omiſſio perpetrari, cum quis applicat ſe ad actum illicitum incompoſſibilem cum illo actu ad quem tenetur; ut ſi iſte tenetur ire ad matutinas, & ſe inebriet, vel in ſero in colloquio infructuoſo ſtet, vel hujuſmodi, proptèr quod non ſurgit ad matutinas, tunc omittit. Si verò ſe applicet alicui operi bono, ad quod tenetur, & ex hoc laſſus dormiat, propter quod non ſurgit, non omittit. Si verò ſit actus indifferens, tamèn impeditivus, ejus, ad quod tenetur, omittit.

Sed quid ſi non ſurgat propter aliquam cauſam in ipſo; ſed tantum quià vis ſenſibilis eſt in eo ligata; Numquid omittit dormiendo?

Reſpondeo, quod non, tenetur enim ſurgere cum audierit ſignum; Sed ſi non ſurrexit ex cauſa, quæ fuerit in eo, omittit, cum perpetrat cauſam illam.

Ad hoc addi poteſt de otio, quod otium poteſt dici multiplicitèr. Primo modo dicitur otium *ſecundum Greg.* quod caret ratione juſtæ neceſſitatis, vel intentione piæ utilitatis, & ſic eſt peccatum, vel diſpoſitio ad ipſum; & ſic dicitur *Matth.* 12. *de omni verbo otioſo, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.* Secundo dicitur otium vacatio ab his, quæ ſunt propriè vitæ activæ; *ſecundum illud Luc.* 10. *Maria optimam partem elegit*; & ſecundum hoc eſt otium contemplationis, & hoc modo eſt bonum, quandò ſit juſta de cauſa. Tertio modo dicitur indifferens, ſecundùm quod vacare ab his, quę ſunt propriè vitæ activæ fieri poteſt bono fine, vel non bono; & quidem otium ſecundum quod dicitur improba voluntas quieſcendi ab opere juſtæ neceſſitatis, vel piæ utilitatis, eſt peccatum veniale, ſi quies ſit infrà Deum; Si verò præponatur Deo, eſt mortale.

Circà tertium reſpondeo quod ſic, ſimplicitèr, & abſolutè loquendo, licèt aliqua omiſſio poſſit eſſe gravior aliqua tranſgreſſione; peccatum enim intantum eſt grave, inquantum diſtat à virtute, contrarietas autèm eſt maxima diſtantia, *ut dicitur* 5. *metaph.* Undè contrarium magis diſtat à contrario, quàm ſimplex ejus negatio, ſicut nigrum magis diſtat ab albo, quàm ſimplex non album; Omne enim nigrum eſt non album; ſed non convertitur. Tranſgreſſio autèm contrariatur alicui virtuti; Omiſſio verò importat negationem ejus; Undè peccatum omiſſionis eſt, ſi quis reverentiam debitam parentibus non exhibeat; Peccatum verò tranſgreſſionis eſt, ſi injuriam eis inferat; & ſic patet propoſitum.

Ad hoc nota, quod delictum communitèr ſumptum ſignificat quamcumque omiſſionem. Quandoquè verò ſtrictè ſumitur pro eo quod omittitur fieri aliquid de his, quæ pertinent ad Deum; vel quandò ſcientèr, & quaſi cum quodam contemptu derelinquit homo illud, quod facere debet, & ſic habet quamdam gravitatem, ratione cujus indiget expiatione majori, *ut Levi.* 5. *Hęc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 79. *art.* 4. & *c.* 1.

Circà quartum reſpondeo; Sicut omiſſio opponitur præceptis affirmativis, ità tranſgreſſio præceptis negativis; & ideò utrumque propriè ſumendo importat rationem peccati mortalis. Poteſt etiàm utrumque communitèr ſumi ex eo quod, aliquid ſit præter præcepta affirmativa, vel negativa, diſponens ad oppoſitum ipſorum; & ſic utrumque eorum poteſt eſſe veniale peccatum. *Hæc Thom. ubi ſuprà in reſponſione ad* 3. *arg.*

TITULUS XXI.

De virtutibus annexis juſtitiæ in communi.

DEindè conſiderandum eſt de partibus juſtitiæ potentialibus, ideſt de virtutibus ei annexis. Et Primò, quæ virtutes annectuntur juſtitiæ. Secundò de ſingulis ipſarum. Ideò ſit

Articulus Unicus.

Quales virtutes juſtitiæ annectantur &c.

CIrcà primum ſciendum, quod partes potentiales juſtitiæ ſunt multæ, quarum ſex aſſignat T*ullius in* 2. *retho. quæ ſunt religio, pietas, gratia, vindicta, obſervantia, veritas*. Et ideò partes potentiales poſſunt dici, quià in aliquo cum juſtitia conveniunt, & ad plenam rationem juſtitiæ non attingunt; Cum juſtitia quidem conveniunt in hoc, quod ſunt circa operationes ad alterum; à perfecta autem ratione ejus deficiunt in hoc, quod perfecta ratio juſtitiæ in hoc conſiſtit, ſcilicèt quod alteri reddatur, quod ei debetur ex legis neceſſitate, & ſecundùm æqualitatem. Prædictarum autèm virtutum, quædam deficiunt à ratione æqualis, quià per eas non redditur ęquale; Quædam autèm à ratione debiti, quià etſi per eas reddatur aliquo modo debitum, illud tamèn non eſt debitum ex legis neceſſitate, quod eſt debitum perfectè, ſed ex quadam morum honeſtate.

Primæ ſunt *religio, pietas, & obſervantia*. Per religionem enim reddit homo debitum ex legis neceſſitate, ſed non poteſt reddere æquale; In quo etiàm concordat *Philoſ.* 8. *Ethi. verſus finem. & Tullius dicit in* 2. *Retho.* quod religio eſt, quę ſuperioris cujuſdam naturæ, quàm divinam vocant, curam, cerimoniamquè, vel cultum affert. Per pietatem verò reddit homo parentibus, & patriæ, quæ eſt aliquo modo principium generationis, debitum ex legis neceſſitate; ſed non reddit æquale, quià *ſecundùm Philoſ. ubi ſuprà* his honoribus, qui ad Deos, & Parentes pertinent, nullus ſecundùm dignitatem aliquandò tribuet. Et de hac dicit *Tullius ubi ſuprà*. Pietas eſt per quam ſanguine junctis, patriæquè benevolum officium, & diligens cultus tribuitur. Per obſervantiam etiàm reddit homo virtuoſis dignitate ſupra eum conſtitutis, & ipſum inducentibus ad virtutem miniſterio, & exemplo, debitum ex legis neceſſitate; ſed non reddit æquale, *ut etiàm vult* P*hiloſ.* 4. *Ethi.* De hac dicit *Tullius ubi ſuprà*, quod obſervantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignantur.

Tres autèm alię ſunt, ſcilicèt *gratia, veritas, & vindicatio*. Per veritatem homo ſe talem exhibet proximo in verbis, & factis, qualis eſt, quod non debet proximo ex aliqua legis neceſſitate, ſed ex quadam morum honeſtate, ut habetur *ex verbis Philoſ.* 4. *Ethi. & de hac dicit Tullius ubi ſuprà, quod veritas eſt per quam immutata ea, quæ fuerunt, aut ſunt, aut erunt, dicuntur*. Per gratiam autèm aliquis compenſat alicui bona, ſecundùm ea, quæ recepit ab eo. De hac T*ullius ubi ſuprà*. *Gratia eſt in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, alterius remunerandi voluntas, continetur*. Per vindicationem verò defendendo, vel ulciſcendo propulſatur violentia, & injuria moderatè, non intendendo malum injuriantis, ſed ejus emendationem, vel cohibitionem, vel aliorum quietem ad juſtitiæ conſervationem, & Dei honorem; & de hac dicit *Tullius ubi ſuprà*; *Vindicatio eſt per quam vis, & injuria, & omne quod offuturum eſt defendendo, vel ulciſcendo propulſatur*. Aliud verò debitum eſt neceſſarium ſicut conferens ad majorem honeſtatem, ſinè quo tamèn honeſtas ſervari poteſt; Quod quidem debitum attendunt liberalitas, & amicitia, & alia hujuſmodi, quę Tullius prætermittit in nummeratione prædicta, quæ parùm habent de debiti ratione. Obedientia verò, quam aliqui ponunt inter partes juſtitiæ, includitur in obſervantia, quam Tullius ponit, quià præcellentibus perſonis debetur, & reverentia, & honor, & obedientia.

Epicheja verò, quam ponit *Philoſ.* 5. *Ethi.* juſtitiæ adjuncta prætermittitur à Tullio, quià non adjungitur juſtitiæ particulari, ſed legali.

Aliqui autèm ponunt quandoquè partes juſtitiæ, ſcilicèt obedientiam reſpectu ſuperiorum; diſciplinam reſpectu inferiorum; ęqualitatem reſpectù æqualium; fidem, & veritatem reſpectù omnium; de quibuș aliqua non ponitur à Tullio, niſi veritas.

Circà quod ſciendum, quod obedientia includitur in obſervantia, quam Tullius ponit, perſonis enim excellentibus debetur, & honor, reverentia, & obedientia, ut prædictum eſt. Fides autèm per quam dicta fiunt, includitur in veritate, quantum ad obſervantiam promiſſi; Veritas autèm in plus ſe habet, ut indè patebit. Diſciplina verò non debetur ex debito neceſſitatis, quià inferiori inquantum eſt inferior, non eſt aliquis obligatus; Poteſt tamèn ſuperior obligari, ut provideat inferioribus *ſecundùm illud Matth.* 24. *Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam &c.* & ideò prætermittitur à Tullio. Æqualitas verò ſub epicheja, ſivè amicitia continetur. Numerationes aliarum partium annexarum juſtitiæ, quæ à quibuſdam ponuntur, omitto gratia brevitatis.

TITVLVS XXII.

De Dulia.

POſteà conſiderandum eſt de ſingulis prædictarum virtutum. Eſt autèm ſuperius tractatum de præceptis; & dictum de religione in primo præcepto, & de pietate in ſecundo pręcepto; Undè nunc reſtat dicere de obſervantia, gratia, vindicatione, veritate, amicitia, liberalitate, & epicheja. De iſtis igitùr ſeptem dicendum eſt ſecundùm ordinem, ſecundum quem ſunt prænumeratæ.

Circà igitur obſervantiam ſciendum, quod per eam cultus, & honor exhibetur perſonis in digni-

dignitate conſtitutis; hujuſmodi enim perſonis ratione excellentiæ debetur honor, qui eſt quædam recognitio excellentiæ alicujus. Ratione verò officii gubernationis debetur cultus, qui in quodam obſequio conſiſtit, dum ſcilicèt aliquis eorum imperio obedit, & vicem beneficiis eorum rependit; Et ideò obſervantiæ duæ ſunt partes, ſcilicèt dulia, quæ exhibet ſuperioribus honorem; & obedientia, per quam imperio eorum obeditur. Primò autèm dicendum eſt de dulia, poſteà de obedientia; Quomodò autèm dulia ſumitur multiplicitèr, & quomodo differt à latria *habitum eſt ſupra lib. 1. tit. de latria*. Quantum autèm ad præſens ſit

Articulus Unicus.

Utrùm honor exhibitus per duliam ſit aliquid corporale, vel ſpirituale?

CIrcà quod dico, quod honor quamdam teſtificationem importat de excellentia alicujus; Undè volentes honorari, teſtimonium ſuæ excellentiæ quærunt, *ut vult Philoſ. 8. Ethi.* Teſtimonium autèm redditur, vel coram Deo, vel coram hominibus; coram Deo ſufficit teſtimonium conſcientiæ; & ideò honor quo ad Deum, conſiſtere poteſt in ſolo interiori motu cordis, dùm ſcilicèt aliquis recogitat, vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo. Quantum autèm ad homines non poteſt aliquis teſtificari, niſi aliquibus ſignis exterioribus, vel verborum, ſcilicèt excellentiam alicujus pronunciando, vel factorum, ſcilicèt ſe inclinando, obviando, vel hujuſmodi; vel oblationum exteriorum rerum, ſcilicèt exeniorum, vel munerum, aut etiàm inſtitutionis imaginum, vel aliorum hujuſmodi; & ſecundum hoc honor conſiſtit in exterioribus ſignis corporalibus. Differt autèm honor à laude duplicitèr. Primò quià laus tantùm conſiſtit in ſignis verborum; honor autèm in quibuſcumque exterioribus ſignis; & ſecundùm hoc laus includitur in honore. Secundò, quià per exhibitionem honoris teſtificamur de excellentia hominis alicujus abſolutè, per laudem verò in ordine ad finem: Laudamus enim benè operantem propter finem. Honor autèm eſt optimorum, quæ non ordinantur ad finem, ſed jam ſunt in fine, ut vult *Philoſ.* 1. *Ethi.* Gloria autèm eſt effectus honoris, & laudis, quià ex hoc, quod teſtificamur de bonitate alicujus, clareſcit ejus bonitas in notitia plurimorum; Undè gloria dicitur quaſi clara; *Undè ad Rom. 1. dicit Gloſ. Ambr. gloria eſt clara cum laude notitia.* Differt autèm honor à reverentia, quià ex una parte reverentia eſt principium motivum honoris, inquantum ſcilicèt aliquis ex reverentia, quam habet ad aliquem, honorat eum. Ex alia verò parte eſt finis honoris, in quantum ſcilicèt aliquis ad hoc honoratur, ut ab aliis in reverentia habeatur. *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 103. *tit.* 1. *c.*

Ad hoc nota quod dulia poteſt ſumi duplicitèr. Uno modo communitèr, ſecundùm quod exhibet reverentiam cuicumque homini ratione cujuſcumque excellentiæ; & ſic continet ſub ſe pietatem, & obſervantiam, & quamcumque hujuſmodi virtutem, quæ exhibet homini reverentiam; & ſic habet partes ſpecie diverſas. Alio modo dulia ſumitur ſtrictè, prout ſcilicèt ſecundùm eam ſervus exhibet reverentiam Domino, & ſic non dividitur in diverſas ſpecies; ſed eſt una ſpecierum obſervantiæ, quam Tullius ponit, eo quod alia ratione Servus reveretur Dominum; Miles Ducem; Diſcipulus Magiſtrum, & ſic de aliis. *Hæc Thom. ubi ſuprà art.* 4. *c.*

TITVLVS XXIII.

De Obedientia.

POſteà conſiderandum eſt de obedientia, & vitio ſibi oppoſito, ſcilicèt inobedientia. Erit autèm hæc conſideratio de obedientia in communi; *Nam in lib. 6.* conſiderabitur in ſpeciali de obedientia, quæ debetur Prælatis eccleſiaſticis, & etiàm de obedientia Religioſorum. Primò autem hic conſiderandum eſt de obedientia. Secundò de inobedientia; ideò ſit

ARTICVLVS I.

In quo plura de obedientia quæruntur; ſcilicèt

I. UTrùm unus homo teneatur alteri obedire?

II. Utrùm obedientia ſit virtus ſpecialis?

III. Utrùm obedientia ſit maxima virtus?

IV. Utrùm in omnibus ſit Deo obediendum?

V. Utrùm ſubditi teneantur ſuis ſuperioribus in omnibus obedire?

VI. Utrùm Chriſtiani teneantur poteſtatibus ſecularibus obedire?

Circà primum reſpondeo quod ſic; *Undè ad Hebr. ult. præcipitur: obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*; Sicut enim ex ordine naturali rerum divinitus inſtituto inferiora in rebus naturalibus neceſſe habent ſubjici motioni ſuperiorum; ita etiàm in rebus humanis ex ordine juris naturalis, & divini tenentur inferiores ſuis ſuperioribus obedire.

Sed objicitur, quià bonum opus ſi ex debito obedientiæ fieret, videretur eſſe minus gratuitum, & per conſequens eſſet minus acceptabile.

Reſpondeo aliquid poteſt judicari gratuitum duplicitèr; Uno modo ex parte operis, quià ſcilicèt homo ad illud non obligatur; Alio modo ex parte operantis, quià ſcilicèt libera voluntate operatur. Opus autèm redditur virtuoſum, & laudabile, & meritorium precipuè ſecundùm

quod

quod à voluntate procedit, & ideò licèt obedire ſit debitum, ſi tamèn prompta voluntate quis obediat, non propter hoc minuitur ejus meritum, maximè apud Deum, qui non tantùm opus exterius, ſed etiàm voluntatem interiorem attendit.

Circà ſecundum reſpondeo quod ſic; Undè à quibuſdam ponitur pars juſtitiæ, ut dictum eſt ſuprà; Nàm habet objectum ſpeciale, ſcilicèt præceptum tacitum, vel expreſſum; Voluntas enim ſuperioris, quocumque modo innoteſcat, eſt quoddam præceptum tacitum, & tanto promptior videtur obedientia, quanto præceptum expreſſum prævenit voluntatem ſuperioris intellectam.

Sed contrà. Inobedientia eſt generale peccatum, quià *ſecundùm Ambr.* peccatum eſt inobedientia legis divinæ, ergò obedientia, quę ei opponitur, eſt generalis virtus.

Reſpondeo obedientia poteſt duplicitèr accipi. Uno modo propriè ſecundùm quod reſpicit per intentionem formalem rationem præcepti, & ſic eſt ſpecialis virtus, & inobedientia ei oppoſita eſt peccatum ſpeciale; & ſecundum hoc requiritur ad obedientiam, quod aliquis impleat actum juſtitiæ, vel alterius virtutis, intendens implere præceptum. Alio modo largè pro executione cujuſcumque, quod poteſt cadere ſub præcepto, & inobedientia pro omiſſione ejuſdem ex quacumque intentione; & ſic obedientia eſt generalis virtus, inobedientia eſt generale peccatum.

Nota etiàm quod licèt obedientia per ſe conſiderata, prout reſpicit rationem præcepti, ſit ſpecialis virtus, ut dictum eſt; inquantum tamèn procedit ex reverentia, quæ cultum exhibet ſuperiori, ſub diverſis virtutibus continetur; Inquantum enim procedit ex reverentia Prælatorum, continetur quodamodo ſub obſervantia; Inquantum verò ex reverentia Dei, ſub religione, & pertinet ad Devotionem.

Circà tertium reſpondeo; Virtutes Theologicæ ſunt potiores virtutibus moralibus; undè ſunt potiores obedientia, quæ eſt pars juſtitiæ; *Undè Greg. dicit ultimo moralium*, quod obedientia non ſervili mætu, ſed charitatis affectu eſt ſervanda; non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ; & ſic patet, quod obedientia laudatur ex eo, quod procedit ex charitate; ex quo ſequitur, quod charitas eſt potior obedientia.

Inter virtutes autèm morales tantò virtus eſt potior, quantò aliquod majus contemnit, ut & Deo inhæreat, & proptèr Deum. Inter verò omnia bona humana præcipuum eſt voluntas, ut ſupponitur ad præſens; & ideò laudabilior eſt obedientia, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum contemnunt aliqua alia bona. *Undè Greg. dicit*, quod obedientia jure victimis præponitur, quià per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. Eſt enim obedientia *ut dicit Peregrinus lib. de ſpecul. virginum: Spe mercedis abnegatio propriæ voluntatis*.

Circà quartum reſpondeo; Sicut naturali neceſſitate omnia naturalia motioni divinæ ſubduntur, ità etiàm quadam neceſſitate juſtitiæ omnes voluntates obedire præcepto divino tenentur. Proptèr quod *dixerunt filii Iſrael: Omnia, quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus Deo obedientes*.

Circà quintum reſpondeo, quod hoc contingere poteſt ex duobus. Uno modo proptèr præceptum poteſtatis majoris; *Undè ſuper illud Rom.* 13. *Qui poteſtati reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*, dicit Gloſ. *Si aliud jubeat Proconſul, aliud Imperator, numquid dubitatur, illo contempto, iſti eſſe ſerviendum?* ergò ſi aliud jubeat Imperator, aliud Deus, contempto illo, obediendum eſt Deo; *ſecund. illud Actuum* 4. *Obedire autèm magis opportet Deo, quàm hominibus.* Diſtinguendum tamèn hoc *ſecund. Bon. circa finem ſecundi*; Quià aut poteſtas inferior fluit totalitèr à ſuperiori, ut poteſtas Epiſcopi à poteſtate Papæ; & tunc eſt magis obediendum Papæ: Aut poteſtas ſuperior, & inferior fluunt ab alia poteſtate ſuperiori, ut poteſtas Epiſcopi, & poteſtas Archiepiſcopi à Papa; & tunc non eſt generalitèr verum, quod magis ſit obediendum ſuperiori, quàm inferiori, ut Archiepiſcopo, quàm Epiſcopo; quià Epiſcopus eſt Prælatus immediatus, Archiepiſcopus mediatus.

Alio modo non tenetur inferior obedire ſuperiori, ſcilicèt quando præcipit ei aliquid, in quo non ſubditur ſibi, *ut enim dicit Sene. de benef. Corpora ſunt obnoxia dominis, mens autèm ſui juris eſt*: & ideò in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis non tenetur homo obedire homini; nec tamèn ſecundùm ea, quæ pertinent ad dominium corporis; ſed tantùm Deo, quià omnes homines natura ſunt pares; ut ſunt ea, quæ pertinent ad ſubſtentationem corporis, & generationem prolis. Undè non tenentur ſervi Dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, aut alia hujuſmodi; ſed in his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum. Tenetur ſubditus obedire ſuo ſuperiori, ſecundùm rationem ſuæ ſuperioritatis, ut Miles Duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum; Servus Domino in his, quæ pertinent ad opera ſervilia exequenda; Filius Patri in his, quæ pertinent ad vitæ diſciplinam, & domeſticam curam, & ſic de aliis.

Nec obſtat *illud Apoſtoli ad Col.* 3. *Filii obedite parentibus per omnia*; Et poſteà ſubdit: *Servi obedite per omnia Dominis*; Quià per ly *omnia* intelligit omnia, quæ pertinent ad jus patriæ, vel dominativæ poteſtatis.

Circà ſextum Reſpondeo, quod ſic; *Undè Apoſtolus ad Titum* admonet illos principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe; Nàm ex corruptione

ne peccati proni ſumus ad perturbandum ordinem juſtitiæ; & ideò opportuit, quod aliqui haberent poteſtatem, ut ſic ordo juſtiæ ſervaretur. Nec per Fidem Chriſti ordo juſtitiæ tollitur; ſed magis firmatur, quià Fides Chriſti eſt principium, & cauſa juſtitiæ, *ſecundùm illud Rom. 3. Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti*. Et ideò propter fidem Chriſtiani non eximuntur ab obedientia Principum ſecularium. Tenentur autèm obedire ſubditi Chriſtiani poteſtatem habentibus juſtitiæ, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, in his, ad quæ ſe extendit poteſtas eorum; non autèm in aliis de neceſſitate, niſi fortè in caſu, ubi propter vitandum ſcandalum, vel periculum eſſet obedire neceſſarium *ſecundùm Thom. & Ric. lib. 2. diſt. ult. & ſecundùm Pet. ibidem*. Si ſit poteſtas uſurpata non tenentur obedire ei, niſi etiam propter ſcandalum, vel majus malum vitandum; obediendo tamèn in licitis, non peccant.

ARTICULUS II.

De Inobedientia.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de inobedientia, & circà hoc quęruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm inobedientia ſit peccatum mortale?

II. Utrùm inobedientia ſit graviſſimum peccatum?

Circà primum reſpondeo, quod ſic; *Undè Rom. 1. & 2. Thim. 3. Poteſtatibus non obedientes inter peccata mortalia numerantur*; Peccatum enim mortale eſt, quod contrariatur charitati, per quam eſt vita ſpiritualis; Charitate autèm diligitur Deus, & proximus; Dilectio autèm Dei eſt, ut ejus mandatis obediatur; dicitur enim 3. Jo: 2. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt; qui autèm ſervat verba ejus; verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*, & ideò inobedientem eſſe præceptis divinis, eſt peccatum mortale, quaſi dilectioni Dei contrarium. Et eadem ratio eſt de hoc, quod eſt inobedientem eſſe præceptis ſuperiorum, quià etiàm in præceptis divinis continetur, quod ſuperioribus obediatur *ſecundùm illud Rom. 13. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Et ulteriùs inobedientem eſſe ſuperiori contrariatur dilectioni proximi, inquantum ſubtrahit ei obedientiam debitam ſibi.

Circà ſecundum reſpondeo, quod non; Graviùs enim peccatum eſt contemnere pręcipientem, quàm præceptum; Undè graviora ſunt peccata, quæ ſunt contrà perſonam præcipientis, ut blaſphemia, & omicidium, quàm inobedientia.

Et ſi objiciatur *illud* 1. *Reg.* 5. *Quaſi ſcelus Idolatriæ eſt nolle acquieſcere*; Idolatria eſt peccatum graviſſimum, ergò &c. Dicendum quod ibi ly *quaſi* non eſt ęqualitatis, ſed ſimilitudinis, quià inobedientia redundat in contemptum Dei, ſicut Idolatria; ſed Idolatria magis.

TITULUS XXIV.

De Gratitudine, & Ingratitudine.

DEindè conſiderandum eſt de gratia, ſivè de gratitudine; & poſteà de ingratitudine, ideò ſit

ARTICULUS I.

De Gratitudine.

SCiendum igitur, quod gratitudo, ut patet ex prædictis eſt *virtus, quæ benefactoribus gratiam recompenſat*; ſed religio eſt quędam pręexcellens gratitudo; Vndè & gratiarum actio ad Deum eſt poſita ſuprà intèr pertinentia ad religionem. Si quis autèm beneficium dedit, non ut debuit; non debet omninò recipiens à gratiarum actione ceſſare; Minus tamèn tenetur, quàm ſi modo debito dedit, quià & beneficium eſt minus, *quià ut dicit Seneca 2. de Benef. multum celeritas facit*. Debet autèm homo beneficium recompenſare ſtatim quantum ad affectum, ſed tempus opportunum benefactori debet expectare, quantum ad donum: *Ut enim dicit Seneca 4. de Benefic. qui feſtinat reſpondere, non habet animum grati hominis, ſed debitoris*; Debet etiam attendere magis affectum, quàm donum, vel factum, *ut vult Seneca 1. de benefic.* Debet etiàm magis aliquid retribuere ſecundùm ſuum poſſe, *ut vult Philoſ. 5. Ethi.*

ARTICULUS II.

De Ingratitudine.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de ingratitudine, de qua quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm ſit ſemper peccatum?

II. Utrùm ingratitudo ſit peccatum ſpeciale?

III. Utrùm ingratitudo ſit peccatum mortale?

IV. Utrùm ingratis ſint beneficia ſubtrahenda?

Circà primum reſpondeo, quod ſic; *Undè* 2. *Thim.* 3. connumeratur aliis peccatis, cum dicitur *Ingrati, ſceleſti*; Ex hoc enim aliquid eſt peccatum, quià repugnat virtuti. Sicut autèm dictum eſt ſupra, debitum gratitudinis eſt quoddam debitum honeſtatis, quam virtus requirit; Vndè patet, quod ingratitudo eſt ſemper peccatum.

Circà ſecundum reſpondeo quod ſic; Sicut gratitudo eſt virtus ſpecialis, cui opponitur ſecundùm defectum, habet enim diverſos gradus ſecundùm ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requi-

requiruntur; quorum primum eſt, quod homo acceptum beneficium recognoſcat; ſecundum eſt, quod laudes, & gratias agat; tertium eſt, quod pro loco, & tempore ſecundùm facultatem ſuam retribuat: Sed quià, quod eſt ultimum ingeneratione, eſt primum in reſolutione; Ideò primus gradus ingratitudinis eſt, ut homo beneficium non retribuat; Secundus eſt ut diſſimulet, quaſi non demonſtrans ſe beneficium accepiſſe; Tertius, & graviſſimus eſt, quod peccatum non recognoſcat, ſivè per oblivionem, ſivè quocumque alio modo. Quos tres gradus ponit *Seneca* 3. *de benefic.* Et quià in affirmatione oppoſita intelligitur negativa; ideò ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quod aliquis retribuat mala pro bonis; Ad ſecundum, quod benefactorem vituperet; Ad tertium, quod beneficium, quaſi malefactum reputet.

Ad hoc nota, quod in quolibet peccato eſt materialis ingratitudo ad Deum, prout ſcilicèt homo aliquid facit, quod poteſt ad ingratitudinem pertinere; Formalitèr autèm ingratitudo eſt, quandò actualitèr beneficium contemnitur, & hoc eſt ſpeciale peccatum. *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 107. *art.* 1. *c.* 2. *& cap.* 10. 2. *art.*

Circà tertium reſpondeo; Vt patet ex dictis, aliquis dicitur ingratus duplicitèr. Vno modo per ſolàm omiſſionem, ut quià non recognoſcit, vel non laudat, vel non retribuit pro beneficio ſuſcepto; & hoc non eſt ſemper mortale peccatum, quià ut ſuprà dictum eſt, debitum gratitudinis eſt, ut homo aliquid, & liberalitèr tribuat, ad quod non tenetur; & ideò ſi prætermittit illud, non peccat mortalitèr. Eſt tamèn veniale pèccatum, quià hoc provenit ex quadam negligentia, vel indiſpoſitione aliqua hominis ad virtutem. Poteſt etiàm contingere, quod talis Ingratitudo ſit mortalis, vel propter interiorem contemptum, vel propter conditionem ejus, quod ſubtrahitur, quod ex neceſſitate debetur beneficio, ſivè ſimplicitèr, ſivè in aliquo caſu neceſſitatis. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quià non tantùm prętermittit gratitudinis implere debitum, ſed etiàm agit contrarium, & hoc etiàm ſecundùm conditionem ejus, quod agitur; quandoque eſt veniale, quandoquè mortale: Ingratitudo tamèn, quæ provenit ex mortali, habet perfectam ingratitudinis rationem, quæ verò ex veniali imperfectam; *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 107. *art.* 3. *c. & c.* 3.

Ad hoc nota, quod dicit *Seneca* 2. *de benefic. Hæc lex beneficii eſt, quod alter ſtatim debet oblíviſci dati, alter eſſe memor accepti; Oblíviſci*, ideſt non ſe jactare, ut idem exponit 7. *de benefic.*

Ad quartum reſpondeo; Circà ingratum duo ſunt conſideranda; Primò quod ſit dignus pati, & ſic meretur ſubtractionem beneficii; Secundò quod opportet facere beneficium. Primò enim non debet eſſe facilis ad judicandam ingratitudinem, quià ſæpè, ut dicit *Seneca*, *qui non reddidit, gratus eſt, quià fortè non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi.* Secundò debet hoc attendere, quod de ingrato faciat gratum, quod ſi non poteſt primo beneficio, fortè faciet ſecundo. Si verò ex beneficiis multiplicitatis ingratitudinem augeat, & pejor fiat, à beneficiis ceſſare debet; *Hæc Thom. ubi ſuprà art.* 4. *c.*

TITVLVS XXV.

De Vindicatione.

POſteà conſiderandum eſt de vindicatione, pro qua ſit.

ARTICULUS VNICUS.

An ſit licita?

CIrcà hunc Articulum eſt dicendum, vindicationem non eſſe licitam, ſed potiùs eſt à Deo expectanda; dicitur enim *Levit.* 18. *Deus non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe. q. d. imò faciet*; non eſt inquam licita privatæ perſonæ: *Levit.* 19. *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Eſt autèm licita perſonæ publicæ, ſcilicèt judici, & hoc ex charitate, & zelo juſtitiæ, non ex odio, & libidine vindictæ; ex deſiderio correctionis, non ex deſiderio afflictionis; Et hoc eſt, *quod dicit Auguſt. ſuper Matth.* 5. *Non prohibetur vindicta, quæ ſit ad correctionem*; Sed etiàm non conceditur niſi ei, cui poteſtas ex ordine data eſt; & ſinè ira, ut Patri in Filium. Ad cujus evidentiam conſiderandum, quod vindicatio ſit per aliquod malum pęnale inflictum peccanti. Eſt ergò in vindicatione attendendus animus vindicantis; Si enim intentio ejus feratur ad malum ejus, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omninò illicitum, quià repugnat charitati. Si verò principalitèr feratur ad ejus emendationem; vel ſaltem cohibitionem, & aliorum quietem, & juſtitiæ conſervationem, & Dei honorem, poteſt eſſe vindicatio licita, aliis circumſtantiis debitis obſervatis.

Sed objicitur: Quià *Chry.* dicit ſuper *Matth. Diſcamus exemplo Chriſti injurias noſtras magnanimitèr ſubſtinere, Dei autem injurias nec uſque ad auditum ſufferre, ergò &c.*

Reſpondeo, quod injuria, quę infertur alicui perſonæ, quandoquè redundat in Deum, & Eccleſiam, & tunc debet ulciſci propriam injuriam; Undè Heliſeus maledixit pueris irridentibus eum 4. *Reg.* 2. Et Silveſter Papa excomunicavit eos, qui miſerunt eum in exilium, *ut habetur* 24. *quæſt.* 4. Inquantum verò injuria illata ali-

alicui pertinet ad ejus perſonam, debet, ſi expediat, tolerare eam patientèr. Hujuſmodi enim pręcepta patientię debent intelligi ſecundùm pręparationem animi, *ut dicit Auguſt. in libro de Serm. Domini in monte*.

Objicitur iterùm, quià ſuper illud *Matth.* 13. *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem &c.* dicit Gloſ. quod moltitudo non eſt excommunicanda, nec Princeps, ergò nec alia vindicatio eſt licita.

Reſpondeo, quandò tota multitudo peccat, quandoquè ſumenda eſt de ea vindicta; vel quo ad totam multitudinem, ſicut Sodomitæ univerſalitèr perierunt; vel quo ad magnam multitudinis partem, ut patet *Exod.* 32. in pœna eorum, qui Vitulum adoraverunt. Quandoquè verò ſi ſequatur correctio multorum exerceri debet ſeveritas in aliquos paucos principaliores, quibus punitis cęteri terreantur; ſicut *Dominus Num.* 25. mandavit ſuſpendi principes populi pro peccato multitudinis. Si autèm pars multitudinis peccavit, tunc ſi mali ſeparari poſſint à bonis, debet in eos exerceri vindicta; ſi tamèn hoc fieri poſſit ſinè ſcandalo aliorum; Alioquin parcendum eſt multudini, & detrahendum ſeveritati. Et eadem ratio eſt de Principe, quem ſequitur multitudo; Tolerandum enim eſt peccatum, ſi ſinè ſcandalo multitudinis puniri non poſſit, niſi fortè peccatum eſſet tale, quod magis noceret multitudini, vel ſpiritualitèr, vel temporalitèr, quàm ſcandalum, quod exindè timeretur.

Objicitur iterùm, quià vindicta pertinet ad Deum ſecundùm illud *Deut.* 2. ſecundùm aliam literam. *Da mihi vindictam, & ego retribuam &c.*

Reſpondeo; Ille, qui ſecundùm gradum ordinis ſui vindictam in malos exercet, non uſurpat ſibi illud, quod eſt Dei, ſed utitur poteſtate divinitus ſibi conceſſa. Si autèm aliquis præter ordinem inſtitutionis divinę vindictam exerceat, ſibi, quod eſt Dei uſurpat, & ideò peccat; ſed de hoc eſt habitum *ſuprà tit. de homicidio. Hoſtien.* autèm reſpondet ad principalem quæſtionem, & ipſe non credit, quod aliquis debeat injuriam ſuam ulciſci, etiàm ſi ſuperiorem non habeat; *Undè Greg. ſuper illud Jo.* 8. *Ego gloriam meam non quæro, eſt qui quærat, & judicet*; dicit: illatas contumelias Patris judicio reſervat, ut profectò nobis inſinuet, quantum patientes eſſe debemus, dum ſe adhuc ulciſci non vult ipſe, qui judicat; Hoc ideò dicit, quià ſicut ibidem percepit Pater omne judicium dedit filio *q. d. Greg. Conſidera miſer homo, quod judex judicum eſt, & tamèn non vult in facto proprio judicare*; ergò nec alius hoc debet præſumere, quantùm eſt de ſtricto jure, niſi aliquis ſe ſuppoſitat mandatis ſuis; In quò caſu ſi aliquid immoderatum præcipiat, redigere debet ad arbitrium boni viri *extra de jurejur. veniens*. Et licèt Princeps ſit ſolutus legibus *C. de legibus, & conſt. digna*. Ipſe tamèn delegat *extra de judic. cap.* 1. licèt injuriam commiſſam in ſe punire poſſit.

Cui vitio opponitur vindicatio?

Reſpondeo, quod opponitur duobus, quorum unum opponitur ſibi per exceſſum, ſcilicèt crudelitas, vel ſævitia, quę menſuram excedit in puniendo; Alterum per defectum, ut cum quis nimis eſt remiſſum in puniendo *Proverb.* 13. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* Virtus autèm vindicationis conſiſtit in hoc, quod homo ſecundùm circumſtantias debitam menſuram in vindicando obſervat.

TITULUS XXVI.

De Veritate.

DEindè conſiderandum eſt de veritate; & Primò de ipſa; & poſteà de vitiis ei oppoſitis; quapropter fit hic

ARTICULUS UNICUS.

De veritatis Virtute.

CIrcà autèm veritatem quæruntur plura, ſcilicèt,

I. Utrùm ſit virtus?

II. Utrùm veritas de qua loquimur hic differat à veritate vitæ, juſtitiæ, & doctrinę?

III. Utrùm hæc virtus declinet in minus?

Circà primum reſpondeo, quod ſic; *Undè Philoſophus* ponit eam inter virtutes 2. & 3. *Ethi.* Circà quod ſciendum, quod veritas duplicitèr poteſt ſumi. Uno modo ſecundùm quod veritate dicitur aliquod verum, & ſic non eſt virtus, ſed objectum, vel finis virtutis; Sic enim veritas non eſt habitus, ſed qualitas quædam intellectus, vel ſigni ad rem intellectam, vel ſignificatam, vel rei ad ſui ideam. Alio modo poteſt dici veritas, qua aliquis dicit verum, ſecundùm quod per eam aliquis dicitur verax, & ſic eſt virtus, quià hoc ipſum, quod eſt dicere verum, eſt actus bonus; Virtus autèm eſt, quæ hominem bonum facit, & opus ejus bonum reddit.

Sed obiicitur, quià dicitur 4. *Ethi.* quod ad veritatem pertinet, quod aliquis confiteatur exiſtentia circa ſe, & neque majora, neque minora; ſed hoc non eſt ſemper laudabile; neque in bonis; *Proverb.* 27. *laudet te alienus, non os tuum*: Nec in malis, quià contrà quoſdam dicitur *Iſai.* 3. *Peccatum tuum quaſi Sodoma prædicaverunt*; ergo veritas non eſt virtus?

Reſpondeo confiteri illud, quod eſt circa ſe, inquantum confeſſio veri eſt bonum ex genere; ſed hoc non ſufficit ad hoc, quod ſit actus virtutis; ſed requiritur, quod ulteriùs debitis circumſtantiis veſtiatur, quæ ſi non obſerventur

tur, erit actus vitioſus. Et ſecundùm hoc vitioſum eſt, quod aliquis ſinè cauſa debita ſe laudet, etiàm de vero; & etiàm, quod aliquis peccatum ſuum publicet, ex hoc, ſe laudando, vel qualitercumque inutilitèr manifeſtando.

Circà ſecundum reſpondeo quod ſic; Hæc enim veritas eſt ſecundùm quam aliquid dicitur verum; Veritas autèm vitæ eſt ſecundum quam aliquid eſt verum. Dicitur autèm vera vita, ſicut & quælibet res alia, ex hoc, quod attingit ſuam regulam, & menſuram, ſcilicèt legem divinam, per cujus conformitatem habet rectitudinem; & talis veritas, ſive rectitudo eſt communis cuilibet virtuti. Veritas autem juſtitiæ dicitur dupliciter. Vno modo ſecundùm quod iuſtitia eſt quædam rectitudo regulata ſecundùm regulam legis divinæ; & ſecundùm hoc juſtitia differt à veritate vitæ, quià veritas vitæ eſt ſecundùm quam aliquis rectè vivit in ſe ipſo; veritas autèm juſtitiæ ſecundùm quam aliquis ſervat rectitudinem in judiciis, quæ ſunt ad alterum; & ſecundum hoc veritas juſtitiæ non pertinet ad veritatem de qua nunc loquimur, ſicut nec veritas vitæ. Alio modo poteſt intelligi veritas juſtitiæ, ſecundum quod aliquis ex iuſtitia veritatem manifeſtat, ut cum quis confitetur in judicio verum; aut dicit verum teſtimonium; & hæc veritas eſt quidam particularis actus juſtitiæ, nec directè pertinet ad veritatem, de qua nunc loquimur; quià ſcilicèt in hac manifeſtatione veritatis homo principalitèr alteri reddere ius ſuum intendit. Veritas verò doctrinæ conſiſtit in quadam manifeſtatione eorum, de quibus eſt ſcientia; undè non pertinet directè ad veritatem, de qua nunc loquimur; ſed tantùm veritas, qua aliquis & vita, & verbo ſe talem, qualis eſt, demonſtrat; ut non alia, quàm circa ipſum ſunt, nec maiora, nec minora de ſe dicat. Quià tamèn vera cognoſcibilia inquantum ſunt à nobis cognita circà nos ſunt, & ad nos pertinent, per hoc veritas doctrinæ poteſt ad hanc virtutem pertinere, & quęcumque veritas alia, qua quis manifeſtat verbo, vel facto ea, quę cognoſcit.

Circà tertium reſpondeo quod ſic: *ut dicitur* 4. *Ethi.* Sciendum autèm, quod declinare in minus dupliciter contingit. Vno modo affirmando, ut cum quis non manifeſtat totum bonum, quod eſt in eo, ut ſcientiam, vel ſanctitatem, vel aliud hujuſmodi; & hoc fit ſinè præjudicio veritatis, quià minus in maiori continetur, & ſecundùm hoc virtus hęc declinat ad minus; hoc enim, ut dicitur ibidem, videtur eſſe prudentius propter oneroſas ſuperabundantias; Homines enim, qui maiora de ſe dicunt, quam ſint, aliis oneroſi ſunt, quaſi alios excellere volentes. Qui autèm minora dicunt de ſe, aliis gratioſi ſunt, quaſi per quamdam moderantiam aliis condeſcendentes. Alio modo negando ſcilicèt ineſſe ſibi, quod ineſt; & ſic non pertinet ad hanc virtutem, quia per hoc innueret aliis falſum, quod quidem minùs repugnaret virtuti, non quidem ſecundùm rationem prudentiæ, quam in omnibus virtutibus opportet ſalvari, quàm ſi ſe iactat habere, quod non habet. Magis enim repugnat prudentię, quià periculoſiùs, & oneroſiùs eſt aliis, quod aliquis æſtimet, vel iactet habere, quod non habet; quàm quod non æſtimet, vel non dicat ſe habere, quod habet. *Hæc Thom.* 2. 2. *q.* 108. *a.*

TITVLVS XXVII.

De vitiis oppoſitis veritati.

POſteà conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis veritati, quæ ſunt Mendacium. Simulatio, ſivè hypocriſis. Jactantia. Et vitium ſibi oppoſitum, ſcilicèt Ironia. De mendacio autèm dictum eſt ſuprà *lib.* 1. Vndè reſtat hic conſiderare de reliquis; primò ſit ideò

ARTICULUS VNICUS.

De Simulatione &c.

CIrcà Simulationem, ſivè hypocriſim quæruntur plurà, ſcilicèt

I. Vtrùm Hypocriſis ſit idem quod ſimulatio?

II. Vtrùm gerens debitum ſanctitatis, vel religionis, non tamèn habens meritum perfectionis ſit hypocrita?

III. Vtrùm Aliquis poſſit ſe ſimulare malum?

IV. Vtrùm Hypocriſis opponatur virtuti veritatis?

V. Vtrùm omnis ſimulatio ſit peccatum?

VI. Vtrùm ſemper hypocriſis ſit peccatum mortale?

Circà primum reſpondeo quod ſic; *Vndè Iſid. lib. Ethi.* dicit, quod hypocrita, *gręcè*, dicitur ſimulator, *latinè*, qui cum intus malus ſit, ſe bonum palàm oſtendit; Hypocriſis enim falſum criſis indicium; eſt ergò hypocriſis ſimulatio, ſed non omnis ſimulatio; ſed tantùm illa, qua quis ſimulat perſonam alteriùs, ut cum ſimulat perſonam iuſti; *Vnde ſuper illud Matth.* 5. *ſic faciunt hypocritæ; dicit Gloſ. Hypocrita eſt, qui ſimulat, quod non eſt.* Repręſentator alterius perſonę hic eſt, cum vult videri bonus, & non eſt: & naſcitur hypocriſis, *ut dicit* Greg. 3. *mor.* ex inani gloria; cum ad eam, ut ad finem ordinetur.

Circà ſecundum reſpondeo, quod non; Nàm habitus ſanctitatis, & religionis, vel Clericatus ſignificat ſtatum, quo quis obligatur ad opera perfectionis; & ideò cum quis habitum ſanctitatis aſſumit intendens ad ſtatum perfectionis ſe transferre, ſi per infirmitatem deficiat non eſt ſimulator, vel hypocrita, quià non tenetur manifeſtare ſuum peccatum ſanctitatis habitum deponedo; *Vnde Greg.* 31. *Moral. Sunt aliqui, qui & ſanctitatis habitum tenent, & perfectionis meritum exequi non valent, quos non eſt cre-*

credendum in numero hypocritarum currere, quià aliud eſt infirmitas, aliud malitia. Si autèm ſanctitatis habitum quis aſſumeret, ut ſe iuſtum oſtenderet, hypocrita eſſet; & ſimilitèr ſi bona opera ex genere ad Dei ſervitium pertinentia, ad inanem gloriam faceret, ut etiàm habetur *ex verbis Greg. ibidem*.

Circà tertium reſpondeo; Quidam dicunt, quod non; quià facit aut opera bona, per quæ nullus ſimulat ſe malum; aut opera mala, & tunc eſt malus: & huiuſmodi poſitionis fuit *Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de hypocriſi art. 6* Sed ſecundùm aliquos hæc ratio non cogit; Poteſt enim aliquis ſe ſimulare malum per opera, quæ non ſunt in ſe mala; habent tamèn quamdam ſpeciem mali; ſed tamèn ipſa ſimulatio eſt maſa, tum ratione mendacii, tum ratione ſcandali; & licèt per hoc fiat malus, non tamèn fit malus illa malitia, qua ſimulat; & quià ipſa ſimulatio eſt ſecundùm ſe mala, non ratione eius, de quo eſt, ſivè ſit de bono, ſivè de malo, peccatum eſt. Et hęc eſt poſitio *Thom. 2.2. quæſt. 3. art. 1. cap. 3.*

Circà quartum reſpondeo quod ſic; Cum enim hypocriſis ſit quędam ſimulatio, qua quis ſe ſimulat habere perſonam, quam non habet, ut dictum eſt; conſequens eſt, ut formalitèr, & directè opponatur veritati, qua quis exhibet ſe talem vita, & ſermone qualis eſt, ut dicitur 4. *Ethi.*

Circà quintum reſpondeo quod ſic; Simulatio enim eſt propriè mendacium quoddam in ſignis factorum exteriorum conſiſtens. Non refert autèm, utrùm quis mentiatur verbo, vel facto, ut ſupra dictum eſt; Vndè cum omne mendacium ſit peccatum, ut habitum eſt ſuprà *lib. 1.* conſequens eſt, quod omnis ſimulatio eſt peccatum.

Sed obiicitur, quià nullum peccatum eſt utile; ſed ut dicit *Hieron.* utilem ſimulationem in tempore eſſe aſſumendam, Jehu nos docet exemplo, qui Sacerdotes Baal interfecit, ſe fingens idola velle colere. 4. *Reg.* 10. & David immutavit faciem coram rege Geth. 1. *Regum* 21. Non ergò omnis ſimulatio eſt peccatum.

Reſpondeo *Hieron.* largè utitur nomine ſimulationis pro quacumque fictione; Immutatio autèm David fuit fictio figuralis, ut exponit *Gloſ. in Pſalm. Benedicam Dominum in omni tempore.* Simulationem verò Jehu non debet excuſare à peccato, vel mendacio, quià fuit malus, utpotè ab idolatria Jeroboam non recedens; laudatur tamèn, & remuneratur à Deo temporalitèr, non per ſimulationem, ſed pro zelo, quo Baal cultum deſtruxit.

Ad hoc nota, quod ſicut dicit *Auguſ. in quæſtionibus Evangelii*, quando fingimus illud quod nihil ſignificat, eſt mendacium; cum autèm fictio noſtra aliquid ſignificat, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis; ſicut Dominus finxit ſe longius ire *Luc. ult.* ad ſignificandum, quod ipſe longè erat ab eorum fide, *ut dicit* Greg. Abraham etiàm *Gen.* 22. dicens famulo: *poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*; *ut dicit Ambr. prophetavit, quod ignorabat*, quià Dominus per eum locutus fuit.

Nota etiàm *ſecundum Bon. in 3. diſ. 38. art. 2. cap. 3. poſt oppoſitum*, & *Alex. Ang. ubi ſuprà*, quod eſt triplex ſimulatio. Prima eſt cautelæ, & hæc fuit in Jehu, & David. Secunda eſt inſtructionis, hæc fuit in Chriſto, cum finxit ſe longiùs ire, in quo erudivit exhibendum officium hoſpitibus, qui coegerunt eum apud ſe manere, per quod meruerunt etiàm eum cognoſcere. Tertia eſt duplicitatis, & hæc eſt in hypocritis; & hæc tertia habet rationem mendacii; non autèm prima, & ſecunda. Et addit *Alex.* quartum membrum, ſcilicèt quod eſt ſimulatio ſignificationis, ut cum Jacob ſimulavit ſe eſſe Eſau.

Circà ſextum reſpondeo; In hypocriſi ſunt duo, ſcilicèt defectus ſanctitatis, & ſimulatio eius. Si ergò hypocrita dicatur ille, cuius intentio fertur ad utrumque, ſcilicèt, ut non curet ſanctitatem habere, ſed tantum ſanctus apparere, ſicut ſumi ſolet in Sacra Scriptura, ſic eſt peccatum mortale; *Et ſic dicitur Job. 13. Non veniet in conſpectu ejus omnis hypocrita*. Si autèm dicatur hypocrita ille, qui intendit ſanctitatem ſimulare, a qua deficit per peccatum mortale, tunc licèt ſit in peccato mortali ex quo privatur ſanctitate vitæ; non tamèn ipſa ſimulatio eſt ſemper ei peccatum mortale; ſed quandoquè eſt veniale. Hoc autèm eſt diſcernendum ex fine, qui ſi repugnat charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, ut cum ſimulat ſanctitatem, ut diſſeminet falſam doctrinam, vel conſequatur indignus dignitatem Eccleſiaſticam, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus conſtituit finem. Si verò finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, ut cum quis in ipſa fictione delectatur, de quo dicitur 4. *Ethi.* quod magis videtur vanus, quàm malus. Eadem enim ratio eſt de mendacio, & ſimulatione. Contingit tamèn quandoquè, quod aliquis ſimulat perfectionem ſanctitatis, quæ eſt de neceſſitate ſalutis, & talis ſimulatio, nec ſemper eſt peccatum mortale, nec ſemper eſt cum peccato mortali. *Hæc Thom. 2.2. quæſt. 3. art. 4. c. in fine*.

Quid ſi aliquis ſimulet ſanctitatem ad Dei honorem, & proximorum edificationem?

Reſpondeo; ſi faciat hoc tantum prædicta intentione, non peccat, ſed meretur, ſi ſit in charitate; ut cum aliquis religioſus maiorem religioſitatem oſtendit coram ſęcularibus, quàm coram ſuis fratribus, ut magis edificentur.

Quare Dominus tantum, & toties hypocriſim deteſtatur?

Reſpondeo propter tria. Primò, quià illi Phariſei, & Scribæ, quibus Dominus loquebatur plurimùm erant hypocritæ. Secundò, quià hypocrita eſt contrarius operi divino, Ut enim dicit *Auguſt. in Enchir. Dominus ordinat malum in bonum*; *Hypocrita convertit bonum in malum*.

malum. Tertiò, quià eſt contrarius toti Trinitati, ſcilicèt Patri, uſurpat enim gloriam, quæ attribuitur Patri; & Filio, qui eſt veritas, & vita: Quid enim eſt hypocriſis, niſi falſa vita apparens bona, & exiſtens mala; Et Spiritui Sancto, cui bonitas attribuitur; quià bonis operibus abutitur. *Hæc Alex. Aug. 2. tit. 2. c. de hypocriſi art. 9. o.*

Qui ſunt fructus hypocritarum, per quos cognoſcuntur; de quibus *Matth. 7. dicitur à fructibus eorum cognoſcetis eos?*

Reſpondeo duplex eſt arbor, ſivè intentio, vel voluntas, & ſecundum hoc eſt duplex fructus. Vna eſt intentio generalis faciendi bonum in genere, & huius fructus ſunt opera bona in genere, & ab his non poteſt cognoſci malitia eius. Alia eſt ſpecialis, qua vult videri bonus propter humanum favorem, vel laudem humanam, vel quæſtum temporalem, quæ quidem tria ſunt eius fructus, quià iſtis principalitèr intendit frui, & ab his cognoſcitur malitia eius, quià poſtquam hæc conſequtus fuerit, vel conſequi non poſſe viderit, vel ea habere deſtiterit, ab operibus exterioribus ceſſabit; ut habetur ſententialitèr ex verbis *Auguſt. ibidem*, & ſic tunc apparere incipit utrum lupus, vel ovis fuerit; *Hæc Alex. ubi ſupra art. 11. o.*

TITVLVS XXVIII.

De Jactantia, & Ironia.

DEindè conſiderandum eſt de iactantia, & ironia ſibi oppoſita, & primò de iactantia; ideò ſit

ARTICULUS I.

De Jactantia.

CIrcà quam quæruntur plurà, ſcilicèt

I. Utrùm Jactantia opponatur virtuti veritatis?

II. Utrùm Jactantia oriatur ex ſuperbia?

III. Utrùm Jactantia ſit peccatum mortale?

IV. Utrùm Perfectorum tantùm ſit vitare iactantiam, ſive oſtentationem?

Circà primum reſpondeo, quod ſic; *ſecundùm Philoſ. 2. & 4. Ethi.* Jactantia enim propriè videtur importare, quod homo ſe verbis extollat; Quæ enim vult homo longè iactare elevat in altum; Tunc autèm propriè ſe extollit, quandò de ſe, ſupra ſe aliquid dicit. Hoc autèm contingit duplicitèr. Quandoquè enim aliquis loquitur de ſe ſupra illud, quod eſt in opinione hominum; *Quod Apoſtolus refugiens dicit 2. Corinth. 12. Parco ne quis exiſtimet me ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Quandoquè verò ſuper illud, quod eſt in ſe; quià magis eſt iudicandum aliquod, ſecundùm quod eſt in ſe; ideò magis propriè dicitur iactantia, quandò aliquis offert ſe ſuper illud, quod eſt in ſe, licèt utroque modo iactantia dici poſſit; & ideò iactantia propriè dicta per modum exceſſus opponitur veritati; *Hæc Tho. 22. quæſt. 107. artic. 1. c.*

Quid ſit iactantia ſatis patet ex prædictis, Poteſt tamen ſic deſcribi: *Jactantia eſt oſtentatio propriæ laudis, cum veritas non ſubſit*; & hoc alio nomine dicitur arrogantia, cum quis attribuit ſibi, quod non habet. Quandoquè tamen extenſo nomine dicitur oſtentatio vana propriæ laudis, etiam cum veritas ſubeſt; *ut dicit Greg. ſecundùm illud: ſi accepiſti, quid glorìaris, quaſi non acceperis*. Tamèn & hoc poteſt dici jactantia de eo, quod non eſt; licèt enim habeat bonum, à ſe tamèn non habet; *Hæc Alex. 2. tit. 2. c. de jactantia art. 1. & 2. o.*

Circà ſecundùm reſpondeo; quod ſic, ut frequentiùs; ex hoc enim, quod aliquis per arrogantiam interius elevatur ſupra ſe, quæ eſt ſpecies ſuperbiæ, ſequitur plerumque, quod exteriùs de ſe jactet quædam majora, licèt quandoquè quis ſe jactet non ex arrogantia, ſed ex quadam vanitate; & in hoc delectetur, quià eſt ſecundùm habitum talis; Et *ideò Greg. 21. Mor.* ponit jactantiam intèr ſpecies ſuperbiæ; Intendit autèm jactator ſæpè ut per ſuam jactantiam conſequatur gloriam, *& ideò ſecundùm Greg. 31. Moral.* oritur ex inani gloria ſecundùm rationem finis. Oritur etiàm quandoquè ex divitiis occaſionalitèr, dùm ſcilicèt aliquis de eis ſuperbit, & ideò ſignantèr *Proverb. 8.* opes dicuntur ſuperbæ. Oritur etiam ex eis quandoquè per modum finis, dùm ſcilicèt aliquis de ſe jactat ea, ex quibus lucrari poteſt, ut quod eſt ſapiens, vel medicus, vel divinus, ut dicitur 4. *Ethi.*

Circà tertium reſpondeo, quod jactantia poteſt duplicitèr ſumi. Uno modo, pro ut eſt quoddam mendacium, & ſic quandoquè eſt mortale peccatum; ut quandò aliquis jactantèr de ſe profert aliquid, quod eſt contrà gloriam Dei, *ſicut dicitur Eze. 28. & dixiſti Deus ego ſum*; vel aliquid, quod eſt contrà charitatem proximi, ut cum quis ſe jactando prorumpit in contumelias aliorum, *ut Phariſæus Luc. 18. dicebat: Non ſum ſicut cæteri homines, raptores, injuſti, adulteri, velut etiàm hic Publicanus.* Quandoquè eſt veniale, ut cum aliquis de ſe jactat talia, quæ non ſunt contrà Deum, nec contrà proximum. Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm cauſam ſuam, & ſic ſi procedat ex ſuperbia, vel inani gloria mortali, erit mortalis; alioquin erit venialis. Si verò ex appetitu lucri, jam pertinere videtur ad proximi deceptionem, & damnum, & ideò magis eſt mortalis; *Undè Philoſ. 4. Ethi. dicit*, quod turpior eſt, qui ſe jactat cauſa lucri, quàm qui cauſa gloriæ, vel honoris. Non tamèn erit ſemper hoc modo mortalis, quià poteſt

eſſe

eſſe tale lucrum, ex quo non erit alterius damnum; *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 112. *art.* 2. *c.*

Ad hoc etiàm nota *ſecundùm Thom. ibidem cap.* 3. quod, ſi quis ſe jactet contrà charitatem Dei, vel proximi, aut ſecundùm ſe, aut ſecundùm cauſam ſuam, eſt mendacium pernicioſum. Si verò jactet ſe, quaſi hoc ipſo delectatus, reducitur ad mendacium jocoſum; niſi forſan hoc dilectioni Dei præponeret, in quo ſolo mens noſtra quieſcere debet, ut in ultimo fine. Si autèm ſe jactet gratia vanæ gloriæ, vel lucri, videtur pertinere ad mendacium officioſum; dùm tamèn hoc ſit ſinè proximi damno, quià tunc pertineret ad pernicioſum. Secundùm autèm *Alex. Aug.* Aliquis ſe jactat aut de bono, quod non habet, & hoc vel ex ſurreptione, & ſic eſt veniale; vel ex deliberatione rationis, & tunc videtur eſſe mortale, ſi hoc ſit cum intentione damnificandi alium injuſtè. Aut jactat ſe de bono, quod habet, & hoc vel levitèr ſinè alterius depreſſione, & ſic eſt veniale; vel ita quod præponit laudem ſuam laudi divinæ, & ſic eſt mortale.

Cirà quartùm reſpondeo; Licèt omnes declinare poſſint operis oſtentationem per ſermonem, cum tantùm eſt oſtentatio operis per ſermonem; non tamèn eſt quorumlibet, ſed perfectorum vitare vanæ gloriæ motum; *Undè Greg. Valdè perfectorum eſt ſic oſtenſo opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude privata neſciant exultatione gaudere*: & ideò opera ſtudio occultentur, neceſſitate publicentur, ut eorum occultatio ſit cuſtodia propria, & eorum publicatio utilitas aliena; & ſic patet, quod omnes poſſunt, & tenentur vitare motum jactantiæ, cum eſt mortalis, nec habent neceſſitatem ad motum jactantiæ venialis, licèt ſit aliqua pronitas concupiſcentiæ ad oſtentationem ſermonis; *Hæc Alex.* 2. *tit.* 2. *c. de jactantia art.* 3. *o.*

ARTICULUS II.

De Ironia.

Circà ſecundùm, ſcilicèt Ironia quæruntur etiàm plura, ſcilicèt

I. Vtrùm Ironia, per quam quis de ſe fingit majora, ſit peccatum?

II. Vtrùm Ironia ſit minus peccatum, quàm jactantia?

Cicià primum reſpondeo. Quod aliquis de ſe minora fingat duplicitèr contingere poteſt. Vno modo ſalva veritate, dum ſcilicèt majora, quæ ſunt in ſe, tacet, & quædam minora detegit, quæ tamèn in ſe eſſe cognoſcit; Et hoc non eſt ironia, nec eſt peccatum ſecundùm genus ſuum, niſi per alicujus circumſtantiæ corruptionem. Aliò modo declinando à veritate, ut cum de ſe aſſerit aliquod vile, quod de ſe non cognoſcit; Aut cum negat de ſe magnum aliquod, quod tamèn in ſe eſſe percipit; & ſic eſt ironia, & eſt ſemper peccatum; *Vnde Greg. Incautè ſe humiliant, qui mentiendo ſe illaqueant.* Ad hoc nota, *quod Amos* 7. *non mentitur, dicens: non ſum Propheta*; Hoc enim dicit, quià non erat de genere Prophetarum. *Nec Salomon Proverb.* 30. ubi à Deo confortatus confitetur ſe eſſe ſtultiſſimum: Hoc enim dicit ſecundum humanam reputationem, quià ſcilicèt mundana, quæ hominum ſapientia quærit, contemnit.

Circà ſecundum reſpondeo; Utraque mentitur, vel verbis, vel quibuſcumque exterioribus ſignis circa idem, ſcilicèt circa conditionem perſonæ; Undè ratione materiæ, ſivè objecti, circa quod ſunt, ſunt ęqualia peccata; ſed ut plurimum jactantia procedit ex turpiori motivo, ſcilicèt ex appetitu lucri, vel honoris; Ironia verò ex hoc, quod fugit, licèt inordinatè per elationem, & quo ad illud eſt graviùs, & ſecundùm hoc dicitur 4. *Ethi.* quod jactantia eſt gravius peccatum ironia. Contingit tamèn quandoquè, quod hæc minora de ſe fingit ex alio motivo, putà, ut dolosè decipiat, & tunc ironia eſt gravior; & ſic dicitur *Eccl.* 19. *eſt qui nequiter ſe humiliat, interiora autem ejus plena ſunt dolo.*

TITULUS XXIX.

De Amicitia, & Adulatione, & Litigio.

Poſteà conſiderandum eſt de amicitia, & de vitiis ſibi oppoſitis; & Primò de ipſa amicitia. Secundò de adulatione. Tertiò de Litigio. Hęc enim duo opponuntur virtuti amicitiæ; ideò ſit

ARTICULUS I.

De Amicitia.

Circà primum ſciendum, quod per virtutem amicitiæ ordinatur homo ad alios homines in communi converſatione, tàm in factis, quàm in dictis, ſcilicèt, ut ad quemlibèt ſe habeat ſecundùm quod decet. Dicitur etiàm hæc virtus affabilitas, cujus etiam actus præcipitur *Eccl.* 4. *Congregationi pauperum affabilem te fac.* Loquitur autem *Philoſ.* 6. *Ethi.* de duplici amicitia, quarum quælibet conſiſtit principalitèr in affectu, quo unus diligit alium; & hæc conſequi poteſt per quamcumque virtutem, quià quælibet virtus eſt cauſa amicitiæ, quià bonum omnibus eſt amabile, ut dicit *Dioniſ.* 4. *c. de Divin. Nom.* & ſecundùm hoc dicit *Philoſ.* 8. *Ethi.* quod amicitia perfecta eſt, quæ eſt proptèr virtutem. Quę autèm pertineant ad hanc amicitiam, infrà dicetur, cum de charitate agetur. Alia verò conſiſtit in ſolis exterioribus verbis, vel factis; & hæc non habet perfectam amicitiæ rationem, ſed quamdam ejus ſimilitudinem, inquantum ſcilicèt,

eſt, quis decentèr, & delectabilitèr ſe habet ad eos, cum quibus converſatur, non quidem converſationem laſcivam, quam virtus cavet, ſed honeſtam *ſecundùm illud Pſal. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Quandoquè tamèn propter aliquod bonum conſequens, vel aliquod malum excludens, non refugiet virtuoſus eos, quibus convivit contriſtare, ut dicitur 4. *Ethi.* ne ſcilicèt videatur eorum peccato conſentire, & peccandi audaciam miniſtrare; *Undè Eccl. 7. Filiæ tibi ſunt, ſerva corpus illarum, & non oſtendas faciem tuam hilarem ad illas.*

ARTICVLVS II.

De Adulatione.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de adulatione; Circà quam quæruntur plura, ſcilicèt

I. Quid eſt adulatio?

II. Utrùm adulatio ſit peccatum?

III. Utrùm adulatio ſit peccatum mortale?

Circà primùm reſpondeo *ſecundùm Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de adulatione art. 1. in prin. Adulatio eſt peccatum ex ſermone vanæ laudis alicui exhibitæ, intentione placendi*; Sunt autèm quatuor differentiæ ejus. Una eſt, quæ bonum non habitum attribuit. Secunda eſt, quæ bonum habitum extollit plus quam ſit. Tertia eſt, quæ malum nutrit laudando, & dicendo malum bonum. Quarta eſt, quæ malum nutrit diminuendo ipſum; *Hæc Alex. Ang. ibidem c.*

Circà ſecundum reſpondeo, quod ſic; Amicitia enim, ubi opportet propter aliquod bonum conſequendum, vel malum vitandum, non veretur contriſtare, ut ſuprà dictum eſt. Si ergò aliquis in omnibus velit ad delectationem alteri loqui, excedit modum in delectando, & ideò peccat per exceſſum, & ſi facit hoc ex intentione tantùm delectandi, dicitur placidus *ſecundùm Philoſ.* Si autèm intentione alicujus lucri, dicitur blanditor, ſeu adulator. Communitèr tamèn nomen adulationis attribui ſolet omnibus, qui ſuprà modum virtutis volunt alios verbis, vel factis delectari in communi coverſatione.

Ad hoc nota quod contingit aliquem laudare, & benè, & malè, ſcilicèt prout debitæ circumſtantiæ, vel ſervantur, vel prætermittuntur. Si enim aliquis velit aliquem delectare, laudando, ut ex hoc eum conſoletur, ne in tribulatione deficiat, vel etiàm ut in bono proficere ſtudeat, aliis debitis circumſtantiis ſervatis, hoc pertinebit ad virtutem amicitiæ. Pertinebit autèm ad adulationem, ſi velit aliquem laudare, in quibus non eſt laudandus, quià fortè ſunt mala *ſecundùm illud Pſal. laudatur peccator in deſiderium animæ ſuæ &c.* vel quià non ſunt certa *ſecundùm illud Eccl. 27. Ante ſermonem ne laudes virum*; vel etiàm ſi timeri poſſit, ne humana laus ad vanam gloriam eum provocet, *ſecundùm illud Eccl. 11. Ante mortem ne laudes hominem.* Similitèr velle placere hominibus propter charitatem nutriendam, & ut in eis ſpiritualitèr perficere poſſit, eſt laudabile. Quod autèm aliquis hominibus velit placere propter vanam gloriam, vel propter lucrum, vel etiàm in malis, hoc eſſet peccatum *ſecundùm illud Pſal. Dominus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent*; *Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 115. art. 1. c.*

Circà tertium reſpondeo ſecundùm *Alex. Ang. ubi ſuprà art. 2. c.* Multiplex eſt adulationis genus. Unum eſt, quod dicit malum bonum, fovendo ſcilicèt peccatorem in peccato; & hoc eſt peccatum mortale. Aliàs verò aliquis adulatur, aut intendens alicui prodeſſe, & nulli obeſſe, & tunc eſt veniale: Aut alicui obeſſe licèt alteri proſit, & tunc eſt mortale; videtur autèm hoc fieri ex libidine mortali. Si autèm non obeſt, nec prodeſt, ſed Dei generat contemptum propter aſſiduitatem, tunc eſt mortale. Si verò fiat ex libidine veniali, ut cum quis laudat ex ſurreptione aliquem in bono, aut quem debet, nec intentione placendi propter ſe, tunc eſt veniale, & de tali adulatione loquitur *Auguſt. in Can.* numerans eam inter peccata minuta.

Eſtò quod aliquis per adulationem impetraverit beneficium, numquid reſignare tenetur ipſum?

Reſpondeo ſuper hoc diverſi diverſimodè reſpondent. Videtur tamèn *ſecundùm Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de adulatione art. 5. c.* quod adulatio debeat ad munus ab obſequio reduci; Undè ſi ei in alio non ſerviret, indignè reciperet, & reſignare deberet, ſicut ille, qui ſervit de officio turpi: Officium turpe dicitur propriè, cui eſt peccatum annexum; & ad hoc facere videtur, quod dicit *Iſid.* ſcilicèt, quod tria ſunt munera, quibus pervertitur homo, ſcilicèt Favor amicitiæ; Adulatio laudis; & Munus rei corporalis.

Ad hoc nota tria remedia contrà adulationem. Unum intrà nos, ſcilicèt teſtimonium bonæ conſcientiæ, quæ ſemper de ſe minùs æſtimat, & in agendis ſuis timet, ne quid repræhenſibile inveniatur. Reliqua duo ſunt extrà nos. Unum ex parte hominis mali, ſcilicèt detractio, ne in bonis extollamur; ſed magis humiliemur. Alterum arguitio boni noſtri, ne quid in bonis noſtris repræhenſibile inveniatur. Primum, & tertium remedium ponuntur ſupèr illud *Pſal. Oleum autèm peccatoris &c.* ſecundum verò ponit *Greg. Hæc Alex. Ang. ubi ſuprà art. 8. c.*

ARTICVLVS III.

De Litigio.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de litigio, & de hoc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm opponatur virtuti amicitiæ, ſivè affabilitatis?

II. Utrùm litigium ſit minus pæccatum, quàm adulatio?

Digitized by Google

Circà primum reſpondeo, quod ſic; *ut vult Philoſ. 4. Ethi.* Litigium enim propriè in verbis conſiſtit, cum ſcilicèt unus alteri contradicit. In hac autèm contradictione duo poſſunt attendi. Quandoquè enim contingit contradici propter perſonam dicentis, cui contradicens conſentire recuſat propter defectum amoris animos unientis; & hoc videtur ad diſcordiam pertinere charitati contrariam. Quandoquè ratione perſonæ, quam aliquis contriſtare non veretur; & ſic fit litigium, quod opponitur amicitiæ, ad quam pertinet delectabilitèr aliis convivere; *Undè Philoſ.* dicit 4. *Ethi.* quod, qui quoad omnia contrariantur cauſa ejus, quod eſt contriſtare, neque quodcumque curantes, diſcoli, & litigioſi vocantur.

Circà ſecundùm reſpondeo. De his duobus poſſumus duplicitèr loqui. Uno modo conſiderando ſpeciem utriuſque; & ſecundum hoc tanto graviùs eſt aliquod vitium, quanto magis repugnat oppoſitæ virtuti. Amicitia autèm tendit principaliùs ad delectandum, quàm contriſtandum; & ideò litigioſus, qui ſuperabbundat in contriſtando graviùs peccat, quam adulator, qui ſuperabbundat in delectando. Alio modo ſecundum aliqua exteriora motiva; & ſecundum hoc adulatio eſt quandoquè gravior, ut quandò intendit per deceptionem indebitè lucrum, vel honorem acquirere. Quandoquè litigium eſt graviùs, ut cum quis intendit, vel veritatem impugnare, vel dicentem in contemptum adducere.

TITVLVS XXX.

De Largitate, Avaritia, & Prodigalitate.

DEindè conſiderandum eſt de liberalitate, ſivè largitate, & vitiis oppoſitis. Et Primò de ipſa largitate. Secundò de Avaritia. Tertiò de Prodigalitate; Hæc enim duo opponuntur largitati, ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Largitate.

CIrcà primum ſciendum, quod largitas eſt virtus habilitans eum, in quo eſt ad utendum benè, & convenientèr bonis ab eo poſſeſſis; tam in ſumptibus reſpectu ſui, quàm in dationibus reſpectù proximi; *Undè dicit Philoſ. 4. Ethi.* quod liberalitas videtur eſſe quædam mediocritas circa pecunias. Per pecunias intelligens omnia, quorum dignitas numiſmate menſuratur, ut patet ibidem, dicitur enim ibidem, quod conſiſtit circa dationes, & ſumptus. Quià tamèn ad virtuoſum pertinet, non tantum convenienter uti materia ſua, vel inſtrumento; ſed etiàm opportunitates præparare ad benè utendum; ideò ad liberalem pertinet non tantum uti pecunia, ſed etiàm eam præparare, & conſervare ad idoneum uſum.

ARTICULUS II.

De Avaritia.

SEquitur videre de ſecundò ſcilicèt de Avaritia; de qua plura quæruntur, ſcilicèt

I. Utrùm ſit peccatum?

II. Utrùm avaritia ſit ſpeciale peccatum?

III. Utrùm avaritia opponatur liberalitati?

IV. Utrum avaritia ſit ſemper peccatum mortale?

V. Utrùm Epiſcopus multa congregare poſſit ad tuitionem ſuæ Eccleſiæ, ſicut Rex ad tuitionem ſui Regni?

VI. Utrùm avaritia ſit peccatum ſpirituale?

VII. Utrùm avaritia ſit vitium capitale.

Circà primum reſpondeo quod ſic; pro eo quod vult divitias retinere, vel acquirere ſupra debitum modum; *Undè Tullius dicit, quod avaritia eſt immoderatus amor habendi*; Ideò dicitur ad *Hebr. ult. ſint mores ſinè avaritia.*

Sed objicitur, quià ea, quæ naturalitèr adveniunt, non ſunt peccata; ſed avaritia naturalitèr conſequitur ſenectutem, ut dicitur 4. *Ethi.* ergò &c.

Reſpondeo. Inclinationes naturales ſunt regulandæ ſecundùm rationem, & ideò licet ſenes propter defectum naturæ avidiùs ſubſidia rerum exteriorum requirant, non tamèn à peccato excuſantur, ſi circa divitias debitam rationis menſuram excedant.

Circà ſecundum reſpondeo, quod ſic; ſcilicèt ſecundùm quod eſt immoderatus amor habendi poſſeſſiones, quæ nomine pecuniæ deſignantur, ex quo ſumitur avaritiæ nomèn; *Undè ſecundum Iſid. Ethi.* avarus dicitur, quaſi avidus æris, ideſt pecuniæ; *Unde Rom. 1.* connumeratur inter peccata ſpecialia; *Ubi dicitur: repletos omni iniquitate, & malitia fornicationis, avaritia &c.* Verùm quià verbum habendi, quod ſecundùm primam impoſitionem ad poſeſſiones pertinere videtur, derivatur ad alia multa; ſicut homo dicitur habere ſanitatem, uxorem, veſtes, & hujuſmodi, ut patet in poſt prædicamentis; & per conſequens, etiàm nomèn avaritiæ ampliatum eſt ad omnem immoderatum appetitum habendi quamcumque rem; *Unde dicit Greg. in quadam Homil.* quod avaritia eſt non tantum pecuniæ, ſed etiàm ſcientiæ, & altitudinis, cujus ſublimitas ſupra modum ambitur; & ſic avaritia non eſt peccatum ſpeciale; & ſic dicit *Auguſ. 4. di lib. arb.* Avaritia, quæ dicitur *græcè* phylargiria, ideſt amor argenti, non tantum in argento, vel nummis; ſed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda eſt.

Ad tertium reſpondeo; Avaritia importat quam-

quamdam immoderantiam circa divitias triplicitèr. Vno modo circa ipſam acceptionem, & conſervationem earum, ſcilicèt inquantum aliquis acquirit pecuniam ultra debitum, aliena ſurripiendo, vel retinendo; & ſic opponitur juſtitiæ. Alio modo circa affectiones divitiarum, ut cum quis nimis amat, vel deſiderat divitias, aut in eis nimis delectatur, etiamſi nolit rapere aliena; & ſic opponitur liberalitati, quæ moderatur affectionem hujuſmodi, ut dictum eſt. Sciendum autèm, quod avaritia ſecundùm quod opponitur juſtitiæ non habet vitium oppoſitum, quià avaritia conſiſtit in plus habendo, quàm debet ſecundùm juſtitiam, cui opponitur minùs habere, quod non habet rationem culpæ, ſed pœnæ; ideò *Philoſ. vult* 5. *Ethi.* quod avaritia non habet vitium oppoſitum: Secundùm autèm, quod opponitur liberalitati habet vitium prodigalitatis oppoſitum, quià liberalitas eſt virtus media intèr duo vitia, *ut patet ex* 2. *&* 4. *Ethi.*

Circà quartum reſpondeo, quod ſic de genere ſuo ſcilicèt, & hoc ſecundùm quod opponitur juſtitiæ; Sic enim ad avaritiam pertinet injuſtè alienum accipere, vel retinere. Alio modo poteſt ſumi avaritia ſecundùm quod opponitur liberalitati; & ſic dicit inordinatum amorem divitiarum, qui ſi creſcat tantùm, quod proptèr ipſum non vereatur quis facere contra amorem Dei, & proximi, erit mortalis. Si autèm infra hoc ſiſtat, eſt venialis. Ad hoc nota verbum *Baſilii*. *Eſt*, inquit, *panis famelici, quem tenes; nudi veſtis, quam ſervas; egentis argentum, quod poſſides, quo circa tot injurias facis, quot exhibere valeres*. Loquitur autèm in caſu, quo aliquis tenetur ex debito legali bona ſua pauperibus erogare; vel proptèr neceſſitatis periculum, vel proptèr ſuperfluitatem bonorum.

Circà quintum reſpondet *Alex. Ang. in* 2. *ſuo ca. de avaritia*, quod non eſt ſimile, quià Rex ad hoc eſt conſtitutus, ut ſubditos in pace teneat, & ab adverſariis defendat, & ideò poteſt ad hoc res Regni congregare, & conſervare. Sed Epiſcopus debet convertere res Eccleſiæ in uſum Eccleſiæ, quod facit pauperibus dando, undè non debet congregare.

Circà ſextum reſpondeo quod ſic, ut dicit *Greg.* 31. *Moral.* non tantùm quærit circa ſuum objectum delectationem corporalem, ſed ſpiritualem, prout ſcilicèt homo delectatur in hoc quod ſe divitiarum conſiderat poſſeſſorem; ratione tamè n objecti, quod eſt corporale, eſt medium inter peccata purè ſpiritualia, & purè carnalia, quià illa quærunt delectationem ſpiritualem circa objectum ſpirituale, ut ſuperbia circa excellentiam; & intemperantia delectationem purè corporalem circa objectum corporale.

Circà ſextum reſpondeo quod ſic, ut habitum eſt ſuprà *tit.* 8. Et filię ejus ſunt 7. ut dicit *Greg.* 31. *Moral.* ſcilicèt Proditio, Fraus, Fallacia, Perjurium, Inquietudo, Violentia, & Obduratio contrà miſeriam. Avaritia enim excedit in retinendo, & ſic ex ea oritur obduratio; & in acquirendo, ſecundùm quod eſt in affectu, & ſic oritur inquietudo mentis; vel ſecundum quod eſt in effectu, & ſic quandoquè utitur violentia, quandoquè dolo, quæ ſi fiat in verbo ſimplici, erit fallacia; Si autèm includat jurationem, erit perjurium. Si verò fiat dolus in opere, quantum ad res, erit fraus; ſi quantum ad perſonas, erit proditio.

Ad hoc nota, quod ſicut liberalitas eſt circà mediocres pecunias, ità & illiberalitas; & ideò Tyranni, qui magna per violentiam auferunt, non dicuntur illiberales, ſed injuſti, proptèr quod dicitur 4. *Ethi.* quod tyrannos civitates deſolantes, & ſacra prædantes, non dicimus illiberales, ſed avaros.

Nota inſuper, quod avaritia *ſecundùm Apoſtolum Ephe.* 5. *eſt idolorum ſervitus*, quod dicit pro tanto, quià utraque ſubjicitur quis creaturæ exteriori, non tamèn eodem modo, quià per idolatriam ei ſubjicitur exibendo cultum divinum, per avaritiam verò eam immoderatè concupiſcendo ad uſum.

ARTICVLVS III.

De Prodigalitate, & de differentia avaritiæ, & prodigalitatis.

Sequitur videre de tertio; ſcilicèt de prodigalitate, de qua quæruntur plura, ſcilicèt

I. Vtrùm prodigalitas opponatur avaritiæ?

II. Vtrùm prodigalitas ſit peccatum?

Circà primum reſpondeo quod ſic, ut patet ex 2. *Ethi.* In moralibus enim attenditur oppoſitio vitiorum ad invicem, & ad virtutes ſecundùm ſuperabbundantiam, & defectum. Differunt autèm prodigalitas, & avaritia, quià avarus in affectione divitiarum ſuperabbundat eas plus debito diligendo. Prodigus autèm deficit minus debitè ſollicitudinem earum gerendo. Circà verò exteriora prodigus excedit in dando, & deficit in retinendo, & acquirendo. Avarus verò è contrario deficit in dando, & excedit in acquirendo, & ſic patet quod opponuntur.

Circà ſecundum reſpondeo quod ſic, cum medium liberalitatis corrumpat; Eſt autèm minus peccatum, quam avaritia, ut vult *Philoſ.* 4. *Ethi.* quod etiàm patet per hoc, quod avaritia magis differt à liberalitate, magis enim pertinet ad largum dare, in quo excedit prodigus; quàm recipere, vel retinere, in quo excedit avarus.

TITULUS XXXI.

De Epicheja.

Poſteà conſiderandum eſt de Epicheja, de qua quæruntur plura, ſcilicèt

I. Vtrùm ſit virtus?

II. Vtrùm Epicheja ſit pars juſtitiæ?

Circà primum reſpondeo. Actus humani, de quibus leges dantur in contingentibus conſiſtunt, qui modis infinitis variari poſſunt; Et ideò non poteſt aliqua lex inſtitui, quæ in nullo caſu deficiat; Sed Legiſlatores ad illud, quod in pluribus accidit attendunt, & ſecundùm hoc legem ferunt, quam tamèn in aliquibus caſibus ſervare, eſt contra æquitatem juſtitiæ, & contra bonum commune, quod lex intendit: Sic lex inſtituit depoſitum reddi, & tamèn gladius à furioſo depoſitus, non eſt ei, dum eſt in furia, reddendus. Et ad hoc ordinatur epicheja, quæ dicitur apud nos æquitas; Vndè patet, quod eſt virtus, ut vult *Philoſ.* 5. *Ethi.*

Circà ſecundùm reſpondeo quod ſic. Vt enim dicit *Philoſ.* ibi, aut eſt pars ſubjectiva juſtitiæ communitèr dictæ; & propriè correſpondet juſtitiæ legali, & quodammodo continetur ſub ea, & quodammodo excedit eam. Si enim juſtitia legalis dicatur, quià obtemperat legi, ſivè quantum ad verba legis, ſivè quantum ad intentionem latoris, quæ eſt potior, ſic epicheja eſt pars potior juſtitiæ legalis, Si verò juſtitia legalis dicatur tantùm, quæ obedit verbis legis, ſic epicheja non eſt pars ejus, ſed eſt pars juſtitiæ communitèr dictæ contrà juſtitiam legalem diviſa, ſicut excedens ipſam. Vndè propriùs dicitur juſtitia de ea, quam de juſtitia legali, quià juſtitia legalis dirigitur ſecundùm epichejam. Vndè epicheja eſt quaſi ſuperior regula actuum humanorum.

TITVLVS XXXII.

De Paſſionibus animæ.

Conſequentèr conſiderandum eſt de fortitudine, & temperantia; Hæ autèm virtutes, & earum partes habent eſſe circa paſſiones animæ: & ideò præmittenda ſunt brevitèr quædam de paſſionibus animæ magis neceſſaria.

Et primò, quot, & quæ ſunt paſſiones animæ.

Sciendum igitur, quod in vi concupiſcibili animæ ſunt tres conjugationes paſſionum, ſcilicèt; Amor, & odium; Deſiderium, & fuga; Gaudium, & triſtitia. Similitèr in iraſcibili ſunt tres, ſcilicèt Spes, & deſperatio; Timor, & audacia; & Irà, cui nulla paſſio opponitur. Sunt ergò omnes paſſiones animæ undecim, ſex in concupiſcibili, & quinquè in iraſcibili, ſub quibus omnes paſſiones animæ continentur. Paſſiones tamèn principales communitèr dicuntur eſſe quatuor, ſcilicèt Gaudium, & Triſtitia, & Spes, & Timor, ut vult *Boet. in fin.* 1. *lib. de conſolat*: Quarum primæ duæ dicuntur principales, quia ſunt completivæ, & finales ſimplicitèr reſpectù omnium paſſionum. Vndè ſequuntur ad omnes paſſiones. Timor autèm, & Spes ſunt principales, non quidem quaſi completivæ, & ultimę ſimplicitèr, ſed tantum in genere motus appetitivi ad aliquid. Vndè ſunt aliquo modo termini paſſionum concupiſcibilis, quæ conſiſtunt in motu; Nam reſpectu boni incipit motus in amore, & procedit in deſiderium, & terminatur in Spe; Reſpectu verò mali incipit in odio, & procedit ad fugam, & terminatur in timore. Intèr paſſiones autèm iraſcibilis, ſpes eſt prima reſpectu boni, timor reſpectu mali; Spes enim per ſe eſt reſpectu boni, deſperatio autèm per accidens, & proptèr aliquod annexum in ratione mali apprehenſum; ſimilitèr & timor eſt per ſe reſpectu mali, audacia autèm per accidens, ſcilicèt proptèr victoriam, vel aliquod aliud apprehenſum ratione boni. Irà autèm eſt reſpectu boni, & mali ſimul: Objectum autèm ejus eſt vindicta de injuriatione; Appetit enim iratus vindictam, ut bonum, & hoc de injuriante, quem apprehendit ut ſibi malum; præſupponit autèm audaciam, & ſpem vindictæ, cum nullus iraſcatur proptèr injuriam illatam, niſi ſperans vindictam, & audens injurianti reſiſtere, *ut dicit Avic. 6. de naturalibus*: Cum igitur, quod eſt per accidens non poſſit dici principale, ſed potiùs illud, quod eſt per ſe; deſperatio, & audacia non poſſunt dici paſſiones principales, nec etiam ira, quæ eſt quidam affectus audaciæ: Vndè reſtat, quod intèr paſſiones iraſcibiles ſpes, & timor ſunt principales paſſiones iraſcibilis. Poteſt igitùr numerus quatuor paſſionum ſumi ſecundùm differentiam præſentis, & futuri; motus enim reſpicit futurum, ſed quies eſt in aliquo præſenti; de bono igitur præſenti eſt gaudium, de præſenti malo triſtitia; de bono autèm futuro eſt ſpes, de malo autèm futuro timor. Omnes autèm aliæ paſſiones, quæ ſunt de bono, vel de malo præſenti, vel futuro, ad illas completivè reducuntur. Vndè etiàm à quibuſdam prædictę quatuor paſſiones dicuntur principales, quià ſunt generales, quod eſt verum, ſi ſpes, & timor deſignent motum appetitivum communitèr tendentem ad aliquid ſperandum, vel fugiendum. *Auguſt. autèm* 14. *de Civ.* loco ſpei ponit cupiditatem, quià utraque eſt reſpectu futuri boni.

Poteſt autèm hic quæri. Vtrùm aliqua paſſio ſecundum ſpeciem ſuam ſit moralitèr bona, vel mala?

Reſpondeo paſſio conſiderari poteſt duplicitèr;

tèr; vel ut eſt ingenere naturæ; vel in quantum eſt ingenere moris. Primo modo nulli paſſioni convenit ſecundum ſpeciem ſuam eſſe moralitèr bonam, vel malam, ſed naturalitèr. Sic enim illa paſſio ſecundùm ſpeciem ſuam eſt bona, quæ motui vitali convenit, ut gaudium; & illa mala, quæ ei repugnat, ut triſtitia. Dicitur enim 3. *Ethi.* quod triſtitia ſtupefacit, & corrumpit naturam habentis; & ſic dicitur 2. *Ethi.* quod ſecundum paſſiones non dicimur ſtudioſi, vel pravi, nec ſecundùm eas laudamur, vel vituperamur. Secundò verò modo, ſcilicèt in quantùm eſt in genere moris, quod convenit ei ex ordine ejus ad rationem, & voluntatem, ſic aliqua paſſio eſt moralitèr bona, ſecundùm ſuam ſpeciem, ut illa, quæ eſt reſpectu debiti objecti in comparatione ad ordinem rationis, & quià per comparationem ad ordinem rationis malum proximi eſt objectum debitum triſtitię, & ideò paſſio miſeriæ, quę eſt triſtitia de malo proximi, eſt moralitèr bona, ſecundùm ſuam ſpeciem, quià etiàm expectatum convicium eſt debitum objectum timoris in ordine ad rationem. Ideò erubeſcientia, quæ ſecundùm *Dam. lib. 2. cap.* 28. eſt timor expectati convicii, eſt moralitèr bona: Vndè dicit ibidem, quod eſt optima paſſionum. Quià etiam bonum proximi eſt indebitum objectum triſtitiæ per comparationem ad ordinem rationis; Ideò invidia, quæ eſt triſtitia de bono proximi, eſt ſecundùm ſuam ſpeciem moraliter mala. *Hæc Ric. 3. di. 26. quæſt. 1. art. 1. c.*

TITULUS XXXIII.

De fortitudine virtute, & ejus actu præcipuo, ſcilicèt de Martyrio.

POſteà conſiderandum eſt de fortitudine, & temperantia, & primo de fortitudine. Circà quam Primò conſiderandum eſt de ipſa, Secundò de vitiis oppoſitis. Tertiò de partibus ejus. Circà primum primò dicendum eſt de ipſa fortitudine; ſecundò de præcipuo ejus actu, ſcilicèt Martyrio; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Fortitudine.

CIrcà hoc ſciendum, quod fortitudo vera, eſt vera virtus; Eſt autèm vera fortitudo, ut habetur *ex* 3. *Ethi.* per quam quis mediocriter timet, & audet ad hoc inclinatus ex habitu propter bonum finem, qui eſt conſervatio boni communis in periculis mortis. Aliquis autèm agens licèt fortitèr agere videatur, non tamèn ſecundùm virtutem fortitèr agit. Vndè fortitudo ejus non eſt vera, ſed apparens. Poteſt autèm fortitudo duplicitèr ſumi. Vno modo ſecundùm quod dicit quamdam animi firmitatem, & ſic eſt conditio cujuſlibet virtutis, quià ut dicitur 2. *Ethi.* ad virtutem requiritur firmiter operari. Alio modo ſecundum quod dicit firmitatem animi in ſubſtinendis, & repellendis gravibus periculis; *Vndè Tullius in ſua rethorica* dicit, quod fortitudo eſt conſiderata riculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio; & ſic eſt ſpecialis virtus non habens determinatam materiam. Item hæc virtus perficit animam ad ſuſtinendum quæcumque pericula, & non ſufficit dare fiduciam evadendi quęcumque pericula; ſed hanc Spiritus Sanctus infundit contrarium timorem excludens, & hujuſmodi fiducia pertinet ad fortitudinem, quæ eſt donum Spiritus Sancti. Ad hoc

Nota, quod ſecundum *Philoſ.* 1. *de cæl. & mun.* nomèn virtutis refertur ad ultimum potentię. Dicitur autem uno modo potentia naturalis, ſecundùm quam aliquis reſiſtere poteſt corrumpentibus. Alio modo ſecundùm quod eſt principium agendi, *ut dicitur* 5. *Metaphi.* & quià hęc ſecunda acceptio eſt communior, ideò nomèn virtutis ſecundùm quod dicit ultimum potentiæ talis, eſt commune. Virtus enim communitèr ſumpta nihil aliud eſt, quam habitus, quo quis benè poteſt operari. Secundùm autèm, quod dicit ultimum potentiæ primo modo dictæ, qui modus eſt magis ſpecialis, attribuitur virtuti magis ſpeciali, ſcilicèt fortitudini, ad quam pertinet firmitèr ſtare contra quæcumque repugnantia. *Vndè Sapientiæ* 8. ubi dicitur, quod ſapientia ſobrietatem, & prudentia docet juſtitiam, & virtutem, ponitur virtus pro fortitudine; eſt autèm fortitudo ut dicitur 3. *Ethi.* circa timores, & audacias, quaſi cohibitiva timorum, & moderativa audaciarum, & quidem circa timores periculorum mortis eſt fortitudo ſimplicitèr, *ut vult Andronicus.* Circà verò alia eſt fortitudo ſecundùm quid; actus autèm fortitudinis principalior eſt ſubſtinere, ideſt immobilitèr ſiſtere in periculis, quàm aggredi; ut enim dicitur 3. *Ethi.* in ſubſtinendo triſtitia maximè dicuntur aliqui fortes.

ARTICULUS II.

De Martyrio.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de Martyrio, circa quod quæruntur plura.

I. Vtrùm Martyrium ſit actus fortitudinis?

II. Vtrùm Martyrium ſit in præcepto?

III. Quot, & quę ſunt neceſſaria ad perfectionem Martyrii.

IV. Vtrùm tempore legis naturæ, & tempore legis ſcriptæ fuerint aliqui Martyres?

V. Vtrùm defenſio rei temporalis ſit juſta cauſa martyrii?

VI. Vtrùm aliquis poſſit eſſe martyr occidendo ſe?

Circà primum reſpondeo quod eſt elicitivè fortitudinis, ſcilicèt gratuitè, quià in martyrio con-

confirmatur homo in bono virtutis, dum ſcilicèt fidem, & juſtitiam non deſerit propter imminentia pericula mortis; Ideò de ipſis martyribus dicitur *Hebr.* 11. *fortes facti ſunt in bello*; & eſt actus juſtitiæ, inquantum in caſu neceſſitatis ſubſtinetur, ut quandò oportet fieri præjudidicium veritatis juſtitiæ, quæ eſt per fidem, vel ſubſtinentiam martyrii prædictæ veritati teſtimonium ferre; tunc enim ſubſtinentia martyrii eſt ex neceſſitate legis divinæ: Et per juſtitiam, quæ eſt per fidem, intelligo omnem veram juſtitiam, quià obſervatio omnis talis juſtitiæ mediatè, vel immediatè refertur ad fidem formatam, & per fidem dirigimur ad talis juſtitiæ obſervantiam. Poteſt igitur dici, quod martyrium comparatur ad fidem, ut ad finem, quo aliquis confirmatur; ad fortitudinem verò, vel ad juſtitiam, vel ad utramque ſimul, ut ad habitum elicientem; ad charitatem verò, ut ad imperantem, ex qua etiam habet, quod ſit meritorium; *Hæc Ric.* 3. *diſ.* 33. *quæſt.* 4. *art.* 6. *c.*

Circà ſecundum reſpondeo, Martyrium dicitur ſecundùm affirmationem, & ideò pro loco, & tempore eſt in præcepto, ut cum quis impugnatur, ut faciat aliquid contra fidem, vel cum quis videt, quod per mortem ſuam poteſt fides, vel juſtitia conſervari, aliter periret. Eſt etiàm quandoquè in conſilio, ut quando eſt impugnatio perſonalis, non univerſalis, nec timetur de ſubverſione fidei, vel juſtitiæ, ſi corpus non exponatur morti. Si tamèn Prælatus Eccleſiæ videret ex hoc, quod fugeret, vel ex eo quod ſe non opponeret, grave diſpendium in Eccleſia generari fidei, vel juſtitiæ, tunc teneretur ſe opponere, & morti ſe exponere, ne non paſtor, ſed mercenarius haberetur. Sic fecit Beatus Thomas Cantaurienſis. Quandoquè autèm nec in conſilio, nec in præcepto, ut quandò homo non videt, quod ex ſua morte fidei, vel juſtitiæ fructus accreſcat, *ſecundùm illud Pſal. quæ utilitas in ſanguine meo, dùm deſcendo in corruptionem*.

Ad tertium dico, quod neceſſaria ſunt tria, ſicut ex deſcriptione, quam communitèr ponunt magiſtri oſtenditur, ſcilicèt, quod *Martyrium eſt voluntaria ſubſtinentia mortis pro Chriſto. Sed Beatus Bernardus dicit: pro veritate*, & ſumitur ex Gloſ. ſuper illud *Pſal. Quià propter te mortificamur tota die.* Hęc autèm tria ſunt. Voluntas patiendi; hanc in parvulis innocentibus, Chriſtus, pro quo paſſi ſunt, complevit; Actualis ſubſtinentia mortis; & Debita cauſa.

Nota tamèn, quod martyrium dicitur triplicitèr. Primò modo largiſſimè, ſcilicèt patientia in paſſionibus, quas patitur omnis, qui piè vivit in Chriſto, & ſic dicit *Auguſt. in ſermone de Beato Laurentio*: *Omnis vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crux, atque martyrium eſt*. Secundo modo largè, ſcilicèt actualis voluntatis præparatio ad ſuſcipiendum pro Chriſto mortem, ſivè pro veritate; ſic accipitur in illa *Ant. O ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamèn martyri non amiſit*. Tertio modo ſtrictè, & propriè, ſcilicèt voluntaria ſubſtinentia mortis pro Chriſto, ſivè pro veritate, ſecundùm quod veritas diſtinguitur in veritate vitæ, juſtitiæ, & doctrinæ; Sic ſumitur *Apocal.* 17. *Vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine martyrum Chriſti Jeſu*.

Circà quartum reſpondeo, *ut dicit Bern. in quadam Epiſtola*, tàm hi, qui ſecuti ſunt paſſionem Chriſti, quàm hi, qui præceſſerunt, ſcilicèt pro veritate mortui ſunt, martyres fuerunt, ſed differentèr. Vt enim *dicit Bern. ibidem*: Martyrium tempus, cauſa, genuſque diſcernunt; Nàm cum martyr ſit idem, quod teſtis, & teſtis non dicatur propriè, niſi teſtificetur de re, quæ fuit; ità non fuerunt ita competentes martyres væteris teſtamenti, ſicut novi. Genus etiam, ſivè forma diſcernit intèr ipſa, quià martyres veteris teſtamenti paſſi ſunt, vel propter invidiam, ut *Abel*, vel propter doctinam, quià redarguebant opera tyrannorum, ut *Iſaias*, *Jeremias*, & alii plures. Sed martyres novi teſtamenti paſſi ſunt, quià fidem negare noluerunt; & quià quidam martyres veteris teſtamenti conveniunt in forma cum martyribus novi teſtamenti, *ut Sancti Machabęi*, qui paſſi ſunt, quià Deum Cœli, & legem ſuam noluerunt negare, & prævaricari, ideò de eis Eccleſia ſolemnizat.

Circà quintum reſpondeo; quod circà hujuſmodi temporalia tria poſſunt conſiderari; ſcilicèt Juſtitia poſſidendi, & uti fruendi; & Actus poſſidendi, & uti fruendi; & Injuſtitia utrumque impugnandi: & quidem juſtitia eſt quid ſpirituale; Injuſtitia verò eſt defectus ejus. Actus autèm temporalis eſt ſingularium perſonarum. Dicendum ergò, quod legitima cauſa exponendi ſe martyrio eſt defenſio juſtitiæ ex parte ſubſtinentis, & obviatio injuſtitiæ ex parte inferentis, referendo in Deum, ſecundùm illud *Eccl.* 4. *Vſquè ad mortem certa pro juſtitia*. Hoc eſt verum præcipuè, quandò juſtitia pertinet ad Eccleſiam, vel rempublicam, vel miſerabilem perſonam; Sic ſe oppoſuit *Beatus Thomas* injuſtitiæ Regis. Actus verò uti fruendi prout reſpicit ſingularem perſonam, quæ victum aliundè poteſt habere, non eſt ità juſta cauſa exponendi corporalem vitam.

Circà ſextum reſpondeo. Aliquis poteſt ſibi mortem inferre triplici motivo. Primò ex deſperatione, ut cum immaginatur aliquid terribile ſibi ſupervenire, quod putat per mortem evadere. Secundò ex verecundia alicujus famæ, quam vult per mortem purgare, & utroque modo non martyrium, ſed magis ſupplicium debet dici. Tertio ex vitii deteſtatione, & quià talis mors poteſt fieri aliquandò inſtinctu Spiritus Sancti, aliquando ex illuſione Diaboli, ideò dubitatur de ipſa. Si tamèn facta ſit ex inſtinctu Spiritus Sancti eſt martyrium, ut patet in *Sampſone Jud.* 16. ſi autèm ex illuſione Diaboli æternum eſt ſupplicium;

cium; & hęc ſententia habetur ex verbis *Aug. 1. de Civ. Dei*.

TITVLVS XXXIV.

De Timore, Intimiditate, & Audacia.

DEindè conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis fortitudini; & Primò de Timore; Secundò de Intimiditate; Tertiò de Audacia, ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Timore.

CIrcà primum, ſcilicèt timorem quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm timor ſit peccatum?

II. Utrùm peccatum timoris opponatur fortitudini?

III. Utrùm timor ſit peccatum mortale?

IV. Utrùm timor excuſet à peccato?

Circà primum reſpondeo; Timor inordinatus eſt peccatum, ut quandò appetitus præ timore fugit ea, quæ ratio dictat eſſe ſubſtinenda, ſivè proſequenda, vel deſiſtit ab his, quæ proſequi debet; *Undè Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus*; Qui verò refugit illud, quod eſt ſecundùm rationem fugiendum, non eſt inordinatus, nec eſt peccatum.

Circà ſecundum reſpondeo. Timor inordinatus includitur in quolibet peccato, ut avarus timet amiſſionem pecuniæ; & intemperatus amiſſionem voluptatis, & ſic de aliis; ſed timor præcipuus eſt periculorum mortis, ut probatur 3. *Ethi*. & ideò inordinatio talis timoris opponitur fortitudini, quæ eſt circa pericula mortis, propter quod etiam anthonomaſticè dicitur timiditas opponi fortitudini, ut etiàm vult *Philoſ.* 2. & 3. *Ethi*.

Circà tertium reſpondeo; Inordinatio timoris quandoquè conſiſtit tantùm in appetitu ſenſitivo, & ſic eſt tantùm venialis. Quandoquè attingit appetitum rationalem, qui dicitur voluntas; & tunc quandoquè eſt mortalis, ut cum quis propter timorem ſic eſt diſpoſitus, ut faciat contra Dei præcepta; undè & timidis debetur pœna Inferni *ſecundùm illud Apoc. 21. Timidis pars erit in ſtagno ignis &c.* Quandoquè eſt venialis, ut cum quis timore retrahitur à bono, quod eſt de perfectione conſilii. Quandoquè verò non eſt peccatum, ut cum quis habet rationabilem cauſam timoris *ſecundùm Thom. 2. 2. quæſt. 125. art. 1. & 2. & 3. c. & Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de timore art. 2. c.*

Circà quartum reſpondeo. Si quis proptèr timorem, ut fugiat mala ſecundùm rationem magis fugienda, non refugit mala minùs fugienda, non eſt peccatum, ſicut mors corporalis magis eſt fugienda, quam amiſſio rerum. Si quis autèm propter timorem è contrario faceret, totalitèr excuſari à peccato non poſſet, quià talis timor inordinatus eſſet. Peccatum tamèn ejus diminuitur, quià minùs eſt voluntarium, quod ex timore agitur, *Undè 3. Ethi. Philoſ. dicit: Hujuſmodi, quæ fiunt ex timore, ſunt ex voluntario, & involuntario mixta*; *Undè 1. quæſt. 1. conſtat*; dicitur, quod vim paſſus, & invitus ab hęreticis ordinatus colorem excuſationis habet.

Ulteriùs ad pleniorem evidentiam hujus materiæ notandum, quod duplex eſt metus, ſivè timor; Unus eſt timor juſtus, ſivè probabilis; Altèr eſt non probabilis, ſivè levis. Probabilis eſt, qui cadit in virum conſtantem, & animoſum, & hic excuſat; ut metus gravis damni rerum, & ſecundùm *Goſ.* grave damnum rerum, dicitur damnum omnium rerum, vel partis majoris *ar. ff. de excuſa. tu. l. propter litem*; Et metus mortis, ſtrictæ ſervitutis, cruciatus corporis, minarum, quandò ſcilicèt perſona potens minatur magnum malum, & veriſimile eſt, quod implebit illud. *Bernardus tàmen dicit*, quod relinquitur arbitrio judicis, an minæ, vel potentia hominis ſint juſta cauſa timoris, *ff. ex qui cauſa ma. l.* 3. Et metus excommunicationis *extrà de reſt. ſpol. olim inter te pro Abbatia, ſecundùm Hoſt. Goſ.* verò dicit, quod metus excommunicationis non excuſat; aut enim eſt injuſta, & ſic non ligat apud Deum; aut eſt juſta, & tunc imputet ſibi, quod ſic meruit excommunicari. Levis metus eſt, qui cadit in virum puſillanimem, & hic non excuſat; Undè non excuſat in matrimonio, *extra de ſponſa. venies*; Nec in voto *extra qui Clerici c. ult.* In electione tamèn excuſaret, & eam vitiat. *Hæc Goſ. & Bern. extra de his quæ vi c. penul. & qui cler. c. ult.*

Itèm nota *ſecundùm Goſ. 5. quæſt. 6. cap. 1.* Quod metus damni excuſat in dato, quià repetitur; & in promiſſo, quià non ſolvitur; & in remiſſo, quià petitur; ſed non excuſat in commiſſo, quià ob metum damni, non debet mortale committi, quin potiùs debent mala omnia tollerari *32. quæſt. 5. ita ne*.

Inſuper nota, quod cum quis incidit metum ſinè culpa, ſubvenitur ſibi, & ea, quæ per metum facta ſunt, ſi ſint perfecta, reſcinduntur per actionem, *quod metus cauſa*, quià probato metu reſtituitur, quod dedit. Si verò ſint imperfecta reſcinduntur per exceptionem, quià abſolvetur à promiſſo *ff. quod met. cau. l. metum*; Si autèm incidit ex culpa ſua, ſic non ſubvenitur ſibi, niſi in caſibus, de quibus dictum eſt ſupra *lib. 1. tit. de juramento art. 7. quæſt. 8. circa finem*.

AR.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Intimiditate.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de intimiditate, de qua quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm ſit peccatum?

II. Utrùm intimiditas opponatur fortitudini?

Circà primum reſpondeo. Quod eſſe impavidum eſt vitioſum, ſivè cauſetur ex defectu amoris, ut cum quis minùs debito amat vitam propriam, & ea, quæ ordinantur ad ea; ſivè cauſetur ex elatione animi de ſe præſumentis, & alios contemnentis; ſivè cauſetur ex ſtoliditate, quæ tamèn ſi ſit invincibilis, excuſat à peccato.

Circà ſecundùm reſpondeo, quod ſic; ut dicitur 4. *Ethi.* Et hoc propter defectum timoris, in quantum non timet, quod timere opportet; ſicut timiditas opponitur fortitudini per exceſſum timoris, inquantum ſcilicèt timet ubi non opportet.

ARTICVLVS III.

De Audacia.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de audacia; Circà quam ſciendum, quod audacia eſt vitioſa, ſecundùm quod dicit exceſſum paſſionis, quæ dicitur audacia: *Undè Eccl.* 8. audacis ſocietas diſſuadetur; *cum audace*, inquit, *non eas in via*; Undè patet, quod opponitur fortitudini, quæ eſt circà timores, & audacias, ut dictum eſt ſuprà,

TITULUS XXXV.

De Partibus fortitudinis.

POſteà conſiderandum eſt de partibus fortitudinis, & Primò in communi. Secundò in ſpeciali. Quapropter ſit hic

ARTICULUS UNICUS.

De Partibus fortitudinis in communi.

CIrcà quem articulum ſciendum, quod *Tullius in Rethorica ſua* ponit quatuor partes fortitudinis, ſcilicèt magnificentiam, patientiam, fidentiam, & perſeverantiam.

Ad cujus evidentiam ſciendum, quod fortitudini, ſecundùm quod eſt virtus ſpecialis, non poſſunt aſſignari partes ſubjectivæ, quià non dividitur in multas virtutes ſpecie differentes, quià eſt circa materiam valde ſpecialem. Aſſignantur enim ei partes, quaſi integrales, & potentiales. Integrales quidèm ſecundum ea, quæ opportet concurrere ad actum fortitudinis. Potentiales verò ſecundùm ea, quæ fortitudo obſervat circa difficillima, ſcilicèt mortis pericula. Aliquæ autèm aliæ virtutes obſervantur circa quaſdam alias materias minùs difficiles, quæ quidem virtutes adjunguntur fortitudini, ſicut ſecundariæ principali. Sicut autèm dictum eſt ſuprà, duplex eſt actus fortitudinis, ſcilicèt aggredi, & ſubſtinere. Ad primum, duo requiruntur, quorum unum pertinet ad præparationem, ut ſcilicèt aliquis promptum habeat animum ad aggrediendum; ſecundum ad operis executionem, ſcilicèt ne deficiat in executione eorum, quæ fiducialitèr inchoantur. Quantum ad primum ponit Tullius fidentiam. Quantum ad ſecundum magnificentiam. Hæc igitur duo ſi coarctentur ad pericula mortis, erunt quaſi partes integrales fortitudinis; Si autèm referantur ad aliquas materias minùs difficiles, adjungentur ei, ſicut ſecundariæ principali; ſicut magnificentia 4. *Ethi.* ponitur circa magnos ſumptus. Magnanimitas autèm, quæ videtur idem eſſe fidentiæ, circà magnos honores.

Ad actum etiàm ſubſtinendi, duo requiruntur; Unum eſt quod pro difficultate non deficiat; Alterum eſt ne ex diuturnitate deſiſtat. Quantum ad primum ponit patientiam; Quantum ad ſecundum perſeverantiam. Hæc etiàm duo ſi coerceantur ad propriam materiam fortitudinis, erunt quaſi partes integrales ejus. Si autèm ad quaſcumque materias minus difficiles referantur, erunt virtutes à fortitudine diſtinctæ, & tamèn adjungentur ei ſicut ſecundariæ principali. Ad has etiam prædictas quatuor partes fortitudinis reducuntur aliæ ab aliis poſitæ.

TITVLVS XXXVI.

De Magnanimitate, & vitiis oppoſitis.

DEindè conſiderandum eſt de partibus fortitudinis in ſpeciali; & Primò de magnanimitate, quam Philoſophus ponit in loco fidentiæ, & Primò de ipſa. Secundò de præſumptione. Tertiò de ambitione. Quartò de inani gloria. Quintò de puſillanimitate. Hæc etiàm quatuor opponuntur magnanimitati, ideò ſit

ARTICULUS I.

De Magnanimitate.

CIrcà primum ſciendum, quod hæc virtus ut habetur 4. *Ethi.* eſt circà magnos honores; Eſt autèm & alia virtus circa honores mediocres, quæ eſt innominata. Nominantur autèm ex ſuis extremis, quæ ſunt Philothimia, ideſt amor honoris, & Aphilothimia, ideſt ſinè amore honoris. Laudatur enim quandoquè, qui amat hono-

rem, quandoquè autèm qui non curat de honore, prout ſcilicèt utrumque moderatè fieri poteſt. Pertinet autèm ad magnanimitatem fidentia, quam Tullius ponit, quià magnanimitas eſt propriè circa ſpem alicujus ardui. Fiducia autèm importat quoddam robur ſpei proveniens ex aliqua conſideratione, quæ facit vehementem opinionem de bono aliquo aſſequendo. Securitas verò, quæ dicit perfectam quietem animi à timore, immediatè pertinet ad fortitudinem.

Conſiderandùm tamèn eſt, quod ſicut ſpes eſt cauſa audaciæ, ita timor eſt cauſa deſperationis; & ideò ſicut fiducia ex conſequenti ad fortitudinem pertinet, inquantum utitur audacia; ità & ſecuritas ex conſequenti pertinent ad magnanimitatem, inquantum repellit deſperationem.

ARTICULUS II.

De Præſumptione.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de præſumptione; Circà quam ſciendum, quod opponitur magnanimitati per exceſſum, undè 2. & 3. *Ethi.* dicitur, quod magnanimitati per exceſſum opponitur caymus, vel ventoſus, quem dicimus præſuntuoſum; ut enim dictum eſt ſuprà; magnanimitas conſiſtit in medio, ſecundum proportionem ad propriam facultatem. Non enim in majora tendit, quàm conveniant ſibi. Præſumptuoſus autèm ſecundùm proportionem ſuæ facultatis excedit; Vitioſum autèm eſt, & peccatum, quaſi excedens contra naturalem ordinem, quod ſcilicèt aliàs aſſumat ad agendum ea, quæ præferuntur ſuæ virtuti, quod pertinet ad rationem præſumptionis, ſicut & ipſum nomen manifeſtat; undè patet, quod eſt peccatum.

Si objiciatur, quià præſumptio ponitur ſpecies peccati in Spiritum Sanctum, quod non opponitur magnanimitati, ſed magis charitati, ergò &c.

Reſpondeo, non quælibèt præſumptio ponit peccatum in Spiritum Sanctum; Sed illa, qua quis divinam juſtitiam contemnit ex inordinata confidentia divinæ miſericordiæ; & talis præſumptio, ratione materiæ, ſcilicèt inquantum per eam contemnitur aliquid divinum, opponitur charitati, vel potiùs dono timoris, cujus eſt Deum revereri. Inquantum tamèn talis contemptus excedit proportionem propriæ facultatis poteſt opponi magnanimitati.

Nota tamèn, quod non multum ſolet dici quis præſumptuoſus, ſi in aliquo modico proprias vires excedat. Si tamèn dicatur talis præſumptio non opponitur magnanimitati; ſed illi virtuti, quæ eſt circà mediocres honores.

ARTICULUS III.

De Ambitione.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de ambitione. Circà quam ſciendum quod ambitio opponitur magnanimitati per exceſſum: Importat enim inordinatum appetitum honoris. Hoc autèm contingit triplicitèr. Uno modo per hoc, quod appetit teſtimonium de excellentia, quam non habet. Alio modo per hoc, quod ſibi cupit fieri honorem, non referendo in Deum. Tertio modo per hoc, quod appetitus ejus in honore quieſcit, non referens eum ad aliorum utilitatem. Intantùm enim debet teſtimonium aliorum de ejus excellentia placere, inquantum aliis ex hoc poteſt prodeſſe. Undè patet, quod ambitio eſt ſemper peccatum, quod etiam patet ex hoc, quod repugnat charitati *ſecundùm illud* 1. *Chor.* 13. *Charitas non eſt ambitioſa.*

ARTICVLVS IV.

De Inani gloria.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de inani gloria, & circa hanc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Vtrùm appetitus gloriæ ſit peccatum?

II. Vtrùm inanis gloria opponatur magnanimitati?

III. Vtrùm inanis gloria ſit peccatum mortale?

Circà primum reſpondeo. Appetitus gloriæ de ſe non nominat aliquid vitioſum, ut enim dicit Tullius in ſua *Ret. Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude. Et Ambr.* dicit, *quod gloria eſt clara cum laude notitia.* Appetere autèm laudabilem famam, non eſt peccatum, quinimò videtur eſſe laudabile, ſecundum illud *Eccl.* 41. *Curam habe de bono nomine. Rom.* 12. *Providentes bona non ſolum coràm Deo, ſed etiam coram hominibus.*

Sciendum autèm, quod ad perfectionem hominis pertinet, quod ipſe ſe cognoſcat, ſed non quod recognoſcatur ab aliis; & ideò per ſe non eſt appetenda. Poteſt tamèn appeti inquantùm eſt aliquid utile, ſcilicèt, vel ad hoc, quod alii proficiant ex bono, quod cognoſcunt in alio; vel ad hoc, quod ipſe homo in bonis, quæ in ſe cognoſcit per teſtimonium aliorum, ſtudeat perſeverare, & ad meliora proficere. Et ſecundùm hoc laudabile eſt, quod curam habeat de bono nomine, non tamèn delectetur inanitèr in hominum laude; Sic enim dicit *Auguſt.* 5. *de Civ. Sanius videt, qui laudis amorem vitium eſſe cognoſcit.* Appetitus autèm inanis gloriæ vitium importat; nàm quodlibèt vanum appetere, vitioſum eſt *ſecundùm illud Pſal. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Poteſt autèm dici vanagloria triplicitèr. Uno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, ut de eo, quod

Digitized by Google

quod non eſt gloria dignum, ſicut de aliqua re fragili, & caduca. Alio modo ex parte ejus, à quo gloriam quærit, ut hominis, cujus judicium non eſt certum. Tertio ex parte ejus, qui gloriam appetit, qui ſcilicèt appetitum gloriæ ſuæ non refert in debitum finem, ut ad honorem Dei, vel ſalutem proximi. *Hæc Thom. 2. 2. quæſt 132. art. 1. c. & convenit cum eo Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de inani gloria.*

Circà ſecundùm reſpondeo, quod ſic; Ut enim dictum eſt, gloria eſt quidam affectus honoris, & laudis, ex hoc enim, quod aliquis laudatur, vel ei reverentia exhibetur, clarus in notitia aliorum redditur; & quià magnanimitas eſt circa honores, conſequens eſt, quod ſit circa gloriam, ut ſcilicèt ſicut honore, ita & gloria moderatè utatur; & ideò inordinatus appetitus gloriæ opponitur magnanimitati directè.

Circà tertium reſpondeo. Ex hoc aliquod peccatum eſt mortale, quod contrariatur charitati; hoc autèm peccatum ſecundùm ſe non videtur contrariari dilectioni proximi; ſed poteſt contrariari dilectioni Dei dupliciter. Uno modo ratione ejus, de quo quis gloriatur, ut de aliquo quod contrariatur divinæ reverentiæ *ſecundùm illud 1. Corint. 4. Quid gloriaris, quaſi non acceperis.* Alio modo ex parte gloriantis, qui ſcilicèt in gloria, tanquam in ultimo fine quieſcit. Pro quo etiàm conſequendo non prætermittit facere etiam ea, quæ ſunt contra Deum. & utroque modo eſt peccatum mortale. Si autèm amor humanæ gloriæ, licèt ſit inanis, neutro prędictorum modorum repugnet charitati, eſt venialis; *Undè Chryſ. dicit ſuper Matth.* quod inanis gloria etiam locum habet in ſervis Chriſti, in quibus tamèn nullum eſt peccatum mortale; *Hæc Thom.*

Item ſecundùm *Alex. Ang.* inanis gloria erit venialis, tùm proptèr ſurreptionem, tùm propter maximam concupiſcentiæ pronitatem; Signatur enim per pulverem, de quo dicitur *Matt. 10. Apoſtolis: Excutite pulverem de pedibus veſtris*; Undè dicit *Greg. Prædicatio vix ſinè aliqua mixtione pulveris tranſit*; Prædicans enim, aut ad indignationem trahitur, ſi contemnitur; aut ad inanem gloriam, ſi ab auditoribus honoratur. Conſtat autèm, quod Apoſtoli à perfectione propter hujuſmodi inanem gloriam non cadebant.

Quot, & quæ ſunt filiæ inanis gloriæ, cum ſit vitium capitale? ut habitum eſt ſuprà.

Reſpondeo, quod ſunt ſeptem *ſecundùm Greg. 31. Moral.* ſcilicèt Inobedientia; Jactantia; Hypocriſis; Contentio; Pertinacia, ſcilicet propriæ ſententiæ; Diſcordia, ſcilicet voluntatis ab aliis; & novitatum præſumptio.

Nota, quod jactantia, ut dictum eſt ſuprà, ponitur inter ſpecies ſuperbię, quoad interiorem ejus cauſam, quę eſt arrogantia. Jactantia verò exterior, ut dicitur 4. *Ethi.* ordinatur quandoque ad lucrum; ſed ſepiùs ad honorem, vel gloriam, & ſic oritur ex inani gloria.

ARTICVLVS V.

De Puſillanimitate.

Sequitur videre de quinto, ſcilicèt de puſillanimitate. Circa quam ſciendum, quod directè opponitur magnanimitati, ſecundùm defectum, quià ſicut magnanimus ex animi magnitudine ad magna tendit; ita puſillanimis à magnis ex animi parvitate retrahit. Sicut autèm per pręſumptionem aliquis excedit proportionem ſuę potentiæ, dùm nititur ad majora, quàm poſſit; ita etiàm puſillanimis deficit à proportione ſuæ potentiæ, dùm recuſat in illud tendere, quod eſt commenſuratum ſuæ potentiæ; & ideò ſicut pręſumptio eſt peccatum, ita & puſillanimitas.

TITULUS XXXVIII.

De Magnificentia, & Parvificentia.

Poſteà conſiderandum eſt de magnificentia, & parvificentia. Circà quod ſciendum, quod materia magnificentiæ ſunt magni ſumptus, ut vult *Philoſ. 4. Ethi.* quià intendit ad aliquod magnum opus faciendum, & requirit proportionatos ſumptus. Poteſt etiam dici materia magnificentiæ ipſa pecunia, qua utitur ad faciendum magnos ſumptus, & amor pecuniæ, qua magnificus moderatur, ne magni ſumptus impendantur. Opponitur autèm ei parvificentia, ſecundùm *Philoſ. 2. & 4. Ethi.* Magnificus enim, ut habetur ex 4. *Ethi.* principalitèr intendit magnitudinem operis, & ſecundariò magnitudinem ſumptus, quam vitat, ut magnum faciat opus. Parvificus autèm è converſo principalitèr intendit ad parvitatem ſumptus, & per conſequens parvitatem operis, & ſic deficit à proportione, quæ debet eſſe ſecundum rationem inter ſumptus, & opus; & ità eſt vitioſus.

Parvificentię autèm opponitur vitium, quo quis expendit ultra debitum modum; & dicitur græcè *bonauſia*, à furno dicta, quià ſcilicèt ad modum ignis, qui eſt in furno conſumit omnia; Undè latinè poteſt conſumptio dici.

TITULUS XXXVIII.

De Patientia, & Longanimitate.

Deindè conſiderandum eſt de patientia. Circà quam ſciendum; quod patientia quantum ad habitum ponitur virtus, per quam mala æquo animo toleramus, ut dicit *Auguſt. lib. de patientia*; Quantum ad delectationem, quam habet in actu, ponitur inter fructus *Gal. 5.* & pręcipuè, quantum ad hoc, quod animus per patientiam pręſervatur

vatur ne triſtitia obruatur. Per hoc autèm, quod dicitur *Jacob.* 1. *Patientia opus perfectum habet*; habetur, quod patientia eſt perfectior ſecundùm quid aliis virtutibus, ſcilicèt quantùm ad tolerantiam adverſorum; non autem quod ſit perfectior ſimplicitèr. Cauſatur autèm patientia ſecundùm quod eſt virtus à charitate, ſecundùm illud 1. *Corint.* 13. *Charitas patiens eſt*; hæc autèm haberi non poteſt niſi per gratiam *ſecundùm illud Rom.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; Undè patet, quod patientia ſinè auxilio gratiæ non habetur. Non eſt autèm patientia idem, quod longanimitas; Sicut etiàm magnanimus tendit in magna, ſic & longanimis tendit in aliquid, quod diſtat in longinquum; & ideò ſicut magnanimitas magis reſpicit ſpem tendentem in bonum, quam audaciam, vel timorem, vel triſtitiam, quæ reſpicit malum, ità & longanimitas. Undè magis videtur convenire cum magnanimitate, quam cum patientia; Secundùm tamèn, quod ſub ratione mali contriſtantis reſpectu cujus eſt patientia, poteſt comprehendi, & dilatio boni ſperati, quæ pertinet ad longanimitatem; & labor, quem ſubſtinet homo in continuata executione operis boni, quę pertinet ad conſtantiam; tàm longanimitas,quàm conſtantia comprehenduntur ſub patientia.

TITVLVS XXXIX.

De Perſeverantia, & Conſtantia, & Vitiis oppoſitis.

POſteà conſiderandum eſt de perſeverantia. & Primò de ipſa. Secundò de vitiis oppoſitis; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Perſeverantia.

CIrcà primum ſciendum, quod perſeverantia eſt *quædam virtus ſpecialis, ad quam pertinet in operibus virtuoſis diuturnitatem ſubſtinere, pro ut eſt neceſſe. Undè dicit* Tullius *in* 2 *Reth.* quod perſeverantia eſt in ratione benè conſiderata, ſtabilis, & perpetua permanſio; *Quandò autèm dicit Auguſt. lib. de perſeverantia*; quod nullus poteſt dici perſeverantiam habere dum vivit, niſi perſeveret uſque ad mortem, ſumit perſeverantiam pro actu ejus conſumato. Conveniunt autem perſeverantia, & conſtantia in fine; quià ad utrumque pertinet in aliquo bono firmitèr perſiſtere. Differunt autèm, quià perſeverantia propriè facit perſiſtere contrà difficultatem, quæ provenit ex diuturnitate actus; Conſtantia verò contra difficultatem, quæ provenit ex aliis impedimentis exterioribus.

Quæritur autem utrùm perſeverantia indigeat auxilio gratiæ?

Reſpondeo quod ſic; *Undè Auguſt. lib. de perſeverantia dicit: aſſerimus eſſe donum Dei perſeverantiam, qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto.* Ut enim patet ex prædictis, perſeverantia dicitur duplicitèr. Uno modo pro habitu perſeverantiæ, ſecundùm quod eſt virtus, & ſic indiget dono habitualis gratiæ, ſicut & cæteræ virtutes infuſæ. Alio modo pro actu perſeverantiæ uſque ad mortem durante, & ſecundum hoc indiget, non tantùm gratia habituali, ſed etiam gratuito Dei auxilio, conſervantis hominem in bono uſque ad finem vitæ; quià cum liberum arbitrium de ſe ſit vertibile, & hoc non tollatur ei per gratiam habitualem præſentis vitę, non ſubeſt poteſtati liberi arbitrii, etiàm per gratiam informati, ut ſe immobilitèr in bonö ſtatuat; licet in ejus poteſtate ſit, quod hoc homo eligat. Plerumquè enim eſt in poteſtate noſtra electio, non autèm executio. *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 137. *art.* 1. & 4. *c.*

ARTICVLVS VII.

De Vitiis oppoſitis perſeverantiæ.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de vitiis oppoſitis perſeverantiæ, ſcilicèt de mollitie, & pertinacia. De mollitie igitur ſciendum, quod opponitur perſeverantiæ, ut vult *Philoſ.* 7. *Ethi.* Dicitur autèm propriè *ſecundùm Philoſ.* mollis, qui recedit à bono propter triſtitias cauſatas ex defectu delectationum, quaſi cedens debili moventi.

Sed objicitur, *quià ſuper illud Corint.* 6. *Nec adulteri, nec molles*; dicit *Gloſſ.* ideſt muliebria patientes; ſed hoc opponitur caſtitati ergò &c.

Reſpondeo, Prædicta mollities duplicitèr cauſatur. Uno modo ex conſuetudine, cum enim aliquis conſuevit voluptatibus frui, difficiliùs poteſt eis carere. Alio modo ex naturali diſpoſitione, quià ſcilicèt habet animum minùs coſtantem propter complexionis fragilitatem, & ſic comparatur fœmina ad maſculos, ut dicitur 7. *Ethi.* & ideò illi,qui muliebria patiuntur, dicuntur molles, quaſi effecti muliebres. Primo modo mollities opponitur perſeverantiæ. Secundo modo caſtitati.

De pertinacia autèm ſciendum, quod opponitur perſeverantiæ, ut vult *Tullius in Reth. ſua*; Sicut enim dicit *Iſid. lib. Ethi.* Pertinax dicitur, qui eſt imprudenter tenens, quaſi omninò tenax, & ideò dicitur pertinax, quià in ſuo propoſito ad victoriam perſeverat: Perſeverat enim in propria ſententia pluſquam opportet. Mollis minùs quàm opportet. Perſeverans autèm quantum opportet.

Digitized by Google

TITVLVS XL.

De Temperantia, & intemperantia, & ſenſibilitate.

CONſequenter conſiderandum eſt de temperantia, & Primò de ipſa, poſteà de partibus ejus. Circà primum, Primò dicendum eſt de temperantia; Secundò de vitiis oppoſitis; ideò ſic

ARTICVLVS I.

De ipſa temperantia.

CIrcà primum ſciendum, quod nomen temperantiæ duplicitèr ſumi poteſt. Uno modo ſecundum communitatem ſuæ ſignificationis, & ſic eſt virtus generalis, quià ſignificat quamdam temperiem, ideſt moderationem, quam ratio ponit in humanis operibus, & paſſionibus, quod eſt commune in omni morali virtute. Alio modo anthonomaticè ſecundùm quod refrenat appetitum ab his, quæ maximè alliciunt ipſum, & ſic eſt ſpecialis virtus, ut potè habens materiam ſpecialem, Eſt etiam circa delectationes maximas, cujuſmodi ſunt delectationes tactus, ſcilicèt ciborum, & potuum, & venereorum; Non eſt autèm circa delectationes aliorum ſenſuum principalitèr, ſed ex conſequenti, ſcilicèt inquantum referuntur ad delectationes tactus.

ARTICULUS II.

De Vitiis oppoſitis temperantiæ.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de vitiis oppoſitis temperantiæ; Circà quod ſciendum, quod opponitur ei intemperantia ſecundùm exceſſum, & eſt vitium maximè exprobrabile, ut vult *Philoſ. 3. Ethi.* pro eo, quod eſt circà delectationes communes nobis, & brutis, & poteſt aliquandò eſſe peccatum mortale, aliquandò veniale, ut per ſe patet.

Opponitur etiam ei inſenſibilitas ſecundùm defectum, ut vult *Philoſ. 2. & 3. Ethi.* Si quis enim intantum delectationem refugeret, quod neceſſaria ad conſervationem naturæ individui, vel ſpeciei prætermitteret, peccaret, quaſi repugnans ordini naturali; & hoc pertinet ad vitium inſenſibilitatis.

Sciendum tamèn, quod ab hujuſmodi delectationibus conſequentibus hujuſmodi operationes, quandoquè eſt laudabile, vel etiàm neceſſarium abſtinere propter aliquem finem, ut propter ſanitatem corporalem, vel propter alicujus officii executionem, vel propter animæ recipiendam ſalutem, vel propter divinorum contemplationem; Nec aliquod prædictorum pertinet ad inſenſibilitatem, quià ſunt ſecundùm rectam rationem.

TITVLVS XLI.

De Partibus temperantiæ in communi.

DEindè conſiderandum eſt de partibus temperantiæ, & Primò in communi. Secundò in ſpeciali.

Circà primum ſciendum, quod *Tullius in Reth.* ponit tres virtutes temperantiæ, ſcilicèt continentiam, clementiam, & modeſtiam. *Macrobius verò ſuper ſomnium Scipionis* ponit multo plures, ſcilicèt modeſtiam, verecundiam, abſtinentiam, caſtitatem, honeſtatem, moderationem, parcitatem, ſobrietatem, & pudicitiam. *Andronicus autèm dicit*, quod familiares temperantiæ ſunt auſteritas, continentia, humilitas, ſimplicitas, ornatus, & bona ordinatio, & per ſe ſufficientia. Harum autèm virtutum, duæ ſunt partes integrales temperantiæ, ſcilicèt verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam, ut ſumatur verecundia, non pro paſſione, ſed pro habitu; & honeſtas per quam aliquis amat pulchritudinem temperantiæ.

Partes verò temperantiæ ſubjectivæ ſunt quatuor. Temperantia enim eſt circa delectationes tactus, quarum quædam ordinantur ad nutrimentum; & in his quantum ad cibum eſt abſtinentia, quantum ad potum eſt propriè ſobrietas; Quædam verò ordinantur ad generationem, & in his quantum ad delectationem principalem ipſiùs coitus eſt caſtitas; quantum verò ad delectationes circumſtantes, quæ ſcilicèt ſunt in oſculis, tactibus, & amplexibus, attenditur pudicitia.

Partes verò temperantiæ potentiales, quædam refrenant appetitum in interioribus motibus animæ; quædam in exterioribus motibus corporis; quædam in rebus exterioribus. Præter motum autèm concupiſcentiæ, quem moderatur, & refrenat temperantia, tres motus inveniuntur in anima tendentes in aliquod. Primus quidem eſt motus voluptatis commotæ ex ſpe reſpectu paſſionis, & hunc refrenat continentia, ne ſcilicèt homo nimis vincatur. Alius eſt motus ſpei, & audaciæ, quæ conſequitur ſuperbiam, quem refrenat humilitas. Tertius eſt motus iræ tendentis in vindictam, quem refrenat manſuetudo, ſivè clementia. Motus autèm, & actus corporis refrenat modeſtia, quam *Andronicus* dividit in tria. Ad quorum primum pertinet quid, & quo ordine ſit agendum, & quid dimittendum; & quo ad hoc ponit bonam ordinationem. Aliud eſt, quod homo in hoc, quod agit, decentiam ſervet, & hic ponit ornatum. Tertium eſt in colloquiis amicorum, vel quibuſcumque aliis, & ſic ponit auſteritatem. Circà verò exteriora duplex eſt moderatio adhibenda. Primò contra ſuperfluα, & ſic ponitur parcitas, vel per ſe ſufficientia. Secundò contra nimis exquiſita, & ſic ponitur moderatio, vel ſimplicitas.

TITVLVS XLII.

De Abſtinentia, & Gula.

POſteà dicendum eſt de ſingulis partibus temperantiæ; & quidem de partibus ejus integralibus, ſcilicèt verecundia, & honeſtate ſufficiant dicta in titulo præcedenti. Vndè dicendum eſt de partibus ejus ſubjectivis; & Primò de abſtinentia; Secundò de ſobrietate; Tertiò de caſtitate. Circà primum Primò dicendum eſt de abſtinentia; Secundò de vitio ſibi oppoſito, ſcilicèt de gula. De jejunio verò, quod eſt actus ejus, agetur in tractatu de pœnitentia; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Abſtinentia.

CIrcà primum ſciendum, quod nomèn abſtinentiæ importat ſubtractionem ciborum. Hoc autèm ſecundùm quod conſideratur abſolutè, ſignificat quoddam indifferens, ſecundùm autèm quod eſt ratione regulata, ſignificat virtutis habitum, vel actum; & hoc ſignatur 2. *Petri* 1. *ubi dicitur: Miniſtrate in ſcientia abſtinentiam*. Hoc enim oſtenditur, ut homo à cibis abſtineat, prout opportet, ut ſecundùm quod *dicit Auguſt. lib. de quæſtionibus Evangelii*, hoc faciat pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & perſonæ ſuæ, & pro valitudinis ſuæ neceſſitate.

ARTICVLVS II.

De Gula.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de gula, & circa hanc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Verùm gula ſit peccatum?
II. Verùm ſit peccatum mortale?
III. Quot, & quæ ſint ſpecies Gulæ?
IV. Verùm gula ſit vitium capitale?

Circà primum reſpondeo quod ſic; quià dicit appetitum edendi, & bibendi inordinatum, ſecundùm quod ab ordine rationis recedit, ut dicit *Greg.* 20. *Moral.* quod ad conflictum ſpiritalis agonis non aſſurgunt, niſi priùs hoſtis inter nos poſitus, ſcilicèt gula devincatur.

Circà ſecundum reſpondeo; Si ſit tanta inordinatio ejus, quod homo ſit paratus facere contra Dei præceptum propter hujuſmodi delectationem, erit peccatum mortale, & ſic dicit *Greg.* 3. *Moral.* Quandoquè dominante gula, omne, quod homines fortitèr egerunt, perdunt. Si verò ejus inordinatio ſit infra Deum, ut quià licèt nimis concupiſcat quis ciborum delectationem, non tamèn propter hoc aliquid faceret contra Dei legem, eſt peccatum veniale, & ſic dicit *Auguſt. in ſermone de Purgatorio: Quotiès aliquis in cibo, & potu plus accipit, quàm neceſſe ſit, ad peccata minuta noveris pertinere.*

Ad tertium Reſpondeo, quod ſunt quinque, ut dicit *Greg.* 5. *Mora.* & *habentur de conſ. di.* 5. & continentur in hoc verſu.

Præproprìè, lautè, nimis, ardentèr, ſtudioſè.

Præproprìè ideſt ante debitam horam. *Lautè* ideſt quantum ad prætioſitatem cibi. *Nimis*, ideſt in quantitate. *Ardentèr*, ideſt nimis avidè, & gulosè. *Studioſè*, ideſt quantum ad nimiam curam præparationis: & hæ conditiones immoderationis attenduntur communitèr in cibo, & potu.

Sed quandò in dictis ſpeciebus gulæ eſt peccatum veniale, & quandò mortale?

Reſpondeo. In prima ſpecie, ſcilicèt *præproprìè* non eſt peccatum, niſi voluptas cibi ſit in cauſa; ſi enim ſit ex aliqua neceſſitate infirmitatis, vel itineris, vel hujuſmodi, nullum eſt peccatum; & etiàm quandò voluptas eſt in cauſa, adhuc non eſt peccatum mortale, niſi appetitus eſſet adeò immoderatus, quod homo ſequeretur eum, etiam ſi eſſet contra Dei, vel Eccleſiæ præceptum.

In ſecunda ſpecie, ſcilicèt *lauta præparatione*, ſi fiat ex neceſſitate infirmitatis, vel priſtinæ conſuetudinis, non eſt peccatum, cum hoc Auguſt. in regula ſua concedat; aliàs peccatum eſſet; ſed ſi immoderantia appetitus eſſet cauſa ejus, eſſet peccatum, non tamèn mortale, niſi appetitus adeò eſſet effrenatus, ut etiam contrà Dei, vel Eccleſiæ præceptum cibis illicitis, ſinè neceſſitate, vel diſpenſatione tempore jejunii veſceretur.

In tertia ſpecie non eſt peccatum, ſi non ſumatur ſcientèr ultra proportionem ſumentis.

In quarta ſpecie ſi ſit ex ſola natura nullum eſt peccatum; ſi verò tali delectationi ratio plus quàm opportet inhereat, eſt peccatum veniale; Si autèm talis delectatio omnibus aliis præponatur, ſicut Eſau propter eſcam vendidit primogenita, propter quod reprobatus fuit *Hebr.* 12. eſt peccatum mortale.

In quinta verò ſpecie eſt peccatum mortale, quando totus animus eſt deditus tali curæ. Cura verò hæc eſt peccatum veniale, vel etiam nullum peccatum, cum ſcilicèt hoc requirit infirmitas, vel conſuetudo, vel honeſtas, ſivè dignitas alicujus.

Circà quartum reſpondeo, quod ſic; quià ejus filiæ ſunt quinque, *ut vult Greg.* 31. *Moral.* ſcilicèt Inepta letitia. Scurrilitas, ideſt Jocularitas quædam proveniens ex defectu rationis. Immunditia, quæ poteſt attendi ſecundùm inordinatam emiſſionem quarumlibet ſuperfluitatum, vel ſpecialitèr quantùm ad emiſſionem ſeminis; *Undè ſuper illud Eph.* 5. *Fornicatio autèm, & omnis immunditia &c. Gloſ.* ideſt incontinentia pertinens ad libidinem quocumque modo. Multiloquium. Hebetudo mentis circa intelligentiam,

tiam, ſcilicèt propter fumoſitates ciborum perturbantes caput.

TITVLVS XLIII.

De Sobrietate, & Ebrietate.

DEindè conſiderandum eſt de ſobrietate, & Primò de ipſa; Secundò de vitio ſibi oppoſito, ſcilicèt ebrietate; ideò ſit

ARTICULUS I.

De Sobrietate.

CIrcà hanc nota, quod omnia, quæ ad temperantiam propriè pertinent, ſunt neceſſaria vitæ præſenti, & exceſſus eorum nocent, & ideò in omnibus neceſſarium eſt habere menſuram, quod pertinet ad ſobrietatem. Vndè dicitur ſobrius quaſi briam, ideſt menſuram ſervans; Ideò nomine ſobrietatis temperantia ſignificatur. Sed modicus exceſſus in potu, ſcilicèt, qui poteſt inebriare, plus nocet, quam in aliis; & ideò ebrietas eſt ſpecialiter circa potum. Requiritur autèm hæc virtus mentis in aliquibus duplici ratione. Uno modo, quià ſunt proniores ad concupiſcentias, ut juvenes propter fervorem ætatis, & mulieres propter fragilitatem mentis; Undè *ſecundùm Maximum Valerium* mulieres apud Romanos non bibebant antiquitùs vinum. Alio modo, quià eſt magis neceſſaria eis ad propriam operationem ipſorum; Vinum autèm immoderate ſumptum præcipuè impedit rationis uſum, & ideò in ſenibus, in quibus ratio vigere debet ad eruditionem aliorum; & in Epiſcopis, & in aliis Eccleſiæ miniſtris, qui devota mente debent inſiſtere ſpiritualibus officiis; & Regibus, qui per ſapientiam debent ſubditos gubernare, ſpecialitèr debet in eis ſobrietas eſſe; *Ideò dicitur ad* Titum 2. *exhortare ſenes, ut ſint ſobrii. Et* 1. Thi. 3. *oportet Epiſcopum ſobrium eſſe. Et Proverb.* 31. *Noli Regibus dare vinum.*

ARTICVLVS II.

De Ebrietate.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de ebrietate. Circà quod ſciendum, quod ebrietas duplicitèr poteſt ſumi. Uno modo pro defectu, qui provenit ex nimia vini potatione; & ſic eſt pœna conſequens ex culpa. Alio modo pro actu, quo quis incidit in illum defectum; & ille actus dicitur cauſare duplicitèr ebrietatem. Uno modo ex vini fortitudine propter opinionem bibentis; & ſic poteſt eſſe ſinè peccato. Alio modo ex inordinata concupiſcentia, & uſu vini; & ſic eſt peccatum. Eſt autem quandoquè peccatum mortale, ut cum quis benè advertit, quod potus eſt potens inebriare, & talis propriè dicitur ebrius; Quando verò non advertit tunc poteſt eſſe cum peccato veniali.

Nota tamèn quod cum aliquis multum comedit, & bibit ſecundùm medicinæ conſilium ad vomitum provocandum, non eſt reputandus ſuperfluus potus, vel cibus. Potus tamèn aquæ etiam tepidæ cauſat vomitum, & ideò propter illam non excuſaretur ab ebrietate.

Quæritur utrùm Ebrietas excuſet à peccato?

Reſpondeo in ebrietate duo attenduntur, ſcilicèt defectus conſequens, & actus præcedens. Primum excuſat peccatum inquantum involuntarium cauſatur per ignorantiam. Circà ſecundum verò diſtingue, quod ſi ex actu illo ſecuta ſit ebrietas ſinè peccato, tunc peccatum ſequens à culpa totalitèr excuſatur, ut fortè accidit in Loth, qui excuſatur ab inceſtu propter ebrietatem, eo quod non diſcrevit, quod eſſent filiæ ſuæ, *ut dicit Auguſt.* 22. *lib. contra Fauſtum.* Si autèm actus præcedens fuit culpabilis, ſic excuſatur non à toto peccatum ſequens, pro eo quod redditur voluntarium ex voluntate actus præcedentis; ſed à tanto, quià diminuitur ibi ratio voluntarii. Quià tamèn ex ebrietate Reſpublica multum damnificatur; ideò etiam ſecundùm aliquas leges poſitivas, facientes aliqua turpia ex ebrietate puniuntur; & quià tales omni peccato ſe exponunt, ideò alicubi magis puniuntur, quàm ſi non eſſent ebrii, ut magis ſollicitè ab ebrietate caveant; Et credit *Ric.* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 5. *art.* 3. *c. ad ultimum art.* quod ebrius occidens hominem eſt irregularis.

TITVLVS XLIV.

De Caſtitate.

POſteà conſiderandum eſt de caſtitate, & Primò de ipſa. Secundò de virginitate, quæ eſt pars caſtitatis. Tertiò de luxuria, quæ opponitur ſibi.

Circà primum ſciendum, quod nomen caſtitatis ſumitur ex hoc, quod per rationem concupiſcentia caſtigatur, quæ eſt ad modum pueri refrenanda, ut patet per *Philoſ.* 3. *Ethi.* Undè caſtitas inquantùm eſt ſecundum rationem operantis eſt virtus; Inquantum verò habet delectationem in actu ſuo, connummeratur inter fructus *Gal.* 5. Poteſt autèm caſtitas ſumi duplicitèr, ſcilicèt propriè, & ſic eſt ſpecialis virtus habens ſpecialem materiam, ſcilicèt delectationes venereas; & metaphoricè, & ſic eſt caſtitas ſpiritualis, quæ eſt quandò mens hominis delectabilitèr conjungitur Deo, ſecundùm illud 2. *Corinth.* 11. *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Si autèm delectabilitèr contra debitum ordinis divini conjungatur quibuſli-

gitized by Google

buſlibet rebus aliis, dicetur fornicatio ſpiritualis ſecundùm *illud Hierem.* 3. *Tu autèm fornicata es cum amatoribus multerum.* Secundò modo accipiendo caſtitatem eſt virtus generalis, quia per quamlibet virtutem mens retrahitur, ne rebus illicitis delectabilitèr conjungatur; principalitèr tamèn hujuſmodi caſtitatis ratio conſiſtit in virtutibus Theologicis, quibus mens conjungitur Deo.

Sed quomodò ſe habet pudicitia ad caſtitatem?

Reſpondeo: Pudicitia dicitur à pudore, in quo verecundia ſignificatur; & ideò oportet, quod pudicitia propriè ſit circa illa, de quibus homines magis verecundantur, ut de venereis; Intantum etiàm, ut dicit *Auguſt.* quod verecundia non careat concubitus conjugalis; & hoc, quià motus illorum membrorum non ſubditur imperio rationis. Verecundatur autèm homo non tantùm de mixtione venerea; ſed etiam de quibuſlibet ſignis ejus, ut dicit *Philoſ. in* 2. *Reth.* ut ſunt aſpectus impudici, tactus, & oſcula; & quià hujuſmodi ſolent magis reprehendi, ideò pudicitia magis reſpicit hujuſmodi ſigna exteriora; caſtitas autèm magis ipſam commixtionem; & ideò pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non quaſi virtus ab ea diſtincta, ſed ſicut quædam circumſtantia ejus; quandoquè tamèn unum pro alio ponitur.

TITULUS XLV.

De Virginitate.

POſteà dicendum eſt de virginitate, & Primò de ejus eſſentia, & quidditate, ſcilicet quid eſt, & undè dicitur. Secundò de ejus amiſſione. Tertiò de præmio aureolæ virginitati debitæ. Quartò de virginum conſecratione; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De quidditate Virginitatis &c.

CIrca primum ſciendum, quod ſecundum *Ric.* 4. *di.* 33. *quæſt.* 3. *art.* 1. *c.* Virginitas poteſt duplicitèr ſumi: Uno modo impropriè pro integritate carnis, & ſic quælibet mulier naſcitur virgo, & ſic non eſt virtus, quià tota eſſentia cujuſlibet virtutis eſt in anima *ſecundum Auguſt.* 1. *de Civ. Dei cap.* 17. Alio modo poteſt Virginitas ſumi pro habitu, quo niſi rationabilis neceſſitas adſit vacandi copulæ carnali, determinatur voluntas ad reſpuendum promptè, & facilitèr omnem delectationem veneream, etiàm licitam, ut mens liberiùs ſpiritualibus vacet, quià ut dicitur 1. *Corinth* 7. *Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu*; Et ſic dicit *Auguſt. lib. de nuptiis, & concu.* quod Virginitas in carne corruptibili eſt incorruptionis perpetua meditatio. Per meditationem intelligitur propoſitum rationis, quæ debet eſſe perpetua, quià ad hoc, quod ſit verè virgo debet hoc gerere in propoſito, ut in hoc perſeveret perpetuò; Et hoc modo Virginitas eſt virtus. Ex prædictis patet, quod Virginitas carnis non eſt de eſſentia virtutis virginitatis; ſed eſt quidam ejus decor accidentalis extrinſecus exiſtens, proptèr quod perdi poteſt ſine diminutione virtutis virginitatis, ut patet in Virginibus violentèr oppreſſis *ſecundùm Auguſt.* 1. *de Civitate Dei cap.* 17. *&* 19. ubi dicit expreſsè, quod ſi in violentèr oppreſſis pudicitia periret, animi virtus non eſſet; *Similiter habetur* 32. *quæſt.* 5. *in principio, & c. tollerabilius. Hæc Ric. ubi ſuprà.* Addit autèm virginitas ſuper caſtitatem conjugalem ſtatum perfectionis; & ſecundùm aliquos non diſtinguitur ab ea per eſſentiam, ſed differunt ſicut virtus perfecta, & imperfecta, & hujuſmodi ſententiæ fuit *Ric. ibid. c.* 1. *ad oppoſitum &c.* Secundùm verò alios eſt virtus ſpecialis diſtincta ab ipſa per eſſentiam proptèr ſpecialem difficultatem, quam habet; & hujus ſententiæ fuit *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 152. *art.* 3. *c.*

Sed objicitur contrà prædicta; quià nulla virtus perditur ſinè peccato; ſed virginitas perditur ſinè peccato, per matrimonium, ergò non eſt virtus.

Ad hoc reſpondet *Thom. ibidem cap.* 3. Quod licet ſinè peccato perdi poſſit integritas carnis, non tamen virginitas ſecundùm quod eſt virtus, quia importat propoſitum voto firmatum integritatis perpetuò ſervandę. *Dicit enim Auguſt. lib. de Virginitate*; Quod per virginitatem integritas carnis Deo vovetur, conſecratur, & ſervatur; Et ſic patet quod non perditur ſine peccato; *Hæc Thom. ubi ſuprà cap.* 2.

Aliqui tamèn dicunt, quod ſtatus perfectionis, quem dicit ultra caſtitatem conjugalem perdi poteſt ſinè peccato. Poteſt etiàm dici, & meliùs, quod ſi modo neceſſitas immineret vacandi copulæ carnali ex præcepto Dei, ſi virgo propter hoc tantum carnalitèr copularetur firmitèr proponens, quod hac neceſſitate ceſſante omnimodè contineret, in ea virginitatis habitus non minueretur, & adhuc verè virgo eſſet mente, licèt non ſecundùm communem uſum, ſecundùm quem dicitur virgo, quæ copulæ carnali numquam conſentit. *Hæc Ric.* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 3. *art.* 1. *cap.* 3. Non ſolùm autèm virginitas eſt virtus, ſed eſt maxima virtutum in genere caſtitatis, & quià caſtitati attribuitur decor, ideò per conſequens attribuitur virginitati excellentiſſima pulchritudo; *Undè Ambroſ. lib. de virginitate. Pulchritudinem majorem quis æſtimare poteſt decore Virginis, quæ amatur à Rege, probatur à Judice; dedicatur Domino; conſecratur Deo*; Et ideò ſecundùm *Hieron.* attribuitur virginitati fructus centeſimus, viduitati ſexageſimus, & matrimoniali trigeſimus, ſcilicèt pro-

Digitized by Google

propter excellentiam virginitatis ad illa duo. Quod autèm *dicit Auguſt. de bono conjugali*, quod virginitas Joannis non præfertur merito conjugio Abrahæ, intelligitur reſpectu præmii ſubſtantialis, non accidentalis.

Videtur autèm nomen virginitatis ſumptum à virore, quià ſicut illud dicitur virens in ſuo virore perſiſtere, quod non eſt exceſſu caloris aduſtum; Ità etiam Virgnitas importat, quod perſona cui ineſt, ſit immunis à concupiſcentiæ aduſtione, quæ videtur eſſe in conſumatione delectationis venereæ; *Undè Ambroſ. dicit lib. de Virginitate* quod Virginitas eſt expers cogitationis de carnali delectamento integritas.

ARTICULUS II.

De Amiſſione Virginitatis.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de amiſſione Virginitatis. Circà quod ſciendum, quod tunc ſolùm virginitas perditur ſecundum aliquos, quandò voluntaria, & procurata delectatio carnalis in actu pollutionis completur, & tunc etiam corpus corrumpi dicitur corruptione inquam vitii, ſivè paſſionis, ſcilicèt ex laxatione venarum, & viarùm, per quas reatus voluntatis expletur. Requiritur autèm, quod talis delectatio ſit voluntaria, ſcilicèt ex voluntate operante, vel conſentiente, vel non diſſentiente, vel non quantùm poteſt renitente, ſcilicèt, ut etſi corpus non poteſt defendere, ſaltèm non conſentiat delectationi concupiſcentiæ, ut ſi quam patitur pollutionem dormiendo, vel aliquid turpe immaginando, vel dum tangitur à viro, non tamèn ad hoc data opera, nec ex propoſito, recuperare per pęnitentiam Virginitatem poterit, & inter virgines conſecrari, licèt etiam ei poſt hujuſmodi pollutionem placuerit talitèr eſſe pollutam. Secundùm vero alios non tantùm perditur virginitas, quandò voluntariè pollutio completur, ſed etiàm quandò ſinè ea cojtus perficitur; ſicut facit, qui ante tempus ſeminis per ſui turpem tactum, hujuſmodi delectationem in ſe perficit, vel ab alio in ſe fieri permittit; & hujus ſententiæ videtur Aug. fuiſſe. Itèm cum dicitur aliqua involuntaria cognoſci, involuntarium non eſt hìc judicandum ſecundum aliquos in ipſa delectatione, ubi ratio abſorbetur, ſed antè, & poſt. Alii verò dicunt contrarium.

Quid de Puellis, quæ in annis puerilibus antequam incipiant pubeſcere agunt hujuſmodi turpia?

Reſpondeo non debent dici corruptæ, quià in talibus antè annos diſcretionis, cum nec dum ſciunt in hoc eſſe bonum, vel malum; nec pollutio, nec delectatio coitus eſſe poteſt.

Quid de feminis fluxum patientibus ſeminis?

Reſpondeo. Non debent ex hoc dici corruptæ, quià talis diſtillatiò non ſit in eis ex propoſito, quinimò cum ſint in ſancto propoſito, ſentiunt diſtillationem humoris; Suadendum eſt tamèn eis, quod ſe temperent à collocutione, & aſpectu virorum, qui eis occaſio poſſent eſſe.

Sed numquid per pollutionem in ſomnis perditur Virginitas?

Reſpondeo, quod non, quià tunc voluntas & deliberatio talis delectationis non habetur, nec haberi poteſt. Credunt tamèn aliqui, quod ſi delectatio pollutionis nocturnæ placeat deliberatè antè, vel poſt, virginitas perditur. Itèm credunt de eo, qui cauſam dat in vigilia tali pollutioni per conſenſum in talem delectationem, vel actum.

Quid de mulieribus, quæ in ebrietate, vel dormientes à viris cognoſcuntur?

Reſpondeo dicit T*hom.* 4. *diſ.* 33. *art.* 1. *cap.* 6. quod ſimilis ratio eſt de his, & de pollutione in ſomnis, niſi fortè hac intentione juerint dormitum, vel ſe inebriaverint, ut à viro cognoſcerentur.

Quid de his, quæ à Demonibus incubis cognoſcuntur?

Reſpondeo T*hom. dicit ubi ſuprà cap.* 7. quod non perdunt virginitatem, ſi tamèn quantùm poſſunt mente renitantur.

Ad hoc nota, quod ſicut dicitur, triplex humor fluit de genitalibus membris, ſcilicèt ſemen, urina, & umor ſimilis ſemini, qui eſt medius inter ſemen, & urinam, & diſtillat quandoquè propter ſolum fœminæ tactum, vel aliquorum turpium auditum. Perditur autèm virginitas per ſolam ſeminis reſolutionem, quià ipſa ſola locum coitus ſupplet, vel ejus delectationem complet.

Quid de illa, quę violentèr corrupta fuit?

Reſpondeo per hoc virginitatem non ammiſit, dummodò propoſitum ſervandi eam perpetuò cuſtodiens, illi actui non conſenſit ullo modo, & hoc ſivè pro fide, ſivè quacumque alia cauſa violentèr corrupta ſit: ſed ſi pro fide ad martyrium pertinebit; *Undè Beata Lucia dixit: Si me invitam violare feceris, mihi caſtitas duplicabitur ad coronam*; intelligens, quod ex hoc duplex præmium reportaret, unum pro virginitate ſervata, aliud prò injuria illata. His concordat *Auguſt.* 1. *de Civ. Dei cap.* 90. *dicens de violentèr corruptis*, quod propoſito animi manente, per quod etiam corpus ſanctificari meruiſſet, non aufert ipſi corpori ſanctitatem violentia libidinis alienę, quam ſervat perſeverantia ſuæ continentiæ; Sicut enim integritatem mentis Deus reſtaurare poteſt mediante mentis corruptę pęnitentia, licèt non poſſit facere, quin fuerit corrupta; ita integritatem carnis Deus reſtaurare poteſt, licèt facere non poſſit, quin fuerit corrupta; quamvis integritas carnis ad illud, quod eſt de eſſentia virginitatis non ſit neceſſaria. *Hæc Ric.* 4. *diſ.* 49. *quæſt.* 5. *art.* 4. *cap.* 2. *fin.*

Quid de illa, quæ fuit corrupta tantùm mente; ſed non carne.

Re-

Reſpondeo, talis, ut etiam tactum eſt in quæſtione præcedenti, per veram pœnitentiam ad plenum recuperabit incorruptionem mentis; & ſi in tali propoſito in fine vitæ fuerit aureolam habebit Quod enim dicitur virginitas meditatio perpetuæ incorruptionis, refertur ad finalem incorruptionem ex parte mentis. Ex parte vero carnis opportet eſſe perpetuam incorruptionem, quantum eſt de voluntate mentis; *Hæc Alex. Ang. de Luxuria art.* 4. c.

ARTICVLVS III.

De Aureola Virginitatis.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de aureola Virginitatis, ſcilicèt quid eſt, & cui debebetur.

Circa quod ſciendum, quod aureola eſt quoddam pręmium privilegiatum correſpondens victoriæ privilegiatæ, & ideò ſecundùm quod ſunt tres victoriæ privilegiatæ, eo quod ſint cæteris aliis excellentiores, in tribus pugnis imminentibus cuilibet homini; ſic ſumuntur tres aureolę. Nàm potiſſimam victoriam obtinet virgo contra carnem; Martyr contra mundum; Doctor contrà Diabolum, dum non tantùm à ſe, ſed etiam ab aliis removet ipſum; & ideò his tribus, aureola propriè dicta debetur. Debetur autèm aureola tantùm illis Virginibus, quæ propoſitum ſervandi perpetuò virginitatem habuerint; & hoc ſecundùm *Ric. ubi ſuprà*, ſivè propoſitum illud firmaverint voto, ſivè non, licèt illud propoſitum aliundè fuerit interruptum, integritate tamèn carnis manente; dummodò in tali propoſito inveniantur in fine vitæ. *Thom. verò* 4. *diſ.* 49. *art.* 3. *c.* videtur velle, quod opportet illud propoſitum eſſe voto firmatum, ut patet ex dictis in primo articulo in ſolutione argumenti ibi poſiti. Undè debetur corruptis ſola mente, dummodo verè pœnituerint, & in tali propoſito reperiantur in fine. Debetur etiàm violentèr, vel non voluntariè corruptis ſola carne, non mente, ut etiàm patet ex dictis *in* 2. *art.* Debetur etiàm ſecundùm *Ric.* & trahitur à loco ſuprà allegato, his, qui ſunt virgines ex neceſſitate, ut ſunt naturalitèr frigidi, & Eunuchi, ſi voluntatem habuerint incorruptionem perpetuò ſervandi, etiam ſi facultas adeſſet coeundi.

ARTICVLVS IV.

De Conſecratione Virginum.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de conſecratione Virginum, & circà hoc quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Quarè ſolus Epiſcopus conſecrat, & velat virgines?

II. Vtrùm in conſecratione virginum gratia detur?

III. Vtrùm occultè corruptę debeant conſecrari proptèr vitationem ſcandali?

Circà primum reſpondeo; Sicut per matrimonium carnale repræſentatur matrimonium ſpirituale intèr Chriſtum, & Eccleſiam quantùm ad fecunditatem, ità per virgineam velationem repræſentatur matrimonium ſpirituale, quantum ad ejus integritatem; ut patet per omnia, quæ ibi geruntur, & proferuntur; & ideò ſolus Epiſcopus, cui Eccleſiæ cura committitur, virgines velando deſponſat, non ſibi, ſed Chriſto, quaſi Paranymphus, & amicus ſponſi.

Sed quarè ſolæ virgines, & non viduæ conſecrantur.

Reſpondeo, quià in continentia virginali poteſt eſſe integritatis ſignificatio plena; ſed in viduali eſt ſemiplena, ideò viduis datur aliquod velum, ſed non cum illa ſolemnitate, cum qua virginibus datur.

Quo tempore ſunt Virgines conſecrandæ? De hoc quære in *libro 6. tit. de tempore, & loco, quo debent ordines conferri*.

Circà ſecundùm reſpondeo, *ſecundum Thom.* 4. *diſ.* 38. *art.* 5. *cap.* 2. quod ſic, ſicut in unctione Regum, & aliis hujuſmodi benedictionibus; niſi ſit impedimentum ex parte recipientis; Sed tamèn non dicuntur ſacramenta, quià non ſunt ad curationem morbi peccati, ſicut alia ſacramenta inſtituta.

Circà tertium reſpondeo; In conſecratione illa fiunt, & dicuntur aliqua, quæ pertinent ad ejus ſubſtantiam, ut verba quæ exprimunt virginitatem; & benedictio veli ſecundùm formam conſecrationis, & modum velandi; & aliqua, quæ pertinent ad ejus ſolemnitatem, ut accenſio candelarum, denudatio capitis, & comæ cum producuntur. Dicunt ergò communitèr omnes, quod in velando occultè corruptas ſivè à viro, ſivè alio modo, nullo modo licet ſimulare, vel verè facere, vel dicere ea, quæ ſunt de ſubſtantia conſecrationis; tum quià circà Eccleſiæ ſacramenta, vel ſacramentalia nulla debet intervenire ſcientèr falſitas, vel ſimulatio, quià fieret injuria ſacramento; tum quià eſſet contra decretum 20. *quæſt.* 1. *de votis*. Circà vero ea, quæ pertinent ad ſolemnitatem conſecrationis adhiberi poteſt cautela propter vitationem ſcandali, & infamiæ ſecundùm aliquos, & hoc per Epiſcopum, cui mulier debet ſecretè dicere ſuum ſtatum; Poterit enim diſponere, quod talia fiant, & cautè ſubdicere verba, quæ ſunt de ſubſtantia conſecrationis veli; & nomen virginitatis in nomen caſtitatis mutare.

Alii dicunt, quod tales corruptæ, nullo modo debent ſe ſociare ſacris virginibus in conſecratione, etiàm quantum ad ea, quæ ſunt de ſolemnitate, cum talem ſanctitatem ſimulare ſit hypocriſis maxima. Poſſent autèm ſuam infamiam vitare, aut ſe humiliare dicendo: ſe non eſſe dignas tali conſecratione propter periculum infirmitatis humanæ, ne in poſterum conſecratio conta-

taminetur; & ſic magis honoratur, quàm infametur, quià omnes ſi vellent, ſe ſic excuſare poſſent. Aut tempore conſecrationis ſumendo negocium aliquod impediens conſecrationem. Aut etiam tunc infirmitatem ſimulando jacendo in lecto; vel aliquid ſimile. Salvo meliori judicio utraque opinio eſt ſatis tolerabilis, ſed ſecunda videtur eſſe tutior.

Quid de violentèr oppreſſis?

Reſpondeo; Quià loca genitalium ſunt valde nervoſa, ideò tactus eorum titillationem cauſat,& per conſequens ad voluptatem inclinat.Hoc autèm allicit ad conſenſum, vel ad minus impedit, ne homo totalitèr conetur ad contrarium; & ideò cum de pleno diſſenſu conſtare non poſſit Eccleſiæ, ſtatutum eſt, ut tales humilitèr abſtineant à conſecratione, 32. *queſt.* 5. *illæ autèm famulæ*, *& in Gloſ. &* 15. *quæſt.* 1. *ſi quis non iratus*.

TITVLVS XLVI.

De Luxuria, & ejus ſpeciebus.

POſteà conſiderandum eſt Luxuria; & Primò de ipſa. Secundò de Adulterio, quod eſt quædam ejus ſpecies, de quo prolixiùs dicetur, quam de aliis ſpeciebus ejus; Vndè de ipſo erit titulus ſpecialis.

Circà primum Primò dicendum eſt de luxuria, & de ſpeciebus ejus in communi. Secundò in ſpeciali de ſimplici fornicatione. Tertiò de ſtupro. Quartò de raptu. Quintò de inceſtu. Sextò de ſacrilegio. Septimò de vitio contrà naturam. Ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Luxuria.

CIrcà primum ſciendum, ſicut dicit *Iſid. lib. Ethi.* Luxurioſus dicitur aliquis, quaſi ſolutus in voluptates. Voluptates autèm maximè venereæ ſolvunt animam hominis, & ideò luxuria eſt principalitèr in eis; Secundariò autèm dicitur eſſe in quibuſdam aliis pertinentibus ad exceſſum; *Vndè ad Gal. 5. dicit Gloſ.* quod luxuria eſt quædam ſuperfluitas; pertinet autèm ad rationem ejus, ut excedat circà venerea ordinem rationis; & ideò eſt peccatum. Eſt autèm luxuria vitium capitale, ut dicit Greg. 31. *Moral.* ut habitum eſt ſuprà, & ſecundùm eumdem ibidem, ex ea oriuntur octo filiæ, ſcilicèt Cæcitas mentis, Inconſideratio, Inconſtantia, Præcipitatio, Amor ſui, Odium Dei, Affectio præſentis ſæculi, Horror, ſivè Deſperatio futuri. Secundùm verò *Iſid.* ex ea oriuntur quatuor; ſcilicèt Turpiloquia; Scurrilia, Ludicra, & Stultiloquia, quæ quatuor naſcuntur ex parte ſermonis; ſermo enim debet eſſe decens, contrà quod eſt turpiloquium; licitus, contrà quod eſt ſcurrilitas; expediens, contrà quod eſt ludicra; & ſale, ſcilicèt, ſapientiæ conditus, contra quod eſt ſtultiloquium. Species autèm luxuriæ ſunt ſex, ut habetur 36. *quæſt.* 1. §. *ſed non omnis*; ſcilicèt Fornicatio ſimplex, Adulterium, Inceſtus, Stuprum, Raptus, & Vitium contra naturam. Quid autèm ſit unumquodque iſtorum habitum eſt ſuprà *lib.* 1. *tit.* 31. *& habetur in ſequentibus articulis.*

ARTICULUS II.

De Fornicatione ſimplici.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de fornicatione ſimplici. Circà quod firmitèr tenendum, quod fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale; quod patet per hoc, *quod Apoſtolus ad Gal.* 5. præmiſſa fornicatione & quibuſdam aliis vitiis ſubdit; quod *qui talia agunt Regnum Dei non poſſidebunt*, ab hoc autèm nihil excludit, niſi peccatum mortale.

Sciendum autèm, quod fornicatio quandoquè ſumitur generalitèr pro quocumque peccato mortali, *ut in Pſalmo: Perdidiſti omnes, qui fornicantur abſ te.* Aliquandò pro peccato carnis *ut* 1. *Corint.* 6. *fugite fornicationem*. Quandoquè ſpecialitèr pro coitu ſoluti, cum ſoluta, & ſic dividitur contra alias ſpecis luxuriæ. Quandoquè pro ſecundis nuptiis, & ſic dicit *Criſ.* quod accipere uxorem ſecundam eſt fornicatio; ſed hoc ultimo modo non eſt peccatum, ſed incontinentiæ ſignum.

Sed quid de tactibus amplexibus, oſculis, & hujuſmodi illecebris aliis? Numquid eſt ibi peccatum mortale?

Reſpondeo, aliquid dicitur eſſe peccatum mortale duplicitèr. Vno modo ſecundum ſpeciem ſuam, & ſic talia ſecundum rationem ſuam non ſunt peccata mortalia, poſſunt enim fieri ſinè libidine, vel propter Patriæ conſuetudinem, vel propter neceſſitatem aliquam, vel propter cauſam rationabilem. Alio modo ex ſua cauſa, ut cum quis dat eleemoſynam, ut aliquem in hæreſim inducat, mortalitèr peccat propter intentionem corruptam. Dictum eſt autèm ſuprà, quod conſenſus non tantùm in actum; ſed etiàm in delectationem peccati, eſt peccatum mortale; & ideò cum fornicatio ſit peccatum mortale, conſequens eſt, quod conſenſus in delectationem ejus eſt mortalis; & ideò cum prædicta fiunt propter delectationem hujuſmodi, ſunt peccata mortalia, & ſic tantum dicuntur libidinoſa. Præterea ipſe etiam aſpectus libidinoſus eſt mortalis ſecundùm *illud Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo. Vndè Auguſt. Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius*, ergò multo magis alia, quæ ſunt illi actui propinquiora ſunt mortalia.

Nota ſecundùm *Auguſt.* quod non ait: qui concupiverit, ſed *qui viderit ad concupiſcendum*,

dum, ideſt ut concupiſcat, quod eſt plenè libidini conſentire. Eſt enim concupiſcere duplicitèr, ſcilicèt ex motu ſubito ſinè deliberatione, vel intentione perficiendi, & hoc eſt veniale; & cum deliberatione, & intentione perficiendi, & hoc eſt mortale, qui modus ſecundus melius exprimitur per hoc ad concupiſcendum. Sumit autèm viſum non tantum pro ſenſu exteriori, ſed etiàm interiori, & quod dicit de muliere intelligit de quacumque alia re, cujus abuſus eſt contra Dei præceptum. Quo d ergò dicit Greg. *non licet intueri, quod nonlicet concupiſci*, eſt verum quandò viſui conjungitur intentio, ſivè conſenſus; & per viſum intelligit etiàm alios ſenſus: Intueri enim eſt intùs tueri vel intus tendere, & hoc ſic peccatum mortale.

ARTICVLVS III.

De Stupro.

SEquitur videre de tertio; ſcilicèt de ſtupro. Circà quod ſciendum, quod ſtuprum eſt illicita defloratio virginum ſub cura parentum exiſtentium, ſecundùm illud *Num.5.* ubi dicitur: *Si latet adulterium, & teſtibus argui non poteſt, quià non eſt inventa in ſtupro &c.* Stuprum enim ſumitur communitèr pro omni coitu viri conjugati cum alia muliere, quam cum uxore; Injuriatur autèm ſtuprator & virgini, & patri ejus, & ideò ſatiſfacere tenetur utrique, *ut habetur Exod.* 22. & *Deut.* 22.

Quid de illo, qui deflorat virginem ſolutam? Numquid tenetur ducere, vel maritare eam? Secundùm quod dici videtur *extra de adult. c.* 1.

Reſpondeo ſecundum *Rodon.* ſi defloret eam voluntariè non tenetur; Si autèm invitam, aut dolo inductam ad conſenſum, injungendum eſt ei in foro pęnitentiæ, quod ei ſatisfaciat, vel cum ea componat; ad pœnam autèm illius decreti non tenetur in foro civili, & exponunt eam Gloſ. de raptore, qui à domo patris virginem ſeducit, ideſt ſeorſum ducit, & vi extrahit. Accuſatur, autèm ſtuprum infrà quinquennium, quandò ſinè vi eſt commiſſum; Si autèm vi ſit oppreſſus maſculus, vel fœmina, ſinè præfinitione temporis accuſatur: *ff. c. mariti* §. *hoc quinquennium*, & §. *ultimo*. Punitur quandoqu è ſtuprator ſi ſit honeſtus ſecundum leges punitione medietatis bonorum ſuorum; humilis verò relegatur, & in corpore coercetur *Inſt. de publ. jud.* §. *item lex Julia de adult.* & hoc quandò ſinè vi qui s oprimitur; Si autèm vi, decapitatur, ut patet ibidem §. *ſi autem per vim*. Idem fit quandò committitur etiam ſinè vi in puerum *c. e. cum vir.* Itèm ſi tutor ſtup raverit eam, cujus eſt tutor, deportatur, & eju s bona publicantur *C. e. ſi quis eam*; *Lex incipit ſi tutor*. Secundùm verò Canones, Stuprator puellam dotabit *C. de dote can. non num. l.* 2. & eam ducet in uxorem, ſi pater conſenſerit; Si autèm pater renuerit; ſubaudi, & puella; aliàs contra *extra de adul. & ſtu. cap. pe. in.* 1. tenetur dotem aſſignare ſecundùm modum, ſecundum quem virgines ſolent accipere *extra de Adult. cap.* 1. ſcilicèt conſiderata conſuetudine regionis, & facultate a ... gnantis, & dignitate virginis ad arbitrium boni viri *ar.* 30. *quæſt.* 5. *nullam*. Si eam verò uxorem accipere renuit, verberatur excommunicatus, ſcilicèt quod ad communionem ſacramentorum, quouſque videbitur judici revocandus, & in monaſterium ad agendam pęnitentiam perpetuò detrudendus *extra de adult. pervenit*.

ARTICULUS IV.

De Raptu.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de raptù; Circà quod ſciendum, quod raptus pro ut nunc de eo loquimur, quandoquè in idem incidit cum ſtupro, ut cum quis virginem violentèr deflorat; quæ violentia quandoquè infertur, & virgini, & patri, quandoquè Patri tantùm. Itèm puella quandoquè de domo parentum violentèr educitur, & violentèr corrumpitur; quandoquè violentèr educta voluntariè corrumpitur, vel fornicariè, vel matrimonialitèr, & utrique eſt raptus; Quandoquè etiam invenitur raptus ſinè ſtupro, & quandoquè ſtuprum ſinè raptù, ut per ſe patet.

Sed cui raptę reſtituentur?

Reſpondeo, ſi ſint aliis deſponſatæ, ſunt ſponſis reſtituendæ; ſi non ſint deſponſatę, ſunt primò patri reſtituendę; & tunc de voluntate parentum poſſunt eas uxores accipere, alitèr matrimonium illicitè contrahitur, non tamèn jam contractum dirimeretur; Vndè illud *Concilii Meldenſis, placuit*; ubi videtur dici contrarium, eſt abrogatum.

Quid ſi quis violentèr ſponſam ſuam de domo Parentum auferat, & carnalitèr cognoſcat?

Reſpondeo; Sponſus jus aliquod habet in ſponſa ſua ex deſponſatione, & ideò licèt peccet violentiam inferendo, excuſatur tamèn à crimine raptus.

Quæ eſt pœna raptoris?

Reſpondeo, ſecundùm leges decapitatur, & ejus ſubſtantia raptæ àpplicatur, ſcilicèt in foro judiciali; & hoc ſi rapiat mulierem honeſtam, ſecùs eſt ſi Meretricem *ff. de fur. l. verum eſt*, & *l. fullo, vel ſarcinator*. Secùs etiàm ſi rapiat ancillam, vel libertam, quià tunc tantùm decapitatur. Et hæc, & plura alia habentur *C. de raptu virgin. l.* 1. Hac etiàm pœna puniuntur comites raptorum, & qui aliàs dant eis auxilium. Servi autèm, & Ancillę hujus facti culpabiles comburuntur, & condemnato appellatio denegatur, ut *patet ibidem*. Hoc autèm delictum vindicare poſſunt parentes raptæ, conſanguinei, tutores, & curatores, & fortè comites eorum. Idem fortè eſt, & ſi femina rapuerit virum; nec poteſt Pater-

ter remittere injuriam iſtam *C. e. l. & parentibus*; Quod eſt verum pretio, ſed præcibus ſic, ſecundùm *Hoſtien. e ti.* . Nec poteſt rapta conſortium raptoris eligere, & ſi hoc fecerit, raptoris ſubſtantiam à lege ſibi datam perdit *in aut. de raptu mu-li. qua rap. nu. coll.* 9. ſed ſecundùm canones raptor fit ſervus raptę, niſi ſe velit redimere 36. *quæſt.* 1. *de raptoribus*; Debet etiàm cum fautoribus ſuis ex communicari *e. quæſt.* 2. *cap.* 1. 2. 4. 5. 6.; Sed ſi rapta velit, poteſt cum raptore contrahere *extra eo. accedens*, licèt etiàm parentes contradicant; Nec ex hoc perdit dominiùm rerum raptoris, quià lex ſupra dicta abrogata eſt *extra de ſecun. nup. dominus.* Raptores autèm puerorum cauſa abuſus exquiſitis pœnis capitalibus puniuntur ſecundùm leges *c. ad legem Jul. de adul.* 1. *cum vir.* Si verò Princeps committat Eccleſiaſtico judici punitionem talium citrà mortem, vel membri truncationem, vel ſanguinis effuſionem, ſcilicèt enormem, poterit jubere talem incarcerari, vel flagellari, vel pœcunia mulctari, & hoc eſt verum *ſecundùm Hoſtien.* ſi non accuſatur; Si autem accuſatur non poteſt diminuere pęnam, & ideò debet eam principi reſervare. *extra de raptu, & incen. in Archiepiſcopatu.*

ARTICVLVS V.

De Inceſtu.

SEquitur videre de quinto, ſcilicèt de inceſtu; Circà quod ſciendum, quod conſanguinearum, & affinium abuſus anthonomaticè dicitur inceſtus, per privationem ſcilicèt caſtitatis.

Sed pone, quod deficeret genus humanum, ſicut tempore Noè, numquid tunc ſi ſuperſtites eſſent frater, & ſoror licitè copularentur? Reſpondet *Alex. Aug. in* 2. quod hoc non liceret eis facere authoritate propria, quià hoc prohibetur lege divina, ſed hoc fieret eis licitum diſpenſatione divina. Punitur autèm inceſtus, ſi committatur contra leges ſcientèr, eadem pęna ſecundum leges, quàm Adulterium. Si verò per ignorantiam juris à viro committitur, pęna mitigatur; & ſic exaudiri debet, quod dicitur puniendi correctione inceſtum excuſari *ff. e. ſi adulterium*. Si autèm committitur à femina per ignorantiam juris naturalis, vel gentium, punitur ut maſculus; Si verò per ignorantiam juris civilis excuſatur in totum; & idem eſt de minore, ut dicitur ididem; ſed & ſi diſtrahat illicitam conjunctionem, antequam accuſetur, hac pœna non tenetur, *ut ibidem*; & eſt hic præſtitutum per quinquennium, *ut in lenocinio ff. e. l. mariti*. Secundùm autèm Canones, qui macula inceſtus eſt pollutus, eſt infamis, & etiàm quilibet conſenſiens ſibi 2. *q.* 4. Et hæc infamia per pecuniam non deletur 35. *q.* 6. *ſi duo*; & dum ſtat in crimine, uſque ad miſſam Catecuminorum, ideſt uſque ad ſurſum corda, tantùm in Eccleſia admittitur, & cum eo nec cibus ſumi debet 35. *quæſt.* 3. *di bis*, & hæc dicta ſufficiant ad præſens de inceſtu, quià de ipſo *in lib.* 8. *de impedimento criminis* aliqua dicentur.

ARTICULUS VI.

De Sacrilegio.

SEquitur videre de ſexto, ſcilicèt de ſacrilegio. Circà quod ſciendum, quod committitur in re ſacrata; Res autèm ſacrata eſt vel perſona ſacrata, quæ concupiſcitur ad concubitum, & ſic pertinet ad luxuriam; vel quæ concupiſcitur ad poſſidendum, & ſic pertinet ad injuſtitiam. Poteſt etiàm ſacrilegium pertinere ad iram, ut ſi quis injurietur ex ira ſacræ perſonæ; vel ſi cibum ſacratum aſſumat guloſè, ſacrilegium committit. Specialiùs autèm ſacrilegium luxuriæ attribuitur, quæ caſtitati opponitur. Ad cujus obſervantiam aliquæ perſonæ ſpecialitèr conſecrantur; Non ponitur tamèn ſacrilegium inter ſpecies luxuriæ 36. *quæſt.* 1. *c. lex illa præteritorum principum* §. 2. quià ibi nummerantur illa, quæ ſunt ſpecies luxuriæ ſecundum ſe ipſam. Sacrilegium autèm eſt ſpecies luxuriæ, ſecundùm quod ordinatur ad finem alterius vitii, & poteſt concurrere cum diverſis ſpeciebus luxuriæ; Si quis enim abutatur perſona ſibi conjuncta ſecundùm ſpiritualem cognationem, committit ſacrilegium ad modum inceſtus; ſed virgine Deo ſacrata inquantum eſt Chriſti ſponſa, eſt ſacrilegium ad modum Adulterii. Inquantum verò eſt ſub cura ſpiritualis patris, eſt quoddam ſpirituale ſtuprum; Et ſi vis inferatur eſt ſpiritualis raptus, qui etiàm ſecundum leges graviùs punitur, quàm alius raptus.

ARTICVLVS VII.

De Vitio contra naturam.

SEquitur videre de ſeptimo, ſcilicèt de vitio contra naturam. Circà quod ſciendum, quod hoc poteſt multiplicitèr contingere; Vno modo ſi in ſe pollutio procuretur, & ſic dicitur immunditia, vel mollities. Alio modo per coitum ad rem alterius ſpeciei, & dicitur beſtialitas. Tertiò ad rem ejuſdem ſpeciei in debiti ſexus, & dicitur ſodomia. Quartò ſi non ſervetur naturalis modus coeundi, vel quantum ad iſtrumentum non debitum, vel quantum ad menſtruoſos concubendi modos. Peccat autèm homo hoc faciendo magis cum uxore, quàm cum meretrice, quià magis tenetur cavere malum uxoris, quam alterius. Eſt autèm vitium contra naturam maximum inter ſpecies luxuriæ, ut vult *Auguſt. lib. de adulterinis conjugiis*, poſt hoc inceſtus, undè adulterium vincitur ab inceſtu, *ut dicit* Aug. quod verum eſt accipiendo utrumque in ſuo ſummo. Majus enim eſt peccatum coire cum matre, quàm cum alterius uxore. Adulterium verò eſt

eſt gravius ſtupro; & utrumque aggravatur per violentiam; ideò raptus virginis eſt gravius peccatum ſtupro, & raptus uxoris adulterio. Hæc etiàm vitia omnia aggravantur ſecundum rationem ſacrilegii. Infimum verò peccatum intèr ſpecies luxuriæ eſt fornicatio ſimplex, quæ committitur ſinè injuria alterius perſonæ. Inter vitia verò contra naturam infimum eſt peccatum immunditiæ, graviſſimum autèm eſt beſtialitas, poſt hoc autèm ſodomia. Deindè eſt peccatum, inquo non ſervatur concubendi debitus modus; Magis autèm ſi non ſit vas debitum, quàm ſi ſit inordinatio ſecundùm aliqua alia pertinentia ad concubitus modum, punitum autèm fuit hoc peccatum ante legem incendio *Gen*. 19. & in lege veteri gladio *Jud.* 19. Ergò multo magis modò, tempore gratiæ in quo aſſumpta eſt humana natura à filio Dei, hujuſmodi vitium igne, & gladio eſt puniendum; imò etiàm omni genere tormentorum exterminandum à ſęculari poteſtate, quæ non ſinè cauſa gladium portat *Rom*. 13. Ab eccleſiaſtica verò poteſtate omni genere correctionis, & abjectionis. Ab Eccleſia velut putridiſſimi ſunt tales à corpore abſcindendi; Undè tales non tantùm, qui faciunt, ſed etiam qui ſuadent ſodomiam, ſecundùm leges capite puniuntur. Sacri verò canones ſub ſilentio tranſeunt in deteſtationem tanti criminis, & flagitii, quod non debeat nominari; debet tamèn judex Eccleſiaſticus ipſum pęna graviori, quàm alia ſcelera punire.

TITULUS XLVII.

De Adulterio, & Lenocinio.

Deindè conſiderandum eſt de adulterio. Et primò quid eſt, & undè dicitur; Secundò de punitione Adulterii; Tertiò de Lenocinio. De his verò, quæ pertinent ad accuſationem adulterii ſufficiant illa, quæ dicentur *in lib.* 8. *tit.* 35. Cætera verò relinquantur Juriſperitis; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Adulterio.

Circà primum ſciendum, quod *adulterium eſt alieni thori violatio* 32. *quæſt.* 5. *non mœchaberis, vel ſui thori deturpatio*. Quandoquè enim committitur adulterium reſpectu viri, & mulieris, quandoquè reſpectu viri tantùm, quandoquè reſpectu mulieris tantùm. Propriè tamèn loquendo adulterium in nupta committitur *ff. e. l. inter liberas* §. *lex Julia*. Extenſo etiam vocabulo dicitur adulterium aliquandò cum propria uxore, hoc ſecundum quamdam juris interpretationem *ſecundum illud Hieron. Ardentior amator uxoris eſt adulter*, ut quando ita diligit uxorem, quod eam cognoſceret, etiam ſi alterius uxor eſſet. Dicitur autèm adulterium, quaſi acceſſus ad alterius thorum; Undè propriè dicitur, ut dictum eſt, quandò acceditur ad coniugatam.

ARTICVLVS II.

De Pœna adulterii.

Sequitur videre de ſecundo. Circa quod ſciendum, quod pro adulterio ſecundum leges imponitur pœna mortis *C. e. l. quamvis*; Femina autèm à viro verberata in monaſterio includitur, quam intra biennium viro recipere licet; Biennio verò tranſacto, vel viro mortuo antequam uxorem de monaſterio educat, Adultera tonſa, monaſtico habitu ſuſcepto, ibi dum vivit, maneat, duabus partibus propriæ ſubſtantiæ liberis applicandis, & tertia monaſterio. Si autèm liberos non habeat, parentibus ejus peccato non conſentientibus applicetur pars tertia, & duæ monaſterio. Parentibus autèm non extantibus tota ſubſtantia applicabitur monaſterio, pactis dotalium inſtrumentorum omni caſu ſervatis; *ut in Aut. ut nulli judi.* §. *manifeſta coll.* 9. *& ponitur c. de adul.* ſed hodiè, ſi vir in probando deficiat, tenetur ad talionem, *ut ibidèm c. de adult.* §. *adulter.*

Sed ſecundùm hoc, vir volens ab uxore ſeparari, indirectè conſequi poterit, quod directè non poteſt; Accuſabit enim uxorem de adulterio calumnioſè, & ſi deficiet in probatione in monaſterium detrudetur, & ſic indirectè ab uxore ſeparabitur.

Reſpondeo; Non tunc hoc fiet *ſecundùm Aut.* ſed aliter vir punietur, ſcilicèt vel in bonis ſuis, vel caſtigando alitèr, vel alter non conſequetur, quià erit in voluntate mulieris ſibi reconciliare virum, ut prædictum eſt ſuprà etiàm de viro. Secundum autèm vetus teſtamentum mulier de adulterio convicta lapidabatur, non autèm vir. 33. *quæſt* 5. *hæc imago*. Secundùm verò canones in foro Eccleſiaſtico agitur ad ſeparationem *extra de procu. tuę.* & ad dotis, vel donationis amiſſionem, *extra de donat. inter virum, & uxorem, & de dote poſt divor. reſtit. pleramque*. Secundum verò canones Clericus adulter deponitur, & laicus excommunicatur, *diſ.* 81. *ſi quis clericus art.* 6. *quæſt.* 1. *illi qui*.

Ad hoc nota, quod ea, quæ miniſtrat in campo non poteſt accuſari de adulterio *c. e. l. quæ adulterium*; Et hoc quià perſonas hujuſmodi vitæ, vilitas non credit legum obſervatione dignas, ut dicitur ibidem; quod ſecundùm canones non procedit, *ut dicit Gof.*

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De Lenocinio.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de lenocinio. Circa quod ſciendum, leno eſt qui adulterum, vel adulteram ſubjicit; vel pro comperto ſtupro pecuniam accipit; vel damnatam de adulterio accipit, ſive ducit; vel quæſtum ex adulterio uxoris facit; vel deprehenſam adulteram retinet. Secùs eſt ſi habeat eam ſuſpectam, & pretextù incredulitatis ignorantiam valeat obumbrare. Sed & pœna lenonis tenetur is, cujus opere, vel auxilio, vel conſilio, dolo malo factum eſt, ut depræhenſi in adulterio ſe pecunia redimerent, vel interveniente alia pactione *c. e. l. 2. & l. caſtitati*, eſt autem eadem pæna lenonis, quæ eſt adulteri *ff. de mino. auxilium*.

TITULUS XXXXVIII.

De Continentia, & Incontinentia.

POſteà conſiderandum eſt de partibus potentialibus temperantiæ, & Primò de continentia; Secundò de Clementia; Tertiò de modeſtia.

Circa primum videndum. Primò de ipſa continentia. Secundò de incontinentia ſibi oppoſita; ideò ſit

ARTICULUS I.

De Continentia.

CIrcà primum ſciendum, quod nomen continentiæ duplicitèr ſumitur à diverſis. Quidam enim continentiam nominant, per quam aliquis abſtinet ab omni delectatione venerea; Undè Apoſtolus ad *Gal. 5.* eam caſtitati conjungit, & ſic continentia perfecta, & principalis eſt virginitas, & ſecundaria viduitas: Vndè ſecundum hoc eadem ratio eſt de continentia, quæ de virginitate, quod ſit virtus; Vndè, & *Andronicus* ſic loquens de continentia dicit, quod eſt habitus invictus à delectatione. Alii dicunt continentiam eſſe per quam reſiſtit aliquis concupiſcentiis pravis, quæ in eo vehementèr exiſtunt; & ſic accipitur 7. *Ethi.* & in collationibus Patrum; & hoc modo continentia habet aliquid de ratione virtutis, inquantum ſcilicèt ratio firmata eſt per eam contra paſſiones, ne ſeducantur ab eis; Non tamen attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, ſecundùm quam etiam appetitus ſenſitivus ſubditur rationi ſicut in eo non inſurgant vehementès paſſiones rationi contrariæ; & ideò dicitur 3. *Ethi.* quod continentia non eſt virtus, ſed quædam mixta, ſcilicèt inquantum habet aliquid de virtute, & in aliquo deficit à virtute; & in 7. condividitur virtuti, ſcilicèt in quantum deficit à virtute. Largè tamèn accipiendo virtutem pro quolibet principio laudabilium operum, dici poteſt continentia virtus, eſt autèm continentia propriè circa concupiſcentias delectationum tactus; Eſt enim circa eadem, circa quæ eſt temperantia, ut dicitur 7. *Ethi.* In his enim eſt optimum, & difficillimum continere. Communitèr autèm, & ſecundùm quid poteſt dici in quacumque alia materia.

ARTICVLVS II.

De Incontinentia.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de incontinentia, de qua Quæritur, an ſit peccatum? Reſpondeo: Incontinentia poteſt attendi circa aliquid duplicitèr. Uno modo propriè, & ſimplicitèr, & ſic eſt circa concupiſcentias delectationum tactus, & ſic eſt peccatum duplici ratione, ſecundùm quod dicitur 7. *Ethi.* quod incontinentia vituperatur, non tantùm ſicut peccatum, quod ſcilicèt eſt per receſſum a ratione; ſed ſicut malitia quædam, ſcilicèt in quantum ſequitur concupiſcentias pravas. Alio modo incontinentia dicitur circa aliquid propriè, inquantum homo recedit ab eo, quod eſt ſecundùm rationem, ſed non ſimplicitèr; ut cum aliquis non ſervat modum rationis in concupiſcentia honorum, divitiarum, & aliorum hujuſmodi, quæ ſecundùm ſe videntur eſſe bona; circa quæ non eſt continentia ſimplicitèr, ſed ſecundùm quid, ſicut ſupra dictum eſt de continentia. Et ſic incontinentia eſt peccatum, non quidèm, ex eo, quod aliquis ingerat ſe concupiſcentiis pravis; ſed ex eo quod non ſervat modum debitum rationis in concupiſcendis, & rebus appetendis.

TITVLVS XXXXIX.

De Clementia, & Manſuetudine, & vitiis oppoſitis.

DEindè conſiderandum eſt de clementia, & manſuetudine, & Primò de ipſis; Secundò de crudelitate, quæ opponitur clementiæ; Tertiò de ira, quæ opponitur manſuetudini; ideò ſit

ARTICVLUS I.

De Clementia, & Manſuetudine.

CIrcà primum ſciendum, quod ex paſſione iræ provocatur aliquis, ut graviorem inferat pœnam. Ad clementiam autèm pertinet directè, quod ſit diminutiva pœnarum, quod impediri poteſt per exceſſum iræ; & ideò manſuetudo inquantum refrenat impetum iræ, concurrit in eumdem effectum cum clementia. Differunt tamèn in quantum clementia eſt moderativa exterioris

rioris punitionis. Manſuetudo autèm propriè diminuit paſſionem iræ; & indè ſequitur alia differentia, quam ponit *Seneca 2. lib. de clementia*, ſcilicèt, quod Clementia eſt lenitas ſuperioris ad inferiorem, ſcilicèt in conſtituendis pænis; Manſuetudo autèm eſt cujuſlibet ad quemlibèt.

Nota etiàm, quod miſericordia, & pietas cum his conveniunt, inquantum in eumdem effectum concurrunt, qui ſcilicèt eſt prohibere mala proximorum; ſed differunt quantum ad motivum, quià Pietas hoc facit ex reverentia, quam habet ad aliquem ſuperiorem, ſcilicèt Deum, vel parentem; Miſericordia vero hoc facit ex amicitia, quam habet cum proximis; Manſuetudo inquantum removet iram incitantem ad vindictam; Clementia verò hoc facit ex animi lenitate, inquantum judicat æquum eſſe, ut quis amplius non puniatur. Ponitur autèm manſuetudo, ſivè mititas etiàm intèr beatitudines *Matth.* 5. & inter fructus *ad Gal.* 5. Nàm beatitudines ſunt actus virtutum, fructus autèm ſunt delectationes de actibus virtutum; & ideò nihil prohibet manſuetudinem poni, & beatitudinem, & fructum, ſecundum quod nomen ejus diverſimodè ſumi poteſt.

ATICVLVS II.

De Crudelitate.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de crudelitate. Circà quam ſciendum, quod hoc nomen ſumptum eſſe videtur à cruditate; ſicut autèm ea, quæ ſunt decocta, & digeſta ſolent habere dulcem, & ſuavem ſaporem; ita cruda habent aſperum, & acrem. Dictum eſt autèm ſupra, quod clementia dicit quamdam animi lenitatem, ſivè dulcedinem, per quam quis eſt diminutivus pœnarum, & ſic crudelitas directè opponitur clementiæ. Nomen autè ſevitiæ, & feritatis à ſimilitudine ferarum ſumitur, quæ etiàm ſevæ dicuntur; ideò propriè loquendo feritas, vel ſevitia dicitur ſecundùm quam quis in cruciatu alicujus delectatur, & ſic ſub beſtialitate continetur; talis enim delectatio non eſt humana, ſed beſtialis. Crudelitas verò culpam in eo, qui punitur attendit, ſed in puniendo modum excedit; & ideò differt à ſevitia, ſicut malitia humana à beſtialitate, *ut dicitur* 7. *Ethi.* Vndè ſevitia non opponitur directè clementiæ, ſed excellentiori virtuti quam, Philoſophus vocat heroicam vel divinam; & ſecundùm nos dici poteſt, quod directè opponitur dono pietatis. Severus autèm dicitur, quaſi ſevus, & verus, *ut dicit Iſid. li. ethi.* quià ſine pietate juſtitiam tenet.

ARTICVLVS III.

De Ira.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de ira. & circa hoc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm ira ſit peccatum?

II. Utrùm omnis ira ſit mortalis?

III. Utrùm *Matth.* 5. Dominus ponat congruè tres modos vel gradus iræ?

IV. Utrùm ira ſit vitium capitale?

V. Utrùm ſit aliquod vitium oppoſitum iracundiæ proveniens ex defectu iræ?

Circà primum reſpondeo. Ira, ut dictum eſt ſuprà, eſt paſſio propriè quædam; paſſio autèm appetitus ſenſitivi intantum eſt bona, inquantum ratione regulatur, ſi autem ordinem rationis excludat, eſt mala. Ordo autèm rationis in ira poteſt attendi quantum ad duo. Primò quantum ad appetibile in quod tendit, quod eſt vindicta; Undè ſi quis appetit, quod ſecundùm ordinem rationis vindicta fiat, laudabilis eſt appetitus iræ, & dicitur ira per zelum; Si autèm appetat, quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, eſt ira per vitium.

Alio modo attenditur quantum ad modum iraſcendi, ut ſcilicèt motus iræ non immoderatè ferveſcat interiùs, vel exteriùs; quod ſi prætermittatur, non erit ira ſinè peccato, etiàm ſi quis appetat juſtam vindictam.

Circa ſecundum reſpondeo, quod non; Undè ſuper illud *Pſal. Iraſcimini, & nolite peccare, dicit Gloſ. Venialis eſt ira, quæ non producitur ad effectum.* Motus enim iræ poteſt eſſe peccatum dupliciter, ut dictum eſt. Uno modo ex parte appetibilis, ut cum quis appetit vindictam, & ſic ex genere ſuo eſt mortalis, quià contrariatur juſtitiæ, & charitati; poſſèt tamèn talis appetitus eſſe venialis propter imperfectionem actus, & hoc vel ex parte appetentis, ut cum actus iræ prævenit judicium rationis, vel ex parte appetibilis, ut cum quis appetit ſe in aliquo modico vindicare; Quod etiàm ſi inferatur, non erit mortale; ut ſi quis parum trahit aliquem puerum per capillos, & hujuſmodi. Alio modo quantum ad modum iraſcendi, & ſic ſecundum ſe non eſt ex genere ſuo mortalis; poſſet tamèn eſſe mortalis, putà ſi ex vehementia iræ excidat à dilectione Dei, vel proximi.

Circà tertium reſpondeo. Illi gradus iræ non pertinent ad diverſas ſpecies iræ, ſed accipiuntur ſecundum proceſſum actus humani, in quo Primò aliquid corde concipitur, & ſic dicit: *qui iraſcitur fratri ſuo, & loquitur de illo, qui vult gravitèr proximo nocere*; Talis enim ira eſt mortalis; Si verò motus levis eſſet, cui ratio non conſentiret, venialis eſſet. Secundò per aliqua ſigna manifeſtatur exterius etiàm antequam prorumpat in effectum, & ſecundùm hoc dicit: *Qui dixerit fratri ſuo, racha*, quod eſt interiectio iraſcentis. Tertiò peccatum interiùs conceptum produ-

Digitized by Google

perducens ad effectum; eſt autèm effectus iræ nocumentum alterius ſub ratione vindictæ; Minimum autèm nocumentorum eſt, quod fit ſolo verbo, & ſecundùm hoc dicit: *qui dixerit fratri ſuo fatue*; & ſic patet, quod ſecundum addit ſupra primum, & tertium ſuper utrumque; Vndè ſi primum eſt mortale peccatum in caſu, in quo loquitur Dominus, ut dictum eſt, multo magis alia; & ideò ſingulis eorum ponuntur correſpondentia aliqua pertinentia ad condemnationem; ſed in primo ponitur judicium, quod eſt minus, quià ut dicit *Auguſt.* in judicio adhuc datur defenſionis locus; In ſecundo ponitur conſilium, in quo judices inter ſe conferunt, qua pœna ſit puniendus; In tertio ponitur gehenna ignis, qui eſt condemnatio certa.

Nota, quod hoc dicitur per quamdam ſimilitudinem; cum enim quis convincitur de delicto, Judex eum judicat eſſe puniendum; & hoc eſt illi magna pœna, ſcilicèt, quod ſcit ſe ad pœnam judicandum; Sed ulteriùs eſt ſibi gravior pœna, quando ſcit ſibi determinatam eſſe pœnam; ſed adhuc eſt ei gravior pœna, quandò fertur pœnæ ſententia. Primum vocatur judicium; Secundum conſilium; Tertium gehenna, quià tunc eſt pœna graviſſima; & ſicut gradatim ſecundum hęc tria creſcit pęna, ità iræ ſecundum illas tres differentias major, & minor debetur pęna, & hæc omnia habentur *ex Gloſ. ſuper Matth. 5.*

Circà quartum reſpondeo, quod ſic; ut vult *Greg.* 30. *Moral.* Sciendum tamèn, quod de ira poſſumus loqui duplicitèr. Vno modo per accidens, ſcilicèt inquantum impedit judicium rationis, per quod homo retrahitur à malis, & ſic poteſt eſſe principium peccatorum; Vndè ſuper illud *Proverb. 15. Vir iracundus provocat rixas*, *dicit Gloſ. Janua omnium vitiorum eſt iracundia*. Alio modo directè, & per ſe; & ſic eſt cauſa aliquorum ſpecialium peccatorum, quę ſunt filiæ ejus; & hæ ſunt ſex ſecundum *Greg.* 30. *Moral.* ſcilicèt rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blaſphemia. Sumitur autèm hic tumor mentis non pro ſuperbia, ſed pro quodam conatu, ſeu audacia hominis intentantis vindictam. Blaſphemia verò, in quam aliquis ex animi commotione prorumpit, ex ira procedit; Blaſphemia verò inquam quis deliberatè prorumpit, ex ſuperbia hominis ſe contra Deum erigentis procedit. Odium verò etſi naſcatur ex ira, habet tamèn aliquam potiorem cauſam, ex qua directè procedit, vel oritur, ſcilicèt triſtitiam. Sicut è contrario amor naſcitur ex delectatione; ex triſtitia autèm illata, quandoquè in iram, quandoquè in odium aliquis movetur. Vndè convenientiùs fuit odium ponere oriri ex accidia, licèt *Auguſt. dicat in regula*, quod oritur ex ira.

Circà quintum reſpondeo; Ira poteſt duplicitèr intelligi. Vno modo ſimplex motus voluntatis, quo aliquis ex judicio rationis pœnam infligit, & ſic defectus iræ eſt peccatum, & ſic ſumit *Criſoſto.* iram, *ſuper Matth. dicens*: *Qui cum cauſa non iraſcitur, peccat*. Patientia autèm irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non malos tantùm, ſed etiam bonos ad malum invitat. Alio modo ſumitur ira pro motu appetitus ſenſitivi, qui eſt cum paſſione, & tranſmutatione corporali; & hic motus neceſſariò conſequitur in homine ad ſimplicem motum voluntatis, quià appetitus inferior naturalitèr ſequitur motum appetitus ſuperioris, niſi aliquid repugnet; & ideò non poteſt totalitèr deficere motus iræ in appetitu ſenſitivo, niſi per ſubtractionem, vel debilitatem motus voluntatis; & ideò ex conſequenti etiam defectus paſſionis iræ eſt vitioſus, ſicut & defectus voluntarii motus ad puniendum ſecundum judicium rationis.

TITVLVS L.

De Modeſtia, & ejus ſpeciebus in communi.

POſteà conſiderandum eſt de modeſtia. & Primò in communi. Secundò de ſpecibus ejus; ideò ſit hic

Articulus Unicus.

De Modeſtia.

CIrcà primum ſciendum, quod diverſimodè aliqui videntur loqui de modeſtia. Vbicumque enim conſideraverunt aliquam ſpecialem delectationem boni, vel difficilis in moderando, ſubtraxerunt illud modeſtiæ relinquentes eam circà minora. Manifeſtum eſt autem omnibus, quod refrenatio delectationum tactus, quamdam ſpecialem difficultatem habet; Undè omnes temperantiam diſtinxerunt à modeſtia. Tullius verò, quià conſideravit, quoddam ſpeciale eſſe bonum in moderatione pęnarum, ideò etiam clementiam ſubtraxit modeſtiæ ponens modeſtiam circa omnia alia, quæ relinquentur moderanda. Hæc autèm videntur eſſe quatuor, quorum Unum eſt motus animi ad excellentiam aliquam, quam moderatur humilitas. Secundum eſt deſiderium pertinentium ad cognitionem, & in hoc moderatur ſtudioſitas. Tertium pertinet ad corporales motus, & actiones, ut ſcilicèt decentèr, & honeſtè fiant. Quartum eſt, quod pertinet ad apparatum exteriorem. Dicitur autèm modeſtia à modo; Modus enim, qui communitèr ſervatur in omni virtute, ſpecialitèr virtuti, quæ ponit modum in minimis appropriatur, ſicut nomen commune Angelorum appropriatur infimo ordini Angelorum.

TITVLVS LI.

De Humilitate, & Superbia.

DEindè conſiderandum eſt de ſpeciebus modeſtiæ, quæ ſunt quatuor, ut patet ex prædictis, & primò de humilitate. Circà quam Primò dicendum eſt de ipſa. Secundò de ſuperbia ſibi oppoſita; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Humilitate.

CIrcà primum ſciendum, quod humilitas ſecundùm quod eſt virtus, dicit in ſui ratione quamdam laudabilem dejectionem ad ima. Hoc autèm fit quandoquè tantùm ſecundùm ſigna exteriora; & hæc eſt falſa humilitas, de qua dicit *Auguſ. in quadam Epiſtola*, quod eſt magis ſuperbia. Quandoquè autèm fit ſecundùm interiorem motum animæ, & hæc humilitas propriè ponitur virtus, quià virtus principalitèr conſiſtit in electione mentis, ut patet 1. *Ethi.* Reſpicit autèm humilitas præcipuè ſubjectionem hominis ad Deum, ſecundùm quam etiam aliis humiliando ſe ſubiicit; Unde quilibet homo ſecundùm illud, quod eſt ſuum, in eo ſe ſubiicere debet cuilibet proximo quantum ad id, quod eſt Dei in ipſo; Hominis enim eſt defectus; Dei autem eſt quidquid boni eſt in homine *Oſe.* 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Poteſt tamèn aliquis reputare aliquid boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet, vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt, ex quo poteſt ei ſe ſubiicere per humilitatem. Ponit autèm *Anſel.* ſeptem gradus; Quorum primus eſt ſe contemptibilem eſſe cognoſcere; Secundus de hoc dolere; Tertius hoc confiteri; Quartus hoc perſuadere, ſcilicèt ut velit hoc credi; Quintus ut patientèr ſubſtineat hoc dici; Sextus ut patiatur ſe contemptibilitèr tractari; Septimus, ut hoc amet. *Gloſ. verò Matth.* 3. *dicit*, quod perfecta humilitas habet tres gradus; Primus eſt ſubiicire ſe majori, & non præferre ſe æquali, qui eſt ſufficiens; Secundus eſt ſubdere ſe æquali, & non præferre ſe minori, hic eſt abbundans; Tertius eſt ſubeſſe minori, qui eſt perfectus. Sed iſti gradus non accipiuntur ſecundùm naturam humilitatis, ſed per comparationem ad hominum gradus.

ARTICVLVS II.

De Superbia.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de ſuperbia; & circa hanc quæruntur plura; ſcilicèt;

I. Utrùm ſuperbia ſit peccatum?
II. Utrùm ſuperbia ſit ſpeciale peccatum?
III. Utrùm ſuperbia ſit peccatum mortale?
IV. Utrùm ſuperbia ſit vitium capitale?

Circà primum reſpondeo, quod ſic; ſicut enim dicit *Iſidorus lib. Ethi.* ſuperbus dicitur, qui ſuper vult videri, quàm eſt; hoc autèm eſt contra rectam rationem, & per conſequens eſt peccatum, quià ſecundùm *Diony. cap.* 4. *de div. nom.* malum animæ eſt præter rationem eſſe; Undè patet, quod ſuperbia eſt peccatum.

Circà ſecundùm reſpondeo; Superbia poteſt ſumi duplicitèr. Uno modo ſecundùm propriam ſpeciem, quam habet ex ratione proprii objecti, & ſic eſt ſpeciale peccatum, quià habet ſpeciale objectum, eſt enim inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, ut dictum eſt. Alio modo ſecundum quamdam redundantiam in alia peccata; & ſecundùm hoc habet quamdam generalitatem, ſcilicèt inquantum ex ea oriri poſſunt omnia peccata; & hoc duplicitèr. Vno modo per ſe, inquantum ſcilicèt alia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, quæ eſt propria excellentia, ad quam ordinari poteſt omne, quod quis appetit inordinatè. Alio modo indirectè, & quaſi per accidens, ſcilicèt removendo prohibens, inquantum ſcilicèt homo per ſuperbiam contemnit legem divinam, per quam prohibetur à peccando, ſecundùm illud *Hiere.* 2. *confregiſti jugum meum* Intelligendum tamèn quod peccata non ſemper oriuntur ex ſuperbia, quià non ſemper fit peccatum ex contemptu, ſed quandoquè ex infirmitate, & quandoquè ex ignorantia; & ideò dicit *Auguſ. lib. de natura, & gratia*, quod multa peccata ſunt, quæ non fiunt ex ſuperbia.

Circa tertiùm reſpondeo; Per ſuperbiam homo ſe extollit ſuprà illud, quod eſt ſibi præfixum à Deo, & ita aliqualitèr non ſubditur Deo, & regulæ ejus; Hoc autèm eſt auerti à Deo, & ideò ſuperbia ſecundùm genus ſuum eſt peccatum mortale. Aliqui tamèn motus ſuperbiæ ſunt veniales propter eorum imperfectionem, dum ſcilicèt eis ratio non conſentit.

Circà quartum reſpondeo; Superbia duplicitèr poteſt ſumi, ut dictum eſt ſupra; Uno modo ut eſt quoddam ſpeciale peccatum; Alio modo ut habet quamdam generalitatem. Uitia autèm capitalia ponuntur eſſe quædam peccata ſpecialia, ex quibus oriuntur multa peccatorum genera; & ideò quidam conſiderantes ſuperbiam primo modo ponunt eam eſſe vitium capitale, *ut Iſid. & Caſſi. Greg.* verò conſiderans eam ſecundò modo ponit ipſam reginam, & matrem omnium vitiorum 30. *moral.*

Ad hoc nota, quod *Greg.* 23. *moral.* ponit quatuor ſpecies ſuperbiæ. Prima eſt cum quis bonum, quod habet à ſe habere æſtimat; Secunda cum datur ſibi deſuper, pro ſuis meritis dari putat; Tertia cum ſe jactat habere, quod non habet; Quarta cum

Digitized by Google

cum deſpectis cæteris ſingularitèr appetit videri habere, quod non habet.

TITULUS LII.

De Studioſitate, & curioſitate.

POſteà conſiderandum eſt de ſtudioſitate. & Primò de ipſa. Secundò de curioſitate oppoſita, ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Studioſitate.

CIrcà primum ſciendum, quod ſtudium eſt vehemens applicatio mentis ad aliquid; Mens autem non applicatur ad aliquid, niſi cognoſcendo illud; & ideò ſtudium per prius reſpicit cognitionem, & per poſteriùs quæcumque alia, ad quæ operanda directione cognitionis indigemus; & ideò ſtudioſitas, quæ dicitur à ſtudio propriè dicitur circà cognitionem ſcilicèt acquirendam; Vndè propriè pertinet ad eam moderari appetitum, prout tendit ad cognitionem acquirendam.

ARTICVLVS II.

De Curioſitate.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de curioſitate. Hæc autèm eſt appetitus immoderatus cognitionis acquirendæ; quæ quidem duplicitèr poteſt eſſe vitium. Vno modo pro ut conjungitur ei per accidens malum, ut quando quis ſtudet addiſcere ad ſuperbiendum, vel alitèr peccandum; alio modo ex ipſa inordinatione appetitus, & ſtudii addiſcendi veritatem, & hoc quadruplicitèr. Uno modo inquantum per ſtudium minus utile retrahitur aliquis à ſtudio, quod ſibi neceſſariò incumbit. Secundo inquantum aliquis ſtudet addiſcere ab eo, à quo non licet, ut a Diabolo. Tertio inquantum non refert quis ad debitum finem, ſcilicèt Dei cognitionem. Quarto in quantum quis ſtudet cognoſcere veritatem ſupra ingenii proprii facultatem, quià per hoc quandoquè quis facilè labitur in errorem. Et hæc dicta ſunt quantum ad cognitionem intellectivam. Quantum verò ad ſenſitivam duplicitèr poteſt eſſe vitium. Uno modo inquantum cognitio ſenſitiva non ordinatur in aliquid utile; ſed magis avertit hominem ab aliqua utili conſideratione. Alio modo inquantum cognitio ſenſitiva ordinatur ad aliquod noxium, ut inſpectio mulieris ordinatur ad concupiſcendum, & diligens inquiſitio eorum, quæ ab aliis fiunt ordinatur ad detrahendum. Si quis autem cognitionem ſenſitivam intendit ordinare propter neceſſitatem naturæ ſubſtentandæ, vel propter ſtudium veritatis immediatè, ſua ſtudioſitas eſt virtuoſa.

TITVLVS LIII.

De modeſtia in exterioribus motibus corporis.

DEindè conſiderandum eſt de modeſtia, pro ut conſiſtit in exterioribus motibus corporis, quæ ſerie aguntur. Et hoc Primò de ludo; Secundò de ſcurrilitate, ſivè de ſtultiloquio, quæ ſolent in talibus admiſceri; Ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Ludo.

CIrcà primum quæruntur plura, ſcilicèt

I. Vtrùm in talibus poſſit eſſe virtus, & vitium?

II. Vtrùm in ludis poſſit eſſe aliqua virtus?

III. Vtrùm in ſuperfluitate ludi poſſit eſſe peccatum?

IV. Vtrùm in defectu ludi conſiſtat aliquod peccatum?

Circà primum reſpondeo; Virtus moralis conſiſtit in hoc, quod ea, quæ ſunt hominis, per rationem ordinantur. Manifeſtum eſt autem quod exteriores motus hominis ſunt per rationem ordinabiles; quià ad imperium rationis exteriora membra moventur: & ideò circa motus eorum poteſt eſſe virtus moralis, ſcilicèt ſi ſint per rationem ordinati, puta modeſtia; & vitium ſi ſint deordinati.

Circà ſecundum reſpondeo, quod ſic. Homo enim indiget quiete aliquandò ad animi fatigati recreationem. Quies autem animæ eſt delectatio; Vndè dicit *Philoſ.* 8. *Ethi.* quod delectatio ſi ſit fortis, expellit triſtitiam; & ideò contra animæ fatigationem opportet adhibere remedium aliquam delectationem convenientem, intermiſſa intentione inſiſtendi operibus, ſivè ſtudio rationis. Cujus exemplum habetur in Joanne Evangeliſta in ejus legenda. Dicta autem, vel facta in talibus uti ad quamdam quietem animi; & hoc eſt, quod dicitur 4. *Ethi.* quod in hujus vitæ converſatione, quędam requies habetur cum ludo. Circa hoc tamen ſunt præcipuè tria cavenda. Quorum primum, & principale eſt, quod prædicta delectatio in aliquibus operationibus, verbis turpibus, vel noxiis non quæratur; de tali enim joco dicit Tulius *lib. de offi.* quod eſt flagitioſus, & obſcenus. Secundum eſt, ne totalitèr animæ gravitas reſolvatur, ut dicit *Ambroſ. lib. de offi.* Tertium eſt, quod congruant perſonæ, tempori, & loco, & ſecundùm alias debitas circumſtantias ordinentur, ut Tullius dicit ibidem: *Hujuſmodi autèm ſecundum rationis regulam ordinentur.* Habitus autèm ſecundum rationem ordinans, ſive operans eſt virtus moralis, & ideò circa ludos poteſt aliqua virtus eſſe, quam *Philoſ* eutrapeliam vocat à bona converſione, quià ſcilicèt benè con-

nè convertit in ſolatium aliqua dicta, vel facta; & inquantùm homo per iſtam virtutem refrenatur ab immoderantia ludorum, ſub modeſtia continetur.

Circà tertium reſpondeo, quod ſic; ſuperfluum enim in ludo dicitur quod regulam rationis excedit; & hoc poteſt eſſe duplicitèr. Uno modo ex ipſa ſpecie actionum, quæ aſſumuntur in ludo, ut ſunt turbia verba, vel facta, vel etiam proximo noxia; & ſic eſt ibi peccatum mortale. Alio modo ſecundum defectum debitarum circumſtantiarum, & ſic poteſt ibi eſſe peccatum, quandoquè mortale, ut cum quis delectationem ludi præponit dilectioni Dei; Quandoquè veniale, ut cum quis non tàm afficitur ad ludum, quod propter hoc committere vellet aliquid contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ.

Ad hoc nota, quod riſus aliquis provenit ex ſerenitate conſcientiæ, & prægustatione ſuavitatis divinæ, & ille pertinet ad fructum ſpiritus, qui eſt gaudium; Aliquis ex aſſecutione gloriæ, *Proverb. ulti. Ridebit in die noviſſimo*; Aliquis ex manſuetudine naturæ, & ſic atteſtatur bonitatem naturæ; Aliquis ex inordinatione ineptæ lætitiæ, de quo *Eccle. 7. Melior eſt ira riſu*, & ſic ridere non eſt ſine peccato. Similitèr ludus, vel ſaltatio, quandoquè provenit ex ſpirituali jucunditate; & ſic eſt meritorius, ſicut David luſit & ſaltavit coram Archa Domini; Quandoquè autèm provenit ex recreatione; Quandoquè pro exercitatione, & ſic poteſt eſſe ſine peccato; Quandoquè ex diſſolutione mentis laſcivæ, & ſic eſt peccatum. *Hæc Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de ludo art. 1. c.*

Quid de inſpectoribus ludorum, vel joculationum?

Reſpondeo; Inſpectio quædam eſt in tranſitu non tendens ulterius ad delectationem peccati mortalis, ut fornicationis, & hæc eſt venialis. Quædam eſt ſtudioſa, in qua ſcilicèt eſt fomentum peccati mortalis, & hæc quandoquè eſt mortalis. Item joculatio quædam eſt hiſtrionica; Quædam corealis mulierum laſcivarum; Quædam cauſa exercitii, vel faſtidii tollendi, ſive accidiæ vitandæ ſit. Inſpectio ergò ſtudioſa joculationis primæ, & ſecundæ vergere poteſt in peccatum mortale; tertiæ verò, & quartæ poteſt eſſe venialis; *Hæc Alex. Ang. ubi ſupra art. 3. c.*

Quid de coreatricibus? numquid peccant mortalitèr ducendo coreas?

Reſpondeo: *Rod.* credit quod ſic, ſi faciant hoc, ut ſe, vel alios incitent ad libidinem, vel ſi faciant hoc de conſuetudine, licèt non corrupta intentione, quià talia de ſe habent ad libidinem incitare. Si autèm aliqua rarò ſinè intentione corrupta coreis ſe immiſceat, dubitat an mortalitèr peccet, cum exponat ſe periculo alios ad libidinem provocandi, & exempla præbeat aliis ſimilia faciendi.

Quid de Hiſtrionibus?

Reſpondeo, ut ſupra dictum eſt; ludus eſt neceſſarius ad conſervationem vitæ humanæ; Ad omnia autèm quæ ſunt utilia humanæ converſationi poſſunt aliqua officia licita deputari; & ideò officium hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominum, non eſt ſecundùm ſe illicitum, dummodò ludo utantur moderatè, ſcilicèt non utendo aliquibus verbis, vel factis illicitis, & non exibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis. Undè illi, qui moderatè eis ſubveniunt, non peccant, ſed juſtè faciunt, dùm eis mercedem ſui miniſterii tribuunt. Si qui autèm in tales ſuperflua ſua conſumunt; vel ſubſtineant illos hiſtriones, qui ludis illicitis utuntur, peccant, quaſi eos in peccato fovendo: *Undè Auguſ. ſuper Joan.* dicit, quod donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane, niſi fortè ali quis hiſtrio eſſet in extrema neceſſitate, in qua ei ſubveniendum eſſet. *Hæc Tho. 22. quæſt. 168. art. 3. cap. 3.*

Utrùm autèm corpus Chriſti ſit dandum hiſtrionibus; *require in libro 4. tit. 17. art. 4.*

Circà quartum reſpondeo, quod ſic; *Undè Philoſ. 3. Ethi.* ponit defectum in ludo eſſe vitioſum; eſt enim contra rationem, quod aliquis exhibeat ſe aliis oneroſum, dùm ſcilicèt nihil exhibet de ſe delectabile, & etiam delectationes impedit aliorum; & dicuntur tales duri, & agreſtes ut dicitur 4. *Ethi. Undè Seneca dicit: Sic te geras ſapientèr, ut nullus habeat te quaſi aſperum, nec condemnet quaſi vilem.*

ARTICVLVS II.

De Scurrilitate, ſive turpiloquio.

Sequitur videre de ſecundo, ſcilicèt de ſcurrilitate, ſivè turpiloquio; & circa hoc quæruntur plura ſcilicèt

I. Utrùm ſit idem ſcurrilitas, quod ſtultiloquium?

II. Utrùm ſcurrilitas ſemper ſit peccatum?

Circà primum reſpondet *Alex. Ang. 2. tit. 2. de ſcurrilitate quæſt. 1. art. 5. c.* quod hæc proprie loquendo differunt, quià ſtultiloquium refertur ad diſcretionem rationis, ſcurrilitas ad laſciviam affectionis; Poſſunt tamen in invicem incidere, & unum alterum continere.

Circà ſecundùm reſpondet idem ubi ſupra *art. 1. c.* quod ſcurrilitas propriè dicta eſt peccacatum. Sumitur tamèn aliquandò pro urbanitate ſermonis, & hoc impropriè, & tunc ſi adſit debitus finis, ut conſervatio bonę amicitiæ, vel remotio ſæcularis triſtitiæ, vel accidiæ, non eſt peccatum, dummodò non fiat per turpia verba. Si autèm fiat per turpia verba, vel inutilia, & tantùm riſum inordinatum provocantia, peccatum erit, & ſic dicitur *ad Ephe. 5. Non nominentur in vobis, ſicut decet ſanctos Dei turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ideſt nullius eſt utilitatis.* Ulte-

Vlterius nota, quod talis ſermo procedere poteſt ex lubricitate linguæ, & impetu iraſcibilis, & concupiſcibilis, & ſurreptione rationis, vel ex deliberatione rationis, & mala aſſuetudine linguæ, & perverſa affectione iraſcibilis, & concupiſcibilis; & ſecundùm hoc refertur ad libidinem mortalem, vel venialem tanquam ad radicem; & ſecundùm hoc erit mortalis, vel venialis.

Quid de auditoribus talium? Reſpondet idem *ubi ſupra art. 35. c.* Quod illi, qui ſuſtentant turpiloquos, ut talia dicantur, magis peccant, quàm turpiloqui; Auctores enim ſceleris ſunt magis in culpa, quàm miniſtri; ex majori enim libidine peccant. Qui verò caſualitèr audiunt, tàmen habent complacentiam, minùs peccant. *Cryſo. vis oſtendere manifeſtè, quod in talibus non letaris? non audire patiaris.*

TITULUS LIV.

De modeſtia in apparatu exteriori.

POſteà conſiderandum eſt de modeſtia ſecundùm quod conſiſtit in exteriori apparatu; & circa hoc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Vtrùm poſſet eſſe ibi virtus, & vitium?

II. Vtrùm ornatus mulierum poſſit eſſe ſine peccato mortali?

III. Vtrùm feminis liceat uti veſte virili, vel viris veſte muliebri?

Circà primum reſpondeo, quod in ipſis rebus exterioribus, quibus utitur homo, non eſt aliquod vitium, ſed in homine, qui immoderatè utitur eis; & hoc poteſt eſſe dupliciter. Vno modo per comparationem ad conſuetudines hominum, cum quibus vivit aliquis: *Dicit enim Auguſ. lib. 3. confeſſionum,* quod turpis eſt pars omnis ſuo non congruens univerſo. Alio modo ex inordinato mentis affectù; & hoc poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ſecundùm exceſſum, ut quando aliquis in ſuperfluo cultu veſtium hominum gloriam, vel etiam carnis delicias quærit, vel etiam nimiam ſollicitudinem apponit; *Vndè Cryſ. non eſt ſimul corpus, & animam ornare;* quod eſt verum *ſecundùm Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de ornatu art. 1. c.* quandò eſt tanta libido in ornatu corporis, quod de ornatù animæ non curatur; licet tamèn *ſecundùm eumdem ibidem c. & ſecundum Tho. 22. quæſt. 169. art. 1. c.* uti veſtibus prætioſis ſecundùm perſonæ nobilitatem, ſecundùm Terræ conſuetudinem, & ſecundùm officii, vel miniſteri dignitatem; dummodo abſit libido in voluntate, & ſcandalum in exteriori opere. Alio modo poteſt eſſe inordinatus affectus in exteriori cultu ſecundùm defectum, ut quando homo ipſum plus debito ex pigritia negligit, vel etiam in defectu tali gloriam hominum quærit; Vndè *Auguſ. lib. de ſer. Dom. in monte dicit,* quod in veſtibus ſordidis jactantia poteſt eſſe. Si quis tamèn veſtibus vilioribus utatur, quàm alii propter carnis macerationem, & ſpiritus humiliationem, hoc pertinet ad temperantiæ virtutem; Hoc autem præcipuè convenit his, qui alios verbo, & exemplo ad pœnitentiam vocant, ut Prophetis, de quibus dicitur *Hebre. 11. circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.*

Circà ſecundùm reſpondeo. Cultus muliebris viros ad laſciviam provocat, ſecundùm illud *Prover. 7. Mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad capiendas animas.* Poteſt tamèn mulier conjugata licitè operam dare, ſcilicèt ornando ſe, ut placeat viro ſuo, ne per ejus contemptum in adulterium labatur; *Vndè 1. Corinth. 7. Mulier nupta cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Mulier autèm, quæ nec virum habet, nec vult habere, & eſt in ſtatu non habendi, ſi ſe ornet, ut alios ad concupiſcendum provocet, peccat mortalitèr. Si autem ex quadam levitate, vel etiam vanitate propter quamdam jactantiam, non eſt ſemper peccatum mortale, ſed veniale. Si autem mulier ſit virgo nobilis, aliquatenus plus habere debet de ornatu, qui tamen non provocet ad libidinem, ſed habeàt in ſe decentiam muliebrem; Vndè *Auguſ. ad Poſſidonium: Nolo, ut de ornamentis propriam habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eas, quæ neque conjungatæ ſunt, neque conjungii capaces, quæ cogitare debent quomodo placeant Deo. Quod autem dicit Ciprianus lib. de habitu Virginum: Manus Domini infirmant, qui illud quod ipſe formavit, reformare contendunt, ſcilicèt adhibendo aliquid, quo pulchriores videantur,* loquitur in caſu, quo fit hoc propter laſciviam, vel in Dei contemptum; tunc enim eſt peccatum mortale. Et eodem modo debent intelligi ſimiles authoritates. Nota tamèn, quod aliud eſt fingere non habitam pulchritudinem; Aliud eſt tegere turpitudinem ex aliqua cauſa provenientem, hoc enim licet; *Hæc Tho. 22 quæſt. 169. art. 2. c. & Alex. Ang. 2. tit. 2. c. de ornatu art. 3.*

Circà tertium reſpondeo: Hoc eſt de ſe vitioſum, quià ut dictum eſt ſuprà, cultus exterior competere debet conditioni perſonæ ſecundùm communem conſuetudinem, & præcipuè quià hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ; & ſpecialitèr prohibetur *Deut. 22.* quià gentiles utebantur tali habitus mutatione ad ſuperſtitionem Idolatriæ. Poteſt tamèn hoc quandoquè licitè fieri propter aliquam neceſſitatem. Quod autèm dicit *Rabanus,* quod contra naturam eſt virum muliebria facere, expone ſecundùm *Alex. ubi ſupra art. 2. cap. 3. contra naturam,* ideſt contra naturæ decentiam.

Quid de artificibus hujuſmodi ornamentorum? Reſpondeo: Mulieres, ut viſum eſt ſupra, licitè ſe poſſunt ornare, vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus; vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris ſuis; & ideò artifices talium non peccant in uſu talis artis, niſi fortè inveniendo aliqua ſuperflua, & curioſa, ut dicit *Cryſo. ſuper Matth.* quod tunc ab arte calceorum,

rum,

rum, & textorum oportet abſcindere multa; demùm ad luxuriam deduxerunt neceſſitatem ejus corrumpentes artem malę arti commiſcentes; *Hæc Thom.*

TITULUS LV.

De Fide, & Articulis ejus

COnſequenter conſiderandum eſt de virtutibus Theologicis, & vitiis ejus oppoſitis. Circa quod ſciendum, quod virtutes Theologicæ ſunt tres ſecundùm illud *Corinth. 13. nunc autèm manent Fides, Spes, Charitas; tria hæc*; cujus ratio eſt, quià Deus eſt obiectum cujuſlibet virtutis theologicæ. Deus autem non poteſt eſſe obiectum virtutis, niſi ſub ratione ſummi veri, vel ſummi ardui, vel ſummi boni. Primo modo eſt objectum Fidei; Secundo Spei; Tertio Charitatis. Per Fidem enim unitur rationalis cum Deo; per Spem iraſcibilis; per Charitatem concupiſcibilis, per quas tres potentias ſumus unibiles cum Deo. Dicuntur autèm hætres virtutes Theologicæ, tum quià Deum habent pro objecto inquantùm per eas rectè ordinamus in Deum, tum quià ſola Dei revelatione in ſacra Scriptura traduntur. Harum autèm virtutum trium, prima eſt Fides, ut patet in præmiſſa authoritate; & ideò primò dicendum eſt de ea, & de vitiis ſibi oppoſitis. De fide autèm primò dicendum eſt, quid ſit. Secundò de ejus objecto, quod eſt credibile. Tertiò de ejus actù. Quartò de ejus ſubjecto; ideò ſit

ARTICVLVS I.

Quid ſit Fides.

CIrcà primum ſciendum, quod fides *ſecundùm Apoſtolum ad Hebre. 2. eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium*. Dicitur autèm Fides ſubſtantia rerum ſperandarum, *metaphoricè*, quià ſicut ſubſtantia eſt ſubjectum omnium accidentium, & cauſa exiſtentiæ eorum, ſic fides eſt totiùs ſpiritualis ędificii fundamentum, & diſpoſitio, qua res ſperandę jam aliquo modo exiſtunt in nobis, & exiſtent in futuro realitèr; & quià hoc eſſe non poſſet, niſi per habitum bonum, ideò in hoc implicitè continetur, quod Fides eſt habitus bonus; Quià etiàm argumentum eſt manifeſtativum, intellectus autèm eſt manifeſtationis ſubjectum, ideò cum dicitur, Fides eſt argumentum, implicatur, quod Fides eſt manifeſtativa, & quod intellectus eſt ejus ſubjectum. Res autèm non apparentes, ſcilicèt per aliquid exiſtens infrà facultatem rationis naturalis ſunt fidei objectum, res autèm ſperandæ ſunt ejus finis.

Cum ergò dicitur Fides *eſt ſubſtantia &c.* ſenſus eſt: Fides eſt habitus bonus, totius ædificii ſpiritualis fundamentum exiſtens ad res ſperandas ordinatus, manifeſtativus veritatis tràſcendentis facultatem noſtræ cognitionis naturalis. Eſt ergò Fides habitus virtuoſus, & quidèm ſi ſit formata, eſt ſimplicitèr virtus, quià omnia conveniunt ſibi, quæ requiruntur ad plenum eſſe virtutis, quià & habentem, & actum credendi perficit, & per eam ipſe actus refertur debito modo in finem ultimum. Fides autèm informis, hoc non facit, & ideò non eſt propriè virtus. Poteſt tamèn largè dici virtus, prout virtus dicitur quicumque habitus determinans potentiam ad aliquem actum reſpectu objecti debiti ſecundũ *Ric.*

Omnes aliæ diffinitiones à prædicta, ſunt explicationes diffinitionis prædictæ. Quod enim dicit *Auguſt.* quod Fides eſt virtus, qua creduntur, quæ non videntur; eſt idem cum eo, quod ibi dicitur: argumentum non apparentium; & idem eſſet facile videre de diffinitionibus aliis. Diſtinguitur autèm Fides per hoc, quod dicitur argumentum ab opinione, ſuſpicione, & dubitatione, per quæ intellectus non adhæret firmitèr ad aliquid. Per hoc verò, quod dicitur non apparentium, diſtinguitur à ſcientia, & intellectu, per quæ ſit aliquid apparens. Per hoc autèm quod dicitur ſubſtantia ſperandarum rerum, diſtinguitur virtus fidei à fide cõmuniter ſumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem ſperatam; & ſic fides per ea, quę ponuntur in deffinitione Apoſtoli diſtinguitur ab omnibus aliis, quæ pertinent ad intellectum.

Nota inſuper, quod argumentum propriè dicitur medium, in cujus virtute continetur totus proceſſus argumentationis; Undè dicit *Boe. 2. Topic.* quod argumentatio eſt argumenti per per orationem explicatio; & indè tranſlatum eſt nomen argumenti ad omnem brevem prælibationem narrandorum; & ſic breves Prologi in Epiſtolas Pauli dicuntur argumenta; & indè ulterius tranſlatum eſt ad omne lumen intellectus manifeſtativum veritatis prius incognitæ; & hoc tertio modo fides dicitur argumentum *ſecundùm Ric.* vel poteſt dici, quod argumentum ibi ſumitur pro effectu argumenti *ſecundùm Tom.* Per argumentum enim inducitur intellectus hominis ad inhærendum alicui vero; Undè ipſa firma adhæſio intellectus ad fidei veritatem non apparentem dicitur hic argumentum; Vndè alia litera habet convictio, quià ſcilicèt per divinam authoritatem intellectus credentis convincitur ad aſſentiendum his, quæ non videt.

ARTICULUS II.

De Objecto Fidei.

SEquitur videre de ſecundo ſcilicèt de objecto fidei. Circa quod ſciendum, quod duplex eſt objectum fidei, ſicut & cujuſlibet alterius habitus cognitivi, ſcilicèt formale, & materiale. Objectum

Digitized by Google

jectum fidei formale eſt prima veritas; Non enim fides, de qua loquimur hìc aſſentit alicui vero, niſi inquantum eſt revelatum à Deo; Vndè innititur veritati primæ, ſivè divinæ, tanquàm medio: *Vndè dicit Diony. 7. c. de Divin. nom.* quod fides eſt circa ſimplicem, & ſemper exiſtentem veritatem; Hæc autèm eſt veritas prima. Objectum autèm materiale fidei eſt non tantum ipſe Deus, ſed etiàm multa alia, quæ tamèn ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout ſcilicèt per aliquos Deitatis effectus homo juvatur ad tendendum in Deum; & ideò etiam ex hac parte objectum fidei eſt quodamodo veritas prima; Sicut etiam objectum medicinæ eſt ſanitas, quià nihil conſiderat, niſi in ordine ad ſanitatem. Hæc autèm, quæ ſunt fidei objectum materiale per certos articulos diſtinguuntur; Articon autem *gracè*, quod dicitur articulus *latinè*, ſignificat quamdam coaptationem aliquarum partium diſtinctarum; Vndè credibilia fidei dicuntur per articulos diſtingui, inquantum in partes quaſdam dividuntur habentes aliquam ad invicem coaptationem. Eſt autèm objectum fidei aliquid non apparens, ſivè non viſum, ut dictum eſt ſuprà; & ideò ubi occurrit aliquid ratione ſpeciali non viſum, ibi eſt ſpecialis Articulus; Vbi verò ſunt multa ſecundùm eamdem rationem cognita, ibi non ſunt articuli diſtinguendi. Sicut aliam difficultatem requirit ad videndum hoc, quod Deus ſit paſſus, & aliam quod mortuus reſurrexit, & ideò ſunt diverſi articuli; quod autèm ſit paſſus mortuus, & ſepultus ſunt ſimilitèr difficilia, quià credito uno, non eſt difficile credere aliud; & ideò hęc omnia pertinent ad articulum unum. Ratio enim formalis objecti fidei poteſt ſumi duplicitèr, ſcilicèt ex parte rei creditæ, & hæc eſt una omnium credibilium, ſcilicèt veritas prima; & ex parte noſtra, & hoc eſt, ut ſit non viſum; & ex parte hujus ſecundæ rationis, & non primæ, articuli diſtinguntur, ut dictum eſt.

Sciendum autèm, quod aliqua ſunt credibilia, de quibus eſt fides ſecundùm ſe; Alia vero ſunt credibilia, de quibus Fides non eſt ſecundùm ſe, ſed tantùm in ordine ad alia; ſicut etiam in aliis ſcientiis, quædam proponuntur, ut per ſe intenta, & quædam ad manifeſtandum alia; quià verò fides principalitèr eſt de his, quæ videnda ſperamus in Patria, ſecundùm illud: Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum; ideò per ſe pertinent ad fidem illa, quæ directè nos ordinant ad vitam æternam, ut ſunt tres perſonæ, omnipotentia Dei, myſterium Incarnationis Chriſti, & alia hujuſmodi; & ſecundùm hoc articuli fidei diſtinguuntur. Quædam verò ponuntur in Sacra Scripturà, non quaſi principalitèr intenta, ſed ſicut aliorum manifeſtativa, ut quod Abraham duos filios habuit, & quod ad tactum oſſium Heliſei mortuus ſuſcitatus fuit, & alia hujuſmodi, quæ narrantur ad manifeſtationem divinæ majeſtatis, vel incarnationis Chriſti; & ſecundum talia diſtinguere articulos non oportet. Ex prædictis patet, quod articuli fidei diſtinguuntur ſecundùm ea, quorum viſione & in patria perfruemur, & per quæ ad patriam perducemur. Duo autèm nobis ibi videnda proponuntur, ſcilicèt occultum Deitatis, cujus viſio beatum facit, & myſterium humanitatis Chriſti, per quem in gloriam filiorum Dei acceſſum habemus, ut dicitur *ad Rom. 5. Vndè Jo: 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; & ideò prima diſtinctio credibilium eſt, quod quædam pertinent ad majeſtatem deitatis, quædam ad myſterium humanitatis Chriſti. Ad primum pertinent tria, ſcilicèt unitas Deitatis, de qua eſt articulus primus; & Trinitas perſonarum, de qua ſunt tres articuli ſecundum tres perſonas; & tria opera propria Deitatis, ſcilicèt creatio quoad eſſe naturæ; hominis ſanctificatio, quod eſſe gratiæ; & carnis reſurrectio, & vita æterna, quoad eſſe gloriæ; De his tribus ſunt tres articuli, & ſic ſeptem articuli pertinent ad Deitatem. Similitèr ad humanitatem Chriſti pertinent alii ſeptem articuli; Primus eſt de Incarnatione, ſivè conceptione; Secundus de nativitate; Tertius de paſſione, morte, & ſepultura; Quartus de deſcenſu ad inferos; Quintus de reſurrectione; Sextus de Aſcenſione; Septimus de adventu ad judicium. Omnes autem prædicti articuli ponuntur in ſymbolo minori, quod à Sanctis duodecim Apoſtolis Chriſti conditum fuit; Quod quidem fuit neceſſarium componere. Vt enim dicitur ad *Hæbr. 11. Accedèntem ad Deum oportet credere*; Non poteſt autèm quis credere, niſi veritas credibilis ei proponatur; & ideò neceſſarium fuit fidei veritatem in unum colligi, ut faciliùs omnibus poſſet proponi, ne quis per ingnorantiam deficeret à fidei veritate. Et ab hujuſmodi collatione fidei ſumitur nomen Symboli, quod dicitur à *Sym* quod eſt ſimul, & *bolè*, quod eſt ſententia; Vndè Symbolum, quaſi ſententia ſimul à pluribus conſtituta dicitur; Continetur autem ſufficienter in prædicto Symbolo doctrina Chriſti. Sicut etiàm in aliis ſcientiis ſunt quædam principia communia, quæ ſupponuntur, ut dignitates; quædam ſicut principia propria illarum ſcientiarum, ut ſunt principia intrinſeca ſuarum demonſtrationum; quædam conſequentia, ut ſunt concluſiones corrolariæ; Sic etiàm in doctrina fidei, quædam ſunt antecedentia, ut ea, quæ ſunt de dictamine juris naturalis; licèt enim reſpectu principiorum juris naturalis non ſit actus credendi propter evidentiam eorum, tamèn reſpectu concluſionum ex principiis illis ſequentium poteſt eſſe actus credendi in illis, qui neſciunt elicere illas *ſecundùm Ric.* quædam ſunt principalia, ut illa, ad quæ directè dirigit illuminatio fidei, & hæc dicuntur articuli; quædam ſunt conſequentia, ut illa quæ ex articulis poſſunt elici, & ad eos habent

bent ſequi. Doctrina ergò fidei quantum ad ea, quæ ſunt in ipſa principalia, & propria, ut ſunt articuli, ſufficientèr in prædicto ſymbolo continentur; Hoc autèm patet duplicitèr. Primò ex parte articulorum conſtitutorum eo modo, quo dictum eſt ſuprà. Secundo ex parte authorum componentium, quià ibi convenit univerſitàs Apoſtolorum, quam non latebat aliquid pertinens ad fidei complementum; & ut majorem haberent firmitatem, ſinguli poſuerunt ibi ſuas partes, & omnes inſimul ſingulas approbaverunt, ut una Eccleſia ſuper Apoſtolos fundata, unam fidei credulitatem, & confeſſionem haberent, quæ diceretur fides catholica, ideſt univerſalis, quià ſcilicèt univerſis data, & ab univerſis Apoſtolis, qui erant fundamentum univerſalis Eccleſiæ, conſtituta.

Videamus igitùr quis Apoſtolus, quam poſuit partem brevem, ut oportet, expoſitionem adiicientes.

Sciendùm ergò, quòd Petrus poſuit primò ſuam partem dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli, & terræ*. In qua quidèm particula tres Articuli continentur, ſcilicèt Articulus de unitate Deitatis, Articulus de perſona Patris, & Articulus de creatione. *Credo*, inquit, *in Deum*. Iſte Articulus exponitur in ſimbolo majori, ut dicitur: *Credo in unum Deum*, ubi excluditur error gentilium, qui non credunt in Deum, ſed in idolum, vel aliquam creaturam; Vel error Manicheorum, qui dicunt eſſe plures Deos, ſeu plura principia.

Sed numquid exiſtens in peccato mortali dicere poteſt ſine peccato: Credo in Deum? Videtur quod non; Quià dicit *Auguſt.* quod credere in Deum eſt credendo tendere in eum, credendo eum amare, & credendo ei incorporari, & ita videtur, quod talis mentiatur cum dicit; *Credo in Deum*.

Reſpondeo; confeſſio fidei traditur in Symbolo, quaſi ex perſona totiùs Eccleſiæ; Fides autèm Eccleſiæ, eſt fides formata, quæ eſt in omnibus illis, qui ſunt de Eccleſiæ numero, & merito; & ideò confeſſio fidei traditur in Symbolo, ſecundum quod convenit fidei formatæ; Vndè exiſtens in peccato mortali non mentitur dicendo: *Credo in Deum*, cum non ſit ſermo ejus, ſed Eccleſiæ.

Sequitur *Patrem omnipotentem*; Hic probantur plura alia conſequentia; Si enim eſt omnipotens, poteſt creare cœlum, & terram, & poteſt dimittere peccata, & ſic de aliis; & licèt omnipotentia ſit communis toti trinitati, tamèn per appropriationem attribuitur Patri, & *ſecundum Ric.* hęc omnipotentia includit omnem ſcientiam, & ſummam bonitatem, & ex conſequenti, providentiam reſpectu omnium.

Sequitur *creatorem cęli, & terræ*; hoc exponens majus Symbolum addit, *viſibilium omnium, & invisibilium*. Cęlum enim ſumitur dupliciter; eſt enim cœlum, quod videtur, & eſt cœlum, quod non videtur, ut probatur per illud Pſal. *Cœlum cœli Domino*, quod nihil eſſet dicere, niſi ad minus eſſent duo cęli; utrumque ergò creavit Deus, cum utrumque ſit cęlum, ut dicit Scriptura; *In principio creavit Deus cęlum, & terram*; Similitèr, & contenta ab eis. Cœlum enim inviſibile continet inviſibilia, ut Angelos. Cęlum verò viſibile continet viſibilia, ut corporalia, ideò congruè ſecundum quod exponit Symbolum majus per Cęlum intelliguntur inviſibilia omnia, quę nobis celantur, & per terram omnia viſibilia, ſicut videtur Pſal. dicere; *Terram autem dedit filiis hominum*, & licèt creatio ſit communis toti Trinitati, tamèn per appropriationem attribuitur Patri.

Sed quarè dicitur hìc *Creatorem*, & in majori ſymbolo, *Factorem?*

Reſpondeo: Creare eſt de nihilo facere; Facere verò communitèr dictum eſt commune ad operari aliquid de materia; Vt ergò oſtendatur operator, non tantùm factorum de nihilo, ut Angelorum, Animarum, & materiæ primę; ſed etiàm omnium productorum ex aliquo, profitemur non tantùm creatorem, ſed etiam factorem.

Secundò poſuit Andreas; *& in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum*. *Ejus* ideſt Patris, *Auguſt. lib. de Symbolo*; *cum audis filium Dei, agnoſce Deum*, ſi enim eſt verus Filius, eſt illud quod eſt pater; Si ergò Pater eſt Deus, filius eſt Deus; *Vnicum*, ideſt unigenitum. In quo oſtenditur, quod licet à Patre procedant Filius, e Spiritus Sanctus, tamèn eſt tantùm unus filius, qui procedit à Patre per modum generationis. *Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, ſcilicèt jure creationis, gubernationis, & ulterius redemptionis; eſt autem dominium increatum, & hoc non appropriatur filio, cum dicat Athanaſius: *Dominus Pater. Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus*, Et eſt dominium creatum, & hoc appropriatur filio, ut etiam in quantum homo credatur Dominus creaturę *Matth. ult. data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra*. *Secundùm Alex. Ang. Noſtrum* dicitur proptèr participationem noſtræ naturæ, ſcilicèt humanæ, & proptèr executionē miniſterii redemptionis in aſſumpta carne. Ad hujuſmodi autèm articuli expoſitionem majus ſymbolum addit plura dicens; *& in unum &c.* exprimuntur autem ibi de filio ſecundum Deitatem quinque, ad excludendum quinque errores Arianorum. Primus eſt; *Quod non eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre*, contra quod ibi dicitur, *& in unum* repete *Deum cum patre*. Secundus eſt *Quod filius eſt minor patre*, contra quod dicitur: *Dominum Jeſum Chriſtum*, ideſt æqualem Patri, & Spiritui Sancto in dominio, & potentia. Tertius eſt; *Quod non eſt filius naturalis, ſed adoptivus*, contra quod dicitur: *filium Dei unigenitum*. Quartus eſt, *Quod natus eſt tempore, non ab æterno*, contra quod dicitur: *ex Patre natum ante omnia ſæcula*.

Vnin-

Quintus eſt; *Quod ſit pura creatura*, dicit enim quod ſi filius eſſet à Patre, ut filius naturalis, cum nullus pater ſinè ſui diminutione, & deciſione generet filium æqualem ſibi; & illud de Deo dicere ſit abſurdum; reſtat, quod Deus Pater nunquàm habuit filiũ naturalem; contrà quod dicitur: *Deum de Deo, lumen de lumine*; Sicut enim lumen ſinè ſui diminutione generat aliud lumen, ſic Pater Filium. Cauſa autèm erroris eorum eſt, quià quod eſt creaturę attribuunt Deo, ſivè creatori. Ex prædictis autèm erroribus inciderunt in profundum errorem, ut dicerent: *Chriſtum eſſe puram creaturã, & non eſſe Deum naturalitèr, ſed adoptivè, vel per gratiam*; contra quod dicitur: *Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri*, ideſt ejuſdem ſubſtantię cum Patre, *per quem omnia facta ſunt*. *Auguſt. Si per ipſum facta ſunt omnia, jam non eſt factus, jam non eſt creatura*; dicitur tamèn filius factus ſecundùm humanitatem *ad Rom.* 1. *& in pluribus aliis locis*.

Tertiò poſuit Joannes: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*; & ſumitur hoc *ex Matth.* 1. *inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*.

Nota quod *Ambroſius dicit lib. de Spiritu Sancto*; Quod eſt ex aliquo, aut eſt ex ejus ſubſtantia, ut filius à Patre; aut ex ejus poteſtate, ut ex Deo omnia, ſic ſumitur hìc Deus, quià de poteſtate, & operatione Spiritus Sancti conceptus eſt Chriſtus; Ideò Chriſtus non dicitur filius Spiritus Sancti. In ſymbolo verò majori explicatur ille Articulus ſic: *Qui propter nos homines &c.* uſque ibi, *& homo factus eſt*. Vbi notatur, quod deſcendere dicitur de filio Dei non propriè, ſed tranſumptive ad ſignificandum incarnationem. Sicut enim, qui deſcendit de ſurſum in deorſum tendit; ſic cum Deus factus eſt homo, Deus, qui eſt ſuper omnia, infimam ſibi naturam univit; nihil ergò eſt aliud hic deſcendere, quàm in carne humili apparere.

Quartò poſuit Jacobus major: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*; Huic articulo nihil addit ſimbolum majus.

Quintò poſuit Thomas: *Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit à mortuis*, in hac parte continentur duo articuli. Unus eſt *deſcendit ad Inferos*, ſcilicèt ſecundùm animam, quæ prætermittitur in majori ſymbolo, quià circa eum nullus error erat exortus, & ideo non opportuit circa hoc explicationem aliquam fieri. Alter eſt *reſurexit à mortuis*, cui nihil addit majus ſimbolum ad explicationem

Sextò poſuit Jacobus minor: *Aſcendit ad cœlos*; *ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*; Huic articulo nihil addit ſymbolum majus.

Si quæratur ſecundùm quam naturam aſcendit; dicendũ, quod ſi ly ſecundum, deſignet conditionẽ aſcendentis, ſic aſcendit ſecundũ quod homo, ſivè ſecundum naturam humanam, quæ loco continetur, & motui ſubiici poteſt; Non autèm aſcendit ſecundùm naturam divinam, quæ eſt altior univerſis, & eſt immobilis, & illocabilis. Si autèm deſignet cauſam aſcenſionis, ſic aſcendit non ſecundum quod homo, quià aſcendit ex virtute divinitatis, ſed non humanitatis; undè *Aug. in ſer. de Aſcen. De noſtro fuit, quod filius Dei in cruce pependit, de ſuo, quod aſcendit*; Aſcendit autèm Chriſtus ad ſummam partem cœli ſupremi, quià cum ſit nobiliſſimum locatum, debet eſſe in nobiliſſimo loco, qui eſt ſuperior locus cœli ſummi. Et ſic intelligi debet illud *Pſal. Aſcendit ſuper cælum cęli*. Et illud ad *Ephſ.* 4. *aſcendit ſuper omnes cęlos*, non tantùm autèm aſcendit corpus Chriſti ſuper omnem Creaturam corporalem, ſed etiàm ſuper omnem ſpiritualem, quià proptèr dignitatem unionis eas omnes excellit: *Ephe.* 1. *conſtituit illum ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & ſuper omne nomen, quod nominatur in hoc ſæculo, ſivè in futuro*. Poteſt etiàm exponi, quod Chriſtus aſcendit in Cęlum ſecundum *Gloſ. Ephe.* 4. *Qui deſcendit ipſe eſt, qui aſcendit*: *ibi Gloſ. ad æqualitatem Patris, ſecundum divinitatem non in re, ſed in notitia, tunc enim innotuit hominibus eum eſſe æqualem Patri*. Quod autèm Chriſtus ſecundum quod homo in loco ſupra dicto reſideat, ita quod numquam aliò ad modicum tempus ſe transferat, non eſt aſſerendum, ſecundùm *Ric.* cum poſt ejus aſcenſum narretur aliquandò apparuiſſe aliquibus in hac vita. Nec apparet aliqua ratio cogens, quarè nunquam ad aliam partem cęli ſe transferat. Piè etiàm credi poteſt, quod Chriſtus in cęlo nullum habeat retro ſe, ſed omnes electi aſpiciunt in faciem ejus.

Sequitur: *Sedet ad dexteram &c.* Circà quod nota, quod per dexteram intelligitur, vel gloria, vel honor divinitatis *ſecundum Dam.* 3. *lib.* vel beatitudo patris *ſecundum Auguſt. lib. de Symbol. ſecundum illud Pſal. delectationes in dextera ejus*, vel judicaria poteſtas *ſecundùm Auguſt. inquodam ſermone de Symbol.* Seſſio verò ſecundum *Auguſt. ibidem* deſignat vel habitationem, ſivè quietem; vel regiam, vel judiciariam poteſtatem; ſic igitur *ſi ly ſedet* deſignet conditionem naturæ, Chriſtus ſecundum quod Deus, ſedet ad dexteram Patris in æqualitate Patris; ſecundum autèm quod homo ſedet à dexteris Patris, ideſt in potioribus bonis patris præ cęteris creaturis, ideſt in majori beatitudine, & habens judiciariam poteſtatem. Si verò deſignet unitatem ſuppoſiti, ſic etiam ſecundum quod homo ſedet ad dexteram Patris, ſecundum æqualitatem honoris, ſcilicèt inquantum honore eodem veneramur filium Dei cum natura aſſumpta.

Ex prædictis patet, quod quocumque prædictorum modorum ſumatur ſedere ad dexteram, ſignificat habere beatitudinem quamdam dominativa poteſtate, quod nulli alii, nec Angelo, nec homini convenit, niſi ſoli Chriſto; *Vndè Habr.* 1. *ad quem aliquandò dixit Angelorum: Sede à dex-*

dextris meis. Ideſt *ſecundum Gloſ.* in potioribus bonis, ut ly ſecundum connotat divinitatem. Poteſt tamèn dici, quod omnis ſanctus, qui eſt in beatitudine, eſt conſtitutus ad dexteram Dei *ſecundum illud Matth. 25. ſtatuet oves à dextris*

Sed numquid poſſet dici Pater ſedere à dextris Filii?

Reſpondeo quod non, quià *ly ad* denotat cum perſonali diſtinctione ordinem originis; Filius autèm, & Spiritus Sanctus originantur à Patre, non è converſo; ſed & Spiritus Sanctus poteſt propriè dici ſedere ad dexteram Patris, vel filii, licèt ſecundum quamdam appropriationem attribuatur filio, cui appropriatur æqualitas; Undè *Auguſt.* dicit quod in Patre eſt unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis, & æqualitatis connexio.

Septimò ponit Philippus. *Indè venturus judicare vivos, & mortuos*, ideſt eos, qui in ejus adventu vivi reperientur, qui in momento morientur, & poſteà reſurgent cum eis, qui primò erant mortui. Huic articulo addit ſymbolum majus: *Cujus regni non erit finis*; *Secundùm illud Luc. 1. & Regni ejus non erit finis*.

Octavò Bartholomeus ponit *Credo in Spiritum Sanctum*. Hoc exponit majus ſymbolum addens: *Dominum, & vivificantem, qui ex patre &c.* ubi exprimuntur quinque de Spiritu Sancto, poteſtas, quià Dominum; bonitas, quià vivificantem; *Jo: 6. Spiritus eſt, qui vivificat*: Diſtinctio perſonalis; qui ex Patre, Filioquè procedit: Æqualitas, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & glorificatur. Et per hæc quatuor prędicta excluditur error, & hęreſis Eutichii, & Neſtorii, qui dixerunt: *Spiritum Sanctum eſſe ſervum Patris, & Filii*; & quod dicitur *Filioquè*, addiderunt latini propter errorem Græcorum. Quintò exprimitur doctrina: *Qui locutus eſt per Prophetas*, contra errorem quorumdam, quidixerunt, quod Prophetæ locuti ſunt ſicut frænetici, *ut Montanus, & quidam alii*.

Nonò ponit Mattheus: *Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Loco cujus dicit ſymbolum majus: *Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*.

Decimò poſuit Simon Cananæus: *Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum*; Locò cujus dicit ſymbolum majus: *Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum*, & hæc pars Simonis, & Matthei pertinent ad unum, & eumdem articulum, qui ſcilicèt de operatione Dei eſt, per quam dat nobis eſſe gratiæ, & eſt ſenſus *Credo in Spiritum Sanctum, facientem ſanctam*, ſivè ſanctificantem Eccleſiam Catholicam, ideſt univerſalem, in qua eſt communio Sanctorum, & remiſſio peccatorum. Undè non debet dici in ſancta, ut dicit Leo Papa, ſed ſanctam. Vel eſt ſenſus: Credo Catholicam Eccleſiam eſſe ſanctam, ſcilicèt per operationem Dei, Eccleſiam, inquam, habentem communionem ſanctorum, remiſſionem peccatorum. Ea quæ dicit ſymbolū majus quo ad hunc Articulum, ſic expone: & *unam*, ſcilicèt in ſide, & charitate. *Apoſtolicam*, ideſt ſuper Apoſtolorum doctrinam fundatam. *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Nota, quod quià Baptiſmus dari poteſt ab omnibus in neceſſitate, ideò fit magis mentio de eo, quàm de alio ſacramento in ſymbolo fidei, quod pertinet ad omnes. Nec fit hic mentio de communione ſanctorum, quià intelligitur per hoc, quod dicitur ibi *unam*; Una enim eſt Eccleſia, non tantum fide, & charitate; ſed etiam ſanctorum participatione, quæ eſt communio ſanctorum. Undè ad hunc Articulum reducitur fides de ſacramentis, quià in eis communicant fideles, & ſunt inſtrumenta ſanctificandi, & ex conſequenti peccata remittendi.

Vndecimo ponit Judas Thadeus: *Carnis reſurrectionem*.

Duodecimo ponit Matthias: *Vitam æternam*; Et eſt ſenſus: Credo quod Deus reſuſcitabit nos, & dabit nobis vitam æternam; & iſti ſunt duo articuli, loco quorum dicit ſymbolum majus: *Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi*. Ex quo Deus tanquam juſtus judex bonos remunerabit vita æterna; ſequitur, quod etiam reprobos puniet pęna ęterna; & ideò non ponit Eccleſia ſpecialem Articulum de punitione malorum.

Ad hoc nota, quod credere deliberativam trangreſſionem divinorum præceptorum eſſe mortale peccatum, eſt ad ſalutem neceſſarium, tamquam aliquod, quod eſt de dictamine rationis naturalis; & ſic videtur eſſe de antecedentibus ad fidem. Sed quod Deus hoc, vel illud præceperit, deſignatis aliquibus ſingularibus præceptis, quæ Sacra Scriptura narrat Deum præcepiſſe, magis videntur intèr illa, quæ ad articulos conſequuntur; *Hæc Ric. 3. diſ. 25. quæſt. 2. art. 1. cap. 3.* Nihil autèm ponitur hic, quod Paulo, & Barnabæ appropriętur, quià fuerunt electi poſt diviſionem Apoſtolorum ad prædicandum, ut patet in actibus Apoſtolorum. Antè autèm diviſionem ſymbolum conſtitui debuit ab omnibus Apoſtolis inſimul congregatis.

Sed quæ fuit ratio componendi alia ſymbola poſt ſymbolum Apoſtolorum, cum in ipſo contineatur ſufficentèr doctrina fidei, ut viſum eſt; & quod ipſorum eſt principalius?

Reſpondeo, quod ſymbolum Apoſtolorum eſt principalius; Vndè etiàm dicitur majus non quidem ſcripturæ quantitate; ſed potiùs eſt ſecundum hoc minus, quià eſt ad pręciſam articulorum expreſſionem. Alia verò duo ſunt ad majorem fidei explanationem, & hęreſum confutationem; Vndè ſunt quaſi explanationes illius. Sed ſymbolum Athanaſii eſt maximè contrà errorem Arii, & ideò maximè exprimit unitatem eſſentię, & trinitatem perſonarum, ut quod eſt ęqualis Patri filius ſecundum divinitatem, minor Pa-

Patre ſecundum humanitatem. Symbolum verò Nicęni Concilii, ſivè ſanctorum Patrum fuit conditum ad confutationem multimodarum hęreſum pullulantium, & ideò hęc duo ſunt majora in ſcriptura. Illud tamèn licèt in ſcriptura ſit minus, eſt tamèn, & dicitur majus; tum quià plus continet de ſententia in virtute, tum ratione plenioris continentię articulorum fidei, ut patet ex prædictis; tum ratione majoris authoritatis ipſorum componentium. Ex prędictis patet, quę fuit ratio componendi alia duo ſymbola.

Sciendum eſt autèm, quod quià ſymbolum Apoſtolorum continet fidei fundamentum, ideò in Eccleſia quotidie dicitur, & hoc ſubmiſsè; quià conditum fuit tempore veritatis nondùm propalatę; & manè, & ſerò contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum. Alia verò duo dicuntur tantùm in diebus ſolemnibus, quando populus ad Eccleſias convenit, & hoc altè, quià ſunt ad declarandum illud Apoſtolorum, & compeſcendum garrulitatem hæreticorum; & quià fuerunt condita tempore veritatis manifeſtatę, & Eccleſia pacem habente.

Sed cujus eſt exponere ſymbolum fidei?

Reſpondeo ſolius Papæ, vel Romanæ Eccleſiæ, ad quam ſunt deferendę cauſæ majores univerſalis Eccleſiæ; Vndè pertinet tantùm ad eam congregatio generalis Concilii, ut habetur *di. 7 Generalia*; & maximè eſſet ad eam deferenda dubitatio de via ſalutis, ſi oriretur, *ut patet ibidem: nec licuit*; Vndè ſi neceſſitas emergeret, adhuc Eccleſia Romana ſymbolum aliud facere poſſet, ut etiàm habetur ex ſententia *Anſel. lib. de proceſſu Spiritus Sancti, verſus finem.*

Si autèm obiiciatur, quod Athanaſius non fuit Papa, ſed Patriarcha Alexandrinus, & tamen condidit ſymbolum. Dicendum, quod ipſe non compoſuit manifeſtationem fidei per modum ſymboli, ſed magis per modum cujuſdam doctrinæ, ut patet ex modo loquendi; Quià tamèn fidei veritatem brevitèr tradidit, ejus doctrina eſt authoritate Papæ recepta, ut habeatur quaſi fidei regula.

ARTICVLVS III.

De Actu Fidei.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de actu fidei, & Primò de actù interiori, qui eſt credere. Secundò de actù exteriori, qui eſt confeſſio.

Circà primum videndum eſt de quidditate credendi, vel neceſſitate. Sciendum igitur quod ſecundùm *Auguſ. lib. de prædeſti. Sanctorum: credere eſt cum aſſertione cogitare*; & ſumitur hic credere pro actu intellectus deliberantis; Licèt enim fides non habeat inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis illud, quod creditur, habet tamèn inquiſitionem quamdam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, putà, quià ſunt à Deo dicta, & miraculis confirmata. Aſſenſus verò ſumitur hic pro actu intellectus ſecundùm quod ad unum per voluntatem determinatur *ſecundùm Thom.* ſi ergò credere eſt uni parti firmitèr adhærere, in quo convenit cum actù ſciendi, & intelligendi; non tamèn eſt cognitio perfecta per viſionem manifeſtam, in quo convenit cum actu dubitandi, ſuſpicandi, & opinandi; & ſic actus credendi diſtinguitur ab omnibus actibus intellectus, qui ſunt circa verum, & falſum.

*Secundùm autèm Augu. lib. de verb. Domini, & ſuper Joa. & habetur etiàm 5. lib ſent. diſ.*23. triplicitèr contingit credere. Eſt enim credere Deo; credere Deum; & credere in Deum. Credere Deum, eſt credere, quod verum eſt Deum eſſe. Credere Deo, eſt credere, quod vera ſunt, quæ ipſe dicit. Credere in Deum, eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & ejus membris incorporari. Et prædicti quidem tres actus credendi ſecundùm *Bon.3. diſ. 23. in dubitationibus circa literam*, pertinere poſſunt ad eumdem habitum, & ad diverſos habitus. Reſpiciunt enim unam, & eamdèm veritatem, ſcilicèt divinam; ſed diverſimodè; quià credere Deum reſpicit eam, ut objectum; credere Deo, ut motivum; credere in Deum, ut finem ultimum. Quæ quidem tres comparationes habent circa eumdem habitum reperiri, & quià fides non tendit perfectè in Deum, niſi ſecundùm quod eſt conjuncta charitati; ideò actus credendi in Deum diffinitur *ab Aug. lib. de prędeſ. Sanctorum*, ex quo prædicta verba ſumuntur per actum amandi, non tanquàm per actum proprium, ſed tanquàm per actum annexum; & ponit *Auguſ.* in illa diffinitione quatuor actus, ad quos ordinat fides, prout eſt Charitati conjuncta ſcilicèt credendo amare quoad affectum; credendo in eum ire quoad opus bonum; credendo ei adhærere quoad tollerantiam mali; credendo ejus membris incorporari, quoad dilectionem proximi.

Poſſunt etiàm prædicti actus ad diverſos habitus pertinere; Poteſt enim homo credere Deum ex habitu naturali, ſive ex ductu rationis naturalis. Credere Deo poteſt ex habitu acquiſito per doctrinam Theologiæ, *ſecundùm illud Joan: ſi Moyſi crederetis, forſitàn crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit*. Credere autem in Deum, poteſt ex habitu infuſo, & de hoc credere dicit *Aug. ibidem*, quod eſt in nobis à Deo, ita quod nec cogitare, nec aſſentire eſt à nobis *de quo Joan. 14. Creditis in Deum, & in me credite:* Undè verſus

Crede Deo, credaſquè Deum, plus crede valere.

Si credas in eum, quàm vel ei, vel eum

AR-

ARTICULUS IV.

De neceſſitate actus credendi.

VIſo quid eſt credere, videndum eſt de neceſſitate actus credendi. Circa quod ſciendum, quod neceſſarium eſt homini ad ſalutem credere aliquid ſuper rationem naturalem *ad Hæbr.* 11. *Sinè fide impoſſibile eſt placere Deo*. Ultima enim beatitudo hominis conſiſtit in quadam ſupernaturali viſione Dei, ad quam pertingere non poteſt, niſi per modum addiſcentis à Deo *ſecundum illud Jo.* 6. *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me*; Hujuſmodi verò diſciplinæ fit homo particeps ſucceſſivè ſecundum modum naturæ ſuæ; Omnis autem tâlis addiſcens oportet, quod credat, ut ad perfectam ſcientiam perveniat, ſicut & *Philos. dicit*, quod diſcentem oportet credere; Undè ut homo perveniat ad beatitudinem, oportet, quod credat Deo, ſicut magiſtro. Non tantùm autem eſt homini neceſſarium credere ea, quæ ſunt ſupra rationem; ſed etiam aliqua, quæ ratione naturali poſſunt probari; ut Deum eſſe unum, & incorporeum, ut citiùs, & inconvenientiùs, & certiùs homines divina cognoſcant, Hæc *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 3. *cap.* & *art.* 4. *cap.*.

Si quæratur, quæ ſunt illa, quæ credere neceſſarium eſt ad ſalutem? Dicendum, quod omnes Chriſtiani poſt adventum Chriſti credere tenentur omnes articulos Fidei. Hoc autem tripliciter poteſt eſſe, ſcilicèt aut omnes credere implicitè; aut omnes credere explicitè; aut aliquos implicitè aliquos explicitè; Credere omnes implicitè eſt fidei diminutæ, Adeò enim notitia quorumdam articulorum eſt manifeſta, quod nullus habens uſum rationis eos ignorat, niſi omninó negligat, & contemnat Dei cultum, & ſuam ſalutem. Credere autem quoſdam articulos implicitè, & quoſdam explicitè eſt fidei ad ſalutem neceſſarium; Poteſt etiam ſimplicium fidei ſufficere; Tenentur enim ad illos explicitè credendos, quos eis manifeſtat, non tantum prædicatio, ſed etiam Eccleſiaſtica conſuetudo; ut eſt de Unitate, & Trinitate, quam noſcere poſſunt ex actu conſignationis; conſignant enim ſe homines in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; Sicut etiam eſt de nativitate, paſſione, & reſurrectione, quas poſſunt noſcere ex ipſis feſtis. Sic etiam eſt de peccatorum remiſſione, quam noſcere poſſunt ex actu præsbyterorum; Ideò nullus ratione utens ab ignorantia talium excuſatur, quiá non poteſt eſſe talis ignorantia ſine negligentia, & contemptu. Credere autem omnes articulos explicitè, & diſtinctè eſt Fidei jam provectæ, & non de generali fidei neceſſitate; ſed ſi hoc eſt neceſſarium alicui, neceſſarium eſt illis, qui in cognitione Fidei profecerunt, & ſpecialitèr illis, qui Fidem aliis manifeſtare tenentur, vel qui etiam officium docendi, & prædicandi aſſumpſerunt; *Hæc Bon.* 3. *diſ.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 3. *cap.*; & cum eo convenit *Ric.* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 4. *art.* 1. *cap.*. Si autem eſſent aliqui, quibus Chriſtus loquutus non eſſet nec per ſe, nec per alium, nec per inſpirationem interiorem, non tenerentur credere explicitè *ſecundum Ric. ibidem*, niſi illud, quod credebatur in lege naturæ; Undè Chriſtus dicit Judeis *Jo.* 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*; ſcilicèt de hoc, quod non credebant in eum, ut dicit Gloſ.

Sed obiicitur; Quilibet tenetur vitare quemlibet errorem contrarium cuilibet articulo, ſed hoc non poteſt facere, niſi cognoſcat quemlibet articulum ergò &c.

Reſpondet *Ric. ubi ſupra cap.* 3. *ante oppoſitum*; Quod vitare errorem, ſive non conſentire errori, eſt præceptum negativum, undè obligat ſemper, & pro ſemper. Credere autem articulum explicitè eſt præceptum affirmativum, undè non obligat pro ſemper; ſed pro illo tempore, quo homo non credendo illum explicité conſentiret errori. Vel poteſt dici ſecundum aliquos, quod minores non credendo aliquos articulos explicitè, poſſunt errores illis contrarios eis ab aliquo ſuaſos vitare, vel recurrendo ad orationem, vel ad virorum probatorum inſtructionem, vel tenendo ſe in hoc generali, ſcilicèt, quod hoc credant, quod tenet Eccleſia; *Hæc Ric. ibidem*. Undè ſimplices non debent examinari de ſubtilibus Fidei, niſi quando habetur ſuſpicio, quod ab hæreticis ſunt depravati; ſi tamèn tales non adhæreant pertinacitèr pravæ doctrinæ, ſed potiùs ex ſimplicitate deficiant, eis non imputatur *ſecundùm Thom.* 2. 2. *quæſt. art.* 3. *c.* 3. Minores namque Fidem implicitam non habent in fide majorum, niſi quatenùs majores adhærent doctrinæ divinæ; *Undè, & Apoſtolus* 1. *Corinth.* 4. *dicit. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*; Undè ſi qui majorum a doctrina divina deficiant, non imputatur fidei ſimplicium, quià credunt eos rectam fidem habere; niſi pertinacitèr adhæreant erroribus eorum in particulari, contra fidem univerſalis Eccleſiæ, quæ non poteſt deficere domino dicente *Luc.* 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua*. *Hæc Thom. ubi ſupra cap.* 3.

Ad hoc nota, quod objectum fidei per ſe eſt illud, quo homo fit beatus, ut dictum eſt ſuprà; per accidens autèm, vel ſecundariò ſe habent ad objectum Fidei omnia, quæ in Scriptura divinitus tradita continentur, ut quod Iſaac duos filios habuit, & hujuſmodi, *ſecundum Thom.*, ergó quantum ad prima credibilia, qui ſunt articuli Fidei, tenetur homo explicitè credere, ſicut & tenetur fidem habere; & sì homo non poteſt hoc ex ſe, poteſt tamèn cum auxilio gratiæ Dei; quod quidem aliquibus ex miſericordia datur, aliquibus ex juſtitia non datur in pœnam peccati præcedentis ſaltem originalis, *ut*

dicit Auguſt. lib. de correp. & gratia. Alia veró credibilia in divina ſcriptura contenta non tenetur homo credere, niſi implicitè, ſcilicèt in fide majorum, vel in preparatione animi, inquantum præparatus eſt credere, quidquid eſt in divina ſcriptura; ſed tunc hujuſmodi tenetur credere explicitè, cum ſibi conſtiterit ea in doctrina fidei contineri. De certitudine quoque fidei loquens *Ric. de Sancto Victo. 1. lib. de trin. cap. 2. ſic dicit: Utinam attenderent Judei, & Pagani cum quanta ſecuritate conſcientiæ pro hac parte ad divinum judicium poterimus accedere; Non nè confidenter poterimus dicere Deo: Domine, ſi error eſt, a te decepti ſumus; Nam iſta in nobis tantis ſignis, & talibus confirmata ſunt, quæ non niſi per te fieri potuiſſent, certè à ſummæ ſanctitatis viris nobis ſunt tradita, & cum ſumma, & authentica atteſtatione probata te ipſo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Maximus etiam Epiſcopus in ſermone plurimorum martyrum de hac materia loquens ait: *Mágni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt martyrum vulnera, veterem fidem, quaſi novellam diſcutere præſumas, & poſt tantos duces in errore permaneas, & poſt morientium ſudores otioſa diſputatione contendas.*

Quid de Puero ab infantia in carcere Saracenorum incluſo? Numquid damnabitur, quia non habet fidem?

Reſpondet *Alex. Ang. 2. tit. 2. cap. de perplexitate conſcientiæ*; quod talis cum ad ætatem adultam venerit, non habet omninò impotentiam credendi, quia ſi faciat, quod in ſe eſt, Deus illuminabit eum per occultam inſpirationem, aut per Angelum, aut per hominem; *Videtur tamen per Auguſt. lib. de queſtionibus novi, & veteris teſtamenti*, quod ſi non fuerit à quo didicerit, nec ad eum rumor doctrinæ Fidei pervenerit, immunis erit. Sed hoc intelligi debet de doctrina exteriori, vel interiori: Oportet autem quod faciat, quod in ſe eſt, ſcilicèt utendo ratione, per quam comprehendere poteſt Deum eſſe, & Dei auditorium invocare, *dicit enim Beda*, quod quilibet intelligere poteſt eſſe Deum, & judicium ejus venturum. De Incarnatione autem ſi faciat, quod in ſe eſt, vocabitur interiùs, etſi non exteriùs.

Sed numquid etiam antè adventum Chriſti neceſſarium fuit ad ſalutem credere mediatorem?

Reſpondeo quod ſic; *Undè Auguſt. in Ench. cap. penult. Nec quicumque antiquorum juſtorum potuit præter Chriſti fidem invenire ſalutem; Hæc Auguſt.* Cum enim gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum ſit facta, & liberatio à peccato à Deo ſit per Chriſti merita, & hæc non extendant ſe niſi ad eos, qui ſiunt ejus membra, & ei copulantur per fidem; impoſſibile fuit umquàm aliquem ſalvari poſt lapſum, niſi aliquo modo, ſcilicèt explicitè, vel implicitè crederet in Chriſtum, vel ipſe pro ſe, ſi eſſet adultus; vel alius pro eo, ſi eſſet parvulus; Ut enim habetur ex verbis *Hug. lib. 1. de Sacramentis par. 10. cap. 5.* ſemper in Eccleſia Dei fuit poſt lapſum Fides incarnationis, & paſſionis Chriſti, quæ etiam in ſacrificiis illiùs temporis ſignificabatur, & ad hanc Fidem explicitè habendam tenebantur majores, quibus hoc fuit divinitùs revelatum. Alii autèm tenebantur habere fidem illam ſaltem implicitam, in hoc, quod tenebantur majoribus aſſentire: & tantò pertinentia ad Chriſti myſterium diſtinctiùs cognoverunt, quantó Chriſto propinquiores fuerunt. *Hæc omnia ex ſententia Hugo.*

Sed obiicitur, quia multi Gentiles adepti ſunt ſalutem per miniſterium Angelorum *ut dicit Dionyſiùs cap. 9. Eccl. Hierarch.* & tamen fidem non habuerunt de Chriſto, ut videtur, quia eis nulla revelatio fuit facta, ergó &c.

Reſpondeo; Imò multis fuit revelatio facta de Chriſto, ut patet per ea, quæ de Chriſto prędixerunt; *Nàm Job. 19. dicitur: Scio quod redemptor meus vivit &c.* Sybilla etiam quædam de Chriſto prædixit *ut Auguſt. dicit.* Invenitur etiam in hiſtoriis Romanorum, quod inventum fuit quoddam ſepulchrum, in quo jacebat homo laminam auream habens in pectore, in qua ſcriptum erat: *Chriſtus naſcetur de Virgine, & credo in eum.* Si qui tamèn ſalvati fuerunt, quibus non fuit revelatio facta, non fuerunt ſine fide mediatoris ſalvati, quia habuerunt implicitam fidem in divina providentia, credentes Deum eſſe mediatorem, & liberatorem hominum ſecundùm modum ſibi placitum, & aliquibus ab eo revelatum, *ſecundum illud Job 35. Qui nos docet ſuper jumenta terræ. ſecundùm Thom. 2. 2. quæſt. 3. art. 7. cap. 3.*

Reſtat nunc videre de actu fidei exteriori, qui eſt confeſſio. Circa quod ſciendum, quod confiteri non ſemper, vel ubique eſt de neceſſitate ſalutis, ſed aliquo tempore, & loco, ut quando per omiſſionem hujus confeſſionis ſubtrahitur honor debitus Deo, & utilitas impendenda proximo; ut ſi quis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii propter taciturnitatem ejus à fide recederent; Ideò dicitur *ad Rom. 10. Ore autem confeſſio fit ſalutem.*

Sed quid ſi turbarentur infideles de manifeſta confeſſione Fidei?

Reſpondet *Thom. ubi ſupra quæſtiuncula 2. art. 2. cap. c. 3.*, quod in tali caſu non eſt laudabile ſine utilitate Fidei, ſive Fidelium, fidem publicè confiteri; *Undè Dominus Matth. 7. dicit: Nolite Sánctum dare Canibus, nec margaritas proiicere ante Porcos, ne converſi dirumpant vòs.* Sed ſi quę utilitas Fidei ſperaretur, aut neceſſitas adſit, contempta infidelium perturbatione, debet homo fidem publicè confiteri; *Undè Matth. 15.* cum diſcipuli dixiſſent Domino, quod Phariſei audito ejus verbo ſcandalizati ſunt, Dominus reſpondit: *Sinite illos* ſcili-

ſcilicèt turbari, *cæci ſunt*, *& duces cæcorum.*

ARTICULUS V.

De Subjecto Fidei.

SEquitur videre de quinto, ſcilicet de ſubjecto Fidei. Eſt autem Fides in intellectù, tanquam in ſubjecto, & ſecundùm aliquos eſt principalius in intellectu ſpeculativo; ſecundum verò alios eſt principaliùs in intellectù practico; ſed hoc relinquo inveſtigationi majorum. Quærenda autem ſunt alia plura; ſcilicet.

I. Utrùm Fides ſit in intellectù diabolico?

II. Utrum in eo, qui diſcredit unum articulum Fidei poſſit eſſe Fides informis de aliis articulis?

III. Utrum Apoſtoli inſtante paſſione Chriſti habuerint Fidem?

IV. Utrùm Joannes Baptiſta dubitaverit de aliquo Fidei articulo, cum dixit *Matth.* 11. *tu es qui venturus es &c.*

Circa primum reſpondit *Ric.* 3. *diſ.* 23. *quæſt.* 6. *art.* 30. quod Fides poteſt ſumi triplicitèr. Uno modo pro quadam credulitate exorta per evidentiam ſignorum. Secundo pro habitu infuſo determinante intellectum ad actum credendi informem. Tertio pro fide formata. Primo modo Fides eſt in Diabolo; videt enim talia ſigna teſtificantia veritatem, quam Sancta Eccleſia credit; quarè velit nolit, credit eſſe verum, quod Eccleſia credit; Illam tamèn veritatem non videt, & ſic dicit *Jacob.* 1. *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Loquendo verò de fide ſecundo modo, & tertio Fides nunquam fuit, nec eſt in diabolo, nec ante lapſum, quia non infunditur ſine gratia, quam illi nunquàm habuerunt, nec poſt lapſum eſt eis infuſa, quià digni non ſunt.

Circa ſecundum reſpondeo, quod non; Species enim cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti, qua ſublata ſpecies habitus manere non poteſt. Formale autèm objectum Fidei eſt veritas prima ſecundùm quod manifeſtatur in ſcriptura ſacra, & Eccleſiæ doctrina; Undè quicumque non inhæret ſicùt infallibili, & divinæ regulæ, doctrinæ Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scriptura ſacra manifeſtata, non habet fidei habitum, ſed ea, quæ ſunt Fidei, tenet aliter, quàm per fidem. Manifeſtum autèm eſt, quod inhærens doctrinæ Eccleſiæ tanquam infallibili regulæ aſſentit omnibus, quæ Eccleſia docet; Alias verò, ſi ipſorum aliqua tenet, aliqua non, jam non inhæret doctrinæ Eccleſiæ, ſicut infallibili regulæ, ſed voluntati propriæ; & ſic patet, quod hæreticus, qui pertinacitèr diſcredit articulum unum, non eſt paratus Eccleſiæ doctrinam in omnibus ſequi; ſi enim non pertinacitèr, non eſt hæreticus, ſed tantùm errans; Undè patet, quod talis hæreticus non habet de aliis articulis Fidem, ſed quamdam opinionem ſecundum propriam voluntatem; *Hæc Thom.* 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 3. *cap.*

Circa tertium reſpondeo; Quod inter Apoſtolos quidam omninò perdiderunt fidem, ut Judas; *Undè ſuper illud Iſa.* 5. *Væ qui trahitis iniquitatem funiculis*; dicit Gloſ., quod Judas ſe ſuſpendit, putans nihil eſſe poſt mortem. Quidam verò perdiderunt fidem tantùm, quantùm ad formam Charitatis, vel gratiæ, & non quantùm ad certitudinem cognitionis, ut *Petrus*; & ſic intelligitur illud *Ambr. Fidelior factus eſt Petrus poſtquam ſe fidem perdidiſſe flevit, atque ideò majorem gratiam reperit, quam amiſit.* Quidam verò perdiderunt Fidem, quantùm ad utrumque, quia dubitaverunt; *ut Matth. ult. Videntes autem adoraverunt, quidam autèm dubitaverunt.*

Circa quartum reſpondeo; Quod ipſe de Chriſto non dubitavit, quin eſſet homo, & Deus; *cum dixit Joan.* 1. *Ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* Nec quin eſſet paſſurus pro genere humano, cum de eo dixerit: *Ecce Agnus Dei; Ecce qui tollit peccata mundi*: ſed ut quidam dicunt, neſciebat utrùm eſſet ad inferos in propria perſona deſcenſurus, licèt benè crederet virtutem paſſionis ejus pertingere uſque ad amicos ejus, qui erant in limbo, cum ſcriptum ſciret *Zach.* 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Cui ſententiæ videtur *Greg.* conſentire in quadam homil. ſuper illud *Matth.* 11. *tu es, qui venturus es.* Et ſic oportet dicere, quod *Beatus* Joannes non tenebatur explicitè credere, Chriſtum ad inferos in perſona propria deſcenſurum.

Quibuſdam verò hoc dicere non placet, cum Chriſti deſcenſus ad inferos ſit unus de articulis, & veriſimile ſit, quod Beato Joanni revelatus fuit, cum Chriſtus de eo dicat: *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta*: & ideò verbum *Greg:* exponunt, quod dubitavit, ideſt per modum dubitantis ſe habuit, ſcilicet ratione interrogationis. Vel diſtinguunt, quod multiplex eſt dubitatio. Una infidelitatis, quæ fuit in Judeis. Alia tarditatis, quæ fuit in duobus diſcipulis euntibus in Emmaus. Tertia parvitatis fidei, qua quis non tantum confidit ſicut oportet; Et hæc dicitur dubitatio puſillanimitatis *Matth.* 14. *Modicæ fidei, quarè dubitaſti*, & illæ duæ fuerunt in quibuſdam diſcipulis. Quarta eſt pietatis, & admirationis, & hæc fuit in Joanne. Et hujuſmodi ſententiæ fuit *Ambr. ſuper Luc.* dicens quod nòn quæſivit ex dubitatione, vel ignorantia, ſed ex pietate. *& dicit Hieron.* quod ſi Joannes dubitaſſet numquam Chriſtus eum coram plebe tot laudibus extuliſſet. *Criſoſt.* autem ſuper *Matth. homil.* 36. dicit, quod non quæſivit, quià ignoraret, ſed ut per Chriſtum ejus diſcipulis ſatisfieret: Undè Chriſtus àd Beati Joannis intentionem, & diſcipulorum inſtructionem reſpi-

ciens

ciens eis reſpondit, oſtendens operum ſigna.

TITULUS LVI.

De Infidelitate, & Infidelibus communitèr.

POſteà conſiderandum eſt de vitiis oppoſitis fidei. & Primò de infidelitate, quæ opponitur fidei, quantùm ad actum credendi. Secundò de blaſphemia, quæ opponitur fidei, quantùm ad actum confitendi. Circa primum; Primò dicendum eſt de infidelitate in communi. Secundò de Saracenis, & Judeis. Tertiò de hæreticis. Quartò de Apoſtatis. Circà primum, primò de infidelitatis peccato. Secundò de ejus ſpeciebus. Tertiò quomodo Chriſtani ſe debent ad infideles habere; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Peccato infidelitatis.

CIrcà primum ſciendum, quod infidelitas dupliciter poteſt ſumi. Vno modo ſecundùm puram negationem, ut ſcilicèt quis dicatur infidelis ex hoc tantùm, quod non habet fidem, ut illi, qui nihil audiverunt de fide, & hoc modo infidelitas non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quià talis ignorantia divinorum eſt conſequuta ex peccato primi Parentis, & tales non damnantur proptèr peccatum infidelitatis; ſed proptèr alia peccata, quę ſinè fide remitti non poſſunt; *Vndè Ioan. 25. Si veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* Quod *Auguſt.* exponit de peccato, quo non crediderunt in Chriſtum. Alio modo poteſt infidelitas ſumi ſecundum contrarietatem ad Fidem, ſcilicèt in quantum ei repugnat, & contemnitur, cum auditur, ſecundùm illud *Iſa. 50. Domine quis credit auditui noſtro*; & in hoc propriè ratio infidelitatis completur, & oritur ex ſuperbia, ex qua contingit, quod homo ſuum intellectum non vult ſubjicere fidei, & ſanæ doctrinæ Patrum. *Vndè Greg. 31. Moral. dicit*, quod ex inani gloria præſumptiones oriuntur novitatum; licèt dici poſſit, quod ſicut virtutes Theologicę non reducuntur ad Cardinales, ita nec vitia eis oppoſita reducuntur ad vitia capitalia.

Et hoc ſecundo modo infidelitas eſt peccatum; & cum per eam homo maxime elongetur, quià non tantùm quoad affectionem, ſed etiam quoad cognitionem eſt majùs omnibus peccatis, quæ contingunt in perverſitate morum. Secùs eſt de peccatis, quæ opponuntur aliis virtutibus Theologicis, ut infrà dicetur; *Vndè Auguſt. ſuper illud Jo. ſi non veniſſem, & locutus &c. Magnum*, inquit, *peccatum, quod ſub nomine generali vult intelligi, quod ſcilicèt eſt infidelitas*; ſicut autèm habetur 6. *quæſt. 1. quæro ergò, & §. verum*. Hæc *Auguſt.* præcipitare noluit ſententiam de Catholico malo, & hæretico aliàs non peccante, quis eſſet pejor, quià etſi peccatum hæretici ſit gravius ex genere; poteſt tamèn ex aliqua circumſtantia alleviari; & è converſo peccatum Catholici ex aliqua circumſtantia aggravari; licèt etiàm infidelis pro peccato infidelitatis graviùs puniatur, quàm alius peccator pro quocumque alio peccato, conſiderato genere peccati; pro alio tamèn peccato, ut pro adulterio cæteris paribus gravius punietur fidelis, quàm infidelis; tùm proptèr notitiam veritatis ex fide; tùm proptèr fidei ſacramenta, quibus eſt ipſe imbutus, quibus peccando contumeliam facit.

Sed numquid infidelis facere poteſt aliquod bonum opus?

Reſpondeo quod ſic; ſcilicèt illud, ad quod faciendum ſufficit natura, ſcilicèt opus de genere bonorum, non autèm poteſt facere illud, ad quod requiritur gratia, ſcilicèt opus meritorium.

Nec obſtat G*loſ. quæ ſuper illud Rom. 14. omne, quod non ex fide eſt, peccatum eſt, dicit*, quod omnis vita infidelium peccatum eſt; Quià per hoc non intelligitur, quod in omni opere ſuo peccent; Sed quod peccant quandocumquè ex infedelitate opus aliquod operantur. Undè ſubditur ibidem, quod omnis infideliter vivens, vel agens vehementèr peccat. Vel etiàm intelligi poteſt illa Gloſ. quià vita infidelium non poteſt eſſe ſinè peccato, cum ſine fide non tollantur peccata.

De Cornelio vero, de quo in actibus Apoſtolorum habetur, Nota *ſecundùm Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 4.* quod non erat infidelis, alioquin ejus opera non fuiſſent Deo accepta, cui ſine fide nullus placere poteſt. Habebat autèm implicitam fidem, nondùm manifeſtata fidei Evangelii veritate; Undè Petrus ad eum mittitur pleniùs inſtruendum.

ARTICVLVS II.

De Speciebus infidelitatis.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de ſpeciebus infidelitatis. Circà quod ſciendum, quod ſi infidelitas attendatur ſecundum comparationem ad fidem, Species infidelitatis ſunt diverſæ, & numero determinatę, ſcilicèt tres. Peccatum enim infidelitatis conſiſtit in renitendo fidei, & hoc vel fidei nondùm ſuſceptę, ut in Gentilibus, ſivè Paganis; vel fidei ſuſceptæ, & hoc vel ſuſceptæ in figura, ut in Iudeis; vel ſuſceptæ in manifeſtatione veritatis, ut in hæreticis. Si verò ſpecies infedelitatis diſtinguantur ſecundum errorem in diverſis, quæ pertinent ad fidem, ſic non ſunt determinatæ, quia errores in infinitum multiplicari poſſunt, ut patet per *Auguſt. lib. de hęreſibus*. Prædictarum autèm trium ſpecierum infidelitatis ſimplicitèr eſt peſſima infidelitas hæreticorum, tum quià magis fidei reſiſtit, tum quià graviùs peccat, qui non implet, quod promiſit, quàm qui non implet, quod non pro-

promiſit. Hinc dicitur 2. *Pet.* 2. *Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt cognitam retrorſum converti.*

ARTICVLVS III.

Quomodo Chriſtiani ſe debent ad infideles habere.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt, quomodo Chriſtiani ſe debent ad infideles habere. Vbi videnda ſunt quinque, ſcilicèt

I. Vtrùm cum infidelibus ſit publicè diſputandum?

II. Vtrùm infideles ſit cogendi ad fidem?

III. Vtrùm cum eis poſſit communicari?

IV. Vtrùm habere Dominium ſuper infideles ſint permittendi?

V. Vtrùm ritus eorum ſint tollerandi?

Circà primum ſciendum, quod in diſputatione fidei duo ſunt conſideranda. Vnum ex parte diſputantis. Aliud ex parte audientium. Ex parte diſputantis attendi debet intentio; ſi enim diſputet, tamquàm dubitans in fide, peccat tamquàm infidelis; Si vero diſputet ad confutationem errorum, vel ad exercitium, eſt laudabilis. Ex parte vero audientium diſtinguendum eſt, quià ſi ſint inſtructi, & firmi in fide, nullum periculum eſt coram eis de fide diſputare; Si verò ſint ſimplices, aut ſunt ſollicitati, aut pulſati ab infidelibus, fidem in eis corrumpere nitentibus, & tunc neceſſarium eſt diſputare de fide, ſi ſint aliqui apti ad confutandum errores, per hoc enim ſimplices in fide firmabuntur; Taciturnitas vero eſſet eis occaſio erroris Undè Greg. *ſicut incauta loquutio in errorem protrahit, ita ſilentium indiſcretum eos, qui poterant inſtrui, in errore relinquit.* Aut non ſunt ſollicitati, ut in terris, in quibus non ſunt aliqui infideles; & coram talibus diſputare de fide eſt periculoſum, quià fides eorum ex hoc eſt firmior, quod nihil contrarium audiunt ei, quod credunt. Ad hoc nota, quod nulli perſonæ laicæ licet publicè, vel ſecretè diſputare de fide, qui verò contrafecerit, excommunicetur *lib.6. eodem quicumque* §. 1.

Circa ſecundum, nota quod infidelium quidam numquam receperunt fidem, ut Gentiles, & Judęi; & tales ſunt ad fidem authoritatibus, rationibus, & blandimentis inducendi, & non cogendi, quià credere eſt voluntatis, & ſervitia coacta Deo non placent *diſ. 45. de Judęis*. Si tamèn conditionalitèr coacti, ut per minas de rerum ſuarum ablatione, per verba, vel ſimilem coactionem Baptiſmum receperint, & poſteà à fide receſſerint, cogi debent redire, ne fides contemnatur, *ut ibidem*. Si tamèn abſolutè coacti baptizarentur, non reciperent ſacramentum Baptiſmi, nec deberent ad fidem cogi *extra de Bapti. majores in fin.* tales tamèn, qui fidem numquam receperunt, debent à fidelibus ſi poſſint, compeſci, ne aliquo modo impediant fidem Chriſti, proptèr quod quandoquè contra eos bellum movent. Aliqui vero infideles quandoquè fidem receperunt, ut hæretici, & quicumquæ Apoſtatatę; & tales etiàm corporalitèr cogi debent, ut ſervent, quod promiſerunt, & ſic dicit *Auguſt. contra Epiſtolam Perminiani: Quandocumque cujusque crimen ita notum omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ.*

Ad hoc nota, quod contra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierunt, vel redierunt Judęorum, etiam ſi hujuſmodi redeuntes dum erant infantes, ſcilicèt minores ſeptennio, vel mortis metu, non tamèn abſolutè, vel præciſè coacti, fuerunt baptizati, procedendum eſt, tanquàm contra hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per Chriſtianos, ſeu Judęos conjuncti. Et ita procedendum eſt contra fautores hæreticorum, & defenſores *lib. 6. c. contra*. Et ſic apertè dicit tales puniendos ut hæreticos, ergò eorum bona non devolvuntur ad filios, *ut lib. 6. eodem. cum ſecundùm*. Et ſic per hoc *c. contra* corrigitur ſecundùm *Joan. Ang. illud* 1. *quæſt.* 4. *Judęi*. Vbi dicitur, quod bona Judęorum devolvuntur ad filios catholicos. Nec oportet, quod lex nova corrigens præcedentem de illa faciat mentionem *lib 6. de conſti. cap.* 1.

Sed numquid liceret ſecretè parvulos Judęorum, vel aliorum infidelium baptizare?

Reſpondeo; Credit *Rod.* quod ſic, ſi ipſi parvuli eſſent in articulo mortis; aliàs non. Non tamèn rebaptizarentur, ſi poſteà adulti ad fidem convertantur; tamèn ne devorandi lupis, idèſt Judęis, relinquantur, tunc patrini talium laborare debent, quod in fide, & moribus inſtruantur.

Circà tertium nota, quod communio cum aliqua perſona fidelibus interdicitur duplicitèr, Uno modo in pænam ejus, cui communio ſubtrahitur. Alio modo ad cautelam ejus, cui interdicitur, ne communicet, & utraque cauſa elici poteſt ex verbis *Apoſtoli 1. Corinth. 5.* Primo modo non interdicit Eccleſia fidelibus communionem infidelium, qui nullo modo fidem receperunt ſcilicèt Paganorum, vel Judęorum, quia non habet de eis judicare judicio ſpirituali, ſed temporali in caſu, ut cum inter Chriſtianos morantes aliquam culpam committunt, & per fideles temporalitèr puniuntur. Sed hoc modo, ſcilicèt in pænam interdicit Eccleſia communionem illorum infidelium, qui deviaverunt à fide recepta, ſcilicèt eos excommunicando. Quantum verò ad cautelam diſtinguendum eſt, quod firmi in fide non ſunt prohibendi communicare cum infidelibus, qui fidem non receperunt, & maximè ſi neceſſitas cogat; Simplices verò, & infirmi in fide, quorum ſubverſio poſſet probabilitèr timeri, ſunt à communione infidelium prohibendi & maximè ne magnam familiaritatem habeant cum

cum eis, neque ſine neceſſitate communicent cum ipſis.

Circà quartum ſciendum, quod nullo modo permitti debet, quod infideles de novo inſtituantur Domini, vel Prælati, vel officiales ſuper fideles. Hoc enim cæderet in periculum fidei, quià Domini de facili poſſunt ſubditos pervertere, niſi ſint magnæ virtutis; Cæderet etiàm in fidei contemptum, dùm ſcilicèt ipſi infideles noſcerent defectus fidelium; Cæderet etiàm in ſcandalum, & detrimentum fidelium, dùm ſcilicèt infideles eis ſub tali prętextu nimium eſſent infeſti, *extra c. cum ſit*, & *54. diſ. nulla. Vndè. & Apoſtolus 1. Corinth. 6.* prohibuit, ne fideles in judicio contenderent coram judice infideli. Poteſt tamèn Dominus redditus ſuos vendere Iudęo, deputato cuſtode Chriſtiano, à quo ipſos recipiat, ita quod per hoc Chriſtiani non graventur à Iudęo. Si verò loquimur hìc de Dominio, vel prælatione exiſtente antè diſtinctionem Infidelium, & fidelium, illud dominium, vel prælatio non tolletur per talem diſtinctionem ſecundùm ſe conſideratam, quià dominium, & prælatio introducta ſunt à jure humano: illa vero diſtinctio eſt ex iure divino; jus autèm divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex ratione naturali; & ideò illa diſtinctio non tollit dominium præexiſtens infidelium ſuper fideles.

Sed poteſt etiàm dici, quod dominium, & Prælatio introducta ſunt ex jure divino, quià ſervitus, quæ non eſt ſinè dominio, introducta eſt *ſecundùm Goſ.* de jure divino *diſ. 35. ſexto*: confirmata de jure gentium *diſ. 1. Jus gentium*; & approbata de jure canonico 12. *quæſt. 2. ſi quos de ſervis*. Poſſet tamèn jus talis dominii, vel prælationis juſtè tolli per Eccleſiæ ſententiam, vel ordinationem authoritatem Dei habentis, quià infideles merito ſuæ infidelitatis merentur amittere poteſtatem per fideles; ſed hoc Eccleſia quandoquè facit, *ut patebit infrà de ſervis Judæorum*; quandoquè non facit propter ſcandalum vitandum. Sic & Dominus *Matth.* 17. oſtendit, quod excuſari poterant à tributo, quià liberi ſunt filii; mandavit tamèn ſolvi tributum ad vitandum ſcandalum. Et Apoſtolus loquens de Dominis infidelibus 1. *Thim 6.* cum dixiſſet: *Servi Dominos ſuos honorent*, ſubdit, *ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur*.

Circà quintum ſciendum, quod humanum regimen à divino regimine derivatur, & ipſum imitari debet. Deus autem permittit aliqua mala fieri in univerſo, quæ prohibere poſſet, ne ſublatis illis majora bona tollerentur, vel pejora mala ſequerentur; ſic etiam & in regimine humano illi, qui poſſent aliqua prohibere, tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel ne majora mala ſequantur; ſicut *dicit Auguſt. lib. de ordine*: *Auſer meretrices de mundo, & turbaſti omnia prę libidine*. Sic igitur licèt infideles in ſuis ritibus peccent, tamèn tollerari poſſunt, vel proptèr aliquod bonum, quod provenit ex eis, vel proptèr aliquod malum vitandum; ex hoc autèm, quod Judæi obſervant ſuos ritus, in quibus olim figurabatur fidei veritas, provenit hoc bonum, quod ſcilicèt habemus ab eis noſtræ fidei teſtimonium, & ideò in ſuis ritibus tolerantur. Aliorum verò infidelium ritus, qui nihil veritatis, vel utilitatis habent, non ſunt tolerandi, niſi fortè proptèr vitandum aliud ſcandalum, vel malum, vel diſſidium, quod ex hoc provenire poſſet, vel impedimentum ſalutis eorum, qui ſic tolerati paulatim convertuntur ad fidem.

TITVLVS LXVII.

De Judæis, & Saracenis.

DEindè conſiderandum eſt de Judæis, & Saracenis. & Primò qui dicuntur Judæi, & Saraceni. Secundò quomodò ſe debent habere ad eos Chriſtiani. ubi plura, quæ dicta ſunt in titulo præcedenti in generali, explicantur magis in ſpeciali. Tertiò de pœna tranſgreſſionis. Quartò quid juris de ſervis eorum, ſi ſunt, vel volunt fieri Chriſtiani; ideò ſit

ARTICVLVS I.

Qui dicuntur Judæi, & Saraceni.

CIrcà primum nota, quod Judæi dicuntur, qui legem Moyſi tenent ad literam, ſe circumcidendo, & alia legalia faciendo; dicti *Judæi* à Tribù digniori, ſcilicèt Judæ Patriarchæ, Saraceni verò dicuntur, qui nec novum, nec vetus teſtamentum recipiunt, qui cum vocari deberent Agareni, quià nati ſunt de Agar Ancilla Abrahæ, ſe à Sara uxore ejus, & libera nominant Saracenos. Sunt tamèn quidam inter eos. ſcilicèt Samaritani, à Samaria Civitate dicti, qui quinque libros Moyſi receperunt, ſed non Prophetas.

ATICVLVS II.

Quomodò ſe debent habere ad eos Chriſtiani.

CIrcà ſecundùm nota, quod Chriſtiani aliquo modo non debent cum Judæis comedere, nec habitare, nec eos ad ſua convivia recipere 28. *quæſt. 1. nullus*; & *c. omnes*. Cum Saracenis verò poſſunt comedere 11. *quæſt. 3. ad menſam*. Ratio hujus diverſitatis eſt, quià Judei fidem noſtrã magis impugnant per ſcripturarum abuſum, & ciborum noſtrorum contemptum. Quidam tamèn ut *Laur. Jo.* & multi ſequaces eorum dicunt indiſtinctè; & meliùs ſecundùm *Ray. & Goſ.* quod nec cum Saracenis debent Chriſtiani facere prædicta, quià & ipſi hodie

hodie judaizant, ſcilicèt ſe circumcidendo, & quoſdam cibos diſcernendo; Vndè eadem eſt cauſa prohibitionis utrobique. Excipiuntur tamèn caſus, in quo licet uti cibis appoſitis à paganis, temporibus tamèn ſervatis ab Eccleſia ſtatutis, ut cum ad prædicandum Chriſti fidem ad eos accederent Chriſtiani *extra e. quam ſit*. Et ſic intelligitur illud 11. *quæſt.* 3. *ad menſam*, dummodo dictum non eſſet eis, quod illud eſſet immolatum Idolis; quià tunc ut dicit *Auguſt.* ſanctiùs eſſet fame mori, quàm Idolatico cibo veſci 32. *quæſt.* 4. *ſicut*. Quod eſt intelligendum ſi veſceretur ad venerationem Idoli. Alias in ſumma neceſſitate famis poſſet eo veſci, ſcilicèt proteſtando, quod non comederet ad venerationem Idoli, quià neceſſitas non habet legem *de conſecra. diſ.* 5. *ſicut*.

Itèm Chriſtiani non debent, cum ſint infirmi Judęos vocare, nec ab eis medicinam recipere, nec ſe cum eis in eiſdem balneis balneare 28. *q.* 1. *nullus eorum*.

Itèm Judęi non debent permitti novas Synagogas erigere, ſed antiquas; non tamèn latiores, vel altiores, vel pretioſiores ſolito reficere, & ſuos ritus, & ſolemnitates ſervare *extra e. Judei*, & *c. conſuluit*.

Itèm in Sabbatis non debent ad judicia trahi, nec alios trahere, nec ſepulchra eorum effodi obtentu alicujus pecuniæ *c. e. die Sabbato*, & *extra e. c. ſicut Judęi*, nec debent in ſuis feſtis perturbari, *ut dicitur ibidem*.

Itèm non ſunt permittendi in triduo antè Paſcha, & maximè in die veneris ſancti hoſtia, vel feneſtras apertas habere, & in publicum prodire, *extra e. quià*, eo quod nonnulli ex eis die illo ſolent Chriſtianis illudere *extra e. in nonnullis*, ſic etiam & alias abominationes, & abuſus prohibentur facere *extra e. & ſi Judeor*.

Itèm cogi debent in omni Chriſtianorum provincia omni tempore tale ſignum, vel habitum deferre, quo diſtinguantur ab aliis manifeſtè *extra e. in nonnullis*.

Itèm Judęi cogi debent decimas ſolvere prędiales, *extra de decimis de terris*.

Itèm cogi debent teſtes Chriſtianos contra ſe recipere *extra de teſtibus c. Judęi*. Judęi verò contra Chriſtianos teſtificari non poſſunt, *ut dicitur ibidèm in Gloſ.* & 2. *quæſt.* 7. *ſi hæreticus*. Nec Reges, nec Principes debent privilegia concedere, vel conceſſa ſervare, vel ſervare permittere Judęis, vel Saracenis, quod per Chriſtianos convinci non poſſint *extra lib.* 7. *de teſtibus. cum Judęi*.

Itèm Chriſtiani non debent Judęos gravare *extra e. ſicut*; niſi fortè circà penſionem, exactiones in principio locationis, non poſteà, ut ſic cogantur converti 23. *quæſt.* 6. *jam verò*.

Itèm nullus Judęo, vel Pagano poteſt aliquid in teſtamento relinquere, quod ſi fecerit etiàm poſt mortem judicabitur anathema, ideſt anathematizabitur, *extra e. de hæret. Si quis Epiſcopus*. Et 24. *quæſt.* 2. *ſanè*. Dicit tamèn *Hoſtien.* quod univerſitati Judęorum legari non poteſt *c. e.* L. 1. *ſed ſingulis* fortè ſic laico: Sed Clerico non licet, etiàm ſi Judęus ſit frater ejus, eos tamèn paſcere licet. *Rod.* verò credit, quod ſivè Clericus, ſivè Laicus daret Judęis, ſivè legaret eis, maximè conſanguineis, ut eorum ſuccurreret arte neceſſitati, puniri non deberet.

Itèm ſi Judęi, vel Saraceni veniunt ad fidem nullatenus à poſſeſſionibus ſuis excludantur, & habeant partem hæreditatis ſuæ, & hoc eſt verum præter ſervos, qui præceſſerunt eos in fide, quos non recuperabunt *C. de Epiſc. Deo nobis*, & *extra e. Iudęi* 1. Cum tamèn Judęi ſint ſervi, non poſſideant eas ut proprias, ſed ut peculium; Undè poſſunt illi privari per Dominos ſuos, niſi cum convertuntur ad fidem, quià tunc non debent in fidei favorem, niſi eas habeant per uſuram; in quo caſu reſtituere debent eas, vel prętium earum, ſi comparatę fuerint de uſura, illis, vel hæredibus eorum, à quibus eas habuerunt, ſi ſciantur; Aliàs poterunt ſicut converſis, tanquàm pauperibus per Epiſcopum aſſignari *ſecundùm Rod. & Bern. ſuper cap. Iudęi* 2.

Itèm licèt Domini terrarum res Judęorum, cum ſint ſervi, poſſint accipere, ut dictum eſt, non tamèn debent eis neceſſaria ſubſidia vitæ ſubtrahere, nec exactionibus ultra ſuorum prædeceſſorum conſuetudinem prægravare. Si tamèn ipſi Judęi nihil prætèr uſuras haberent, accepta ab eis ex cauſa lucrativa, ſivè ex cauſa lucri captandi, putà per exactionem, donationem, & punitionem licitè retinere non poſſunt, ſed illis, quibus ipſi Judęi reſtituere tenebantur, ſi invenirentur, reſtitui; aliàs in pios uſus erogari deberent. Habita verò ab ipſis Judęis, nihil pręter uſuras habentibus, habita inquàm, ex cauſa non lucrativa, ſivè cauſa damni vitandi, ut proptèr venditionem, vel locationem, poſſunt licitè retineri, dummodò non accipiatur res ipſa uſuraria eadem numero. Et idem dicendum eſt de receptis à Chriſtianis, nihil prætèr uſuras, vel furta, vel rapinas habentibus.

Itèm non permittitur Judęis, vel Saracenis in domibus ſuis habere mancipia Chriſtiana *extra e. Iudęi* 2.

Itèm Chriſtiani pro nulla mercede exponant ſe ſervitio Iudęorum, quod intelligitur in domibus Iudęorum, & ſi nolint ab eis diſcedere, ſunt excommunicandi, *ut in c. Iudęi*: Et ſi Iudęi nolint eos dimittere, prohibetur Chriſtianis commercium cum eis *extra e. ſi Iudęos*. Poſſunt tamèn colere prædia, *extra e. multorum*.

Itèm Eccleſia neutros admittit ad ad actus legitimos 2. *quæſt.* 7. *alieni*. Sic igitur judicat in pluribus Iudęos Eccleſia, licèt ſint infideles; nec tamèn facit contra illud 1. *Corinth.* 6 *quid mihi de his, qui foris ſunt judicare?* quià hoc intelligitur de pœna ſpirituali directè, ſic enim directè eos non judicat, ſcilicèt eis pęnam ſpiritua-

tualem infligendo, vel regulas religionis imponendo, ſed infligit eis pœnam temporalem, ſcilicèt corporalem, vel pecuniariam; vel etiam ſpiritualem indirectè, ſcilicèt Chriſtianos ab eorum communione removendo; *Hæc Alex. Ang. in 2.*

Itèm Iudęi poſſunt agere, & convenire apud judices Chriſtianos, ſed non apud ſeniores eorum arbitrarium poſſunt eligere judicium, cujus ſententiam ordinarius exequatur. *c. e. Iudęi Romano more.*

Itèm Principes Catholici non debent in terris ſuis permittere Saracenos alta voce aliqua verba dicere in honorem Machometi, nec aliquem Saracenum, ut ſanctum venerari, *lib. 7. de Iudęis. cadit.*

ARTICVLVS III.

De Pœna tranſgreſſoris.

Circà tertium ſciendum, quod tranſgreſſores omnium prædictarum conſtitutionum in hoc titulo poſitarum puniuntur hoc modo. Si Clerici ſint, & admoniti canonicè ſatisfacere nolint, officio, & beneficio ſunt privandi. Si verò ſunt Laici Chriſtiani, ſivè Principes exequi nolentes, ſivè alii impedientes, debent, ſi admonit non ſatisfecerint, excommunicari. Si verò fuit Judęi, vel Saraceni tandiù Chriſtiani ſunt abneorum conſortio, commercio, & communione ſub pęna excommunicationis, ſi expedierit, removendi, donec nutrices, & ſervientes Chriſtianas dimiſerint, & reſtituerint omnia bona ſua illis, qui de ritu ſuo ſidem Chriſtianam elegerunt, & donec etiam in uſus pauperum Chriſtianorum, ſecundùm providentiam Epiſcopi diœceſis convertatur quicquid à Chriſtianis adepti fuerint occaſione officii ſuper Chriſtianos ſuſcepti; & hoc intellige de Judęis, & Paganis.

Statuit etiam Eccleſia illos Judęos publicè cędendos, qui ſubvertere attentaverint ex infidelibus baptizatos, & ſimiles pęnas pęcuniarias, ſecundùm qualitatem delicti; moderatione tamèn habita in verberibus, quod ejus ſtatutum in vindictam ſanguinis tranſire minimè videatur; Talis enim pęna indiſtinctè debet relinqui judici ſęculari.

Probantur omnes iſtæ pœnæ 28. *quæſt. 1. ſæpè, & c. nullus, & extra ſicut, & c. & ſi Iudęos, & c. cum ſit, & extra de raptoribus in Archiepiſcopatu, & 17. quæſt. 4. conſtituit.*

Itèm Chriſtiani prohibiti ſunt deferre Saracenis Arma, ferrum, & lignamina; & contrarium facientes ipſo facto ſunt excommunicati, *extra c. ita quorumdam, & cap. ad liberandam.*

Et idem eſt de illis, qui eis galeas, vel naves vendunt, aut in navibus eorum piraticis curam gubernationis exercent; vel quibuſdam aliis machinis impendunt eis aliquod conſilium, vel auxilium in diſpendium terræ ſanctæ, *ut in c. ad liberandam.*

De hoc etiam vide infra *lib. 7. de cenſu Eccleſiaſtico c. ſivè tit. 2. can. 25.* Aliæ vero merces non ſunt prohibitæ tempore treguæ; *extra c. ſignificavit.*

ARTICULUS IV.

Quid juris de ſervis eorum ſi ſunt, vel vel volunt fieri Chriſtiani.

Circà quartum ſciendum, quod ſervus Judęi, aut eſt vernaculus, ideſt de ancilla propria natus, aut emptitius. Si vernaculus, ſi ſit, vel velit fieri Chriſtianus, ſtatim efficitur liber nullo prætio dato *c. de Epiſcopo, & Cle. Deo nobis, ar. di. 54. fraternitatem.* Si verò eſt emptitius, aut erat Chriſtianus, quandò fuit emptus, aut Paganus. Si Chriſtianus indiſtinctè liber efficitur nullo prætio dato *diſ. 54. mancipia.* Similitèr etiam ſervi hæreticorum impunè poſſunt, & & dominos relinquere, & ad Eccleſiam confugere *c. de hæret. & Mani. Manicheos.* Si autèm erat Paganus, aut fuit emptus cauſa ſervitii, & tunc ſi vult fieri Chriſtianus, efficitur liber ſinè prætio *di. 54. fraternitatem.* Aut cauſa mercimonii, & ita ſi infrà tres menſes eum non expoſuerit venale, poſteà ſi velit fieri Chriſtianus ſinè prætio liberabitur, quià præſumitur, quod emerit pro ſervitio. Si autèm eum expoſuit infra tres menſes, & ipſe vult fieri Chriſtianus infra ſpatium illud, vel poſt, dum tamèn per Dominum non ſteterit, quo minus eum vendiderit infra ſpatium illud, liberabitur reddito prætio duodecim ſolidorum *diſ 54. fraternitatem, & extra e. c. 1. & 2. & ultimo.* Et hoc intellige niſi Dominus eum nolentem, cum diceret ſe velle fieri Chriſtianum, circumcideret, vel ei alterius ſectæ ſignum imprimeret: Tunc enim pro injuria corporis proprii ſinè prætio liberabitur *diſ. 54. nulla.* Quod autèm dictum eſt de ſervis Judęorum, idem dicendum eſt per omnia *ſecundùm Lauren. Io. & multos alios* de ſervis Saracenorum;

Hugo verò dixit de vernaculis Judęorum, quod etiam ſi fiant Chriſtiani Dominis Paganis ſervire tenentur. Et ſic Paganus poteſt eſſe Dominus Chriſtiani, ſed non fieri, ut etiam ſupra dictum eſt in titulo præcedenti Secùs eſt de vernaculis Judęorum proptèr perſidiam, & magis ſuſpectam cohabitationem illorum. Primum magis placet ſecundùm *Ray. & Alexan. in 2.* quià hodie eadem ſuſpicio, & idem periculum eſt de utriſque, ut etiam ſupra dictum eſt.

Sed cujus monetæ erunt illi duodecim ſolidi ſupradicti?

Reſpondeo. Dicunt quidam, quibus videtur conſentire *Gof.* quod ſolidus ibi accipitur pro aureo, *Inſt. de pe. tem. litig. §. fin.* Alii dicunt, quibus aſſentit *Ray.* quod erunt illius monetæ, quæ habetur in uſu, *ff. de legat 3. l. nummis.*

Sed

Digitized by Google

Sed numquid ille ſic redemptus, ſiet redimentis ſervus?

Reſpondeo quod non, ſed reddet ei pecuniam, & erit liber; *ar. inſti. de noxa. act. §. Dominus*. Et ſi non poteſt ei reddere, hoſtiatim quærat; vel ipſi redimenti aliquanto tempore ad arbitrium boni viri ſerviat *art.* 36. *quæſt.* 1. *de raptoribus*. Si tamèn ab aliquo ex pietate redimatur animo non repetendi, nec prætium reddetur, nec pro prætio ſervietur, quià quod ex pietate datur, prohibet jus, ne repetatur, quod ſemper præſumitur, niſi contrarium proteſtetur *ff. de relig. & ſumpti. fune. l. & ſi quis §. ſed interdum*.

Quid ſi plures concurrant ad redimendum?

Reſpondet *Goffre. & Hoſtien.* quod Epiſcopus loci eligat magis idoneum *art. ff. de. act. l. ſi plures*. Vel ſi ſint pares, Epiſcopus gratificet, cui velit; *art. extra de jurepatro. cum advocatus*.

Sed numquid Chriſtianus poteſt emere Iudęum, vel Paganum?

Reſpondeo quod ſic; *extra e. & ſi Iudęus*. Sed Judęum ſecum in familia non habebit 28. *q.* 1. *ſepè*, *& c. nullus*, & ſi ille velit fieri Chriſtianus, non poteſt prohiberi 16. *quæſt.* 2. *duę*: *& extra de renunci. niſi cum pridem §. ſed dices*; Baptizatus tamèn remanebit ſervus Domini; 12. *quæſt.* 2. *Eccl. ſervos*.

TITULUS LVIII.

De Hæreticis.

Poſteà conſiderandum eſt de hæreticis. & Primò quis, & quot modis dicitur hæreticus. Secundò qua pęna feriantur hæretici. Tertiò qua pœna feriantur fautores eorum. Quartò qua pœna feriantur Domini negligentes extirpare hæreſim. Quintò qualitèr ab hæreſi rediens recipiatur. Sextò quis relapſus cenſeatur. Septimò qui Notarii, & qui teſtes in officium inquiſitionis admittantur. Octavò quanta, & qualis poteſtas inquiſitoribus datur; ideò ſit

ARTCVLVS I.

Quis, & quot modis dicatur hæreticus.

Circà primum ſciendum; quod nomen hæreſis grecè, ſonat electionem latinè. Loquimur autèm nunc de hæreſi, ſecundùm quod eſt circa ea, quæ ſunt fidei. Electio enim eſt eorum, quæ ſunt ad finem præſuppoſito fine; & ideò rectè dicitur hæreſis ſpecies infidelitatis pertinens ad eos, qui Chriſti fidem profitentur, ſed ejus doctrinam pervertunt. Hi enim Chriſto tanquàm fini aſſentiunt, ſed in eligendo ea, de quibus Chriſto aſſentiunt, deficiunt, quià non eligunt ea, quæ

verè ſunt à Chriſto tradita, ſed ea, quæ ſuggerit ſibi mens propria.

Invenitur autèm hęreticus dici multiplicitèr. Dicitur enim hæreticus errans in fide; Undè *Auguſt.* dicit, quod hęreticus eſt quæ falſam opinionem de fide vel gignit, ut hæreſiarcha, ſcilicèt Arrius, Sabellius, & Macedonius; vel ſequitur, ut qui hæreſiarcham imitatur, ut Ariani, Sabelliani, & Macedoniani 24. *quæſt.* 3. *hæreticus*, *& c. quidam*.

Dicitur autèm hæreticus, ut dicit *Hieron. qui ſcripturam alitèr intelligit, quàm Spiritus Sanctus, à quo ſcripta eſt, efflagitat, licèt ab Eccleſia non receſſerit 24. q. 3. hæreſis*. Hoc autèm facit, qui expoſitionem ſacræ ſcripturæ ad hoc retorquet, quod contrariatur ei, quod revelavit Spiritus Sanctus; *Undè Ezech. 13. dicitur de falſis Prophetis*, quod perſeveràverunt confirmare ſermonem, ſcilicet per falſas expoſitiones ſcripturæ.

Dicitur etiàm hæreticus qui à Sacramentis Eccleſiæ, & communione fidelium eſt diviſus 4. *quæſt.* 1. *quod autèm hi. ut excomunicatus*.

Dicitur etiàm hæreticus, qui eſt ſacramentorum perverſor, ut ſymoniacus, qui vendit, vel emit bona ſpiritualia, vel Eccleſiæ ſacramenta, *ut in quæſt. 1. præsbyterum*, *& c. quæſt. 3. pervenit*.

Itèm dubius in fide *extra e. cap.* 1. Undè in levi articulo devians à fide, cenſetur hæreticus *c. e. l.* 2.

Itèm qui conatur auferre Eccleſiæ Romanæ privilegium à Chriſto ſibi traditum *diſ.* 22. *cap.* 1. omnes prædictos ſex modos ponit *Goſ. & Hoſti.* Addit autèm prædictus *Hoſti.* ſcilicèt, quod largè poteſt dici hæreticus omnis, qui non tenet articulos fidei; & ſic Iudæi, & Gentiles ſunt hæretici, & hoc modo non omnis hæreticus eſt excommunicatus.

Itèm dicitur hæreticus, qui communionem Eccleſiæ Catholicæ non recipit; *in aut. de privile. dotis, hære. mu. non præ. poſt principium coll.* 8.

Itèm qui tranſgreditur præcepta Sedis Apolicæ *diſ.* 19. *nulli*.

Itèm qui non recipit ea; *diſ.* 20. *de libellis*.

Sed ſtrictè dicitur hæreticus, qui alitèr ſentit de articulis fidei, quàm Eccleſia Romana 24. *quæſt.* 1. *hæc eſt fides*.

Itèm non eſt docendum, nec ſentiendum de ſacramentis Eccleſiæ alitèr quàm ſentit Eccleſia Romana; hi enim, qui faciunt hoc, ſi ſit notorium, & omnes alii, licèt ab initio occulti; ex quo ſinguli Epiſcopi per ſuas Dioceſes cum conſilio Clericorum; vel ipſi clerici, ſede vacante, cum conſilio, ſi oportuerit, vicinorum Epiſcoporum, eos judicaverint hæreticos, ſunt anathematis perpetuo vinculo innodati *extra ad abolendam. reſponſ.* 2. *Hæc Hoſtien.*

Numerantur autèm 24. *quæſt.* 3. *quidam* uſque ad finem quæſtionis, ſectæ hereticorum 78.

quarum novem ultimas non nominat Auctor ſpeciali nomine, ſunt autèm omnes hæreſes hodiè damnatę *extra è. ad abolendam*. Eſt autèm præſentis intentionis conſiderare de hæreticis ſecundum primum modum dicendi hæreticum, ſecundum quem etiàm modum dicitur hæreticus, qui de articulis fidei, vel ſacramentis Eccleſiæ ſentit alitèr, quàm Romana Eccleſia.

Sciendum autèm quod ſicut dicit *Auguſt.* & habetur 24. *quæſt.* 3. *dixit Apoſtolus*. Si quidam ſententiam ſuam, licèt perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autèm cauta ſollicitudine veritatem, parati corrigi, cum invenerint, non ſunt inter hæreticos computandi; quià ſcilicèt non habent electionem contrariam doctrinæ Eccleſiæ.

Si quis autem determinationi univerſalis Eccleſiæ pertinacitèr reſiſteret, hæreticus cenſeretur, cujus quidem authoritas principaliter in Papa reſidet 24. *quæſt.* 1. *quoties*, & *c. hæc eſt fides*. Ex his patet, quod non quicumque deviat à fide, ſed qui pertinacitèr deviat, propriè dicitur hæreticus.

Numquid hęreſis ad omnia credibilia ſe extendit.

Reſpondet *Alex. Ang. tit.* 2. *de hęreſi art.* 7. *c.* quod hæreſis ad tria genera credibilium extenditur per oppoſitionem ad fidem, tamè ſecundùm quamdam analogiam; Nam ratio fidei primò, & principalitèr eſt circa articulos fidei, & per oppoſitum hęreſis. Secundò fides extendiditur ad illa, quæ docet ſacra ſcriptura circa mores, ut quod fornicatio eſt peccatum mortale, & per oppoſitum hæreſis. Tertiò fides extenditur ad hiſtorias in Biblia contentas, & per oppoſitum hæreſis. Qui enim aſſereret aliquam hiſtoriam biblię eſſe falſam, & hoc pertinacitèr, hæreticus cenſeretur. Prima credibilia prius creduntur, & poſteà intelliguntur; Secunda ſimul intelliguntur, & creduntur; Tertia creduntur, & numquàm intelliguntur.

Sed numquid excuſatur aliquis ab errore, ſi teneat opinionem magiſtri, quem audit.

Reſpondeo, in his, quæ non pertinent ad fidem, vel mores, poteſt aliquis ſine periculo ſequi hanc opinionem, vel illam; In his verò, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus. In dubiis enim non debet quis de facili aſſentire, ſed ut dicit *Auguſt. lib.* 3. *de doctrina Chriſtiana*, debet conſulere regulam fidei, quam de locis planioribus ſacræ ſcripturæ, & authoritate Eccleſiæ percepit. Qui ergò aſſentit opinioni alicujus manifeſtè contrariæ ſacræ ſcripturæ, vel etiam publicæ doctrinæ Eccleſiæ, excuſari non poteſt ab errore.

Et hic nota, quod *ſecundum* Alex. *Ang. ubi ſupra art.* 1. *quæſtiuncula* 2. *o.* tria concurrunt ad perfectam rationem hæreſis, ſcilicèt Falſa credulitas in rationali; Perverſa voluntas in concupiſcibili; Et defenſionis, ſivè impugnationis pertinacitas ex parte iraſcibilis. Secundùm primum attenditur illud *Hieron.* ſcilicèt, *qui ſcripturam* &c. ut ſuprà. Secundùm primum, & ſecundum attenditur deſcriptio *lib. de utilitate credendi*, ſcilicèt, quod hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque gratia falſas opiniones, vel novas gignit, vel ſequitur. Et tangit hic *Aug.* illud, quod frequentèr accidit, cum dicit: *Qui alicujus* &c. Secundùm verò tertium, ſuppoſitis primo, & ſecundo, attenditur deffinitio, quæ ponitur in Gloſ. ſuper illud 1. *Corinth.* 11. *Audio inter vos ſciſſuras eſſe. Qui*, iniquit, *in Eccleſia Dei prava ſua dogmata defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt*.

ARTICULUS II.

Qua pœna hæretici feriantur.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt qua pęna hæretici feriantur. Circà quod nota, quod puniuntur vitatione, excommunicatione, depoſitione, rerum ablatione, & militari perſecutione. Puniuntur quidem vitatione; circa quod nota ſecundùm *Alex. Ang. tit.* 2. *c. de hęreſi art.* 10. *o.* quod multiplex eſt communio, & ſimilitèr multiplex eſt communionis privatio. Eſt enim communio ſpiritualis, ſcilicèt, quæ eſt in conſenſu vero, vel interpretativo, & hoc modo non eſt cùm hæreticis communicandum, ſic intelligitur illud 2 *Corinth.* 6. *exite de medio eorum*. *Gloſ. ſpiritualitèr, ſcilicèt, ut eorum ſcelera increpetis*.

Secundò eſt communio in ſacramentis, & hoc modo etiam non eſt communicandum cum hæreticis notatis, ſivè nominatis; qui etiàm licèt non ſint notati, ſivè nominati, quantùm tamèn eſt de ſe, privantur effectu communionis ſacramentorum, quià ipſo jure ſunt excommunicati, ſivè ſint occulti, ſivè manifeſti, *extra de hære. excommunicamus*.

Tertiò eſt communio in cibo, potu, & hujuſmodi, & hoc etiam modo non eſt communicandum cum illis hæreticis, qui præciſi ſunt ab Eccleſia nominatim.

Quartò eſt communio corporalis, ut cohabitatio in eadem civitate, & talis communio non vitabatur in principio propter multitudinem hęreticorum, & etiàm adhuc alicubi non vitatur; Si autèm ab aliquibus timeretur de lapſu, tutius eſſet non habitare cum eis; & ſecundùm hanc diſtinctionem ſolui poſſunt, ſi quæ objiciantur.

Sed objicitur illud *Matth.* 13. *Ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum, ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem: Zizania* ſunt hæretici, *triticum* fideles, *Meſſis* finis ſæculi; ergò hæretici ſunt tollerandi inter fideles, & non ſunt ab eis ſeparandi, vel vitandi uſque ad finem ſæculi.

Re-

Reſpondeo; Illud dictum poteſt intelligi de hæreticis occultis, quorum hæreſis deprehendi non poteſt. Tales enim, etſi excommunicentur excommunicatione generali, non tamèn excommunicatione perſonali, nec exterminantur gladio materiali, niſi cum multitudine infidelium manifeſtorum inveniantur. Vel intelligi poteſt de catholicis malis; Undè *Rabanus*: habens diſcretionis exemplum æquanimitèr tolerare debet malos proptèr bonos.

Secundum autèm eſt, quod meſſis dicitur illud tempus, quo hæretici manifeſtè corrupti vi aliorum ſunt abjiciendi Evangelica falce; ſecundum hoc intelligitur permiſſio pro tempore illo, quo non diſcernitur plenè, an ſit hæreticus; cum autèm innotuerit plenè Eccleſiæ corruptio ſua, eſt perſonalitèr precidendus; *Undè Auguſt. lib. de vera religione* dicit ſententialitèr, quod in Eccleſia tandiù ſubſtinetur error alicujus, donec aut accuſationem inveniat, aut opinionem pravam pertinacitèr defendat. Cum autèm dicitur 1. *Corinth.* 12. *neceſſe eſt hæreſes eſſe*: ibi dicitur; neceſſe eſt illud, quod eſt utile per accidens, ſivè pretèr intentionem hæreticorum, ſcilicèt ad hoc ut ab his, qui ſe exercent in divina ſcriptura, pigritia eam diſcutiendi excutiatur, & magis fidei veritas declaretur; & hoc habetur ex *Gloſ. ibidem*, undè & ſecundùm, quod habetur *ex Gloſ.* ſuper illud *Iſaiæ* 7. *Hæc dicit Dominus Deus &c.* ſemper, ſcilicèt uſquè ad finem ſæculi erunt aliquæ hæreſes, vel malitiæ hominum ad exercendum fidelium patientiam, & ſapientiam.

Puniuntur etiàm hæretici excommunicatione, quià omnis hæreticus, ſivè occultus, ſivè manifeſtus eſt ipſo jure excommunicatione majori excommunicatus; *extra e. ad abolendam*.

Itèm depoſitione, quià indiſtinctè, ſivè ſit Clericus, ſivè Laicus, Papa, vel Imperator, vel quilibet inferior, deponi debet ab omni dignitate *diſ.* 40. *Si Papa*, & 24. *quæſt.* 1. *qui contra pacem*, & *extra e. ad abolendam*. Damnati verò præſentibus ſecularibus poteſtatibus, aut eorum balivis relinquantur ar[...] adverſione debita puniendi. Clericus priùs à ſuis ordinibus degradatur, niſi continuò poſt depræhenſionem erroris ſpontè, ac canonicè recurreret ad fidei unitatem; *extra e. ad abolendam*, & *c. excommunicamus* 1. & *c. excommunicamus* 2. Degradationem autèm in tali caſu, ſivè Presbyteri, ſivè alterius in ſacris conſtituti facere poterit ſolus Epiſcopus proprius, convocatis Abbatibus, aliiſque Prælatis, & religioſis perſonis, ac literatis ſuæ diœceſis, de quibus videbitur expedire; *lib.* 6. *e. c.* 1. Et ſecundùm *Jo: Ang.* per hoc quod dicitur ſolus non excluditur capitulum ſuum; 18. *quæſt.* 2. *nullam*. Degradatione autèm celebrata dicet Epiſcopus Poteſtati, quod in ſuum forum recipiat degradatum, & ſic intelligitur ſibi tradi. Pro eo tamèn debet efficacitèr Eccleſia rogare, ut citra mortem puniatur *extra e. de verb. ſigni. novimus* Sunt autèm hæretici ſecundum leges puniendi ultimo ſupplicio *C. e. Arriani*, de conſuetudine tamèn cremantur.

Sed quomodò depræhendetur error?

Reſpondeo dicunt aliqui, quod error deprehenditur aliquando per facti evidentiam; Aliquandò per confeſſionem in jure factam; Aliquandò per probationem teſtium, vel inſtrumentorum. Dixerunt ergò aliqui, quod prędicta exceptio, ſcilicèt niſi continuò, intelligitur de depræhenſione erroris, ſecundùm duos primos modos. Aliqui autèm dixerunt, quod etiàm ſecũdùm tertium modum. Sed quià ſecundùm *Rod.* conſuetudo alitèr ſe habet, quæ eſt optima legum interpres, credit ipſe *Rod.* ſinè præjudicio, quod loquitur tantùm de depræhenſione erroris in facto, ſcilicèt cum invenitur prædicans, vel docens errorem, aut faciens reverentiam ſecundùm ritum talium; quo modo dicitur furtum depræhenſum, cum fur deprehenditur in furando, vel cum furto, antequam ſe recipiat ad locum deſtinatum. Undè poſt talem deprehenſionem licet ſic deprehenſo ad unitatem fidei reverti, *continuò*, ideſt antequam divertat ad actum contrarium. Vel ſicut aliqui volunt, & alicubi de conſuetudine ſervatur, *continuò*, ideſt prima die, qua examinatur cauſa illa. Ita etiàm quod hoc faciat ſpontè, ideſt non metu probationum, vel cruciatuum; & canonicè, ita quod paratus ſit hæreſim abjurare, & ad mandatum Eccleſiæ pœnitere. Si qui autèm de prædictis, poſt quam fuerint depræhenſi, redire noluerint, ad agendum condignam pœnitentiam ſunt in perpetuo carcere detrudendi; *extra e. excommunicamus* 2. §. *Si qui*.

Itèm puniuntur rerum ablatione, quià omnia bona eorum confiſcari debent Eccleſiæ, cui ſerviebant, ſi Clerici erant; & idem eſt, ſi erant laici Eccleſiæ temporalitèr ſubjecti. Aliorum verò laicorum bona Principibus *extra e. excommunicamus* 2. & *diſ.* 8. *quo jure*. Sunt autèm bona hæreticorum ipſo jure confiſcata; ſed non debent apprehendi per Dominum ſecularem, niſi priùs fuerit denunciatum ſupèr crimine per Eccleſiaſticum judicem, qui hoc poſſit; *lib.* 6. *c. cum ſecundum*. Sunt autèm confiſcata à tempore criminis commiſſi *c. e. l.* 5. etiàm ſi habeat filios catholicos ſecundum *Jo. Ang.* quià nec textus diſtinguit. Non tamèn proptèr hæreſim virorum dotes uxorum catholicarum confiſcari debent, niſi ipſę fortè contraxiſſent cum illis, quos tales tunc eſſe ſciebant *lib.* 6. *c. decrevit*.

Itèm vaſalli ſunt ipſo jure abſoluti à fidelitate in omni pacto vallato quacumque firmitate, quo hæreticis tenebantur *extra e. c. fin.*

Itèm militari perſecutione, quià ſi alitèr fieri non poteſt, manu militari omnia bona debent eis auferri, quià nullo jure poſſunt ab eis poſſideri *diſ.* 8. *quo jure*, & 25 *q.* 7. *c.* 1. 2. & 3.

Sed numquid Catholici poſſunt hæreticos auctoritate propria ſpoliare?

Vi-

Videtur quōd ſic; Videtur enim Eccleſia eis dare generalem authoritatem ipſos exterminandi. Concedit etiàm exterminantibus idem privilegium, quod euntibus in terræ ſanctæ ſubſidium eſt conceſſum 23. *quæſt.* 8. *ſcire vos*, & *c. hortatu*; & *c. omni timore*, & *extra e. excommunicamus* 1. § *Catholici*. Tamèn ſatis videtur tutum, quod ſemper fiat ex dicto Principis, vel Eccleſiæ, ne ab aliis ex cupiditate, vel ultione potius, quàm ex juſtitia, vel obedientia videantur pugnare 23. *quæſt.* 1. *quid culpatur*.

Quid ſi convertantur poſteà ad fidem, numquid eis ablata reſtituentur?

Reſpondeo quod non, niſi ex gratia *extra e. vergentis, in fin.*

Quid ſi hæretici habeant filios, vel alios conſanguineos orthodoxos? Numquid illi bona ſua debent habere?

Videtur quod ſic; quia hoc dicunt leges *c. e. Manicheos*, & *l. cognovimus*, & *in auth. ibi ſignata, idem in Neſtorianis*. Sed contrarium videtur, quià *Inno.* arguens à minori de crimine leſę Majeſtatis terrenæ, ad crimen leſę majeſtatis divinæ conſtituit etiàm alios orthodoxos à paternis bonis penitùs excludendos; *extra e. vergentis in fine*, quod videtur intelligendum *ſecundum Ray.* cum pater publicè prædicat contra fidem, vel publicè profitetur, vel defendit errorem, vel coram Prælato ſuo eſt convictus, vel confeſſus, vel ſententialitèr condemnatus de hęreſi *extra de verbo ſigni. ſuper quibuſdam*.

Sed circa hoc diſtinguit *Laur.* & *Ioan.* quod illud *c. vergentis* corrigit leges illas; quod etiam videtur ſenſiſſe *Ray.* & *Innocen. ſuper c. excommunicamus ar. ff. de legi.* & *conſti. non eſt novum*, & *extra de cogna. ſpiri. cap.* 1. *Goff.* autèm dicit, quod decretalis prævalet legibus in terris Eccleſiæ Romanæ temporalitèr ſubiectis, ut in principio decreti innuitur manifeſtè. Leges verò prævalent in aliis terris, cum contineant æquitatem, decretalis autèm rigorem; Equitas enim præferenda eſt rigori, & juri ſtricto, *c. de judi. l. placuit* & *ff. e. l. cum*. Leges autèm puniunt filios eorum, qui committunt crimen leſæ majeſtatis, quià timuerunt, ne imitarentur patres 6. *quæſt.* 1. *ſi quis cum militibus*. Sed ſi Eccleſia videat per inditia certa fidem, & devotionem filiorum hæreticorum quomodo puniet eos, cum filius non debeat puniri pro patre *c. ne filius pro patre l.* 1. & *l. patris*; & cum Eccleſia omnes debeat juvare, & amare 8. *quæſt.* 1. *clemens.* Sed *Goff.* credit, quod *Inno.* conſideravit, quod parentes puniuntur in pęnis filiorum *ff. quod met. cau. l. iſti quidem*, & ſepè punit Eccleſia temporalitèr pro delicto patris 3. *quæſt. ulti. cum multæ*. *Hæc Goff.*

Itèm emancipatio filiorum illorum, quorum parentes poſt emancipationem hujuſmodi apparuerint ante ipſam ad hæreticæ ſuperſtitionis vitium declinaſſe, nulla eſt, velut facta de hominibus ſui juris, quià filii hæreticorum non ſunt in poteſtate eorum *lib. 6. e. quicumque* §. 4.

Itèm Religioſi ſunt immutationis pœna, vel alia graviùs puniendi, quàm ſæculares, ſcilicèt laici, vel Clerici ſi inventi fuerint in hæreſi, vel ſimilibus deliquiſſe *lib. 6. e. accuſatus* §. *fi. ad hoc art. extra e. c. penult.* §. 1. De conſimilibus *habes lib. 6. art. c. accuſatus* §. *Sacerdotes*.

Itèm hæretici puniuntur in ſepultura, & in ſepelientibus eos; non enim debent tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Tradentes vero ſcientèr ſepulturæ hæreticos, credentes receptatores, defenſores, vel fautores eorum, ſunt excommunicati uſque ad ſatisfactionem idoneam. Nec abſolvuntur, niſi publicè propriis manibus extumulent, & proiiciant hujuſmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuò careat ſepultura *lib. 6. e. quicumque in principio*, per hoc quod dicit, *ſcientèr*, patet ſecundum *Io. Ang.* quod ignorantia probabilis eos excuſat: *extra de Cleri. excommuni. mi. Apoſtolicæ*.

Itèm quod dicitur *extumulent* &c. intelligitur eſſe verum ſecundùm *Io. Ang.* ſi oſſa eorum diſcerni poſſunt ab oſſibus aliorum fidelium, aliàs ſecùs eſt: *extra de ſepul. ſacris*.

Itèm hæretici credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeù publicum officium admittantur, & ſi ſæcùs actum fuerit, irritum erit *lib. 6. e. quicumque* §. 3.

Nota ſecundum *Io. Ang. ibidem* quod per hoc quod dicitur *uſque ad ſecundam generationem* compræhenduntur primus, & ſecundus gradus, ideſt filii, & filiorum filii in linea paterna; ſed extenditur tantum ad gradum primum in linea materna *lib. 6. e. ſtatutum* §. 2. 2. *Reſpon.* Undè ſi Titius fuit hæreticus receptator, vel hujuſmodi, & habuit filium, & filiam; uterque, ſcilicèt filius, & filia ſubjacebit iſti prohibitioni, & etiàm filii filii, non autèm filii filiæ.

Itèm ſi mulier aliqua eſt hæretica, & habeat filios, ipſi in hac prohibitione includuntur, non autèm filii filiorum; & hoc eſt verum, ſi pater ſit Catholicus, & non habeatur ejus reſpectus, & intelligitur hoc de filiis non infectis, filii enim infecti de peccato proprio punirentur.

Itèm quicumque viri Eccleſiaſtici ad preces hujuſmodi peſtilentium perſonarum, Perſonatus, dignitates, & quæcumque alia beneficia ſunt adepti, ipſis ſic acquiſitis ipſo facto ſunt privati; ita quod etiam habitis, perpetuò carent, & ſi receperunt illa ſcientèr, ſcilicèt, quià ſciebant ipſos eſſe tales, non ſunt ad alia, vel ſimilia poſteà admittendi *lib. 6. e. quicumque* §. 2.

Itèm qui fuerint inventi ſola ſuſpicione notabiles de hæreſi, niſi ad arbitrium Epiſcopi ſe purgaverunt, ſententiæ ſimili ſubjacebunt *extra eâ ab olendam* §. *laicus*, & *extra de ſenten. excom. ut famæ*.

Itèm ſecundum Hoſti. ſuſpectus ex diſſidentia morum, vel aliàs ſi vocatus confitetur timore

ſe probationis, & ſperatur de correctione, poteſt ei judex injuncta ſibi pœnitentia ſalutari, parcere, & multo magis ſi venerit ſpontè. Si autèm diffiteretur, & ſit infamatus, ſi non poteſt convinci, expurgabit ſe, quod ſi non fecerit, punitur ut convictus; Infamatur autèm quis de hæreſi etiàm argumento levi, ideſt probabili, ideſt ſi nullo modo velit jurare, vel hujuſmodi.

Itèm ſi ſuſpectus de hæreſi vocatus ab eo cujus intereſt, ut de fide reſpondeat, excommunicatus fuerit pro eo quod parere ſubterfugit, vel contumacitèr ſe abſentaverit, & excommunicationem per annum ſubſtinuerit animo pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur, *lib. 6. c. cum contumacia*; & ſecundùm *Jo. Ang.* notatur ibidem per hoc, quod dicitur vocatus, ut de fide reſpondeat; ad hoc quod decretum habeat locum requiritur, quod hoc ſit expreſſum, ſcilicèt ut de fide veniat reſponſurus.

ARTICULUS III.

De Pœna credentium, & fautorum hæreticorum.

Sequitur videre de tertio, ſcilicèt de pœna credentium hæreticorum. Circa quod ſciendum, quod præter pœnas proximo ſuperius taxatas credentes, receptatores, & fautores eorum ipſo jure ſunt excommunicati majori excommunicatione, *extra c. excommunicamus*.

Itèm ſi quis talium poſtquam fuerit ab Eccleſia excommunicatione innodatus, non ſatisfecerit infra annum à lata ſententia, ipſo jure tunc eſt infamis effectus, nec excercere poteſt aliquod officium legitimum, ideſt quod à jure ſortitur effectum, & ſi fecerit, non valebit quicquid per eum dictum, vel factum fuerit. Si vero fuerit Clericus ab omni officio, & beneficio ſuſpendatur; Et ſi aliquis Clericus hujuſmodi peſtilentibus Eccleſiaſtica Sacramenta exhibuerit, vel eos ſepulturę tradiderit, vel oblationes eorum, vel eleemoſynas receperit, privari debet officio ſuo, ad quod numquam reſtituetur ſine indulgentia ſedis Apoſtolicæ ſpeciali, & idem eſt non obſtante aliquo privilegio de regulari obſervandum *ext. c. ad abolendam*, & *c. vergentis*.

ARTICVLVS IV.

Qua pęna feriantur Rectores negligentes hæreticos extirpare.

Sequitur videre de quarto, ſcilicèt qua pęna feriantur rectores negligentes hæreticos extirpare. Circà quod ſciendum, quod tales ſunt monendi, & ſi neceſſe fuerit per Eccleſiaſticam cenſuram cogendi, omnes hæreticos ab Eccleſia innodatos de ſuis provinciis bona fide pro ſuis viribus exterminare. Et cum de novo, quis eligitur in rectorem perpetuum, vel temporalem, debet hoc ipſum jurare: Si verò proptèr ſuam negligentiam excommunicatus fuerit, & infrà annum non ſatisfecerit, ſignificari debet domino Papæ, ut ipſe vaſallos omnes ab ejus fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam; & illum, ſi videbitur expedire, deponat à ſua dignitate.

Sed numquid ante denunciationem hujuſmodi ſtatim cum eſſet excommunicatus, erunt vaſſalli abſoluti?

Reſpondet *Hugo.* quod erunt abſoluti vaſalli ab exhibitione eorum, quæ hujuſmodi fidelitas exegiſſet non ab ipſa fidelitate, ſicut notatum eſt 15. *quæſt.* 6. *nos ſanctorum*, & *c. jurator*.

Inſupèr Epiſcopi, & Archiepiſcopi, qui circa extirpandam hæreſim negligentes fuerint, cum illud indiciis certis patebit, ab Epiſcopali officio deponantur, in quorum loco debent alii ſubſtitui, qui velint, & poſſint hæreticam confundere pravitatem. Omnia ſupradicta probantur *extra c. ſi adverſus*, & *c. excommunicamus* 2.

Itèm ſecundùm *Hoſtien.* Epiſcopi tenentur ſaltèm ſemel in anno per ſe, vel per alios ad hoc idoneos, quærere hæreticos, ubi eſt fama eos habitare; & cogere jurare, quos credunt de hoc aliquid ſcire, ut indicent hæreticos, ſi quos habent ſuſpectos propter particularia conventicula, vel alia ſigna; *extra c. cum ex injuncto*.

Itèm illi, qui præſunt Civitati, vel loco alicui adpræſens, vel præfuerint in futurum, quocumque nomine cenſeantur, ad requiſitionem eorum, quorum intereſt, debent jurare, præcipuè attendere, & inviolabilitèr ſervare, ac facere ab omnibus ſuis ſubditis obſervari toto tempore regiminis ſui conſtitutiones in favorem fidei à Sede Apoſtolica promulgatas, ac etiàm approbatas, quas qui jurare noluerit, & ſervare, ut infamis, & tanquàm hęreticorum fautor, ac de fide ſuſpectus, officio, & honore ſui regiminis ſpolietur; Nec ulteriùs ad dignitatem aliquam, vel officium publicum aſſumatur; Nec teneat aliquid, quod fecerit ut Poteſtas, balivus, conſul, vel rector; *extra lib. 6. c. ut officium* §. *ſtatuimus*.

Itèm Rectores locorum quocumque nomine cenſeantur, de crimine hęreſis ſe non poſſunt, niſi ſecundùm beneplacitum inquiſitorum, intromittere; quibus etiam tenentur in his, quæ pertinent ad ſuum officium obedire; & damnatos ab eiſdem relictos ſibi, ſtatim debita pœna puniendos ſuſcipere, non obſtante aliqua appellatione. Contrarium verò facientes, & non parentes, eiſque in hoc non faventes, ſunt excommunicati, & ſi excommunicationem per annum ſuſtinuerint animo pertinaci, debent extunc velut hęretici condemnari *lib. 6. c. ut inquiſitores*; ab illa autèm excommunicatione poteſt Epiſcopus eos abſolvere, quià non reſervatur Papę.

Sed quid ſi Epiſcopus, & inquiſitor in mandato diſcordant, quià unus mandat puniri, alter dimitti?

Reſpondet *Jo: Ang.* quod ſatis ſuperſedendum videtur, donec Papa conſulatur *lib. 6. c. per hoc*. Itèm Rectores alicujus Regni, Provinciæ, ſeu loci licèt ſint excommunicati excommunica-

nicatione majori, etiàm publicè, vel de facto, tantùm, & non de jure, juridictionem habentes & eorum officiales ad requiſitionem ordinariorum, vel delegatorum ipſorum, aut inquiſitorum hæreticę pravitatis, non valentium ſinè moræ diſpendio, vel negotii periculo ad ſuperiores recurrere, qui legitimè poſſint in his locis juſtitiam exequi, poſſunt, & debent juſtitiam, & ſuum officium exercere contra hęreticos credentes, fautores, & receptatores eorum; & requirentes hujuſmodi excommunicatos proptèr hoc excommunicationem hujuſmodi non incidunt. ſcilicèt majorem, vel minorem, ſecundum *Jo: Ang.* Non tamèn ideò prælibatis rectoribus, vel officialibus eorumdem in aliis caſibus intelligitur eſſe conceſſum aliquid, vel permiſſum *lib. 6. c. præſidentes*.

Nota ſecundùm *Joan. Ang.* de hoc, quod dicit *ſine moræ diſpendio*, quod quando poſſent hoc ſinè moræ diſpendio, eſſent excommunicati eos requirendo, quià communicans excommunicato, eſt excommunicatus, ſervata diſtinctione *extra de ſent. excommunic. nuper*.

Ex prædictis collige, quod Principes ſęculi, & domini temporales non tantum proptèr hæreſim ſuam, ſed etiàm proptèr negligentiam extirpandi hæreſim aliorum ſunt excommunicandi, ab Eccleſia deponendi, de terris ſuis expellendi, & terrę eorum occupandę à Catholicis poſſunt exponi; Et idem ſi Princeps circa Regnum, & juſtitiam faciendam inventus fuerit negligens, inſufficiens, & ineptus 17, *quæſt.* 4. *ſi quis deinceps*, *&* 11. *quæſt.* 1. *nullus*, *&* 32. *quæſt.* 5. *præceptum*; Undè Zacharias Papa depoſuit Ludovicum Regem Francorum prędeceſſorem Pipini Patris Caroli 15. *quæſt.* 6. *Alius*. Et *Inno.* Ottonem Imperatorem; ratio hujus eſt, quià quilibet nullo excepto contrahit forum Eccleſię ex peccato *extra de judi. novit*. Poteſt etiàm Eccleſia propter ipſorum judicium negligentiam de illorum ſubditis iudicare, *extra de fo. compe. c. ex tranſmiſſa*, *& c. licet*, *& c. ex tenore* 25. *quæſt.* 5. *adminiſtratores*. Certum eſt enim, quod Deus eſt ſuper omnes poteſtates *diſ.* 8. *quæ contra mores in fin.* Ergò & eius Vicarius, qui vices gerit in terris, *extra de transla. inter corporalia*. Vndè dicit Dominus ad Hieremiam: *Ecce coſtitui te principem ſuper omnes gentes, & Regna.* 36. *diſt.* §. *ecce quod*, & hoc ſecundùm *Goff.* maximè locum habet, etiàm ſi princeps de cuius pœna quęritur, alium ſęcularem ſuperiorem non habet.

ARTICVLVS V.

Qualitèr ab hæreſi rediens recipiatur.

SEquitur videre de quinto, ſcilicèt qualitèr ab hæreſi rediens recipiatur.

Circà quod ſciendum, quod ſi aliquis hæreticus, vel hæreticorum credens, Receptator fautor, defenſor, nec non & de hæreſi infamatus, vel ſuſpectus ad unitatem Eccleſiæ rediri voluerit, ad arbitrium Epiſcopi proprii prius abjurare debet errorem, & promittere, & etiàm per ſcripturam firmare, quod tenebit firmitèr ad mandatum Eccleſiæ catholicam fidem, & hoc publicè, vel privatè, ſecundum quod ejus crimen fuerit publicum, vel privatum 1. *quæſt.* 7. *quoties*. *Et de conſe. diſ. ego Berengarius*, *& extra ad abolendam*. Poſteà debet ſecundum Eccleſiæ formam abſolvi, de qua habetur 11. *quæſt.* 3. *cum aliquis. & extra de ſent. excom. cum deſideres*. Poſteà ei debet imponi, quod in talibus ſolet iniungi, *ut in. c. quoties & c. ego Berengarius ſuperius allegatis*, & quando tales volunt reverti, provideri debet ſolertèr, quod ſint verè converſi, ſi debeant recipi *lib. 6. c. ut officium* § 2.

Notandum autèm ſecundum *Inno. & Hoſti. extra de ſen. excom. ſuper c. à nobis* 2. quod hæretici in extremis agentes, non reconciliantur ſinè ſolemnitate præmiſſa, ſi adſit facultas, ſi autèm confiteri non poſſunt, ſigna tamen pęnitentiæ præceſſerint, tunc etiàm ſinè ſolemnitate pręmiſſa, reconciliantur. Lex enim, quæ aliud ſtatueret, inhumana eſſet. Si quis autèm talium poſt abjurationem erroris, vel poſtquam ad arbitrium Epiſcopi proprii ſe purgaverit, depręhenſus fuerit, in hæreſim abjuratam recediſſe, ſæculari iudicio eſt ſinè ulla audientia relinquendus *extra c. ad abolendam* §. *illos*. Et intelligitur hoc ſecundum *Rod.* quando deprehenditur per facti evidentiam, vel per confeſſionē propriam, vel per teſtes, in quo caſu non parcitur ei, nec quoad vitam, nec quoad temporalem ſubſtantiā. Si autem ſine hujuſmodi depręhenſione occultè à fide recedat, & occultè pęnitens ad Eccleſiam redeat, ſibi parcetur quoad utrumque, & abſolvi poterit etiam per Præsbyterum ſimplicem, niſi Epiſcopus ſibi talium retinuerit abſolutionem Non eſt autèm contra prædicta illud quod dicitur 23. *q.* 4. *duo* ſcilicèt, quod Eccleſia nulli claudit gremiū redeundi, quià hoc intelligitur quantum ad ea, quæ pertinent ad ſalutem animæ, ſcilicèt quantum ad adminiſtrationem ſacramentorum, ſcilicèt pęnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſi ea humilitèr petierint, & in eis pænitentiæ manifeſta ſigna apparuerint. Ille autem §. *illos* intelligitur quo ad pænam corporalem, *lib.* 5. *c. ſuper c.*

Utrùm autèm tales ad fidem converſi poſſint de jure communi, vel ſaltèm diſpenſativè promoveri, vel in ordinibus receptis ab hæreticis miniſtrare; *Vide infra in tractatu de ſacr. ordinis, Tit. à quo ordines habent conferri.*

Scien

Sciendum tamen, quod tales, ſcilicèt ab hæreſi redeuntes de jure communi non debent recipi, niſi ad laicam communionem 1. *quæſt.* 7. *c.* 1. adhibetur tamen circa eos quadruplex diſpenſatio, ſcilicèt ſemiplena, ut recipiantur in ordinibus jam receptis, ſublata eis omni ſpe promotionis *e. quæſt.* 1. *ſi quis hæreticę*. Plena, ut fieri poſſint presbyteri, & non ultra 1. *quæſt.* 7. *convenientibus*. Plenior, ut fieri poſſint Epiſcopi, & Archiepiſcopi, ſed non Primates *diſ.* 12. *nos conſuetudinem*. Pleniſſima, ut ad omnes dignitates poſſint promoveri 23. *quæſt.* 4. *ipſa pietas*. Quis autem diſpenſare poſſit, dicetur *infrà de ſacramento ordinis. Tit. de diſpenſationibus.*

ARTICULUS VI.

Quis cenſeatur relapſus.

SEquitur videre de ſexto, ſcilicèt, quis relapſus cenſeatnr.

Circa quod nota, quod quandò quis eſt de hæreſi accuſatus, vel ſuſpectus, & non plenè contra eum probatur; ſi hæreſim in judicio abjurabit, & poſteà in ipſa committit: Aut erat contra eum orta ſuſpicio magna, & vehemens; & tunc debet cenſeri quadam juris fictione relapſus: Aut modica, & levis; & tunc non debet puniri pœna relapſorum in hæreſim, licèt ſit graviùs puniendus, quàm ſi nunquàm abjuraſſet *lib.* 6. *c. accuſatus. reſp cap.* 1. *de hac pœna. extra cap. ad abolendam. §. illos quoque fictione*; Ideò dicitur ſecundum *Jo. Ang.*, quod non poteſt verè dici relapſus, de quo non conſtat, an fuerit relapſus; proptèr tamèn vehementem ſuſpicionem fingitur lapſus; ità quod poſt abjurationem rediens, fingetur relapſus; Jura enim ſepè fingunt talia. *de hoc de pœn. diſt.* 5. *fratres. & diſt.* 50. *ferrum.*

Itèm qui in una hæreſis ſpecie, vel ſecta commiſit; aut in uno fidei articulo, vel Eccleſiæ ſacramento erravit, & poſteà hæreſim ſimplicitèr, vel generalitèr abjuravit; ſi ex tunc in alia hæreſis ſpecie, ſive ſecta, aut articulo alio, ſeù ſacramento convincitur, debet ut relapſus in hæreſim judicari *lib.* 6. *cap. accuſatus* §. 1. Per hoc quod dicitur *ſimplicitèr*, putat *Jo. Ang.* quod ſi abjuraſſet tantum in uno articulo, licèt relaberetur in alio, non diceretur relapſus, quià indefinita non equipollet univerſali. *ad idem de privil. quià circà*. Putat etiàm quod infamatus non tenetur ſe de omnibus purgare; ſi tamèn hoc faciat, valet; & habebit poſtea locum pœna relapſorum, ut ſequitur *in dicto* §. Vel poteſt dici ſecundùm eumdem, quod non quæritur, an ſit relapſus in hæreſim illam, in qua fuerat primò lapſus; ſed an fuerit relapſus in hæreſim poſt abjurationem lapſus, licèt in alia ſpecie, ſivè ſecta dicatur relapſus.

Itèm ille de cujus lapſu in hæreſim antè abjurationem conſtiterat, vel nunc conſtat, ſi poſt abjurationem illam hæreticos receptet, deducat, viſitet, ſeù aſſociet, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, vel favorem eis impendat, qui excuſari non poſſit, etiam ſine abjuratione, debet judicari relapſus, cum illum ex erroris à ſe priùs approbati conſequentia, non ſit dubium feciſſe talia, *ut in c. accuſatus* §. 2.

Nota, quod donum, & munus differunt, quia munus ex cauſa datur, donum verò ex cauſa, & ſinè cauſa *ff. de ver ſigni. inter donum.*

Nota etiam ſecundum *Jo. Ang.* quod dicit, *qui non poſſit excuſari*, quià ſi propter famis neceſſitatem daret, vel quia eos eſſe hæreticos ignoraret, excuſaretur; De primo *diſt.* 42. *quieſcamus*; De ſecundo *de reg. ju. ignorantia.*

ARTICULUS VII.

Qui Notarii, & qui teſtes in officio inquiſitionis admittantur.

CIrca ſeptimum nota; quod conceditur religioſis omnibus, qui cum eſſent in ſæculo, notariæ officium habuerunt, & exercuerunt; & etiàm Clericis ſęcularibus omnibus iſtud officiũ habentibus, etiàm in ſacris conſtitutis, quòd liberè poſſint exercere officium prædictum, quo ad faciendum omnia, quæ in officio inquiſitionis pertinent ad officium notarię, non obſtante aliquo ſtatuto contrario canonis. *extra de reſcript. nonnulli, vel ordinis*. Quinimmò & præcipitur omnibus, & ſingulis fratribus religionis ejuſdem cum inquiſitoribus, qui in ſæculo illud officium habuerunt, & exercuerunt, & illis, quibus idem officium ratione præfati negocii fidei fuit ab Apoſtolica ſede commiſſum, & in poſterum committetur. *lib.* 6. *c. ut officium* §. *adſcribendas*.

Itèm cum inquiritur de hæreſi, excommunicati, & participes, vel ſocii criminis ad teſtimonium admittùntur contra hæreticos credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum, ſi ex circumſtantiis vera dicere præſumantur *lib.* 6. *c. in fidei*. Secùs eſt ſi procedatur per modum accuſationis, vel exceptionis; Tunc enim tales non admittentur, ut dicit idem *Jo. Ang.*

Itèm, quia in tam gravi crimine, ſcilicèt hæreſis, oportet cum multa cautela procedi, teſtes recipiendi ſuper prædicto crimine, ipſumque contingentibus, coram duabus perſonis religioſis, & diſcretis debent examinari, & eorumdem teſtium depoſitiones, vel per tabellionem, ſi poteſt haberi, vel per duos idoneos viros fideliter conſcribi *lib.* 6. *c. ut officium* §. *verum.*

Itèm licèt perjuri etiam poſt pœnitentiam à teſtimonio repellantur, ſi tàmen hi, qui coràm inquiſitoribus jurantes, tàm de ſe, quàm de aliis ſuper facto hæreſis dicere veritatem eam celando dejerant, & poſteà etiàm ex intervallo; alias nihil

nihil eſſet hîc favoris, ſecundum *Jo. Ang. ut extra de teſtib. cap. ult.* Præterea ſi velint corrigere dictum ſuum, contra ſe, & alios ſuos complices deponendo, cum hujuſmodi crimen ſit exceptum, ſi indiciis manifeſtis apparuerit, tales non ex levitate animi, aut fomite odii, ſeu corruptione pecuniæ; ſed zelo fidei dictum ſuum velle corrigere in favorem fidei, ſtari deberet eorum atteſtationibus, tàm contra ſe, quàm contra reliquos, niſi aliud obſiſtat, ſcilicèt, quàm prædictum perjurium, ut *in cap. accuſatus §. licèt*: Undè ſi de falſo redarguerentur, eorum dicto non ſtabitur, *extra de teſtib. ex tenore*.

Itèm filii, vel hæredes illorum, qui dùm eſſent infirmi petierunt hæreticos conſolatos, ut ab eis per manus impoſitionem reciperent conſolationem, ſicquè deceſſerunt, admitti non debent ad probandum, quod ipſi defuncti conſolationem illam non ſanæ mentis effecti, vel poſt perditam loquelam receperint, ſi dum vivebant, erant de hæreſi diffamati, & ſuſpecti; aut legitimè conſtiterit, quod ſanæ mentis exiſtentes hujuſmodi hæreticos petierunt; alias prædicti filii, vel hæredes admitti poterunt ad probandum præmiſſa, ſcilicèt quod tunc ſanæ mentis non erant, vel loquelam perdiderant, nec memoriam ordinatam habebant: Admittentur autèm ad probandum non quidem per uxores, filios, familiares, vel de ſuis aliquos; ſed per alios teſtes fide dignos, & ſpecialitèr fidei zelatores *lib. 6. c. filii.*

ARTICULUS VIII.

Quanta, & qualis poteſtas Inquiſitoribus detur.

CIrca octavum nota, quod in negotio inquiſitionis procedi poteſt ſimplicitèr, & de plano, & ſinè Advocatorum, & judiciorum ſtrepitu, & figura *lib. 6. c. ſtatutum in prin.* Et ſecundum *Jo. Ang.* per hoc quod dicit *ſinè figura,* Inquiſitor nullum ordinem judiciarium ſervare tenetur; imò ſufficit ſententia ſolemnitèr præmiſſa; Undè ſi ex publicatione nominum accuſatorum, vel teſtium ipſis grave periculum immineret, eorum nomina debent exprimi, non publicè, ſed ſecretè coram Epiſcopo: vel eo abſente, ejus Vicario, quandò inquiſitor procedit. Quandò verò Epiſcopus procedit coram inquiſitore ſi commodè poſſit haberi. Et nihilominus quandocumque proceſſerit coram aliquibus aliis perſonis providis, & honeſtis, juriſquè peritis, quibus etiàm totus proceſſus debet integralitèr explicari, & de eorum conſilio ad ſententiam, vel condemnationem procedi, & eis poteſt Epiſcopus, uel inquiſitor ſecretum indicere; & etiam in eos ſi relevaverint, excommunicationis ſententiam promulgare; ita tamèn quod hac de cauſa Inquiſitor non excommunicet Epiſcopum, nec è converſo; Tenetur tamèn uterque per obedientiam Papæ ad hujuſmodi præceptum, ceſſante autèm tali periculo debent accuſatorum, & teſtium nomina publicari *lib. 6. c. cum ſecundum*; Si tamèn non publicarentur, non tamèn proptèr hoc, parte tacente, vitiaretur proceſſus, ut dicit *Jo. Ang. ad hoc lib. 6. de accuſat. cap. 1. & 2.*

Itèm Inquiſitores poſſunt quantùm ad ea, quæ pertinent ad ſuum officium citationes, & ſententiarum denunciationes committere, peritos, Clericum, & Populum, ut eis aſſiſtant, convocare, contra hæreticos, qui de ſua provincia, in aliam ſe tranſtulerint procedere; ſcripta inquiſitionis facta, aut proceſſus per quoſcumque, authoritate ſedis Apoſtolicæ, vel legatorum ejus habitos continentia aſſignari ſibi facere, una cum Prælatis pœnas commutare, & mitigare; dignitatibus, & aliis beneficiis Eccleſiaſticis, ac officiis publicis, & honoribus quibuſcumque eoſdem hæreticos credentes receptatores, & defenſores eorum privare; & privatos denunciare; & hoc fieri debet quoad beneficia Eccleſiaſtica de conſilio Epiſcoporum, vel Vicariorum eorum in abſentia ipſorum, niſi ipſi ſcientèr talibus beneficia contuliſſent *lib. 6. c. ut commiſſi.*

Quid de eo, qui crimen hæreſis alibi commiſit, & modò eſt in provincia hujus Inquiſitoris.

Reſpondet *Jo. Ang.* Quod poterit cognoſcere, & contra eum procedere, quia ubi quis invenitur, de crimine convenitur. *c. ubi de cri. agi oportet L. 1.* & ſic interdùm duo Inquiſitores cognoſcerent.

Itèm ſtatutum loci cujuſcumque per quod negotium inquiſitionis directè, vel indirectè, vel quomodolibet retardari poſſet, vel impediri nullius eſt roboris; & ejus rectores quocumque nomine cenſeantur, cogi debent per cenſuram Eccleſiaſticam illud revocare, vel ſaltem ſic moderari, quod per illud proceſſus inquiſitionis nullatenus impediatur, vel retardetur *lib. 6. c. ſtatutum*; Undè in ſtatuto de non portandis armis excipietur familia Inquiſitoris, & his ſimilia.

Nota tamen ſecundum *Jo. Ang.* quod directè impediretur, ſi ſtatueretur, ne aliquis illius loci poſſet accuſari, vel contra eum inquiri ſuper crimine hæreſis, vel etiàm contra alium teſtificari, & hujuſmodi. Indirectè verò, ſi ſtatueretur, ne aliquis poſſet pro aliquo crimine aliquem punire vel capere, niſi Poteſtas; vel ſimilia.

Itèm officium Inquiſitoris etiàm re integra non expirat mortuo Papa. *lib. 6. c. ne aliqui.* Item ſi ſint plures Inquiſitores in eodem loco ſimul, vel ſeparatim, aut ſingularitèr, poſſunt in his, quæ requirit officium ſuum procedere, pro ut utilitas ſuadebit *lib. 6. c. ut officium reſponſ. 1.*. Itèm inquiſitores poſſunt quæſtuarios com-

Digitized by Google

compeſcere ab officio prædicationis, niſi contigerit pro negotio Inquiſitionis congregationem fieri, vel aliàs ex hoc idem negotium impediri. *lib. 6. c. ut officium §. compeſcendi*. Poſſunt etiam, ſi indiguerint pro ſuo officio invocare auxilium brachii ſæcularis; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo, non obſtantibus aliquibus privilegiis quibuſcumque ſub quacumque forma conceſſis, vel in poſterum concedendis. *ibidem §. denique*. Itè m nullum obſtaculum inquiſitionis officio provenit ex conſtitutione de duabus dictis edita in Concilio generali *ut ibidem in illa conſtitutione. extra de reſcript. nonnulli.* Et eſt hoc quoddam ſpeciale fidei favore, quod non tollitur per conſtitutionem generalem poſterius editam. *lib. 6. de reſcript. ſtatutum*. Item Inquiſitores de crimine hæreſis contrà Epiſcopos, & ſuper nequeunt inquirere, vel prętextu ejus procedere ſinè ſpeciali mandato ſedis Apoſtolicæ; ſed ſi ſciverint eos illo crimine culpabiles eſſe tenebuntur hoc ſedi Apoſtolicæ nunciare. *lib. 6. c. inquiſitores*. Itèm per hoc quod negocium hæreſis alicui à Sede Apoſtolica generalitèr committitur, Diœceſanis non derogatur, quin & ipſi authoritate ordinaria, vel delegata ſi habent, poſſint procedere *in eodem lib.6. c.per hoc.* Dum tamen procedant ſecundum modum inquiſitoribus à ſede Apoſtolica datum, *ut ibidem in ſi*. & ſecundum *Jo Ang.* benè dicitur *generalitèr*, quia ſecùs eſſet, ſi certi criminis, & certę perſonæ commiſſio fieret, quia quantum ad cauſam illam præjudicaretur ordinariæ poteſtati. *extra de offi. leg. ſtuduiſti.*

Nota, quod dicit *delegata ſi habent*, quia fortè habent delegatam, vel ab homine, quod accidit in ordinario, vel á jure, ſicut videre eſt in hoc crimine ſupra exemptos. *extra c. ad abolendam in ſi.* Undè de eodem facto poſſunt Epiſcopi, & Inquiſitores inquirere communitèr, vel diviſim; & ſi diviſim proceſſerint, tenentur ſibi invicem communicare proceſſus, ut per hoc poſſit veritas meliùs inveniri; & niſi in hoc casù in ſententiæ prolatione ſibi invicem deferant, per utroſque ſimul ſententia proferatur. *ut in cap. per hoc. §. 2.*

Sed quid ſi proceſſus iſti ſunt contrarii?

Reſpondeo: Tunc judices eos, qui dicunt proximiora veritati, conſiderabunt, & per eorum dicta ſe informabunt. *extra de teſt. in noſtra.* Si autèm non conveniunt in ſententia proferenda per utroſque, negocium ſufficienter inſtructum ad ſedem Apoſtolicam remittatur, *ut in c. per hoc §. 2.*

Nunc autem officium inquiſitionis debet exerceri tàm per diœceſanos, quàm per inquiſitores à ſede Apoſtolica deputatos; vel etiam per alios ad hoc ab eiſdem ſubſtitutos. Quomodò autem per eoſdem debet exerceri, & quomodò hæretici debent cuſtodiri, & eis neceſſaria miniſtrari, habetur *ſeptimo lib. de hæreticis. multorum*; Ubi etiam ponitur caſus ſuſpenſionis, & excommunicationis contra inquiſitores, exceſſus ibi prohibitos committentes, de quo caſu re quire infrà *lib. 7. tit. 2. caſu* 91.

Itèm committi nulli debet officium inquiſitionis hæreticorum, niſi quadraginta attigerit annum, qui ſi prætextu iſtius officii, quovis modo illicito pecuniam ab aliquo extorſerit, vel etiam ſcientèr Eccleſiarum bona ob delictum Clericorum fiſco, & Eccleſiæ applicaverit, ipſo facto excommunicatus erit, nec abſolvi poteſt, niſi in articulo mortis, donec ei à quo extorſerit, de pecunia ſic extorta plenè ſatisfecerit; nullis ſuper hoc privilegiis, pactis, vel remiſſionibus valituris. Notarii verò, & officiales dicti officii, & fratres, & ſocii Inquiſitorum, vel commiſſariorum ipſorum, qui ſecretè notaverint eoſdem talia comiſiſſe, tenentur eos gravitèr arguere in ſecreto; & ſi ea probare poſſint, Prælatis eorum nunciare debent. Qui quidèm Prælati eos indè reos repertos ab officio amovere, & amotos punire debitè, ſive corrigere debent; quibus illud agere negligentibus, ordinarii prædictorum locorum præmiſſa omnia Sedi Apoſtolicæ tenentur per obedientiam intimare. Porrò inquiſitores non debent abuti quomodolibet conceſſione armorum, nec officiales non ſibi neceſſarios habere, taleſquè, qui ſe conferant ad ſua, cum ipſis officia exequenda *lib. 7. de hæret. volentes.*

Itèm Inquiſitores poſſunt Presbyteros, & alios Clericos, qui officium inquiſitionis inſtruendo hæreticos, vel eorum credentes citatos de celanda veritate, vel dicenda falſitate, ſeu liberando eos indebitè fuerint inventi, impedire, ſcilicèt manifeſtè, vel non manifeſtè, dummodò de hoc poſſit conſtare a talibus compeſcere, & pœna debita caſtigare, tàm per captionem perſonarum, quàm aliàs ſecundùm culpæ exigentiam *lib. 6. c. accuſatus §. Sacerdotes.*

Itèm quandò quis pro eo quod hæreticos acceptavit, vel defendit, vel eis favit, non tamen exiſtens hæreticus, obligavit inquiſitoribus bona ſua, ad recipiendam ab eis pœnitentiam, & complendam; ſi talis decedat, antequàm injungat ſibi pœnitentiam illam, ejus hęredibus ſatisfactionem imponet. Si verò decedat pœnitentia jam incepta, non tamen peracta; ſi per hujuſmodi pœnitentiam onus impoſitum fuerat ad ſalutem proficiens in bonis ejus temporalibus exequendis, ut quod fundaret, vel ædificaret Eccleſiam, hoſpitale, vel aliquid ſimile; ad complementum ejus, cogent inquiſitores hæredes, vel alios, ad quos ejus bona cum ſuo onere devenerunt; *ut in cap. accuſatus §. ſi verò. & §. porrò.*

Sed contra hoc, quod dicitur non *exiſtens hæreticus*, videtur eſſe illud *extra c. c. pen.* ubi dicitur quod defenſores, & fautores hæreticorum ſunt hæretici.

Reſpondeo quod illud *c. ſecundum Joan. And.* loquitur non de favente, & defendente, ſed de credente.

Itèm in caſu, quo heredes ad ſucceſſionem admit-

admitti non debent ob hæreſim ſui actoris, putà quia non fuit reincorporatus unitati Eccleſiæ; Inquiſitores poſt mortem ejus ad occupationem bonorum ejuſdem procedere debent, non obſtante, quod hoc eo vivente, non fuerit ejus morte interveniente declaratum per ſententiam *ut in c. accuſatus §. in eo vero*; Et quod dicit *poſt mortem*, intellige uſque ad quadraginta annos; Poſtea enim abdicari non poterunt etiàm ab Ecclesia Romana a filiis catholicis, qui illa tanto tempore bona fide poſſederunt, quod eſt verum ſi parentes tempore mortis Catholici putabantur *lib. 6. de præſcript. c. fi.* Item Inquisitores hæreſis à ſede Apoſtolica deputati, & multo minus alii, ſe non debent intromittere de divinationibus, & Sortilegiis, niſi ſaperent hæreſim manifeſtè, *ut in c. accuſatus §. ſanè*; Manifeſtè autem ſaperent hæresim, ut dicit *Joan. Aug. hic* ſcilicèt circa aras idolorum, nefarias preces emittere, ſacrificia offerre, Dæmones conſulere, eorum reſponſa recipere, & ſimilia 26. *quæſt. 2. hi, qui. & quæſt. 4. igitur genus*; & per hoc quod dicit *manifeſtè* eſt *art.* quod in dubio non habent juriſdictionem. Non poſſent etiam ſe intromittere de quæſtionibus uſurarum motis etiam contra illos, quibus reſtitutionem uſurarū in pœnitentia pro crimine hæreſis injunxerint, ac illi ſe, & ſua ad hoc faciendum in judicio Eccleſiæ obligarunt, ut in *cap. accuſatus §. de quæſtionibus*. & ſi non poſſunt contra illos, multo minus contra alios.

Ad hoc nota, quod Papa Bonifacius confirmat omnia per ſuos Anteceſſores tradita in negotio hæreticæ pravitatis, quæ non obviant ſuis conſtitutionibus ſupèr eodem editis, *ut in cap. cum ſecundum in fi.* Item leges per Federicum olim Romanorum Imperatorem in favorem fidei factæ, & canonibus non contrariæ, approbatæ ſunt, & ſervandæ *lib. 6. c. ut inquiſitionis in princi.*

TITULUS LIX.

De Apoſtatis à Fide.

DEinde conſiderandum eſt de Apoſtatis. & Primò quid ſit Apoſtata. Secundò, quot, & quæ ſunt differentiæ ejus. Poſteà qua pœna Apoſtatæ feriantur, & qualitèr revertentes recipiantur. Deindè dubitationes de Apoſtaſia moventur.

Circa primum ſciendum, quod Apoſtaſia eſt temerarius à ſtatu fidei, obedientiæ, vel religionis receſſus; & dicitur Apoſtaſia, quaſi poſt ſtatio, vel retrograda ſtatio 26. *quæſt. 7. non obſervetis. ubi dicitur: Sciat ſe Apoſtatam, ideſt retro abeuntem*. Eſt autem triplèx apoſtaſia, ſcilicèt Perfidiæ; Inobedientiæ; & Irregularitatis. Perfidiæ ſcilicèt, qua quis recedit à fide, ut Julianus Apoſtata, de qua 2. *quæſt. 7. non poteſt.* Inobedientiæ, qua ſcilicèt quis tranſgreditur ſponte præceptum, ut Adam, & Eva, & qui ſacris canonibus obedire contemnit, 3. *quæſt. 4. alieni, & extra de ma. & obe. ſi quis*. Irregularitatis, qua quis à ſtatu religionis aſſumptæ recedit, ut cum apoſtatat Clericus, Monachus, vel aliquis religioſus, vel converſus, *de hac diſ. 50. c. fi. & di. 47. quantumlibet. & 16. quæſt. 1. leg.* De prima autèm apoſtaſia, ſcilicèt perfidiæ, quæ ſimplicitèr, & principalitèr eſt apoſtaſia, tantùm hic dicetur, aliis duabus apoſtaſiis ad ſua loca reſervatis. Prætèr etiam prædictos modos, poteſt generaliter dici apoſtata quicumque recedit à Deo mortalitèr peccando ſecundum illud *Eccle. 10. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quandò ab eo receſſit cor illius*. Apoſtata à Fide eſt hæreticus; & ideò eſt ſicut hæreticus puniendus; de qua pœna dictum eſt in titulo præcedenti; Undè eſt excommunicatus, res ejus publicantur, non teſtatur, nec in ſtatum priſtinum, etiam peracta pœnitentia, revertitur; infamis eſt, & à dignitatibus, multiſquè aliis repellitur, *extra jureju. quærelam. & 6. quæſt. 1. infames, & de conſe. diſ. 3. celebritatem*. Redeuntes ab hac apoſtaſia, cum fuerint hæretici, tanquam revertentes ab hæreſi ſunt recipiendi, de quibus dictum eſt ſuprà.

Nec obſtat illud 11. *quæſt. 3. Julianus*, ubi dicitur, quod milites Catholici obediebant Juliano Apoſtatæ Imperatori in omnibus, quæ non erant contra Deūm; Quia ipſe tollerabatur ab Eccleſia propter ſcandalum, quod timebatur.

Poteſt autem hic dubitari ſic: Ecce multi Chriſtiani reſident in aliquibus civitatibus Saracenorum, & aliquis eorum profitetur Machometum eſſe nuncium Dei adveneratione ejus, ſicut faciunt Saraceni; Aliquis verò ipſorum oſculatur ejus ſepulchrum, quaſi ob reverentiam ejus, ac ſi eſſet Sanctus; Alius publicè ſe gerit pro Saraceno, & occultè pro Chriſtiano.

Modò quæritur, utrum iſti, & ſimiles ſint Apoſtatæ, vel hæretici judicandi? Ad has quæſtiones reſpondet *Rai. & Alex. Aug. 2. tit. 2. c. de apoſtaſia art. 2. 0.* Quod ſi Chriſtiani ſponte & ex fide, quia ſcilicèt ita credunt, profitentur illum eſſe Dei nuncium, vel ejus oſculantur ſepulchrum, vel publicè ſe pro Saracenis gerunt, quaſi Deo placere per hoc intendentes, tales omnes indiſtinctè ſunt Apoſtatæ, & hæretici judicandi, & per conſequens excommunicati, licèt enim iſti nihil dicant expreſsè contra aliquem articulum ſpecialem, tamen tacitè contradicunt, cum dicant, vel ſentiant verbo, vel ſigno illum perfidum eſſe Sanctum, quem conſtat fuiſſe hæreticum; & in caſu ſimili fuit Anaſtaſius ſecundus de hæreſi damnatus *diſ. 19 Anaſtaſius*. Si verò profitentur hoc tantùm verbo, vel faciunt proptèr victum; ſed in corde in nullo deviant à fide, non ſunt propriè Apoſtatæ, nec hæretici, nec excommunicati; Peccant tamen mortalitèr quantumcumque metus fuerit magnus; Undè poſſunt dici communitèr Apoſtatæ, quia recedunt à fidei confeſſione ſecundùm *Alex. Aug.*

ubi

ubi ſupra: Undè *Auguſt.* Ad mendacium in doctrina religionis, ſcilicèt Chriſtianæ, dicendum nulla conditione quis debet abduci, 22. *quæſt.* 2. *primum*. *Et Jo. Chryſoſt. Non tantùm ille eſt proditor veritatis, qui palàm loquitur mendacium; ſed etiam ille, qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet; aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere convenit*. 11. *quæſt.* 3. *nolite*. Idem dicit *Innoc. extra, quod ma. cau. ſacris*. Et idem dicendum eſt de his, qui proptèr metum filios ſuos circumcidunt, vel circumcidi permittunt, quia licèt mortalitèr peccent, non tamen propter hoc ſunt apoſtatæ, vel hæretici, niſi alitèr habeant intentionem corruptam.

Nec obſtat illud *de pæn. diſ.* 1. *poteſt fieri*; ubi videtur talis excuſari; quia illud intelligitur poſt pęnitentiam, vel intelligitur de alleviatione pęnæ proptèr metum.

Numquid licet Chriſtiano aſſumere habitum Saracenorum, & ſic ſe ſimulare Saracenum?

Reſpondet *Rod.*, quod hoc fieri poteſt ex rationabili cauſa, ſicut Beatus Sebaſtianus ſub veſte militari militiam Chriſti gerebat ſecretè. Si autem aliquod ſignum, vel aliquis character principalitèr eſſet conſtitutus ad diſcernendum profeſſores alicujus infidelitatis, non liceret alicui fideli ferre hujuſmodi habitum, vel characterem, cum eo ipſo profeſſorem talis infidelitatis ſe profiteretur, & ſic per tale ſignum mentiretur mendacio contra fidei profeſſionem.

TITULUS LX.

De Blaſphemiis.

POſteà conſiderandum eſt de blaſphemia, quæ opponitur fidei, quantùm ad actum confitendi. Circa quod ſciendum, quod nomen blaſphemiæ videtur importare quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, & præcipuè divinæ. Deus autèm, ut dicit *Dion. lib. de Div. nomin.* Eſt ipſa eſſentia bonitatis: Undè quicquid Deo convenit, pertinet ad bonitatem ejus, & quicquid ad ipſum non pertinet, longè eſt à ratione perfectę bonitatis, quæ eſt eſſentia ejus. Quicumque igitur vel neget aliquid de Deo, quod ſibi convenit; vel aſſerit aliquid de eo, quod ei non convenit, divinæ derogat bonitati. Quod quidèm contingere poteſt, vel ſecundum intellectum tantùm, vel etiam ſecundum intellectum, & affectum; & utroque modo hujuſmodi derogatio, si ſit tantùm in corde, eſt blaſphemia cordis; ſi verò in ore, eſt blaſphemia oris; quæ quidèm opponitur confeſſioni fidei, non prima. Blaſphemia verò ſanctorum ex conſequenti redundat in Deum. Eſt autèm propriè blaſphemia in verbis; extenſo tamen nomine eſt etiam in factis; ſicut etiam confeſſio, & negatio licèt propriè ſint in verbis, nihilominus tamen accipiuntur in factis, ſecundùm illud ad *Titum* 1. *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*. Blaſphemiæ autèm, ſecundùm aliquos, ſunt tres ſpecies. Una eſt cum attribuitur Deo, quod ei non convenit. Secunda, cum ab eo removetur, quod ſibi convenit. Tertia, cum creaturæ attribuitur, quod Deo appropiatur. Secundùm verò *Tho.* 2. 2. *quæſt.* 3. *art.* 1. *c.* 3. ſecundum illa tria, non poſſunt propriæ loquendo diſtingui diverſæ ſpecies blaſphemiæ. Prima enim duo non differunt, niſi ſecundum affirmationem, & negationem, quæ quidèm differentia non diverſificat habitus in ſpecie, quia per eamdem ſententiam innoteſcit falſitas affirmationum, & negationum; & per eamdem ignorantiam modo utroque erratur. Quod autem ea, quæ ſunt Dei propria, creaturis attribuantur, ad hoc pertinere videtur, quod aliquid Deo attribuatur, quod ſibi non convenit; Quicquid enim eſt Deo proprium, attribuere hoc creaturæ, eſt dicere Deum idem eſſe creaturæ. Eſt autèm blaſphemia peccatum mortale ex genere ſuo, cum repugnet charitati divinæ, qua derogat bonitati divinæ, ut dictum eſt, quæ eſt objectum charitatis; Undè punitur morte: *Levit.* 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini morte morietur*. Si autem aliquis ex ſurreptione in verba blaſphemiæ prorumperet, ita quod hoc, quod diceret, blaſphemiam eſſe non adverteret, venialitèr peccaret, & rationem blaſphemiæ propriè non haberet, ſecundùm *Tho. ubi ſupra c.*, & *Alex. Aug.* 2. *tit.* 2. *c. de blaſphemia art* 3. *c.* Eſt autem maximum peccatum, ſicut & infidelitas, ad quam pertinet, & etiam ipſam aggravat, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis; & adhuc magis ſi prorumpat in verba; Hinc ſuper *illud Iſai.* 18. *Ad populum terribilem &c. dicit Gloſ.* quod omne peccatum blaſphemiæ comparatum, levius eſt.

Sed numquid hoc peccatum remiſſibile eſt? Videtur quod ſic; quia dicitur *Matth.* 12. *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus*. Sed contrarium videtur per hoc, quod ibidem immediatè ſequitur: *Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur*. Reſpondeo: Blaſphemia ſi fiat ex coactione peccat contra Patrem; Si ex deceptione contra Filium; Si ex certa malitia contra Spiritum Sanctum. Secundùm enim veritatem omne peccatum eſt contra Trinitátem, appropiatè tamen commiſſum ex infirmitate, dicitur eſſe contra Patrem, cui potentia appropiatur; commiſſum ex ignorantia, contra Filium, cui ſapientia; commiſſum ex certa malitia, contra Spiritum Sanctum, cui bonitas appropriatur.

Nota etiam, quod irremiſſibile dicitur tripliciter. Uno modo negativè, ſcilicet, quod nullo modo poteſt remitti, ut peccata Dæmonum, & damnatorum. Alio modo contrariè, ſcilicèt quod habet contrariam diſpoſitionem ad remiſ-

remiſſionem, ut peccata, quæ fiunt ex certa malitia, quæ dicuntur irremiſſibilia, ideſt valdè de difficili remiſſibilia. Tertio modo privativè, ſcilicèt quod in ſe non eſt aptum natum, vel dignum remitti, ut quodlibet peccatum mortale. Si ergò blaſphemia fiat ex coactione, vel deceptione, dicitur remiſſibilis, quià ſecum habet cauſam annexam divinæ miſericordiæ provocativam ad remiſſionem; & de tali blaſphemia intelligitur illud *omne peccatum*; ſcilicèt perpetratum in opere, & hoc ex infirmitate, vel impotentia; & blaſphemia, ideſt peccatum perpetratum in verbo, & hoc ex ignorantia, remittetur hominibus, ideſt eſt remiſſibile; vel remittetur, ſcilicèt ſi pęniteat, quia ex circumſtantia, quæ peccatum attenuat, dignum eſt remitti. Si autèm blaſphemia committatur ex certa malitia, tunc dicitur irremiſſibilis, non quià non poſſit remitti, vel quià non remittatur aliquandò, ſed quià non habet ſecum cauſam motivam ad remiſſionem; & de hac dicitur: *Spiritus autem blaſphemiæ*, ideſt blaſphemia illata ex certa malitia, & quodlibet aliud peccatum factum ex certa malitia, *non remmittetur*, ideſt vix, ſivè difficultèr eſt remiſſibile, quià nullam excuſationem habet. Eſt autèm blaſphemia non tantùm in viatoribus, ſed etiàm in damnatis, ſecundùm illud Apoc. 16. *Blaſphemaverunt nomen Domini habentis poteſtatem ſuper has plagas*, non tamèn eſt in eis demeritoria; ſed pertinet partim ad pœnam damnationis. Eſt autèm in eis blaſphemia cordis, quià deteſtantur juſtitiam Dei eos punientis. Credibile etiam eſt, quod poſt reſurrectionem erit in eis blaſphemia oris, ſicut & in ſanctis laus vocalis.

TITULUS LXI.

De Spe, Deſperatione, & Præſumptione.

COnſequentèr conſiderandum eſt de Spe, & vitiis ſibi oppoſitis, ſcilicèt de Deſperatione, & Præſumptione; ideò ſit

ARTICULUS I.

De Spe.

CIrcà igitur ſpem nota, quod ſpes poteſt quadruplicitèr ſumi; ſcilicèt, pro ſpe ſecundum quod eſt paſſio; & pro actu ſperandi; & pro re ſperata; & pro habitu, per quem elicitur actus ſperandi. Primis tribus modis non eſt virtus; quarto modo eſt virtus, & quidèm ſi ſit habitus charitate formatus, eſt ſimplicitèr virtus; perficit enim habentem eam, & actum ejus, & actum illum debito modo refert in finem ultimum, quæ requiruntur ad plenum eſſe virtutis; Fit autèm illa relatio completivè per charitatem. Si verò ſpes ſit informis, ſic eſt virtus, ſecundum quod virtus communitèr ſumitur pro quocumque habitu determinante potentiam ad aliquem actum reſpectu objecti debiti, & utroque modo ſpes eſt habitus infuſus, cum per eam protendatur appetitus animæ in bonum arduum, ſcilicèt eternę gloriæ, quod eſt ſuper omnem facultatem naturæ.

Sciendum autèm, quod ſpes largè poteſt dici credulitas probabilis, ſecundum quod dicit aliquis de aliquo, quod ſperat eum eſſe futurum bonum hominem, & ſimilia; & ſic pertinet ad cognitionem. Alio modo poteſt dici propriè, ſecundum quod eſt quædam prætenſio appetitus in bonum arduum, ut dictum eſt, & ſic pertinet ad affectionem, & ſic eſt hìc intentio de ea. Deffinit autèm eam *Haymo ſic, & habetur lib. 3. ſententiarum diſ. 26. cap. 1. Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis proveniens ex divina gratia, & meritis præcedentibus vel ipſam rem ſperatam, vel ſpem*. Et vult per hoc dicere quod ipſa merita, per quæ homo diſponit ſe ad ſperandum præcedunt ſpem, vel in re, vel in propoſito. Cum autem dicitur *ſpes eſt certa expectatio &c.* non eſt ibi prædicatio per eſſentiam, ſed per cauſam. Ad quod nota, quod duplicitèr contingit aliquem merita ſua intueri. Uno modo attribuendo ſibi; & hoc eſt ſuperbię, & vanitatis. Alio modo attribuendo gratiæ Dei; & hoc eſt humilitatis, & veritatis; & hoc modo motus ſpei ex intuitu oritur meritorum.

ARTICULUS II.

De Deſperatione.

CIrcà deſperationem ſciendum, quod deſperatio eſt peccatum, imò etiàm maximum peccatorum, ſcilicèt quantùm eſt ex parte noſtra. Infidelitas enim, & odium Dei ſecundum propriam ſpeciem ſunt graviora, quàm deſperatio; quià illa duo ſunt contra Deum ſecundum ſe, ſcilicèt infidelitas, quę non credit divinæ veritati; & odium Dei, quod contrariatur divinæ bonitati: ſed deſperatio eſt contra Deum non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm quod ejus bonum participatur à nobis. Sed ſi prędicta tria ad invicem comparentur ex parte noſtra, ſic deſperatio eſt periculoſior, quià per ſpem revocamur à malis, & introducimur in bona proſequenda, & ideò ſpe ſublata irrefrenatè homines in vitia labuntur, & à bonis operibus retrahuntur; Vndè *Iſid.* de ſummo bono dicit: *perpetrare flagitium aliquod, mors eſt, ſed deſperare, eſt deſcendere in Infernum*. Oritur autèm ſecundùm quod dicit *Greg.* 31. *Moral.* ex luxuria, ex qua provenit, quod homo faſtidit bona ſpiritualia, & non reputat ea bona ardua; ſed ſpecialius etiàm ſecundum eumdem ibidem, oritur ex accidia, quę eſt triſtitia quędam ſpiritus directiva. Remedium autèm

autèm principale contra deſperationem eſt confidentia de Chriſto paſſo pro genere humano, quod erat in peccato; Vndè ſuper illud *Rom.* 5. *Pro impiis mortuus eſt*, dicit *Gloſ. Ne deſperes de ejus potentia, cujus apparet in morte tanta benevolentia, à quo tales arras accepimus, quod donavit impiis ſuam mortem, qui conſervat juſtis ſuam vitam*.

ARTICVLVS III.

De Præſumptione.

CIrcà pręſumptionem ſciendum, quod duplex eſt præſumptio vitioſa. Vna, quæ oritur ex propria virtute, quę eſt ſpecies ſuperbiæ, & opponitur magnanimitati; Eſt enim ſuperabundantia ejus, & oritur ex inani gloria: Undè *Greg.* 31. *Moral.* ponit præſumptionem novitatum filiam inanis glorię. Alia præſumptio vitioſa eſt, quæ conſurgit ex contemptu divinę juſtitię; quę ſi ex ſola electione procedat, eſt peccatum in Spiritum Sanctum, & hęc directè opponitur ſpei; Eſt enim quędam ſpei inordinatio ex ſola electione procedens, ſecundùm *Ricar. diſ* 26. *quæſt.* 6. *art.* 1. *c.* Et hęc directè videtur oriri ex ſuperbia, ac ſi talem, quis ſe ęſtimet, quod etiàm eum peccantem Deus non puniat, vel à gloria non excludat. Eſt autèm pręſumptione deſperatio pejor, quià voluntas per deſperationem totalitèr à Deo recedit; non enim innititur miſericordię, quam contemnit, nec juſtitię, quià quantum poteſt, eam refugit; per pręſumptionem autèm, in Deum, licèt inordinatè, tendit.

Ad hoc nota, quod pręſumere quandoquè ponitur pro ſperare, *ut Iudith.* 9. *Exaudi me miſeram, & de tua miſericordia præſumentem*; Ratio hujus eſt, quià ipſa ſpes recta, quę habetur de Deo, videtur pręſumptio, ſi ſecundum humanam conditionem menſuretur; Non autèm eſt pręſumptio, ſi divinę bonitatis immenſitas attendatur.

TITVLVS LXII.

De Charitate, & Odio.

COnſequentèr conſiderandum eſt de Charitate. & Primò de ipſa. Secundo de effectibus conſequentibus actum Charitatis. Et de ipſa charitate, Primò quantùm ad ejus eſſentiam. Secundò quantum ad ejus ſubjectum. Tertiò quantum ad objectum. Quartò quoad ordinem. Quintò quoad actum. Sextò quoad oppoſitum vitium, ſcilicèt odium; Ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Eſſentia Charitatis.

CIrcà primum ſciendum, quod charitas ſic deffinitur *lib.* 3. *ſenten. diſ.* 27. *Charitas eſt dilectio, qua diligitur Deus proptèr ſe, & proximus proptèr Deum.* licèt enim charitas, & dilectio, ſint idem in re, differunt tamèn in ratione; Dilectio enim eſt in plus, quàm charitas Undè conſuevit dici, quod amor eſt naturalis dilectio voluntatis deliberativæ: Undè charitas nominat habitum, & dilectio actum; & ità deffinitur charitas per dilectionem, ſicut minus commune per magis commune; vel ſicut habitus per ſuum actum. Quod autem Charitas ſit ſimplicitèr virtus, imò maxima omnium virtutum, patet per *Auguſt.* 15. *de trini. cap.* 18. *dicentem*, quod nullum donum Dei eſt excellentius dono charitatis. Hoc enim ſolum eſt, quod dividit intèr filios æterni regni, & filios æternę perditionis. Eſt etiàm Charitas omnium virtutum forma, ut *dicit Ambro.* quod intelligitur inquantum cæteræ virtutes, quantum ad rationem tendentiæ in finem ultimum ab ea recipiunt complementum; proptèr quod perfectio meriti attribuitur charitati, quod benè dat intelligere *Apoſtolus* 1. *Corinth.* 13. *dicens: Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autèm non habuero, nihil mihi prodeſt.* Undè Gloſ. ſuper illud *Galat.* 5. *fructus autèm ſpiritus eſt charitas* dicit: *ſine charitate cæteræ virtutes non reputantur eſſe virtutes*.

ARTICVLVS II.

De Charitate quantum ad ejus ſubjectum.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de charitate, quantum ad ejus ſubjectum.

Circà quod ſciendum, quod cum virtus charitatis ſit virtus infuſa, ſecundum illud *Rom.* 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*; Non infunditur ſecundum capacitatem naturalium, ſed ſecundum voluntatem Spiritus Sancti diſtribuentis. Undè 1. *Corinth.* 12. *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus pro ut vult*. Poteſt tamèn charitas augeri loquendo de Charitate viæ; Undè *Auguſt.* ſuper *Ioa. Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Poteſt etiàm Charitas amitti in ſtatu viæ, quià non tollit à libero arbitrio vertibilitatem; Ideò dicitur 1. *Corin.* 10. *Qui ſtat, videat, ne cadat*. Ammittitur autèm charitas per hoc quod avertitur à Deo voluntas, quod fit per quodlibet peccatum mortale. Undè *Auguſt.* 8. *ſuper Gene.* dicit, quod homo Deo præſente ſibi illuminatur, abſente verò continuè tenebratur, à quo non locorum intervallis, ſed voluntatis averſione diſceditur.

Recuperatur autèm charitas per pęnitentiam, quià

quià tollit averſionem illam. Undè *Auguſt lib. 5. confeſſionum: Pænitentia eſt quædam res optima, & perfecta omnes defectus revocans ad perfectum*. Recuperatur autem charitas major, vel minor, ſecundum quod homo ſe plus, vel minus præparat, & divina largitas diſpenſat.

Non poteſt autèm aliquis exiſtens in hac vita, ſecundum communem legem, ſcire certitudinalitèr ſe habere charitatem, tum proptèr charitatis, & dilectionis acquiſitæ ſimilitudinem, ut dicit *Bern.* de amore; tum proptèr divinam diſpenſationem, proptèr quam Deus claudit oculos ſervorum ſuorum ad ea, de quibus poſſunt efferri. *Hinc dicitur Eccl. 9. Nemo ſcit, utrum odio, vel amore dignus ſit.* quod tamen quidam dicunt eſſe verum loquendo de amore finali pro omni tempore, & abſolutè. Per ſuſceptionem enim pænitentiæ, quæ eſt ſacramentum, adhibita omni diligentia, quę ad hoc requiritur, ut dignè recipiatur, poteſt pro illo tunc ſcire certitudinalitèr certitudine fidei, charitatem ſe habere ſecundum eos.

ARTICVLVS III.

De Charitate quantum ad ejus Objectum.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de charitate, quantum ad ejus objectum.

Circa quod ſciendum, quod formale objectum, & primum principale charitatis, ratione cujus diligitur quicquid ex charitate diligitur, eſt bonitas ſumma. Undè *Anſel. in moral. cap.* 68. dicit, quod creatura rationalis nihil diligere debet niſi ſummam eſſentiam, aut proptèr illam plura alia ſunt diligenda ex charitate proptèr ſummam bonitatem, vel proptèr Deum ſub ratione ſummi boni, quorum numerum, & etiàm ordinem debitum ponit *Auguſt. lib. 1. de doctri: Chriſtiana cap. 2. dicens: quatuor ſunt diligenda, ſcilicèt quod ſupra nos eſt, ſcilicèt Deus. Quod nos ſumus. Quod juxta nos eſt, ſcilicèt proximus. Quod infra nos eſt, ſcilicèt corpus.* Ad hæc quatuor reduci poſſunt omnia. Angeli enim continentur nomine proximi, ut dicit *Auguſt. 1. de doctrina Chriſtiana*. Corpus verò proximi continetur ſub quarto membro, quià eſt infrà nos, ſicut noſtrum corpus. *Ambroſ.* autem ponit ſex diligenda ex charitate dicens: *Ante omnia Deus, deindè nos ipſos, poſteà Parentes, deindè filios, deindè Domeſticos, poſteà inimicos diligamus.* Horum quinque membra reducuntur ad tertium membrum *Aug.* ſcilicèt ad dilectionem proximi.

Nec eſt ibi contrarietas, quia *Ambro.* conſideravit differentias diligibilium accidentales, *Auguſt.* verò differentias, & gradus magis eſſentiales, ut infrà melius patebit. Sciendum autem quod aliquid diligi poteſt ex charitate duplicitèr. Uno modo per ſe, ſicut objectum, ad quod dilectio terminatur. Alio modo per accidens, ſicut aliquod bonum, quod objecto illi ex dilectione optatur; Vndè in actù dilectionis ejus includitur. Primo modo diligitur aliquid amore amicitiæ Secundo amore concupiſcentiæ. Secundo modo, non primo diliguntur ex charitate virtutes, gratia, & gloria æterna. Et quià accidens non facit numerum cum ſubjecto, ideò ipſa non numerat *Auguſt.* vel *Ambroſ.* inter diligenda ex charitate. Intendunt enim aſſignare tantum numerum diligendorum ex charitate amore amicitiæ.

Itèm aliquid poteſt diligi ex charitate duplicitèr. Vno modo ex charitate imperante; ſic diligi debent ex charitate omnia, quæ ſpectant ad ſalutem noſtram, & divinam laudem. Alio modo ex charitate eliciente; ſic diligitur illud ex charitate, ad quod tamquàm ad objectum terminatur formalis, & proprius actus charitatis, ſcilicèt amor amicitiæ. Tale enim non eſt ſummũ bonum, ſivè illud, quod natum eſt beatificari in ſummo bono. Primo modo creaturæ irrationales, & inanimatæ diligendæ ſunt ex charitate, ſed non ſecundo modo, ſecundùm aliquos. Vndè ſecundum eos earum dilectio à charitate imperatur; ſed non à charitate, ſed potius à naturali voluntate elicitur; Secundum verò aliquos à charitate elicitur; Undè ſecundum hos diligendę ſunt ex charitate elicitivè, non dilectione amicitiæ propriè loquendo; ſed inquantum ex charitate volumus eas conſervari ad hominum utilitatem, & Dei honorem. Sic etiam Deus eas diligit ſecundùm illud *Sap.* 11. *diligis omnia, quæ ſunt*. Primæ ſententiæ fuit *Bon. 3. diſt. 28. q. 1. art. 1. c.* Secundę *Ric. 3. diſt. 38. quæſt. 1. art. 4. c.* Peccatores autèm, qui ſunt proximi noſtri, ratione naturæ, ſecundùm quam capaces ſunt æternæ gloriæ, ſunt ex charitate diligendi; ſed ratione culpæ ſunt odiendi; Et hoc eſt perfectum odium, de quo Propheta: *Perfecto odio oderam illos*. Et *Proſper: Sic diligendi ſunt homines, ut non diligantur eorum errores.*

Nec obſtat, quod in Scriptura Sacra Sancti videntur optare peccatoribus mala, ſecundùm illud *Pſal. Convertantur peccatores in infernum*; Quià hujuſmodi authoritates intelligi poſſunt, vel per modum prænunciationis, ut ſit ſenſus: *convertantur*, ideſt convertentur; vel per modum optationis; & hoc ut deſiderium attendatur, vel reſpectu divinæ juſtitiæ, vel reſpectu removendæ culpę. Diabolus autèm, & etiam Dæmon eſt nomen naturę in malitia obſtinatæ, ideò concedi non debet ſecundum *Ric. 3. diſ. 28. quæſt. 1. art. 1. cap. 4.* quod ſit diligendus ex charitate, niſi ratione naturæ, quę naturalitèr bona eſt. Non eſt tamen natura ex charitate diligenda amore amicitiæ, quo vitam æternam optamus amato, ſed potius ex charitate debemus in ejus æterna pœna Dei juſtitiam diligere, volendo eam ad Dei gloriam permanere.

Sed quid de inimicis, numquid tenemur eos diligere ſecundum affectum?

Reſpondeo; Dilectio inimicorum triplicitèr

tèr poteſt intelligi. Uno modo in quantum ſunt inimici. Secundo quoad naturam in univerſali. Tertio quoad naturam in ſpeciali. Diligere inimicos primo modo eſt perverſum, quia hoc eſt diligere eos in quantùm ſunt mali. Secundo modo eſt ad ſalutem neceſſarium *Matth. 5. diligite inimicos veſtros.* Tertio modo, ſcilicet ut aliquis in ſpeciali moveatur amore ad inimicum, non eſt de neceſſitate charitatis abſolutè; ſed ſecundùm præparationem animi, ſcilicèt ut animus ad hoc ſit paratus, ſi neceſſitatis occurrerent caſus. Hoc enim prætèr neceſſitatem implere, eſt de charitatis perfectione, & ſic dicit *Auguſ. in Ench.* quod diligere inimicos non eſt tantæ multitudinis, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur *dimitte nobis debita noſtra, ſicut &c.*

Ulteriùs nota, quod dilectionis affectus eſt duplex; ſcilicèt innocentiæ, & beneficientiæ. Primo affectu tenemur omnes inimicos diligere, ne eis optemus mala per ſe, ideſt in quantum ſunt mala, poſſumus tamen eis per accidens optare mala, ſcilicèt in quantum credimus illa eis, vel reipublicæ expedire; Undè omnes tenentur inimicos non odire, & de eorum malis non gaudere, niſi fortè per accidens, ut dictum eſt *proverb. 24. cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.* Secundò, affectus ſcilicèt beneficientiæ eſt duplex. Unus eſt principalis, quem charitas primò, & per ſe elicit, ut optare dilecto bona ſpiritualia ſcilicèt gratiam, & gloriam; & hoc affectu tenemur omnes diligere etiàm actu inimicantes. Alter eſt ſecundarius, ut optare bona temporalia; & hunc imperat charitas, ſed non elicit, ſecundum aliquos; ſecundum alios veró etiam elicit, ſed non primò, & per ſe, & principalitèr, ſed per accidens, ſcilicèt inquantum bona temporalia creduntur aliquo modo expedientia eſſe ad ſalutem animæ, Et hoc ſecundo affectu diligere inimicos non eſt neceſſitatis, ſivè ſint inimici perſonæ, ſive Eccleſiæ; ſed ſi ſunt inimici perſonæ, eſt perfectionis, niſi per accidens, ſcilicèt in quantum bona temporalia eis, vel aliis creduntur fore nociva; Inimicis veró Eccleſiæ optare proſperitatem temporalem eſt potius imperfectionis, quàm perfectionis, niſi per accidens.

Numquid tenemur diligere inimicos etiàm quantum ad effectum?

Reſpondeo ſicut in affectu, ità & in effectu ab eo procedente diſtinguendum eſt. Dilectio autem inimicorum ſecundum affectum ad minus in communi eſt de neceſſitate præcepti abſolutè; In ſpeciali autem non eſt abſolute, ſed ſecundum præparationem animi, ut ſupra dictum eſt. Similitèr etiam dicendum eſt de dilectione ſecundum effectum. Itèm quantum ad effectum innocentiæ omnes tenentur, ſcilicèt ut inimicis non inferant mala, nisi fortè per accidens propter bonum perſonæ, vel Reipublicæ. De effectu autem beneficientiæ diſtinguendum eſt, quiá beneficia quædam exhibentur communitèr aliis; ut cum quis pro populo in communi orat, vel ei prædicat, vel aliquod beneficium ei dat, & talia exhibere inimicis eſt de neceſſitate præcepti; ſi veró ab hujuſmodi excludantur inimici, hoc pertinet ad livorem vindictæ, contra illud *Levit. 19. non quæres ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum*, Tenetur etiam quis ſecundum *Ric. 3. diſ. 30. quæſt. 1. art. 1. c.* eis impendere effectum ſalutationis, quæ communiter impenditur, niſi in caſu, ſcilicèt quandò timeret vel eos provocari contra ſe, vel aliquod malum oriri. Quædam verò beneficia exhibentur particulariter aliquibus perſonis, & hoc exhibere inimicis non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundùm præparationem animi; ſcilicèt, ut ei ſubveniatur in caſu neceſſitatis, & tunc eſt opus juſtitiæ potius, quàm amicitiæ, quia ut dicitur *1. Jo. 3. Qui habuerit ſubſtantiam hujuſmundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Sic etiam intelligitur illud *Proverb. 25. ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, illi da potum.* Extra vero caſum neceſſitatis hujuſmodi beneficia exhibere inimico perſonæ eſt perfectionis; Undè ſuper illud *Matth. 5. benefacite his, qui oderunt vos* dicit Gloſ. *Benefacere inimicis eſt cumulus perfectionis*: & hoc eſt verum niſi per accidens, ſcilicèt inquantum hujuſmodi beneficium eſt ſibi, vel alteri occaſionalitèr nocivum; Tunc enim ſubtrahere eſt melius: *Utilius enim, ut dicit Auguſ. panis ſubtrahitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat; quám eſurienti panis frangitur, ut injuſtitiæ ſeductus acquieſcat.* Inimico verò Eccleſiæ beneficium ſubtrahere perfectiùs eſt, & meliùs, niſi per accidens, inquantum ſcilicèt ipſum beneficium ſperatur utile fore Eccleſiæ, quia per beneficium ſperatur reconciliandus Eccleſiæ. Prædicta diſtinctio, ſcilicèt inter inimicos Eccleſiæ, & perſonæ ponitur à Petro *3. diſ. 30. quæſt. 1. art. 2. c.*

Ad hoc nota, quod dimittere rancorem inimico, eſt neceſſitatis; dimittere autèm rancorem, & ſigna rancoris, eſt perfectionis, ſecundum *Bon. 3. diſ. 30. quæſt. 2. circa literam*; Undè ad hoc non tenetur homo niſi in caſu, ſcilicèt, quando devotè, & humilitèr venia poſtulatur, ſecundum autèm *Ric. 3. diſ. 30. quæſt. 1. art. 2. c.* non tenetur homo inimico etiám petenti veniam, remittere ſatisfactionem, ſivè emendam pro injuria; ſed pro illa competit de jure actio in judicio contra injuriantem, niſi fortè ſit homo talis ſtatus, ſive ligatus tali obligatione, ratione cujus ſibi non conveniat in judicio conveniri.

Nec obſtat prædictis quod dicitur *Levi. 19. Non quæres ultionem &c.* Quia per hoc, & ſimilia intenditur actio contra injurantem zelo vindictæ, & non zelo juſtitiæ; vel ſunt conſilia monentia ad illud, quod eſt ſuper erogationis, & non neceſſitatis. *Hæc.* Ric. *ubi ſupra c. ad argument. in oppoſitum.*

Sed quid eſt majoris perfectionis, & meriti,

ti, ſcilicèt diligere amicum, vel inimicum?

Reſpondeo ſuper hoc diverſa ſcribuntur á diverſis, quibus omiſſis gratia brevitatis; dicendum eſt ad præſens, quod ſicut tradit *Bon.* 3. *diſt.* 30, *art.* 6. *c.* ſi loquimur de iſtis actibus, prout procedunt ab eodem habitu charitatis, quodammodo ſunt æquales, ſcilicèt reſpectu præmii ſubſtantialis, & quodammodo mutuo ſe excedunt, ſcilicèt reſpectu præmii accidentalis, nàm motus dilectionis ergà amicos eſt intenſior, & frequentior, ergà verò inimicos eſt purior, & difficilior; & ideò perfectior, & melior eſt ſimplicitèr ille motus in amicum ſecundum aliquos; & motus in inimicum ſecundum alios. Primum videtur approbare Magiſter ſententiarum *lib.* 3. *diſt.* 30. Secundum verò Augus. videtur problema facere dicens *in Ench. cap.* 4. *magnum eſt ergà eum, qui nihil mali tibi fecit eſſe benevolum, & beneficum; illud vero multo gravius, & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, ut tuum diligas inimicum.*

ARTICULUS IV.

De Charitate quantum ad ordinem.

SEquitur videre de quarto, ſcilicet de charitate, quantum ad ordinem, ſecundum quem ex charitate unus plus alio eſt diligendus; de quo *can.* 2. *ordinavit in me charitatem*: & quidem ordinem hujuſmodi *Auguſ.* & *Ambr.* ponunt ſimul cum numero diligendorum ex charitate *ex verbis ſuprà poſitis in principio Articuli præcedentis.*

Sed differunt, quia ordo *Auguſ.* reſpicit charitatem ſecundum ſe, & ideò attenditur ſecundum principales differentias boni, quæ ſunt bonum ſupra nos, bonum in nos, bonum juxta nos, & bonum infra nos, quæ differentiæ attenduntur pœnés bonum, magis bonum, & maximè bonum. Ordo verò *Ambr.* reſpicit charitatem, pro ut eſt in natura, quam dirigit, & regit; & hic ordo non attenditur tantùm pęnès differentias boni, ſed etiam pęnès rationem proprii, & alieni, propinqui, & remoti; & hic ordo multiplicatur in ſex differentias, ut habitum eſt ſupra, ad quas quidem omnes aliæ poſſunt reduci. Pater enim ſpiritualis reducitur ad patrem carnalem, cæteri conſanguinei ad filios; Dominus, & ſervus, Diſcipulus, & Magiſter, & etiam ſecundum Petrum uxor ad domeſticos.

Sciendum igitùr, quod ſecundum ordinem, quem ponunt *Auguſ.* & *Ambr.* Deus eſt ſuper omnia, & propter ſe ex charitate diligendus, cum ipſe ſit ſummè bonus, & res tantùm eſt amabilis, quantum eſt bona, ut dicit *Anſelm. lib.* 2. *cur Deus homo cap.* 14. Itèm plus debet homo ſe diligere, quàm proximum, quia ſecundum *Auguſ.* 11. *de Civit. Dei cap.* 27. Hoc eſt amor in ſpiritualibus, quod pondus in corporalibus; Pondus autem plus trahit corpus, in quo eſt ad locum ſibi debitum, quàm aliud corpus ſibi annexum.

Nec eſt contra, illud *Auguſt.* 8. *de trinit. cap.* 8. *Tantùm Charitatis debemus fratribus impendere, quantum nobis*; Quia ibi *tantùm* ſumitur pro nota ſimilitudinis, non æqualitatis.

Sed numquid debet ſe homo plus diligere, quàm Chriſtum inquantum homo?

Reſpondet *Bon.* 3. *diſt.* 38. *quæſt.* 4. *circa literam*, quod hæc determinatio *inquantùm*, aut importat unitatem perſonæ: & ſic Chriſtus in quantum homo eſt diligendus ſuprà nos, quia ſic eſt noſter creator, & redemptor; aut conditionem naturæ aſſumptæ, & ſic eſt noſter proximus, & juxta nos diligendus, & idem dicendum eſt de Beata Virgine. Debet etiam homo ſe plus diligere, quam totum alium mundum, ut expreſſe dicit. *Hugo lib. de Sacramentis parte* 13. *cap. extra.* Debet tamen homo plus diligere proximum, quàm corpus proprium, & hoc quantum ad ſalùtem animæ. Conſociatio enim in plena participatione beatitudinis, quæ eſt ratio diligendi proximum, eſt major ratio, quàm participatio beatitudinis per redundantiam, quæ eſt ratio diligendi corpus proprium. Debet etiam homo magis diligere unum proximum, quam alium, & affectu, & effectù; Deus enim tànquam objectum formale charitativæ dilectionis, & ipſe diligens, tanquam efficiens per charitatem ſunt principium charitativæ dilectionis, & ideó ſecundum majorem propinquitatem diligibilis ad alterum iſtorum principiorum eſt major dilectionis affectus, quia in omnibus, in quibus invenitur aliquod principium, attenditur ordo per comparationem ad ipſum; Undè quiá quanto diligibile eſt melius, tanto eſt Deo propinquius, tantoquè magis eſt diligendum cæteris paribus; Similitèr quanto diligibile eſt diligenti propinquius, tanto magis eſt diligendum cæteris paribus; & ſic patet, quod homo debet magis cæteris paribus diligere proximum magis bonum, & ſimilitèr ſibi magis conjunctum; *cæteris paribus dico*, quia unus ita parum excedere poſſet alium in bonitate, & ita parum excedi ab eo in propinquitate ad diligentem, quod magis deberet diligere meliorem extraneum, quàm minus bonum propinquiorem; Quod autèm dicit *Auguſt.* 1. *de doct. Criſt.*, quod omnes homines ſunt æque diligèndi intelligi debet ratione boni optati, ſcilicèt æternæ gloriæ, quam omnibus optare debemus.

Nota tamèn ſecundum R*ic.* 3. *diſ.* 29. *art.* 6. *c.* quod propter eſſe, quod habetur á parentibus non debet aliquis magis diligere aliquem, quam patrem ſuum, quantumcumque excedat eum in bonitate, non privilegiata, quod dico propter bonitatem humanæ naturæ Chriſti, & beatæ Virginis, qui magis debent diligi, quàm Pater, & Mater, quia per eorum bonitatem provenit nobis majus bonum, quàm per parentes.

Séd quid ſi parentes noſtri ſint mali?

Reſpondet *Bon.* 3. *diſt.* 29. *quæſt.* 4. *circa literam,*

teram, quod duplex eſt amor, ſcilicèt complacentiæ, & beneficentiæ. Amore complacentiæ, diligit quis aliquem, quandò approbat ejus facta; ſed amore beneficentiæ diligit quis aliquem, quando vult ei benefacere, & amat eum non tantùm, quià ſit bonus, ſed ut ſit bonus. In primo amore præponderat bonitas; in ſecundo propinquitas; Vndè dato, quod pater meus ſit malus, & alius extraneus ſit bonus, magis debeo velle, & deſiderare, & procurare, quod patèr meus ſit, & remaneat bonus, quàm quod alius extraneus, licèt eum, & facta ejus quamdiù eſt in peccato non debeam approbare. Sic ergò debeo patrem meum diligere, & affectu intenſiori, & effectu majori; Debeo tamèn magis diligere illum extraneum bonum, ratione boni majoris optati, & hoc pro illo ſtatu, in quo ſunt ad præſens, quià hoc requirit juſtitia Dei. Dum tamèn pater meus eſt in ſtatu viæ, debeo velle, quod ipſe perveniat ad bonum ſtatum, & ad majus meritum, & per conſequens ad majus præmium.

Sed quem debet homo magis diligere, ſcilicèt patrem carnalem, vel ſpiritualem?

Reſpondet *Ric. 3. diſt. 29 art. 9. c.* quod patrem carnalem omnibus penſatis, magis inquam, ideſt intenſiùs, & optando ſibi majus bonum; licèt enim majus bonum receperit à patre ſpirituali, quàm carnali, pater tamèn ſpiritualis non dedit illi, niſi miniſterialitèr; Pater verò carnalis dedit filio eſſe naturæ, ſicut cauſa efficiens; exterius verò debet fieri aliqua reverentia patri ſpirituali, quæ non debetur carnali, quià ut dicit *Philoſ. 9. Ethic. non omnibus eadem reddendum, neque patri omnia*. Diligendus eſt igitur pater ſuper omnes alios proximos, & ſimilitèr mater; Undè diligi debent plus ex charitate, quàm filii, cæteris paribus, licèt filii magis diligantur dilectione naturali, & plus quam uxor omnibus penſatis. Pater verò diligi debet pluſquam mater cęteris paribus; Filii autèm debent plus diligi, quàm domeſtici; Domeſtici tamèn, ut dicit *Magiſter ſententiarum lib. 3. diſ. 29. c. 3.* ſi ſint boni, ſunt malis filiis præponendi. Hoc autèm exponunt aliqui, non quantum ad affectum, ſed quantùm ad effectum, nec qualemcumque, ſed illum, qui eſt collatio beneficiorum, vel elevatio ad regimen aliorum temporale, vel ſpirituale. Poteſt etiàm ſecundùm *Ric. 3. diſ. 29. in expoſitione circa literam* exponi, quantum ad affectum, quià beatitudo debet optari bonis domeſticis, non autèm malis filiis pro ſtatu, in quo ſunt; poteſt eſſe etiàm tanta malitia in filiis, & tanta bonitas in domeſticis, quod ſimplicitèr ex affectu, majori, magis debet diligi profectus domeſticorum, quàm filiorum.

Undè notandum, quod licet aliquandò præpoſterare charitatis ordinem ſupradictum, hoc enim contingit fieri aliquandò ex debita cauſa, ut cum quis commune bonum proprio bono pręponit in temporalibus, & hoc licèt videatur prępoſteratio, magis tamèn eſt perfectior ordinatio, & meriti cumulatio. Aliquandò præter cauſam debitam, ut ſi quis ex ſola liberalitate voluntatis ſuæ, ſe magis exhibeat alicui extraneo, quàm domeſtico, & conſanguineo, & etiàm patri ſuo, conſiderando in eo magis aliquam ſtrenuitatem, quàm Dei voluntatem, vel meriti dignitatem, & in hoc non meretur. Aliquandò contrà cauſam debitam, ut ſi pater meus indigeat, & eo neglecto ſubveniam extraneo; & hoc eſt peccatum; & ſic dicit *magiſter ſententiarum lib. 3. diſt. 29. cap. 1. peccat, qui præpoſterè agit*; *Hæc Bon. 3. diſt. 39. art. 5. c.*

Ad evidentiam autèm majorem hujus materiæ eſt notandum ſecundum *Bon. ibidem art. 6. c.* quod triplicitèr poteſt affectus accipi; Eſt enim affectus paſſio quædam mulcebris complacentiæ, qua ſcilicèt delector in alterius bono, & eſt affectus motus, ſcilicèt quædam rationalis eligentia, & ille eſt duplex. Quidam eſt à charitate elicitus, quo ſcilicèt quis optat alii ſummum bonum. Quidam verò eſt imperatus, quo ſcilicèt quis optat aliis temporale bonum ad conſervationem naturæ ordinatum. Eſt igitùr triplex affectus, & primum minimè reſpicit ordo charitatis pręſignatus, ſicut patet, quod aliquis plus delectatur, & gaudet in reſpiciendo ſocium præſentem, quàm in recolendo patrem abſentem, licèt magis diligat eum. Secundum verò affectum reſpicit principalitèr; Magis enim dicitur quis optare Deum ſibi, quàm alii; poſt ſe autèm magis patri, & ſic deinceps. Tertium verò reſpicit minus principalitèr; Vndè pro diverſis opportunitatibus, & conditionibus ordo ille, quantum ad illum affectum variari poteſt, & prępoſterari. Similitèr etiàm effectus ejus eſt triplex, ſcilicèt procuratio æternæ ſalutis; revelatio temporalis neceſſitatis; & commiſſio, ſivè collatio beneficii ſpiritualis, ſcilicèt Eccleſiaſtici. Primus, & ſecundus reſpiciunt perſonam; ſed tertius reſpicit utilitatem communem. Primum reſpicit ordo charitatis principalitèr, prius enim homo debet procurare ſalutem ſuam, quàm proximi; & prius Patris ſui, quàm alterius, & ſic deinceps procedendo. Secundum effectum reſcipit minus principalitèr; Vndè ſecundũ diverſas opportunitates, & conditiones poteſt, & debet homo magis, & minus eſſe beneficus aliis. Tertium effectũ minimè reſpicit ordo charitatis; in collatione enim beneficiorũ Eccleſiaſticorũ parũ, aut nihil ſanguinis proximitas, & multũ meriti dignitas debet attendi.

Ad hoc nota, quod ordo charitatis præaſſignatus cadit ſub præcepto; cum enim dicitur *Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* datur intelligi, quod Deus debet ſuper omnia diligi; cum verò præcipitur proximum diligi, ſicut ſe, præfertur dilectio ſui dilectioni proximi. Significatur etiàm, quod proximiores ſunt magis diligendi; & per illud 1. *Joan. 3. debemus pro fratribus animas ponere*; ideſt vitam corporalem, innuitur, quod plus debemus diligere proximum, quàm corpus noſtrum

ſtrum proprium ; & ad *Galat. 6. Operemur bonum ad omnes, maximè autèm ad domeſticos fidei* ; innuitur, quod inter proximos meliores, & proximiores ſunt diligendi magis.

Sed numquid prædictus ordo charitatis in patria remanebit?

Reſpondeo ſecundum *Ric. 3. diſ.31. quæſt. 3. art. 3. c. & Thom. 2. 2. quæſt. 26. art. 13 c.* Quod remanebit quantum ad hoc, quod Deus eſt ſuper omnia diligendus, ratione verò boni optati diliget meliores plùs quam ſe; minus verò bonos diliget minus quàm ſe: ſecundum verò intentionem dilectionis plus diligit ſe, quàm proximum, etiàm meliorem; ſed quoad ordinem proximorum ad invicem ſimplicitèr magis diliget quis meliorem ſecundum charitatis amorem; continget tamèn *ſecundum Thom. ibidem* in patria, quod aliquis ſibi conjunctum pluribus rationibus diliget. Non enim ceſſabunt ab animo beati honeſtæ cauſę dilectionis, omnibus tamèn rationibus aliis, ratio dilectionis ex propinquitate ad Deum præfertur, & ſecundum *Ricc. ubi ſupra c. in fine* cœteris paribus, intenſiùs vult conjunctiori ſibi illud bonum, quod habet.

ARTICVLVS V.

De Actu Charitatis.

Sequitur videre de quinto, ſcilicèt de charitate, quantum ad ejus actum.

Circà quod ſciendum, quod actuum charitatis, quidam ab ea imperantur, & iſti ſunt plures, & ſecundum ſpeciem differentes, quià voluntas per charitatem imperat actus omnium aliarum virtutum. *Vndè 1. Corinth. 13.* dicitur, quod *charitas omnia credit, omnia ſperat. &c.* Quidam ab ea eliciuntur, & iſti etiam ſunt plures, per ordinem tamèn ſe habentes; Ille tamèn, qui immediatè elicitur à Charitate, & mediante quo alii actus ab ea eliciuntur, non poteſt eſſe niſi unus ſecundum ſpeciem, qui eſt actus diligendi, mediante quo elicitur actus deſiderandi bonum futurum, gaudendi de bono præſenti, odiendi malum contrarium bono ex charitate amato, & fugiendi illud cum eſt futurum, & triſtandi de illo cum eſt præſens.

Poteſt autèm quæri de actu diligendi Deum utrùm habeat modum?

Reſpondeo aliquis actus triplicitèr dicitur habere modum, ſcilicèt aut ſecundum limitationem eſſentiæ, aut ſecundum determinationem debitarum circumſtantiarum, aut ſecundum proportionem medii inter ſuperfluum, & diminutum. Primo modo omnis actus habet modum. Secundo modo omnis actus virtuoſus. Tertio modo omnis actus virtutis cardinalis. Actus verò virtutum Theologicarum, ut charitatis, eſt duplex *ſecundum Petrum 3.diſ.27 quæſt.4. art.4.c.* Vnus exterior in effectù, & hic habet modum, Alter interior in affectu, & hic non habet modum quià menſuram accipit ex ratione objecti moventе, quæ eſt immenſa; Proptèr quod nulla Creatura poteſt Deum diligere, quantum eſt diligibilis. Undè dicit *Bern. lib. de diligendo Deum: cauſa diligendi Deum eſt modus ſine modo.* Undè nimis ſe poteſt affligere homo in ſervitio Dei ſed non nimis eum amare, eo quod homo exterior per excellentias corrumpitur, ſed interior roboratur. Excellentiæ enim ſenſatorum corrumpunt ſenſum, ſed non excellentiæ intelligibilium intellectum: *ex 2. de anima.*

Sed numquid modus diligendi Deum, qui attenditur ſecundum determinationem debitarum circumſtantiarum, & qui præcipitur *Deuter. 6. & Matth. 22. Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo &c.* impleri poteſt in via?

Reſpondeo quod ſic aliquo modo: Diligere enim Deum ſecundum totum cor ſuum poteſt triplicitèr intelligi. Vno modo ita quod totum cor hominis feratur actu ſemper in Deum, & hoc erit in patria, quia eſſe non poteſt in via proptèr humanam infirmitatem. Alio modo quod homo ſtudium ſuum deputet ad vacandum Deo, & divinis, omnibus aliis prætermiſſis, niſi quantum requirit neceſſitas vitæ præſentis; & hoc poteſt eſſe in via, non tamèn eſt communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo quod aliquis habitualitèr ponat in Deum totum cor ſuum, ita ſcilicèt, quod nihil velit divinæ voluntati contrarium; hæc eſt communis omnibus habentibus charitatem. Prima totalitas, ut terminus viæ nobis oſtenditur. Secunda conſulitur. Tertia præcipitur. De primo intelligitur illud, quod dicit *Auguſt. lib. de perfectione juſtitiæ*, quod in patria implebitur illud *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.*

Circà modum verò diligendi proximum nota; quod homo diligere proximum debet ſicut ſeipſum *Matt. 22. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, & ibi tangitur ratio dilectionis per *ly proximum*, ſcilicèt ſecundum naturalem Dei immaginem, & gloriæ capacitatem; nec refert, utrum dicatur proximus, vel frater, ut dicitur *1. Joann. 4.* vel amicus, ut *Levit. 19.* quià per hæc omnia idem ſignificatur. Tangitur etiàm ibi modus dilectionis per hoc, quod dicitur *ſicut te ipſum*, quod non debet intelligi æqualitèr, ſed ſimilitèr tibi; Et hoc triplicitèr. Primò, ut diligas eum proptèr Deum, ſicut te ipſum diligere debes. Secùndò, ut velis ſibi tantum in bonis, ſicut & tuæ voluntati ſatisfacere debes tantùm in bonis. Tertiò, ut non diligas eum proptèr aliam utilitatem, ſed quià vis bonum ſibi, ſicut vis tibi, & ſic dilectio proximi erit ſancta ex parte finis, juſta ex parte regulę dilectionis, & vera ex parte rectæ dilectionis.

Sed numquid charitatis actus poteſt eſſe mercenarius?

Reſpondeo, triplex eſt merces, ſcilicèt Deus, & creatura, ſcilicèt beatitudo, qua beatificamur in Deo, & merces temporalis. Loquendo de prima mercede, & ſecunda, actus charitatis poteſt eſſe mercenarius: Undè ad charitatem per-

pertinet amare Deum, non tantùm amore amicitiæ, ſed etiàm concupiſcentiæ. Undè *Ambro.* ſuper illud *Luc.* 14. *Quanti mercenarii &c. multi* inquit *mercenarii boni ſunt, qui ſpe æternorum Deo ſerviunt.*

Et ſi obiiciatur *illud Bernar. lib. de diligendo Deum. Et ſine præmio non poteſt Deo ſerviri, ſerviendum tamen eſt ei ſine intuitù præmii:* Dicendum quod intelligitur amore amicitiæ. Si enim homo per affectum amicitiæ amicum ſine intuitù præmii diligit, *ut dicit Philoſ.* multo magis vult homo Deo bonum amore charitatis ſinè intuitu alicujus mercedis; Sed per hoc non excluditur, quod charitas optet amore concupiſcentiæ illam ſummam mercedem obtinere. Illud quidem deſiderium non eſt amoris naturalis, nec acquiſiti, ſed potius gratuiti, præcipuè illud, de quo dicit *Apoſtolus: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, & hæc videtur eſſe communis opinio. Aliqui tamèn dixerunt, quod cum amor charitatis ſit gratuitus, non intuetur præmium, ſed omninò liberalitèr facit ſervire Deo, ſicut Patri filius. Vndè ſecundum eos intuitus mercedis non eſt à charitate, ſed benè poteſt eſſe cum charitate, & eſt ab effectu naturæ charitatem communicante. Loquendo autem de mercede temporali, non eſt diligendus Deus proptèr mercedem, ſcilicèt principalitèr, ſed diligi poteſt proptèr talem mercedem, ſicut proptèr aliquod adjuvans ad motum dilectionis; ſicut diſtributio quotidiana eſt ratio aliqua, quod Canonicus vadat ad Eccleſiam; ſed non debet eſſe ratio principalis.

ARTICVLVS VI.

De Odio.

SEquitur videre de ſexto, ſcilicèt de odio, quod opponitur dilectioni.

Circà quod ſciendum, quod odium Dei eſt maximum peccatorum. Semper enim quod eſt ſecundum ſe, eſt potius eo, quod eſt ſecundum aliud. In odio autem Dei voluntas avertitur à Deo ſecundum ſe, in aliis autem peccatis avertitur à Deo non ſecundum ſe, ſed ſecundum aliud, ſcilicèt in quantum appetit aliquam inordinatam dilectionem, quæ habet averſionem à Deo annexam. Vndè odium Dei ſecundum *Thom. 2. 2. quæſt. 34. art. 2. c. primum*, eſt maximum peccatum in Spiritum Sanctum, ſecundum quod peccatum in Spiritum Sanctum nominat aliquod genus ſpeciale peccati. Ideò tamèn non computatur inter ſpecies ejus, quià in omni ejus ſpecie invenitur, ſecundum Thom. *ibidem*. Intelligendum tamèn, quod &ſi Deus, ut appræhenditur in ſe ipſo, non poſſit odiri, quià ut dicit *Dionyſ. 4. c. de divin. nomin. omnibus amabile eſt primum bonum*; odiri tamen poteſt à perverſis, ſecundum quod appręhenditur, ut actor aliquorum effectuum, qui repugnant eorum inordinatę voluntati, cujuſmodi ſunt inflictio pœnarum, & prohibitio peccatorum. Odium etiàm proximi, cum opponatur charitati eſt peccatum; Vndè 1. *Joan.* 2. *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt*, ſcilicèt ſpiritualibus, quæ ſunt peccata. Immò eſt etiàm graviſſimum peccatorum, quæ committuntur in proximum; *Graviſſimum* inquàm, quantum ad voluntatis deordinationem, licèt ea, quæ committuntur exteriùs, ſint graviora, quantum ad proximi leſionem. Oritur autèm odium ex invidia directè ſecundum *Thom. ubi ſupra art. 6. c* & hoc vult *Greg.* 31. *moral.* ex ira verò diſpoſitivè. Quidam verò dicunt, ut refert *Ric.* quod potius odium oritur ex iracundia, licèt aliquandò odium ex aliqua invidia oriatur.

TITVLVS LXIII.

De Gaudio, Accidia, & Invidia.

DEinde conſiderandum eſt de effectibus conſequentibus actum Charitatis principalem, qui eſt dilectio, & de vitiis oppoſitis & Primò de effectibus interioribus. Secundò de exterioribus. Intèr verò interiores. Primò de gaudio. Secundò de accidia. Tertiò de invidia, quæ duo gaudio opponuntur; ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Gaudio.

CIrcà primum ſciendum, quod amor cauſat gaudium, quandò adeſt amatum. Charitas autem eſt amor Dei, qui ex hoc ipſo, quod amatur, eſt in amante per nobiliſſimum ejus effectum, ſecundum illud 1. *Joan.* 4. *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, & ideò ſpirituale gaudium, quod de eo habetur, ex charitate cauſatur.

ARTICVLVS II.

De Accidia.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de accidia. Circà quod nota, quod accidia ſecundum *Dam. eſt quædam triſtitia aggravans, quę ſcilicèt, ita deprimit animum hominis, ut nihil ei libeat agere*; & ideò accidia importat quoddam tedium operandi, ut patet ex *Gloſ.* ſuper illud *Pſal. Omnem eſcam abbominata eſt anima eorum*; & à quibuſdam dicitur, quod accidia eſt *torpor mentis bona incohare negligentis.* Hęc autèm triſtitia eſt ſemper mala, & peccatum; Vndè interdicitur *Eccleſias. 6. non audieris in vinculis ejus*, ſcilicèt ſpiritualis ſapientiæ: & ſecundum *Alex. 2. tit. 2. c. de accidia art. 1. c. ſcribitur per unum c. quià dicitur ab acedine.* Vndè

Digitized by Google

Vndè *Proverb.* 10. *dicitur*: *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his, qui miſerunt eum*; Hinc comparatur pigritia, ſivè accidia aceto, quià ſicut acetum infert dentibus nocumentum corporale, ſcilicèt acredinem, ita hoc peccatum infert animæ nocumentum ſpirituale, ſcilicèt quamdam acredinem ſpiritualem, ex qua provenit tedium ſpirituale boni ſpiritualis. Secundum vero *Hugo.* dicitur ab *Aci græco*, quod eſt cura ſivè anxietas animi. Secundum verò græcum debet ſcribi cum aſpiratione: ſicut *achidia*, ut dicit *Frater Joannes Theutonicus*. Eſt autem accidia ſecundum genus ſuum peccatum mortale, cum ſecundum propriam rationem contrarietur charitati; Nam proprius effectus charitatis, eſt gaudium de Deo, ut dictum eſt ſuprà. Accidia verò eſt triſtitia de bono ſpirituali, inquantum eſt bonum divinum; & ideò ſecundum genus ſuum eſt mortalis; & hoc eſt verum, quandò motus ejus pertingit uſque ad rationem, ita quod procedit in fugam, & horrorem, & deteſtationem boni divini; quandò verò ſiſtit tantùm in ſenſualitate, tunc eſt venialis. Eſt etiàm vitium capitale, ut vult *Greg.* 31. *moral.*, & ejus filię ſunt ſex ſecundum *Greg. ibidem*; ſcilicèt Malitia, qua quis deteſtatur bona ſpiritualia. Rancor, ſcilicèt contra homines ab bona ſpiritualia inducentes. Puſillanimitas reſpectu conſiliorum. Deſperatio. Torpor circà præcepta. Vagatio mentis circà illicita.

ARTICULUS III.

De Invidia.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de *Invidia*. Circa quam ſciendum, quod ſicut dicit *Dam. in 2. lib. Invidia eſt triſtia de bonis alienis*; Objectum enim triſtitiæ eſt proprium malum, & ſecundum hoc de bono alterius poteſt eſſe triſtitia prout appræhenditur ut malum proprium; & ſecundum hoc dupliciter. Vel inquantum ex eo nobis aliquod periculum imminet, ſcilicèt ut ab eo ledamur; & hujuſmodi triſtitia non eſt invidia, ſed eſt effectus timoris ut dicit *Philoſ. 2. rethori.* & poteſt eſſe ſine peccato, ut dicit *Greg.* 31. *moral.* Vel inquantum eſt diminutivum proprię glorię, vel excellentię; & hoc eſt, quandò exceditur ab alio in illo bono, & hęc triſtitia eſt propriè invidia, & eſt ſemper prava, ut dicit *Philoſ. 2. Rethori.* & eſt ex genere ſuo ſemper peccatum mortale, cum repugnet charitati, quià dolet de bono proximi, de quo charitas gaudet *Iob.* 5. *Parvulum occidit invidia*. Sunt tamèn primi motus invidię quandoque etiàm in perfectis viris, qui inſurgunt ex ſubreptione, qui ſunt veniales. Et ſimile eſt de invidia parvulorum, in quibus non eſt uſus rationis; & de motu invidię ſecundum quod eſt paſſio ſenſualitatis. Secundò poteſt eſſe triſtitia de bono alterius, inquantum deeſt nobis illud bonum, quod ipſe habet, & hæc propriè eſt zelus, ut dicit *Phil. 2: Reth.* & ſi ſit de bonis honeſtis, eſt laudabilis ſecundum illud 1. *Corinth.* 12: *Æmulamini cariſmata meliora*. Si autèm ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato. Poteſt etiàm eſſe triſtitia de bono alteriùs, inquantum ille eſt illo indignus, quæ quidem triſtitia, ut dicit *Philoſ.* 1. *Reth.* eſt de temporalibus bonis, & dicitur ſecundum eum *Nemeſys*, & pertinet ad bonos mores; & hoc ideò dicit, quià reputabat illa magna; Sed ſecundum fidem, quaſi nihil ſunt reſpectu futurorum bonorum, quæ ſervantur bonis, & ideò hujuſmodi triſtitia prohibetur in *Pſal. noli æmulari in malignantibus*.

Nota inſuper, quod invidia ſecundum *Philoſ. 2. Retho.* opponitur *Nemeſy*, & miſericordiæ, ſed miſericordię directè ſecundum oppoſitionem principalis objecti: Triſtatur enim de bonis proximi; miſericordia verò de malis; nemeſy verò opponitur ex parte ejus, de cujus bono triſtatur; Triſtatur enim de bono indignorum: Miſericordia autèm virtus eſt, & proprius charitatis effectus; Vndè invidia opponitur miſericordiæ, & charitati. Eſt autèm invidia vitium capitale, ut dicit *Greg.* 31. *moral.* & tamèn eſt filia inanis glorię; dicit enim *Philoſ. 2. rethor.* quod amatores honoris, & gloriæ magis invident, & fortè proptèr hoc ſecundum, *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 36. *art.* 4. *c.* 1. non ponitur invidia vitium capitale, neque *ab Iſid. lib. de ſummo bono*, neque à *Caſſiano lib. de inſtitutis cænobiorum*; Sed tamèn ut dicit *Greg. ibidem*, vitia capitalia intantum ſunt ſibi conjuncta, ut non niſi unum de altero proferatur; Vndè non eſt contra rationem capitalis vitii, quod ex alio oriatur. Invidiæ vero filię ſecundum *Greg.* 31. *moral.* ſunt quinque; ſcilicèt Odium. Suſurratio, qua ſcilicèt quis diminuit gloriam alterius in occulto. Detractio, ſcilicèt qua quis diminuit manifeſtè. Exultatio in adverſis proximi. Et Afflictio in proſperis ejus. Hæc tamèn ultima eſt uno modo ipſa invidia, inquantum ſcilicèt aliquis triſtatur de proſperis alicujus, ſecundum quod habent quamdam gloriam. Alio modo eſt filia invidiæ, ſecundum quod proſpera proximi eveniunt contra conatum invidentis. Æmulatio autèm, & invidia pro eodem accipiuntur in Scripturis Sanctis, invidiam generalitèr ſumendo; Sumendo autèm utrumque propriè, ſic invidia attenditur in actu interiori, emulatio verò in actù, vel effectu exteriori, ut dicit *Gloſ.* ſuper illud ad *Galat.* 5. *Æmulationes invidiæ*.

Ti

TITVLVS LXIV.

De Pace, & vitiis oppoſitis.

POſteà conſiderandum eſt de Pace, & vitiis ſibi oppoſitis. & Primò videndum eſt de pace. Secundò de diſcordia, quæ eſt in corde. Tertiò de contentione, quę eſt in ore. Quartò de rixa. Quintò de ſeditione. Sextò de ſchiſmate. Septimo de bello. Hæc enim quatuor ultima opponuntur paci, quantùm ad opus. Ideò ſit

ARTICVLVS I.

De Pace.

CIrcà primum ſciendum, quod ubicumque eſt pax, ibi eſt concordia, non tamèn è converſò, ſi nomen pacis propriè ſumatur. Concordia enim propriè ſumpta eſt ad alterum, ſcilicèt inquantum voluntates diverſorum cordium ſimul conveniunt in unum conſenſum, & ſic concordia importat unionem appetituum diverſorum appetentium; Et ſecundum hoc concordia poteſt eſſe aliquorum impiorum in malo. Supèr hanc autèm unionem addit pax unionem appetituum, & motuum unius appetentis, ſcilicèt appetitus ſenſitivi, & appetitus intellectivi, & hoc non eſt impiorum, quia pax non eſt impiis, ut dicitur *Iſa. 57. Non eſt pax impiis*. Pax autèm vera, & perfecta, per quam omnes appetitus uniuntur quietati in uno, habetur tantùm in Patria. Hæc enim eſt ultimus finis creaturę rationalis, de qua in *Pſal. qui poſuit fines tuos pacem*. Pax verò, quę habetur in via, eſt imperfecta, quià etſi principalis motus animæ quieſcat in Deo, repugnant tamèn alii intus, & extra, qui perturbant pacem iſtam. Appetunt tamèn omnia pacem, ut dicit *Auguſt. 19. de Civit. & Diony. ca. 9. de divin. nomin.* Omne enim appetens appetit tranquillè, & ſinè impedimento perveni. re ad illud, quod appetit, in quo conſiſtit ratio pacis, quam *Auguſt. 19. de Civit. Dei* ordinis tranquillitatem deffinit, non tamèn omnes appetunt veram pacem, ſed quidam apparentem, ut mali appetunt iniquam pacem modo, & appetitu ſibi competenti. Bellantes etiàm appetunt pacem, quià bellando ad perfectiorem pacem, quam habeant, pervenire quærunt. Sicut autèm vult *Philoſ. 9. Ethi.* ad amicitiam pertinet concordia in bonis conferentibus ad vitam, & p rçcipuè in magnis; Vndè & *Tullius de amicitia* dicit, quod amicorum eſt idem, velle, & nolle; Vndè diſſentio de minimis, & de opinionibus, non repugnat imperfectę paci, quæ habetur in via. Eſt autem pax proprius effectus charitatis, ſecundùm illud *Pſal. Pax multa diligentibus legem tuam*.

ARTICULUS II.

De diſcordia.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de diſcordia. Circa quam ſciendum, quod cum opponatur concordiæ, hoc poteſt eſſe duplicitèr. Un modo pe ſe, ut cum quis à bono proximi, in quo conſentire debet, diſſentit ſcientèr, & ex intentione, & hoc eſt peccatum mortale ex ſuo genere proptèr contrarietatem, quam habet ad charitatem, ex qua concordia cauſatur; Unde *ad Galat. 5. diſſentiones* ſ idеſt, *diſcordiæ ponuntur intèr opera carnis*; de quibus ſubditur ibi: *qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*; Primi tamen motus hujus diſcordiæ propter actus imperfectionem, peccata ſunt venialia. Alio modo per accidens, ut quandó aliqui intendunt aliquod bonum pertinens ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, ſed unus exiſtimat hoc eſſe bonum, & alius non, & tunc diſcordia eſt per accidens contra bonum proximi, ut fuit inter Barnabam, & Paulum *Actuum* 15. quod pertinebat ad defectum humanum, licèt hoc ipſum fuerit ex divina providentia proptèr utilitatem conſequentem ordinatum; & tunc diſcordia non eſt peccatum, nec repugnat charitati, niſi ſit cum errore circa neceſſaria ad ſalutem, vel niſi ſit cum indebita pertinentia. Eſt autem diſcordia filia inanis gloriæ, ut dicit *Greg. 31. moral.* & hoc eſt verum loquendo de diſcordia, pes quam quis proſequitur, quod ſuum eſt, & recedit ab eo quod eſt alterius. Quod verò ab alterius, voluntate recedat, pertinet ad invidiam, Undé ſecundùm hoc ab invidia cauſatur.

ARTICULUS III.

De Contentione.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de contentione. Circa quam ſciendum, quod poteſt ſumi triplicitèr; Uno modo pro ut dicit impugnationem veritatis, & modum inordinatum, ſecundùm quod dicit *Ambroſ.* quod contentio eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris; & ſic eſt peccatum mortale.

Nota, quod hæc clauſula, ſcilicèt *cum confidentia clamoris*; eſt circumſtantia aggravans; Undè etiam ſine ea poteſt impugnatio veritatis eſſe contentio; Undè ſecundum *Alex. 2. tit. 2. c. de contentione art. 1. c.* generalitèr poteſt dici contentio impugnatio veritatis perſiſtens in ſermone, cauſa vincendi; Hæc etiam conditio videtur poni in *Gloſ. 2. Thim. 2. ſuper illud: Noli contendere verbis*, nemo inquit ſe patitur vinci, licèt ſciat vera eſſe, quæ audit. Alio modo pro ut eſt impugnatio falſitatis cum debita acrimonia, & ſic eſt laudabilis. Tertio modo poteſt ſumi, pro ut eſt impugnatio falſitatis cum modo inordinato, & ſic poteſt eſſe peccatum veniale, niſi forte tanta ſit inordinatio, quæ ex ea

alii

alii ſcandalizentur; *Undè Apoſtolus cum dixiſſet 2. Thi. 2. Noli contendere verbis*, ſubdit, *Ad nihil eſt utile niſi ad ſubverſionem audientium*. Contentio autem de qua dicitur *Job.* 19. *numquid qui contendit cum Deo, tàm facile quieſcit*, ſumitur ibi communitèr pro diſputatione,

Item ſecundùm *Alex. ubi ſupra art.* 2. *quæſt.* 2. *c.* Contentio poteſt fieri pluribus de cauſis, Primó cauſa malignitatis, ut cum quis vult injuſtè vincere, vel animos ſimplicium ſubvertere, & ſic eſt peccatum mortale, & prohibetur 2. *Thi.* 2. *Noli contendere verbis*. Si tamen hoc in his, in quibus non eſt periculum, ex quadam levitate fieret, peccatum mortale non eſſet. Secundò cauſa neceſſitatis, ſic non eſt peccatum; Undè ſuper illud *Proverb. Non contendas adverſus hominem fruſtrà*: *Gloſ.* non vetat contendere contra malè facientem, ut corrigatur, quia hoc fruſtra non fit, quia certa neceſſitas cogit. Tertiò cauſa exercitationis, ſic non eſt peccatum mortale, licèt aliquando proptèr indebitum modum contingat eſſe veniale. Quartò cauſa eruditionis; ſic non eſt peccatum. Quintò ex quadam titillatione gloriæ, vel honoris, ſic videtur eſſe peccatum veniale; Sic videtur accipi *Luc.* 22. *Facta eſt contentio, quis eorum videretur eſſe major*. Sextò poteſt dici contentio conatus bonæ operationis, ſecundùm illud *Luc.* 13. *Contendite intrare per anguſtam portam*. Eſt autem contentio filia inanis gloriæ; Eſt tamen affinis invidiæ, ſcilicet inquantum diſſentit ab eo, cum quo contendit.

ARTICULUS IV.

De Rixa.

SEquitur videre de quarto, ſcilicet de rixa, Circa quam nota, quod ſicut dicit *Gloſ. ad Galat.* 5, ubi rixæ ponuntur inter opera cárnis: *Rixæ ſunt, quandò homines ex ira ſe percutiunt*; Et ideó rixa videtur eſſe quoddam privatum bellum, quod agitur inter perſonas privatas, non ex aliqua publica authoritate, ſed magis ex inordinata voluntate; & ideó ſempèr eſt peccatum, & in invadente injuſtè eſt mortale; in defendente veró ſe, quandoquè poteſt eſſe ſine peccato, ut ſi ſolo animo repellendi injuriam illatam, & cum debito moderamine ſe defendat; Undè nec rixa propriè dici poteſt ex parte ejus. Quandoquè fit cum peccato, ut ſi animo vindictæ, vel odii, vel etiam immoderate ſe defendat, ſed cum veniali quidèm, quandò animus motus levis vindictæ, vel odii ſe immiſcet; vel cùm multum excedit moderatam defenſionem; Cum mortali autèm, quando animo effrenato inſurgit in impugnantem ad occidendum eum, vel graviter ledendum, Invadentes autèm publica poteſtate non dicuntur rixari; ſimilitèr inordinatè ſe defendentes, reſiſtendo publicæ poteſtati. Eſt autem rixa filia iræ, ut dicit *Greg.* 31. *moral, Proverb.* 15. *Et* 29. *dicitur, Vir iracundus provocat rixas &c.*

ARTICULUS V.

De Seditione.

SEquitur videre de quinto, ſcilicèt de ſeditione. Hæc autem importat quamdam contradictionem, & in hoc convenit cum bello, & rixa, ſed differt ab eis in duobus. Primò, quia illa important mutuam impugnationem in actu, ſed ſeditio poteſt dici, ſivè hujuſmodi impugnatio fiat in actù, ſivè ſit præparatio ad talem pugnam. Unde 2. *Corinth.* 12. *dicit Gloſ.* quod ſeditiones ſunt tumultus ad pugnam, ſcilicèt cum aliqui ſe præparant, & intentant pugnare, Secundò, quia bellum eſt propriè contra extraneos, & hoſtes quaſi multitudinis ad multitudinem, Rixa autem eſt unius ad unum, vel paucorum ad paucos. Seditio verò propriè eſt inter partes multitudinis vnius inter ſe diſſentientes, ut cum una pars civitatis excitatur ad tumultum contra aliam

Differt autem à ſchiſmate, quia ſchiſma opponitur ſpirituali unitati multitudinis, ſcilicèt Eccleſiaſticæ, importat tantùm diſſentionem ſpiritualem; Seditio verò opponitur unitati multitudinis, temporali, vel ſæculari; Importat etiam præparationem ad pugnam corporalem, eſt autem ſeditio peccatum mortale ex ſuo genere; Undè 2. *Corin.* 12. prohibentur ſeditiones intèr illa, quæ ſunt peccata mortalia, & tantò eſt gravius, quanto bonum commune, quod impugnatur per ſeditionem eſt majus, quàm bonum privatum, quod impugnatur per rixam. Pertinet autem peccatum ſeditionis primò, & principalitèr ad eos, qui ſeditionem procurant, qui graviſſimè peccant; ſecundò ad eorum ſequaces; Qui vero reſiſtunt eis pro defenſione communis boni, non ſunt dicendi ſeditioſi. Perturbatio vero regiminis tyrannici, cum non ſit juſtum, quia non ordinatur ad bonum commune, ſed ad privatum; ut patet per *Philoſ.* 3. *pol,* & 8. *Ethi.* non habet rationem ſeditionis; Undè laudatur, qui multitudinem liberat á tyrannica poteſtate, niſi fortè quando ſic inordinatè perturbatur regimen tyranni, quod multitudo ſubjecta patitur majus detrimentum ex perturbatione conſequenti, quàm ex regimine tyranni; Magis autem tyrannus eſt ſeditioſus, qui in populo ſibi ſubjecto diſcordias, & ſeditiones nutrit, ut tutius dominari poſſit; Hoc enim eſt tyrannicum, cum ſit ordinatum ad propriumbonum præſidentis cum damno multitudinis: Non computatur autem ſeditio inter peccata capitalia, nec inter ea, quæ oriuntur ex illis, ut patet 31. *moral.*, quia continentur ſub diſcordia, ſicut & ſchiſma.

AR

ARTICULUS VI.

De Schiſmate.

SEquitur videre de ſexto, ſcilicètde ſchiſmate. Schiſma autèm ſecundum *Iſid. lib. Ethi.* à ſciſſione dicitur animorum. Sciſſio verò opponitur unitati, & ideò propriè peccatum ſchiſmatis eſt peccatum ſpirituale, ex hoc quod quis intendit ſe ſeparare ab unitate, quam charitas facit; & ideò propriè ſchiſmatici dicuntur, qui ſpontè, & propria intentione ſe ſeparant ab unitate Eccleſiæ, quæ eſt unitas principalis: Undè ſchiſma à Canoniſtis deſcribitur, quod eſt illicitus ab unitate, vel communitate diſceſſus 24. *quæſt.* 1. *ſchiſma*. Unitas autèm Eccleſiæ attenditur in duobus, ſcilicèt in connexione membrorum Eccleſiæ ad invicem, ſivè communicatione, & ordinatione omnium membrorum Eccleſię ad unum caput, ſcilicèt Chriſtum, cujus Vicarius eſt Papa; & ideò ſchiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt Papæ, & hoc cum quadam rebellione, ſcilicèt cum pertinacitèr præcepta ejus contemnunt, & ejus judicium ſubire refugiunt, & etiàm illi, qui membris ejus communicare nolunt. Differt autèm ſchiſma ab hæreſi, quià hæreſis propriè opponitur fidei, ſchiſma autem unitati Eccleſiaſticæ charitatis; Undè ſunt diverſa vitia. Et poteſt etiàm dici, quod differunt ſicut ſpecies, & genus, quia omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, non è converſo, niſi ſchiſma duraverit; quià tunc in hæreſim incidit; In fine enim ſibi confingit hæreſim, ut rectè videatur ab Eccleſia receſſiſſe, ut dicit *Hierony.* 24. *quæſt.* 3. *inter hæreſim & ſchiſma*; Undè infidelitas, vel hæreſis eſt gravius peccatum ſchiſmate in genere ſuo, quià illa eſt contra Deum, ſecundùm quod eſt in ſe veritas prima; Hoc autèm eſt contra Eccleſiæ unitatem, quæ eſt minus bonum Deo; Undè hæreſis primùm locum tenet in pœnis 32. *quæſt.* 7. *quid in omnibus*. Poſſet tamèn contingere, quod aliquis ſchiſmaticus peccaret graviùs, quàm aliquis infidelis, vel proptèr maiorem contemptum, vel propter maius periculum, quod inducit, vel aliud huiuſmodi. Hieronymus tamèn videtur ſentire, quod ſchiſma ſit gravius peccatum hæreſi, & omni alio peccato, quià Deus ipſum graviùs punit, ſicut patet præcipuè in *Chore*, *Dathan*, & *Abiron*, quos vivos terra abſorbuit *Num.* 16. & 23. *quæſt.* 1. *non afferamus*.

Ad quod dici poteſt, quod Schiſma, ex quo eſt radicatum, & firmatum, habet hæreſim annexam; Undè peccat contra illum articulum fidei, *unam Sanctam Catholicam Eccleſiam*, & ſic eſt idem crimen quod hæreſis, & pœna æqualis; vel fortè illi, de quibus dicit Hieronymus, commiſerunt ſchiſma ex majori contumacia, & contemptu, quàm alii idolatriam, propter quod magis peccaverunt, & ideò graviùs puniti fuerunt; Puniuntur autèm ſchiſmatici, & à Deo, ut prætactum eſt, & ab homine judice, ſcilicèt ſpirituali per excommunicationem; & ſi non reſipuerint, deponuntur *diſ.* 23. *in nomine Domini*. Et ſi non poſſunt alitèr deſtrui, invocandum eſt brachium ſęculare 11. *quæſt.* 1. *petimus*. Puniuntur etiàm pecunialitèr 23. *quæſt.* 7. *quod autem*. Quid autèm juris ſit de ordinatis à Prælatis ſchiſmaticis, *vide infrà*, *de ſacramento ordinis tit. à quo debent ordines conferri*. Quid etiàm juris ſit de alienationibus factis à ſchiſmaticis, vide infrà *de ſacramento ordinis tit. de cauſis*, *& forma alienandi res temporales Eccleſiarum*. Schiſmaticus autèm volens redire ad unitatem Eccleſiæ, cum omne ſchiſma vix, aut numquàm ſit ſinè hæreſi, ſchiſma debet abjurare, & ad mandatum Eccleſiæ ſatisfacere; & recipi cum manus impoſitione, ut accipiat Spiritum Sanctum, qui extra Eccleſiam non eſt, nec dari poteſt 24. *q.* 1. *omnes*. Si autèm reconciliatus dicat ſecum circa ordinem miſericorditèr diſpenſatum, probare habet, & quod ab eo, qui poteſt diſpenſare, *extra e. c. ult.*

ARTICVLVS VII.

De Bello.

SEquitur videre de ſeptimo, ſcilicèt de bello, de hoc autèm habitum eſt ſuprà *lib.* 1. *tit. de bellis*. Nihilominus tamèn prætèr ea, quæ dicta ſunt ibi, poſſunt hìc plura quæri; ſcilicèt

I. Utrùm bellare ſempèr ſit peccatum?

II. Utrùm juſtè bellans poſſit homines capere, & rebus ſpoliare?

III. Utrùm Clericis, & Epiſcopis liceat facere bella?

IV. Utrùm liceat uti inſidiis in bellis?

V. Vtrùm in feſtis liceat bellare?

Circà primum reſpondeo quod non; Nàm bellare juſtè ſecundum legem divinam eſt licitum, & etiàm Regibus, & principibus terræ præceptum, ſecundùm quod dicit *Auguſt. ad Bonifacium Comitem ſuper illud Pſal. & nunc reges intelligite &c. Quomodò*, inquit, *reges ſerviunt in timore, niſi ea, quæ contra Dei juſſa ſunt, religioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo*; Alitèr enim ſervit Rex, quià homo, alitèr quià Rex; quià homo eſt, ſervit Deo vivendo fidelitèr, quià Rex eſt, pugnando ſecundum legem juſtitiæ virilitèr. Bellare autèm injuſtè illicitum eſt, & prohibitum, ſecundùm quod oſtenditur *Baruch.* 3. ubi dicitur de gigantibus, qui ab initio fuerunt ſtatura magni, ſcientes bellum: *Non hos elegit Deus &c.*

Ad majorem ergò evidentiam, ſciendum, quod ad hoc, quod aliquod bellum ſit juſtum, quatuor requiruntur. Primò authoritas Principis, cujus mandato eſt bellum gerendum 23. *quæſt.* 2. *cap.* 1. Vndè & principibus dicitur in *Pſal. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Secundò cauſa juſta, ut illi ſcilicèt, qui impugnantur proptèr aliquam culpam,

pam, impugnationem mereantur 23. *quæſt.* 2. *Dominus*. Vndè *Auguſt. in libro* 83. *quæſtionum*. Juſta bella ſolent deffiniri, quæ ulciſcuntur injurias, ſic gens, vel civitas plectenda eſt, quæ vel judicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt. Sunt autem juſtæ cauſæ plures; Scilicèt malorum correctio. Bonorum ſublevatio 23.*quæſt.* 1.*apud*. Rerum ablatarum repetitio. Injuriæ à ſe, vel ab aliis præpulſatio 23.*quæſt.* 2. *cap.* 1. & *c. Dominus*. Patriæ defenſio. Infirmorum protectio 23. *quæſt.* 3. *fortitudo*. Tertiò requiritur, ut intentio bellantium ſit recta 23. *quæſt.* 1.*quid culpatur* & *c. apud*; Ubi dicit *Auguſt. lib. de verbis Domini*: *Apud veros Dei cultores, etiàm bella præparata ſunt, qui non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio gerunt, ut mali coherceantur, & boni ſubleventur*. Quartò requiritur modeſtia, & hæc conſiſtit in duobus. Primò, ut tantùm accipiat, quod ſibi reputet ſatisfactum, & non ultra; Miles enim habens contra aliquem juſtum bellum, ſuum facit licitè, quicquid capit ab hoſte, vel ab adjutoribus ejus, ſivè ſubditis, ſivè aliis, donec ſibi ſit ſatisfactum, ſecundum ſuam conſcientiam de omni damno dato, & labore & operis tàm ſuis, quàm hominum ſuorum, vel donec hoſtis jus offerat, & ſatisfacere velit.

Vltra hoc autèm nihil accipere debet, niſi proptèr immanitatem criminis privari meruerit omnibus bonis, ut proptèr hæreſim, vel crimen leſæ majeſtatis ſecundum *Ray.* & *Rod.* Secundò conſiſtit in hoc, ut non ledat eos, qui nullo præſtant adverſariis ſuis auxilium, vel ſavorem; Movens enim juſtum bellũ poteſt non tantum adverſarium, ſed etiam Vaſſallos, & ſubditos ejus, & complices ledere *extra de offi. dele. cap.* 1. Alii dicunt, quod non poteſt res prædictorum capere, vel perſonas, niſi quamdiù pugnant contra eum, niſi fortè de rebus illorum, vel ędificiis lederetur. *Hac Hoſtien. extra de reſti. ſpol. olim*. Si aliquod horum deſit, eſt injuſtum bellum. Si tamen hæc omnia deſint, & tantum pro rebus repetendis, quis bellet, non tenetur reſtituere, niſi illud, quod abſtulit, ultra illud, quod habuit ille de ſuo.

Sed obiicitur contra prædicta illud *Matth.* 26. *omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit*.

Reſpondeo ut dicit *Auguſt. lib.* 2. *contra Manicheos*. Ille accipit gladium, qui nulla ſuperiori, aut legitima poteſtate jubente, vel concedente in ſanguinem alicujus armatur. Qui verò ex authoritate principis, vel judicis, ſi ſit perſona privata; vel ex zelo juſtitiæ imperiali, quaſi ex authoritate Dei, ſi ſit perſona publica, gladio utitur, non ipſe gladium accipit, ſed ab alio ſibi commiſſo utitur. Undè ei pæna non debetur, nec tamèn illi, qui etiàm cum peccato gladio utuntur, ſemper gladio occiduntur, ſed ipſi ſemper ſuo gladio pereunt, quià pro peccato gladii ęternaliter puniuntur, niſi eos pæniteat.

Obiicitur iterum illud *Matth.* 5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo*.

Reſpondeo, quod hujuſmodi præcepta, ut dicit *Aug. lib. de ſer. Dom. in monte*, ſemper ſunt ſervanda in præparatione animi, ut ſcilicèt homo ſemper ſit paratus non reſiſtere, vel ſe non defendere, ſi opus fuerit. Sed quandoquè tamen alitèr agendum eſt, proptèr commune bonum, & etiàm eorum, cum quibus pugnatur, quià ut dicit *Auguſt. in Epiſtola ad Marcellinum*: *cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur*.

Circà ſecundum Reſpondeo. Bellum aut juſtum eſt ſimplicitèr, aut ex cauſa; ſi ſimplicitèr, puta ex edicto principis, liberi homines capti fiunt ſervi capientium, & in dominium eorum tranſeunt res occupatæ *ff. de capti. & poſt. li. rever. l. hoſtes*. & tunc peccat ſervus, ſi à Domino receſſerit 23. *quæſt.* 5. *dicat*. Vndè res feudales in bello captæ erunt occupantis, ſalvo tamen jure Domini Innocentis, *extra de hæreſ. excommunicamus*. Si verò ſit juſtum ex cauſa, puta, quià fit ad defenſionem, & proſecutionem juris, tunc aut bellans habet juriſdictionem ſuper illos, quibus movet bellum, aut non; ſi ſic, quià ſcilicèt ſubditi ſunt rebelles, tunc poteſt res eorum invadere, & ſuas facere *ff. de leg.* 3. *l.* 1. Si autem non habet juriſdictionem, juſtè tamèn pugnat, quià aliùs invadit eum, vim vi repellere poteſt, & hominem percutere cum moderamine inculpatæ tutelæ; non licet autem ei perſonam, vel bona ejus capere vel detinere, ſed res ſibi ablatas poteſt vendicare *ff. de rei. vem. l. in rem actio. Hæc Hoſti. extra de jure jur. ſicut*. Si autem res ejus ſint diſtractę, & ipſe loco earum tantumdem de rebus illius abſtulit, reſtituere non tenetur; debet tamen pænitentia ſibi imponi pro rapina, ſicut dicitur de illo, qui furatus eſt decem libras ei, qui debebat ſibi decem.

Circà tertium reſpondeo, quod non; ſcilicèt bella illa, quæ ad ſanguinis effuſionem ordinantur, quinimmò potius debeant eſſe parati proprium ſanguinem effundere pro Chriſto, ut opere imitentur, quod gerunt miniſterio, ſcilicèt altaris, in quo ſub ſacramento repreſentatur Chriſti paſſio; & ideò ſtatutum eſt, ut effundentes ſanguinem, etiàm ſine peccato ſint irregulares, nulli autem alicui officio deputato licet illud, per quod redditur indignus illo officio. Hinc dicitur Petro in perſona Epiſcoporum, & Clericorum *Matth.* 26. *Mitte gladium tuum in vaginam*, ac ſi apertè dicat hactenus tibi, tuiſque prædeceſſoribus inimicos Dei corporali gladio licuit perſequi, de cætero autem in exemplum patientiæ gladium in vaginam converte 23. *quæſt.* 8. *cap.* 1. & *c. Clerici*, & *c. ſequenti*. Poſſunt tamen Prælati, & Clerici ex authoritate ſuperioris bellis intereſſe, non ut manu propria pugnent, ſed ut juſtè pugnantibus, ſpiritualitèr ſubveniant ſuis exhortationibus, abſolutionibus, & hujuſmodi ſpiritualibus ſubventionibus. Poſſunt etiam diſponere, & inducere alios ad bellandum juſta bella, non enim

enim interdicitur eis bellare, quià ſit peccatum, ſed quià non convenit eis tale exercitium 23. *q.* 8. *hortatu.* 1. In perſona verò propria debent uti armis ſpiritualibus, ſecundum illud 2. *Corinth.* 10. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia*. Quæ quidem ſunt ſalubres admonitiones, devotæ orationes contra pertinaces, Sententia excommunicationis. Ad hanc etiàm quæſtionem valent ea, quæ dicta ſunt *libro primo, titulo de homicidio quæſt. Vtrum liceat Clericis maleficos occidere?* De hac materia *Hoſtien. extra de ſum. trini. ſuper decre. Inno. Chriſti dilectio*, & modo habetur in 6. poſitis ſuper hoc diverſorum ſententiis, in fine ſententiam ſuam ponens dicit, quod Clerici habentes juriſditionem temporalem indiſtinctè, poſſunt arma ſumere pro ſua,& ſuorum defenſione, quià hæc omnia jurà permittunt,& probatur 23.*q.*1.*noli.& q.ſi.c. quicumque* §.2.*his ità uſque ad* §.*in regiſtro*. Si verò temporalem juriſdictionem non habent, tene quod notavit *Jo. & alii ſupra dicti*, ſcilicèt quod talibus non licet ſumere arma in propria perſona, niſi ad defenſionem ſui, vel niſi hortando, *ut* 23. *quæſt. ſi.* §. *ecce*. *Hæc Hoſt.*

Circà quartum Reſpondeo, quod ſic, aliquo modo in bellis juſtis. Inſidiæ enim ordinantur ad fallendum hoſtes. Duplicitèr autèm poteſt quis ex dicto, vel facto alterius falli. Uno modo ex hoc quod dicitur ei falſum, vel non ſervatur ei promiſſum, & hoc numquam licet. Undè hoc modo nullus debet fallere hoſtes. Sunt autem quædam jura bellorum, & fœdera etiàm inter ipſos hoſtes ſervanda, ut dicit *Ambro. lib. de offi.* Alio modo ex eo quod non aperitur ei propoſitum: hoc autem non ſemper tenetur homo facere. Vnde Dominus juſſit *Joſuè* inſidias ponere habitatoribus *Hay*, ut habetur *Joſue* 8. & hujuſmodi inſidiæ non dicuntur proprie fraudes, nec repugnant juſtitiæ, nec voluntati ordinatæ. Eſſet enim inordinata voluntas, ſi quis vellet ſibi nihil ab aliis occultare.

Circà quintum Reſpondeo: Obſervatio feſtorum non impedit ea, quæ ordinantur ad hominum ſalutem, etiam corporalem; Unde Dominus arguit Judęos *Jo:* 7. *dicens: Mihi indignamini, quià totum hominem ſalvum feci in ſabbato?* Multo magis eſt autem conſervanda ſalus Reipublicæ, quàm ſalus corporalis unius hominis, & ideò pro tuitione Reipublicæ fideli um licet juſta bella exercere in diebus feſtivis, ſi tamen hoc neceſſitas poſcit, aliàs non, 23. *quæſt.* 8. *ſi nulla*.

TITULUS LXV.

De Miſericordia.

DEinde conſiderandum eſt de miſericordia; huic propriè opponitur invidia, ut dictum eſt ſupra. Dicitur autem miſericordia, quià habetur miſericordia ſuper alterius miſeria. Vndè dicit *Auguſt.* 9. *de civit. Dei: Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in corde noſtro compaſſio, qua ſi poſſumus, ſubvenire cogimur*. Vndè miſericordia non eſt ad ſe, niſi ſimilitudinariè, ſicut & juſtitia ſecundum quod in homine conſiderantur partes diverſæ, ut dicitur 5. *Ethi.* & ſecundum hoc dicitur *Eccl.* 30. *Miſerere animæ tuę placens Deo*. Eſt autèm miſericordia potiſſima inter omnes virtutes ad proximum pertinentes, ſicut eſt etiàm actus potioris, ſupplere enim defectus alicujus inquantum hujuſmodi eſt ſuperioris, & melioris. Vnde ſuper illud 1. *Thimo* 4. *Pietas ad omnia utilis eſt*, dicit *Gloſ. Ambroſii: ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordia, & pietate eſt*, & loquitur quantum ad opera exteriora. Interior tamen affectio charitatis, quæ Deo conjungit, dilectioni, & miſericordiæ in proximos præfertur.

TITULUS LXVI.

De Beneficentia.

POſteà conſiderandum eſt de exterioribus actibus, vel effectibus charitatis. & Primò de beneficentia. Secundò conſiderandum eſſet de Eleemoſina, quæ eſt quædam pars beneficentię, ſed de ipſa dicetur *in lib.*5. *tit.* 26. Tertiò de correctione fraterna, quæ eſt quædam Eleemoſina. Quartò de offenſione, & ſcandalo, quæ opponuntur beneficentiæ, & correctioni. De beneficentia autem ſatis dictum eſt *titulo de charitate art.* 3. *&* 4.

Ad præſens autem nota, quod benefaciendum eſt omnibus, ſecundum illud *Gal. ulti. dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, cum beneficentia ſit effectus charitatis, quæ ſe extendit ad omnes; & ſi omnibus non poſſumus benefacere in ſpeciali, nullus tamen eſt, de quo non poſſit caſus occurrere, in quo oporteat in ſpeciali ſibi benefacere; & ideò Charitas requirit, ut homo, etſi non actu benefaciat, habeat tamèn in animo ſuo, ut cuique benefaceret, ſi loci, & temporis opportunitas adeſſet; aliquibus tamen, ut excommunicatis, & hoſtibus Reipublicæ potius ſunt ſubtrahenda beneficia, inquantum per hoc arceantur à culpa. Si tamèn neceſſitas immineret, eis ſubveniendum eſſet, modo tamen debito, ne natura deficeret, niſi ſecundum ordinem juſtitiæ paterentur; licèt autem omnibus ſit benefaciendum pro loco, & tempore, magis tamen

Digitized by Google

cæteris paribus, nobis magis conjuncti. Gratia enim, & virtutes ordinem immitantur naturæ, quem inſtituit Deus. Eſt autem talis ordo naturæ, ut quodlibet agens naturale per prius magis diffundat actionem ſuam ad propinquiora ſibi; ſicut ignis magis calefacit propinquiora, & ideò debemus eſſe magis benefici propinquioribus nobis. Propinquitas tamen unius hominis ad alium attendi poteſt ſecundum diverſa, in quibus communicant homines ad invicem, ut conſanguinei in naturali conjunctione, concives in civili, fideles inſpirituali, & ſic de aliis; & ſecundum diverſas conjunctiones ſibi diverſimodè diverſa beneficia ſunt diſpenſanda. Hoc tamen poteſt variari, ſecundum diverſitatem locorum, & temporum, & negociorum.

TITVLVS LXVII.

De Correctione fraterna.

POſteà conſiderandum eſt de correctione fraterna. & Primò cujus virtutis actus eſt correctio fraterna. Secundò, quid eſt fraterna correctio. Tertiò utrùm, & quomodo ſit aliquis corripiendus. Quartò de obligatione præcepti de correctione fraterna. Quintò utrum præceptum illud *Matt.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe. &c.* intelligi debeat tantum de peccante occultè. Sextò de ordine fraternæ correctionis. Septimò de teſtium adductione. Octavò utrùm frater, qui lucratus eſt fratrem corripiendo eum inter ſe, & ipſum ſolum, teneatur Prælato præcipienti per obedientiam revelare peccatum correptum. Ideò ſit

ARTICULUS I.

Cujus virtutis actus eſt correctio fraterna.

CIrcà primum ſciendum, quod duplex eſt correctio delinquentis. Vna quæ adhibet remedium peccato, inquantum eſt quoddam malum ipſius peccantis; & hæc propriè eſt correctio fraterna, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis; Removere autem malum alicujus, ejuſdem rationis eſt, ac bonum ejus procurare. Procurare autèm fratris bonum pertinet ad charitatem, per quam volumus, & operamur bonum amico; Undè & correctio fraterna actus eſt charitatis, quià per eam repellimus malum fratris, ſcilicèt peccatum, cujus remotio pertinet ad charitatem magis quàm etiàm remotio exterioris damni, vel etiàm corporalis nocumenti. Alia verò correctio, quæ adhibet remedium peccati delinquentis, ſecundum quod eſt in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum communis boni, & talis correctio eſt actus juſtitiæ, cujus eſt ſervare rectitudinem juſtitiæ unius ad alium.

ARTICVLVS II.

Quid eſt correctio fraterna.

CIrcà ſecundum ſciendum, quod ſicut ex verbis Domini, & ſanctorum colligitur; Fraterna correctio eſt admonitio fratris de emendatione peccatorum ex fraterna charitate procedens. Ad cujus evidentiam ſciendum, quod corripere fratrem, eſt cor ejus de malo ad bonum rapere. Rapi autèm dicuntur, qui citò, & quaſi ſubitò auferuntur. Vndè & Syllaba *corripi* dicitur, quæ raptim, & quaſi ſubitò pronunciatur. Citò autem frater de malo ad bonum transfertur duplicitèr. Primò, cum turpitudo peccati ſibi, & pulchritudo, vel honeſtas boni oſtenduntur. Secundò cum pœna inflicta ſentitur, vel infligenda timetur; & ſecundum hoc duplex eſt correctio. Vna eſt fraterna, in qua bonum fratri perſuadetur à quocumque; & turpitudo peccati, vel pulchritudo boni dimiſſi oſtenditur. Alia eſt poteſtativa, in qua pœna infligenda comminatur, vel jam infligitur, ut de peccato ad ſtatum bonum correptus revertatur, & hæc eſt Prælatorum. Prima deffinitur hic, & non ſecunda.

Et nota quod cum dicitur correctio fraterna eſt admonitio fratris, nomine fratris intelligitur omnis homo peccator, ſivè inferior, ſivè par, ſivè ſuperior. Omnes enim fratres ſumus in Chriſto. Potius tamen ponitur nomen fratris, quàm hominis, vel peccatoris, quià frater eſt nomen amoris, & charitatis, & hujuſmodi. Hæc autem correctio ſit, vel fieri debet ex fraterna charitate. Vndè *Auguſt. de verbis Domini ſuper Matth.* 6. *Debemus amando corripere, non nocendi cupiditate, ſed ſtudio corrigendi.*

Ad hoc nota, quod corripere interpretatur, ideſt, ſimul rapere, vel cor rapere. Non transfertur autem, nec ſumitur in hac materia rapere ſecundum quod ſonat in violentiam, ſed ſecundum quod dicit feſtinationem; quaſi ſubitò de malo ad bonum translationem. Audito enim à corripientis quàm turpe, quàm damnoſum, quàm puniendum ſit peccatum commiſſum, & quantum ſit bonum dimiſſum, meritò raptim, & feſtinantèr debet peccator peccatum dimittere, & ad virtutem redire.

ARTICVLVS III.

Vtrùm, & quomodò ſit aliquis corripiendus.

CIrcà tertium quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm aliquis ſit corripiendus?

II. Utrùm correctio fraterna ſit durè, vel lenitèr facienda?

Circà primum reſpondeo quod ſic, ſecundum illud *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Eſt autem frater corripiendus quadruplici de cauſa ſecundum *Auguſt: lib. de corrept. & grat.* Primò, ut peccatum ſuum, & ſe cogno-

cognoſcat *Proverb.* 29. *Virga, & correctio tribuunt ſapientiam.* Secundò, ut de peccato cognito dolorem, pudorem, & timorem habeat. Tertiò, ut peccator ſe deformem ex peccato videns, reformationem deſideret, & Deum oret, ne in tali feditate permaneat. Quartò, ut ſi corripiens correpto non proficiat, tamèn corripere ſibi valet, ut peccatum effugiat, & meritum ſibi acquirat. Vndè 23. *Moral.* 2. *c. dicit Greg. Charitatis zelus mala, quæ corrigere non valet, increpare non deſinat, ne ſe participem delinquentium ex conſenſu taciturnitatis adiiciat. Et Auguſt. lib. de correp. & gra. dicit: ſinè deſperatione corripiamus, quià ſi filius eſt pacis, quem corripimus, requieſcet ſuper eum pax noſtra; ſin autèm ad nos revertetur.*

Sed obiicitur, quià *Proverb.* 9. *dicitur: qui arguit impium, ipſe ſibi maculam generat. Noli arguere deriſorem, ne oderit te,* ergò peccator non eſt corripiendus.

Reſpondeo Salomon loquitur in caſu non abſolutè, ſecundum *Greg.* 8 *Moral. cap.* 5. ubi exponit illud verbum. Quando enim peccator, vel deriſor creditur probabilitèr ex correctione pejor futurus, tunc non eſt corripiendus, ut dicit ibidem. Alitèr enim, quandò ſperatur correctio eſt corripiendus. In caſu etiam aliquo, quandò non ſperatur correctio, corripitur tamèn, ne procedat plus in malo. *Vndè Auguſt. de correp. & gra: Si aliquando timore non corripiamus, ne aliquis pereat, cur etiàm timore non corripiamus, ne aliquis inde plus pereat?*

Circà ſecundum reſpondeo. Licèt hic ſit difficile, certam, & unam legem de corripiendo dare, quià lex non poteſt dari de particularibus in particulari, ut habetur 5. *Ethi.* correctio autem eſt actuum ſingularium, ſcilicèt peccatorum. Poteſt tamèn diſtingui ex parte peccatorum, quià quandò peccatum fit ex ignorantia, & infirmitate, tunc debemus corripere lenitèr, & moderatè *Gal.* 6. *Fratres ſi præoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Quandò verò fit peccatum ex paſſione, & ſuper inducta mala conſuetudine, tunc eſt corripiendum partim leniter, partim durè, ut dicitur *Ethi.* 3. *Juvenis paſſionum ſecutor, non ſolùm perſuaſionibus, & monitionibus corripiendus eſt, ſed etiàm opprobriis & contumelis frequentèr indiget.* Propter quod *Heli* qui filios ſuos juvenes tales lenitèr corripuit, & non durè, dicitur eos non corripuiſſe. Quod autèm lenitèr corripuerit habetur 1. *Reg.* 2. Quandò autèm peccatum fit ex protervitate, malitià, & certa deliberatione, tunc corripiendum eſt autenticè, & durè. *Vndè Greg. in paſtor. non nulla peccata ſunt vehementèr increpanda, ut cum culpa ab authore non cognoſcatur, quanti ſit ponderis, ab increpantis ore ſentiatur.* Ex parte etiàm corripientium diſtingue, quià illi, qui corripiunt, aut ſunt Prælati; aut ſubditi. Si ſubditi, aut juvenes, & hi corripere, vel monere debeat humilitèr; Si autèm ſunt ſenes, corripiant juvenes moderatè, & maturè; alios autèm, ſcilicèt conſeniores reverentèr, & Prælatos humilitèr. Si autèm ſunt Prælati corripiant ſeniores obſecrando; Juvenes perſuadendo 1. *Thi.* 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem, juvenes ut fratres.* Hoc dico conſiderando conditiones corripientium, non conditiones alias peccantium, quià quoad hujuſmodi, vix brevis, & communis regula poterit inveniri. Quià tamen generoſus eſt animus hominis, & ideò melius ducitur, quàm trahatur *ſecundum ſenecam* dico, quod correptioni duræ ſemper miſcendum eſt aliquid blanditiei ſaltèm ut videatur correptio fieri ex compaſſione. Vndè *Sen. in Proverb. ſemper obiurgationi aliquid blanditiei admiſce.* Quod autem dicit *Apoſtolus ad Titum* 2. *Præcipe, doce cum omni imperio; exponens* Greg. *Moral.* 21. *c.* 21. *dicit, quod Apoſtolus hoc dicens, ſcilicèt: Præcipe &c.* non dominationem potentiæ, ſed authoritatem ſuadet vitæ; cum imperio quippè ſuadetur, quod prius agitur, quàm dicatur; Nàm doctrina ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia impedit linguam. *Hæc Gual.*

ARTICULUS IV.

De obligatione præcepti de correctione fraterna.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de obligatione præcepti de correctione fraterna, & circa hoc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm illud *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe &c.* ſit præceptum, vel conſilium?

II. Utrùm corripere alium ſit omnibus præceptum?

III. Utrùm peccator teneatur corripere delinquentem?

Circà primum reſpondeo ſecundùm *Gual. in quæſtionibus diſputatis*; Corripere fratrem non oportet, niſi de peccato, ſecundum illud *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater &c.* Peccatum autèm eſt duplex, ſcilicèt veniale, & mortale. Correptio autèm fit ad lucrandum fratrem amiſſum per peccatum; *Vndè Matth.* 18. *Si audierit te, lucratus eris fratrem tuum*; Non amittitur fratris anima, niſi per peccatum mortale, Patet ergò, quod corripere fratrem eſt preceptum quandò peccat mortalitèr, & ſic dicitur *Eccl.* 17. *Vnicuique mandavit Deus de proximo ſuo.* Eſt autèm conſilium, quando peccat venialitèr, & hoc videtur dicere *Auguſt. lib. de ſerm. Dom. dicens: Audivimus admonentem, & magna cura præcipientem. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe fratrem ipſum*, ita quod admonitio intelligatur de peccato veniali, non de mortali: Hæc *Gual. Gloſ.* etiàm ſuper prędictum verbum dicit; *Ita peccat, qui fratrem ſuum videt, & tacet, ſicut qui peccanti non indulget: Hæc Gloſ.* ſed præceptum eſt peccanti indulgere, ergò præceptum eſt fratrem corripere.

Sed

Sed objicitur, quià *Auguſt.* 1. *de Trin. cap.* 10. dicit: *Aliquando à corripiendis fratribus dèſiſtunt homines, vel proptèr laborem, vel proptèr verecundiam, vel proptèr vitationem nocumenti temporalis, quamvis diſpliceat eis malum eorum, nec tamèn incidunt in illam damnationem, quæ poſt hanc vitam talibus præparatur*; ſed ſi correctio fraterna eſſet præceptum, deſiſtentes ab ea proptèr vitandum incommodum temporale incurrerent damnationis demeritum, ergò talis correctio ſub præcepto non eſt.

Reſpondeo ſecundùm *Ric.* 4. *diſ.* 19. *quæſt.* 2, *art.* 1. *cap.* 1. quod deſiſtere à correctione fraterna poteſt contingere triplicitèr. Vno modo meritoriè, ſcilicèt quando homo deſiſtit corripere, quià tempus non eſt, nec locus. Alio modo perniciosè, quando ſcilicèt homo probabilitèr ſperat, & credit, quod poſſit ſuo verbo fratrem à peccato retrahere, & hoc omittit facere proptèr aliquod commodum temporale; tunc enim pervertit ordinem charitatis, plus diligens bonum temporale, quàm animam proximi, & honorem Dei. Tertio modo poteſt hoc omitti, ita quod hæc omiſſio non ſit peccatum, niſi veniale, quandò ſcilicèt proptèr aliquod temporale commodum habendum, vel incommodum vitandum, efficitur homo tardior, vel minus diligens circa proximorum correctionem, non tamèn in tantùm quin ſi conſtaret ſibi; quod ipſum poſſet à peccato mortali retrahere, hoc non omitteret proptèr incommodum temporale, & hoc tertio modo intelligitur authoritas Aug.

Circà ſecundum Reſpondeo; Notavit *Jo:* 2, *quæſt.* 1. *Si peccaverit in te*, quod opinio dicentium, quod omnes tenentur ad præceptum de correctione fraterna dura eſt, & teneri non debet, eo quod conſtituit omnes tranſgreſſores; & ideò dicit, quod mandatum hoc extenditur ſolùm ad eos, qui ſunt in gradu, vel magiſtratu conſtituti; ſed contrarium hujus habetur 24. *quæſt.* 3. *tam ſacerdotes*; Ubi dicitur, quod tàm Sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes, ſummam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut à peccatis corrigantur, aut ſi incorrigibiles appareant, ab Eccleſia ſeparentur; *Vndè ad Ephe.* 5. *dicitur omnibus. nolite communicare operibus infructuoſis, magis autem redarguite.*

Ad illud autèm quod timet *Joan.* & dicit, quod ſi eſſet præceptum omnibus, omnes conſtitueret tranſgreſſores.

Reſpondet *Gual.* quod non eſt verum, quià eſt præceptum affirmativum, ligans tantùm pro loco & tempore neceſſitatis, ut patebit infrà.

Dicendum eſt ergò, quod corripere fratrem peccantem infligendo pœnam eſt tantum Prælatorum; Sed corripere admonendo ad ſui, & peccati correctionem eſt omnium. Quod patet primo per legem naturalem, quæ dicit: *Hoc facias aliis quod tibi vis fieri. Auguſt. Quod tibi vis fieri ideſt debes velle fieri*; *Debes autèm velle, quod alius tè corrigat, quandò peccas, ut te emendes*; Igitùr & tu debes hoc alii unicuique facere. Secundò hoc patet per legem Moſaycam *Deut.* 22. *Non præteribis bovem, aut ovem errantem, ſed reduces*: Hoc de benignitate legis eſt obſervandum ad literam; Magis autèm tenetur quilibet fratri ſuo erranti, vel peccanti, quàm Bovi; Si ergò bovem errantem tenetur reducere, ergò & fratrem errantem corripere, quod eſt ad Deum reducere. Tertiò hoc patet per legem Evangelicam *Matth.* 18. Nàm ibi dicitur *ſi peccaverit in te frater tuus*, non dicit ſubditus, & ſubdit etiàm: *lucratus eris fratrem tuum*. Quià ergò omnes ſumus fratres, omnes tenemur invicem corripere, quandò contingit aliquem noſtrum peccare.

Sed objicitur, quià *Matth.* 18. *dicitur ſi peccaverit in te &c.* Si ergò peccat in alium, vel in Deum, non teneris eum corripere, ergò corripere non eſt omnium.

Reſpondeo quod illud *Matth. in te* intelligitur in te ſcientem, non in te leſum, ita quod amore tui illum corripias ſecundùm *Auguſt.* Vel dic, quicumque peccat in Deum, vel in quodqucumque proximũ, in te peccat, tum quià Deus eſt caput noſtrum, tum quià membra ſumus ejuſdem corporis myſtici; proptèr quod dicit *Pſal. particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua*; *Hæc Gual.* Et convenit cum eo *Ric.* hoc eſt, hæc ſententia poteſt trahi à *Ric.* in hac materia.

Circà tertium reſpondeo ſecundum *Gual.* Aliud eſt corripere, aliud eſt ſinè peccato corripere. Primum poteſt, & debet peccator peccato non obſtante, nam obligationem corripiendi tria faciunt, quæ etiàm in peccatore poſſunt eſſe Primum eſt injunctio præcepti; corripere autèm *Matth.* 18. injungitur indiſtinctè omni homini, tàm juſto, quàm peccatori. Secundum eſt cognitio peccati; peccator autèm poteſt peccatum fratris ſui cognoſcere, etiàm melius, quàm ipſe; Undè etiàm in dogmate Phiſicorum dicitur, *neſcio qua infirmitate impedimur, ut aliena peccata melius cognoſcamus, quàm noſtra*. Tertium eſt amor proximi, licèt autèm in peccatore non ſit amor charitatis reſpectu fratris peccantis; eſt tamen in eo amor naturalis, vel amicitiæ, quo poteſt moveri, ut corripiendo ſubveniat illi.

Circà ſecundum principale, nota quod peccator corripiens peccantem in duobus caſibus peccat, & in duobus non. Peccat enim cum ipſe majora committit, & minora quaſi gravia reprehendit. Vndè *Hieron.* ſuper illud *Matth.* 7. *quid vides feſtucam &c.* De his, inquit, *loquitur qui cum crimine mortali detinentur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt*. Secundus caſus eſt quandò ſic corripiendo peccatũ ſuũ palliare intendit; & in utroque caſu eum ſcandalizat quantũ in ſe eſt; Vndè *Criſ. ſuper Mat. corripe fratrem, ut ſalves ipſum, non ut ſalves te ipſum ſcilicet, ut per bonam doctrinam malos actus tuos poſſis*

operi

apetire, & ſcientiæ laudem ab omnibus quæreret; Non peccat autèm, quandò peccatum ſuum eſt occultum, & alium corripit ex amore naturali, vel amicitiæ; bonum eſt enim quod facit, & bonum intendit, nec ſcandalizat hoc faciendo proptèr quod non peccat. Tertius caſus eſt quandò eſt peccator manifeſtus, & corripiens, alium peccantem ſimul, & ingemiſcens corripit, vel accuſat ſe ipſum; Undè *August. 2. lib. de Serm. Dom. in Monte. & de verbis Domini ſuper Matth. Sermone 16. Si quem vis reprehendere, vide an ei ſimili ſit. Si ſic, pariter ingemiſce, nec tamèn ipſum tibi obtes obtemperare, ſed paritèr conari, mone.*

Sed objicitur, quià *Matth. 7. ſuper illud: Quid vides &c.* dicit *Gloſ. Trabes totius malitiæ eſt ejicienda, ut poſſis corripere;* Ergò cum peccator non ejiciat totam malitiam, non poteſt juſtè corripere peccatorem.

Reſpondeo, quod trabes totius malitiæ ejicenda eſt, ut poſſis corripere dignè, non ut poſſis corripere; *Hæc Gual. Rich.* autèm 4. *diſ. 19. quæſt. 2. art. 2. c. ad prædictam quæſtionem*, ſic brevitèr reſpondet, ſcilicèt quod peccatori crimi-noſo manifeſto non licet fratrem corripere in publico proptèr ſcandalum; Si autèm peccator occultus fratrem corripiat in occulto, aut in manifeſto ſi factum exigat, aut ſi manifeſtus corrigat in occulto, & hoc faciat humilitèr pravitatem ſuam recogitans, & ſe ipſum minus reputans, pro eo quod non laborat à ſe removere injuſtitiam, quam reprehendit in alio, non peccat, ſed benefacit, & loco, & tempore facere tenetur.

Utrùm frater non ſperans ex ſua correptione fratrem peccantem corrigi, ſed potius timens eum deteriorari, teneatur ipſum corripere? Et juxta hoc quæritur; Cum corripere fratrem peccantem ſit præceptum affirmativum, & hujuſmodi præceptum ligat ſemper, non autèm pro ſempèr, ſed tantùm pro loco, & tempore neceſſitatis; quando ſit locus, & tempus neceſſitatis corripiendi fratrem peccantem, ita quod, qui non corripuerit, ex tunc trangreſſor ſit?

Reſpondeo ſecundùm *Gual.* ad hanc ultimam quæſtionem, quod tribus concurrentibus ex parte corripientis, & tribus aliis ex parte fratris peccantis, tranſgreſſor eſt, qui non corripit, aliàs non. Primum ex parte corripientis eſt certa peccati cognitio proptèr quod dicitur *Eccl. 11. Priùs quàm interroges, non vituperes quemquam, & cum interrogaveris, corripe juſtè.* Secundum eſt manſuetudo in corripiendo, quià corripiens cum ira, magis ad pejus provocat, quàm corripiat, ideò dicitur in *Pſal. ſupervenit manſuetudo, & corripiemur.* Tertium eſt, quod in alio non ſit tanta ad corripiendum aptitudo, quià ſi ipſum fratrem peccantem videant alii æquè boni, ſicut ego, vel meliores, & ei fortè magis familiares, vel Prælatus ſuus, probabilitèr ſupponere poſſum, quod aliquis iſtorum, in quibus eſt debitum, & apitudo ad corripiendum illum, corripiat ipſum, cum dicatur *Proverb. 12. Quis eſt filius, quem non corripit pater? Et 3. Reg. 20. cuſtodi virum juſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ipſius;* Undè non debeo credere, quod Prælatus ſuus ſit immemor ſalutis ſuæ, quod eſſet, ſi negligeret ipſum corripere. Si autèm certum eſſet, quod omnes negligerent eum corripere, tunc teneretur, aliis tamèn conditionibus concurrentibus.

Primum verò illorum trium, quæ concurrunt ex parte peccantis eſt ſpes probabilis de correctione, quià cum correctio ſit inſtituta proptèr correctionem ut patet *Matth. 18.* ſi hoc non ſperatur, ſed pejoratio timeretur, correctio nõ debet fieri, ut *Prov. 9. Noli arguere deriſorem, ne oderit te.* Secundum eſt quod ſuum peccatum ſit mortale, non tantum veniale, quià correctio præcipitur, ut corripiens fratrem lucretur. *Matth. 18. ſi te audierit lucratus eris fratrèm tuum.* Tertium eſt quod non ſit ſpes, quod habeat majorem opportunitatem temporis ad corripiendum. *Undè August. 1. de Civ. Dei 11. c. Sic proptèrea objurgandis, corripiendiſque male agentibus parcit, quià tempus oportunus inquirit, non eſt occaſio cupiditatis, ſed conſilium charitatis.*

Dico ergò, quod cum corripere ſit præceptum affirmatiuum, ideò obligat ad executionem ſui tempore neceſſitatis; Tunc autèm eſt neceſſitas, quando hæc ſex concurrunt ſimul, ita quod ſi non concurrant, licèt hoc præcepto ligetur, non tamèn ligatur ad exequendum, ideſt, ad corripiendum, ſed poteſt differre ſine peccato, quouſque hæc ſimul concurrant. Quod dico de non Prælato, de quo ad præſens quæſtio non fuit, per hoc etiàm patet reſponſio ad quæſtionem primam, quæ ſoluitur per quartum membrum. Dico enim quod frater non tenetur corripere fratrẽ, quando credit probabiliter, quod ex correptione pejor fiat. De Prælato tamèn in hoc caſu alia eſt quæſtio.

Sed obiicitur. Quià debemus imitari Deum, & ipſe illum corripit de quo ſcit, quod pejor erit, ut patet de Juda proditore, ergo & nos ſimiltèr.

Reſpondeo *ſecundum August.* Deum, vel proximum imitari debemus in operibus miſericordiæ, & humilitatis, & hujuſmodi, non in operibus juſtitiæ, & excellentis poteſtatis. Judam autèm corripuit, licèt eum futurum pejorem ſciverit, quià ex hoc plura bona elicere ſcivit, & potuit. Non ſic eſt de nobis, quià nec talis potentiæ, nec ſcientiæ ſumus. Vel dic, quod hoc fecit ex officio ut Prælatus. Undè & Prælatus debet ex officio corripere eum, quem ſcit pejorem ex hoc futurum, ut alii terreantur, & ut aliis caveatur, ut nihil communis juſtitiæ omittatur. Non ſic autèm eſt de fratre reſpectu fratris. *Hæc Gual. & convenit cum eo Guil. de mara. & Ric.* quod poteſt haberi à. *Ric. 4. diſ. 19. q. 2. art. 10.*

Utrùm ex illo præcepto *Matth. 38. Si peccaverit in te frater tuus &c.* teneatur inferior corripere Supe-

Superiorem? Reſpondeo Prælatus ſuperior eſt ex officio, pater ex beneficio, ſed eſt frater ex fide, vel ex religione, vel ſaltem naturæ conformitate, peccator verò poteſt eſſe ex opere. Quià ergò Prælatus eſt ſuperior, debet ei ſubditus reverentiam, & honorem; quià pater, debet ei amorem; quià frater adjutorium. Frater enim, qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma: *Proverb.* 18. & ſic debet ei correctionem.

Sed nota, quod corripere aliquem contingit quatuor modis. Primo amicabilitèr monendo; Undè *Tullius lib. de amicitia*: *monere, & moneri amicorum eſt, unum liberè facere, aliud libentèr recipere*. Secundò reverentèr obſecrando, & ſic inferior poteſt corripere ſuperiorem. Undè *Greg. in Paſto. cap* 27. *ſunt ſubditi, qui dum culpas præpoſitorum conſiderant, contra eos audaciores fiunt. Sed ſi quæ eorum valdè ſunt prava, ſic apud ſe dijudicent, ut tamèn Dei timore conſtricti, ferre ſub eis jugum reverentiæ non recuſent*. Immò & ſuperior ſic debet corripere ſuum ſeniorem, licèt officio ſubditum 1. *Thi*. 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem*. *Gloſ. ſeniorem ætate, vel moribus*. Tertiò aſperè increpando, ita quod ſuperveniat manſuetudo *Pſal. ſupervenit manſuetudo, & corripiemur*, & hic modus eſt ſeniorũ ad juvenes *Priùs enim ulcus ferro aperitur, & poſt emplaſtrum mitigativum apponitur Eccl.* 36. Si eſt lingua curationis, & mitigationis, & miſericordiæ, Quartò pœnam infligendo, quod eſt propriè, & tantùm Prælatorum, quibus *Matth*. 18. *poſt illud ſi peccaverit in te frater tuus &c.* dicitur *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt &c*: Hæc *Gual.* & convenit cum eo *Ric.* 4. *diſ.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *c.* Qui etiàm addit, quod hac correctione, quæ eſt actus vindicativæ juſtitiæ, inferiores corrigere non debent ſuperiores, niſi manifeſtè errarent in fide. Tunc enim ſi non adeſſent ſuperiores vindicantes, vel vindicare nolentes, per inferiores poſſent puniri; quià hæreſis reddit hæreticum catholico inferiorem, nòn tantùm in foro interiori, ſed etiàm exteriori. *Hæc Ric. ubi ſupra*.

Hic tamèn nota, quod ſubditi numquàm debent ſibi aſſumere modũ corripiendi Prælatorũ, niſi in caſu prædicto, quià ipſis non licet alios punire; Sed Prælati poſſunt, & debent non nunquam aſſumere corripiendi modum aliorum. Debent enim aliquando amicabilitèr monere, aliquando aſpere increpare, aliquandò obſecrare, *Undè Greg. in Paſtor. vitia ſubditorum aliquandò ſunt lenitèr corripienda, aliquandò aſperè, & durè increpanda*. *Hæc Ric. ubi ſupra art.* 1. *cap.* 2.

Sed obiicitur, quià 2. *quæſt.* 7. Paulus Petrum repræhendit, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret. Hoc concludit, quod inferior ſuperiorem reprehendere non debet.

Reſpondeo reſiſtere coram omnibus in faciem ſuo ſuperiori, inferiorem non decet, & ideò Paulus non feciſſet, niſi aliquo modo par fuiſſet Petro, quantùm ad fidei defenſionem, ſed in occulto monuiſſet reverenter. Nec intelligendum eſt, quod Paulus par fuerit Petro in officio Eccleſiaſticæ dignitatis. Solus enim Petrus intèr Apoſtolus gerebat primatum, *ut dicit tex. Hæc Ric.* 4. *diſ.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 3. *cap.* 4. *& convenit cum eo Gual.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm præceptum illud Matth. 18. *ſi peccaverit in te frater tuus &c. intelligi debeat de peccante occultè*.

SEquitur videre de quinto, ſcilicèt utrùm *illud Matth.* 18. *&c.* Secundum *Gual.* duplex eſt peccatum, occultum ſcilicèt, & publicum. Occultum autèm dicitur tribus modis. Uno modo, quod ſolus Deus novit, vel homo per confeſſionem, & de hoc non eſt quæſtio, quià hoc ſpectat ad Deum, non ad nos quoad iſtam correctionis formam; Undè *Gloſ. Matt.* 18. *ſuper illud in te*, quià ſi in Deum peccat, non eſt noſtri arbitrii, ideſt ſolo Deo ſciente. Secundo dicitur occultum, quod homo ſolus, ideſt non cum alio novit *Gen.* 1 *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, ideſt non cum alio. Tertio modo dicitur peccatum occultum, quod ſolùs quis novit, ideſt unus cum paucis familiaribus, ſicut Rex dicitur eſſe, vel facere aliquid in occulto, vel eſſe ſolus, quandò eſt cum paucis ſibi familiaribus *Jerem.* 1. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo*, ideſt quomodo, quæ ſolebat plena eſſe populo, eſt ſola, ideſt paucos habitatores habens. Dico ergò ſine præjudicio, quod præceptum de correctione fraterna *Matth*, 18. datum, intelligitur de peccato occulto ſecundo, & tertio modo dicto, & de peccato publico, ita quod quilibet tenetur fratrem ſuum corripere de hoc triplici peccato tentione, & obligatione affirmativa, quæ ligat pro loco, & tempore, ita tamen, quod cuilibet peccato aptetur modus, & forma corripiendi, ſecundum quod competit. Nàm ſi fratrem peccantẽ ſolus, non cum alio vidi, vel novi, debeo corripere intèr me, & ipſum ſolum, non cum aliquo alio. Si me audit, lucratus ſum eum; ſi non audit, debeo adhibere mecum unum teſtem, non duos; probatio quod poſſum, & quod debeo; quod poſſum patet, quià Dominus ponit diſiunctivam dicens; *Adhibe tecum unum teſtem, vel duos*, ergo cum de diſiunctiva poſſim eligere partem, & implere finè tranſgreſſione, poſſum unum tantùm, & non plures adhibere. Quod autèm facere debeam patet, quià ſi duos vocarem, quandò ſcirem ſolus, & nullus alius, poſſet frater ſcandalizari, utpotè, quià pluribus dicerem quod ſolus ſcirem; & quià etiàm videretur, quod eum ſub teſtimonio plurium vellem capere in verbis, & facere per teſtes duos ſi fateretur, manifeſtum, quod fuit occultum; eſſet autèm meum peri-

culum, quia ſi coràm duobus ſibi dicerem ſuum peccatum occultum, poſſet negare, & me per illos duos teſtes à me ductos, coràm judice convincere, quod peccatum ſibi impoſui, quod probare non potui; & ideò ipſum à me diffamatum poſſet conqueri, nec poſſem me defendere per Evangelium, quia non dicit, quod adducam duos, ſed unum vel duos.

Si dicatur igitùr, mihi licet alterum illorum, quod voluero facere, cum ſit disjunctiva. Reſponderi poteſt, quod disjunctiva eſt probabilitèr, & rationabilitèr adaptanda; Non enim eſt credendum, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus author omnis pietatis voluerit, quod duos adducerem ſuper peccato occulto, quod eſſe poſſet in fratris ſcandalum, & in meum periculum, præcipuè cum unus ſolus adductus cum perſona principali ſufficiat ad intentionem Domini proſequendam, ut infrà patebit. Quod enim hoc ſit verum probatur per illud *Levit:* 5. *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius fuit, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam. Gloſ. interlinearis: indicaverit Sacerdoti, vel ei, qui proſit, vel non obſit*; Ibi autèm loquitur textus de peccato, quod ſolus, non cum alio noſti: & dicit *Gloſ.* quod dicat Sacerdoti, non Sacerdotibus, vel ei, non eis, ergò in hoc caſu tantùm unus eſt adhibendus. Si autèm nec ſic te audierit, dic Eccleſiæ, ideſt Prȩlato tantùm, qui prodeſſe poteſt in occulto, & obeſſe non debet; Nàm ſi diceres multitudini Eccleſiæ, nihil valeret, imò tibi noceret, quia probare non poſſes; Sufficit ergo tunc Prælato dicere, & non alii, qui præeſt Eccleſiæ; *Unde Auguſ. in regula: Frater peccans debet in ſecretò corripi, deindè ſi contradixerit, Prælato oſtendi.*

Si verò ſic ſit occultum, quod tu ſolus, non cum multis, ſed cum paucis familiaribus noſti, tunc etiàm debes tenere formam corripiendi, ſic ut primò inter te, & ipſum ſolum corripias; Si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos teſtes de illis, qui tecum noverint, non alios, qui non noverint, ut ſecundùm *Auguſ. lib. de verbis Domini ſermone* 16. *ubi malum contigit, ibi moriatur*; Duos inquàm teſtes, ut dicit *Gloſ. Matth.* 18. ſtudio corripiendi, vel convincendi, ſcilicèt, quod peccaſti; & te ad meam correptionem emendare noluiſti. Si autèm te, nec alios adjerit, dic Eccleſiæ, ideſt Prælato, in quantùm præſidet Eccleſiæ, ut corrigat ad tuam denunciationem, & illorum, qui viderunt teſtimonium, ſicut noverit expedire; *Hæc Gual. & convenit cum eo Ric. 4. diſt. 19. quæſt. 3. art. 1. o. & art. 2. & Guil. de mara.* Si autèm peccatum fuerit publicum tunc ſecundùm *Ric. ubi ſupra art. 1. 2. & plures alios*; non eſt neceſſarium ſecretam admonitionem præcedere denunciationem, quià ut dicitur *extra de pęni. & remiſ. cap. 1.* manifeſta peccata non ſunt purganda correctione occulta, ſed manifeſta, ut ejus pœna alii terreantur. Eſt etiàm circà peccatum publicum dicta forma tenenda, ſic quod primò corripias intèr te, & ipſum ſolum, & ſi te audierit lucratus eſt fratrem tuum, nec ultra procedendum eſt à te, qui ſolum quæris fratris correctionem. Prȩlatus autèm qui ex officio debet tollere ſcandalum, & aliis dare occaſionem vitandi conſimile peccatum poteſt, & debet eum arguere in publico, ut cæteri, qui viderint terreantur, ut dicitur 1. *Thim.* 5. *peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Si autèm te non audierit, adibe tecũ teſtes ſtudio corripiendi, vel convincendi. Si te audierit, tunc ut prius; ſi verò non audierit, dic Eccleſiæ, ideſt Prælato publicè ut publicè corrigatur, quod publicè peccatur. Quod autèm hæc forma Evangelica ſit in præcepto de peccato publico, licèt multi hoc negent, ut dictũ eſt, tamen *ſecundum Gual. probatur per illam decretalem extra de judi. novit. & 11. q. 3. præcipue.* Scribit enim Nicolaus Papa Regi Lothario de facto publico ſic: *Cæterum præcave, ne quando nobis ſecundùm præceptum Domini duos, aut tres teſtes adhibeamus, imò nec adhùc Sanctȩ Eccleſiȩ dicamus, quod non optamus, decætero ſias ſicut Ethnicus, & publicanus.*

Sic ergò patet, quod pȩceptum eſt fratrem peccantem corripere, ſecundùm formam in Evangelio *Matth.* 18. datam, de occulto tàm, quod ſolus quis novit, quàm de occulto, quod cum paucis novit, quàm etiam de publico; Sed quià eſt præceptum affirmativum ligans ſemper, ſed non ad ſemper, ſed tantùm pro tempore neceſſitatis, quod eſt, quando omnes illæ ſex conditiones concurrunt, non eſt timendum de tranſgreſſione hominis bonæ voluntatis.

Sed obiicitur quià *Petrus Act.* 5. manifeſtè de manifeſto arguit Ananyam, & Saphyram dicens: *quid tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto &c.* nec tamen legitur, aliquando eos corripuiſſe intèr ſe, & ipſum ſolum, quod tamèn, ut videtur, feciſſet, ſi præceptum Domini de peccato manifeſto datum fuiſſet; Ergò non eſt datum de peccato manifeſto, ſed tantùm de occulto.

Reſpondeo, quod Petrus illos duos corripuit inſpiratus à Domino, qui priùs, ut creditur, eos corripuerat, ſecundum illud *Apocal.* 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.*

Obiicitur itèrum, quià Paulus ad *Galat.* 2. corripuit tantùm manifeſtè Petrum, quià apertè deliquit; Undè dicitur, quod in facie ſibi reſtitit.

Reſpondeo, quod Paulus ſecundùm quoſdam priùs corripuerat Petrum in ſecreto, ſed poſteà ad tollendum ſcandalum aliorum in publico. Vel dicendum, quod neceſſitas fidei confirmandæ non permiſit differre correctionem, donec in ſecreto poſſet. *Hæc Gual.*

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

De ordine correctionis fraternæ.

Sequitur videre de ſexto, ſcilicèt, de ordine correctionis fraternæ; Et quæritur

Utrùm ſit præceptum, quod charitiva admonitio, vel correctio præcedat denunciationem Eccleſiæ faciendam.

Ad quod Reſpondeo ſecundum *Gaol.* ſicut fraterna correctio eſt ſub præcepto, ita & ordo, ſcilicèt quod denunciationem præcedat ſecreta correctio, vel admonitio. Eſt autèm fraterna correctio nobis data ſub præcepto affirmativo, ut viſum eſt ſuprà, ita etiàm & iſte ordo. Præceptum autèm affirmatiuum ligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſed tantùm quandò illud impleri eſt neceſſarium. Sunt autèm quatuor caſus, inquibus ſecretam correctionem præmittere non eſt neceſſarium. Primus eſt quandò frater venialitèr peccat, non mortalitèr, quià non eſt preceptum, niſi de peccato, per quod frater ammittitur, & correptus lucratur. *Matth.* 18. *lucratus eris fratrem tuum*. Secundus eſt, quandò corripiens fratrem ex ſua ſecreta correctione pejorem fore formidat. Tertius eſt quando licèt ſit ſpes correctionis per ſecretam admonitionem, tamèn mora periculum habet, tunc omiſſa privata correctione ſtatim denunciare debet. Nec hoc eſt contra formam legis evangelicæ datam de correctionis ordine; Lex enim intèrpretanda eſt pro utilitate illius pro quo data fuit, & ex Legiſlatoris intentione; Conſtat autèm quod intentio Chriſti legiſlatoris fuit correctio peccantis, quæ etiàm eſt utilitas ejuſdem correptionis; & ideò licèt quandò tu poſſis corripere fratrem, tamèn mora traheret periculum, quod periculum vitari poſſit per denunciationem, non eſt contrà legem correctionis, ſed ſecundùm illam eſt dimittere privatam admonitionem. *Undè Tullius* 1. *Rethor. cap.* 9. Ex *utilitate Reipublicę non ex legis inſpectione, quæ in literis eſt, leges interpratari debent, ob quam inſtitutæ ſunt, hoc enim eſt Epicheia, ut habetur* 5. *Ethi.* Quartus caſus eſt, quando corripiens ſine culpa corripere non valet; *Unde* 22. *Moral. cap.* 15. *dicitur: Perfectæ magnitudinis laus eſt perpeti exteriùs fortiter, & interiùs clementer*. Nam ſunt nonnulli, qui in ipſa familiarium converſatione corrigi nequeunt ſinè culpa corrigentis; atque ideò cum vel corrigentem inquinant, vel non omni modo hoc agentes aggravant magna miſterii arte diſſimulanda ſunt, rectequè diſſimulatione toleranda.

Sed obiicitur, quià *extra de accuſ. cum dilectus*; dicitur *ſic: Si vobis conſtiterit præfatum Epiſcopum non fuiſſe præmonitum ab eiſdem, à denunciatione eoſdem repellatis*, ſed non repellerentur à denunciatione, niſi fuiſſet præceptum admonitionem præmittere, ergò præmittere eam eſt præceptum.

Reſpondeo, quod licèt in foro contentioſo prætermittens admonitionem charitativam ſemper à denunciatione repellatur, non tamèn dicit decretalis, quod prætermittens illam ſemper peccat, nàm ex cauſa, & ex charitate aliquando poteſt dimittere, & Prælato denunciare, ſaltèm in foro penitentię, vel conſcientiæ, ubi ſolum agitur ad fratris correctionem, non ad aliquam pœnam exteriorem. Vel dic, quod hujuſmodi jura, quæ illum, qui non prę mittit monitionem repellunt, ſunt data in favorem Prælatorum, & Pacis, quià ſubditi de facili inſurgunt contra Prælatos; propter quod jus aliquantulum arctavit formam correctionis Evangelicam, quantum ad forum extrinſecum, & publicum, non quantùm ad forum pænitentiæ privatum.

Obiicitur iterum *extra de accu. qualiter*, & *quando*. dicitur, quod ſicut accuſationem pręcedere debet legitima inſcriptio, & denunciationem charitativa admonitio, ita inquiſitionem præcedere debet clamoroſa inſinuatio. Ergò illicitum eſt denunciare, niſi pręcedat charitativa admonitio, vel correctio.

Reſpondeo, hæc ratio verum concludit in forma juris, non in forma privatæ denunciationis, vel amicabilis, quæ fit in viſitatione coràm Prelatis Religioſorum; Undè in inquiſitionibus viſitationum in religionibus, quæ de conſuetudine, vel ex ordinatione aliqua, certo tempore fiunt, non oportet obſervare hujuſmodi formam ſcilicèt, quod præcedat clamoroſa inſinuatio; Undè *extra de accu. qualiter, & quandò. in fine* poſtquàm egit de forma accuſationis, inquiſitionis, & denunciationis, dicit ſic: *Hanc autem ordinem circà perſonas regulares non credimus uſquequaque obſervandam*; Undè etiam in accuſatione non ſemper præexigitur inſcriptio, ſed ſufficit charitiva admonitio, *ut patet* 2. *quæſt.* 7. *accuſatio*. *Si quis inquit adverſus eos, ſcilicet Prælatos, vel eorum Eccleſias, commotus fuerit, prius ad eos charitatis recurrat ſtudio, ut familiari colloquio commoti ea ſanent, quæ ſananda ſunt*.

Ad oppoſitum autèm, ſcilicèt, quod admonitio non eſt neceſſaria antè denunciationem oſtenditur ſic: Chriſtus peccatum Judæ denunciavit Apoſtolis, quaſi Eccleſiæ *Joan.* 13. nec tamèn admonitionem charitativam legitur præmiſiſſe, ergò necnos prius tenemur monere, quàm denunciare.

Reſpondeo, quod vel Judam Chriſtus prę monuit prius ſecreto interius in corde, vel forſan non præmonuit, quià ex hoc pejorem fore pręſcivit. Vel dic, quod Apoſtolis denunciavit, ut Prælato, vel Eccleſiæ, ſed ut illos, per illud, quod eis jam notum aliquo modo erat, inſtrueret.

Obiicitur iterùm, quod religioſi in capitulis, & viſitationibus frequentèr denunciant defectus fratrum Prælato nulla admonitione pręmiſſa, nec hoc reprobatur, nec pręcipitur eis, ut præmittant hujuſmodi admonitionem, ergò non eſt neceſſaria.

Re-

Reſpondeo, ut habetur *extra de accuſ. qualitèr, & quandò*, quod hujuſmodi forma denunciationis, & inquiſitionis, & ordo non ſunt uſquequaque ſervanda circà regulares perſonas. Vel dic quod viſitationes religioſorum, ut frequentius; imo quaſi ſemper, ſunt de venialibus, de quibus non datur præceptum correctionis, & per conſequens nec ordo hujuſmodi eſt obſervandus. Vel dic, quod factum religioſorum in capitulis coràm Prælato non eſt propriè denunciatio, nec accuſatio, nec inquiſitio, de quibus jura loquuntur, ſed potiùs eſt quædam viſitatio ſuo tempore ſecundum ſtatuta cujuſcumque religionis rationabilia facienda, prout patres inſtituerunt; & ideò modus cujuſlibet religionis eſt approbandus, ſi non eſt planè contrà Deum, & charitatem fraternam; *Hæc Gual.*, *& convenit cum eo Guil. de Mara*, *& Ric.* 4. *diſ.* 19. *quæſt* 3. *art.* 1.

Ad hoc nota reſponſionem cujuſdam magni Doctoris ad quæſtionem principalem præmiſſam, ſcilicèt, quod in his, quæ tradit Dominus ſervanda, aliquandò eſt præcisè forma ſervanda, ut in Sacramentis, & in talibus non licèt recedere à præſcriptis verborum formis, quià in ipſis virtus Sacramenti conſiſtit. Aliquandò verò finis intentus magis debet attendi, quàm forma verborum, ut cum Deus dixit curato à lepra *Matth.* 8. *Vide nemini dixeris*, & tamèn ille diffamavit eum, quià magis attendit proptèr quid dixerit, quàm quid. Similitèr hic magis debet attendi finis correctionis, ſcilicèt emendatio peccantis, quàm ordo verborum. Si quandò ergò videatur frater peccans ſalubrius corripi per alium, qui poteſt, & vult prodeſſe per ſe, ſecurè poteſt ei indicare, & hoc eſt, quod dicit *Anſel. lib. de ſimilitud. nibus* : *Cavendum eſt, ne quis aliquid ſiniſtrum alicui de aliquo loquatur, niſi velut ille, de quo loquitur, ab illo, cui loquitur emendetur; vel ille, cui loquitur, ei familiaritate jungatur, & ab ipſo corripiatur*. Itèm *Auguſt.* exponens verba Chriſti *Matth.* 18. dicit: *Aliquandò nobis ab uxoribus adulteria virorum ſecreta produntur, nos verò non prodimus, ſed ſecretè corripimus, ut ubi malum contigit, ibi moriatur*; Undè cum uxores non reprehendantur de hoc, quod manifeſtant ſecreta peccata virorum, patet, quod non tenemur ſempèr ſervare ordinem prædictum.

ARTICULUS II.

De Adductione Teſtium.

SEquitur videre de ſeptimo, ſcilicèt de teſtium adductione; & circà hoc quæritur.

Utrùm teſtes ſint adducendi ex neceſſitate præcepti, antequam denuncietur Eccleſiæ, vel Prælato peccatum proximi.

Reſpondeo quod ſic, niſi ſubſit cauſa, quarè hoc non expediat. Undè ſecundum ordinem debitum communem frater corripiens fratrem peccantem primò debet eum inter ſe, & ipſum leniter corripere; & ſi ſic non proficiat, debet ſecundò adhibere teſtem unum, vel duos, ſtudio corripiendi, vel convincendi, ſecundum *Auguſt in Gloſ. Matth.* 18. & ſi ſic non proficiat, debet tertiò denunciare illius Prelato, qui debet eum admonere, ut ſe corrigat: & ſi Prelatus ſic monendo non proficiat, denunciatum convictum excommunicando à membris Eccleſiæ, ſicut membrum infectum, ſeparet, ne alios inficiat ſecundum illud *Matth.* 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus; Quæcumque enim ligaveris ſuper terram, erunt ligata &c.* Si tamèn frater non ſperet fratrem peccantem per ſe, vel cum teſtibus adducendis poſſe corripere, ſed magis timet eum ex correctione pejorem fore, vel ex mora, ſi non denunciat periculum aliquod imminere, poteſt, & debet teſtibus dimiſſis ad monendum, ſtatim Prælato denunciare, qui remedium adhibeat monendo vel puniendo, prout ſibi videbitur expedire; & in tali caſu corripiens ſic faciendo, non facit contra ordinem correctionis Evangelicæ. Servat enim intentionem legiſlatoris, & attingit finem intentum ab ipſo, quià ut dicit *Auguſt. ad Macedonium* : *ſive plectendo, ſive ignoſcendo hoc bene agitur, ut vita hominum corrigatur*. *Hæc Gual: & convenit cum eo Ric.* 4. *diſ.* 19. *quæſt.* 3. *art* 2 *c. Guil. de mara.*

Et nota, quod teſtium inductio, de qua loquimur hic fit triplici de cauſa. Primò ad efficacius oſtendendum fratri ſuum peccatum, & revocandum ipſum ab eo. Secundò ad efficacius convincendum eum, ſi iteraret peccatum. Tertiò ut corripiens poſſit probare, quod fecerit, quod in ſe eſt, quià qui non præmonuit fratrem, repellitur à denunciatione, *extra de accuſ. cum dilect.* & ideò probare debet, quod præmonuit eum *extra de jud. novit. ille*. *Hæc Ric. ubi ſupra art.* 2. *cap.* 1.

Sed obiicitur, quià *Auguſt in regula*, talem ordinem ponit, ſcilicèt, quod primò frater inter ſe, & ipſum ſecretò debet corripi. Secundò ſi non audit illum, debet Prælato dici. Tertiò debent teſtes adhiberi. Quartò in publicum adduci. Sed nomine Prælati intelligitur Eccleſia; ergò prius debet Prælato, vel Eccleſiæ dici, quàm teſtes adduci.

Reſpondeo, quod Prælato peccatum fratris dici poteſt dupliciter, ſcilicèt vel ut amico, & Patri; vel ut judici. Primo modo loquitur *Auguſt.* ex quo enim te non audit, & ex quo ſecundum formam Domini *Matth.* 18 datam, oportet unum teſtem vocare, qui plus peccantem diligat, & pro quo ille plus faciat, quàm Prælatus inquantum Pater, & frater, & amicus. Secundo modo loquitur Dominus in fine authoritatis, quandò dicit: *dic Eccleſiæ* ideſt Prælato, ut judici, qui illum ab Eccleſia expellat, niſi prius ſuæ admonitioni acquieſcat.

Obiicitur iterùm quià 11. *quæſt.* 3. *præcipuè* dicitur

citur ſic ; *Precave, ne quandò nobis duos, vel tres teſtes ſecundum Domini præceptum adhibeamus*, ergò non benè videtur in Evangelio dictum : *Adhibe tecum unum*. *Matth.* 18.

Reſpondeo, quod illud capitulum *præcipuè* loquitur in perſona judicis volentis procedere ad puniendum, quod facere non poteſt, niſi per duos, vel tres teſtes; Dominus autèm *Matth.* 18. loquitur de perſona corripientis, cui ſufficit unus teſtis ad corripiendum, & etiàm ad teſtificandum judici, quod admonitus eſt, quià perſona corripiens, vel denuncians in hoc caſu pro teſte accipitur, & ille unus adductus eſt teſtis ſecundus, & ſic ibi duo ſunt teſtes, qui ſufficiunt ſic accepti in cauſa denunciationis, ut dicit illa decretalis; *extra de teſti. in omni negocio*. *Hæc Gual.*

ARTICULUS VIII.

Utrum frater, qui lucratus eſt fratrem per correctionem inter ſe, & ipſum, teneatur Prælato præcipienti per obedientiam revelare peccatum fratris correctum.

Circà octavum reſpondet *Gual.*, quod Peccatum privata correctione correctum, aut fuit publicum, aut occultum. Et ſi occultum, hoc eſt dupliciter, vel quia illud occultum primò devenit in aliorum cognitionem; aut remanſit occultum, ſicut ante correctionem. In primo caſu tenetur Prælato præcipienti per juramentum exigenti obedire, non tantum in caſu denunciationis, imò etiam inquiſitionis, vel accuſationis, ſi ageret contra illum correctum, iſto, vel illo modo; quia licèt ſit correctum, quantum ad illius peccatoris conſcientiam, non tamen quantum ad aliorum ſcandalum, & infamiam. In ſecundo caſu etiam dicendum eſt Prælato, ſed tantum coram illis, ad quorum notitiam devenit, & non coram aliis; ut ibi infamia moriatur, ubi habebat ortum, *dicente Auguſ. de verbis Domini Sermone* 16. *Ubi peccatum oritur, ibi moriatur*. Et ſimili modo dico de infamia. In tertio caſu etiam tenetur dicere Prælato, ſed ipſi ſoli, non coram aliis, non ut peccatum corrigatur, quia jam correctum eſt, nec ut infamia tollatur, quia nulla eſt, nec fuit; ſed ut Prælatus ſubditum ſuum cognoſcat, ſecundum *illud Proverb.* 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, & cognitum prout indiget, cuſtodiat in bono, & cuſtodito, à malo caveat* ſecundum illud 3. *Regum* 20. *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus*; Sicut enim pix inquinat tangentem *ſecundum illud Eccl.* 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*; & ſicut vulcus corporis etiam curatum relinquit in corpore cicatricem, ſic ſunt non nulla peccata, & ferè omnia, quæ etiam correcta relinquunt in eo, qui illud commiſit aliquam pronitatem ad illud iterùm committendum. Verbigratia; Si quis peccaverit cum Berta, delectatio carnis guſtata, & antiqua confidentia de iſta inclinat ad peccandum cum illa, etiam plus, quàm cum alia, & ſic ſuo modo etiam eſt de aliis peccatis. Quia ergò Prælatus ſubditi pronitatem ad malum cognoſcere, & eum cuſtodire, & ei cavere, ut Paſtor non poſſet, niſi ille, qui ſolus ſcit, ſibi præcipienti diceret; & ideo ſoli Prælato, non coram aliis tenetur dicere, utpote illi, qui debet, poteſt, & vult prodeſſe ei, & non obeſſe ſecundum *Gloſ. Auguſ. Levi.* 5. *&* 22. *quæſt.* 5. *hoc videtur*. *Hæc Gual.*, *& convenit cum eo Ric*, *& Guil. de mara*, & breviter quilibet doctor de Ordine Beati Franciſci, & dicere contrarium, foret regularis diſciplinæ maximum detrimentum.

Addit etiam *Ric.* 4. *diſt* 19. *quæſt.* 3. *ar.* 1. *c.* quod talis denunciatio non eſt in præjudicium famæ fratris, ſi Prælatus ſit talis, qualis eſſe debet. Si enim per ſigna valdè probabilia timeretur, quod ex illa denunciatione, fratrem correctum infamare vellet, tunc crimen occultum fratris, jam verè correctum, Prælato denunciare non deberet; *Hæc Ric. ubi ſupra*. Hoc tamen dico ſuppoſito, quod ad hoc ſe extendat poteſtas Prælati, quia dicitur *Matth.* 23. *ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite*; *Gloſ. Omnia ad cathedram pertinentia*. Prælato ergò, ad cujus cathedram pertinet plenitudo poteſtatis, obediendum eſt in hoc caſu, & in omnibus, ut eſt Summus Pontifex. Prælatis autem, qui ſunt vocati in partem ſollicitudinis, obediendum eſt, ſecundum quod datum eſt ipſorum Cathedris, ut ſunt Epiſcopi, & inferiores illis.

Similiter dico, quod Prælatis Religionum tantùm obediendum eſt, quantum ſpectet ad Cathedram ipſorum, ideſt quantum extendit ſe votum ipſorum ſubditorum; Undè *Bernard. lib.* 2. *de diſt. & præcepto cap.* 6. *Ponant præpoſiti metam obedientiæ ſubditorum, & votis laborum ſuorum, modus obeditionis eſt tenor profeſſionis* Illi ergò Religioſi, qui vovent obedire in omnibus, quæ non ſunt contra animam ſuam, & regulam, certum eſt, quod iſti in hoc caſu obedire debent; Illi etiam in quorum regula non eſt expreſſum, quod ſic in omnibus obediant, expreſſum tamen eſt, quod voluntatem propriam ſimpliciter abrenuncient, puto etiam, quod in hoc caſu obedire debent; nàm ſic obedire eſt ſecundum Deum, nec contra votum eſt, ſed ſecundum votum ipſorum, eſt etiam ſecundum Evangelii intentionem.

Primum, ſcilicèt, quod ſit ſecundum Deum patet; Dicit enim *Bernardus lib. de diſ. & præcepto cap.* 8 *eadem cura obediendum eſt Deo, & Dei Vicario*. *Et idem c.* 9. *Prælatum, quem pro Deo habemus, in omnibus, quæ non ſunt apertè contra Deum, audire debemus*.

Secundum, ſcilicèt, quod ſit ſecundum votum ipſorum, patet per *Bernar. lib. de diſ. & præcepto c.* 5. *Regularis*, inquit, *profeſſio, qua ſe minor ſponte ſubdit majori æquè alligat*; *& prædi-*

dictos, communis equidèm pacti reor utrumque pari neceſſitate teneri, unum fidelis curæ, alterum fidelis obedientiæ; Cura autem non tantum eſt ad curandum, ſed etiam ad præſervandum à peccato, & caſu; & hoc non poteſt fieri, niſi peccatum correctum, ex quo eſt pronitas derelicta, cognoſcat; Nec cognoſcere poteſt, niſi per te, qui ſolus noſti, ergò teneris dicere ad bonum fratris tui; & propter officium Prælati, quod debet exequi; & etiam propter bonum obedientiæ ex parte tui.

Tertium, ſcilicet, quod ſit ſecundum intentionem Evangelii patet; Nam Dominus *Matth.* 18. *c.* dans præceptum de fratris correctione, non ſolum intendit peccatum commiſſum corrigere, ſed etiam correcto de reſiduo cavere, vel à peccato in poſterum præſervare; Erat enim Medicus, & *Matth.* 9. *Non eſt opus valentibus Medico*; Prælati, & etiam eorum Vicarii ſunt Medici; Intentio ergò ejus eſt, quod non ſolum peccatum, quaſi morbum curent, ſed etiam ulterius morbum caveant in ſubditis, & præſervent.

Sed objicitur, quia *Bern. lib. de diſ. & præcepto*, dicit, quod is, qui profitetur, ſpondet obedientiam, non tamen omnimodam; Sed determinatè ſecundum regulam; Nulla autem regula dicit, quod peccatum correctum ſit Prælato præcipienti revelandum, ergò nemo in hoc obedire tenetur.

Reſpondeo licèt regula nulla hoc dicat explicitè, dicit tamen implicitè, tum quia dicit Prælato voluntatem propriam eſſe renunciandam, tum quia, ut dicit *Bern.* non tantum obediendum eſt in eo, quod eſt in regula expreſſum, ſed etiam in eo, quod eſt in ea implicitum.

TITULUS LXVIII.

De Offenſione, & Scandalo.

DEindè conſiderandum eſt de offenſione, & ſcandalo, quæ opponuntur beneficentiæ, & correctioni fraternæ. Et Primò quid eſt ſcandalum. Secundò utrum ſcandalum ſit peccatum, & quale peccatum ſit. Tertiò utrum ſit in viris perfectis. Quartò, quid ſit omittendum, vel faciendum propter ſcandalum vitandum; ideò ſit

ARTICULUS I.

Quid ſit Scandalum.

CIrca primum ſciendum, quod ſcandalum *eſt dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ*, & hæc deſcriptio magis elicitur ex verbis *Hieron. exponentis illud Matth.* 15. *Scis, quià Phariſei audito hoc verbo ſcandalizati ſunt &c.* Ad cujus evidentiam ſciendum, quod ſicut dicit *Hieron. ibidem*, quod græcè ſcandalon dicitur, nos offenſionem, vel ruinam, vel impactionem poſſumus dicere; Contingit enim quandoque, quod aliquid exponitur alicui in via corporali, cui impingens diſponitur ad ruinam, & talis obex dicitur ſcandalum; & ſimiliter in proceſſu viæ ſpiritualis contingit, aliquem diſponi ad ruinam ſpiritualem per defectum, vel factum alterius, in quantum ſcilicèt aliquis ſua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccatum, & hoc propriè dicitur ſcandalum; nihil autem ſecundum propriam rationem diſponit ad ſpiritualem ruinam, niſi quod habet aliquem defectum rectitudinis, quia illud, quod eſt perfectè rectum, magis munit hominem contra caſum, quàm ad caſum, vel ruinam inducat, & ideò convenienter dicitur, quod *dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ* ſit ſcandalum.

Nota, quod *minus rectum* hic non dicitur, quod ab aliquo alio ſuperatur in rectitudine, ſed quod habet aliquem rectitudinis defectum, vel quia eſt ſecundum ſe malum, ſicut peccata; vel quia habet ſpeciem mali, ſicut cum aliquis incumbit in Idolo; Quamvis enim hoc ſecundum ſe non ſit peccatum, ſi aliquis hoc non faciat corrupta intentione, quia tamen habet quamdam ſpeciem, vel ſimilitudinem venerationis Idoli, poteſt alteri præbere occaſionem ruinæ; & ideo Apoſtolus monet 1. *ad Theſ.* 5. *Ab omni ſpecie mali abſtinete vos*, & ideò convenienter dicitur *minus rectum*, ut comprænhendantur tam illa, quæ ſecundum ſe ſunt peccata, quàm illa, quæ habent ſpeciem mali.

Nota etiam, quod quia nihil poteſt homini eſſe ſufficiens cauſa peccati, quod eſt ſpiritualis ruina, niſi propria voluntas, ideò dicta, & facta alteriùs hominis poſſunt ſolum eſſe cauſa imperfecta aliqualiter inducens ad ruinam, & propter hoc non dicitur dans cauſam ruinæ, ſed dans occaſionem ruinæ, quod ſignificat cauſam imperfectam

Nota inſuper, quod dictum, vel factum alterius poteſt eſſe cauſa peccandi alteri dupliciter; Uno modo per ſe; Alio modo per accidens Per ſe quidèm, quandò aliquis ſuo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccatum inducere, vel etiam ſi ipſe non intendat, hoc ipſum tamen factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, ut ſit inductivum ad peccandum; puta, quandò aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati, & tunc ille, qui hujuſmodi actum facit, propriè dat occaſioniem ruinæ; Vndè vocatur ſcandalum activum. Per accidens autem verbum, vel factum unius eſt & alteri cauſa peccandi, quando præter intentionem operantis, & præter conditionem operis, aliquis malè diſpoſitus ex hujuſmo li opere inducitur ad peccandum, puta, cum aliquis invidet bonis aliorum, & tunc ille, qui facit hujuſmodi actum rectum non dat occaſionem, quantùm in ſe eſt, ſed alius ſumit occaſionem ſecundum illud *Ro.* 7. *Occaſione autem accepta &c.* Et ideò hoc eſt ſcandalum paſ-

paſſivum ſinè activo; quia ille, qui rectè agit quantum eſt de ſe, non dat occaſionem ruinæ, quam alter patitur. Quandoque verò contingit, quod etiam ſit ſimul ſcandalum activum in primo, & paſſivum in altero, puta cum ad inductionem unius, alius peccat. Quandoque verò eſt ſcandalum activum, ſinè paſſivo, puta cum aliquis inducit verbo, vel facto alium ad peccandum, & ille non conſentit. *Hæc Tho. 2. 2. qu. 43. ar. 10., & convenit cum eo Ric. 4. diſ. 38. qu. 10. ar. 1. c., & Alex. 2. tit. 2. c. de ſcandalo ar. 10.*

ARTICULUS II.

Utrum Scandalum ſit peccatum, & quale.

SEquitur videre de ſecundo, & circa hoc quæruntur plura, ſcilicèt.

I. Utrùm ſcandalum ſit peccatum?

II. Utrùm ſcandalum ſit ſpeciale peccatum?

III. Utrùm ſcandalum ſit mortale peccatum?

Circa primum reſpondeo, ſicut jam ſupra dictum eſt, duplex eſt ſcandalum, ſcilicet paſſivum in eo, qui ſcandalizatur, & activum in eo, qui ſcandalizat dans occaſionem ruinæ. Scandalum autem paſſivum eſt ſemper peccatum in eo, qui ſcandalizatur; Non enim ſcandalizatur, niſi in quantum ruit aliqualiter ſpirituali ruina, quæ eſt peccatum; Poteſt tamen ſcandalum paſſivum eſſe ſinè peccato ejus, ex cujus facto, aliquis ſcandalizatur; ut cum quis ſcandalizatur de his, quæ alius benè facit. Similiter etiam ſcandalum activum ſemper eſt peccatum in eo, qui ſcandalizat, quia vel ipſum opus, quod facit, eſt peccatum, vel etiam ſi habeat ſpeciem peccati, dimittendum eſt ſemper propter proximi charitatem; quia tenetur unuſquiſque ſaluti proximi providere; & ſic, qui non dimittit, contra charitatem agit. Poteſt tamen ſcandalum activum eſſe ſine peccato alterius, ſicut ſupra dictum eſt.

Sed objicitur, quia peccata non eveniunt ex neceſſitate, Omne enim peccatum eſt voluntarium, ut ſupra habitum eſt; ſed *Matth. 18. dicitur: Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala*, ergo ſcandalum non eſt peccatum.

Reſpondeo, quod hoc, quod dicitur *neceſſe eſt, ut veniant ſcandala*, non eſt intelligendum de neceſſitate abſoluta, ſed conditionali, qua ſcilicèt neceſſe eſt præſcita, vel pronunciata à Deo evenire. Si tamen conjunctim accipiatur, vel neceſſe eſt evenire ſcandala neceſſitate finis, quia utilia ſunt ad hoc, quod qui probati ſunt, manifeſti fiant; vel neceſſe eſt evenire ſcandala, ſecundum conditionem hominum, qui ſibi à peccatis non cavent; ſicut ſi aliquis Medicus videns aliquos indebita dieta utentes, dicat neceſſe eſt tales infirmari, quod intelligendum eſt ſub hac conditione, ſcilicet ſi dietam non mutent; Et ſimiliter neceſſe eſt evenire ſcandala, ſi homines converſationem malam non dimittant. *Hæc Tho. 2. 2. q. 43. ar. 10., & convenit cum eo Ric. 4. diſ 28. q. 10. art. 1. c 4., & Alex. Aug. 2. tit. 2. c. de ſcandalo ar. 20.*

Eſt etiam neceſſarium in univerſali, non in particulari; Scandalum enim non ſemper eſt mortale, ſed quandoque eſt veniale, ut dicetur infrà; Undè etiam ruina in diffinitione ſcandali ſumitur largè, ſcilicèt pro ruina, vel diſpoſitione ad ruinam. Undè etiam in græco ſcandalon, non tantum ſignificat ruinam, ſed etiam impactionem pedis, quæ eſt diſpoſitio ad ruinam, licèt non neceſſaria, non enim omnis, qui pedibus impingit, ruit; *Hæc Ric. ubi ſupra*.

Circà ſecundum reſpondeo, ut ſupra dictum eſt, duplex eſt ſcandalum, activum, & paſſivum. Paſſivum autem ſcandalum non poteſt eſſe ſpeciale peccatum, quia ex dicto, vel facto alicujus aliquem ruere contingit ſecundum quodcumque genus peccati. Nec hoc ipſum, quod eſt occaſionem ſumere peccandi ex dicto, vel facto alterius ſpecialem rationem peccati conſtituit, quia non importat ſpecialem deformitatem, ſpeciali virtuti oppoſitam. Scandalum autem activum poteſt accipi dupliciter, per ſe, ſcilicèt, & per accidens, & quid ſit utrumque, dictum eſt ſupra. Scandalum autem activum per accidens, non eſt peccatum ſpeciale, quia quod eſt per accidens, non conſtituit ſpeciem. Scandalum autèm activum per ſe eſt ſpeciale peccatum proptèr hoc, quod intenditur ſpeciale proximi nocumentum, & opponitur directè correctioni fraternæ, in qua intenditur ſpiritualis nocumenti remotio; Nam ex intentione ſpecialis finis ſortitur peccatum rationem ſpecialis peccati, quia finis dat ſpeciem in moralibus, ut habitum eſt ſupra; *Hæc Tho. 2. 2. qu. 43. art. 30.*

Circa tertium reſpondeo, ſicut ſupra dictum eſt, ſcandalum importat impactionem quamdam, per quam aliquis diſponitur ad ruinam; Et ideò ſcandalum paſſivum poteſt quandoque eſſe peccatum veniale, quaſi habens impactionem tantùm, puta cum aliquis ex inordinato dicto, vel facto alterius commovetur motu venialis peccati. Quandoque verò eſt peccatum mortale, quaſi habens cum impactione ruinam; puta cum aliquis ex inordinato dicto, vel facto alterius procedit uſque ad peccatum mortale. Scandalum autem activum ſi ſit per accidens, poteſt eſſe quandoque peccatum veniale, putà cum aliquis, vel actum venialis peccati committit, vel actum, qui non eſt ſecundum ſe peccatum, ſed habet ſpeciem mali tum aliqua levi inductione; quandoque verò eſt peccatum mortale, ſivè quià committit actum peccati mortalis, ſivè quià contemnit ſalutem proximi, ut pro ea ſervanda non prætermittat aliquis facere, quod ſibi libuerit. Si verò ſcandalum activum ſit per ſe, putà cum intendit alium inducere ad peccandum, ſiquidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, eſt peccatum mortale, & ſimilitèr ſi intendat inducere ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis; ſi verò intendat inducere proximum

ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, eſt peccatum veniale; *Hæc Tho. ubi ſupra ar.24. & convenit cum eo Alex.2. tit.2. c. de ſcandalo art.30. & Ric.4. diſ.38. quæſt.10. art.1. c.4.*

ARTICVLVS III.

Vtrum ſcandalum ſit in Viris perfectis?

SEquitur videre de tertio, & circa hoc quæruntur plura, &

I. Utrùm ſcandalum paſſivum poſſit in perfectos cadere?

II. Utrùm ſcandalum activum poſſit inveniri in viris perfectis?

Circà primum reſpondeo, quod ſcandalum paſſivum importat quamdam commotionem animi à bono in eo, qui ſcandalum patitur; Nullus autem commovetur, qui rei immobili firmiter inhæret; Majores autem, ſivè perfecti ſoli Deo inhærent, cujus non eſt mutabilis bonitas, quià etſi ſuis Prælatis inhæreant, non tamen inhærent eis, niſi in quantum illi inhærent Chriſto ſecundum illud 1. *Corinth.*4. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*; Undè quantumcumque videant alios inordinatè ſe habere in dictis, vel factis, ipſi à ſua rectitudine non recedunt ſecundùm *illud Pſal. Qui confidunt in Domino, ſicut mons Syon, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem*; Et ideò in his, qui perfectè Deo adhærent per amorem, ſcandalum non invenitur, ſecundùm illud *Pſal. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*; *Undè Hieron. ſuper illud Matth.*18., *qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis*, dicit: *Nota, qui ſcandalizatur parvulus eſt*; *Majores enim ſcandalum non recipiunt*. *Hæc Tho.*2. 2. *quæſt*43. *art.*5. *c.*

Circa ſecundum reſpondeo, quod ſcandalum activum propriè eſt cum aliquis dicit, vel facit, quod de ſe aptum natum eſt inducere ad ruinam, quod quidem eſt ſolum illud, quod inordinatè fit, vel dicitur. Ad perfectos autèm pertinet ea, quæ agunt ſecundum regulam rationis ordinare, ſecundùm illud 1. *Corinth.*14 *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis*; & præcipuè hanc cautelam adhibent in his, in quibus non ſolùm ipſi offenderent, ſed etiam aliis offenſionem pararent; & ſi quidem in eorum manifeſtis dictis, vel factis aliquid ab hoc moderamine deſit, hoc provenit ex infirmitate humana, ſecundùm quam à perfectione deficiunt, non tamen intantum, ut multum ab ordine rationis recedatur, ſed modicum, & læviter, quod non eſt tam magnum, ut ex hoc rationabilitèr poſſit ab alio ſumi peccandi occaſio.

Sed objicitur, quià paſſio eſt effectus actionis; ſed ex dictis, vel factis perfectorum aliqui paſſivè ſcandalizantur, ſecundum illud *Matth.*15. *Scis, quià Phariſei audito hoc verbo ſcandalizati ſunt*; ergò in perfectis viris poteſt inveniri ſcandalum activum.

Reſpondeo, quod ſcandalum paſſivum ſemper cauſatur ab aliquo ſcandalo activo, ſed non ſemper ab aliquo activo alteriùs, ſed ejuſdem, qui ſcandalizatur, quià ſcilicèt ſe ipſum ſcandalizat; *Hæc Tho.*2. 2. *quæſt.*43 *art.*60.

ARTICVLVS IV.

Quid ſit omittendum, vel faciendum propter ſcandalum vitandum.

SEquitur videre de quarto, & circà hoc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm bona ſpiritualia ſint propter ſcandalum dimittenda?

II. Utrùm opus juſtitiæ ſit aliquandò proptèr ſcandalum dimittendum?

III. Utrùm doctrina ſit dimittenda propter ſcandalum?

IV. Utrùm liceat peccare venialitèr, ne alius peccet mortalitèr?

V. Utrùm temporalia ſint dimittenda proptèr ſcandalum?

Circà primum reſpondeo, quod cum duplex ſit ſcandalum, activum, ſcilicèt, & paſſivum; quæſtio iſta non habet locum de ſcandalo activo, quia cum ſcandalum activum ſit dictum, vel factum minùs rectum, nihil eſt cum ſcandalo activo faciendum. Habet autèm locum quæſtio, ſi intelligatur de ſcandalo paſſivo, ſcilicèt ſub hoc ſenſu: utrùm aliquis teneatur dimittere bonum opus, ne ſcandalizetur proximus. Conſiderandum eſt igitur, quid ſit dimittendum, ne alius ſcandalizetur. Eſt autem de ſpiritualibus bonis diſtinguendum; Nam quædam horum ſunt de neceſſitate ſalutis, quæ prætermitti non poſſunt ſinè peccato mortali; Manifeſtum eſt autèm, quod nullus debet mortaliter peccare, ut alteriùs peccatum impediat, quia ſecundùm ordinem charitatis plùs debet homo ſuam ſalutem ſpiritualem diligere, quàm alteriùs; & ideò ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis prætermitti non debent proptèr ſcandalum vitandum. In his autem ſpiritualibus bonis, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, videtur diſtinguendum, quià ſcandalum, quod ex eis oritur, quandòque ex malitia procedit, cum ſcilicèt aliqui volunt impedire hujuſmodi ſpiritualia bona ſcandala concitando, & hoc eſt ſcandalum Phariſeorum, qui de doctrina Domini ſcandalizabantur, quod eſt contemnendum, ut docet Dominus *Matth.*25. *Sinite eos, cæci ſunt*, inquit, *& duces cæcorum*. Quandoque verò ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, de quo Dominus de quærentibus dragma ait Petro: *Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare &c.* & hujuſmodi ſcandalum eſt puſillorum, proptèr quod ſunt ſpiritualia opera, vel occultanda, vel etiam interdùm differenda, ubi periculum imminet, quouſque reddita ratione hujuſmodi ſcandalum ceſſet; ſi autèm poſt rationem redditam ſcandalum duret, videtur jam ex malitia eſſe, & ſic proptèr ipſum non ſunt

Digitized by Google

ſunt hujuſmodi ſpiritualia opera dimittenda; *Hæc Tho 2. 2. quæſt.43. ar.7. c. & convenit cum eo Ric.*

Circà ſecundum reſpondeo; Duplex eſt opus juſtitiæ, ſcilicèt unicuique, quod ſuum eſt reddere; & pœnam infligere. Primum nunquàm eſt proptèr ſcandalum dimittendum, maximè quantùm eſt de voluntate, ſecundùm illud *extra de regulis juris, qui ſcandalizaverit; Utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur*. Secundùm verò, ſcilicèt, ſtatutas pœnas infligere; poteſt aliquandò ſuſpendi proptèr pericula, quæ indè poſſunt evenire, & maximè quandò princeps, vel multitudo eſt in ſcelere, & timetur, ſi pœna infligatur, indè ſchiſma, vel aliud magnum malum evenire, ſecundùm, quod *Auguſ. lib. contra epiſtolam Parmenian.* docet, quià tunc pœnæ inflictio non pertinet ad veritatem juſtitiæ. Diſtinguitur tamen ulteriùs, quià ſi tales peccatum, quod faciunt, quadam authoritate defendant ad modum hæreticorum, quaſi non ſit peccatum, tunc contra tales dormire non debet ſeveritas diſciplinæ, quin excommunicentur; nàm & tales hæretici poſſunt dici: *de pæn. diſ.6. c.1. in fin. & diſt.40. Domino Sancto, & diſt 82. plurimos.*

Si verò non defendant peccatum ſuum, & timeatur ſchiſma, vel aliud magnum malum diſſimulari poteſt, & debet, quià, ut dicit *Auguſ ad Bonifacium: ubi multorum ſtrages latet, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis, charitas ſincera ſubveniat diſt.40. ut conſtitueretur*. Fiant tamen comminationes de ſcripturis, & interim alicinatur cautè eorum diſcretiores, quorum authoritate cætera multitudo frangatur *diſt.44. oſtentationes. Hæc Alex. Aug 2. tit 2. c. de ſcandalo art.6. quæſt.9. c. convenit cum eo Ray.*

Circà tertium reſpondeo, quod circà doctrinam duo ſunt conſideranda, ſcilicèt veritas, quæ docetur, & ipſe actus docendi; Quorum primum eſt de neceſſitate ſalutis, ut ſcilicèt contrarium veritati non doceat, ſed veritatem ſecundum congruentiam temporis, & perſonarum proponat ille, cui officium incumbit docendi, & ideò proptèr nullum ſcandalum, quod ſequi videatur, debet homo, prætermiſſa veritate, falſitatem docere; ſed ipſe actus docendi intèr ſpirituales eleemoſynas computatur, & ideò eadem ratio eſt de doctrina, & de aliis miſericordiæ operibus, de quibus agetur *in lib.5.*

Ad hoc nota regulam *Hieron.*, ſcilicèt, quod dimittendum eſt proptèr ſcandalum omne, quod poteſt prætermitti, ſalva triplici veritate, ſcilicèt vitæ, juſtitiæ, & doctrinæ; Undè *extra de reg. juris: qui ſcandalizaverit* dicitur: *Utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur*, ſcilicèt vitæ, juſtitiæ, & doctrinæ; Undè verſus.

Scandala pro vita doctrina, juſtitiaque; Tu non effugias, ſunt in reliquis fugienda. Vel ſic: *Scandala non vitent, judex, doctor, benè vivens;*

Sunt alii duo verſus, qui videntur contrarii præmiſſis, ſcilicèt iſti: *Eſt veritas vitæ, doctrinæ juſtitiæque. Primum ſemper habe, duo proptèr ſcandala linque*. Non ſunt tamen eis contrarii ſi benè intelligantur, ut patet ex ſupra dictis, & infrà dicendis.

Diſtinguitur autèm ſecundum *Alex. Aug.2. tit.2. c. de ſcandalo art.6. quæſt.1.*, ſcilicèt, quod veritas vitæ pertinet ad omnes, & compræhendit omnia præcepta, & conſilia. Veritas juſtitiæ ad Prælatos, & compræhendit ſeveritatem in puniendo reos, & liberalitatem in ſubſtinendo miſeros. Veritas doctrinæ ad Prædicatores, & Magiſtros.

Nota etiàm ſecundum *Tho.2. 2. quæſt.43. art.7. c.4.* quod ſub iſta triplici veritate, non tantùm compræhenditur illud, quod eſt de neceſſitate ſalutis, ſed etiàm illud, quo pervenitur perfectius ad ſalutem, ſecundum illud 1. *Corinth.12. Æmulamini chariſmata meliora*. Undè etiàm conſilia non ſunt ſimpliciter prætermittenda, neque etiam miſericordiæ opera proptèr ſcandala, ſed ſunt interdùm occultanda, vel differenda proptèr ſcandalum puſillorum, ut dictum eſt. Quandòque tamèn conſiliorum obſervatio, & impletio operum miſericordiæ ſunt de neceſſitate; quod patet in his, qui jam voverunt conſilia, & in his, quibus ex debito imminet defectibus aliorum ſubvenire, vel in temporalibus, putà paſcendo eſurientem, vel ſpiritualibus, putà docendo ignorantem, ſivè hujuſmodi ſiant debita proptèr injunctum officium, ut patet in Prælatis, ſivè proptèr neceſſitatem indigentis, & tunc eadem eſt ratio de hujuſmodi, ſicut de aliis, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis; *Hæc Tho.2. 2. qu.43. art.7. c.4., & convenit cum eo Ric.4. diſ.38. quæſt.10. art.2. c.*

Sed numquid intermittens ad tempus bonum ſupererogationis proptèr vitandum ſcandalum proveniens ex infirmitate, vel ignorantia præjudicat merito ſuo?

Reſpondeo *ſecundum Ric. ubi ſupra*, quod non; quià talis intermiſſio meretur præmium æquale præmio debito operi ſupererogationis, quod omittit, vel majus, quià nihil de perfectione charitatis diminuit, ſed magis ad augumentum diſponit.

Quid de operibus, quæ ſunt indifferentia ex genere, cujuſmodi ſunt carnes edere, vinum bibere, temporalia licitè acquirere, & hujuſmodi?

Reſpondeo ſecundum *Ric. ibidem*; Talia opera, quorum omiſſio nulli præjudicat, nec operanti, debent omitti proptèr vitandum ſcandalum proximi proveniens ex infirmitate, vel ignorantia, quando probabilitèr apparet, quod proximus ſcandalizabitur indè, & ſi ſit probabile quod ſcandalizetur mortalitèr, omiſſio eſt ſub præcepto. Si autèm ſit probabile, quod non ſcandalizetur niſi venialitèr, omiſſio eſt ſub conſilio; poſtquam autem eſt proximo oſtenſum, & debito modo ſuaſum, quod ex tali opere non debet ſcandalizari, non tenetur homo il-

lud

lud omittere, quià ſi poſteà ſcandalizetur, hoc erit ex malitia ejus.

Pone, quod aliquis habeat puram conſcientiam apud Deum, multi tamèn malè ſuſpicantur de eo, & ſic ſcandalizantur, quid aget?

Reſpondeo per hoc, quod dicit *Auguſt. & habetur* 11. *q.* 3. non ſunt audiendi: nobis eſt neceſſaria vita noſtra, aliis fama noſtra, & ideò quantùm eſt in ſe, debet illis ſatisfacere ſuam bonam intentionem oſtendendo; & ſpeciem mali, & occaſionem ſcandali, ſecundum quod poteſt removendo; Si autèm nolunt ſatisfactionem recipere, de peccato illorum debet dolere; & tunc ſufficit ei bona conſcientia, quia jam apparet, quod ſcandalum eorum eſt ex malitia.

Circa quartum reſpondeo; Quidam dixerunt, quod peccatum veniale eſt committendum proptèr vitandum ſcandalum, ſed hoc implicat contradictoria; Si enìm faciendum eſt, jam non eſt malum, neque peccatum, nàm peccatum non poteſt eſſe eligibile. Contingit tamèn aliquid proptèr aliquam circumſtantiam non eſſe peccatum veniale, quod illa circumſtantia ſublata eſſet veniale peccatum; ſicut verbum jocoſum eſt veniale peccatum, quando abſque utilitate dicitur; Si autèm ex cauſa rationabili proferatur, non eſt otioſum, neque peccatum; quamvis autem per peccatum veniale gratia non tollatur, per quam eſt hominis ſalus, inquantùm tamèn veniale diſponit ad mortale, vergit in detrimentum ſalutis; *Hæc* Tho. 2. 2. *quæſt.* 43. *ar.* 7. *c.* 5.

Circa quintum reſpondeo; Circa bona temporalia eſt diſtinguendum; Aut enìm ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſervandum commiſſa; ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuſcumque Reipublicæ rectoribus; & talium conſervatio, ſicut & diſpenſatio imminet his, quibus ſunt commiſſa ex neceſſitate, & ideò non ſunt propter ſcandalum dimittenda, ſicùt nec alia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis. Temporalia vero, quorum nos ſumus Domini, dimittere, ea tribuendo, ſi penès nos ea habeamus, vel non repetendo, ſi apud alios ſint proptèr ſcandalum, quandòque quidèm debemus, quandòque autèm non. Si enìm ſcandalum ex hoc oriatur proptèr ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod ſupra diximus eſſe ſcandalum puſillorum, tunc vel totalitèr dimittenda ſunt temporalia, vel alitèr ſcandalum ſedandum, ſcilicèt per aliquam admonitionem; Undè dicit *Auguſ. in lib. de ſermone Domini in monte: Dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat, quantùm ab homine credi poteſt, & cum negaveris, quod petit, judicanda eſt ei juſtitia, & melius quid dabis, cum petentem injuſtè correxeris.* Aliquando verò ſcandalum naſcitur ex malitia, quod eſt ſcandalum Phariſeorum, & proptèr eos, qui ſcandala concitant, non ſunt temporalia dimittenda, quia hoc etiàm noceret bono communi, daretur enìm malis rapiendi occaſio; & noceret ipſis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent; Undè dicit *Greg. in moral. Quidam cum nobis rapiunt temporalia ſolummodo ſunt tolerandi; quidam verò ſervata charitate probibendi, non ſola cura, ne noſtra ſubtrahantur, ſed ne rapientes non ſua ſemetipſos perdant.*

Sed objicitur, quod temporalia nullo convenientiori modo conſervare, aut recuperare poſſumus, quàm per judicium; Sed judicio uti non licet, & præcipuè cum ſcandalo, dicitur enìm *Matth.* 5. *ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*; ergo &c.

Reſpondeo ſecundùm *Auguſ. lib de ſermone Domini in monte*; Illud præceptum Domini intelligendum eſt de præparatione animi, ut ſcilicèt homo ſit paratus prius pati injuriam, vel fraudem, quàm judicium, ſi hoc expediat, quandoquè tamèn non expedit, ut dictum eſt.

Itèm objicitur, Quia Apoſtolus ſeminans ſpiritualia non accepit ſtipendia temporalia, ne offendiculum daret Evangelio Chriſti, ut patet 1. *Corinth* 9. & ex ſimili cauſa Eccleſia in aliquibus terris non exigit decimas ad vitandum ſcandalum; Ergo multò magis alia temporalia ſunt proptèr ſcandalum dimittenda.

Reſpondeo quod ſcandalum, quod vitabat Apoſtolus, ex ignorantia procedebat gentilium, qui hoc non conſueverant, & ideò ad tempus abſtinendum erat, ut priùs inſtruerentur hoc eſſe debitum, & ex ſimili cauſa Eccleſia abſtinet à decimis exigendis in terris, in quibus non eſt conſuetum decimas ſolvere; *Hæc Tho* 2. 2. *quæſt.* 43. *ar.* 8. o. *& convenit cum eo Ric. diſ.* 38. *quæſt.* 10. *ar.* 20.

Quid ſi quis petat à me rem meam, numquid teneor ſibi eam dare, ſi ſciam eum ſcandalizari, niſi dem illam ſibi? Reſpondet *Alex. Ang.* 3. *tit.* 2. *cap. De ſcandalo ar.* 7. o. quod reſpondent quidam, quod rem dare oportet in caſu, non ſemper, aut enìm petit irrationabilitèr, vel rationabilitèr; Si primo modo non teneor dupplici de cauſa; Primò proptèr bonum publicum, ad quod pertinet, ut dominium rerum ſine ratione non transferatur; Secundò ut petentium temeritas refrenetur. Si verò ſecundo modo, ut cum pauper petit veſtem, & tunc aut eſt magis neceſſaria mihi, quam illi, & tunc etiàm non teneor, tùm proptèr ſervandum charitatis ordinem, tùm proptèr reprimendam petentium temeritatem; aut eſt magis neceſſaria illi, quàm mihi; aut ſuperflua mihi, neceſſaria autèm illi, & ſive ſic, ſive ſic, aut propono rem illam alii dare, quem ſcio magis indigere, aut eam reſervo ad tempus, in quo multos credo probabilitèr indigere, & utroque caſu non teneor, tùm ut petentium temeritas reprimatur, tùm ut bonum publicum conſervetur, ad quod pertinet, ut quilibet ſua diſpenſet, pro ut melius poteſt. Aut non propono eam alteri dare, & tunc teneor ſibi dare, ſi probabilitèr credam, quod ſcandalizetur, niſi dedero ſibi. De hac materia vide ſupra *lib.* 1. *tit.* 4.

tit. 44. ar. 5. qui eſt de præcepto patientiæ reſpectu ablationis rerum.

TITULUS LXIX.

De Perplexitatibus conſcientiæ.

POſtea, quia ratione ſcandali perplexitas ſępè oritur in conſcientia, dùm timetur ex parte una proximi ſcandalum, & ex parte alia caſus in peccatum, convenienter poſt titulum de ſcandalo ſubditur hic titulus de perplexitatibus conſcientiæ. Ubi primò videndum eſt de multiplici perplexitate. Secundò utrùm ſit ponere perplexitatem, prout eſt inevitabilitas peccandi. Tertiò de quibuſdam caſibus perplexis; Ideò ſit

ARTICVLVS I.

De multiplici perplexitate.

CIrca primum ſciendum, quod ſicut notavit *Alex. Ang. 2. ti. 2. cap. De perplexitate conſcientiæ ar. 1. in principio*: triplex eſt perplexitas. Prima eſt intelligentiæ verborum Sacræ Scripturæ. Secunda eſt cognitionis faciendorum, & tam iſta, quàm prima poteſt eſſe in hominibus bonis. Tertia eſt inevitabilitas peccandi. Prima tollitur per conſiderationem cauſarum dicendi in diverſis locis Sacræ Scripturæ, quia intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, *ut dicit Hylarius*. Secunda tollitur per unctionem Spiritus Sancti, quæ de omnibus docet. Tertia per depoſitionem conſcientiæ erroneæ, de qua eſt ad præſens intentio.

ARTICVLVS II.

Utrùm ſit ponere perplexitatem pro ut eſt inevitabilitas peccandi.

CIrca ſecundum ſciendum ſecundùm eumdem *Alex. Ang. ti. 2. cap. de perplexitate conſcientiæ art. 1. c.* quod duplex eſt perplexitas, ſcilicèt juris, & facti. Iuris eſt, quando duæ authoritates concurrunt circa aliquid faciendum contrarię ſecundùm apparentiam. Facti eſt, ut cum quis ſic errat, quod ſi unum peccatum fugiat, aliud ſe perpetrare credat. Prima removeri poteſt ab homine in quocumque ſit ſtatu; Secunda removeri non poteſt ab homine manente in tali ſtatu, ut quando aliquis ex peccato proprio eſt perplexus. Talis enim dùm in illo ſtatu manet vitare non poteſt quin peccet de novo, ſcilicèt, vel proximum ſcandalizando, vel contra conſcientiam faciendo, ut patebit infra in quibuſdam caſibus: Qui tamèn ſi de peccato pœniteret, jam dubius, ſivè perplexus non eſſet; De hac perplexitate *Greg. ſuper illud Job. 4. Nervi teſticulorum Leviatan perplexi ſunt* loquens de ſuggeſtionibus Diaboli dicit, quod plures, ſic peccare facit, quod ſi fortè fugere peccatum appetant, hoc ſine alio peccati laqueo non evadant.

Nota etiam, quod duplex eſt neceſſitas peccandi, ſcilicèt pronitas, & inevitabilitas; de prima intelligitur illud *Pſal. ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam*; & illud quod dicit *Auguſt. lib. de natura, & gratia*, quod neceſſitas peccandi non eſt ex conditione, ſed ex vitio naturæ: *Audiat ergò homo, ut hæc neceſſitas non ſit, dicat Deo de neceſſitatibus meis erue me; Hæc Auguſt.* liberat enim Deus à pronitate, ita quod non deducitur ad effectum. Si etiam à Deo inſtantèr peteret, prout deberet, in peccandi inevitabilitatem non caderet; Aliquandò etiam non caderet, ſi prius pœniteret.

ARTICULUS III.

De quibuſdam caſibus perplexis.

CIrca tertium quæritur de pluribus caſibus; Eſtò quod aliquis ſit promotus ſimoniacè ad Sacerdotium, & ex officio teneatur perſonalitèr celebrare, numquid celebrabit? ſi ſic, mortalitèr peccat; ſi non, populum ſcandalizat.

Reſpondet idem *Alex. 2. ti. 2. cap. de perplexitate conſcientiæ ar. 2. caſu 2. c.* quod ſi peccatum talis ſit occultum, ſuſpenſus eſt ipſo jure, quoad ſe tantum, & tunc ſi ſit in officio celebrandi, cum dolore pœnitentiali perficiat miſſam, ſic enim vitat majus malum. Si verò nondum ſit in officio celebrandi, dimittat illud officium, proptèr quod tenetur perſonalitèr celebrare, & expectet diſpenſationis gratiam, ſi poſſit eam obtinere. Si verò peccatum ejus ſit manifeſtum, tunc ſimplicitèr peccaret, ſcilicèt quoad ſe, & quoad alios, quos ſcandalizaret.

Quid de illo, qui vitam heremiticam gerit ex voto, & vocatur ad civitatem, & dicitur ei, quod multas animas poteſt lucrari ſuo conſilio, & exemplo?

Reſpondeo ſecundùm eumdem *Alex. ibidem caſù quarto*. Non debet ire, quia contra votum, & profeſſionem ſpontè venire, eſt manum ad aratum mittere, & retro aſpicere; nec prodeſt homini totum mundum lucrari, & animæ ſuæ detrimentum pati. Hoc dico excepto caſu, ubi fides periclitaretur, & per eum relevari creditur, vel etiàm ſi per Papam cogatur.

Quid de exiſtente in ſæculo habente parentes pauperes, ac per hoc timente, ſi relinquat ſæculum tranſgredi præceptum de parentibus honorandis, & ex alia parte vovit relinquere ſæculum, quid talis agere debet?

Reſpondet *Alex. Angli. ubi ſupra caſu 6. in ſecundo*, ubi agitur de ſcandalo, quod talis, ex quo vovit, jam de conſilio, factum eſt ei præceptum relinquere ſæculum.

Sed ulterius eſt diſtinguendum, quia aut vovit cum præfinitione temporis, aut non. Si ſic, infra

infra tempus illud provideat parentibus ſecundùm quod poteſt, ultra enim illud non licet ſibi differre ſine diſpenſatione. Si non, tenetur ad ſtatim, niſi aliqua conditio interveniat impeditiva, & tunc etiam pendente illa conditione provideat eis ſecundùm quod poteſt; aliàs tenetur, vel ſtatim intrare, vel ad minus accelerare quantùm poteſt dictante conſcientia, & conſilio ſalubri, alitèr eſſet in periculo veritas vitæ. Si verò non intervenit obligatio, ſed eſt tantùm conſilium, in caſu poteſt, & debet differri; Præceptum enim pro tempore, pro quo eſt præceptum, eſt implendum; undè utrumque eſt implendum ſecundùm priùs, & poſteriùs, non quod tranſgrediatur, ſi non adimpleat conſilium, ſed unum eſt adimplendum, quia præceptum; Aliud vero eſt faciendum, ſi velit eſſe perfectus, ſecundùm quod dicitur in Evangelio. Nec creditur ſemper eſſe differendum conſilium proptèr contemptum, nec deperit ejus utilitati ſpirituali, ſi nunc non implet conſilium, ſed ſi non implet; quando ſpiritus, qui omnia ſcrutatur, dictat eſſe implendum; Spiritus enim Dei, quantùm eſt de ſe, movebit, ut fiat, eo modo, quo meliori convenit. *Hæc Alex. ubi ſupra de hac materia vide ſupra lib.* 1. *tit. de quarto præcepto ar.* 3. *q. fin.*

Quid de illo, qui alicui juravit, quod ſecreta ejus celabit, & poſtea ille, cui juravit, procurat alicujus homicidium, quid ille aget?

Reſpondeo ſecundum *Alex. Ang.* 2 *ti* 2. *c. de perplexitate conſcientiæ ar.* 2. *circa operationes corporales caſu quarto*; Movere debet eum in ſecreto fraterna correctione, pro ut dicitur *Matth.* 18. & ſi nolit ceſſare, dicere poteſt in generali ei, cujus homicidium procuratur: *Aliquis te vult inficere*; Ita quod non deprehendatur ab aliqua circumſtantia, quis ſit ille, ut habetur *extra de offic. ordi. ſi Sacerdos*; Vel ſi ſit periculum dicere illi, dicendum eſt alicui, qui poteſt prodeſſe, & non obeſſe in generali, ut Presbytero, quod præmoneat eum, dummodò ſic dicat, quod nullo modo perſonam illam comprehendat, & hoc modo ille non eſt reus perjurii, quia ſecretum illius non indicat *Eccl.* 10. *Denudare amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis*.

Numquid poteſt quis committere veniale, ut alius vitet mortale?

Reſpondet *Alex. Ang. ubi ſupra caſu ſeptimo*, quod ſecundum quoſdam perfectus non debet committere veniale, ut alius vitet mortale; ſed pœnam temporalem poteſt ſubſtinere; Imperfectus autèm poteſt. Alii dicunt quod etiam perfectus poteſt committere veniale, ut alius vitet mortale, ſed quodammodo cadit à perfectione; Videtur autèm, quod nulla ſit tentio ad peccatum veniale; Sed poteſt eſſe tentio ad ſalvandum alium à peccato mortali, etſi non poteſt alitèr, quàm per veniale.

Sed objicitur illud ad *Rom.* 9. *optabam fieri anathema pro fratribus meis, ideſt pro ſalute eorum*. Dicendum quod anathema ibi ſumitur pro illa pœna, quæ etiàm aliquando infligitur injuſtè, & tunc non eſt ibi niſi tantum pœna, & talis pœna eſt ſubſtinenda pro ſua, & aliena ſalute ſpirituali. Secundum autèm, quod dicit pœnam juſtè inflictam, includit peccatum mortale, ſi tota ratio juſtitiæ adſit, & hoc modo Apoſtolus non optabat. Multi alii caſus perplexi poſſent hic poni, quos omitto, quia eos alibi poſui in aliis locis.

Explicit ſecundus Liber hujus ſummæ de caſibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

TITVLVS I.

De Appropriatione rerum.

Finitis per Dei gratiam duabus partibus hujus ſummæ, ſcilicèt prima de Præceptis, & ſecunda de Virtutibus, & Vitiis, reſtat proſequi tertiam partem ejuſdem de Contractibus, & voluntatibus ultimis; & quia in quibuſdam contractibus, & voluntatibus ultimis transferuntur rerum dominia, quæ quidèm transferri non poſſent juſtè, ſi non eſſent diſtincta, & appropriata, ideò primò conſiderandum eſt de rerum appropriatione, & circa hanc quæruntur plura, ſcilicet

I. Utrùm poſſeſſio rerum exteriorum ſit homini naturalis?

II. Utrùm rerum dominia in ſtatu innocentiæ fuiſſent diſtincta?

III. Utrùm præceptum illud, ſcilicèt de habendo omnia communia adhuc maneat, ita quod nulli rem aliquam propriam poſſidere liceat?

Circa primum reſpondeo, quod ſic, ut oſtendit Philoſophus 1. *Politic.* per hoc, quod imperfectiora ſunt propter perfectiora, hujuſmodi enim exteriora ſoli Deo ſubjacent quantum ad ſuam naturam, quia ei ſoli omnia ad nutum obediunt, ſed quantùm ad uſum habet homo naturalem dominium eorum, quia per rationem, & voluntatem eis, quaſi propter ſe factis uti poteſt ad ſuam utilitatem; undè hoc dominium convenit homini ſecundum rationem, in qua Dei imago conſiſtit, quod benè oſtenditur *Geneſ.* 1. *Faciamus hominem ad immaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris &c.*

Circa ſecundum reſpondeo ſecundùm *Scot.* 4. *diſ.* 15. *q.* 2 *ar.* 1. quod non; imò erant communia, & ſecundùm legem naturæ, ut patet per illud, quod dicitur *diſ.* 8. *c* 1. Jure verò naturæ ſunt omnibus omnia communia, & 12. *q* 1. *dilectiſſimis*, & ſecundum legem Divi Sapientis Græci: Undè *diſ* 8. *quo jure*, & eſt dictum *Auguſt. ſuper Joan. Jure*, inquit, *Divino: Domini eſt Terra, & plenitudo ejus*. Jure verò humano dicitur: *Hæc domus eſt mea &c.* Ratio autèm hujus eſt duplex. Uſus enim rerum ita competere debet hominibus ſecundum rectam rationem, ſicut congruit ad pacificam converſationem, & neceſſariam ſubſtentationem. In ſtatu autèm innocentiæ communis uſus rerum ſine diſtinctione dominiorum magiſ valuiſſet ad utrumque, quia tunc nullus occupaſſet, quod alteri neceſſarium fuiſſet, ſed quod quilibet primò ſibi neceſſarium ad uſum occupaſſet, hoc ad uſum habuiſſet; Hoc etiàm modo tunc magis ad ſubſtentationem uſus rerum communis ſuffeciſſet, quàm ſi per appropriationem uni factam aliis uſus præcluſus fuiſſet; *Hæc Scot. ibidem.*

Circa tertium reſpondeo, quod non, ſed eſt poſt lapſum revocatum; Quinimò dicit *Auguſt. de hæreſibus*, quod ſunt alii, qui ſe vocant Apoſtolicos, ex hoc, quod putant nullam ſpem habere eos, qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent, ſcilicet Conjugibus, & aliquibus poſſeſſionibus, quaſi propriis. Eſt autem poſt lapſum revocatum rationabilitèr propter duo ſupradicta, primò, quia eſſet contra pacificam converſationem, ut per ſe patet; Secundò, quia eſſet contra neceſſariam ſubſtentationem, quia homines non ita ſollicitè communia procurarent, & etiam fortiores neceſſaria debilibus auferrent.

Sciendum tamèn ſecundùm *Tho.* 2. 2. *q.* 66. *ar.* 2. *c.* quòd circa hujuſmodi neceſſaria duo conveniunt homini, ſcilicèt poteſtas procurandi, & diſpenſandi; & quo ad hoc homini aliqua tanquam propria poſſidere eſt licitum, & eſt humanæ vitæ neceſſarium, ut prædictum eſt. Aliud eſt uſus rei ipſius, & quoad hoc non debet homo habere res exteriores, quaſi proprias, ſed quaſi communes, ut ſcilicèt facilè communicet eas aliis in neceſſitatibus 1. *Thim. ult. Divitibus hujus Sæculi præcipe*, ſequitur, *facilè diſtribuere, & communicare*. Et ſic dicit *Ambro. & habetur diſ.* 47. *ſicut hi. Circa medium Capituli: Nemo*, inquit, *dicat proprium, quod eſt com-*

mune

mune &c.

Sed dato, quod ſit revocatum illud præcèptum, quæritur per quam legem factà ſit appropriatio rerum?

Reſpondet *Scotus ubi ſupra*, quod non eſt facta per legem divinam, ut patet *diſ.8. c præal-leg. quo jure*, nec per legem naturæ, quia non apparet, quod lex naturæ determinet ad oppoſita, ipſa autem determinavit, quod omnia eſſent communia. Undè videtur dicendum, quod facta ſit per legem poſitivam, & ex hoc etiam ſequitur quod prima diſtinctio dominiorum facta fuerit per aliquam legem poſitivam. Ad hoc autèm, quod illa prima diſtinctio fuerit juſtè facta, oportet, quod illa lex eſſet juſta; Ad hoc verò ut illa lex eſſet juſta, neceſſarium fuit, quod ejus lator haberet duo, ſcilicèt prudentiam in ſe, vel in ſuis conſiliariis, per quam diſcerneret ſecundum rectam rationem, quid faciendum erat pro communitate, & ſecùndum authoritatem, ſinè qua ejus Sententia non ligaret; Eſt autèm authoritas, ſivè principatus duplex. Una eſt paterna, & hæc eſt juſta ex lege naturæ, qua omnes filii tenentur patribus obedire, nec eſt per legem aliquam, ſcilicèt Moyſi, vel Evangelii revocata, ſed magis confirmata. Alia authoritas eſt politica, quæ eſt ſuper extraneos, & hæc poteſt eſſe juſta ex communi conſenſu, & electione ipſius Communitatis, ut talem authoritatem habens, condere poſſet legem, per quam dominia rerum diſtinguerentur; & hoc modo probabile eſt factum fuiſſe; Nam vel Noè poſt diluvium diſtinxit terras filiis ſuis, vel ipſi diviſerunt inter ſe; & lex aliqua promulgata eſt, vel à patre, vel ab aliquo ab eis electo in principem, vel à communitate, cui ſcilicèt electo communitas ipſa commiſit iſtam authoritatem terras diſtinguendi, vel occupandi, quæ lex fuit, aut potuit eſſe iſta, ſcilicèt, quod res tunc non occupata illius eſſet, qui prius eam occuparet, & tunc diſperſerunt ſe ſuper faciem terræ, & unus occupavit regionem unam, & alius aliam; *Hæc Scotus 4. diſ.15. quæſt.2. ar.1.*

Objicitur autèm, quia dicitur ab *Iſid. 4. Etym.* quod communis omnium poſſeſſio eſt naturalis.

Reſpondeo hoc pro tanto dicitur, quia ſecundùm jus naturale non eſt facta diſtinctio poſſeſſionum, ſed ſecundùm codicem humanum, quod pertinet ad jus poſitivum; Undè proprietas poſſeſſionum non eſt contra jus naturale, ſed ei ſuperadditur per adinventionem rationis humanæ. Secundum autèm *Alex. Aug.3. ti.1. c. de ordinatis ad proximum leg. naturali q 2. c.* notandum quod circa communitatem, & proprietàtem rerum, lex naturalis aliquid dictat, quia debitum; aliquid, quia bonum; aliquid, quia æquum; Quia debitum dictat, quod in neceſſitate omnia ſunt communia, & hoc modo rerum communicatio eſt ſub præcepto; quia verò bonum, dictabat in ſtatu naturæ benè inſtitutæ omnia eſſe communia; in ſtatù verò naturæ corruptæ dictat, quod bonum eſt aliqua eſſe propria; quia æquum, dictat aliqua eſſe inappropriabilia, ut aerem, mare littora; & quod aliqua, quæ ſunt appropriabilia, ſi nullius ſint hominis, occupanti concedantur; quod enim ſub nullius eſt dominio, conceditur occupanti: & dicit *Iſid.* quod naturalis eſt acquiſitio eorum, quæ terra, mariquè capiuntur, ut captio avium, & piſcium.

TITULUS II.

De Præſcriptione.

POſtea conſiderandum eſt, quomodo rerum dominia juſtè transferantur; Hæc autèm translatio fieri poteſt duplicitèr. Uno modo authoritate publica, ſcilicèt Principis, vel Regis. Alio modo authoritate privata ipſius Domini immediatè poſſidentis. Prima fit in præſcribendo, ſecunda in contrahendo, vel donando. Primò autèm conſiderandum eſt de primo, ſcilicèt, de præſcriptione, & primò quid eſt præſcriptio. Secundò quot, & quæ exiguntur ad præſcriptionem. Tertiò quot ſunt ſpecies præſcriptionis. Quartò, quæ res præſcribi poſſunt, & quæ non. Quintò quibus modis interrumpitur præſcriptio. Sextò quis ſit ejus effectus; ideo ſit

ARTICULUS I.

Quid ſit Præſcriptio?

CIrca primum ſciendum quod præſcriptio, vel uſucapio eſt *acquiſitio utilis dominii, vel directi per conſervationem poſſeſſionis temporis legis diffiniti, ideſt per ſpatium temporis à lege diffinitum.* Eſt autèm dominium directum illud, quod habet verus, & principalis Dominus rei. Vtile dominium eſt illud, quod habet ille, qui non eſt dominus, ſecundùm veritatem, ſed habet rei utilitatem, ac ſi eſſet dominus ejus, ut Vaſſallus, Fæudatarius, & hujuſmodi. Eſt autèm uſucapio propriè præſcriptio in immobilibus, ac etiàm in rebus incorporalibus, ut ſunt ſervitutes, actiones, & hujuſmodi, *extra de cauſa poſ. & propri. cum Eccleſia.*

ARTICVLVS II.

Quot, & quæ exiguntur in præſcriptione.

CIrca ſecundum ſciendum, quod in præſcriptione canonica quattuor requiruntur. Primum eſt bona fides, ſcilicèt, quod is, qui poſſidet rem, quam poſſidet, credat eſſe ſuam, vel credat tradentem eſſe dominum, vel habere jus diſtrahendi, licèt in facto erret. *ff. de verb. ſig. bonæ fidei*, & hæc bona fides ſemper præſumitur, niſi mala probetur, cum præſumatur ignorantia, niſi probetur ſcientia. *ff. de probat.*

veriùs

veritas. Dicitur etiàm bona fides, licèt erret in jure; *extra de jure p.cura paſtoralis.* Licèt ſecùs ſit de uſucapionibus *ff. de uſucap. l. nunquam* §.1. *ſecundum Goſ. Hoſt. verò, & Ber. intelliguntur c. cura*, quandò præſcribens errat in facto, ut quando Epiſcopus dedit ſine conſenſu capituli, & creditur, quod habuerit conſenſum capituli; licèt enim recipiens erret in facto, intelligitur tamen bonam fidem habere. Sed & ſecundùm ipſum *Hoſtien.* dicitur bona fides, licèt erret in jure, ſi vir dederit rem alienam uxori putanti donationem valere, ex qua donatione non ſit factus pauperior; Tunc enim uſucapiet uxor pro donato *ff. pro donat. L. ſi vir uxori*, niſi fortè antè uſucapionem completam, divortium fiat *ff. & pro donat. l.1.*

Si dicatur, quod error juris in uſucapionibus non prodeſt, ut dictum eſt. Reſpondet *Hoſtien.* quod ſpeciale eſt in hoc caſu, quod error juris proſit, cum nec alitèr bonam fidem haberet; Credit enim quod vir ſit dominus, & ſic errat in facto; & quod poſſit dare, & ſic errat in jure; & ideò cum ſit error mixtus, non nocet error juris *ff. eodem l. nunquam*. Dicitur etiàm quis habere bonam fidem, licèt habeat ſcientiam dubiam *ff. de uſur. & fruct. l. qui ſcit* § *Bonæ fidei.* Præſumitur autèm mala fides, ſi denuncietur emptori, quod non emat *C. de rei ven. ſi fundum per totum*; Vel ſi quis contra leges mercetur, ut patet *lib.11. eod. tit. de agricol. & colon. & cenſitis l. quemadmodum originarios in fine L. vel ſi emat a procuratore meo per colluſionem*; Vel ſi quis emat à luxurioſo, vel prodigo, cui alienatio bonorum interdicta eſt, cum ſciat eum pecuniam ſcorto daturam *ff pro emptore l. qui fundum* §. *Qui ſciens, & l. ſi quis*. Quandoquè tamèn habet quis conſcientiam rei alienæ, & tamèn uſucapit eam, ut ſi judicis decretum interveniat, *extra e c. 1.* Sciendùm autèm, quod non obeſt accipienti mala fides tradentis *ar. extra C. de quarta*. Quod eſt verùm in præſcriptione triginta, vel quadraginta annorum, dummodo nolit poſſeſſor uti acceſſione temporis illius, ſcilicèt tradentis, & hoc ſi recipiens ignorabat illum malam fidem habuiſſe *ff. de acquir. poſ. Pomponius* §. *Cum quis*; Undè non obſtat *e. de præſcript. 10. vel 20. annorum in aut. ſi fraude, & dolo l. malæ fidei*, quia intelligitur de præſcriptione decem, vel viginti annorum, in qua ex utraque parte requiritur bona fides; probantur hæc omnia *extra c. ſi diligenti in Gloſſ. per totum*.

Ad hoc nota, quod exigitur bona fides ementis nomine ſuo, ſi verò quis emat nomine alterius, ut procurator vel ſervus nomine Domini, diſtingue ſecundum *Hoſtien.* de ſervo, ſcilicèt, quod aut emit nomine peculiari, & tunc ſivè cum mandato Domini, ſive ſui ſcientia, ſive ignorantia; ignorantia Servi, non Domini inſpicitur, niſi fortè Domino præſente, & non contradicente emerit: Tunc enim ſcientia Domini in præjudicium inſpicitur: Si tamèn præſens contradicere non poſſet, ei non obeſſet: aut emit nomine tantum Domini, & ejus mandato, & tunc aut mandatum recipit de incerto, & tunc idem eſt quod ſupra, & ſi ſine mandato emat Domino ſervum vitioſum; aut mandavit de certo, & tunc inſpicitur ſcientia Domini, & non Servi; & idem dicendum eſt de uſucapionibus; & ſicut eſt dictum de Servo, ita etiam diſtinguendum eſt de filiofamilias ſecundum *Azonem*. Quandò autèm quis emit, ut procurator, vel nuncius, ſcientia, vel ignorantia Domini tantùm eſt ſpectanda.

Itèm notat *Hoſtien.* quod in uſucapionibus requiritur tempus traditionis, non tempus contractus, ut in emptione bona fides. Putà, credo me debere tibi decem libras ex ſtipulatione do tibi equum alienum, quem poſſideo in ſolutionem pro his decem libris, utique uſucapies hunc equum *ff. eod. l.1.* & ſic juſtus error dat titulum uſucapionis; Secùs eſt de emptione, ſi enim ex cauſa emptionis putem me tibi teneri ad traditionem equi, & ideo trado, non habet locum uſucapio pro empto, quia emptio non præceſſit, neque perſolutum ex cauſa emptionis credatur. Diverſitatis hujus ratio eſt, quia in cæteris cauſis tempus ſolutionis inſpicitur, non enim refert cum ſtipulor, utrùm illud quod ſtipulor, ſciam alienum eſſe, vel non, ſed ſufficit, quod putem eſſe tuum, cùm ſolveris. In emptione autem inſpicitur tempus contractus, & ſolutionis. *ff. pro emp. l.2.* §. *1. in fin.*

Secundum autèm quod requiritur in præſcriptione eſt juſtus titulus *extra e. ſi diligenti*. Et dicitur hic titulus cauſa poſſidendi, ut donatio, emptio, & hujuſmodi: Exigitur autem cauſa vera, non legitima ſecundum *Goſ.* quia ſi legitima foret, locum præſcriptio non haberet, quia eadem res ex duabus cauſis acquiri non poſſet. *extra de ſi. inſtruct. inter dilectos* §. *Cæterum memorati in fin* Verbi gratia. In donatione, quæ fit ab Epiſcopo ſinè conſenſu Capituli, verus titulus, non tamèn legitimus, nec ſufficiens præſtat cauſam poſſidendi, & præſcribendi, & ſecundùm hoc intelligi poteſt illud *extra eod. de quarta*; Sic & titulus erroneus præſtat cauſam præſcribendi *ff. pro ſuo l. fin.* ſecundùm *Goſ.* Vndè non requiritur, quod ſit juſtus titulus talis, qui tribuat dominium *extra eod. veniens*. Sed titulus aliqualis dat cauſam præſcribendi, ut *extra e. ſi diligenti in Gloſ.* ubi dicitur, quod titulus pro tanto dicitur juſtus, quia dat cauſam præſcribendi, licèt in veritate non ſit juſtus, quia tùnc non eſſet præſcriptio neceſſaria; Vndè minus juſtus titulus dat cauſam præſcribendi, ſi adſit bona fides, ſcilicèt, ut credat titulum ſufficere.

Sed numquid neceſſe eſt titulum allegare, & probare?

Reſpondeo circa hoc fuere plures opiniones, ſed tene, quod notaverunt *Bern. & moderni in cap. ſi diligenti*, quorum opinio approbatur *lib.6. extra e. Epiſcopum*, ubi dicitur in præſcri-

ſcriptione ſufficit bona fides, ubi jus commune, vel præſumptio non eſt contra præſcribentem, aliàs oportet, idest neceſſe eſt titulum allegare, & probare, niſi ſit tanti temporis præſcriptio, cujus contrarii memoria non exiſtat, ut ibidèm. Et adverte ſecundùm *Jo. Ang. ibidem*, quod aliud eſt eſſe contra jus commune, aliud contra jus privatum. Non enim eſt contra jus commune, quod aliquis in fundo meo ſervitutem acquirat, ſed potiùs eſt prætèr jus commune, eſt autem contra jus meum. Imputetur ergò mihi, ſi negligens fui *extra e. vigilanti*. Ubi ergo petitor fundat intentionem ſuam ſuper jus commune præſcribens,habet titulum probare, alitèr non, niſi præſumptio habeatur contra eum.

Sed quomodo probatur præſcriptio tanti temporis?

Reſpondeo,ſecundum *Hoſti. extra de verb. ſignif.* quod per novale probabitur per teſtes,qui dicent ſe habere talem conſcientiam, quod ſemper viderunt, & audierunt ita eſſe, nec unquam contrarium, & quod communis eſt, & ſemper fuit opinio, quod ſic fuerit. Si autem adverſarius contra hoc probare velit, teſtes ejus dicere debent, talem ſe habere conſcientiam, quod tali tempore contrarium à talibus viderunt, vel audierunt.

Quid ergo ſi pars utraque probat?

Reſpondeo,præferentur teſtes magis idonei, & qui dicunt aptiora; *extra de Teſti. in noſtra*, ubi de hoc; & ſic dicentes ſe vidiſſe contrarium, præferri deberent, cum alii ſatagant negativam *6. q. ſi. actor.per totum*.

Quid ſi adverſarius vellet probare præſcribentem nullo titulo poſſediſſe, ſed potiùs per violentiam, & ſic mala fide ab initio, numquid debet audiri?

Reſpondet *Bern. extra e.* quod ſic; quia iſte poſteà præſcribere non potuit, *extra e. vigilanti*, *& in c. 1.*

Tertium, quod requiritur, eſt continuatio poſſeſſionis, ſcilicèt, quod res ſit poſſeſſa continuò uſque ad finem præſcriptionis ſinè interruptione *extra e. illud. circa medium*, ſcilicèt, *§. verum ſi*. Ergo ſi poſſeſſio interrumpatur, prima tempora continuare non poſſunt cum ſequentibus, imo requiritur ſpatium triginta annorum, ſi præſcriptor poſtea nanciſcatur poſſeſſionem, vel quadraginta annis poſteà præſcribitur. Item niſi in illo caſu, quandò poſſeſſor recuperat, ſit bonæ fidei, tunc enim fortè ſtatuto tempore præſcriberet *c. de præſcrip. 30. anno. l. ſi.* Quandòque tamèn etſi poſſeſſio non ſit continua, perficitur præſcriptio inchoata etiàm à defuncto, perficitur vacante hæreditate, & tamen poſſeſſio non eſt in hæreditate *ff. de uſucap. l. nunquam*. Et intellige, quod præſcribens non tenetur probare continuationem poſſeſſionis, quia hoc eſſet impoſſibile, ſed ſufficit, quod probet ſe poſſediſſe in temporis principio, medio, & fine *C. ne de ſtatu defun. l. ſi mater ad ſi.*

Quartum eſt, quod res non ſit vitioſa. Res autèm dicitur vitioſa, ſi ſit furtiva, vel vi poſſeſſa, quam non tantùm fur vel raptor, ſed nec aliquis alius, licèt ab eis emerit, vel alitèr bona fide habuerit, præſcribere, vel uſucapere poteſt *inſti. e. § furtivè.per totum*.

Itèm præter prædicta ſecundùm *Hoſtien.* requiritur in uſucapione rei traditio, vel quaſi. Puta præſumitur tradita proptèr patientiam, & ſcientiam, & hujuſmodi, quia nec ſinè poſſeſſione, quæ non acquiritur ſine traditione, vel quaſi, uſucapio procedit *ff e. ſine poſſeſſione per totum*. Requiritur etiàm quod diſtrahens, & tradens habeat bonam fidem; ſi enim malæ fidei poſſeſſor alienaverit rem alienam Domino ejus ignorante, ſpectatur præſcriptio triginta annorum: Si autèm eo ſciente, imputetur ei, ſi infra ſua tempora litem non fuerit conteſtatus.

ARTICULUS III.

Quot ſint ſpecies præſcriptionis?

Sequitur videre de tertio, ſcilicèt de ſpeciebus præſcriptionis. Hæ autem ſunt duæ, quantum ad materiam præſentem. Una eſt longi temporis, ut decem annorum intèr præſentes, qui ſcilicèt ſunt in eadem provincia, vel viginti annorum inter abſentes, ſcilicèt, qui ſunt in diverſis provinciis. Altera eſt longiſſima, ut triginta, vel quadraginta annorum, & utraque ſcilicèt prima, & ſecunda præſcriptio habet locum contra laicos, & perſonas privatas, *ut 16. q. 3. § poteſt*. Hodie enim ut dictum eſt ſupra malæ fidei poſſeſſore alienante rem, ignorante rei Domino ſpectatur præſcriptio triginta annorum. Ipſo autèm domino ſciente, ſi non fuit litem conteſtatus, ſufficiunt decem anni intèr præſentes, & viginti inter abſentes, *ut in aut. ut ſpon. largi. §. rurſus per totum col 9.*

Nec hoc credit *Hoſtien.* correctum eſſe per concilium *extra e. quantum*.

Sed quid,ſi præſcripſi rem tuam te præſente per quinque annos,& deinde te abſente pro quandoque, numquid præſcriptio eſt completa?

Reſpondeo, quod non, ſed ſicut duplicatur decennium, ubi nullo tempore fuiſti præſens, ſic de decennio quicquid te abſente tranſiit, duplicari debet, *ut in di. aut. C. de præſcrip. per totum*. Contra autem omnes Eccleſias neceſſaria eſt præſcriptio quadraginta annorum, ſivè perſona privata contra Eccleſiam præſcribat, ſive una Eccleſia contra aliam *extra e. illud in prin.* Contra tamèn Epiſcopum negligentem convertere plebem ſuam ad fidem poſt ſex menſes computando à tempore monitionis ſibi factæ à vicinis Epiſcopis præſcribit per tres annos, & ſex menſes computando à tempore monitionis ſibi factę, vacat ei, qui convertit eam, ſcilicèt, ut habeat ipſam *extra e. c. 1. in tex. & in Gloſ.* Item contra Eccleſiam Romanam eſt neceſſaria præſcriptio centum annorum *extra e. cum nobis in prin.* Vſucapio verò completur triennio *extra e. c. 1.*

r. c. 1. in prin. etiam in rebus Eccleſiaſticis mobilibus ſecundùm *Hoſtien.* & *Goſ. 16. q. 3. §. quas actiones*. Quidam tamèn dixerunt, quod non impletur in hujuſmodi rebus triennio, ſed quadriennio, ſicut in rebus Fiſci, *ut inſti. e. §. res fiſci*. Hoc autèm triennium perficitur, cum ad aliquam horam diei ultimæ pervenitur *ff. e. l. in uſucapionibus*. Inſupèr nota, quod privatus ipſo jure, vel per ſententiam hominis, quæ tenet à Romana Eccleſia, vel alia, non præſcribit illam minori ſpatio centum annorum contra Romanam Eccleſiam, vel quadraginta contra alias. Catholici verò, qui bona fide poſſederunt quadraginta annis bona hæreticorum, poſt mortem ipſorum, qui quidèm catholici putabantur ſupèr illis bonis ab Eccleſia Romana, vel alia, non poſſunt moleſtari. *li. 6. e. ſi quæ*.

ARTICULUS IV.

Quæ res poſſunt præſcribi, & quæ non?

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt quæ res præſcribi poſſunt, & quæ non. Circa quod ſciendum, quod generalitèr omnes res præſcribi poſſunt, omne jus, omnis actio; *extra e. ad aures in fi.* Excipiuntur tamen quædam, quæ nullo tempore poſſunt præſcribi, ut Eccleſiæ in criminibus, nullo tempore præſcribuntur; ſed potius ex temporis diuturnitate augentur *extra de Symo. cum in Eccleſia corpore*. Itèm non præſcribitur contra obedientiam, viſitationem, & procurationem, quæ debentur ratione viſitationis *extra e. de preſcriptionibus cum non liceat*, & *c. cum ex officii*.

Sed contra *extra e. auditis*, & *de capel. mo. c. 2.* & *de privile. cum olim propter*. & *de excep. cum venerabilis* in omnibus illis innuitur: quod contra ſubjectionem, & obedientiam præſcribitur.

Reſpondet ad hoc *Goſ*, quod ſubjectus per ſe tantùm non præſcribit, ſcilicèt libertatem contra ſubjectionem, ſed etſi privilegium libertatis concedatur, in ipſo caveri poteſt, quod hujuſmodi privilegium revocetur *extra de deci. dilecti*. Hoc tamèn jus implorandi poteſt à ſubdito præſcribi; ad quod accedit *C. de fundo patri. l. fi. quæ lex Federici incipit: Jubemus omnes. lib. 11.* Vel ſubditus contra obedientiam præſcribit non nomine ſuo, ſed ejus, cui ſe obedientiam tanto tempore præſtitiſſe allegat, ut præſcriptio ſit inducta. Sic videtur loqui *c. cum olim c. præallegato*. Poteſt etiam ſubditus per ſe præſcribere aliquod, quod pertinet ad Prælatum ſuum, *ut extra e. de quarta*, & *jure patro. cura*. Itèm Eccleſiæ, & etiàm loca religioſa, nec non decimæ, primitiæ, & oblationes non poſſunt à laicis præſcribi, quia nec poſſideri *extra e. ſi diligenti*.

Itèm non poteſt præſcribi limes, vel quod adhæret limiti Epiſcopatuum, Provinciarum, vel Parochiarum *16. q. 3. licet in regulis*, & *c. ſe. inter memoratos*, & *extra de Parech. ſuper* *Thom. I.* *eo*. Ratio eſt ne termini Provinciarum, Epiſcopatuum, vel Parochiarum confundentur.

Itèm nec liber homo pro ſervo poſſeſſus poteſt præſcribi *16. q. 3. §. poteſt*. Nec publicæ functiones agrorum, ideſt penſiones à Colono præſcribuntur, ut ibidem. Nec colonus præſcribit fundum, quem colit *c. de preſcrip. triginta, vel quadraginta annorum l. malè agitur. per totum* Nec via publica amittitur, non utendo *ff. dè via publi. viam. per totum*. Nec aqueductus *C. de aqueductu diligenter li 11.* Nec quędam inſignia Eccleſiæ Romanæ *diſ. 93. illud per totum*, *de his verò extra e. cum non liceat*.

ARTICVLVS V.

Quibus modis interrumpitur præſcriptio?

SEquitur videre de quinto, ſcilicèt quibus modis interrumpitur præſcriptio. Circa quod ſciendum, quod interrumpitur dupliciter, ſcilicèt naturalitèr, & civilitèr. Naturaliter interrumpitur per aquę inundationem, per violentam à quocumque factam dejectionem, & ſi res ſit furto ſublata *ff. e de uſucapio. naturalitèr per totum*. Item ſi habitam dimiſerit poſſeſſionem, vel aliquo modò amiſerit *ff. de ſervi. videtur præ. ſi ædes meæ ſerviant*. Civilitèr interrumpitur in judicio, & extra judicium. In judicio per libellum principi oblatum, quin imò per ſolam precum oblationem, & ad eas reſcriptionem. Et hoc valet in annalibus, & prætoriis actionibus, quæ per hoc perpetuantur, ſcilicet quoad interrumpendam quaſi præſcriptionem *C. quando libellus princi. datus litis conte. fa. l. 1.* & *l. 2.* Itèm per quærelam Judici factam, & rei conventionem ſecutam, & hoc valet in omnibus actionibus *c. de præſcrip. triginta annorum, ſicut in rem*.

Itèm per litis conteſtationem, & hoc etiam in omnibus valet, *ut ibidem l. fi.* Itèm per quaſi litis conteſtationem, ut per denunciationem factam Colono in judicium vocato, *extra ut li. non conte. quantùm ad fi* Extra judicium etiam multiplicitèr, ſcilicèt per ſolutionem uſurarum, & per cautionem ſecundam à debitore facta n *C. de præſcrip 30. an. cum notiſſimi*. Itèm per proteſtationem factam coràm judice ordinario, vel coràm publicis, & honeſtis perſonis, cum ſcilicèt impeditus cauſa aliqua procedere non poteſt; *extra de appel. ſi juſtus c. fi.* Itèm per denunciationem factam colono *extra ut li. non conte. quantùm*, ut quando citatur coràm judice pro re, quam poſſidet nomine alieno. Itèm per proclamationem ſynodalem, id eſt in ſynodo factam, ut cum aliquis Presbyter clamat, quod alius presbyter tenet rem Eccleſiæ ſuæ. Et idem eſt ſi in concilio provinciali, vel generali *extra e. de præſcrip. Sanctorum*. & de his ferè omnibus notatur *extra e. illud*.

Secundum autèm quod ſunt quædam tempora, in quibus præſcriptio non interrumpitur, ſed

ſed quieſcit, ſivè dormit. Primò tempore Prælati malè alienantis, ſcilicèt quoad rem alienatam malè, ſcilicèt quamdiù vivit, & tenet Eccleſiam 16. q 3. *ſi Sacerdotes*. Secundò tempore vacationis Eccleſiæ. Tertiò quamdiù Presbyter Eccleſiæ eſt hæreticus *extra e. c.1.* . Quartò tempore ſchiſmatis *extra e. cum nobis*. Quintò tempore excommunicationis; Excommunicatus enim non poteſt agere ad interrumpendam præſcriptionem, quæ currebat contra eum. In tempore ergò excommunicationis non currit pręſcriptio, quod intelligit *Ray.* ſi excommunicatus non ſit negligens petere abſolutionem; & idem eſt de ſuſpenſo. Sextò, tempore pupillaris ætatis *C. in quibus cauſis non eſt neceſſaria in integ. reſt. l. ſi.* Septimò tempore, quo quis juſta cauſa impeditus, agere non poteſt; & iſte caſus eſt generalis *extra de appel. ex ratione*. Octavò tempore patriæ poteſtatis; Hoc enim impedit ne filiofamilias præſcriptio currat *C. de bo. quæ libe. in pote. conſti. l. quæcumque ad ſi.* & hoc eſt verum de adventitiis. *Hæc Ray.* Nonò non currit præſcriptio in dote mulieris, non ſoluto matrimonio, vel vergente viro ad inopiam *C. de jure dotium, in auth. in rebus*. Decimò non currit præſcriptio debitori, niſi adveniente die, vel exiſtente debiti conditione. Undè ſi promiſi creditori centum libras, ſi navis mea venerit, non currit præſcriptio contra eum, quouſque venerit navis. Similitèr ſi credidiſti mihi centum libras uſque ad decem annos, non incipit currere contra te præſcriptio, niſi completis illis decem annis *C. de præſcrip. 30. anno. cum notiſſimi*. Undecimò tempore abſentiæ, ut ſi is contra quem præſcribitur, ſit profectus in terræ ſanctæ ſubſidium, vel Eccleſiæ, ſubducitur de tempore præſcriptionis tantùm tempus, quantùm fuit in ejus abſentia lapſum *ut ff. quibus ex cauſis ma. 25. l. videlicèt*. Alii verò dicunt tunc ſolùm debere deduci tempus abſentiæ, cum in ejus abſentia, vel parùm poſt ejus reditum, pręſcriptio eſt completa, & hæc accipiunt *ff. ex quibus cau. ma. 25. ab hoſtibus*. Prima Sententia videtur magis placere *Goff.*, ſed prima eſt æquior. Secunda ſecurior ſecundùm leges; de caſibus prædictis notatur *li.6. e. cum liceat in Gloſ. ſi.*

Quid de debitis annuis, vel inſtrumentariis, vel cujuslibet alterius temporis ſingularis, & quod ſecundùm leges præſcriptio currit non ab exordio obligationis, ſed à principio cujuslibet anni, vel menſis, vel alterius temporis? *ut in l. præalleg. cum notiſſimi*. Quod intelligitur ſecundùm *Mar. & Placen.* ſcilicèt, quod oportet eſſe tot præſcriptiones, quot dicuntur eſſe ſolutiones, quibus dicta lex favere videtur. Bulgarus verò intelligit, quod ibi debet eſſe tantùm una pręſcriptio, ſcilicet triginta annorum computando à principio cujuslibet temporis, quo ſolutio fieri debebat, ſed ceſſatum eſt in ſolutione *C. de uſucap. pro emptore eum qui*. Quidam verò diſtinguunt, quod ſi nominentur anni, ut anni bini, vel trini, tot erunt ſtipulationes, quot anni, & tunc habet locum Sententia prima. Si verò dicat generaliter, puta ſingulis annis erit una ſtipulatio; & tunc locum habet Sententia ſecunda. *Jo.* verò, & *Azo* diſtinguunt inter legata, & promiſſa; In legatis enim, quia tot ſunt actiones, quot debita, tot eadem ratione oportet currere præſcriptiones, ideò tale legatum non utendo poteſt amitti, & in his eſt vera ſententia prima. In ſtipulationibus autem eſt vera ſententia ſecunda. Secundùm verò *Hoſtien.* prima eſt æquior, & major, quoad jus canonicum.

ARTICVLVS VI.

De Effectu præſcriptionis.

SEquitur videre de ſexto, ſcilicèt de effectu præſcriptionis. Circa quod ſciendum, quod ſecundùm *Goſ.* ex præſcriptione tam longi temporis; quàm longiſſimi acquiritur exceptio contra Dominum rei, vel venditorem, cui res fuit obligata *C. de præſcrip. 30. vel 40. an. ſi quis empti in princi.* Et cum exceptio ſit actionis excluſio *ff. de excep. l.2.* patet, quod directum dominium remanet apud veterem dominum. Undè & rem vindicare poteſt à quolibet poſſeſſore, præter quam à præſcriptore, vel ab illo, qui poſſidet ab eo. Præſcriptor autem habet utile dominium *C. de bonis maternis l.1.* Undè habet utilem rei vindicationem etiàm contra dominum veterem, cum ſecundum leges præſcriptionis dominium mutetur *ff. de uſucapi. eum, qui edes*. Nec mireris ſi per uſucapionem acquiritur dominium directum rerum mobilium, & per præſcriptionem utile immobilium, quia mobilia faciliùs tranſeunt, & mutantur, quàm immobilia, ut patet de ipſo nomine, & patet *ff. de acqui. poſ. ſi rem mobilem*.

Si quæratur, quare per pręſcriptionem tollatur actio hypotecaria, ut *in l. præalleg. ſi quis*, & non per uſucapionem triennii? *ff. de pigno. l.1. §. Cum prædium*.

Reſpondeo, quia per pręſcriptionem acquiritur exceptio, quę excludit omnem actionem *extra e. ad aures in fine*; ſed per uſucapionem triennii acquiritur ſolum dominium. Intentio autèm pignoris ab intentione dominii ſeparatur ut in *§ preal. cum prædium* ſecundùm *Jo. & Azo.* Sed ſecundùm *Hoſtien.* etiàm per uſucapionem acquiritur exceptio, quia cui datur actio, multo fortius exceptio *C. de proba. ſivè poſſidetis*. Dabitur ergò ratione uſucapionis, & pręſcriptionis legitimę actio, ſi non poſſideat, & exceptio, ſi poſſideat, ſicut ait *Mar.* & probatur in *l quam pro ſe adducunt C. de præſcrip. 30. vel 40. anno. ſi quis l. emptionis*.

Quarè ergò aliud eſt in uſucapionibus, & aliud in pręſcriptionibus?

Reſpondet prolixius tempus hoc facit: Hęc *Tho.* Ex prędictis patet, quod in pręſcriptione neceſſaria eſt continua bona fides, ita quod in

nulla

nulla parte temporis prę́ſcriptionis prę́ſcribens, conſcientiam habeat rei alienæ *extra e. c. fi. in fi.* & ità abrogatę ſunt omnes leges, quę admittunt prę́ſcriptionem cum mala fide, & continua, ſcilicèt quoad principium, medium, & finem totius temporis prę́ſcriptionis. In longinqua tamèn prę́ſcriptione requiritur etiàm ſecundùm leges bona fides in principio, licèt non in medio, vel in fine 16. *q. 3. præſcriptionum alię* Nec mirum, quia Eccleſia, & jura, & alia ſęcularia trahere poteſt indirectè ad forum ſuum ratione poteſtatis, cujus judicium ſecundùm corpus, & animam pertinet ad ipſam *extra de judi. novit.* Lex etiàm dicit, quod ſacrę leges non dedignantur ſacros canones imitari, de hoc nota *extra e. c. fi. in Gloſ. 2. ſuper illo verbo: quam civilis.*

Sed quid ſi tempore prę́ſcriptionis habuit conſcientiam leſam, & poſteà incipiat habere non leſam, numquid proptèr hoc eſt prę́ſcriptio interrupta?

Reſpondeo ſecundùm *Ber. extra e. c. fi. in Gloſ. 4. & Inno. ſupèr idem c.* Non videtur, quia fuit erronea, undè eam deponere debet. Sed ſecundùm *Hoſtien.* ei contradicit expreſsè *extra e. c. fi ubi in nulla temporis parte*, & etiàm *c. penul. ad fi. Ibi. Si verò nondum &c.* Ut enim ibi probatur, & in pręcedentibus, ſi quis prę́ſcripſerit, non obeſt poſtea mala fides, ſed contrarius actus; ſi verò eſt in prę́ſcribendo, ſuperveniente mala fide prę́ſcribere non poteſt. Nec dici poteſt fuiſſe erronea, quia aut petens probavit ſe dominum, & ſic non errabat in hoc, quod putabat rem alienam, aut non probabat, & ſic non eſt neceſſaria probatio prę́ſcriptionis *C. de rei ven. l. fi.* & ſic videtur, quod hęc interruptio ſit naturalis, quia omnibus prodeſt, ut etiàm plenè innuitur 34. *q. 2. Si virgo neſciens.*

Sed quid ſi dubitet an res ſit ſua, & habet juſtam cauſam dubitationis?

Reſpondet *Ber. & Hoſt. in d. Gloſ.* quod dicitur bonę fidei poſſeſſor, & utetur fructibus, & prę́ſcribit in hoc caſu, licèt habeat conſcientiam dubiam, quia neſcit adhùc, àn ſit aliena; inquirere tamèn debet de re illa ab aliis, ut ſic perveniat ad veritatem *ar. 23. q. 8. occidit Fineer, & etiàm in textu in fi.*

Quid ſi Prę́latus conſcientiam habeat rei alienę, & Eccleſia habeat bonam fidem?

Reſpondet *Ber. in Gloſ. prædicta* quod domino rei ſignificabit, ut petat, & ſic conſcientiam purgabit. Qui ſi veniat, & petat in judicio, tenetur Prę́latus defendere Eccleſiam, ſed non oberit Eccleſię confeſſio ejus, niſi de facto ſuo ageretur. *Hoſtien.* verò dicit, quod cautè faciat, ſi conſilium habeat capituli ſui, & aliorum proborum, & qui melius noverint veritatem; & ſi invenerit, quod res ſit aliena, non ſua, reſtituat eam. Si verò Prę́latus habeat conſcientiam leſam, capitulum autèm bonam, dicat Prę́latus: Defendatis vos, quantò melius poteſtis 16. *q. 7. filiis, vel nepotibus.*

Ad hoc nota ſecundùm quod tradit *Hoſtien.* Sicut enim mala fide non prę́ſcribuntur res, ita nec actiones reales; ſi enim Dominus remaneo, non obſtante prę́ſcriptione cum mala fide, ergò & ipſam rem potero vindicare *ff. de rei ven. res alienas.* Secùs eſt de perſonalibus actionibus. Undè quoad eas non derogatur legibus antiquis, nàm & jus canonicum *extra eo. vigilanti. & c. quantum omnem & 34. q. 2. ſi Virgo* tantùm in realibus locum habeat. Hoc ex eorum lectione patet, in his enim conſiderat jus canonicum malam fidem poſſidentis rem contra conſcientiam, & non negligentiam non petentis, quam leges conſiderant non curantes de peccato, ut innuitur *extra e. vigilanti circa medium*, & ideò proptèr animæ periculum non prę́ſcribit aliquis cum mala fide in realibus. In perſonalibus verò conſiderari non poteſt mala fides circa rem poſſeſſam, cum nulla poſſideatur, ſed potius eſt conſideranda negligentia non agentis; nec enim mortalitèr pecco, ſi tibi non ſolvo, dummodò non teneam te invito; maximè ſi ignoro; Nàm nullus regularitèr alicui obligatur, niſi conſentiat. Undè ſi vendis mihi rem decèm libris, vel mutuas mihi decèm libras, de voluntate tua habeo eas, & de facili poſſum obliviſci, quod eas debeam tibi; & etiàm ſi recordor, prę́ſumere poſſum, quod ſi non petis, vis donare, vel gratiam temporis facere, ergo non pecco, nec malam fidem habeo. Etſi petas, & ego ſolvere nolim, licèt per metum non me voces in judicium, in perpetuum prę́ſcribo, & ſic ęquum eſt in omni caſu conſiderare bonam fidem *C. de act. & obli. bonam fidem. per totum. Hæc Hoſtien.*

Pone, quod prę́ſcriptum ſit canonicè, & poſteà prę́ſcriptor incipiat habere conſcientiam rei alienę, numquid tenetur reſtituere?

Videtur quod ſic, quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum 14. *q 6. ſi res* & nullo jure ſe defendit 34. *q. 2. ſi Virgo.*

Sed contrarium videtur, quia præſcriptione completa tutus eſt præſcriptor ſecundùm jus utrumq; *extra e. de quarta c. ad aures. & 16. q. 3. c. 2. & 3.* ergò poſſidet jure, & ſi jure, juſtè; & ſi juſtè benè, ergò jam non poſſidet alienum, ſed ſuum, ergo retinendo illud non peccat 14. *q. 4. quid dicam* Qui enim peccat legis authoritate, non peccat 23. *qui peccat in princi.* Jure enim humano hoc eſt meum, & hoc eſt tuum *di. 8. quo jure.* Præterea conditor legis, & canonis poteſt dare rem alienam, & ſi donat, tutus ſum *ff. de evict. Lucius* potuit ergò ſtatuere, quod qui per quadraginta annos rem alienam poſſideret, ejus fieret.

Reſpondeo circa hoc diverſi diverſimodè ſentiunt. Multi enim Theologi dicunt, quod talis reſtituere tenetur propter rationes primas, & ſimiles. Doctores verò juris ferè omnes dicunt, quod non tenetur. Hoc idem ſentit *Jo. Sco. 4. diſ. 15. q. 2. ar. 1.* Iſti fulciunt opinionem ſuam juribus, ſcilicèt ſecundò allegatis, & ſimilibus. Fulciebat etiàm idem *Jo.* rationibus, & una ſumitur

mitur ex parte pacificę converſationis; lator enim legis juſtè ſtatuere poteſt illud, quod eſt neceſſarium ad pacificam converſationem. Sed dominium rei neglectę, ſicùt negligitur in prę-ſcriptione, & uſucapione transferri in occupantem eſt hujuſmodi, quia aliàs lites eſſent immortales, & dominia rerum eſſent incerta, & confuſa, & ex hoc ſequi poſſent multa mala, ergo &c. & ratio tangitur 16. *q.2. §.poteſt & extra e. vigilanti*. Secunda ratio ſumitur ex parte juſtę punitionis; Poteſt enim lator legis juſtè punire transgreſſionem, quę vergit in perturbationem pacis ſubditorum, ſed talis transgreſſio eſt negligere tanto tempore rem ſuam, ergo &c. Tertia ratio eſt congruitatis, ſcilicèt bona fides poſſeſſoris. Si ergò Papa, & Imperator, quibus Deus regnum mundi commiſit *di.* 10. *quantùm* hoc ſtatuerunt pro utilitate Reipublicę, quis audeat contradicere. Propter hęc, & ſimilia dicit, quod talis reſtituere non tenetur, & jura primò inducta intelliguntur antè pręſcriptionem completam, nàm poſt pręſcriptionem legitimè completam res jàm non eſt aliena, ſed eſt ſua *ut in c. quid dicam, & c. quo jure*. Alanus verò diſtinguit, quià poſſeſſor, aut habuit rem ex cauſa lucrativa, & tunc tenetur *ar. ff. de his, quæ in fraudem Cred. l. qui autèm §. ſi quid cum pupillo*, aut ex cauſa non lucrativa, & tùnc non tenetur *ar. 14. q.1. quod debetur*. Sed hęc opinio ſecundum *Hoſtien.* reprobatur *C. de præſcrip. lon. tem. in l. pa. & extra de dona. Apoſtolicæ reſponſo. 1. ad finem*. *Ray.* verò diſtinguit, quia talis poſſeſſor, aut habet conſcientiam remordentem, ſcilicèt, quod non poſſit rem pręſcriptam ſinè peccato mortali retinere, aut non; ſi ſic, reſtituat eam, quia qui facit contra conſcientiam etiàm erroneam, ędificat ad gehennam 11. *q. 3. cui eſt illata*. Si non habet conſcientiam conſulit, quod reſtituat eam ſaltèm proptèr ambiguum duplicitatis, ſcilicèt ne cupiditas excęcaverit eum; quod ſi nolit reſtituere, non diffinitur prę-cisè eum in ſtatu ſalutis, vel damnationis eſſe perpetuę. *Goſ.* verò dicit, quod facere ſecundùm primam opinionem eſt conſilium, & arbitrarium, non neceſſarium; & facere ſecundùm ſecundam non eſt malum. *De hac q. extra e. vigilanti in Gloſ.*

Quid conſulendum eſt ei, qui antè pręſcriptionem completam percipit eum, à quo emit dominum non fuiſſe, nec jus vendendi habuiſſe, numquid & rem, & prętium perdet?

Reſpondet *Ray.*, quod vel denunciet domino, ut petat rem ab eo in judicio, vel perſonam aliquam ſupponat, quę nomine domini, petat, & ita res ab eo per ſententiam evincatur *ff. de neg. geſ. l. at. quin natura §. cum me abſente*. Prius tamèn, quàm ſententia legatur denunciet venditori, quod res evincitur ab eo *ff. de evic. ſi rem §. ult.* Et poſteà ſi ipſe, qui emit non fuerit abſens tempore ſententię promulgatę, nec contra jus ſententia lata fuerit, pretium à venditore repetere poterit. Alitèr nunquam poſſet *ff. de evic. ſi rem §. 1. & extra de emp. & ven. ſi creditori*.

Nec obſtat, quod dicitur *ff. de neg. geſ. at qui natura §. cum me abſente*, ſcilicèt, quod ei petenti pro domino debet exceptionem objicere procuratoriam, ſcilicèt dicendo, quod non eſt procurator, vel aliam ſimilem. Quia benè poteſt objicere exceptionem dilatoriam judicii, qualis eſt hęc, licèt non dilatoriam ſolutionis *ff. man. ſi fidejuſſor*.

Sed quomodò jurabit iſte de calumnia, cum ipſe ſciat ſe poſſidere mala fide?

Reſpondet *Ray.* quod ſub hac forma: Juro, quod veni ad litigandum cauſa juris mei conſervandi *ff. de bonis li. ſi quis libertum*. Vel poteſt ſimplicitèr confiteri, quod res non eſt ſua; nec contra venditionem præjudicabit ſibi, quia tenetur parcere ſuo pudori, quod non faceret, ſi ſciens verum negaret *ff. man. l. quintus*.

TITVLVS III.

De Contractibus in communi.

DEindè conſiderandum eſt de contractu. & primò in communi. Secundò in ſpeciali. Quia verò in contractibus contrahuntur obligationes, & hæ aliquando non tenent, niſi apponantur renunciationes, & iterùm in contractibus interveniunt pactiones, ideò ad pleniorem inſtructionem. Primò dicendum eſt de ipſis contractibus in communi. Secundo de obligationibus. Tertiò de renunciationibus. Quartò de pactis, de quibus omnibus compendiosè dicentur plurima ſine jurium allegationibus tranſeundo cauſa brevitatis. Circa primùm videndum eſt primò, quid ſit contractus. Secundò de diviſione contractuum. Tertiò de contractibus inutilibus ratione perſonarum. Quartò de contractibus inutilibus ratione rerum. Et hæc quatuor ad expeditionem faciliorem, & breviorem ponentur, ſecundum quod in ſumma Rolandina continentur, & ea, quæ de his dicentur, ferè omnia probari poſſent *per inſti: de inuti. ſtip.* Ideò ſit

ARTICVLVS I.

Quid ſit contractus.

QUantum ad primum igitur dicendum, quod contractus eſt propriè undè ultrò citròque, ideſt hinc inde oritur obligatio. *Propriè* dicitur ibi ad differentiam contractus impropriè, vel etiàm magis impropriè dicti. In contractù enim propriè dicto pars utraque mutuo obligatur, ut in emptione, & venditione, in locatione, & conductione, & in arrharum datione, ut infra patebit de ſingulis horum. Impropriè dicitur contractus, quandò una pars obligatur, non è converſò, ut in mutuo. Magis impropriè dicitur

tur contractus, quando ex nulla parte obligatio facta diſſolvitur, ut in tranſactione. Secundùm autèm *Rod. ti. de nego. ſecularibus* contractus eſt ultrò, citròque obligatio ex voluntate, & pacto ſurgens partium, ut emptio, venditio, & locatio. Quaſi contractus eſt obligatio, quà quis obligatur alii ex aliquo officio licito, & honeſto, licèt non interveniat expreſſa voluntas utriuſque partis, ut tutela, & cura. Tutor enim pupillo, & curator minori, vel furioſo obligantur ex ſua adminiſtratione, quaſi contraxiſſent cum eis. Conſtat autèm contractus ex tribus, ſcilicèt perſonis, rebus, & obligationibus, & hoc in pluribus, ut patet ex prædictis.

ARTICVLVS II.

De diviſione contractuum.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicet de diviſione contractuum. Circa quod ſciendum, quod contractuum alii ſunt nominati, alii innominati, & alii magis innominati. Nominati ſunt, ut venditio, emptio, locatio, & conductio, commodatum, depoſitum, mandatum, ſocietas, & pignus. Qui ideò dicuntur nominati, quia nomen cujuſlibet eorum, ita propriè ſibi convenit, ut nulli alii contractui accomodari poſſit. Innominati contractus ſunt in quadruplici differentia. Una eſt do, ut des, ut do tibi domum meam, ut des mihi vineam tuam. Secunda eſt facio, ut facias, ut ſcribo tibi librum, ut edifices mihi domum. Tertia eſt do, ut facias, ut do tibi equum, ut ſcribas mihi librum. Quarta eſt facio, ut des, ut doceo te grammaticam, ut des mihi tritici menſuram unam. Dicuntur autèm iſti contractus innominati, quia eorum nomina ita vaga ſunt, quod aliis contractibus nominatis accomodari poſſunt. Undè do, ut des, poteſt accomodari emptioni, & venditioni. Venditor enim dat rem, ut emptor det pretium; do autèm, ut facias poteſt accomodari locationi, & conductioni, quia conductor dat penſionem, ut locator ſibi faciat, ideſt præſtet poteſtatem utendi. Contractus magis innominati dicuntur pacta, pro eo, quod nomen pacti eſt adeò generale, quod omnibus contractibus nominatis, & innominatis accomodari poteſt, & continet omnia, quæ fiunt cauſa obligationis contrahendæ, vel tollendæ.

ARTICVLVS III.

De Contractibus inutilibus ratione Perſonarum.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de contractibus ratione perſonarum. Circa quod ſciendum, quod in univerſo colligi poſſunt treſdecim differentiæ perſonarum, quarum contractus regulariter eſt inutilis. *Regulariter* dixi, quia aliquæ ex eis in aliquibus caſibus ſe poſſunt obligare, ut infra patebit. Vitiatur autèm contractus ex ipſis perſonis. Quidam ratione ætatis. Quidam ratione conditionis. Quidam ratione morbi. Quidam ratione delicti, de quibus omnibus per ordinem eſt videndum. Ratione ætatis redditur contractus inutilis in quatuor perſonis, quæ ſunt Infans, major infante, primus pubertati, & pubes. Ad quorum evidentiam ſciendum, quod omnes perſonæ aut ſunt ætatis legitimæ, aut non. Ætas legitima eſt à viginti quinque annis, & ſupra, & hujuſmodi ætatis homines dicuntur majores. Ætas autèm illegitima eſt infra 25. annos, & hujuſmodi ætatis homines dicuntur minores, & horum, ſcilicet minorum alii dicuntur puberes, alii impuberes. Puberes ſunt 14. annorum, & ſuprà maſculi, & 12. annorum ſunt feminæ, & hi etiam dicuntur adulti, & adoleſcentes. Impuberes verò ſunt maſculi minores 14. annorum, & iſti etiàm vocantur pueri, & puellæ minores 12. annorum; & ſi patrem non habent, dicuntur pupilli, & pupillæ. Impuberum autèm alii ſunt infantes, ſcilicèt maſculi, & feminæ à die nativitatis, uſquè ad ſeptimum annum. Alii ſunt proximi infantiæ, ut qui ſunt ſeptem annorum, & ſupra, uſque ad undecimum annum, & dimidium maſculi, feminæ uſque ad decimum, & dimidium, deindè verò uſquè ad quartum decimum maſculi, & uſque ad duodecimum feminę dicuntur proximi pubertati. His viſis

Sciendum, quod infans nec naturalitèr, nec civilitèr poteſt obligari alii, nec alium obligare ſibi. Ille autèm, qui major eſt infante, ſivè proximus eſt infantiæ, aut contrahit alium obligando ſibi, & hoc benè poteſt, quia poteſt ſuam utilitatem facere etiàm ſinè tutoris authoritate, ut *ff. rem pup. ſal. fo. l. ſervum pupilli*. Aut contrahit ſe obligando alii, & tunc diſtingue, quia aut habet tutorem, aut non; ſi non habet, contrahere non poteſt, niſi in duobus caſibus, ſcilicèt in ſponſalibus de futuro, & quandò fit locupletior. Si autèm habet curatorem, aut contrahit cum eo, aut cum alio; ſi cum cum eo, non tenet contractus, nec obligatur naturaliter, nec civilitèr. Si tamèn contrahat authoritate alterius tutoris, ſi habet alium tutorem, tunc licet, ſi deceptus eſſet, reſtitutionem petere poſſet, obligatur naturaliter, & civiliter. Si cum alio, aut contrahit cum authoritate tutoris, & tunc obligatur naturalitèr, & civilitèr, licèt ſi deceptus fuerit, reſtitui poſſit; aut contrahit ſinè authoritate tutoris, & tunc obligatur naturaliter tantùm. Sola tamèn obligatio naturalis eſt inefficax ad agendum tantùm; & ſic contractus conſtat ex uno latere tantùm, quia qui emit obligatus eſt pupillo, non autèm pupillus ſibi, niſi ſit factus ditior *ff. de ac. emp. Julianus §. pen. per totum*. Et quod dictum eſt de proximo infantię, dicendum eſt etiam de proximo pubertati excepto uno caſu, ſcilicèt quandò proximus pubertati in contractu committit dolum, tenetur in ſolidum, *ut inſti. de inuti. ſtipu. §. pupillus, &*

§. *ſed*

§. ſed quod diximus in tex. & in Gloſ per totum. Pubes minor viginti quinque annorum, ſivè ſit pater familias, ſivè filius familias, tenetur de contractu facto à prædeceſſore ſuo, & hoc ſi ipſe prædeceſſor tenebatur, aliàs non. De contractù autem facto à tutore ſuo quondam tenetur pubes talis, ſi tutor contraxit ſuper rebus, quæ ſervando ſervari non poſſent, nec reſtituitur, niſi in duobus caſibus, ſcilicet ſi patiatur damnum ultrà dimidium juſti prætii, & ſi tutor dolum commiſit, etiam in modica quantitate. Si verò tutor contraxit ſuper rebus, quæ ſervari poſſunt, aut intervenerunt ea, quæ intervenire debent, ſcilicèt decretum judicis, & cauſa legitima, ut ſi minor gravabatur debito fæneratico, & tunc tenetur; de damno tamèn etiàm modico reſtituitur. Aut non intervenerunt, ſed aliquod eorum defuit, & tunc non tenetur.

Circa verò ea, quæ ipſe pubes geſſit diſtinguo, quia aut habet curatorem, aut non habet; ſi habet non obligatur ſine tutoris authoritate, ſi non habet, obligatur naturaliter, & civilitèr. Si tamèn eſt deceptus in modico damno, etiam minori dimidio juſti pretii, dummodo non ſit ita parvum, quod præjudicet majori rei, vel ſummæ, poteſt reſtitutionem in integrum petere toto tempore minoris ętatis, & ea finita poſt quadriennium continuum; hanc autem reſtitutionem poterit petere de his, quæ amiſit, ideſt dedit, & de his, quæ non acquiſivit, ut ſi delatam ſibi hæreditatem repudiavit, & de hoc, quod alicui oneri ſe implicuit, ideſt ſi pro alio fidejuſſit; & ad hoc, quod reſtituatur, debet ſe minorem eſſe probare, & ſe deceptum fuiſſe. *Sunt* tamèn quinque caſus, in quibus minor de contractu inito ab eo non reſtituitur, etiam ſi probet ſe deceptum. Primus eſt, ſi ſtatum mutavit ſe vendendo alicui, vel alienando ad pretium, vel lucrum participandum, quia in hoc non reſtituitur. Secundus eſt, ſi major rei, vel ſummæ præjudicium generetur, ideſt ſi petat reſtitui pro minima parte, in qua dicit ſe deceptum, quia melius eſt, quod tolleret damnum illius minimæ partis, quàm totus contractus infringatur. Tertius eſt ſi minor ſit uſus jure communi, ut quia hęreditatem locupletem adiit, vel ſervum neceſſarium emit, & poſtea res natæ perierunt, vel ſervus interiit; Non enim videtur deceptus, ſi jure communi ſit uſus Quartus eſt ſi dolum in contractu commiſit. Quintus eſt ſi juravit. In quo diſtingue, quia aut juravit ſe non venturum contra contractum, aut juravit ſe majorem. Si juravit primum verbo tantùm, juramentum illud nihil operatur. Sed ſi spontè juravit corporaliter facit valere contractum, quia aliàs non valeret, & privat ipſum minorem reſtitutione. Si verò juravit ſe majorem, & corporalitèr, nullo modo poterit petere reſtitutionem. Si autèm juravit tantùm verbo poteſt petere rei reſtitutionem ſi probet ſe minorem fuiſſe tempore contractus per inſtrumentum factum de die nativitatis ſuæ. Alitèr non auditur, etiàm ſi vellet hoc probare per teſtes.

Sed quid ſi tantùm verbo dicit ſe majorem?

Reſpondeo, aut hoc dixit inductus adverſarii calliditate, & tunc petere poteſt reſtitutionem; aut ſua ſimplici voce, & tunc ſi dixit hoc ſciens ſe minorem eſſe, reſtitutionem non poteſt petere, quia videtur dolum committere. Si verò hoc dixit credens ſe majorem eſſe, tunc poteſt reſtitutionem petere. Sed ſi dubitatur, non poteſt petere, ſcilicèt de modico damno, quia videtur dolum committere, tamèn de enormi poteſt, juramento non obſtante.

Perſonæ autèm, quæ vitiant contractum ratione conditionis ſunt in dupplici differentia, ſcilicèt filius familias, & ſervus, pro eo, quod non ſunt ſui juris, ſed alieni. Filius familias igitur, qui eſt ſubjectus poteſtati patris, vel avi, vel proavi, ſi contrahat cum patre ſuo, vel avo, vel proavo non obligatur alicui, quia interpretatione juris eſt eadem perſona filii, & patris, niſi peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, de quo poteſt contrahere cum patre, quia in ipſo tanquam paterfamilias habetur. Sed ſi contrahat cum quocumque alio naturaliter, & civiliter, obligatur, non tamen permittitur ei rem patris obligare ſine conſenſu ejus. In mutuo verò, licèt naturalitèr, & civiliter obligetur, defenditur tamèn per exceptionem Macedoniani Senatusconſulti, quæ eſt facta in odium fæneratorum, & ideò non poteſt ei filiusfamilias renunciare. Undè ſi pecuniam verè, & non fictè recipit mutuo non tenetur ad eam reddendam, nec pater ejus; ideò autèm dictum eſt verè, & non fictè, quia ſi mutuum fictè fiat, ut ſi filius familias emat unum equum, & non ſolvat pecuniam, promittat tamen ſolvere, & Notarius inſtrumentum fecerit de mutuo, filiusfamilias non poteſt opponere exceptionem Macedoniani, imò tenetur.

Sunt tamèn aliqui caſus, in quibus ipſe filius familias, vel pater ejus de mutuo contracto à filio tenetur. Primus eſt, ſi filius ſe patrem familias mendaciter dicat. Secundus eſt ratione publicæ ignorantiæ, ut quia pater familias à pleriſque videbatur, & ſic agebat, ſic contrahebat, ſic muneribus fungebatur. Tertius eſt, ſi pupillus ſinè authoritate tutoris, vel adultus ſine curatoris authoritate filiofamilias mutuavit. Quartus ſi mutuum filii ſit verſum in rem patris, ut quia indè ſororem dotavit, vel patris familiam aluit, vel patris debitum ſolvit, quia tunc pater tenetur reddere pecuniam illam. Quintus ſi mutuum accepit uſquè ad quantitatem illam, quam pater non deberet recuſare dare ſibi, quando alibi degebat pro aliqua cauſa competenti, ut pro ſtudio, vèl ſimili. Sextus ſi pater conſenſit, vel præſens non contradixit, quando filius mutuum accepit; vel ſi filius literas patri deſtinavit, quod mutuum acceperat, & pater hoc non improbavit, & hoc intellige de patre in cujus poteſtate eſt filius familias conſetiendo filio ſuo, qui eſt in poteſta-

teſtate avi ſui, quod eſſet exceptio Macedoniani. Septimus ſi mutuum accepit, ut ſe liberaret ab aliquo creditore, quem non poterat removere. Licèt autèm nomine pecuniæ communitèr ſumptæ contineatur quicquid eſt in numero, pondere, & menſura *ff de legit. l. talis in prin.* Hinc tamèn licitè ſumitur pro pecunia illa, quæ eſt in numero, ſcilicèt, quando dictum eſt ſupra, quod filius familias non tenetur de pecunia mutuata. Secùs eſt ſi accepit aliquid, quod conſiſtat in pondere, vel menſura, quia tunc tenebitur, niſi fraus adhibita ſit à creditore, ut quia dedit filiofamilias frumentum, vel vinum, ut eo diſtracto pecunia uteretur.

Ad hoc nota, quod exceptio Macedoniani non datur tantùm filiofamilias, ſed etiam hæredi ejus, & ſucceſſori ejus. Undè eadem exceptione defenditur fidejuſſor.

Inſuper nota, quod filiusfamilias, quando habet peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, ceſſat Macedonianum, uſque ad illius pecuniæ quantitatem. Itèm ſi minor mutuaverit pecuniam filiofamilias majori, eam repetere poteſt; Si autem filiofamilias minori, repetere non poteſt, ſi ſit conſumpta, vel perdita *ff. de mino. 25. anno. l. ſi minor 25. anno. filio familias*. Servus de contractu cum ſuo domino civiliter non obligatur, ſed poteſt paciſci cum extraneo acquirendo domino. Habet enìm ex perſona domini jus ſtipulandi. Non obligatur autèm efficacitèr alii, cum prò mortuo reputetur. Convenitur autèm dominus ex contractu ſervi de peculio ejus, vel de eo, quod verſum eſt in utilitatem ipſius domini. Sunt autèm tres caſus, in quibus Dominus de peculio ſervi non tenetur. Scilicèt cum ſervus donat, vel vovet, vel fide jubet extra curam peculiarem. Similiter, nec dominus paciſcens cum Servo ſuo obligatur ex hujuſmodi pacto, niſi de libertate paciſcatur *C. de tranſa. l. interpoſitas in tex. & in Gloſ*

Perſonæ, quæ vitiant contractum ratione morbi ſunt tres, ſcilicèt furioſus, mutus, & ſurdus; furioſus enim, vel mente captus tempore furoris contrahere non poteſt. Si tamèn contrahat recepta mente, vel quando habet lucidum intervallum, contractus tunc ab eo initus valet.

Itèm mutus, & ſurdus naturalitèr, cùm ſunt tales contrahere non poſſunt per ſtipulationem, quia ſtipulatio habet fieri per interrogationem, & reſponſionem utriuſque contrahentis, quam uterque debet audire, quod prædicti non poſſunt facere. Poſſunt tamèn facere contractus, qui perficiuntur ſolo conſenſu.

Perſonæ verò, quæ vitiant contractum ratione delicti ſunt quatuor, ſcilicèt prodigus, hæreticus, apoſtata, & committens crimen leſæ Majeſtatis. Prodigus enim, cui hoc jus eſt interdictum, non obligatur, reliquis tribus eſt interdictum à lege commercium contrahendi. Licèt autèm mulier non ſit de prædictis treſdecim perſonis, & ſe ſuo nomine poſſit obligare, tamèn in fidejuſſione regularitèr juvatur beneficio Vellejani ſenatus conſulti. Undè ſi mulier fidejubeat pro alio, vel ſi det fidejuſſorem pro alio, vel ſuam rem pro alio obliget pignori, nihil actum eſt, etiam ſi hoc pro viro, vel filio fecerit.

Sunt autèm aliqui caſus, in quibus mulier fidejubendo tenetur, & hoc beneficio non juvatur. Unus eſt, ſi fidejuſſit pro pecunia data pro pretio manumiſſionis ſervi domino ejus. Secundus ſi interceſſit pro dote mulieris alterius. Tertius eſt, ſi certificetur de beneficio ſupra dicto, & nihilominus renunciet ei. Quartus eſt, ſi accepit pro interceſſione pretium, vel aliquid loco pretii. Quintus ſi voluerit recipere creditorem, ſciens ſe eſſe tutam per beneficium ſupradictum, cum creditor illud ignoret, quia ejus fragilitati, non calliditati ſubvenitur. Sextus ſi interceſſerit, vel pignus, vel fidejuſſorem pro alio dedit, & poſt biennium à prima cautione computando iterum ſe ad idem obligavit, vel fidejuſſorem, vel pignus dedit. Septimus eſt ſi res ſit propria ejus. Octavus ſi ſuccedat ei, qui ſolvere debet, Unde verſus

Caſibus in ſenis mulier ſpondendo tenetur.
Pro libertate, pro dote renunciet, etſi.
Decipiat, pretium capiat, caveatque ſecundo.
Caſus adde duos, quarto ſi propria res ſit,
Vel ſi ſuccedat ei, qui ſolvere debet.

Ad hoc nota, quod mulier fidejubere, vel ſe obligare non poteſt pro viro, etiam qualitercumque renuncietur beneficio Vellejani, quia tunc videtur dare viro, quod eſt prohibitum ſibi, niſi propter nuptias, vel cauſa mortis.

ARTICULUS IV.

De Inutilibus Contractibus ratione rerum.

Circa quod ſciendum eſt, quod ſunt quædam res ſuper quibus contrahi non poteſt proptèr juris prohibitionem, & quædam ſunt ſuper quibus contrahi non poteſt propter ipſam conditionem, de primis primò videndum eſt.

Circa quod nota, quod jus prohibet alienari prædia, & hoc ſivè ſint urbana, ſivè ruſtica, omneſque res alias minoris, & mobiles, quæ ſervando ſervari poſſunt, ut aurum, argentum, & veſtes pretioſas, & hujuſmodi; & hoc niſi in tali alienatione interveniant hæc tria, ſcilicèt authoritas tutoris, decretum judicis, & debitum imminens, quod ſibi creditor ſolvi urget, vel quod ipſum minorem uſura gravat. Contingit tamèn, quod prædium minoris aliquandò ſine decreto poteſt alienari, ſcilicet quando defunctus, ex cujus bonis prædium illud ad minorem devenit, hoc in ultima voluntate juſſit, vel etiam ſi minor hoc à principe impetravit. Res verò aliæ minoris, quæ ſervando non poſſunt ſer-

ſervari, poſſunt à tutoribus ſine decreto vendi. Prohibet etiam ius filiofamilias alienare aliquid de rebus paternis ſine iuſſu patris. Prohibet etiam patrifamilias alienare res, quæ obvenerunt filio ex peculio adventitio, quod & à filio alienari non poteſt ſine conſenſù patris, cum proprietas peculii illius ſit filii, uſus verò patris. Quando tamèn filio imminet debitum urgens, vel gravans, poteſt pater adventitium filii alienare, primò poteſt mobilia, poſteà immobilia. De peculio verò profectitio non poteſt filiusfamilias contrahere, cum nihil ad eum, ſed totum ad patrem pertineat pleno iure. De peculio verò caſtrenſi poteſt filiusfamilias cum patre, & quolibet alio contrahere, vel paciſci, quia in eo, ut paterfamilias habetur, & totum, ſcilicèt proprietas, & uſus ſpectat ad filium, & nihil ad patrem.

Prohibet etiam ius alienari fundum dotalem, ſcilicèt ineſtimatum datum in dotem; Si enim eſſet æſtimatus, non diceretur dotalis, ſed emptitius. Unde ad hoc ut ſit fundus dotalis, requiritur, quod ſit legitimum matrimonium, & quod in dotem detur, & quod inæſtimatus tradatur. Idem etiam eſt de fundo quaſi dotali. Et dicitur fundus quaſi dotalis ille, qui legatus eſt ſervo inæſtimatus dato in dotem; licèt autem fundus dotalis alienari ſpontè non poſſit, permittitur tamèn in neceſſitate in caſibus quibuſdam, de quibus videndum eſt *infrà lib.8. ti. de dotibus*.

Prohibet etiam ius alienari illam rem, quam teſtator in ſua ultima voluntate prohibuit alienari apponendo certam perſonam, in quam res pervenire deberet, ſi hæres eam alienare vellet; vel apponendo certam pœnam ſolvendam alicui certæ perſonæ, vel Eccleſiæ, *ut inſti. de le. ad finem*. Prohibet etiam ius alienari rem litigioſam. Et dicitur hìc res litigioſa, de cuius dominio cauſa movetur inter petitorem, & poſſeſſorem; & fit res litigioſa incontinenti oblato libello; & quidèm iſte, qui recipit eam titulo emptionis, vel donationis, vel cuiuslibet alterius contractus ſcientèr cogitur rem reddere, & etiam privatur pretio, quod etiam ille, qui alienavit, & ille, qui recepit, cogitur dare fiſco, & tantumdem de ſuo. Si autèm ignorantèr, debet rem omninò reddere, & prætium ſibi reſtitui à venditore, qui etiàm venditor tantumdem dabit de ſuo emptori, & fiſco, ſcilicèt tertiam partem emptori, & reliquas duas partes fiſco; & hæc pęna etiam locum habet in donatore rei litigioſæ, ut ſcilicèt facta eius vera æſtimatione uterque puniatur in prętio modo ſupradicto; permittit tamèn lex alienari rem litigioſam ex cauſa dotis, vel donationis proptèr nuptias, vel tranſactionis, vel diviſionis.

Inutilis etiàm eſt contractus, ſi quis rem ſuam purè ſtipuletur, vel emat; ſed quid erit de prętio? Reſpondetur: Aut emptor ſciebat rem eſſe ſuam, & tunc perdit prętium, quia videtur donaſſe, aut ignorat, quia fuit inſtitutus hæres, & tunc pretium petere poteſt; & idem eſt ſi res ſit communis mihi, & tibi, quam tamèn habeo ad partem meam *C de contrahen. emp. cum res*. Si autèm ſub conditione emat, valebit emptio in eventu conditionis, ut ſi emat, ſi res ſua deſinat. Valet etiam emptio rei propter rationem poſſeſſionis, quam emptor non habebat, vel ratione alterius, quod ei in re ſua deficiebat; de emptione autèm rei alienæ dicetur *infra tit. de emp. & ven.*

Sunt etiam quædam res, ſuper quibus contrahi non poteſt proptèr earum qualitatem, ſive conditionem, ut ſunt illæ, quæ non ſunt in rerum natura, nec fuerunt, nec eſſe poſſunt, ut chimera; vel ea, quæ impoſſibile eſt dari, ut mons aureus; vel ea, quæ licèt fuerint, tamèn modo non ſunt, ut equus mortuus. Si tamèn mora præceſſerit mortem, ut cum quis equum dare promiſit, & die conſtituta non dedit, ſed in mora fuit, & poſtea equus obiit, tenetur in æſtimatione eius, quia fuit in mora. Contractus autem ſuper rebus, quæ futuræ ſperantur, tenet; ut ſi quis emat futuros partus, vel fructus, vel ſi emat iactum retis, quia ineſt conditio, quod ſi quid capitur, illud debeatur. Prohibetur etiàm alienatio mancipii Chriſtiani in Judeum, quia non licèt Judeo poſſidere mancipium Chriſtianum. Item ſervus dum eſt in fuga vendi non poteſt; Procurator tamèn ad hoc poteſt conſtitui, ut ipſum quærat, & inventum vendat *ff. de contrahen. emp. & ven. l. quod ſæpe* §. *Si quis amico*. Secundum hoc intellige illud *12. q.2. c. fugitivi*. Prohibetur etiàm alienatio rerum illarum, quæ ſunt exemptæ à commercio hominum, ut ſunt res ſacræ, religioſæ, Sanctæ, Publicæ, & liber homo. Res ſacræ ſunt, quæ per Epiſcopos ſunt ritè dicatæ. Religioſæ ſunt ſepulchra, in quibus homines mortui inferuntur. Sanctæ ſunt portæ, & muri civitatum, & municipiorum, quia pœna capitis imponitur violatoribus earum, ut ſi quis ingrediatur civitatem, vel municipium aliundè, quàm per portas. Publicæ ſunt portus, & flumina, quæ dedicata ſunt uſui populi, ut forum, & ſtadium. Eſt igitur inutilis contractus initus ſuper prædictis rebus, ſi emptor, & venditor ſciverit res eſſe tales. Imò emptor, qui rem hujuſmodi ſcientèr acceperit, perdit prætium, & rem. Si autèm ignorans à venditore ſciente comparaverit, tenetur ſibi venditor ad id, quod ſua intereſt ſe non eſſe deceptum *ff. de contrahen. emp. l.4. per totum*. Fallit tamèn hoc in libero homine majori viginti annis, qui ad participandum prætium, vel aliud lucrum patitur ſe venundari, vel alienari, non ignarus ſuæ conditionis. Secùs eſt ſi acceptor ejus conditionem ignoret, & venditus in veritate prætium participet. *Hæc Jo. 29. q.2. prælatum eſt.*

TITU-

TITVLVS IV.

De Obligatione,& Stipulatione.

POſtea conſiderandum eſt de obligationibus, & Primò quid eſt obligatio, & quæ ejus diviſio. Secundò qualitèr contrahatur. Tertiò, quę poſſunt obligari. Quartò ſubnectuntur quædam de ſtipulatione; ideò ſit

ARTICVLVS I.

Quid eſt obligatio?

EſT ergò ſciendum, quod obligatiò eſt juſtum vinculum, quo neceſſariò aſtringimur ad aliquid dandum, vel faciendum per jura civitatis Romanæ. Obligationum alia naturalis tantùm; Alia naturalis, & civilis ſimul. Naturalis obligatio eſt, quæ in ſe naturalem continet æquitatem. Hæc naturalis obligatio contrahitur per naturale vinculum,ideſt per conſenſum, & poteſt fieri inter omnes homines, & tollitur per actum contrarium naturalem, ſcilicèt per actum perpetuum de non petendo; & hac obligatione ſola obligatur pupillus proximus pubertati ſinè authoritate tutoris non factus locupletior, nec dolum committens. Itèm ſervus cujuslibet perſonę. Itèm pater pro filio in ejus poteſtate exiſtente. Itèm filius patri, ſed non tenetur, quia hujuſmodi obligatio eſt inefficax ad agendum. Civilis obligatio eſt cum quis ſolemnitate juris eſt aſtrictus, ſed naturalis æquitas eum teneri non ſuadet, ut cum quis fuit confeſſus per ſcripturam ſe ex cauſa mutui pecuniam recepiſſe ſub ſpe futuræ nummerationis, quam tamen non recepit; Undè talis infra biennium poteſt opponere exceptionem non nummerationis pecuniæ, quod ſi non fecerit,imputet ſibi; Undè hæc obligatio per ſe eſt inefficax ad agendum. Naturalis, & civilis obligatio ſimiliter eſt cum perſona, quę poteſt efficacitèr obligari ſe, cum ſolemnitate juris obligat, ſcilicèt cum naturalis æquitas vult eum teneri, & juris ſolemnitas intervenerit, & hæc obligatio eſt efficax ad agendum. Obligationum autem naturalium, & civilium,ut habetur *inſti. de obli.* Alia eſt ex contractu. Alia eſt ex quaſi contractu. Alia eſt ex maleficio. Alia ex quaſi maleficio. Obligatio ex contractu eſt, quæ pacto contrahitur, & quę ex ipſo pacto, & contractu deſcendit, ut emptio, & venditio, locatio, & conductio, donatio, & hujuſmodi. Et ex quaſi contractu eſt, cum quis gerit negotium alicujus ſine mandato ejus, ut tutor, & curator, & hujuſmodi; Iſti enìm non contraxerunt cum eo, cujus negotium gerunt: Undè quia non tenentur ex contractu, reſtat,ut teneantur ex quaſi contractù. Obligatio ex maleficio eſt, cum quis furtum, vel rapinam, vel injuriam alicui facit. Ex quaſi maleficio eſt cum quis non directè deliquit, ſed quaſi, ut cum ex ejus domo eſt aliquid effuſum, quod alteri nocuit.

ARTICVLVS II.

Qualiter contrahatur obligatio?

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicet qualitèr obligatio contrahitur. Circa quod ſciendum, quod obligatio contrahitur quadruplicitèr. Uno modo re, ut in mutuo, debito, commodato, depoſito, pignore. Alio modo verbis, ut ſtipulando. Eſt autèm ſtipulatio verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur daturum, vel facturum illud, de quo interrogatur, ſpondet, & dicitur ſtipulatio à ſtipulor. Stipulum autèm idem eſt, quod firmum deſcendens à ſtipite. Unde ſtipulatio ponitur pro interrogatione; debet enìm ſtipulatio fieri per interrogationem præcedentem,& reſponſionem in continenti ſubſequentem, & debet fieri reſponſio præcisè ſine ſuſpenſione vocis. Unde nec mutus, nec ſurdus, nec infans, nec etiam abſens per ſtipulationem contrahere poſſunt, quia exaudire ſe invicem debent *ff. de ver. oblig. continuus, & inſti. de inuti. ſtipu. mutum.* Tertiò modo literis, ut quando quis in literis confitetur ſe mutuò habuiſſe decèm libras ſub ſpe futuræ nummerationis; Talis enìm niſi infra biennium opponat exceptionem non nummeratæ pecuniæ, aſtrictus erit naturalitèr, & civiliter pecuniam illam ſolvere. Quartò ſolo conſenſu, ut in ſocietate, mandato, emptione, venditione, & locatione; in his enim non requiritur ſcriptura, neque præſentia, ſed ſufficit eos, qui contrahunt, conſentire per ſe, vel nuncium, vel per epiſtolam, & hæc omnia probantur per *inſti qui mo. re. contra.ob. & pluribus aliis titulis ſeq.*

ARTICVLVS III.

Quæ res obligari poſſunt?

CIrca quod ſciendum, quod obligari poſſunt quęcumque non prohibentur obligari favore religionis. Quædam ſunt, quæ non poſſunt alienari, ut monumentum *C. quæ res pigno.obli. poſſunt l.3. per totum.* Et Eccleſiæ *in aut. de non alie. re. Eccle. §.alienationis, & §.his de & §.quoniam verò.* Et vaſa ſacra, vel veſtimenta, vel ornamenta Eccleſiaſtica *C. de ſac. Sanc.Ec. ſancimus nemini*, niſi juſtiſſima neceſſitate urgente *extra de pig. c.1.* De hoc etiàm habitum eſt *ſupra titulo præcedenti ar 4.*

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De Stipulatione.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de ſtipulatione. Circa quam ſciendum, quod ſtipulatio, quæ fit verbis ſine conſenſu, nulla eſt. *ff. de pact. l. 1. §. adeo autèm.* Itèm omnis ſtipulatio ad hæredes, & contra hæredes tranſmittitur *C. de contrahen. & comitt. ſti. veteris.* Hoc verum eſt, quando eſt tale factum, quod poteſt compleri per alium, ſecundùm *Glo. ibidem.* Itèm nullus alteri poteſt ſtipulari, vel paciſci, niſi ſit ejus ſervus, vel procurator, vel filius, qui æſtimatur eadem perſona cum domino, vel cum patre *inſti. de inuti. ſtip. § ſi quis alii.* Item per judices, officiales, executores, & tabelliones alteri poteſt acquiri *ff. de injuſ. vo. cum pro quo.*

Nota tamèn ſecundum *Jo. 1. q. 7. quoties cordis ocul.*, quod ſi promitto tibi me daturum Titio decem libras, teneor jure canonico, maximè ſi juro. Itèm nemo factum alienum promittens obligatur ad illud, niſi ad dandam operam, quam poteſt, quod ille faciat, quod ille promiſit *ff. de ver. ob. in illa ſtipulatione in prin. & l. ſtipulatio illa.* Item non valet legatum, vel ſtipulatio fundi in genere facta nullo fundo demonſtrato *ff. de ju. do. cum poſt divortium § gener a ſocero.* Undè ſi quis ſtipulatur inſulam fieri, & non adjiciat locum, ubi fieri debeat, ſtipulatio non valet *ff de eo, quod certo loco l. 2. § ſi quis inſulam.* Tamen ſecundùm *Guil.* ſi dictum eſſet, tu facias domum mihi, ubi voluero, benè valeret.

Nota etiàm ſecundùm *Guil.* quod aut promittitur incertum re, ſed certum genere; aut certum re, & genere; aut incertum re, & genere. Si primo modo, ut cum dicitur benè faciam hoc pro tuo ſervitio, tunc peti non poteſt à procuratore *C. man* ſalarium. Secùs eſt de advocato, qui pro modo facundiæ, & negocii qualitate petit ſalarium incertæ pollicitationis *ff. de variis, & extraordina. cognitio. l. 1. § in honorariis.* Si ſecundo modo, ut cum promitto equum, poteſt petere, & agere præſcriptis verbis, & taxabitur arbitrio boni viri *C. de man. l. 1. in fi.* Si tertio modo, ut cum promitto talem equum, tunc peti poteſt. Item ſi promiſiſti mihi rem dari, & vacuam poſſeſſionem tradi, veniunt fructus in ſtipulationem. Secùs autèm ſi promiſiſti tantùm rem *ff de uſur. ſi ſtipulatus in princ.* Itèm quando quis promittit infra certos dies ſiſtere judicio, tunc dies, in qua cautio promittitur, & dies, in qua ſiſtere debet, non computantur inter illos dies *ff. ſi quis cau. l. 1. in prin.* Itèm ſi quis Kalendas Januarii ſtipulatus fuit, de illis Kalendis intelligi debet, de quibus eſt actum inter partes; Sed ſi non appareat de quibus eſt actum, tunc de primis Kalendis Januarii intelligi debet. Si autèm in ipſo die Kalendarum, tunc de Kalendis ſequentibus *ff. de ver. ob. cum qui Kalendis in prin.* Itèm actus ſtipulantis, & compromittentis debet eſſe continuus, ut nullum ferè momentum intervenire poſſit. Si verò poſt interrogationem ſe divertat ad alia, nihil proderit, licèt eodem die promiſiſſet, *ut ibidem l. continuus.* Itèm in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur *ff de re judi. in omnibus expreſſè ponitur.* Itèm ſi promiſſum fuerit ſic, ſcilicet faciam hoc, cum commodum erit, hoc eſt cum potero ſinè meo incommodo *ff. de ver. ſig. nepoſ.* Itèm omnis ſtipulatio, aut fit purè, ut cum quis ſpondet libras quinque, & tunc illud ſtatìm poteſt peti; aut in diem, & tunc ſtatim debetur, ſed peti non poteſt, antequam dies veniat; nec etiam ipſa die, in qua ſtipulatio facta fuit, peti poteſt, quia tota dies illa arbitrio ſolventis tribui debet; aut ſub conditione, & tunc ille, qui ſtipulatus fuit, licèt ante conditionem deceſſerit, poſteà exiſtente conditione hæres ejus agere poteſt. Et idem eſt ex parte promittentis *inſti. de verb. oblig. § omnis ſtipulatio, & § cum quis.* Hæc ad præſens de obligatione, & ſtipulatione ſufficiant, ut juriſperitis alia de hac materia relinquantur.

TITULUS V.

De Renunciatione beneficiorum juris.

DEinde conſiderandum eſt de renunciatione beneficiorum juris; & Primò quid eſt renunciatio. Secundò de beneficiis, quibus renuntiari non poteſt. Tertiò de beneficiis, quibus renunciari poteſt. Quartò de beneficiis, quibus renunciari poteſt ſecundùm quid, & ſecundùm quid non poteſt. Et hæ quatuor notabuntur gratia brevitatis, ſecundùm quod in ſumma Rolandina continentur. Quintò notatur in generali, cui juri tantùm, & cui non poteſt renunciari. Ideò ſit

ARTICULUS I.

Quid eſt Renunciatio.

CIrca primum ſciendum, quod renunciatio propriè eſt rei, vel juris ſpontanea refutatio. Sed ad præſens eſt tantum intentio de renunciatione juris, ſine qua quandòque obligatio non tenet. Sciendum ergò, quod defenſiones, exceptiones, & beneficia à legibus inventa, quædam ſunt in favorem, quædam in odium introducta; & iſtæ perſonæ pro quibus ſunt introducta, per illa juvantur, ne de illis obligationibus, quas fecerunt, obligentur. Quamvis autèm regularitèr liceat renunciare his, quæ pro ſe ſunt introducta, aliqua tamèn ſunt, quibus renunciare non impedit, quominus ipſa beneficia, & exceptiones poſſunt opponi. Aliqua autèm ſunt, quibus renunciatio facta tenet, & juvari pro ea impediret. Aliqua autèm ſunt, quibus

bus renunciari poteſt quo ad quid, & quo ad quid non: De ſingulis horum eſt videndum.

ARTICULUS II.

De Beneficiis, quibus renunciari non poteſt.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicèt de beneficiis, quibus renunciari non poteſt, ità quod renunciatio facta impediat, ne poſſint opponi. Sciendum igitur, quod quoddam eſt beneficium ſcilicèt Beneficium Macedoniani, Senatusconſulti, & competit filiofamilias, qui pecuniam accepit mutuo ſine patris voluntate, & competit ei non tantùm dum eſt in poteſtate patris, ſed etiam poſtquam factus eſt ſui juris; & etiam competit hæredi filiifamilias, & ejus fidejuſſori, & huic beneficio renunciari non poteſt, quià eſt in fœneratorum odium introductum.

Eſt etiàm aliud beneficium, ſcilicèt beneficium reſtitutionis, quod competit minoribus toto tempore minoris ætatis, & eo etiam finito infra quadriennium continuum, ſi in minori ætate decepti fuerint eorum facilitate, vel adverſarii calliditate. Huic etiam beneficio renunciari non poteſt, quia eo ipſo minor deciperetur, ſi renunciaret. Eſt autèm & aliud beneficium, ſcilicèt, ut quis condemnetur in quantum facere poteſt, & non ultrà, & habita ratione, ne egeat, & hoc beneficium competit viro, & ejus patri, quandò convenitur ab uxore. Competit etiam uxori, & ejus patri, quando convenitur à viro; competit etiàm Patrono, quando convenitur à Liberto; & ſocio, quando convenitur à ſocio; & patri, quando convenitur à filio, vel filia: & huic beneficio renunciari non poteſt. Eſt aliud beneficium, ne liber homo ad onus alienum obligetur, ideſt pignoretur, & huic beneficio non poteſt renunciari, quia hæc renunciatio eſſet contraria libertati.

Eſt aliud beneficium, ſivè privilegium, ſcilicèt fori, quod competit forenſi, ſcilicèt quod reus conveniri debet ſub judice ſuo, & hoc eſt verum ante litem conteſtatam. Nam lite conteſtata non poteſt reus opponere privilegium fori, quia videtur in illum judicem conſenſiſſe, ſub quo conteſtatus eſt litem; & huic privilegio, ſcilicèt fori ſolo pacto non renunciatur, ſed ad hoc, quod reus conveniri poſſet alibi, quàm in foro ſuo, ſufficit, ſi promittit ſolutionem facere ubicumque petitum fuerit ab eo. Eſt aliud beneficium, ſivè privilegium fori, quod competit clericis, ſcilicèt, quod non tenentur reſpondere coràm judice ſæculari; & huic privilegio juris non poteſt aliquo modo renunciari, quia eſt introductum in favorem totius cleri. Exceptio non nummeratæ pecuniæ, ſivè non traditæ, vel redditæ rei aliquandò competit infra duos annos, aliquandò infra triginta dies, aliquandò infra annum, aliquando infra tres menſes; debitor enim, qui confitetur ſe pecuniam mutuo recepiſſe, quam non recepit, opponere poteſt exceptionem non numeratæ pecuniæ infra duos annos à die confeſſionis. Creditor verò, qui confeſſus eſt ſub ſpe futuræ numerationis pecuniam traditam ſe recepiſſe à debitore, habet exceptionem non ſolutæ pecuniæ infra trigiuta dies. Vir autem, qui confeſſus eſt ſub ſpe futuræ nummerationis ſe dotem recepiſſe, habet exceptionem non nummeratæ dotis, quæ debet opponi, vel infra annum poſt matrimonium ſolutum, ſi matrimonium duravit minus biennio, vel infra tres menſes, ſi matrimonium duravit plus biennio, vel minus decennio. Sed ultrà decem annos non extenditur renunciatio pecuniæ non numeratæ. Prædictis autèm exceptionibus renunciari non poteſt quo minus infra prædicta tempora opponi poſſint. Prodeſt tamèn renunciatio quoad aliquid, ſcilicet, quia ſi renunciatio non eſſet facta, debeat adverſarius confitentis probare, ſe pecuniam ſolviſſe, ſed poſtquam eſt facta renunciatio, incumbit confitenti, & renuncianti probare pecuniam non eſſe ſolutam. Lex verò illa rubri, & nigri tituli codicis, ſcilicèt ne fidejuſſores, vel mandatores dotium dentur, prohibet fidejuſſorem dari pro dote reſtituenda, ſi eveniat, quod reſtitui debeat. Huic legi ſi renuncietur, renunciatio non valet, quia talem fidejuſſorem lex prohibet dari, & quod fit contra legem, pro non facto debet haberi.

ARTICVLVS III.

De Beneficiis, quibus renunciari poteſt.

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt de beneficiis illis, quibus renunciari poteſt, ità quod renunciatio impedit ne poſſint opponi. Hæc autèm ſunt plura.

Unum eſt nova conſtitutio de pluribus reis debendis, quæ dicit, ſi ſint plures rei debendi, ideſt plures debitores, qui omnes ſunt idonei, & ſolvendo habent beneficium diviſionis; quia dicere poteſt quilibet, quod tantum pro ſua parte tenetur; ad hoc verò, quod quilibet teneatur in ſolidum, ſe obligent, & d. beneficio renuncient.

Alterum eſt epiſtola Divi Adriani, quæ eſt quædam lex dicens, quod ſi ſint plures fidejuſſores, qui ſunt idonei ſolvendo, debet quilibet conveniri pro rata; ad hoc verò, quod quilibet teneatur in ſolidum, oportet, quod renuncient epiſtolæ prædictæ.

Tertium eſt nova conſtitutio de fidejuſſoribus dicens, quod ſi principalis, & fidejuſſor ambo ſint idonei, & ſolvendo, principalis debet conveniri prius, quàm fidejuſſor. Ad hoc verò, ut fidejuſſor conveniri poſſit quandocumque creditor voluerit, prædictæ conſtitutioni renunciabit.

Et nota, quod quandò plures principales, ſe principalitèr obligant, & in ſolidum, locum habent ibi omnes tres prædictæ renunciationes, & debent poni hoc modo: renunciantes novarum conſtitutionum de duobus reis debendis, & fide-

fidejuſſoribus, & epiſtolæ Divi Adriani beneficio. Unus enim pro altero intercedit, quando ſe obligat ultra partem, quæ ſe contingit. Quartum eſt conditio indebiti, quæ dicit: Si quis indebitè ſolvit, ut quia non tenebatur ſolvere, poteſt petere illud; huic conditioni benè renunciatur.

Quintum eſt conditio ſine cauſa, quæ dicit, quod ſi quis eſt obligatus ab initio ſine cauſa, vel ex injuſta cauſa, non tenetur, & hoc eſt verùm, niſi per ſtipulationem ſit obligatus, quia tunc benè tenetur, & huic beneficio renunciari poteſt, niſi hoc fieret propter dolum.

Sextum eſt exceptio doli mali, ſcilicet quod aliquis dicat ſe dolo, & calliditate alicujus inductum eſſe; & huic exceptioni renunciari poteſt.

Septimum eſt beneficium fori, quod competit ſcholaribus; Scholaris enim, qui moratur Bononiæ, per hoc beneficium non poteſt conveniri ſub judice communitatis Bononię, ſi velit potius conveniri coram ſuo doctore; & huic beneficio renunciari poteſt.

Octavum eſt beneficium conditionis incertum; quod habet locum, quando aliquis hæres inſtitutus, eſt rogatus hæreditatem, vel certam ejus partem alteri reſtituere; vel quando aliquis eſt inſtitutus hæres, & ſi ipſe deceſſit ſinè liberis, eſt ei ſubſtitutus alius hæres, quia ſubſtitutus habet jus in ipſa hæreditate, eo quod adveniente conditione debet in eum hæreditas pervenire, & hoc tale fideicommiſſum dicitur incertum conditionis, quia incertum eſt: an hæres inſtitutus decedat ſine liberis; & huic conditioni ſubſtitutus ille renunciare poteſt.

Nonum eſt beneficium juris hypotecarum, quod competit uxori in bonis mariti, quià omnia bona viri ſunt ei tacitè obligata pro dote ſua, & huic beneficio poteſt uxor renunciare, & viro, & contrahentibus cum eo, & hoc ſi certificetur de beneficio prædicto, & ei expreſſe dicatur illud, quod continetur in ipſo. Competit etiam dictum beneficium creditori, ſi bona ſui debitoris ſint ei tacitè, vel expreſsè obligata; & huic beneficio poteſt creditor renunciare.

Decimum eſt beneficium Vellejani Senatuſconſulti, ſcilicèt, quod ſi mulier pro alio fidejubeat, ideſt obliget ſe, regularitèr non tenetur; & huic beneficio mulier renunciare poteſt, ſi certificetur de eo. Ad hoc nota, quod quando mulier recipit tutelam filii, vel avia tuitionem ejus nepotis, debet renunciare ſecundis nuptiis.

ARTICVLVS V.

De Beneficiis, quibus quoad quid renunciari poteſt, & quoad quid non.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt de beneficiis illis, quibus quoad quid renunciari poteſt, & quoad quid non, & hæc etiàm ſunt plura.

Primum eſt beneficium redhibitoriæ, & competetit ei, qui ignoranter emit rem morboſam vel vitioſam; & hoc beneficio poteſt emptor agere contra venditorem, ut reddat ſibi prætium, & recipiat rem, & hæc redhibitoria competit infra ſex menſes.

Secundum eſt beneficium, quod dicitur quantò minoris, quod dicitur: Si quis emit animal, vel rem vitioſam ignorantèr, poteſt agere contra venditorem petendo partem illam prætii ſibi reddi, quam non dediſſet, ſi vitium ejus præſciviſſet, & hoc beneficium competit infra annum. Prædictarum autèm actionum beneficio poteſt emptor renunciare, & renunciatio prodeſt venditori, ſi vitium ignorabat. Si autèm illud ſciebat, nec emptorem certificavit, non prodeſt renunciatio propter dolum ab eo commiſſum.

Tertium eſt beneficium, ne quis vocetur in jus diebus feriatis; aliquando tamèn contingit, quod renunciari poteſt feriis, & diebus feriatis, & aliquando non. Si enim ſint feriati ratione meſſium, vel vindemiarum poteſt ipſis feriis renunciari voluntate litigantium. Si tamèn ſint feriati ob honorem Dei non poteſt.

ARTICULUS V.

Cui juri, & cui non poteſt renunciari.

CIrca quintum nota, quod renunciari poteſt juri privato; *extra de privi. ſi de ter. & ff. de pac. pacifici.* Et hoc niſi pactum ſit factum in criminis odium, ut ſi quis vendat ancillam tali pacto, quod non proſtituatur, pactum hujuſmodi poſtea remittere non poteſt, quia factum eſt in odium criminis *ar. C. ſi mancipium ita venerit ne proſtituatur l.* 1. Renunciari autèm non poteſt juri publico, ſi ſit introductum non tantùm in favorem aliquorum, ſed etiàm in odium aliquorum, ſicùt eſt illud, ſcilicèt, quod clerici non teneantur reſpondere coram judice ſæculari, *extra de foro com. ſi diligenti. per totum*; & illud, ſcilicèt, quod clerici non poſſunt ſe ſubjicere verberibus alicujus laici, *extra de ſent. excom. contingit*. Hæc enim duo ſunt introducta in favorem clericorum, & odium Laicorum, qui nimis Clericis ſunt infeſti 2. *q.* 7. *Laicos*. Si verò jus publicum ſit introductum tantùm in favorem, ei renunciari poteſt, Unde renunciari poteſt Vellejano, quia introductum eſt tantùm in favorem, ſcilicèt mulierum *ff. ad Vell. l. ult.* §. *pen. in fine*, ſed non Macedoniano,

no, quia introductum eſt non tantùm in favorem, ſcilicèt filiorumfamilias, ſed etiam in odium creditorum. Unde etiam poſt ſententiam ex eo exceptio datur *ff. ad Maced. ſed & ſi pater*; vel etiàm non poteſt aliquis renunciare juri ſuo, cum ex ejus renunciatione præjudicatur juri alterius. Unde clericus non poteſt renunciare foro ſuo, quia ex hoc præjudicaret Epiſcopo ſuo 11. q. 1. *clericum* 1. & *clericum* 2. *Hæc Goſt. tit. de renun. & hac extra de foro compe. c. præall. ſi diligenti*.

TITULUS VI.

De Pactis.

POſtea conſiderandum eſt de pactis, & Primò in generali. Secundò in ſpeciali, ſcilicèt de Tranſactionibus, quæ ſunt quædam pacta.

Circa primum videndum eſt primò, quid ſit pactum, & undè dicatur. Secundò de diviſionibus pactorum. Tertiò ad quos porriguntur vires pactorum. Quartò ſuper quibus rebus poteſt quis paciſci. Quintò de pactorum effectu. Sextò de conditionibus appoſitis in contractibus. Ideo ſit

ARTICULUS I.

Quid ſit pactum, & undè dicatur.

CIrca primùm ſciendum, quod pactum eſt conſenſus duorum, vel plurium in idem alteri ab altero paciſcentium dandum, vel faciendum. Si enim paciſcar tecum invito Titio, quod ipſe det Petro aliquid, pactum nullum erit. Si verò paciſcar tecum, quod des Titio, pactum erit, quandòque tamèn utile, quandòque inutile ad agendum *ff. de ver. obl. ſtipulatio iſta*. Lex tamèn talem conventionem pactum vocat *C. e. debitorum, & extra e. c. ul.* Dicitur autèm pactum *à pactione*. Pactio verò dicitur *à pace, & actione*, quaſi pacis actio. Nàm qui paciſcuntur ex diverſis, & contrariis motibus animorum poſt multa varia certamina in unam conſonam ſententiam deducuntur. Eſt autèm nomen pacti generale ad omnia, quæ inter partes aguntur cauſa contrahendæ, vel tollendæ obligationis. Poteſt autem hìc notari ad majorem evidentiam differentia inter pactum, pollicitationem, conventionem, ſtipulationem, & promiſſionem; quia Pactum eſt duorum, vel plurium conſenſus ad aliquid dandum, vel faciendum verbis expreſſus, ita quod verba præmittantur à promittente, & ſubſequentèr à recipiente, ut dabo tibi decèm, ut tu vendas mihi librum, & tu reſpondes: placet. Sed ſi recipientis verba præmitterentur, tunc eſſet ſtipulatio, *ut inſti. de ver. obl. in prin.* Pollicitatio verò eſt ſolius offerentis promiſſio. Oportet autèm, quod ibi ſit perſona præſens, cui fiat pollicitatio *ff. de pac. l. 1.* Nomen autèm conventionis eſt generaliſſimum, Nam & Scholares in ſchola, & Clerici in capitulo, & Populus in foro convenire dicuntur *ut ibidem §. conventionis*. Promiſſio verò referri poteſt, vel ad pollicitationem, vel ad nudum pactum, et ſtipulationem *ff. de edil. edic. l. ſciendum* §. 2.

ARTICULUS II.

De Diviſione pactorum.

SEquitur videre de ſecundò, ſcilicèt de diviſione pactorum. Circa quod ſciendum, quod pactorum quædam fiunt in rem, quædam in perſonam. In rem eſt pactum, quotiès paciſcor ne petam, In perſonam verò eſt quotiès paciſcor ne petam à perſona *ff. e. l juriſq. §. pactorum, & l. idem §. perſonale*. Itèm pactorum aliud eſt conventum, ut illud, quod eſt ex certis verbis expreſſum, et ſub certa forma redactum; Aliud eſt tacitum, ut illud, quod non eſt factum, ſed habetur ex aliqua lege ſpeciali, ac ſi eſſet factum, ut res conductoris domus illatæ in illam, tacitè ſunt obligatæ pignori domino domus.

Itèm pactorum quædam ſunt utilia, quædam inutilia. Utilia ſunt pacta, quæ ſunt veſtita ratione perſonarum, et rerum, et quæ fiunt juris ordine. Hoc eſt quod perſonæ, quę paciſcuntur ſe ſe obligare poſſunt, ut res ſuper quibus fit pactum, non prohibeantur alienari à jure, et ordo juris ſervetur in obligatione, ut ſupra dictum eſt de perſonis, rebus, et obligationibus. Inutilia ſunt, quæ deficiunt in aliquo iſtorum prædictorum, et hoc vel apertè, ut cum prædium minoris alienatur ſine decreto, et ſimilia; vèl fraudolentèr; Fit autèm ibi fraus multiplicitèr. Primò de perſona ad perſonam, ut cum tutor emit de bonis pupilli per interpoſitam perſonam ſuo tamèn nomine. Secundò de re ad rem, ut cum quis filiofamilias non mutuat pecuniam, quia prohibetur, ſed aliam rem, ut ipſe illa vendita utatur pecunia. Tertiò de contractu ad contractum, ut cum vir, et uxor conſtante matrimonio non donant invicem, quia prohibentur, ſed cauſa donationis vendunt. Quartò de nomine ad nomen, ut cum ille, qui prohibetur eſſe Poteſtas alicujus terræ, ſe facit eligi in defenſorem, vel procuratorem, quod idem eſt, mutato tamèn nomine. Quintò de facto ad factum, ut cum quis vendit tibi Ancillam ſuam eo pacto ne proſtituas eam in Lupanari, tu verò poſuiſti eam in caupona, ut ibi miniſtret, quod eſt idem quantùm ad effectum.

Itèm pactum rei turpis, vel pactum turpe, vel pactum impoſſibilis rei de jure, vel de facto nullam obligationem inducit, ut *extra e. c. ul.* Pactum autèm rei turpis eſt ſi dicam: promitto tibi, quod interficiam talem. Pactum turpe eſt pactum turpitèr, ſivè turpi conditione de re licita factum, ut promitto tibi decem ſolidos, ſi interfeceris talem. Pactum impoſſibile de jure, et de-

t de facto, eſt, ſi quis promittat ſolem penetrare. Impoſſibile de jure, ſed poſſibile de facto, eſt, ſi quis promittat rem ſacram. Poſſibile, ſed ſub conditione impoſſibile, eſt, ſi quis promittat mihi decem ſolidos, ſi dedero ſibi ſolem. Si verò ſit pactum poſſibile de jure, et de facto, valet *extra e. c. 2. per totum*. Si autèm poſſibile de jure, et impoſſibile de facto, ſi impoſſibilitas ſit perpetua, non valet; ſi ſit temporalis, valet, ſed expectatur, donec poſſibilitas adveniat, niſi ſit contra bonos mores.

Itèm pactum intèr contrahentes, ut dolus præſtetur, non tenet: Hoc enim eſt judicio bonæ fidei contrarium *ff. de re. juris. contractus*.

Itèm pactorum alia ſunt nuda, alia veſtita. Nuda ſunt illa, quæ non continent cauſam, nullius enim efficaciæ eſt alicujus rei traditio ſinè cauſa, et etiàm dicuntur nuda pacta illa, quæ non veſtiuntur aliquo ſex infraſcriptorum; et hæc pacta nuda non ſunt efficacia ad agendum, vel obligandum, licèt poſſunt ad defendendum. Pacta verò veſtita dicuntur ſex modis, ſcilicèt re, verbis, literis, conſenſu, cohęrentia contractus, et interventu rei. Dę primis quatuor ſunt exempla ſupra poſita *ti. de obli. ar. 3.* de cohærentia contractus eſt exemplum tale: Vendidi domum, et in ipſa venditione intervenit pactum, quod ego debeam morari in ipſa domo uſque ad annum. Hoc pactum ſi per ſe nudum eſſet, non valeret, ſed quia veſtitum eſt cohærentia contractus, vel venditionis, valet. Dę interventu rei tale poteſt exemplum poni; promiſi aliquid dare tibi, ut dares, vel faceres aliud mihi; Unde ſtatim cum dedero tibi, quod promiſi, veſtitum erit pactum ex parte mea; et ideò interventu ejus, quod dedi tibi, es obligatus mihi ad dandum illud, quod promiſiſti mihi.

Unde hujuſmodi pacta veſtita ſunt efficacia ad obligandum, et ad agendum, probatur hoc *inſti. de ver. obl.* Itèm pactorum alia ſunt clara, et hæc ſi ſint ſolemnitèr facta, ſunt omnino ſervanda. Alia ſunt obſcura, ut illa, quæ poſſunt habere duplicem intellectum, et hæc ſunt interpretanda contra proferentem, quia in ejus fuit poteſtatę ea apertiùs proferre *ff. eo. leg. veteribus*.

ARTICVLVS III.

Ad quæ porriguntur vires pactorum.

Circa hoc ſciendum, quod porriguntur ad perſonas illas, intèr quas ſunt pacta facta regularitèr. Porriguntur etiàm ad perſonas alias in caſibus aliquibus. Undè quandò dicitur, quod pacta intèr alios acta aliis obeſſe non debent *extra de tranſac. veniens, circa fi.* hoc verum eſt, quandò ſunt omninò alii. Obeſt enim, et prodeſt pactum procuratoris domino, debitoris fidejuſſori, Magiſtri Societatis Societati. Prodeſt etiam pactum tutoris pupillo, ſervi domino, filii patri, et de his omnibus *ff. de pac.* De primo modo patet *l. ult. & nocere, & l. ſeq.* Et notetur. De ſecundò *l. ult.* Et de tertiò *l. Magiſtri*. De quartò *l. tutoris*. De quintò, et ſextò *l. ſi tibi itèm, & l. ſeq.* Itèm pactum prædeceſſoris obligat ſucceſſorem, ſicut patris filium, ſi fuerit pactum utile Eccleſiæ, *extra de ſolu. c. 1.* Aliàs ſecùs eſt *extra de praca. c. 2.*

ARTICVLVS IV.

Super quibus poſſumus, & non poſſumus paciſci.

Sequitur videre de quarto, ſcilicet ſuper quibus non poſſumus, & ſuper quibus poſſumus paciſci, quod patet ex ſupra dictis in titulo de contractibus inutilibus ratione rerum.

Nota tamèn hic, quod multa poſſum facere, ad quæ non poſſum me aſtringere pacto; poſſum enim mihi aliquem hæredem conſtituere, non tamęn ad hoc me poſſum aſtringere pacto. Itèm pactum de futura ſucceſſione non tenet, niſi de conſenſu ejus, cujus eſt hæreditas *C. e. l. ul. § ſed nobis omnes*. Itèm nullus paciſci poteſt de rebus alterius, niſi de voluntate ejus, *ut ibidem*.

ARTICVLVS V.

De Pactorum effectu.

Circa hoc ſciendum, quod pactorum effectus eſt, ut illud, quod in pactum deducitur, obſervetur *extra e. c. 1. & 3.* Et licèt ſecundùm leges ex nudo pacto non oriatur actio, ut etiàm dictum eſt ſupra, & habetur *ff. e. juriſgentium §. ſed cum nulla*, niſi in quibuſdam caſibus; Secundùm tamèn jus canonicum ex nudo pacto, & ſimplici verbo aliquis efficacitèr obligatur, & contra eum actio datur *extra e. qualiter*. Et eſt ratio, quia cum quis venit contra ſimplex verbum, mortaliter peccat 22. *quæſt. 1. prædicandum*.

In ſumma igitur nota, quod ſervandum eſt omne pactum, ſi ſit tale quod ſervari poſſit ſinè detrimento ſalutis æternæ, vel ſalutis corporalis, & ſi ſit licitum, & poſſibile. Secùs eſt ſi ſit illicitum, & impoſſibile, & inhoneſtum *extra e. c. ul.* Indè eſt, quod ex pacto non habet locum ſucceſſio in Eccleſia Dei *extra e. accepimus*, nec poteſt augeri cenſus *extra e. cum clerici*. Pactum tamèn authoritate Papæ factum eſt ſervandum *extra e. c. 2.* Aliàs ſi ſit impoſſibile de jure, vel de facto, non tenet, ut dictum eſt ſupra *ff. de reg. juris impoſſibilium*, etiàm ſi interveniat juramentum.

Nota etiàm quod frangenti fidem non eſt fides ſervanda, etiàm ſi ſit juramento firmata *extra de ſymonia dilectus 1. in fi. & c. e. cum proponas*. Itèm pactum, quod fit dolo, initum non videtur. *extra de re promu. cum univerſorum*. Itèm, ſi ſit alteri captioſum *ff. de reſcin. ven. l. ſi*

id quod

iſ quod ind ſi.

Ad hæc etiàm nota, quod pactum poſteriùs præjudicat priori *C. e. pacta noviſſima, ar. extra decem. cum olim*. Itèm contractus ex conventione, ſivè pactione legem, & formam accipiunt *ff. de regu jur. §. contractus*. Itèm ſi in pactione contractus appoſita ſit pęna, ſoluta pęna, contractus non tenet, niſi ſit dictum, quod pæna ſoluta, contractus maneat firmus *ff. de tranſac. qui fidem*. Itèm quando contractus non tenet, pæna appoſita non tenet, *extra de foro compe. ſi diligenti*. Quando verò contractus tenet, pæna tenet *ar. extra de arbi. dilectis*, & *ar. ff de præcariis l.2. in Glo.* Itèm voluntates contrahentium magis, quàm conceptio verborum ſunt inſpiciendæ *C. quæ res pig. obli. poſ. l. ult.* Itèm quandò dubitatur de intentione contrahentium, tunc formæ contractus eſt ſtandum *extra de pig. illo nos*. Sed ſi conſtaret de contractu, ſcriptura eſſet inſpicienda *C. plus va. quod agitur l 3. & 4. in cap. prealle. illo nos in Gloſ.* Itèm pacto privatorum juri publico non derogatur, nec renunciari poteſt *extra de for. compet. ſi diligenti*. ubi dicitur, quod clerici non poſſunt renunciare iuri illi, ſcilicet, quod clerici non teneantur reſpondere coram iudice ſæculari, quia hoc eſt introductum in favorem totius cleri. Diſtinguit autèm *Goſ. ti. de privile.*, quod ſi ius ſit publicum authoritate, ſcilicèt inſtituentis, & utilitate, ſcilicèt communitatis, pactis privatorùm tolli non poteſt; ut ſi paciſcar, ne furti committendi nomine agam; hoc enim ius, ſcilicèt, ut maleficia puniantur, eſt ius publicum authoritate, & utilitate, & ideo per pactum tolli non poteſt *ff. de pac. ſi unus § pacta*. Et idem eſt de ſimilibus. Si verò ius ſit publicum authoritate, & privatum utilitate, ut tutelæ, & curæ, circa hanc actionem, ſcilicèt iuxta tutelam, & curam tollendam, habet pactum, & renunciatio locum, *ut C. & ff. de pac. in pluribus locis habetur*, & idem eſt de ſimilibus. Jus ergo publicum contingens utilitatem non communem, ſed privatam, per pactum tolli poteſt. Itèm ea, quæ promittuntur ob nimiam reverentiam alicuius non obligant; Unde ſi libertus ob nimiam patroni reverentiam conſtringit ſe pænali obligatione, ſi patronum offenderet, non obligatur *ff. quæ rerum act. non da. l.1. §. quæ onerandæ, & §. ſi onerandæ*. Itèm omnia, quæ contra bonos mores in pacto, vel ſtipulatione deducuntur, nullius ſunt momenti *C. de inuti. ſti. ex eo*. Itèm ſecundùm canones, ſi promiſi non accuſare, debeo denunciare, ſi verò promiſi non denunciare, pactum eſt illicitum *extra e. c. ult. in Gloſ.*

Itèm pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque contra leges, neque in quibus fraus alicui ſit facta, ſunt ſervanda *ff. e. l. juris gen. § Prætor ait*.

Itèm pactum pæna vallatum, ſi ſit contra leges, ſivè contra canones, nec pactum tenet, nec iuramentum ſupèr hoc præſtitum *ut ibidem §. & generalitèr*. Si verò ſit prætèr leges, non tenet pactum; ſed pæna tenet proptèr legem, eo quod fiat ſtipulatio altèri. Undè ſi talis ſtipulatio fuerit vallata pęna, pæna tenet, ſed non pactum *ff. de ver. ob. ſtipulatio iſta §. alteri*. Si autèm ſit ſecundum leges tunc tenet & pactum, & pæna, ita tamèn, quod alterum, quod voluerit, petet *ff. e. reſcriptum §. ſi pacto*. *Hæc Innoc.*

Itèm ſi quis promittat generalitèr alicui, dicens: quicquid petieris, dabo tibi; in tali promiſſione intelliguntur excepta omnia illicita, & ea, quæ ſpecialiter non promiſiſſet; *hæc Ber. extra de homi. cum juramento. ar. extra de jure jur. veniens*.

Inſupèr nota, quod pacta inita per Fratrès Minores, vel Prædicatores, vel alios Mendicantes, cum Rectoribus Parrochialium Eccleſiarum ſupèr iuribus Parrochialibus, puta exibitione ſacramentorum, oblationibus iure funerandi, & ſimilibus, vel ſuper aliis quibuſcumque, ſi facta ſint per Priores, vel Guardianos de ſuorum conventuum, ſivè locorum conſenſu, licèt authoritas Sedis Apoſtolicæ non intervenerit, vel licentia ſui Generalis Prælati, vel capituli, ſunt ſervanda, dummodo ſint aliàs licita, & honeſta *lib.6. c. quamvis*.

ARTICULUS VI.

De Conditionibus appoſitis in contractibus.

SEquitur videre ſexto, ſcilicèt de conditionibus appoſitis in contractibus, & quidèm de conditionibus appoſitis in contractibus ſponſalium, & matrimonii dicetur *in lib.8. ubi agitur de ſponſalibus, & matrimonio*. Undè hic agendum eſt tantùm de conditionibus appoſitis in contractibus aliis.

Circà quod nota, quod in contractibus aliis apponi poteſt conditio contractum conſtituens. Verbigratia: Dono tibi hoc, ſi feceris, aut dederis mihi illud, te enim donante, vel faciente illud, donatio conſtituitur *ff. de condi. & de cau. mo. eo. qui inte, qui hæredi*. Quandoquè addi poteſt conditio contractum perimens, ſeu adimens. Verbigratia: Dono, vel lego talem fundum; ſi non manumiſeris talem ſervum, ſtatim enim donatio, vel legatio tenet, vel valet; Sed ſi manumiſeris, adimitur utrumque, *ut ibidem l. cum ſub hac conditione*.

TITVLVS VII.

De Tranſactionibus.

DEindè conſiderandum eſt de tranſactionibus. & Primò quid eſt tranſactio, & unde dicatur. Secundò ſuper quibus tranſigi poteſt. Tertiò quis eſt tranſactionis effectus; Ideò ſit

ARTICVLVS I.

Quid eſt tranſactio &c.

CIrca primum ſciendum, quod tranſactio eſt de re dubia, & lite incerta, nec dum finita non gratuita pactio *ff. e l. 1.* Quod autèm dicitur *& lite incerta*, ponitur tranſitiuè *q. d.*: & re incerta lite, ideſt proptèr litem, quia quamdiù lis pendet, facit rem dubiam, & incertam; Litem autèm intelligo pręſentem, & futuram, quia etiam antè litem conteſtatam, tranſactio fieri poteſt *ff. de condi. indè elegantèr §. ſi quis poſt*. Litem etiàm intelligo juſtam, vel iniuſtam *C. e l. 2.* Si tamèn agens credat ſe juſtam cauſam fovere, alioquìn contra. *ff. de condi. indè in ſum.*; Ità tamèn quod diſtinguatur inter inſiſtentem, & reſiſtentem, ut ſi actor per calumniam inſiſtat, nulla fit tranſactio; Si verò reus per calumniam inſiſtat, tunc actio quoad eum valet *C. e. ſub prętextu.* licèt per aliam viam, hoc eſt per actionem de dolo, vel replicatione doli conſulatur actori, ut ibidèm dicitur, quando reus dolo inducit actorem ad tranſigendum. *Non gratuita* ideò dicitur, quia tranſactio ullo dato, vel promiſſo, vel retento non procedit *extra e. ſuper eo. & C. eo. tranſactio*. *Non finita* ideò dicitur, quia ſi judicatum eſſet, nec appellari, nec retractari ſententia poſſet; nec ſi dubitaretur de ea, tranſactio non teneret *ff. e. & poſt rem*. Poteſt enìm eſſe, quod reus dicat: condemnatus ſum tibi ad decem ſolidos, & verum eſt, quod debeo, ſi tamèn vis eſſe contentus de quinque, ſtatìm dabo, & tunc tranſactio nulla eſſet; Sed &si judicatum negaret, probatio tamèn ità eſſet aperta, ut negare non poſſet, adhùc idem eſſet *C. de poſt. quidam*.

Dicitur enìm tranſactio, quaſi actionis tranſitio, eo quod, qui tranſigit ab actione tranſit, & diſcedit, & ità dicitur propriè tranſigere actor, impropriè verò reus *C. e. l. 2.*

ARTICVLVS II.

Qui tranſigere poſſunt?

CIrca hoc ſciendum, quod tranſigere poſſunt dominus, compos mentis habens liberam adminiſtrationem, major viginti quinque annis. Minores enìm hic, ſicùt alibi, vel conſervantur illeſi, vel reſtituuntur in integrum, ſi fuerint adulti, tutores non habentes. Itèm tutores, & curatores eorum, & Pręſides provinciarum, & Pręlati Eccleſiarum, & Procuratores habentes mandatum ſpeciale, vel etiàm generale cum libera adminiſtratione. Itèm dati in rem ſuam *ff. de procu. mandato*. Jtèm capitulum tranſigere non poteſt vacante Sede *ar. extra §. ne ſed. uac. c. 2. & 3.*

Itèm Prelatus tranſigere non poteſt in cauſa Eccleſię ſinè conſenſu capituli *extra e. ſcilicèt de tranſac. contingit.* ſicùt nec poteſt alienare 10. *q. 2. §. hoc juſ.* Si verò habeat literas de rato capitulo ſuo, ſcilicèt continens ſimplicitèr, quod quicquid ſupèr tali negotio fecerit, ratum habebit, tranſigere poteſt *ut in c. 3. in tex. & in Glo.* Et quod dicitur ibi, quod ſi tranſactio fuerit ſervata aliquot annis, capitulum eam revocare non poterit, ac ſi in eam non conſenſerit, hoc ideò dicitur, quia ſi tranſactio fiat ſecundùm formam juris, poteſt reſcindi infra quadriennium, ſi Eccleſia ſe leſam probaverit. *extra de reſti. in integ. requiſivit*. Aliàs non poteſt venire contra tranſactionem, & ſtatìm ex quo conſenſit *C. e. quovis* & ſecundùm hoc, ſupple, maxime, quia idèm eſſet ſi conſervata non fuiſſet Sic exponit *Glo. Ber.* Ponitur etiàm ibi alia expoſitio, quam omitto

Nota etiam quod ſi tranſactio, & compoſitio facta inter perſonas aliquas, per ſuperiorem, ſcilicèt ordinarium, confirmetur, ſcilicèt à principio eſt realis, & perpetua, alias eſt perſonalis. Undè non durat niſi quamdiù vivit ille, qui tranſegit. Ille tamèn, qui tranſegit, eam revocare non poteſt *extra e. veniens in Tex. & in Glo.* Confirmatio tamèn Papę tranſactionem, quę quantum ad perſonas erat perſonalis, facit realem, ſi Papam hoc faciat ex certa ſcientia, quia etiam facere poteſt, quod illa, quæ nulla eſt, ſit aliqua 16. *q. 1. c. ſi. quod eſt majus. Hęc Ber.* Epiſcopus verò, & alii inferiores non poſſunt immutare naturam rei, & ideò ſi tranſactio eſt perſonalis, perſonalem confirmat, ſi realis, realem. Ità videtur quibuſdam. Itèm quando tranſactio, vel pactum ab initio non valuit, per Papę confirmationem vigorem ſumit *extra e. c. 2. in Tex. & Glo.*

ARTICVLVS III.

Super quibus tranſigi poteſt?

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt ſupèr quibus tranſigi poteſt. Circa quod ſciendum, quod tranſigi poteſt in omnibus civilibus *C. e. cauſas*. In criminibus autèm intervenire poteſt tranſactio in his, quę pęnam irrogant ſanguinis *C. e. tranſigere, & 2. q. 3. §. notandum quoquè eſt. quod ſicut in ver. in omnibus*. Actor tamèn, tunc incidit in turpilianum *ff. ad turpili. ſe. con. l. ab accuſatione*. Sed hoc nihil ad reum, cui ignoſcitur, ſi tali modo redimat ſanguinem ſuum *ff. de bo. eorum, qui antè ſententiam &c. l. 1.* Hoc tamèn fallit in adulterio *ut in l. præalle.*

alle. tranſigere. Quod tamèn videtur hodiè correctum *in auth., ut nulli judicium §. adulterium*. Uel fortè obtinet ſpecialiter in marito, vel veriùs non tranſigitur ibi de re dubia, vel lite incerta, ſed reconciliatur conjuncta. In criminibus verò, quę non irrogant pęnam ſanguinis, non poteſt fieri tranſactio, ſed fit gratuita pactio, vel remiſſio *ff. de jure fiſci l. in fiſci*. Et idem de adulterio poteſt dici. Si autèm reus data pecunia tranſigat cum actore, tranſactio nulla eſt, & reus habetur pro confeſſo *ff. de prevaricat. in omnibus, & in dicto § prænotato. notandum verò in omnibus*; Hoc autèm fallit in crimine falſi *C. e. tranſigere*. Secundum tamen canones cum nullum crimen irroget pęnam ſanguinis 23. *q. 8. his à quibus, & extra. ne cle. vel mo. ſententiam in prin.* in nullo ergo crimine tranſigitur. Jtèm in alimentis non tranſigitur, niſi cum decreto Prętoris, quod nec alteri mandare poteſt; Jnquirit tamen Prętor de cauſa, de modo, & de perſonis. Si tamen alimenta ſint futura, & debita ex voluntate ultima, vel donatione mortis cauſa, vel ſi aliquod horum defuerit, tranſactio non tenebit. Jn caſu tamen non requiritur Prętor, ſcilicèt cum alimentarius conditionem ſuam meliorat *C. eo. de alimentis*. Jtèm in controverſiis proficiſcentibus ex teſtamento non poteſt tranſigi, niſi inſpectis verbis teſtamenti. *ff. e. l. non eſt ferendus.*

Itèm tranſigitur ſuper ſervili, vel aſcriptitia conditione *ff. e. l. fi.* Itèm non tranſigitur in actionibus famoſis deſcendentibus ex maleficio, ut in actione furti, & bonorum raptorum, iniuriarum. Secùs eſt in actionibus deſcendentibus ex contractu, ut in actione mandati, tutelę, & depoſiti *ff. de his quę non infa. l. furti §. pactum, & l. in actionibus*. In ſpiritualibus autèm non poteſt tranſigi, ſcilicèt ut detur aliquod temporale pro ſpirituali, quia hoc symoniacum eſſet *extra e. conſtitutus*. Imò ſi aliqui litigent ſuper beneficio, non poſſunt tranſigere, ita ſcilicèt, quod unus expenſas in lite factas ſolvat, & alter liti cedat, *extra de pac. cum pridem*. Poteſt tamèn in eis amicabilis compoſitio fieri *extra e. ſuper eo.*. Secundùm tamèn *Gof. in ſum. e. ti. & extra e. c. 2. & Hoſt.* ſi temporale detur pro ſpirituali authoritate judicis, ſivè ſuperioris, pro bono pacis experiatur vitium symonię *extra de pręben. niſi eſſent*. Tamèn *Ber.* videtur ibidèm ſentire contrarium, dicens, quod ſi Papa non tolleraſſet compoſitionem ibi factam, authoritas judicis non ſufficiebat, quia hoc de jure non poterant. Undè dicit ibi Papa: *Nos tamen hoc adhibito moderamine tolleramus, & ad tempus tantùm*, ut ſequitur ibidèm Poteſt tamèn fieri tranſactio in ſpiritualibus, ut detur ſpirituale pro ſpirituali, ſicut dicimùs in permutatione *extra de rerum permu. ad queſtiones in Text. & Gloſſ. & Innoc. extra eod. ſtatuimus.* Diſtinguunt tamèn quidàm, quod dare ſpirituale pro ſpirituali ejuſdem generis, eſt licitum. Undè poteſt fieri tranſactio talis, ſcilicèt, quod unus accipiat decimas in una Parochia, & alter in alia, vel unus beneficium unum, & alius aliud cum conſenſu Epiſcopi, ſicut fit in permutatione. Dare verò ſpirituale pro ſpirituali alterius generis eſt illicitum; ut beneficium pro jure patronatus, & dicunt quidam, quod hoc Ber. innuit *c. ſuper eod. in ſuis exemplis*. Jtèm tranſigi non poteſt ſuper iniuria illata ſinè judicis authoritate *ff. qui no. infa. l. furti*. Jtèm nec in jure patronatus cum ſit ſpirituale *extra e. prętereà 1.* Jtèm nec in jure ſubiectionis ſpiritualis *extra e. prętereà 2.* Gratis tamèn remitti poteſt *extra de privi. cum olim*. Epiſcopus verò poteſt in remiſſione reſtituere cenſum ſibi in recognitionem dominii ſolvendum *extra de cenſibus omnis anima*. Uel ad percepte libertatis indicium; *extra de privi. recepimus*. Uenit autèm in generalem remiſſionem, remiſſio omnium temporalium, non autèm viſitatio, nec procuratio *extra de dona. paſtoralis*. nec cathedraticum, *ut ibidèm*. Vndè nec juriſdictio 16. *q. 2. viſis in fin.* Nec reuerentia *G. de bo. li. l. ult.* Sed & ſecundùm *verſ. extra e. prętereà quarto loco.; & Hoſti.* non tenet facta tranſactio, etiam in ſubiectione temporali, quæ eſt intèr dominum, & ſervum, niſi ſit dubium, utrùm ſit ſervus ille, de quo queritur *C. e. interpoſitas*. Hortandus tamèn eſt dominus ſervare pactum *C. de libera. co. cum affirmes in Tex. & Glo.*

Quid ſi ſuper Eccleſia agatur, numquid tranſigi poterit?

Reſpondeo, quod non *extra e. conſtitutus*. Quod intelligitur, quandò agitur de Eccleſia tanquàm de titulo, ſivè beneficio Eccleſiaſtico *extra e. ſuper eo.* Si tamèn duo Epiſcopi, vel duo monaſteria agant de Eccleſia contendentes de proprietate eius, vel de proprietate alicujus prędii *ut 16. q. 3. inter memoratos*, tunc tranſactio locum habet, ſicùt & permutatio, dùm tamèn non detur temporale pro ſpirituali *extra de re. permu. ad queſtiones*; puta quod unus habeat unam Eccleſiam, & alter aliam, vel unus habeat aliqua ſpiritualia in una Eccleſia, & alter in alia. *Hęc Gof. & Ber. in c. ſuper e., & idem Inno. extra e. c. ſtatuimus.*

Nota inſupèr, quod quędam ſunt, in quibus, nec compoſitio, nec diſpenſatio, nec tranſactio locum habet, ut quod vir dimittat uxorem, & aliam ſubducat; quod Monachus exiſtens Monachus proprium habeat, quod ſubiectus ſuperiori in licitis, & honeſtis non obediat, & in ſimilibus *extra e. c. fin.*

ARTICVLVS IV.

De Tranſactionis effectu.

SEquitur videre de quartò, ſcilicèt de tranſactionis effectu. Circa quod ſciendum, quod tranſactionis effectus eſt, ut omne inſtrumentum pertinens ad cauſam, ſuper qua eſt tranſactum, & quicquid aliud eſt, quod opem Partibus ferre

poteſt, ſit omninò caſſum, & ſola tranſactio robur obtineat perpetuum *extra e c. 1.* Hoc eſt verum ſecundùm *Glo.*, niſi dolo talis tranſactio ſit extorta, quia tunc non valeret *C. e. ſub prætextu*. Jlle tamèn qui dolum adhibuit, eam revocare non poteſt. Undè licèt poſtea inſtrumenta reperiantur, non tamèn lis reſtaurabitur *C. de tranſac. l. 2. & extra de ſen., & re. ju. c. inter monaſterium & c. ſe. Hac Ber.*

Jtèm tranſactio pęna vallata manet in firmitate ſua, etiàm ſoluta pęna *ff. de tranſ. ac qui fidem*. Jtèm tranſactio tenet, etiamſi tranſigens decipiatur ultra dimidium juſti pretii, quia magnum commodum eſt à lite recedere *ff. ad Trebel. Lucius §. fin. & extra de empt. & ven. cum ca. ubi plura de hoc in Gloſ.* Si tamèn tranſactio inita fuerit ex falſo inſtrumento, licèt intervenerit juramentum, retractari debet, quantum ad illud, quod fuerit compoſitum ex inſtrumento falſo, aliis manentibus firmis *C. e l. penult.* Jtèm ex eo datur exceptio in omni eo, de quo fuerit actum, & tranſactum: Undè ſi fuerit generalis petitio, & generalis tranſactio in omnibus obſtabit exceptio *C. e. ſub prætextu*; niſi reus occultaverit dolo ſpeciem, de qua deceptus eſt actor *ff. de pac. tres fratres*. Si verò ſit generalis petitio, & de ſpecie facta tranſactio, tantùm in illa ſpecie nocet exceptio, & idem eſt, ſi ſit ſpecialis petitio, & generalis quantum ad verba tranſactio *ff. e. cum acquiliana, & l. qui cum tutoribus §. fin.*, & idem eſt multo fortiùs, ſi utraque ſpecialis fuerit *ff. de pac. ſi unus §. pacta.* Si verò petitio ſit indefinita, ſic quæcumque tranſactio ſequatur, non obſtat, niſi in ſpeciebus in judicium deductis *C. e. ſi ex falſis*, & hic eſt effectus tranſactionis ex parte Rei. Ex parte verò actoris non datur actio de tranſactione, ut illud detur, vel fiat, quod convenit dari, vel fieri, ut recederetur à lite, quia redire poteſt ad veterem actionem; & ſi opponatur exceptio ex tranſactione, replicabit actor, quod fides non debet ei conſervari, qui vult contra pacta verſari *C. e. ſivè apud acta, & extra de jure jur. provenit 2.* Si autèm actori non ſupereſt actio vetus, datur ei conditio ob cauſam contra reum, ut ſe reponat ad primam obligationem *ff. de condi. cauſa data, ſi quis*, Uel datur actori actio præſcriptis verbis ad intereſſe, quia eſt contractus do, ut des, ut hoc remittère ſit dare *ff. de præſcrip. verborum ob eam cauſam*. De dolo autèm non agit actor, quia ad tranſigendum dolus non fuit, licèt ex poſt facto reus dolo quidem non ſervaverit *ff. de dolo l. 2. §. ſi quis*. Si autèm actor ad tranſigendum dolo inductus fuiſſet, de dolo agèt *C. e. l. actione*.

TITULUS VIII.

De Emptione, & Venditione.

POſtea conſiderandum eſt de contractibus in ſpeciali, & primò de emptione, & venditione.

Circa quod videndum. Primò de arrhis, quę ſolent dari, ut in pluribus antè venditionem. Secundò quid eſt venditio, & emptio. Tertiò de venditionis diviſione. Quartò de quo quęlibet venditio perficiatur. Quintò ad quem ſpectet periculum rei venditę. Sextò ad quid tenetur venditor emptori, & de actione unius contra alium, ut faciat, quod debet. Septimò de impedimento præſtito contractui per errorem, dolum, vel deceptionem. Octavò quid juris de ponderibus, vel menſuris falſis. Nonò de caſibus, in quibus cogitur quis vendere rem ſuam. Decimo de negotiationibus, ſivè mercationibus, quæ conſiſtunt in vendendo, vel emendo. Vndecimo de quibuſdam caſibus dubitabilibus, circa materiam iſtam. Duodecimo de monopoliis. Circa primum videndum eſt, quid ſit datio arrharum, & quid operetur, & quæ ſit pęna arrharum. Ideò ſit.

ARTICULUS I.

De datione Arrharum &c.

CIrca primum ſciendum, quod donatio arrharum eſt argumentum emptionis, & venditionis. Unde benè poteſt emptio, & venditio contrahi ſinè arrha, ſed per eam ſit evidentius intèr ementem, & vendentem de prętio commiſſo *ff. de contrahen. emp. quòd ſępe in princ.*. Si etiàm intervenerit arrha, nihilominus poteſt uterque recedere ab emptione, vel venditione, licèt pęnitens pęnam arrharum incurrat, niſi illud, quod eſt datum loco prętii, vel partis prętii interveniat; ut quia dicat emptor do hoc nomine arrhæ, & pro parte ſolutionis prętii, tunc enim altero eorum invito non recederetur à contractu venditionis, quia cum prętium, vel pars prętii ſit ſoluta, res deſinit eſſe integra, quod non fieret, ſi nomine tantùm Arrhę datum eſſet. Hoc probatur *C. quando li. ab emp. rece. l. 2.*. arrha enim non prętia, ſed pignora dicuntur. Operatur autèm datio Arrharum, ut Partes contractum perficiant metu pęnę Arrhę. Arrhę autèm pęna eſt, ut ſcilicèt ea interveniente, ſi per emptorem ipſum dantem ſteterit, quo minus impleatur, perdit, quod dedit. Si verò ſteterit per venditorem, Arrham recipientem, reſtituere cogitur duplum, ideſt illud, quod recepit, & tantum de ſuo, ſivè venditio ſit celebrata in ſcriptis, ſive ſine ſcriptis, *ut inſti. de empt., & ven. §. in his autèm*. & nihilominus

minus ſecundùm *Bulg.*, & *Io.* agetur ad intereſſe. Sed ſecundùm Mar., & Acur. ſatis eſt, quod ammittantur Arrhę. Secundùm verò *Hoſti*; ſi Arrha detur pro Arrha, & pro ſolutione, vera eſt ſententia prima. Si autèm tantum pro Arrha, vera eſt ſecunda.

Sed numquid idem eſt de pignoribus datis, ſcilicèt, quod is per quem ſteterit, perdat pignus?

Reſpondeo quod ſic, quia Arrhę, ut dictum eſt, pignora ſunt, & ſimilitèr per dationem pignoris res non deſinit eſſe integra, & hoc intelligo ſi illud, quod eſt eſt datum, ſit pignus ſimplicitèr, & inęſtimatum. Si verò ęſtimatum ſit, & adiectum, quod cedat pro Arrha, & ſolutione, tunc res deſinit eſſe integra, ſicut dictum eſt ſupra de arrha *ar. C. de reſcin. ven. pretii*.

ARTICVLVS II.

Quid eſt Venditio, & Emptio?

Circa quod ſciendum, quod venditio eſt alicuius rei pro certo prętio datio. Et emptio eſt alicuius rei pro certo prętio acceptio: & ſic colligitur, quod in hoc contractu debent eſſe duo, ſcilicèt res, & prętium. Res quidèm ex parte vendentis: Et complectitur hoc nomen rei tam corporalia, ſcilicèt, quæ de ſui natura poſſunt tangi, ut fundus, veſtis, & ſimilia, quàm incorporalia, ut jura, & actiones; tàm pręſentia, ut quæ iam ſunt in rerum natura, quàm futura, ut quæ non ſunt, ſed futura ſperantur, vt futuri fructus, ancillę, & jumenti partus; tàm demonſtrativa ad oculum, ut quæ ſubiacent ſenſui viſus, & tactus, quàm demonſtrativa ad intellectum, ut quæ percipiuntur ſolo intellectu, ut eſt dimidia, vel tertia pars ſumendo pro indiviſo; & ſic res omnes vendi poſſunt, dummodo ſint tales, quod ſuper his contrahi poſſit. Sunt enìm aliquæ res, ſuper quibus contrahi non poteſt, *ut habitum eſt ſupra de contractibus inutilibus ratione rerum*. Ex parte verò ementis debet intervenire prętium verum, & certum, & conſiſtens in pecunia nummerata, *verum* dico, ideſt vero animo debet ſolvi, non ſimulatum, quia ſi prętium apponatur immaginariè, vel per ſimulationem, nulla eſt venditio.

Debet etiàm prætium eſſe certum quantitate, ſcilicèt certam continens quantitatem, ut decem, vel duodecim ſolidos, *ut inſti. e. §. pretium autèm.*, & debet eſſe quantitas illa pecuniæ numerabilis, quia prætium in ſola pecunia conſiſtit, alitèr non eſſet venditio ſed permutatio, vel alius contractus innominatus, *ut inſtit. e. §. pretium*.

Ad hoc nota, quod prętium non debet, nec poteſt conferri in arbitrium alicujus contrahentium, ut dicatur vendo tibi quanti voluero, vel quanti volueris, quia nulla eſſet venditio, *ut C. de contrahen. emp. in vendentis*. Tamèn ſi prętium, vel etiam rei, quæ emitur, vel augumentum, vel diminutio, in alterius perſonæ tertiæ arbitrium conferatur; tunc ſi ille tertius nominatus fuerit, & prætium arbitretur, tenet venditio; Si tamèn ille iniquè arbitretur, ad arbitrium boni viri, ideſt judicis recurratur *ff. de ver ob. continuus § cum ita.*, & habet hoc locum in contractibus bonæ fidei, & in contractibus ſtricti juris, *ut ff. de operis lib. ſi libertus*. Si verò nihil arbitretur, non tenet venditio, nec ad alterius arbitrium recurritur, *ut C. de contrahen. emptio. l. ultima*.

ARTICVLVS III.

De Diviſione venditionis.

Circa quod ſciendum, quod venditionum quędam dicuntur fieri in ſcriptis, & ſine quędam ſcriptis Dicitur autèm venditio, & quilibet alius contractus fieri in ſcriptis, quando in contractu, vel antè, partes conveniunt, ut indè ſcriptura fiat. Sine ſcriptis verò dicitur, quando non agitur intèr partes, ut inde fiat ſcriptura, & ſi etiam poſtea fiat ad cautelam, tamèn ex quo non fuit actum hoc ab initio dicitur fieri ſine ſcripto; & multo magis poſtea ſi fiat nulla ſcriptura, ſicut in venditionibus rerum exiſtentium in numero, pondere, & menſura; Jn venditione etiam talium non ſolent fieri inſtrumenta.

ARTICVLVS IV.

Quomodò quęlibet venditio perficiatur?

Sequitur videre de quartò, ſcilicèt quomodo, quælibet venditio perficiatur. Circa quod ſciendum, quod venditio illa, quæ fit ſine ſcriptis ſolo conſenſu partium deprætio, & de re perficitur. Ex hoc enìm cogitur, & venditor rem tradere, vel intereſſe præſtare, *ut ff. de acti. emp. l. 1.*, & emptor prætium ſoluere, *ut ibidèm l. Iulianus §. offerri*. Venditio verò, quæ fit in ſcriptis requirit & conſenſum, & finale ipſius ſcripturæ complementum, quod tunc eſſe factum intelligo, quandò ſolemnis ſtipulatio eſt ſuper illo contractu celebrata, & teſtibus adhibitis eſt mandatum à Notario, quod utraque parte pręſente ſcribat. *ut C. de ſi. inſtru. contractus*. Et antequam iſta ſint facta, quælibet pars recedere poteſt à contractu, & neutèr agere poteſt *ut ibidèm*. Si tamèn venditor, antèquam prædicta ſint completa, rem tradàt, benè transfert dominium, ſed & agere poteſt ad rem recuperandam, niſi prætium ſolvatur *C. de rerum permut. rebus*.

ARTICVLVS V.

Ad quem ſpectet periculum rei venditę?

Sequitur videre de quinto, ſcilicèt ad quem ſpectet periculum rei venditæ. Circa quod ſciendùm, quod ſi venditio fiat purè ſinè ſcriptis de re certę ſpeciei, quę deguſtationem non exigit, omne peri-

periculum rei emptæ ſpectat ad emptorem, etiam ſi res non ſit emptori tradita *inſti.eo.§.cum autèm.* pretèr caſum publicationis;niſi pactum culpa, vel mora interveniat. *Purè* ideò dixi, quia ſi venditio eſſet conditionalis, antè conditionis eventum periculum immineret ad venditorem, ſed deterioratio ad emptorem *ut ff. de pericu.& com. rei vend. l. illud.* Jdeò autèm dixi *ſinè ſcriptis*: quia ſi fiat in ſcriptis, periculum ſpectat ad venditorem, antèquam ſcriptura perficiatur, *ut C. de fide inſtru. contractus.* Jdeò verò *certę* dicitur, quia ſi ſub alternatione fiat emptio diverſarum rerum, periculum primi pertinet ad venditorem, ut ſi tibi vendam Stichum, vel Titium, periculum primi pertinet ad venditorem, periculum ſecundi ad emptorem: Undè ſi Stichus obiit, dabitur Titius, *ut ff. e. ſi in emptione §.ſi emptio.* Jdeò autèm dixi *ſpeciei*, quia ſi fiat venditio in genere,periculum pertinet ad emptorem, ut cum vendo hominem, & non dico quem,quia quod debetur in genere, non poteſt perire *C. ſi cer. pe. incendium.*

Quid ſi vendam incertum de certis,ut unum de ſervis meis, vel quinque corbes ex hoc dolio, & omnes pereant?

Reſpondet Hoſti: quod emptor repetet prętium ſi dedit, quia ſinè cauſa eſt apud me, & ſi non dedit,habet exceptionem, & ſic non pertinet ad eum periculum.

Ideo autem dixi, *quæ deguſtationem non exigit*, qui ſi ſit res, quæ deguſtationem deſideret, ut Vinum, Zinziber, & hujuſmodi, & vendatur in ſpecie,poſt deguſtationem, non antè perit, & deterioratur emptori. Si verò vendatur in genere, tunc ſunt duo neceſſaria, vt pereat, & deterioretur emptori, ſcilicèt deguſtatio, & commenſuratio, ſive ponderatio; & hoc ſecundum *Jo. Bul.*, *& Plac.*. *Sed Azo* dicit, quod de vino eſt ſpeciale, ut ſtatim facta venditione in ſpecie, etiàm ante deguſtationem pereat, & deterioretur emptori. *ff. eo., quod ſæpe §. in his.* Jtem periculum publicum pertinet ad venditorem, *ut ff. loca, & conduc. ſi fundus.* Jtèm ſi ſit incertum pactum, quod periculum reſpiciat venditorem, non periret emptori, ſivè de caſu fortuito dictum eſſet ſpecialitèr ſecundùm Bul. ſivè generalitèr ſecundùm Mar. Jdem eſt ſi venditor fuerit in culpa, vel dolo, quod res pereat, vel deterioretur. Jdem eſt etiam ſi venditor fuerit in mora, quia periculum ſpectat ad moroſum, etiam ſi res erat peritura penès alium, ſecundùm *Jo.*, *& Azo.*Sed *Mar.* dicit contrarium. Vltima verò mora ſemper nocet illi, qui facit eam *ff. de peri., & com. rei ven. illud.* *Hæc inſti. e. §. cum autèm in Gloſ.*. Et *Hoſti.* addit, quod ſi calliditas interveniat ex parte venditoris, ſcilicèt, quia bonitatem duraturam affirmavit, vel etiàm ſcivit non duraturam, & tacuit, imputatur ei *ff. de pericu. , & com. rec. ven. ſi quis vina.*

Itèm ſicut periculum pertinet ad emptorem, Ita & commodum *ff. de re. juris ſecundùm naturam.* Et ideò quod per alluvionem accreſcit, & fructus, & partus rei venditæ ſpectat ad emptorem *C. de ac. emp.*, *& ven. l. fructus poſt. & l. pe.* Jtèm, & actiones ei ſunt credendæ *ff. de aci. emp.*, *& ven. l. Iulianus §.ſi fructibus.*

Quid ſi res vendita apud venditorem ſit furto ſublata?

Reſpondeo. Aùt intèr eos convenit de cuſtodia, & tunc damnum erit ipſius venditoris. Aùt non convenit, & tunc ſufficere debet, quod venditor talem cuſtodiam adhibuerit, qualem bonus paterfamilias adhibet rebus ſuis, quod ſi fecerit,in nullo tenetur *ff. e. quod ſæpe §.ſi res.*

ARTICVLVS VI.

Ad quid tenetur venditor emptori, & è converſò?

SEquitur videre de ſextò, ſcilicèt ad quid tenetur venditor emptori, & è converſo.Circa quod ſciendum quod venditor, tenetur rem tradere, ita quod emptor habeat vacuam poſſeſſionem, hoc eſt,quod emptor ſit potior in poſſeſſione, ita quod ab ea non poſſit advocari, nam ſi quis eam advocaverit, perinde eſt, ac ſi tradita non fuiſſet *ut ff. de ac. em.*, *& ven l. 1. §. 1.* Hæc autèm traditio facit emptorem dominum, ſi venditor erat dominus; Si verò non erat dominus,obligatur nomine evictionis, dummodò prętium ſit ſolutum, vel eodem nomine ſatisfactum, *ut ibidèm ff. de ac. em. & ven. l. exempto §. 1.* Si verò venditor nolit rem tradere, tenetur ad intereſſe, *ut ibidem l. 1.*

Sed numquid manu militari ab invito venditore res vendita poterit extorqueri?

Reſpondeo. Hoc viſum eſt domino Mar: quod ſic, per legem *ff de rei ven. l. qui reſtituere* Sed ſecundùm *Goſ. ar.* contra per legem *C. de ac. em. & ven. emptor.* Reſpondeo, ideſt debet ei prius prætium offerre, quàm venditor rem tradere. Quin imò in venditione non transfertur dominium etiam re tradita, niſi prętium ſit ſolutum, vel aliàs ſatisfactum. Secùs eſt de permutatione, & alijs contractibus. Hoc dico niſi venditor fuerit ſecutus fidem emptoris *inſti. de rerum diviſi §.per traditionem. §.& vendita.* Si verò neuter fidem habeat de altero,prętium,& res deponatur apud ſequeſtrum *ff: de ſolu. l. ſi ſoluturus.* Hæ Ber. *extra de ſymo. intantùm.* Unde emptor agere non poteſt ex empto antequam ſolvat, vel offerat prætium venditori, *ut in §. venditę.*

Notandum autèm, quod ſi quis mandavit tribus de re ſua vendenda, & unus eorum emat, venditio non valet, & revocari poteſt, quia videtur mandatum, ut alii vendant *ff. e. non licèt.* Hæc Ber. *in quæſtionibus.*

Itèm ſi vendo tibi alternatim rem illam, vel illam,habeo optionem, non tu, niſi ſit alitèr dictum *ff. e. ſi ita diſtrahatur.* *Hęc Azo.*

Itèm ſi vendidero tibi bibliothecam, ideſt ai-

armarium librorum hac conditione, ſcilicèt ſi poteris habere locum, in quo eam ponas, & per te ſteterit, quo minus locum habeas, agere poſſum contra te ex vendito, quaſi completa conditione, cum per te ſtet, quo minus compleatur *ff. eo. l. cum ab eo*, *& l. labeo ſcribi ſi mibit.*.

Itèm, quando contractus fit ſic, ſcilicèt, ut liceat emptori à contractu diſcedere, ſi emptio diſpliceat, tunc uſque ad quadraginta dies, & non ultra emptor diſcedere poteſt, niſi decens ſit quod quandocumque velit diſcedere poſſit *ff. de edil. edi.*, *quod ſi nolit*, *& extra de pig. illo. in Gloſ.*

Itèm ſi quis prædium emerit, cui Aquæductus debetur, jus aquæ ſic ad emptorem pertinet, etiamsi non ſit dictum, ſicut & ipſę fiſtulæ, per quas aqua ipſa ducitur, licèt ſint extra ędes, & hoc eſt ratione acceſſionis *ff. e. ſi aqua ductus*.

Itèm ſi quis prędia vendiderit hac conditione, ſcilicèt, ùt emptor ſatisfaciat reipublicæ, ſi emptor non ſatisfecerit, non ideò contractus caſſatur, ſed venditor agere poteſt ad intereſſe, ut fiat, quod convenit *C. de reſcin. ven. ea conditione*.

Itèm ſi vinum, quod eſt in dolio ſit venditum, hoc videtur actum, ſcilicèt, ut expediatur dolium competenti tempore proptèr novam vindemiam. Undè venditor illius non antè habebit dolium expeditum, quàm emptor evacuet ipſum, niſi vindemia ſuperveniat, vel niſi venditor ſit vini mercator, qui conſuevit emere, & revendere vinum *ff. de peri.*, *& commo. rei ven. l. 1. §. ult. Hæc Gloſ.* Undè ſi emptor nolit accipere, poteſt venditor menſurare, & effundere coram teſtibus, ſi vaſa ſint neceſſaria ſibi *ſecundùm Hoſt.*

Itèm ſi res ſit vendita duobus, potior eſt ſecundus, ſi primo ſibi tradatur, & idem eſt de donatione *C. de rei vend. quoties*. Niſi primus emptor emiſſet nomine Eccleſiæ. Hoc enim eſt ſpeciale, quod dominium acquiritur ſine traditione *ar. extra de conſue. ex literis*, & expreſſe *C. de Sac. San. Eccl.*, *ut inter divinum, publicumque*. Et etiam ſi ſecundus emerit nomine Eccleſiæ, præfertur primo *ff. de de procu. in cauſę*. Sed venditor tenetur crimine ſtellionatus, ut patet *ad l. Corne. de falsis l. 1. ff. de cri. ſtel. l. 3.*

Itèm licèt res ſit empta mea pecunia, non ideò ſit mea, niſi ematur nomine meo *C. de rei ven. ſi ex ea.* fallit autèm hoc in re empta de pecunia Eccleſiæ *ar. extra de pecu. cle. c. 2. & c. pe.*, vel de pecunia militis, vel pupilli, vel minoris, vel data coniugi *C. de rei ven.*, *ſi ut proponis*, *& C. arbit. ſtu. l. 3. & ff. de donat. inter virum, & uxor. l. uxor marito*, vel de pecunia uſuraria, *Extra de uſu. cum tu. in §. fin. ſecundum quoſdam*. De quo dic ut infrà ti. de uſu. ar. de pęnis uſurariorum.

Inſuper nota, quod de re vendita evicta agit emptor de evictione. Hoc tamèn fallit in multis caſibus, ſcilicèt, ſi emptor ſuper re vendita impetitus non nunciat venditori, vel fidejuſſori; ſi venditor ſit abſens, vel ſi emptor contumaciter abſuit tempore ſententię; Vel ſi propter injuriam ſuam contra eum lata fuit ſententia *extra eo c. ult.* Vel ſi non tempeſtivè denunciet, ſed jam propè ſententiam, *ut ff. de evic. ſi rem, quam §. ul.* niſi ſit in contractu remiſſa neceſſitas nunciandi, *ut ff. de evic l. ult.*

Sunt etiàm & alii caſus, in quibus emptor non agit de evictione, ſcilicèt ſi compromiſit, & ſententiam contrariam reportavit, *ut ff. de evic. ſi dictam §. ſi in arbitrium compromiſero.* Jtèm, ſi ſua culpa poſſeſſionem amiſit, *ut ibidèm l. ſi rem, quam §. ſi duple.*

Itèm ſi habuerit rem pro derelicta, *ut ibidèm l. ſi ſecutum eſt*. Jtèm ſi ancillam emptam proſtituat, *ut ibidem l. ſi mancipium*. Jtèm ſi emptor uſu ceperit rem emptam, *ut ibidèm rem alienam*. Jtèm ſi venditore abſente emptor condemnatus non appellavit, *ut ibidèm l. herennius*. Jtèm ſi rem alienam ſcientèr emit, niſi de evictione ſpecialitèr ſibi proſpexerit *C. de evicti. ſi fundum*; Vel niſi aliquod caſuale contingat *C. communia de le. l. fin. & extra de reb. Eccl. non alienan. ad audientiam.*

Itèm ſi venditor voluntate emptoris in loco vendito ſepultus fuerit *ff. de evict. ſi per imprudentiam §. ſi quis locum.*

Itèm ſi emptor uſucapere potuit, & non uſucepit, *ut in l. pręall. ſi dictum §. ſi cum poſſet*, *& extra e. c. fin. in Gloſ.* ubi plura habentur de hac materia.

Itèm venditor tenetur emptori re vendita evicta in ſimplum tantùm, & ad intereſſe, & in rebus prętioſis, cujusmodi ſunt indumenta ornamenta prætioſiora; vel eſt hoc relinquendum arbitrio judicis, ſcilicèt, quæ ſint res prætioſæ, & tunc cogitur in duplum promittere, alitèr condemnabitur in duplum. Sic intellige *ff de evict*, *& duple. ſtill. 2.*, *& l. emptori*, & intelligitur duplum pretii conventi *ff. e. l. cum fundus.* Stipulatio tamèn poteſt fieri ex conventione in quantumcumque volunt partes *C. de evic. l. ſi tibi liberam*.

ARTICVLVS VII.

De impedimento præſtito contractui per errorem, dolum, vel deceptionem.

SEquitur videre de ſeptimo, ſcilicèt de impedimento præſtito contractui per errorem, dolum, vel deceptionem. Circa quod ſciendum, quod venditio non tenet, ſi erretur primò in principio, ut ſi putem vendere tibi pro decem ſolidis, & tu putes emere pro quinque; Secùs eſt ſi è converſo *ff loca ſi decem*. Secundò in contractu, ut ſi putem vendere, & tu putes donari *ff. de re cre.*, *& ſi cer. pe. l. ejus, qui.* Tertiò in corpore, ut ſi putem vendere unum fundum, & tu putes emere non illum, ſed alium *ff. e. in venditionibus*. Sed ſi vendam tibi Petrum cocum, cum non ſit, & is, qui eſt, vocatur Vgo; Si nomi-

nomina ſervorum ſunt nota, tunc is debetur, qui eſt nominatus; Si verò ſint ignota, tunc is videtur venditus, cui artificium eſt adiectum *ff. de rebus dubiis, qui habebat*. Quartò in materia, ut ſi vendatur auricalcum pro auro *ff. e. in venditionibus*. pignus non tenet, ſi quis obliget æs pro auro *ff. de pigno. & hypo. l. 1.*. Quintò in ſubſtantiali qualitate, ut ſi vendatur acetum pro vino, quod ab initio fuit acetum; Secùs eſt ſi ab initio fuit vinum, & poſtea coacuit, *ut ibidèm*. Si etiam in parte erretur in qualitate ſubſtantiali non tenet pro parte, in qua erratur *ff. e. l. quid tamèn*. Tamèn error, aut qualitas accidentalis non vitiat contractum, ut ſi quis emit agrum ſterilem, quem credit eſſe uberem 29. q. 1. §. *his ita reſpondetur*. Hoc eſt verum ſecundùm *Jo. Ang.*; niſi in tribus caſibus. Vnus eſt, ſi deceptus eſt ultra dimidium juſti prętii. Secundus eſt, ſi ager peſtiferas herbas habet *ff. de edilitiis actionibus l. penul.* Et tertius, ſi dolus cauſam contractui dediſſet *ff. de dolo l. elegantèr*. Sextò in ſexu, ut cum puto vendere puellam, & tu putes emere puerum; Sed ſi putes emere virginem, & eſt corrupta, emptio tenet *ff. e. alioquin. §. quod ſi ego*. Sed venditor ſciens eſſe corruptam tenetur actione ex empto ad reſolvendum contractum *ff. de ac. emp., & ven. ex empto § ſi quis virginem*. Septimò in eſſentia, ut ſi quis vendat domum, quæ eſt combuſta, & uterque ignorat hoc; Si enim res vendita credatur extare, cum non extet, nulla eſt emptio *ff. e. domum*. Sed ſi vendatur domus pro majori parte combuſta, tunc, aut uterque, ſcilicèt emptor, & venditor ignorat domum eſſe combuſtam, & ſic non tenet, & tenetur emptor venditori ad intereſſe: Aut ſolus emptor ſcivit, & tunc venditio tenet, & tenetur ſolvere prætium totum: Aut uterque ſcivit eſſe combuſtam, aut totam, aut pro majori parte, & tunc nihil eſt actum, & dolus dolo compenſatur *ff. e domum*. Et quod dicitur *nihil actum eſſe* intelligitur, quantum ad partem combuſtam. *Hoc Accur., & Hoſtien.*. Octavò in perſona, unde ſi quis eſt pactus, ſe venditurum agrum Petro, & poſtea venit Titius, dicens ſe eſſe Petrum, & emat agrum ab eo, ille non dicitur vendidiſſe agrum Titio, ſed Petro 29. q. 1. §. *his ita reſpondetur*.

Itèm contractuum quidam ſunt contractus ſtricti juris, ut mutuum, & tranſactio. Quidam bonæ fidei. Jn primis, ſi dolus det cauſam contractui, vel incidat in contractum, tenet contractus, ſed actio ex eo eliditur per exceptionem *ff. de ver. ob. l. ſi quis cùm aliter* §. 1.. Jn contractibus autèm ſecundis, ſcilicèt bonę fidei, aut dolus intervenit, aut non: Si ſic, aut ergo dat cauſam cotractui, aut incidit in contractum. Si primò modo, aut dolus eſt adhibitus per contrahentes, aut per mediatorem; Si per contrahentes, ſic non tenet contractus, ut ſi dolo te induxi ad vendendam rem, quam alitèr non vendidiſſes: verbigratia; Tu volens emere decretales meas, quęris à me ſi volo vendere eas, & reſpondeo, quod non, & tu dicis: Si ſcires illud, quod ſcio, ſcilicèt aliam compilationem eſſe venturam, libentèr venderes; & ideò vendo tibi, non tenet contractus. Si verò dolus ſit adhibitus per mediatorem ſic tenet contractus, ſed datur actio de dolo contra mediatorem; Jn ſubſidium tamèn etiàm emptor tenetur ſecundùm Hoſtienſ. *ff. de dolo l. elegantèr* §. 1. Petitur autem ſalarium, quod ei debetur dari jure licito *ff. de proſenet. l. 1.* Si autèm dolus incidit in contractum; Puta venditurus eram, ſed proptèr dolum tuum vendidi pro minori, tenet contractus, ſed agitur ad reſiduum complementum *ff. de ac. em. Iulianus* §. *ſi venditor*. Si autèm non intervenerit dolus, aut ergò contrahens eſt deceptus in re ipſa ſine alterius dolo, aut non; Si non, tenet contractus; ſi ſic, aut eſt deceptus in materia rei, & ſic non tenet, ut ſi vendatur aurum pro aurichalco; aut in quantitate rei, ſic agitur ad ſupplementum, etiam ſi deceptus ſit circa dimidium rei, niſi fuiſſet depoſitus terminus menſurandi rem illam, & ille, qui accepiſſet de quantitate non renunciaſſet; ut ſi vendidi tibi quatuor modios farinæ, & dixi, quod infra decem dies menſurares, & mihi de quantitate renunciares, ſi mihi non renunciaveris, & minus habueris, damnum erit tuum *ff. e. qui fundum*. &ſi menſuræ denunciatio fraudolentèr fuit dilata, tenetur actione de dolo. Hęc *Ber. extra e. cum dilecti*, aut in prętio, & tunc ſecundum *Hoſtien.* ſi in prętio ſit deceptus, non ex propoſito contrahentis; ſi quidem ultra dimidium juſti prætii, agit deceptus, ut contractus reſcindatur, vel juſtum prętium ſuppleatur data optione decipiendi *cap. de reſcin. ven. l. 1.* Ad hoc tamèn *Ber.* dicit, quod electio eſt emptoris, quando minus dimidio juſti prętii emitur *extra e. cum dilecti, & c. cum ca.* Ergo à contrario ſi ultra dimidium juſti prętii, ut ſit emptor deceptus, ſic dabitur electio venditori; Sic intelligit Azo. Emitur autem ſecundùm Azonem res minus dimidio juſti prætii, ſi res valet decem ſolidos, & venditur pro quinque minus uno denario, & ſic decipitur venditor; Si autèm valet decem, & ematur pro quindecim, & uno denario, deceptio eſt ultra dimidium juſti prætii, & ſic decipitur emptor.

Alii dicunt, quod tunc eſt deceptio ultra dimidium juſti prætii, quando res valens decem emitur pro 21., ſed prima ſententia verior eſt ſecundùm *Hoſt.*, & *Bernar.*; Si verò deceptio non excedat ultra dimidium juſti prætii, & uterque contrahentium eſt major, & privatus, tolleratur ſecundum leges, quia licet contrahentibus ſe invicem decipere naturalitèr, ideſt bona fide, ſcilicèt, quando venditor credat vendere juſto prętio, idem ſi alter ſciat, dummodo nihil dicat, quod alter moveatur ad emendum ſecundum *Accur. ar. optimum ff. de dolo malo, quod venditor*; Minor verò, & Eccleſia reſtituerentur, ſi gravitèr lederentur, & ſimiliter Reſpublica; *Hæc Hoſtien.*

Quandoquè tamèn contractus non tenet, & ta-

& tamen ex eo agitur, ut ſi quis colludente meo procuratore emerit ab eo paſſum, agetur ex empto, vel ut emptio maneat in totum, vel ut reſtituatur in totum; & ſimilitèr, ſi quis minorem viginti quinque annis circumvenerit, minori datur actio ex empto, ut emptio in totum remaneat, vel in totum deſtruatur *ff. de ac. em. l. Item ſi quis*; *Hæc Ber. extra e. cum dilecti.*

Nota tamen ſecundùm *Guil.*, quod ſi quis ſcientèr emerit rem ultra dimidium juſti prætii non ſuccurritur ei *li. 6. de regu. juris*, Scienti non infertur dolus *ar. contra*, quia jus non diſtinguit, ſi ſcivit, vel ignoravit. [illegible]

Nota etiàm, quod in contractu debet attendi tempus venditionis; Unde ſi *Sylva*, quæ eſt vendita pro ſexaginta libris, valeret tantum decem tempore venditionis, & poſtea tempore litis conteſtatæ communitèr valeret triginta, venditio revocaretur *extra e. cum dilecti in Gloſ.*

Sed quid ſi aliquis juraverit contra venditionem non venire? Numquid audietur, ſi deceptus ultra dimidium juſti prætii vellit agere?

Reſpondet *Ber. extra e. cum cau.*; quod talis ſi ſit major non audietur, ſi verò minor audietur, quia per juramentum non excluditur, niſi beneficium, quod habet ex ætate, & non jus commune; Unde jure communi poteſt agere, vel ad ſupplendum prætium, vel ad reſcindendum contractum, ſed reſtitutionem in integrum petere non poteſt propter juramentum; Si autèm juraſſet non repetere rem, ex eo quod eſſet deceptus ultra dimidium juſti prætii, tunc nulla via audiretur; *Hæc Ber. Jo. autèm* 10 *q. 2. §. hoc jus.* videtur ſentire, quod non licet contrahentibus ſe decipere, licèt hoc lex concedere videatur.

Pone, quod res empta minus dimidii juſti prætij pereat apud Emptorem; Numquid venditor agere poteſt ad ſupplementum juſti prætii reddendum? Reſpondet *Ber. in quæſtionibus*, quod poteſt, quia emptor tenebatur, vel rem reſtituere, vel juſtum prætium ſupplere: Undè cum non poſſit facere unum, tenetur ad alterum. Sed quo jure agitur ad ſupplendum juſtum prætium, vel reſcindendum cotractum. Dicunt quidam, quod Officio Judicis *C. de reſcin. ven. l. 2.*, & ſecundùm hoc tantum agetur uſque ad quattuor annos, & uſque ad illud tempus competit reſtitutio in integrum. *C. de reſti. in inte. l. ul.* Alii dicunt, quod conditione *ex l. 2. C. de reſcin. ven.*, & ſecundùm hoc agetur uſque ad triginta annos, quia cum omnes conditiones ſint perſonales, ſunt perpetuæ. Jnno: verò credit, quod agitur ex contractù, ſcilicèt ex vendito. Hoc etiàm *extra e. cum cauſa in Gloſ. circa finem.*

ARTICULUS VIII.

De menſura, & ponderibus publica authoritate, vel conſuetudine inſtitutis.

Sequitur videre de octavo, ſcilicèt de menſuris, & ponderibus, putà publica authoritate, vel conſuetudine inſtitutis; & qui eas cauſa lucri mutaverit, peniteat triginta diebus in pane, & aqua *extra e. c. 2.*, & excommunicari poteſt, ſi penitentiam agere nolit 24. *q. 3. ſi quis romipetus*. Ad pleniorem autèm notitiam hujus materiæ diſtinguit Hoſtien., quod ſi falſis menſuris, & ponderibus menſuratur, & non fuit dictum, quibus menſuris, & ponderibus ſtaretur, & emptor ſciens, vel ignorans, plus juſto recipit, & dominium eſt translatum, venditor repetit, quod plus juſto dedit per conditionem indebiti *ff. de dolo malo l. arbitrio Judicis. §. de eo, qui ſciens.* Si verò dominium non ſit translatum eſt locus rei vendicationi, & actioni furti, & conditioni furtivæ *ff. de furtis, ſi quis uxori §. ſi majora.* Et hoc ubi emptor ſciens plus juſto recipit; Si verò ignorans plus recipit, non facit furtum, cum dolo careat. Undè tunc tenetur conditione indebiti gratia poſſeſſionis, & rei venditæ, & fortè actione ex contractu. Exemplum hujus eſt, quando venditor dicit, *ego trado tibi*; & tamen apparet, quod plus juſto tradidiſſem, dominium transferre volo. Si autèm quantum debuit, indiſtinctè tenetur venditor actione ex empto *ff. de dolo malo l. ut ſupra*, & ſic patet, quomodo unus agit contra alium, quandò non eſt dictum, quod ſtetur ponderibus illis. Si enim hoc dictum ſit, & uterque illa ſciebat eſſe falſa, neutèr agit. Si verò uterque ignorabat, dicunt quidam, quod deceptus agere poteſt, & malè *ff. de hæredi. vel ac. v. l. quod ſi in venditione*. Si verò deceptus hoc ſciebat, & alter ignorabat non agit, quia a ſe decipitur. *ff. de rei ven. l. is qui ſe*. Si [illegible] ſi deceptus ignorabat, & alter ſciebat, tunc agere poteſt, qui ſciens prædicere debuit, quod erant falſa *ff. de hæredi. vel ac. ven. hoc autèm*. Et ſic in hoc caſu poteſt intelligi, quod debet agere penitentiam triginta dierum, ut dictum eſt ſupra. Hi autèm, qui falſas menſuras tenent, vocantur in legibus *dardanarii* à quodam dicto *Dardano*, qui maximam dabat operam, ut annona carior fieret emendo omnem, quam invenire poterat, ut poſtea ſolus venderet, ſicut vellet; & tales, ſecundùm leges penis variis puniuntur. Aliquandò enim eis negotiatio interdicitur. Aliquandò relegantur, & habiliores ad opus publicum dantur. Sed & Dominus Adrianus tenentes eas lege Cornelia de falſis dixit teneri, ſi fuerint eas ſi; Si verò non ſunt inventi eas habere, poſſunt relegari, vel alitèr extraordinariè puniri *ff. de pœnis l. in dardanarios*. Quomodo autèm teneantur commodantes falſa pondera, dicetur *infra titulo de commodato*.

AR-

ARTICULUS IX.

De Caſibus, in quibus quis cogitur vendere rem ſuam.

SEquitur videre de nono, ſcilicèt de caſibus, in quibus quis cogitur vendere rem ſuam. Circa quod ſciendum, quod nemo regularitèr ab initio invitus diſtrahere, vel emere cogitur *C. e. invitum, & l. dudum*. Si quis tamen rem exponat venalem, & prætium, quo vult vendere, ſit injuſtum, cogi poteſt per judicem, ut temperet illud *extra e. c. 1. & ff. de offi. præfec. Vr. l. 1. §. cura carnis*.

Nota tamen, quód quis cogitur vendere rem ſuam in pluribus caſibus. Primò quando quis habet ſervum communem cum aliis; Tunc enim poteſt manumittere ſervum aliis ſociis invitis, ita tamen, quod det ſervi prætium, & ita coguntur ei vendere partem, quam habent in ſervo *C. de communi ſervo manu. l. 1.* Secundò, quando quis habet Sepulchrum, & non habet iter ad ipſum; Tunc enim prætor coget vicinum ſibi reddere iter in loco opportuno, ubi non patiatur detrimentum *ff. de reli. ſi quis Sepulchrum*. Tertiò quandò quis habet prędium commune cum fratre, ſi frater vendiderit alteri partem ſuam, ille poteſt agere communi jure dividendo contra emptorem, ita quod ęſtimabitur totus fundus, & dabit illè prætium emptori pro ſua parte, vel partem ſuam vendet, & hoc ſi prętium non poſſit commodè dividi, aliàs uterque obtinebit ſuam partem *C. Communi di. l. 1.*, Quòrtò quandò quis domum habet ruinoſam, quam quia pauper eſt, reficere non poteſt, & ideò, ut à amno vicinorum caveatur, eam vendere alteri, qui eam reficiat, cogetur, aut de publico ei ſolvetur *ff. ad ſe. con. fil. l. lege cornelia §. 1. & l. 1. Leges*. Quintò, quandò quis habet ſervum contrahentem cum Ancilla alterius Domini, qui eſt in alia Provincia, tunc cogitur unus Dominus alteri vendere ſervum, ſecundùm *Jo. 1. q. 1. coſ.* Sextò quando quis habet rem communem cum alio, vendere poteſt eam reſtituendo partem prętii illi, cum quo habet eam communem pro vita *C. communi divi. ad officium*. Septimo, quando quis habet plus juris in re *C. de dona. ſancimus §. ne aliàs*, ubi dicitur, quod, qui habet majorem ſummam in re donata, poteſt, & prętium offerre aliis, & rem donatam poſſidere.

ARTICVLVS X.

De Negotiationibus, & Mercationibus, quæ conſiſtunt in emendo, & vendendo.

SEquitur videre de decimo, ſcilicèt de negotiationibus, & mercationibus, quæ conſiſtunt in emendo, & vendendo. Circa quod plure queruntur, ſcilicèt.

I. Vtrùm ſit licitum negociari; vel mercari?

II. Vtrùm mercationes poſſint ſimul eſſe juſtę, & lucrativę?

III. Vtrùm aliquis poſſit vendere licitè rem plus, quàm valet, vel minus emere, quàm valet?

IV. Vtrùm liceat alicui negotiando cariùs aliquid vendere, quàm emit?

Circa primum reſpondeo. Ad majorem hujus quæſtionis evidentiam diſtinguendum ſecundùm *Alex. Aug. 3. ti. 2. c. de judicialibus circa 19. actionem ar. 1. c.* quod aliquid dicitur illicitum multiplicitèr. Vno modo illud, quod eſt de ſe malum ex ipſa inordinatione actus, ut eſt uſura, & fornicatio; & ſic non eſt illicita negotiatio propriè ſumpta, & ſecundum hoc dicit *Auguſ. li. quæſtionum novi, & veter. teſt. fornicari hominibus ſemper non licet, negociari verò aliquando licet, aliquando non*.

Alio modo dicitur illicitum, quod eſt ex aliqua circumſtantia malum, puta ex circumſtantia cauſæ, perſonæ, modi, temporis, loci, commercii, & omnibus his modis negotiatio poteſt fieri licitè, & illicitè. Ex circumſtantia enim perſonæ eſt illicita negotiatio, cum clericus negociatur. Vndè *Auguſ. in e. lib. Antequam Eccleſiaſticus quis ſit, licet ei negociari, facto autèm iam non licet, ſcilicèt ſi retinere velit privilegium Clericale*: Fit autèm quis Eccleſiaſticus, ideſt perſona Eccleſiaſtica per primam Tonſuram. Ex circumſtantia cauſæ eſt illicita negociatio etiam laico cum proptèr cupiditatem, vel alium malum finem negotiatur, & ſecundùm hoc *Caſſiodorus dicit ſuper illud Pſal. non cognovi litteraturam*, ubi alia litera dicit *negotiationem*, quod negotiatores illi exterminantur, qui per inordinatam ambitionem pecunia polluuntur. Ex circumſtantia modi eſt illicita negotiatio, quandò exercetur cum mendaciis, & perjuriis, & ſecundum hoc dicit *Chryſoſto. ſuper Matth. 21. c.* quod mercator projiciatur de Eccleſia. Loquitur enim de illo, qui cum mendaciis, & perjuriis negotiatur. Undè ſtatim ſubdit. *Mercator ſine mendaciis, & perjurio eſſe non poteſt*, idèſt vix poteſt. Ex circumſtantia temporis eſt illicita negotiatio, cum ſit diebus feſtiuis orationi, & vacationi divinæ deputatis. Ex circumſtantia loci eſt illicita negotiatio, cum ſit in loco divino cultui deputato. Unde Dominus *Matth. 21. ejecit ementes, & vendentes de templo*: Quod exponitur diligentèr *16. q. 7.* Ex circumſtantia commercii eſt illicita, cum res cariùs venduntur tranſeuntibus, quàm manentibus. Undè dicit Concilium Alba. *Presbyteri plebes ſuas moneant, ut hoſpitales ſint, & non carius vendant tranſeuntibus, quàm in mercatu vendere poſſent. extra de emp. & ven. placuit*. Licita autèm negotiatio eſt cum exercetur a perſona congrua, ut laica; & cauſa neceſſaria, vel pia, ut ſcilicèt poſſit familię ſuæ in neceſſariis providere, vel opera miſericordiæ exercere; & modo debito, ſcilicèt ſine perjurio, & mendacio; & tempore competenti, ut in die

non feſto; & in loco conceſſo, & tali exercitio apto; & juſta æſtimatione rei, & commercii, prout communitèr venditur in illo loco, in quo negotiari contingit: Et ſecundùm hoc dicit canon ex Epiſtola Clementis, quod negotia mundana, & opera ſecularia ſibi invjcem exhibeant vacantes laici. Sic ergo dicendum eſt, quod negotiatio, ſive mercatio, ſi ſit præmiſſis circumſtantiis veſtita, eſt licita; & etiàm à jure naturali approbata; Cum enim ſit unus princeps omnium; ut Sacra Scriptura, & Sancti teſtantur, quod etiam non latuit gentiles, ut dicit Philoſophus 12. *Metaph.* Unus ergò eſt princeps; conſtat, quod omnes homines ſecundum rectum dictamen naturę debent ſibi invicem in ſuis neceſſitatibus ſubvenire, inquantum viuunt ſub uno principe. Jlle autèm princeps eſt Deus; Nunc autèm ita eſt, quod aliquæ partes mundi abundant in aliquibus utilitatibus ad uſum humanum, in quibus aliquæ terræ deficiunt; & ideò rectum judicium rationis naturalis dictat, quod terra illa, quod abbundat in una re humano uſui apta, ſubveniat de illa alii terræ, quæ deficit in ipſa; ſed quia ſecundùm Philoſophum 5. *Ethic.* difficile erat portare rem pro re, quotieſcumque homines indigent, maxime propter longa ſpatia terrarum, & pericula viarum, ideò inventa eſt communis menſura venalium, & hæc eſt nummiſma.

Circa ſecundum reſpondeo, ut dictum eſt ſupra, rectum judicium rationis naturalis dictat, quod terra illa, quæ abbundat re, humano uſui apta, de illa ſubveniat alii terræ, quæ deficit in in ipſa; conſtat autèm, quod in terra, quæ abbundat in blado, minus reputari debet bladum, quam in terra, quæ deficit in blado, & ſimilitèr dico de vino, & aliis rebus vitæ neceſſariis. Cum ergò terra, quæ deficit in blado, & abbundat in vino recipit ſextarium bladi, & miniſtrat dolium vini in illa terra, & illi terræ, quæ deficit in vino, & abbundat in blado, fit mercatio ſecundum rectum rationis judicium, & tunc dat unus, quantum recipit alius, & ſic eſt mercatio juſta, & tamèn eſt etiam lucrativa. Dimidius enim modius bladi valet hic quinque libras, & in illa terra ubi deficit bladum valet octo libras, & dolium vini valet in illa terra quinque libras, & hic octo libras; Si ergo ego accipio quinque libras, quod eſt hic pretium dimidii modii bladii, & do alicui de terra illa pro dolio vini, & facio illud hùc deferri, & vendo pro octo libris, quantùm hic valet, remanebunt fortè mihi delucro, deductis expẽſis vecturæ, triginta ſolidi, & ſic vendo doliũ vini quantùm valet in illa terra, & vendo etiàm hoc ipſum quantùm hic valet, feci mercaturam juſtam, & nihilominus lucrativam.

Sed fortè dicet aliquis, quod tunc non poſſet eſſe juſta mercatio, qua homo mercatur cum ſuo vicino in eadem villa?

Reſpondeo, quod unus indiget blado, & ſuperabbundat in vino, & alius è converſo, & tunc ſi vendat menſuram vini, & de pecunia inde recepta emat menſuram bladi, lucratur, quià pro re ſuperabbundante, & non neceſſaria, ipſe acquirit rem neceſſariam ſibi; & hoc eſt lucrum; licèt illę res ex parte ſua ſint equivalentes; & ſimilitèr dicendum eſt de illo, qui deficit in vino, & ſuperabbundat in blado, quod prædicto modo faciendo lucratur; & ſic unus vicinus cum alio juſtè lucratur mercando. Pręterea fortè ille, qui vinum emit, defert illud ad terram, quæ in blado deficit, & lucrabitur uterque ille de blado; quod emit magis, quàm fuiſſet lucratus de vino, quod vendidit; quia fortè commodius ire poteſt ad terram deficientem in blado, quàm ad terram deficientem in vino, & fortè melius ſcit vendere bladum, quàm vinum; alius autèm è converſo; & ſic uterque eſt lucratus propter contractum licitum cum vicino ſuo.

Poſſent autèm poni aliqui alii modi mercationum lucrativarum ſervata æquitate juris naturalis, de quibus dicetur infra *Titu. de uſur. ar.* 6. *Hæc Rich. quolibèt* 2. *q.* 23. *c. ar.* 1. Brevitèr autèm ſecundum *Sco.* 4. *diſ.* 15. *q.* 2. *ar.* 2. circa commutationem negotiativam ſunt duo attendenda ad hoc, quod ſit juſta. Unum eſt, quod talis commutatio ſit utilis Reipublicæ, puta, quia utile eſt Reipublicæ habère aliquos conſeruatores rerum venalium, ubi promptè poſſint inveniri ab indigentibus eas emere volentibus. Utile etiam eſt Reipublicæ habere aliquos deferentes ad patriam aliquam illa neceſſaria, quibus non abbundat illa patria, & ex hoc habetur, quod ille, qui talia conſervat, & ad patriam aliquam in talibus deficientem apportat, actu utili Reipublicæ ſervit. Secundum eſt, quod quilibet ſerviens Reipublicæ de honeſto, & utili opere pretium ſuo labori, ſollicitudini, induſtriæ, & periculis correſpondens, dignè, & juſtè poteſt accipere; & ex his patet, quomodo ſunt vituperabiles mercatores illi, qui res venales nec transferunt, nec conſeruant, nec ſua induſtria meliorant, nec certificatur aliquis alius ſimplex de valore rei emendæ, ſed modo emunt, ut ſtatim vendant ſinè omnibus conditionibus illis, tales à Republica eſſent exterminandi, vel excludendi, quia faciunt quodlibet venale, vel uſuale cariùs ementi, & utiliùs vendenti, quam eſſe deberet. *Hęc Scot. ibidem.*

Si quis autèm fortè velit inculpare negociatores propter mendacia, & perjuria, quæ dicuntur ibi? Reſpondet *Auguſ. ſuper illud Pſal. quoniàm non cognovi literaturam &c.* loquens in perſona negotiatoris ſic: *ego mentior, non negotium; poſſem enim dicere ſine mendacio, tantò emi, tantò vendam, ſi placet, eme: Omnes artifices mentiuntur, Sutores, Agricolę, & alii;* Si ergò propter mendacia ſutorum, vel Agricolarum non eſt in culpa ars ſutoria, vel agricultura, ergò negotiatio culpari non debet præter negotiatorum mendacia.

Si quis etiam culpare velit negotiatores proptèr cupiditatem acquirendi, quia negotiatores optant tempus cauſarum, ut annonã, quam ſerva-

verunt carius vendere poſſint? Reſpondet *Auguſ. ibidem*: Hoc non faciunt boni negotiatores, ſicut nec boni Agricolæ; Hæc enim ſunt peccata hominum, non rerum, nec negotiatio facit me malum, ſed iniquitas mea, & mendacium meum.

Circa tertium reſpondeo, quod non, ſi faciat hoc fraudem adhibendo; Si verò non adhibeat fraudem, tunc diſtinguo, quia de emptione, & venditione contingit loqui dupliciter. Uno modo ſecundùm ſe, & ſecundùm hoc emptio, & venditio videntur introducta eſſe pro communi utilitate utriuſque, dum ſcilicèt unus indiget re alterius, et è converſo, ut patet per *Philoſop.* 1. *Poli.*: Quod autèm pro communi utilitate eſt inductum, non debet magis eſſe in gravamen unius, quam alterius, et ideò debet ſecundùm æquitatem juſtitiæ contractus inter eos intervenire; Quantitas autèm rerum, quæ veniunt in hominis uſum, menſuratur ſecundùm pretium datum, ad quod inventum eſt nummiſma, ſecundum *Philoſo. 5. Ethi.*; et ideò ſi pretium quantitatem valoris rei, vel è converſo res excedat pretium, tolletur æqualitas juſtitiæ, et ideò cariùs vendere, aut viliùs emere rem, quàm valet, eſt ſecundum ſe iniuſtum, et illicitum. Alio modo poſſumus loqui de emptione, et venditione, ſecundùm quod per accidens cedit in utilitatem unius, et detrimentum alterius, ut cum aliquis multùm indiget re aliqua, et alius læditur, ſi careat illa; et tunc juſtum pretium erit, ſi attendatur non tantùm ad rem, quæ venditur, ſed etiàm ad damnum, quod venditor indè patitur, et ſic licet aliquid vendere plus quàm valet ſecundum ſe, licèt non vendatur plus quàm valet habenti; Si verò aliquis juvetur multum ex re alterius, quam emit, ille verò, qui vendit, non damnificetur carendo, non decet eum ſupervendere, quia utilitas, quę accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex ementis conditione; Nullus autèm vendere debet, quod non eſt ſuum; Licet enim vendere poſſit damnum, quod indè patitur, ille tamèn, qui ex re alterius accepta multùm juvatur, ſpontè poteſt vendenti aliquid ſupererogari, quod ad ejus pertinet honeſtatē; *Hęc Tho. 2. 2. q. 77. ar. 1. c., & Scot. 4. diſt. 15. q. 2. ar. 2.*

Nota etiàm, quod 10. *q.* 2 *hoc jus dicit Gloſ.*, quod ſi in venditione offeratur plus, quàm res valeat, etiam recipere non debet, niſi juſtum pretium, quia juſtus contractus non debet facere dolum *extra de dona. per tuas.*

Circa quartùm reſpondeo; Negotiari, eſt commutationibus rerum inſiſtere; Commutatio verò rerum eſt duplex ut dicit *Philoſophus* 1. *Poli*. Vna eſt, quæ pertinet ad Æconomicos, vel politicos habentes curam de rebus neceſſariis ad vitam domui, vel civitati, vel etiam Provinciæ; et hæc eſt laudabilis, quia deſervit naturali neceſſitati; Alia eſt; quæ fit propter lucrum quærendum, et hæc eſt vituperabilis, quia quantum eſt de ſe ſervit cupiditati lucri; Lucrum tamèn quod eſt talis negociationis finis ordinari poteſt ad aliquem finem neceſſarium, vel etiam honeſtum, et ſic negociatio licita videtur, ut cum quis lucrum moderatum, quod negociando quærit, ordinat ad ſuæ domus ſuſtentationem, vel etiam pauperum ſubventionem, vel etiam cum quis intendit negociationi proptèr publicam utilitatem, ne ſcilicèt neceſſaria ad vitam patriæ deſint, et lucrum conſtituit, non quaſi finem, ſed quaſi laboris ſtipendium; ſi quis etiàm aliquid pro ſe emat, et poſtea proptèr aliquam cauſam illud vendat, licitè poteſt illud cariùs vendere, vel quia illud melioravit, aut quia pretium rei eſt mutatum ſecundùm diverſitatem loci, vel temporis, vel proptèr periculum, cui ſe exponit, et laborem, quem habet, ut in transferendo rem de loco ad locum.

Sed obiicitur, quia *Chryſo. ſuper Matth.* 21. *c. dicit*: *Quicumque rem comparat, ut integram, & immutatam vendendo lucretur, ille eſt mercator, qui de templo Dei eiicitur*, ergo &c.

Reſpondet *Alex. Ang.* 3. *ti.* 2. *c. de legibus circa* 19. *actionum ar.* 1 *circa* ſecundùm, quod facienda eſt vis in hoc, quod dicit *rem integram, & immutatam*, et in hoc quod dicit, *ut lucretur*. Loquitur enim de illo negociatore, qui in negociando intendit lucrum tanquam finem ultimum, et cupit ſine labore, et ſollicitudine ex avaritia divitias congregare; Vnde prædictum verbum non habet locum in eo, qui negociatur proptèr propriam neceſſitatem, vel Reipublicæ utilitatem, vel proximi pietatem, nec etiam in eo, qui vendit rem immutatam quantum ad ſubſtantiam, mutatam tamen quantum ad locum, qui a talis ratione laboris, et periculi licitè poteſt quærere mercedem. Nec etiam in eo, qui in emendo conſiderat emptæ rei periculum in ſervando, quia poteſt deteriorari, vel cremari, vel furto perdi; Talis enim poteſt mercedem quærere ratione incertitudinis eventus futuri, et ſuſpicionis periculi; Undè in emendo non eſt certus, ut integram, et immutatam vendendo lucretur.

Obiicitur iterum, quia ſuper illud *Pſal.*, *quam non cognovi litteraturam &c.* dicit *Caſſiodorus*, *quia negociatio eſt comparare viliùs, & diſtrahere cariùs, quod Chriſtus reprobavit, dùm hoc facientes de templo ejecit*; Sententia ejus eſt ibi.

Reſpondet ad hæc *Alexander Ang. ubi ſupra*, quod intelligit de his divitibus cupidis, qui ſibi totum forum rerum venalium accipiunt, ut poſtea ad libitum ſuum cariùs aliis vendant, quàm in foro venderentur, et hoc faciunt de frumento, et aliis rebus humanæ vitæ neceſſariis; Tales enim ſunt Deo abominabiles, et exemplo Chriſti eſſent ab Eccleſia eiiciendi. Prædictis omnibus conſonat *Thomas ubi ſupra*.

Ad hoc nota ſecundùm *Rai.* quod illi, qui tempore meſſium bladum, vel tempore vindemiæ vinum emunt viliùs, ut vendant cariùs, committunt peccatum, et turpe lucrum, et hoc intelligitur, ut ipſe poſtea dicit, de illis, qui faciunt

ſiunt hæc, nulla penſata neceſſitate, vel utilitate, ſed ex ſola cupiditate. Gravis autèm peccant hoc faciendo Clerici, quàm laici *ar. 14. q. 4. quicumque tempore*, & benè conſonat ſupradictis *Inno. & Hoſti. extra. ne cle. vel mon. c. 1.* Et addit Rai. neutros, ſcilicèt, nec Clericos, nec Laicos dico teneri ad reſtitutionem certæ perſonæ; ſed debet tale lucrum in uſus pauperum erogare Et idem ſentit *Goſ. ti. de uſuris*. Hoc autem intelligit *Rod.* de conſilio, non de neceſſitate.

ARTICVLVS XI.

De Quibuſdam caſibus dubitabilibus circa emptionem, & venditionem.

SEquitur videre de vndecimo, ſcilicèt de quibuſdam caſibus dubitabilibus circa emptionem, & venditionem, & circa hoc queruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm liceat alicui emere ad vitam ſuam, vel hęreditariè, ideſt pro ſe, & hęredibus ſuis certam quantitatem pecuniæ annuatim ſibi reddendam?

II. Utrùm poſſint emi redditus percipiendi, vel jus percipiendi redditus, puta molendini, vel pedgii pro minori pretio, quia ſtatim ſcilicèt ſolvtur, quàm daretur, ſi ſolutio ſingulis annis expectaretur?

III. Utrùm venditio reddatur injuſta, & illicita proptèr defectum rei vendite

IV. Utrùm venditor teneatur emptori dicere vitium rei venditę?

Circa primum reſpondeo. Quidam dicunt, quod talis contractus eſt illicitus, quia pecunia eſt hoc inventa, ut ſit menſura, & pretium, & menſura in emptione, & venditione, non autem ad hoc ut ematur & vendatur, & ideò in emptione eſt uſus pecuniæ ad illud, ad quod non eſt inſtituta; ſed ſi quis utitur aliqua re ad aliud, ad quod non eſt inſtituta, abutitur ea; ergo in tali emptione eſt abuſus; & ſic ex ſua forma eſt contractus illicitus, ſivè fiat hęreditariè ſivè ad vitam, præcipuè cum talis contractus non videatur poſſe reduci, niſi ad contractum mutui recipiendi nomine emptionis; in contractu autèm mutui accipere ultra ſortem eſt uſura; Vndè in Euangelio *mutuum date nihil inde ſperantes Luc. 6.* Quæ etiam authoritas habetur *extrà. de uſuris conſuluit*: Alii verò dicunt, quod non eſt ibi contractus mutui, ſed emptionis, & venditionis; unde non eſt illicitus ex ſua forma, quia ibi non emitur pecunia, ſed jus percipiendi talem quantitatem pecuniæ annuatim ſuper bonis ipſius vendentis; hoc autèm jus non eſt pecunia, ſed cum jure, quod vendi poteſt, tranſit pecunia, quæ non poteſt emi, neque vendi, ſicut videmus, quod juspatronatus directè non poteſt emi, neque vendi, & tamèn tranſit in fundo Prędii, vel illæ, quæ emitur, licèt alia de cauſa non poſſit vendi jus patronatus, quia ſcilicèt eſt annexum ſpirituali; & alia de cauſa pecunia, ut patet ex prædictis: Vndè homo poteſt licitè pro centum libris emere unum Prædium, & ipſum poſſet dare alicui hęreditariè, vel ad vitam ſuam ſub tali pacto, ſcilicèt, quod ipſe, & hęredes ſui obligarentur in perpetuum, vel ad vitam ejus ad reddendum ei, vel hęredibus ejus certam pecuniæ ſummam annuatìm, mediante emptione, & venditione Prædii ipſius. Ergò cum in conſpectu Dei non differat hoc facere mediatè, vel immediatè, videtur, quod licitè poſſit quis emere jus percipiendi quolibèt anno, ſivè hęreditariè, ſivè ad vitam pro certa quantitate pecuniæ; Contractus ergo talis non eſt illicitus ex ſua forma. Non eſt tamen contractus talis ita honeſtus, & ita decens, ſicut eſt contractus prædialis, eo quod non clarè videtur, quod eſt, quod emitur in hoc contractu, ſicut in contractu prædiali, quia etiàm in fructibus Prædiorum impedimenta multa poſſunt accidere; et oportet multam ſollicitudinem, et laborem apponere, ideò in contractu prædiali poteſt ęqualitas clarius apparere, quàm in contractu, in quo emitur jus percipiendi quolibet anno, ſiuè hęreditariè, ſiuè ad vitam certam pecuniæ ſummam. Poteſt etiàm ille contractus malè fieri ex parte ementis, vel ex parte vendentis, puta quando non ſervatur ęqualitas juris naturalis inter ementem, et vendentem, de quo vide infra *Ti. de uſu. ar. 5. q. 6. & 7.*

Si dicatur, quod intentio recipiendi ultra ſortem facit uſuram *extra de uſu. conſuluit*; Sed in contractibus prædictis emens intendit recipere ultra ſortem, ergo ibi eſt uſura?

Reſpondeo, quod prima promiſſio eſt vera in contractibus mutui; In prædictis autem contractibus non eſt mutuum, ſed emptio, et venditio; *Hęc Ric. q. 23. art. 4.* Dictum prædictis.

Sed dubitatur, quandò in emptione eſt notabilis exceſſus pretii ſuper rem emptam, vel rei emptæ ſuper pretium, ita quod clarum eſt ibi ementem, vel vendentem notabilitèr lędi per comparationem ad rem emptam, contractus eſt illicitus; Sed quandò emitur hęreditariè, vel Prędium, vel jus percipiendi certam quantitatem pecuniæ quolibet anno, eſt notabilior fructuum, quos percipit emens ſuper pretium, & ſucceſſores ſuis rei emptæ ſuper pretium ab ipſo emente incomparabiliter, contractus eſt illicitus?

Reſpondeo, Ius naturale dictat, quod homo, id, quod emit, magis diligat ſibi, quàm filio, et magis filio, quàm nepoti, et magis nepoti, quàm pronepoti; Vnde nullum jus naturale, nec etiàm poſitiuum dictat, quod emens iſtam rem hæreditariè tantùm, pro ea teneatur dare quantùm probabile eſt, quod ipſe, et ejus ſucceſſores debeant indè percipere, quia ſicut illud, quod emitur hęreditariè non poſſet benè cadere ſub ęſtimatione; Sed conſiderando quantùm ipſe

ipſe emens deligere deberet rem, quam ipſe emit pro ſe, & hæredibus ſuis, uſque ad aliquem gradum determinatum, & ſimul etiam penſando quantum pretium, quod emens dat, eſſe poteſt utile vendenti, & hæredibus ſuis, uſque ad aliquem gradum determinatum, debet emens proportionare pretium rei emptæ, & ſic contractus eſt licitus, quia res emitur quantum valet, vel ſaltem non apparet ibi aliquis notabilis exceſſus; *Hæc Ric. ubi ſupra art. 7.*

Sed pone, quod mulier viginti quinque annorum redditus ad vitam emat pro pretio tali, quod infra octo annos recipiat ſortem, numquid talis contractus eſt licitus?

Reſpondet, quod non; Talis enim mulier, licèt mori poſſet infra octo annos, tamen clarum eſt, & probabilius, quod vivere debeat in duplo, quia hoc frequentius accidit; quod autèm mulier viginti quinque annorum ſana infra octo annos moriatur raró, accidit, & ſic eſt clarum in tali contractù, quod emens probabilitèr habet notabilitèr partem meliorem; & ideò ſalvo meliori judicio, credo, quod talis contractus eſt illicitus, niſi mulier illa eſſet infirmitatibus gravata, vel tot periculis expoſita, quod non clarè videretur, quod horum eſſet probabilius, ſcilicèt, an ipſam vivere per tantùm tempus, quod vendens notabilitèr lederetur ſecundum exigentiam rei venditæ; aut eam mori infra octo annos; vel niſi aliquod probabile periculum eſſet de impedimento ſolutionis rei emptæ; Tantùm enim periculum poſſet eſſe de impedimento ...venie nte rei emptę, quod dubitatio poſſi-litatem ... emptam pacificè, contractum ad ęqua... 3: *art. 7.* ...educere; *Hæc Ric. quolibet 2. q.*

Circa ſecun...

modò detur pretium reſpondeo, quod ſic, dum-detur, quantùm res va...m, ſcilicèt ut tantùm In juſta enim æſtimatione ...empore contractus; pus ſequens, ſed tempus præſe... attenditur tem-ſit contractus; Vnde res, quæ ven... ſcilicèt, quo bet æſtimari quantùm eſt valitura to... tempore ...tur non de-contractus, & ideò emens licitè plus recip... tem-pore ſequenti, quàm dederit, quia totum i...d, quod percipit eſt de ſorte, ex quo vendit, & ju-ſtè emit.

...Sed contra: Sicut ſe habet emptor ad ven-Sed vendi... è converſo venditor ad emptorem; ſolutionis, eſt ... accipiat ratione dilationis ſi minus det propter ... ſimplicitèr emptor erit uſurarius. Sed ſic eſt hìc, quia ...tionis, tur, eo quod pretium anticipatur, ergo.

Ad hoc dicendum, quod illud de anticipatione temporis habet locum, quando res, quæ venditur ſtatim non traditur; Sed pretium ſtatim datur, & res expectatur, ſed in propoſito res, quæ venditur, ſcilicèt jus percipiendi, ſtatim traditur, licèt uſus, ſivè fructus, vel redditus expectetur, vel ſucceſſivè percipiatur. Præterea non debet pretium judicari minus, quod eſt juſtum, & proportionatum rei venditæ reſpectu temporis, quo res venditur, licèt ſit fortè minus reſpectu temporis futuri; Licèt autem prędicti duo caſus, quorum unus eſt ex parte ementis, & alter ex parte vendentis videantur differre penès anticipationem, & dilationem temporis, poſſunt tamen ambo reduci ad dilationem, quia in utroque eſt aliquid expectandum, licèt in uno caſu res, & in altero pretium; *Hæc Alex. Lomb. in quadam quæſtione de uſuris in ſuis quolibe.*

Quid ſi communitas aliquos redditus ſuos vendiderit alicui uſque ad certum tempus pro pretio certo, & minori, quàm ſi communitas ſolutionem faciendam cetis terminis expectaſſet.

Reſpondeo. Idem eſt dicendum, quod in præſenti caſu; Talis enim contractus non peccat, nec ex parte rei venditæ, quia eſt vendibilis, nec ex parte pretii, quia ſupponitur, quod ſit juſtum, nec etiam ex hoc, quod aliquid percipitur ultra pretium, quia totum illud, quod indè percipit emens, eſt de ſorte ejus, ſcilicèt ementis; *Hæc Alex. Lomb. ubi ſupra.*

Sed eſtò, quod prædicta communitas infra ... aliud tempus recuperare voluerit, & recuperaverit invito emptore redditus illos, ita tamèn, quod emptor ille habeat annuatim pro redditibus illis certam pecuniæ quantitatem, ſcilicèt octo libras, & nihilominus ipſa communitas, quandò vult illud emptorem ad priſtinum ſtatum, ſcilicèt percipiendi redditus illos, reducere poſſet, & ipſe emptor tandèm in hoc omni... conſenſerit?

Reſpondeo. Ille contractus videtur eſſe licitus, quia videtur ibi eſſe permutatio ...a, dummodo ſervetur æquitas juris naturæ; Permutatur enim ibi ...s percipiendi redditu...los in jus percipiendi redditus, ſcilicèt octo ...bras annuatim; *Hujus ſententiæ fuit A... Lomb. ubi ſupra.*

Eſtò quod aliquis habe... centum libras ... banco alicujus recipiendas, ...ſque ad quat... menſes, numquid liceret alicui emere illas ... tum pro 80.?

Ad hoc dicunt multi, quod ...c, quia ... emitur pecunia, ſed jus. Ius autèm centum ...brarum minus valet, quam centum ...bræ. T...tiùs eſt enim pignori incumbere, quàm in perſ...nam agere, & ſimilitèr rem habere, quàm ... pro re *inſti. de obli., quæ ex delic. na.* ...ſu... & ideò minori pretio poteſt emi. Alii dicu... quibus aſſentiebat *Alex. Lomb. ubi ſupra* ... & hoc ideò, qu... emens ..., & minus dat, ſecundùm quod pl... & minus ſolutionem expectat, ita quod lucr... ibi provenire videtur propter dilationem temp...ris, & minoritas pretii propter anticipation... ſolutionis; Lucrum autèm, quod provenit ... tione temporis, non eſt licitum, *extra de uſu. civitate, & c. naviganti.* Cavendus ergo co... tractus ille, ex eo maximè, quia videtur fieri in fraudem uſurarum, & videtur eſſe indirectum...

mo

mutuum, ut quaſi quis mutuet in præſenti 8. ſcilicèt, pro viginti poſtea recipiendis ultra ſortem. Ad rationem de jure dicendum, quod ſi pecunia, vel res alia recipienda in periculo eſſet in manu alicujus, à quo ſine ſumptu, & labore recuperari non poſſet, tunc minus dare, & recipere plus, liceret, quia res, quæ eſt in periculo cæteris paribus minus valet, quàm quæ eſt extra periculum. Secùs eſt autem in propoſito, quia pecunia in banco non eſt probabiliter in periculo, aliàs homines merces vendentes non eſſent contenti expectare ibi fiendas ſibi ſolutiones. Qui vellet tenere opinionem primam, diceret, quod illud, quod dicitur de uſuris *C. in Civitate, & C. Naviganti*. non obſtat, quia ibi non jus, ſed res ipſa venditur, quæ ſtatim traditur, & prætium differtur; Hic autem prætium ſtatim traditur, & jus recuperandi ipſam rem, & non res datur, & ſtat pecunia ipſa periculo emptoris juris.

Eſtò aliquis ſalem detulit Januam, & vendidit pro certo prætio recipiendo, ſcilicèt, tunc quando alii vendiderunt etiam ſalem eidem communitati, modò ille nolens tamdiù expectare ſolutionem, vult vendere jus, quod habet ſuper communitatem; Numquid licebit ementi jus illud, minus pro illo dare, ut 20 lib., & in poſterum plus recipere 25.

Reſpondeo caſus iſte non differre videtur à præcedenti, & ideò idem videtur hic, & ibi.

Circa tertium reſpondeo, quod ſic; Si enim venditor defectum rei venditæ cognoſcat committit fraudem in venditione, undè peccat, & ulteriùs tenetur reſtituere; & hoc dico, ſivè defectus ſit ſecundum rei ſpeciem, ut cum aliquid alterius rei eſt admixtum, ut aqua vino; vel ſecundum quantitatem, quæ ſecundum menſuram cognoſcitur; vel ſecundum qualitatem, ut ſi animal aliquod infirmum vendatur, quaſi ſanum. Si verò ignorat, non peccat; tenetur tamen, cum ad notitiam ejus pervenerit, damnum emptori recompenſare; & idem intelligendum eſt de emptore. Contingit enim quandoquè, quod venditor credit rem ſuam eſſe minus ſpecioſam, quoad ſpeciem, ut ſi vendat aurum loco auricalchi, emptor hoc ſciens injuſtè emit, & ad reſtitutionem tenetur; & ſimiliter eſt de defectu quantitatis, & qualitatis. *Hæc Tho. 2. 2. quæſt. 77. art. 2. c.*

Circa quartum reſpondeo, quod ſic, ſi eſt occultum, aliter erit illicita, & doloſa venditio, quia dat emptori damnum, & periculi occaſionem; Undè tenetur ad damnum recompenſandum. Si verò ſit manifeſtum, ut ſi equus eſt monoculus, vel ſi uſus eſt re, licèt non competat venditori, poteſt tamen aliquis convenire; Aut ſi propter hujuſmodi vitium ſubtrahat partem, quantam debet de pretio, non tenetur manifeſtare vitium rei, quia fortè propter hujuſmodi vitium emptor vellet plus ſubtrahi de pretio, quàm ſubtrahendum eſſet; Undè venditor licitè poteſt indemnitati ſuæ conſulere rei vitium reticendo; *Hæc Tho. ubi ſupra ar. 3. c.*

Quid ſi res vendatur alicui ſervituti, gravamini, vel conditioni ſubjecta: Numquid hoc venditor emptori dicere tenetur?

Reſpondeo, ſi hoc ſciebat, & doloſè celavit emptori, tenebitur actione ex empto ad intereſſe; ſi autem ipſe ignorabat, *ut ff. de ac. em. l. 1. §. Venditor*; ſecùs ſi ſciebat. Si verò venditor hoc ignorabat; nihilominùs tenebitur emptori non ad intereſſe, ſed tantùm quanto minoris, ideſt ad reſtitutionem illius partis pretii, quam non dediſſet, ſi hoc ſciviſſet *C. de ac. em. l. 1. & l. 2.*

Quid ſi venditor dicat, quod nullam ſervitutem debeat, & ſi aliqua appareret, teneri nolebat?

Reſpondeo ſi ſciebat ſervitutem deberi, pactum non proderit ei, quin teneatur ad intereſſe. Si verò ignorabat, proderit ei pactum. *ff. de ac. em. l. 1 §. 1.*

Quid ſi equum vendens in ſpatula patientem, in qua tamen non apparebat pati niſi poſt fatigationem, interrogatus ab emptore: an eſſet morboſus, reſpondet inſidioſè: vendo tibi equum recalcitrantem, ſive habentem ſpatulæ vitium?

Reſpondeo; Licèt ille expreſſerit vitium, quia tamen non expreſſit hoc verè, emptor credidit ipſum non habere ſpatulæ vitium, ſed quia inſidioſè dixerit talia, emptor poteſt agere actione redhibitoria *ff. e. de contrahen. empt. leg. Ea quæ §. fi. Hæc videntur Duran.*

Item venditor cujuslibet animalis præſtare debet animal ſanum potens comedere, & bibere, ut oportet, ſivè vendat proprium, ſive alienum *C. de ac. em. emptor, & ff. de ac. em. l. Ex empto §. 1.*

Item ſi quis vendat vas vitioſum ſcientèr, tenetur ad intereſſe intra rem, & extra rem *ff. loca. l. Sed addeſ. §. 1.*

Nota tamen, quod aut venditor nullo modo tradit rem venditam, & tunc tenetur ad intereſſe intra rem; aut tradit eam, ſed vitioſam, putà vendidit pecus morboſum, & ſi ſcienter, tenetur ad intereſſe intra rem, & extra rem; Si verò ignoranter, tunc tenetur emptori quanto minoris erat empturus *ff. de ac. em. Iulianus §. 1.*

Quid ſi venditor ſciat rem, quam vendit in proximo eſſe futuram minoris valoris, quam pro ea recipiat, pro eo, quod ipſe ſcit negociatores in proximo ſuperventuros, qui de illa re abbundè deferent ſecum, quod tamen ab emptoribus ignoratur?

Reſpondet Hoſtien., quod venditor, qui vendit rem, ſecundum quod prætium invenit, non videtur facere contra juſtitiam, ſi quod futurum eſt, non exponat; Si tamen exponeret, vel de pretio ſubtraheret, abbundantioris virtutis eſſet, licèt ad hoc ex debito juſtitiæ teneri minimè videatur.

Quid ſi quis vendat aurum, vel argentum alchimicè factum pro vero auro, vel argento?

Reſpondet *Tho. 2. 2. q. 77. ar. 2. c. 1.* Quod

ſi non

ſi non habeat veram ſpeciem auri, vel argenti eſt venditio fraudulenta, & injuſta, præſertim cum ſint aliquæ utilitates auri, & argenti veri ſecundum operationem naturalem eorum, quæ non conveniunt alchimico auro, ſicut quod habet proprietatem letificandi, & ſanat quaſdam infirmitates. Sępiùs etiam poteſt poni in operatione, & diutius manet in ſua puritate; Si autem fieret alchimicè verum aurum, non eſſet illicitum illud pro vero vendere, quia nihil prohibet artem aliquibus cauſis naturalibus uti ad producendum naturales effectus, & veros, ut dicit *Auguſ.3. de trini.* loquens de his, quæ fiunt Dæmonis arte.

Quid faciet confeſſor de mercatoribus, & pellipariis, & hujuſmodi, qui nec emere ſciunt, nec vendere ſine mendaciis, & quandoque perjuriis?

Reſpondet Ray, & Hoſti; quod quoties quis ſcienter, & cauſa decipiendi proximum perjurat, vel mentitur, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, in quantum decipit proximum, eidem decepto, vel hæredi ejus faciendam ſi poteſt. Si autèm non poteſt, procedat, ut dicetur infra de uſurariis. Si autèm ignoranter dicat falſum credens dicere verum, vel etiàm ſcienter, ſed intendat per illud mendacium ſibi prodeſſe, ut ſe ſic ſervet indemnem, & proximo non obeſſe, quia non decipit eum unam rem pro alia vendendo, nec in rei valore, quia non vendit ei ultra debitum valorem, tale mendacium ſecundùm *Ray* poteſt dici fortè veniale. Sic poteſt intelligi 22. *q.2. primum*. Secundùm *Hoſti.* autem ex quo aſſiduè, & conſuetudinariè mentitur, mortale videtur, ſicut ebrietas ſi ſit aſſidua, eſt mortalis *diſ.25. §. Aliàs*. Si verò perjurat, peccat mortalitèr, vel venialitèr ſecundum diſtinctionem poſitam de perjurio ſupra. Debet etiam iſte talis præter reſtitutionem induci ad largas eleemoſynas faciendas pro animabus illorum, de quorum rebus ignoranter aliqua habuerit.

Ad hoc nota, quod in venditionibus illud, quod commendandi cauſa dicitur, pro non dicto habetur *ff. de dolo. quod venditor*; Aut enim commendans ſiſtit in genere dicens, ille eſt bonus ſervus, vel hæc eſt bona domus, & tunc non obligatur, niſi ſcientèr commendet rem vitioſam, quia tunc de dolo tenetur, ut ibidem dicitur. Aut deſcendit ad ſpecialia, & tunc tenetur, ex eo quod commendando plus vendidit, ut ſi dicat ſervum eſſe bonum artificem, vel litteratum, hoc præſtare debet, niſi quod commendatur in evidenti ſit, ut ſi dicat Ancillam eſſe ſpecioſam, & domum benè edificatam *ff. e. de contrahen. emp. l. Ea, quæ commendandi*, & 19. *q.2. c.2.* & 29. *q.1. §. his ita*.

Quid de illis, qui faciunt, vel vendunt gladios quarellos, & hujuſmodi, quibus homines occiduntur?

Quid de illis etiam, qui faciunt, & vendunt venenum, vel toxicum?

Quid etiam de illis, qui faciunt, vel vendunt ſotulares pictos, & aurifrigium, & ſimilia, quæ non deferuntur ad neceſſitatem, vel ad uſum, ſed ad vanam gloriam, & abuſum?

Reſpondet *Ray*. quod in talibus eſt intentio requirenda. Si enim aliquis faciat hujuſmodi, vel vendat, vel tribuat alicui, quem credat talibus abuſurum, talis inquam intentio eſt peccatum mortale graviſſimum, & qui ſic facit, eſt cooperator omnium ſcelerum indè provenientium, & ideò eſt pro omnibus puniendus 2. *q.1. notum in ſumma*. Si verò credebat illum talibus ad aliquod licitum uſurum, vel nihil ſuper hoc cogitabat, vel ignorabat, quod talia facere, vel vendere eſſet illicitum, tunc diſtinguo, quia talia, aut ad aliquem uſum licitum eſſe poſſunt utilia, ut arma in bellis juſtis, aurifrigium in ornamentis Eccleſiaſticis, & venena quædam in quibuſdam medicinis, & tunc non peccat; aut talia ad nihil valent, niſi ad peccandum, ut quædam venena mortifera; & ſuperfluæ, & ſumptuoſæ ſuturæ camiſiarum, quas præcipuè faciunt Hyſpani, & tunc peccat, qui talia facit, tenet, vendit, vel aliàs alienat *ar. de libello famoſo*, quem non debet aliquis oſtendere, ſed deſtruere, aliàs graviter peccat 5. *q.1. per totum*; & eſt optima lex ad hoc *ff. de contrahen. emp. quod ſæpe §. Veneni mali*, ubi ponitur prædicta diſtinctio de veneno; & de tali illud poteſt intelligi, quod qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur *extra de injur. ſi culpa*.

Quid de factoribus taxillorum, ſcacchorum, & alearum? Reſpondet *Rod.* quod non videtur eſſe tutum de hujuſmodi artificiis vivere, quia eorum uſus eſt, ut frequentius ad malum, licèt aliquandò ſit ad recreationem, & remedium triſtitiæ, & cogitationum noxiarum, de talibus ergò ſecundùm intentionem eſt judicandum.

Quid de illis, qui faciunt ſerta de floribus, maximè in feſtis?

Reſpondet *Rod.* quod non credit eos eſſe excuſabiles propter periculum, quod ex hoc poteſt de facili contingere, quia ſunt incitativa luxuriæ, & ſigna laſciviæ, licèt talia quandoque valeant ad confortationem naturæ; Violatur etiam obſervantia diei feſti; *De hoc ſupra lib.1. ti.22.*

ARTICVLVS XII.

De Monopoliis, eorumquè deſcriptionibus.

SEquitur videre de duodecimo, ſcilicet de monopoliis. Circa quod nota, quod hæc ſunt prohibita; Eſt autem monopolium corpus, ſivè ſocietas monopolarum, vel eſt etiam opus, vel pactum inter ſe, vel etiam cum civitate monopolarum. Eſt autem hæc monopola, vel monopolus Populus, qui impetrat, quod ſoli ſibi liceat in civitate aliqua ſpecialia vendere, vel emere, vel facere; & monopolæ dicuntur qui

qui impetrant, quod ipſis ſolis liceat hujuſmodi facere, vel etiam in vendendis rebus certis certum pretium ſtatuere, contra quod nemini liceat vendere. Et quidèm ſi ſcribatur per duplex, licèt dicitur à monos, quod eſt unus, et polla quod eſt venditio, eo quod uni, vel illis, qui ſunt de una ſocietate tantùm liceat illa vendere; vel ſi ſcribatur per unum, licèt dicitur à polis, quod eſt civitas, eo quod in civitate ſit tantùm unus, vel ſocietas una ex pacto hoc faciens. Pacta autem talia, ſivè commercia ſunt prohibita. Nec valet pragmatica ſanctio ſuper hoc impetrata. Si quis autèm hoc exercuerit, perpetuo exilio damnatur, et bonis propriis ſpoliatur; Primates verò profeſſionum una libra auri pœna afficiuntur. Princeps autem terræ ſi diſſimulaverit, pœnam quadraginta librarum patitur *C. de monopoliis l. Unica*.

TITULUS IX.

De Permutatione.

DEindè conſiderandum eſt de permutatione, quæ eſt vicina, ſivè ſimilis emptioni, *ut C. e. l. Permutationem*. Circa quod videndum eſt primò, quid eſt permutatio. Secundò qualiter contrahitur, et de natura ejus, et convenientia, et differentia cum venditione. Tertiò, quæ res permutari poſſint, et quæ pro quibus. Quartò cum quibus perſonis poteſt Eccleſia permutare. Quintò de arte campſoria; Ideò ſit

ARTICULUS I.

Quid eſt permutatio?

CIrcà primum ſciendum, quod permutatio eſt unius rei pro altera vicaria præſtatio *C. eo. de re permut. l. præalle. in fi*, & eſt permutatio contractus innominatus, quia multùm eſt incertus, eo quod largè comprehendit omnem contractum, ex quo aliquid datur, vel accipitur; nam venditio, & locatio poſſunt dici permutatio. Contractus etiàm innominatus, putà, do, ut des, poteſt dici permutatio, & ſic adaptari poteſt contractibus nominatis, & innominatis, & ideò habet nomen generale, non ſpeciale, propter quod meritò contractus innominatus cenſetur.

ARTICULUS II.

Quando contrahitur permutatio, & de natura ejus, & convenientia, & differentia.

CIrca ſecundum ſciendum, quod propriè permutatio contrahitur tunc, quandò convenitur inter aliquos, ut ſpecies certa detur pro ſpecie certa, ut iſte equus, pro iſto bove. Si verò detur res incerta pro incerta, ut bos in genere pro bove in genere, non erit propriè permutatio, ſed alius contractus innominatus, putà do, ut des *ff. de præſcrip. ver. naturalis filius §. 1. & 2.* Eſt ergo natura permutationis, ut rerum interventu contrahatur, non ſolo pacto, quia ex ſola conventione permutationis nulla re hinc indè ſecuta, neutri competit aliqua actio, *ut C. e. ex placito*.

Sunt verò ſimiles permutatio, & venditio, quia ex utraque præſtatur cauſa uſucapiendi, & emptio, & redhibitio. Item ſicut actio deſcendens ex venditione eſt bonæ fidei, *ut inſti. de acti. §. Actionum autèm quędam bonę fidei ſunt*, ita & actio deſcendens à permutatione. Sunt autem diſſimiles, quia venditio ſine ſcriptis perficitur ſolo conſenſu, permutatio verò non perficitur niſi re ab altera parte ſecuta; Undè ei, qui rem ſuam tradidit, datur actio, ſcilicèt ex pacto, contra eum, qui rem ſuam non tradidit, *ut in di. l. ex placito*.

Itèm in venditione unus eſt emptor, alter venditor; in permutatione autem uterque eſt permutator.

Itèm permutatio habet locum in ſpiritualibus, non autem emptio; ratio hujus eſt ſecundum *Ber. extra e. ad quæſtiones*, quia nulla eſt emptio ſine pretio, quod in quantitate, & pecunia numerata conſiſtit, quod non eſt in permutatione, ſed uterque eſt quaſi emptor, & venditor.

Itèm in venditione emptor cogitur facere pretium accipientis, & venditor non tenetur facere rem ementis, quia ſufficit, quod venditor de evictione ſe obliget; ſed in permutatione uterque cogitur rem à ſe datam facere accipientis *ar. ff. e. l. 1. circa princ.*. Sed ſuper hoc diſtinguitur, quia ſi quis rem non ſuam, ſed alienam permutavit, permutatio tenet, donec evincitur, & ideò poteſt agi conditione ob cauſam datorum ad repetendum, quod datum eſt, quaſi nihil ab altera parte ſit datum, *ut ff. e. l. 1. in fi.*

ARTICULUS III.

Quæ res permutari poſſint, & quæ pro quibus?

SEquitur videre de tertio, ſcilicet quæ res permutari poſſint, & quæ pro quibus. Circa quod ſciendum, quod permutatione ſpecialiter ſumpta, prout eſt unius rei, pro alia vicaria præſtatio, permutari poſſunt temporalia cum temporalibus, non autem ſpiritualia cum temporalibus; Undè nec decima cum pecunia *extra e. c. ulti.* per quod patet, quod laicus non poteſt eximere ſe à præſtatione decimę, licèt det partem fundi. Spiritualia autem cum ſpiritualibus ejuſdem generis permutari poſſunt, & ſic Eccleſia cum Eccleſia; Dignitas, cum dignitate; Canonia, cum canonia; Beneficium cum beneficio; & Decimę cum decimis. Non autem beneficium cum jure patronatus, quod eſt ſpirituale alte-

alterius generis permutari poteſt, & ratione poſſeſſionum unius Eccleſię, ſi pręponderant poſſeſſionibus alterius Eccleſię, pecunia poteſt refundi, dummodo contractus ad invicem minimè miſceantur, ita quod ſeparatim fiat contractus Eccleſiarum à contractu poſſeſſionum; vel ſecundum Inno. hoc vult dicere, quod caveant permutatores, ne occaſione ſpiritualium jurium, de quibus plus habet una Eccleſia, quàm alia, pecunia tribuatur *extra e. ad quæſtiones 16. q. ſi. nemini.* Non obſtante, quod aliquis expectet proximo vacaturam *lib. 6. e. licèt*. Hoc intellige quandò fit authoritate ſuperioris, ut ibidem *extra de cenſi. probibemus*. Aliàs non licet *extra e. quæſitum, & de præben. majoribus*; Et ſi qui hanc permutationem authoritate propria fecerint, ſunt eis privandi *extra e. cum olim*, niſi ſimplicitati venia detur *extra e. cum univerſorum*.

Undè ſi objiciatur, quod permutatio non eſt contractus gratuitus *ff. e. l. 1.* ergo non poteſt intervenire in ſpiritualibus, quę ſunt gratis conferenda *1. q. 1. gratia ſi non gratis, & ſimilia*. Dicendum, quod hoc totum ſoluit authoritas ſuperioris, ex cujus arbitrio omnia pendent, ut *16. q. ſi. nemini, & extra de cenſi. probibemus*.

Notat autem *Rod.* quod hujuſmodi permutatio Eccleſiarum pro Eccleſiis non habet locum inter perſonas, quę non habent niſi uſufructum Eccleſiarum, et hoc tantum ad vitam ſuam; ſed inter perſonas Eccleſiaſticas, quibus proprietas talium Eccleſiarum in perpetuum eſt conceſſa, *ut c. præalle. ad quæſtiones &c.*

Notandum etiam, quod beneficium poteſt intelligi permutari dupliciter, ſcilicèt aut tanquam proprietas, ſic permutari poteſt cum beneficio; ut cum duo Epiſcopi litigant ſuper aliqua Eccleſia, quam unus dicit eſſe debere ſibi ſubjectam, & alter negat, qui poſſidet eam; permutatio fieri poteſt, quod unus habeat unam Eccleſiam, & alter aliam; Aut tanquam beneficium, ut cum quis ad prælationem recipitur, vel ad aliquod beneficium intitulatur, ſic non poteſt beneficium cum beneficio permutari, ſinè authoritate ſuperioris, ut dictum eſt ſupra.

Sed numquid ſufficit authoritas ſuperioris, ubi non ad eum, ſed ad capitulum pertinet collatio, & inſtitutio præbendarum?

Reſpondeo, quod non *ar. extra de offi. Archi. ad bæc nos Dominus §. ſi. & de offi. dele. ſuper e. ad finem*.

Numquid ſufficit in eodem caſu Capituli authoritas? Et videtur quod non, quia non conceditur ei, quod diſpenſare poſſit contra conſilium, ſed tantùm Epiſcopo *extra de præben. vacante*; ſecundum Hoſti. Ubi verò collatio pertinet ad Epiſcopum, & Capitulum, fiet libera reſignatio in manibus utriuſque, & ſi ſint in diverſis Diœceſibus illa beneficia, quilibet reſignabit in manu ſui Epiſcopi; vel alicui alteri committet, quod melius videtur; Ad hoc *extra de ſent. excom. cum illorum*; Si verò ad Canonicos pertineat electio, & ad Epiſcopum confirmatio, neceſſe erit, quod interveniat conſenſus illorum, qui habent eligere *ar. extra de offic. Archi. ad bæc in ſi. ſecundum Joan. And.* Si verò Epiſcopus permutet cum Capitulo, facere debet hoc authoritate Archiepiſcopi *extra de reb. Eccleſ. non alien. c. 1.* Si verò permutet cum aliis, ſufficit conſenſus Capituli *ſecundum Hoſti.*

Mancipia autem Eccleſiarum cum mancipiis privatorum non poſſunt permutari niſi ad libertatem, ideſt ad hoc, ut liberi fiant *extra e. mancipia*, quod eſt verum ſecundùm *Hoſti.* niſi ubi expediret Eccleſiæ, cui donari poſſint *12. q. 2.* Eccleſiaſticis utilitatibus multò fortiùs permutari. Hoc enim ſecundum *Lauren.* prohibitum fuit, quia ad Laicorum ſuggeſtionem ſæpè inutilia mancipia permutantur pro utilibus; Sed ceſſante cauſa, ceſſabit conſtitutio. *di. 61. §. His omnibus, & extra e. mancipia in Gloſ.* Undè ſecundum Innoc. fugitivi permutari poſſunt, & diſtrahi *extra e. de rerum per injuſtum*: Quod eſt verum, ex quo redierunt patefacto vitio emptori ſecundum *Ber.*; Secùs eſt, ſi ſint in fuga *C. ad l. Flau. de pla. in fuga*, & quod dicit ſervum Eccleſiæ poſſe permutari ad libertatem, intelligas, ſi duo alii dentur ſibi, aliàs non *12. q. 2. Epiſcopus, qui mancipium*.

ARTICVLVS IV.

Cum quibus perſonis poteſt Eccleſia permutare?

SEquitur videre de quartò, ſcilicèt cum quibus perſonis poteſt Eccleſia permutare. Circa quod ſciendum, quod permutare poteſt una Eccleſia cum alia indemnitate ſervata utriuſque. *10. q. 2. boc jus*, & etiàm cum Principe, dummodo recipiat rem ęquivalentem interveniente pragmatica ſanctione. Hoc ſecundùm *Hoſti.* verum eſt, ſi Princeps egeat tali permutatione, licèt alitèr intelligatur ab illis *extra e. c. 1.* Nàm ſi tantùm Eccleſię utilitas attendatur, ut videtur velle *Ber.* nullum erit Principis privilegium ſecundum *Hoſti.* Eſt autèm pragmatica ſanctio illud, quod Princeps de conſilio Procerum ſtatuit, & ſanxit *C. de diver. reſcrip. l. ult.* Sed cum privatis Eccleſia permutat, ita demùm ſi ipſi Eccleſiæ expediat, *ut extra de reb. Eccle. non alien. ut ſupra in fin.*, & ſi permutatio inconſultè facta ſit, ſucceſſor poteſt revocare *extra e. c. 2.*

ARTICULUS V.

De Arte campſoria.

SEquitur videre de quintò, ſcilicet de arte campſoria; in qua commutatur pecunia pro pecunia, & quæritur utrum ſit licita?

Reſpondetur ſecundum *Alex. Lombardum in quolibet. q. de uſuris*, quod ſic. Cujus ſignum eſt, quod Eccleſia damnat, & perſequitur uſura-

Digitized by Google

rarios, non autem campſores, ſed potiùs eis favet, ut patet in Eccleſia Romana. Ad cujus evidentiam ſciendum, quod oportuit eſſe campſores, tum propter diverſitatem nummiſmatum in diverſis Regionibus, ſicut in eadem diverſificantur; tùm pro utilitate Legatorum diverſas regiones circumeuntium; tum pro commutatione rerum neceſſariarum vitæ hominum: Rerum enim commutatio eſt neceſſaria, quæ non poteſt fieri commodè ſinè nummiſmatè, quia res commodè ferri non poſſent ad loca remota pro commutatione facienda, & ideò neceſſarium fuit nummiſma; Neceſſaria igitur fuit ars campſoria. Non autem habet locum in tali commutatione ratio mutui, quia non ſperatur ibi lucrum propter temporis dilationem. Nec iterum redditur ſors campſori eadem ſpecie, vel numero, quia dat monetam unius generis, & recipit monetam alterius generis. Non eſt etiam ibi propriè emptio, vel venditio, ſed poteſt ſimpliciter dici permutatio. Ulterius eſt attendendum, quod valor nummiſmatis, ſivè monetæ poteſt penſari dupliciter. Uno modo ſecundum naturam rei, vel ponderis, vel materiæ. Alio modo ſecundum taxationem legis poſitivæ, & ex hoc accidit, quod aliquod genus monetæ in aliquo loco, non tantum valet ſecundum materiam ſuam, quantum valet in alio loco ſecundum legem poſitivam. Et ideò quando campſor aliquod genus monetæ accipit, non ſecundum æſtimationem legis poſitivæ, ſed ponderis, vel materiæ, & aliud genus monetæ dat ſecundum æſtimationem legis poſitivæ, fit ibi recompenſatio, & æqualitas inter datum, & acceptum, comparando illud, quod valet moneta data ſecundum legem poſitivam, ad illud, quod valet moneta recepta ſecundum pondus ſuum, & materiam; & ſervatur ibi juſtitia ſimilis illi, quæ eſt in emptione, & venditione, quia fit ibi recompenſatio ſecundum ampliorem utilitatem dati apud recipientem à campſore, quàm recepti ab eo; & ideò non poteſt dici, quod ſit ſimile de iſta permutatione, & mutuo, quia non requiritur, quod contractus talis ſit gratuitus, ſicut mutuum; propter quod hic ſperari poteſt lucrum, & non ibi, & poteſt lucrum tranſire in dominium permutantis, & non in dominium mutuantis. *Hæc Alex. Lombardus ubi ſupra*.

TITULUS X.

De Mutuo.

POſtea conſiderandum eſt de contractu mutui. Et circa hoc videndum eſt primò undè dicatur. Secundò in quibus rebus conſiſtit, ſivè contrahitur. Tertiò qualiter contrahitur. Ideo ſit.

ARTICULUS I.

Undè dicatur Mutuum?

CIrcà primum ſciendum, quod mutuum dicitur, quaſi de meo factum tuum. Et dicunt aliqui, quod eſt nomen compoſitum ex corrupto, & integro, quia quod fuit meum, mutuando facio tuum *ff ſi cer. pe. l. 2. §. Appellata*. Alii verò dicunt, quod non eſt nomen compoſitum, ſed ſimplex derivatum à *muto, mutas*, quia ab uno mutatur in alium; & quod dicitur mutuum, quaſi de meo factum tuum, eſt etymologia, non compoſitio. Et à muto, dicitur mutuo mutuas, mutuare, quod eſt neutrum, & mutuor mutuaris, mutuari, quod eſt deponens, & ſignificantur duo, quia mutuare eſt mutuum dare, mutuari verò eſt mutuum accipere. Undè verſus: *Mutuo tradendo, ſed mutuor accipiendo. Ità Papias*.

ARTICVLVS II.

In quibus contrahitur mutuum?

SEquitur videre de ſecundò, ſcilicet in quibus contrahitur mutuum. Circa quod ſciendum, quod contrahitur tantùm in his, & de his rebus, quæ conſiſtunt tantùm in numero, pondere, & menſura; id eſt in his rebus, quæ dantur ad numerum, ut quælibet moneta, quæ propriè dicitur pecunia numerata; & quæ dantur ad pondus, ut æs, aurum, & hujuſmodi; & quæ ad menſuram, ut granum, vinum, oleum; *inſti. quibus mo. re contra. oblig. circa princ.*

Sed numquid eſt mutuum ſi decem brachia de panno ſcanforti, vel alio dantur, ut totidem in termino certo reddantur?

Videtur enim, quod ſic, quia talia videntur conſiſtere in menſura. Reſpondet *Rod.* quod eſt verius ibi contractus permutationis, quàm mutui, & nomen menſuræ reſtringitur hic ad modios, & lagenas, & alia vaſa, quibus menſurari ſolent grana, & liquida. Poteſt tamen hujuſmodi contractus in fraudem fieri uſurarum.

Quid, ſi dem librum ad pondus, vel oves ad numerum, recepturus librum tanti ponderis, vel oves tanti numeri?

Reſpondeo. Non erit mutuum, quia in mutuo debet attendi natura, vel aptitudo, & conſuetudo rerum, ut dentur ad pondus, vel numerum *ff. de contrahen. emp. & ven. l. 1.* Ut frumenti naturalis aptitudo, & conſuetudo eſt, ut ad menſuram detur, & æris, ut ad pondus, & monetæ, ut ad numerum. Librorum verò, equorum, ovium, & ſimilium non eſt naturalis aptitudo, & conſuetudo, ut dentur tali modo, ſed ſecundum æſtimationem valoris eorum, quia cum res mutuata non eadem, ſed ſimilis debeat reddi, non poſſet in hujuſmodi rebus ſimilitudo omnimoda reperiri, ita quod ſuper omnes omninò ſimilis redderetur; *Hæc Azo*.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Quomodo mutuum contrahitur?

SEquitur videre de tertio. Circa quod ſciendum, quod contrahitur mutuum tali modo, ſcilicèt, ut dans mutuum dare intelligatur intentione recipiendi in termino non eamdem rem, ſed ſimilem, & tantumdem in eodem genere, & ejuſdem utilitatis, & pretii, & eodem modo; ut ſi dedit pecuniam non eamdem, ſed ſimilem; Si granum non idem, ſed ſimile; Si enim idem numero recipi deberet, non mutuum, ſed commodatum, vel depoſitum eſſet *ff. de contrahen. emp. l. 2.* Res etiam ejuſdem generis debet reddi, quia ſi redderetur alteriùs generis, ut pro vino granum, non eſſet mutuum, ſed contractus innominatus, ſcilicèt do, ut des *ff. ſi cer. pe. l. 1.* Nec ſic debitor liberaretur, ſi fieret creditore invito, ut ibidem *ſi cer. pe. l. 2.* Niſi in caſibus, quos require *infra ti. de ſolutionibus ar. 5. circa princ.*

Sed quid ſi argentum ad pondus recipiatur, & pecunia ad numerum reddatur?

Secundum *Azo.* videtur, quod liceat, ut *ff. de au. & ar. leg. l. 1. §. ult.* Et hoc ſi ſit pecunia argentea non contaminata ære, tunc enim idem genus redditur, & tantumdem; Non accipitur enim genus hîc, ſicut accipit Porphyrius, ſed ponitur ſpecialitèr pro quibuſdam rebus, quæ ſunt in numero, pondere, & menſura, non pro aliis. *Hæc Azo.*

Itèm in mutuo debet conſiderari non tantum natura, ſed etiam actus: Si enim pecuniam dedero, non in quantitate, ſed in ſacculo, ut mihi tantùm pecuniæ ſacculum reddas, non erit mutuum, quia licèt quod eſt datum, habeat naturam mutui non tamèn ſic eſt datum, ut mutuum, debuit enim in quantitate dari; debet ergo inſpici natura, & actus cum his, quæ data ſunt, quorum ſi quod defuerit, mutuum non erit.

Undè ſi quæratur an ſic fiat mutuum cum do tibi panem, vel vinum, ut mihi reddas æquè bonum alium; dicendum eſt, quod non; ſed contractus innominatus, ut do, ut des. *Hæc Azo.*

Itèm contrahitur, mutuum duplicitèr; Uno modo ſola rei mutuatæ traditione, dùm ſcilicèt creditor rem debitori tradit, eam ſibi mutuans, vel ponderans, vel menſurans; Undè tunc dicitur obligatio contrahi *inſti. quibus mo. re. contra. obli. in principio.* Et dicitur tale mutuum naturale, quando ſcilicèt res traditur non ſecuta ſtipulatione, quæ eſt de jure civili, *ut ff. ſi cer. pe. certi. conditio. §. numeravi inſi.* Et ideò non datur certi conditio de mutuo, niſi intantum quantùm eſt datum, non ultra; ſi enim tibi dem, ut mihi reddas, non contrahitur ipſo jure obligatio, *ut ff. de pac. in l. ſi tibi decem in prin.* Non enim obligatio re contrahi poteſt, niſi inquantùm datum eſt; Sic ergo debitor redderet tantùm illud, quod recipit ex mutuo, nec liberatur intentione *C. ſi cer. pe. cum te eo, quod à multis*, nec alio caſu fortuito, ut *C. ſi certum pe. l. incendium. inſti. qua. mo. re contra. obligat. §. itèm.* Secùs eſt ſi data ſit pecunia in ſacculo conſignato, *ut ff. ſi cer. pec. ; quod ſi ab initio.* Alio modo contrahitur obligatio mutui, non tantùm rei traditione, ſed etiam ſtipulatione, ut ſi parùm antè, vel parum poſt pecuniæ numerationem, creditor ſtipuletur illam pecuniam ſibi reddi; Aliàs ſtipulatio non valeret *ff. de ver. obli. l. 1.* Et tunc mutuum dicitur naturale propter numerationem, in qua operatur natura, & propter ſtipulationem, quæ eſt de jure civili *inſtit. de act. §. de pecunia autem*, & ſi ſtipuletur ſibi plus reddi, quàm tradidit, contra naturam mutui faceret, & contra æquitatem juris naturalis, ut patet ex jàm dictis, & patebit pleniùs ex his, quæ dicentur *in titu. ſeq. de uſuris.* Ex prædictis patet natura contractus mutui. Ad quod etiàm valent ea, quæ dicuntur *in tit ſeq. ar. 3. in ſi. ſolutionis quæſtionis primæ de differentia inter mutuum, & commodatum*, & ea quæ dicuntur *in 4. ar. caſu 10. de differentia inter mutuum, & locatum.* Cui autèm actio ex mutuo detur, & contra quem, & qualis actio eſt, ad preſens juris peritis relinquatur gratia brevitatis, præcipuè cum talis conſideratio ſit forma judicialis, non pœnitentialis.

TITULUS XI.

De Uſura.

DEindè conſiderandum eſt de uſura, quæ committitur in contractu mutui, & Primò quid ſit uſura, & undè dicatur. Secundò quot, & quæ ſunt ſpecies, & modi ejus. Tertiò utrum uſuram accipere corporalem ſit peccatum. Quartò utrùm liceat in aliquo caſu recipere aliquid ultra ſortem. Quintò de quibuſdam caſibus dubitabilibus, utrùm ibi ſit uſura. Sextò de pœnis uſurariorum, quibus ſecundum jus poſitivum puniuntur, & ad reſtitutionem compelluntur. Septimò de reſtitutione uſurarum. Octavò de forma inſtrumenti obligationis uſurarii, vel etiam raptoris ad reſtituendum malè ablata. Ideò ſit

ARTICULUS I.

Quid ſit Uſura, & undè dicatur?

CIrca primùm ſciendum, quod diverſi diverſimodè deſcribunt uſuram; ſed *Hoſti; in ſumma ſua* videtur deſcribere ipſam completius dicens, quod uſura eſt quodcumque ſolutioni rei mutuatæ accedit, ipſius rei uſus gratia, pa-

ctione interpoſita, vel hac intentione habita in contractù, vel ex actione habita poſt contractum: *Quodcumque* ideò dicitur, quia quicquid ſit illud, & quodcumque nomen ei imponatur, ſivè illud conſiſtat in dando, ſivè faciendo, uſura eſt, ex quo ultra ſortem exigitur *ut* 14. *q.* 3. *uſura.&c. pleriquè. Rei mutuatæ* ideò dicitur, quia uſura habet locum in contractu mutui ſecundùm *Goſ.* & *Ray* & quaſi omnes; & addè ſecundùm *Hoſti. regulariter*, quia in quibuſdam caſibus, & in contractibus bonæ fidei, vel legatis, & fidei commiſſis, ex mora, vel quaſi mora auctoritate legis uſuræ dantur, licèt ibi nullum mutuum ſit contractum; verbi gratia: ut referam unum ex multis, ſi quis legavit mihi rem aliquam, ut ea vendita uterer pecunia, & hæres in tradendo mihi eam adhibuit moram, mihi tenetur ad uſuram, ſed ſi mihi legavit eam, ut uterer ipſa, non capiam uſuram ſinè verecundia, ut *ff. e in fidei commiſſi. §. ul. in fi.* Hæc tamèn ſecundùm jus canonicum, & divinum non procedunt, ut etiàm dicunt *Goſ. & Hoſti.* niſi uſura pro intereſſe petatur. Quod ergo ſcribit *Ray.* uſuram non committi, niſi tantùm in his rebus, in quibus conſiſtit mutuum, intelligit *Hoſti.* quoad contractum, quia in alio contractu non dicitur regularitèr uſura committi, ut dictum eſt; ſed aliud eſt quantùm ad uſus naturam, ſi quid tibi mutuem, & tu pro hoc mutuo mihi promittas veſtem, vel equum, vel prædium, vel aliquid aliud, quod non conſiſtat in pondere, numero, vel menſura, *ut* 14 *q.* 3. *pleriq. &c. uſum. Ipſius rei uſus gratia* dicitur idèo, quia ſi non gratia uſus, ideſt conſumptionis, ſed loco pœnæ apponeretur ſinè fraude, ſecùs eſſet, ut patet *extra de arbi. dilecti*, *&* 12. *q.* 2. *fraternitas*. Eſt autèm differentia inter uſuram, & pœnam, quia uſura datur ratione certi ſpatii temporis, ut menſis, aut anni, *ut C. e. in aut. ad hæc*, & etiàm datur, ut ſors non ſolvatur, ſed potiùs ſortis ſolutio differatur *extra eo. conſuluit*. Pœna verò datur non ſecundùm ſpatium alicujus temporis; ſed ſecundùm quod partes inter ſe conveniunt *extra de pœnis conſtitutus*; datur etiàm, quia non fit, quod convenitur, vel quia non ſolvitur, quod debetur, *extra de arbi. dilecti*. *Pactione interpoſita* ideò additur, quia ſi nullo pacto ab initio interveniente, nec habita ex poſt facto exactione, debitor aliquid gratis offerret, ſinè aliquo peccato recipi poſſet, dummodo ab initio intentione mala caruiſſet; Nullam enìm maculam oblatio ſuſcipienti ingerit, quæ non exigentis pactione proceſſit 1. *q.* 2. *ſicut Epiſcopum. in fi.*

Utrùm autèm is, qui ſola ſpe committit uſuram, teneatur ad reſtituendum ea, quæ ultra ſortem accepit *infra dicetur de reſtitutione uſurarum q. quid de eo, qui ſola &c.* Dicitur autèm uſura ab uſu rei, quia datur ob uſum rei, ideſt pecuniæ; Undè dicitùr uſura, quaſi uſus rei; vel uſura, ideſt uſus æris, ideſt pecuniæ, vel quaſi ex æris uſu procedens; & hæc expoſitio in idem redit cum priori. Nomine autèm pecuniæ continetur quicquid homines habent in bonis 1. *q.* 3. *totum*.

ARTICULUS II.

Quot, & quæ ſint ſpecies, & modi Uſuræ?

SEquitur videre de ſecundo, quot, & quæ ſint ſpecies, ſivè modi uſuræ. Circa quod ſciendum, quod ſunt duæ; Una eſt ſpiritualis, & æqua, de qua *Matth.* 25. *Nonnè opportebat te pecuniam dare nummulariis, & ego veniens cum uſuris exegiſſem eam*. Et ſumitur hìc uſura metaphoricè pro ſuperexcreſcentia bonorum ſpiritualium, quam exigit Deus à nobis, volens, quod proficiamus ſemper in bonis ab eo acceptis, quod eſt utilitas noſtra, non ſua; Undè hanc debemus exercere *diſt.* 46. *ſicut non ſuo*. Et *Auguſ. Miſer homo cur fœneraris homini. fænerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis. & Proverb.* 19. *Fœneratur Deo, qui miſeretur pauperi*. Alia uſura eſt corporalis, & iniqua, de qua agitur hìc, & hoc dicitur improbum fænus; qui hanc ſecundam exercet, ipſo jure eſt infamis, etiàm ſecundùm leges 3. *q.* 7. §. *tria*. Secundùm verò canones in utraque peccatum mortale committitur, & infamia irrogatur 6 *q.* 1. *infames*.

Itèm uſurarum alia eſt uſura directè, alia indirectè; directè duplicitèr, ſinè pacto, & cum pacto; ſinè pacto duplicitèr. Uno modo cum inſinuatione, ut cum dicit uſurarius: non facio pactum, ſed mihi dabis ad libitum tuum. Qui niſi lucrum indè ſperaret, pecuniam non mutuaret. Alio modo, quandò ſimplicitèr mutuatur nihil dicendo, principalitèr tamèn mutuat, ut aliquod lucrum indè percipiat; Uſura enìm committitur ſola voluntate ſecundùm illud *Luc.* 6. *mutuum date nihil indè ſperantes*, & tunc uſura eſt periculoſior, quia in foro cauſarum repeti non poteſt.

Itèm cum pacto committitur triplicitèr. Primò, quando capitale, & lucrum ponitur in certitudine, ut cum dicitur mutuo viginti ſolidos pro viginti quinque. Secundò, quando capitale ponitur in certitudine, & lucrum in fortuna, ut cum dicitur mutuo tibi decem, & ſi lucratus fueris, mihi tantùm de lucro vel ad voluntatem tuam dabis; ſi verò nihil lucratus fueris, nihil dabis; ſed quicquid de lucro fuerit, mihi reddes penitùs capitale. Tertiò, quando lucrum ponitur in certitudine, & capitàle in fortuna, ut faciunt, qui mutuant ad fortunam maris, ut ſi navis periclitetur ſibi, reddere non tenetur etiàm capitale, de quo uſuræ modo *extra e. naviganti*. Indirectè autèm fit uſura, quando fit in fraudem præcepti mutando contractum, ut ſi dicatur non mutuo tibi pecuniam, ſed vendo; mutat enìm contractum mutui in contractum fictæ venditionis, & intendit hinc indè

lucrari. Idèm eſt ſi is, qui in vendendo omni die merces ſuas proptèr dilationem ſolutionis carius vendat eas, niſi veriſimilitèr dubitet, utrùm plus, vel minùs in ſolutionis termino ſint valituræ, ut dicetur infrà. Sunt & aliæ ſpecies uſuræ ſecundùm leges, quas omitto gratia brevitatis. Omnes enìm ſunt prohibitæ, & leges permittentes eas ſunt abrogatæ, *ut dicetur in ar. ſe.* & ideò eas hìc ponere eſſet modicum utile.

ARTICVLVS III.

Utrùm accipere uſuram corporalem ſit peccatum?

SEquitur videre de tertio, ſcilicèt utrum accipere uſuram corporalem ſit peccatum. Ad cujus evidentiam conſiderandum, quod actus humani ex electione procedentes, quidam ſunt de ſe boni, poſſunt tamèn malè fieri, ut dare eleemoſynam, eſt de ſe actus virtutis, poteſt tamèn malè fieri, ut ſi fiat proptèr vanam gloriam. Quidàm autèm ſunt de ſe, & ſecundùm ſe boni, & ideò non poſſunt malè fieri, ut Deum, vel proximum diligere ex charitate. Quidam ſunt de ſe mali, qui tamèn cum debitis circumſtantiis poſſunt benè fieri, ut homicidium, licèt de ſe ſit malum, poteſtati tamèn ſæculari zelo juſtitię eſt licitùm, & bonum. Quidàm ſunt de ſe, & ſecundum ſe mali, & ideò non poſſunt benè fieri, ut odire Deum, Proximo invidere, quæ nullo modo ex nulla circumſtantia poſſunt benè fieri. Quidam ſunt indifferentes, qui nec boni, nec mali ſunt de ſe, nec ſecundùm ſe, ut ambulare, vel loqui.

Dicendum igitur ad quæſtionem propoſitam, quod uſura eſt quicquid accedit in mutuo ſorti, pacto, vel intentione principali; & ſic eſt de ſe, & ſecundùm ſe peccatum, & nullo modo, nullo caſu poteſt benè fieri; & hoc oſtenditur primò ratione, ſecundò authoritate. Oſtenditur autèm ad præſens duplici ratione, quod uſura de ſe ſit mala, & ſecundùm ſe. Primò, quia eſt contractus cupiditatis, non neceſſitatis, ut autèm vult *Auguſ. lib. de fide ad Petrum: venenum charitatis eſt cupiditas.* Et ſi dicatur, quod neceſſe eſt eſſe aliquos ſic præſtantes, dico, quod neceſſitas, & utilitas non eſt attendenda in republica, quando eſt cum damno, & inæqualitate; In uſura autèm, ut patebit, eſt damnoſa utilitas, & perniciosa inæqualitas. Secundò, quia eſt contra rationem, & ordinem charitatis, ſecundùm quam debet homo proximo indigenti ſubvenire, & quantò magis indiget, tanto magis tenetur; & ſic magis peccat, ſi vult ei vendere, quod tenetur ei dare, & ſic neceſſitas proximi, quam quidam advertentes, licèt inadvertentèr infœnoris excuſationem, fœnus aggravat, & condemnat ſecundùm veritatem; *Undè 1. Jo: 2. dicitur. qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* quaſi dicat: nullo modo.

Quod autèm uſura non tantùm de ſe, ſed etiàm ſecundùm ſe ſit peccatum, oſtenditur triplici ratione. Primò per hoc, quod eſt contra rationem naturalis proprietatis pecuniæ, ad quod ſequitur ulteriùs, quod ibi venditur illud, quod non eſt. Ad cujus evidentiam ſciendum, quod quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio, ſicuti vinum conſumimus utendo eo ad potum, & convertendo ad cibum: Undè in hujuſmodi, non debet computari uſus rei ſe orſum à re ipſa, ſed cuicumque uſus rei conceditur, eo ipſo res ipſa conceditur, & ideò in talibus per mutuum transfertur dominium; ſi quis ergo vellet ſeorſum vendere vinum, & ſeorſum uſum vini, venderet eamdem rem bis, & venderet illud, quod non eſt; Undè manifeſtè peccaret per injuſtitiam. Simili ratione committit injuſtitiam, qui mutuat triticum, vel vinum petens ſibi fieri duas compenſationes; unam quidem reſtitutionis æqualis rei; alteram verò pretium uſus, quod dicitur uſura.

Quædam verò res ſunt, quarum uſus non eſt ipſarum rerum conſumptio, ſicut uſus domus eſt in habitatio, non autèm diſſipatio, & ideò in talibus poteſt concedi utrumque ſeorſum; ut cum quis tradit alteri dominium domus, reſervato ſibi uſu ejus ad aliquod tempus, vel è converſo concedit uſum domus retento ſibi dominio ipſius, & ideò licitè poteſt homo recipere pretium pro uſu domus, & poteſt petere donum moderatum, ut patet in conductione, & locatione domus.

Pecunia autèm ſecundùm *Philoſophum 5. Ethi. & 1. Politi.* principalitèr eſt inuenta ad commutationes faciendas, & ità proprius, & principalis uſus pecuniæ eſt ejus conſumptio, ſive diſtractio, ſecundùm quod in commutationibus expenditur; & ideò ſecundùm ſe eſt illicitum pro uſu pecuniæ mutuatæ pretium recipere, quod dicitur uſura, quia hoc eſt vendere idèm bis, vel vendere illud, quod non eſt, per quod inęqualitas manifeſtè conſtituitur, quæ juſtitiæ contrariatur; Undè *Philoſophus 1. Poli. dicit*, quod uſura dicitur à *Chatos*, quod eſt partus, quia contra naturam rei, ſcilicèt pecuniæ, vult uſurarius, quod pecunia pariat. Dicit enìm in uſura *Cathos* ſeipſum facit, undè & illud nomen accepit; ſimilia enìm parta generantibus ipſa ſunt. *Cathos* autèm fit nummiſma ex nummiſmate; Quarè, & maximè prætèr naturam iſta pecuniarum acquiſitio eſt; Hæc *Philoſophus*. & hanc rationem ponit *Tho. 2. 2. q. 78. ar. 1. c.* Secundò oſtenditur, quod uſura eſt peccatum ſecundum ſe, quia eſt contra rationem mutuæ ſocietatis, quia cum labore, & periculo proximi ſtat certum lucrum Uſurarii; hoc autèm eſt inæqualitas: aut enìm pecunia mutuo accepta tranſit in dominium debitoris, ità quod ſit ſua: aut non tranſit, ſed eſt ſemper ipſius

ipſius creditoris. Si primo modo,hoc eſt inæqualitas magna, ſcilicèt, quod aliquis in re ſui proximi, & quæ proximo ſuo ſtat, & cadit, neceſſariò lucrum requirat, cum nullum damnum. indè,quicquid de re contingat, incurrat Si ſecundo modo adhuc eſt inæqualitas major, ſcilicèt quod res domino ſuo non poſſit perire, cum ipſemet poſſit deficere; Hoc enim non patitur natura, nec conditio portat humana. Prætereà nullum fructum habet pecunia ex ſua natura, ſed tantùm ex utentis induſtria, quam non accepit ab illo, à quo accepit pecuniam, ergò ille quærit injuſtè fructum ex ea, & hanc rationem tangit *Scotus* 4. *diſ.* 15. *q.* 2. *ar.* 2. Patet igitur inæqualitas, & injuſtitia, quæ maximè eſt in uſuris. Tertiò, quia eſt contrectatio rei alienæ manentis alienæ, & hoc invito domino, & privatur voluntas abſoluta, non comparata. Debitor enim ſimplicitèr nollet dare aliquid ultra ſortem, magis tamèn vult aliquid ultra ſortem dare, quàm pecunia carere; ſicut enim ſcientèr cognoſcere uxorem alienam, manentem alienam, eſt malum in ſe, & ſecundùm ſe; ſic ex mutuo recipere rem alienam, manentem alienam, & eam contrectare ut ſuam, eſt contra jus naturale, & hæc tertia ratio eſt *Alexan. de Ang.* 3. *ti.* 4. *c. de præcepto mutui ar.* 3. *circa* 4. *& c.*. *& Rich.* 4. *diſ.* 15. *q.* 5. *ar.* 6. *c.*, qui volunt, quod illud, quod accipitur ultra ſortem ex vi mutui, non tranſit in dominium creditoris recipientis; Quæ ratio nihil valet ſecundùm illos, qui dicunt, quod tranſit. Prædictæ etiàm opinionis fuerunt *Bon.* 4. *diſ.* 15. *parte* 2. *q.* 2. *ar.* 1. *c.*, *& Scotus ubi ſupra ar* 3., *& Ray. in ti. de decimis*. Contrariæ verò opinionis fuerunt *Goſ. ti. de decimis*, & *Ber. extra de decimis. ex tranſmiſſa*, licèt hoc non dicat expreſsè Gloſ. 14 *q.* 4. *Si quis*.

Quod etiàm uſuram recipere ſit ſecundum ſe malum oſtenditur multiplici authoritate Sacræ Scripturæ. Dicitur enim *Ezech.* 18. *Si genuerit quis filium latronem effundentem ſanguinem, & uxorem proximi polluentem, pignus non reddentem, ad idola levantem oculos ſuos, ad uſuras dantem, & ampliùs accipientem, numquid vivet, qui univerſa deteſtanda hæc fecerit?* Ubi conſiderandum eſt, quod omnia ibi poſita cum uſura ſunt de ſe, & ſecundum ſe mala, & peccata mortalia, ergò ſimiliter & uſura.

Item *Pſal. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c.* poſtea ſubdit; *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, quaſi dicat, ſi dederit ad uſuram,non habitabit in tebernaculo Domini, ſed nullus excluditur à tabernaculo Domini, niſi pro peccato mortali; ergò &c. Item *Pſal. non deficit de plateis ejus uſura, & dolus*. Et iterum: *ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum* Dolus autèm, & iniquitas ſunt mala ſecundum ſe, ergo & uſura, quæ cum eis ponitur.

Item cum uſurarius aliena appetat, & contrectet, facit contra duo præcepta, ſcilicèt contra illud: *Non furtum facies*, & contra illud: *Non concupiſces rem proximi tui*, per quæ omnia patet, quod uſura eſt ſecundum ſe mala, & peccatum mortale. Ulteriùs crimen uſuræ eſt prohibitum omni jure, ſcilicèt divino, & naturali, Canonico, & Civili. De jure divino patet ex ſupra dictis, & *Exod.* 22. *Si pecuniam commodaveris populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes eum*, & etiam in multis aliis locis veteris teſtamenti. Et *Lucæ* 6. *mutuum date, nihil indè ſperantes*; Vbi non tantùm actus, ſed etiam ſpes accipiendi à proximo ultra ſortem prohibetur; & brevitèr quotiès in Sacra Scriptura dilectio proximi præcipitur, prohibetur; & ſic etiam eam utriuſque teſtamenti pagina deteſtatur *extra e. ſuper e.* Eſt etiam prohibita jure Canonico *diſ.* 47. *quam multi*. Vndè & ipſum jus Canonicum uſuras reſtitui cogit, ut infra patebit; quinimò etiàm ſecundum ipſum, ſi quis pertinaciter aſſerat,uſuras exercere non eſſe peccatum, eſt ut hæreticus puniendus, & procedi debet contra diffamatos, vel ſuſpectos de hujuſmodi errore, ſicuti contra diffamatos de hæreſi, vel ſuſpectos *lib.* 7. *de uſuris ex gravi*. Eſt etiam prohibita jure civili, quod oſtenditur dupliciter *in Glo.* 14. *quæſt.* 4. *quid dicam*. Primò per hoc, quod Imperator Juſtinianus dicit ſe amplecti quatuor Concilia generalia, adeò ut pro ea ſuis legibus derogetur, ſcilicèt Nicęnum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Calcedonenſe *in auct. de Eccl. ti. coll.* 9 *circa principium*. In Concilio autem Nicęno prohibentur uſurę *di.* 47. *quoniam multi*. Et hęc prima ratio tangitur etiam *extra de uſu., quia in omnibus. in Gloſ.* 1. Secundò per hoc, quod dicit Imperator, quod Sacræ Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ſpecialiter. in matrimoniis, & uſuris *in auct. ut Clerici apud proprios Epiſcopos conve. ad fi. coll.* 6. 2. *quæſt.* 3. §. *Hinc colligitur. Et de nov. openun. intelleximus*. Si ergo uſuræ prohibentur ſecundum Sacros Canones, ergò etiam ſecundum leges.

Nec obſtat, quod ille canon, ſcilicèt *quoniam multi*, loquitur tantùm de Clericis, quia authoritas ibi poſita, quæ eſt: *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, Clericis, & Laicis eſt communis.

Non obſtat etiam, quod ſecundum leges *C. & ff. e.* poſſunt peti uſuræ, quia lex ſupra allegata, quæ eſt in auctoritate eſt poſterior illis; Vnde omnes leges uſuras permittentes ſunt abrogatæ.

Sciendum tamen, quod Juſtinianus prius permiſit uſuras leviſſimas, non quaſi æſtimans eas eſſe licitas, ſed ad majus malum vitandum; Nam homines imperii ſui vidit eſſe pronos ad dandum uſuram, & ideò comparativa permiſſione permiſit minus malum, ut non fieret pejus. Illæ tamen leges, quæ permittunt uſuras exigi ratione intereſſe, vel ratione moræ, ſunt bonæ, & ap-

& approbandæ, ſi intelligantur ſanè ſecundum *Ray*. Conſtat igitur ex prędictis, crimen uſurę eſſe deteſtabile ſecundum omnem rationem, & legem. Aggravant autem multa crimen uſurarum, quę tamen prętermitto gratia brevitatis, de quibus in ſumma de vitiis ſufficienter poteris invenire. Sic ergo conſtat, quod uſura non tantùm eſt peccatum, quia à Deo prohibitum, ſicut fuit laborare in Sabbato apud Judeos, vel in Dominica apud Chriſtianos; immò uſura eſt prohibita, quia eſt peccatum, & ſecundum ſe eſt malum, & contra dictamen juris naturalis, ita quod nullo modo, & nullo caſu poteſt benè fieri, & in ea non poteſt diſpenſari. Vndè etiam non debet fieri pro redimendis captivis *extra e. ſuper eo*. Non enim debet impietas prętextu pietatis committi 1. *qu* 1. *non eſt putanda*.

Ad hoc autem, ut ſciatur melius natura mutui, in cujus contractu tantum regulariter uſura committitur, ut dictum eſt ſupra, notanda eſt differentia mutui, commodati, & locati. Sciendum igitur, quod ſicùt habetur *ex Glo.* 14. *quæſt.* 3. *in princ. ſuper verbo illo.* mutuum, ut etiam dictum eſt ſupra in pręcedenti titulo, conſiſtit in his rebus, quę dantur ad pondus, numerum, et menſuram, et illę res ſic dantur, quod in dominium accipientium transferuntur, et non ęedem, ſed alię ejuſdem qualitatis, et generis redduntur; Vndè et dicitur mutuum, quia de meo fit tuum. Commodatum verò eſt, quod alicui traditur, non ut fit ſuum, ſed ut utatur eo, et ab eo idem reſtituatur: Commodare enim eſt ad uſum tradere, in hoc autem conveniunt, quod utraque de natura ſua voluit eſſe gratuita; Vndè quicquid in mutuo plus exigitur eſt uſura, et in hoc ſolo caſu committitur uſura, ſcilicet *regulariter*, ut dictum eſt. In commodato verò, ſi quid exigatur, ſtatim commodatum eſſe deſinit, et in aliam ſpeciem contractus tranſit, quia aut aliquid exigitur pro re ipſa commodata, aut pro uſu ejus. Si pro ipſa re; aut pecunia, et tunc eſt venditio, et emptio; Aut res, et tunc eſt permutatio. Similiter, ſi pro uſu rei; aut pecunia, et ſic eſt locatio, et conductio; Aut res alia, et ſic eſt contractus innominatus, quia do, ut des, vel facias. Omnes iſti contractus ſunt liciti ipſis laicis. De differentia verò mutui, et locationis vide infra *ti. ſeq. caſ.* 10.

*S*ed contra hoc obiciuntur plura. Dicit enim *Ambroſius*, ut habetur 14. *q.* 4. *Ab illo exige uſuras, cui meritò nocere deſideras*, cui jure inferuntur arma, ſibi legitimè inferuntur uſuræ. Ex his videtur, quod uſuræ poſſint exigi ab aliquibus. Et idem videtur per illud *Deutor.* 23. *Non fęneraberis proximo tuo, ſed alieno*. Pręterea, Fęnerari permittitur pro lege ſervata in præmium *Deutor.* 15. *fęneraberis gentibus multis, & ipſe à nullo fęnus accipies.* Ergo non eſt peccatum. Præterea, Prætermittere conſilia non obligat ad peccatum, ſed *Lucæ* 6. *Mutuum date nihil indè ſperantes*, ponitur intèr alia conſilia, aliàs ſi eſſet præceptum, quilibet peccaret, qui non mutuaret, quod non creditur, ergo qui contra facit, non peccat; & ſic uſura videtur eſſe licita. Præterea, Argentum in vas formatum, & Argentum monetatum non differunt ſpecie, ſed licèt accipere aliquid ultra ſortem pro vaſe argenteo, ergò & pro moneta. Præterea: Qui accipit mutuum poteſt, ſcit, & vult uſurario dare rem ſuam, dicit enim: Do tibi proptèr ſortem pecuniam iſtam; ponatur ergo, quod det pecuniam ſibi, pecunia illa fit, & eſt ipſius uſurarii, ergo uſurarius non facit rem alienam, manentem alienam invito domino tanquàm ſuam; & eſt contra illud, quod ſupponitur ſupra in ultima ratione poſita in ſolutione quęſtionis. Præterea, Pecuniam recipere pro eo, quod non tenetur quis facere, non videtur eſſe peccatum ſecundùm ſe, ſed non in omni casù tenetur homo habens pecuniam, pecuniam mutuare; ergo &c. Præterea, Cuilibet licet in contractibus ſervare ſe indemnem, ſicut vendens poteſt vendere propter vitationem pretio damni majori, maxime quandò inducitur ab emente, ergò ſimilitèr ſi ille, qui mutuat, inducatur ab eo, cui mutuat, licet ſibi ſe ſervare indemnem. Præterea, Si uſurarius eſt fur, et raptor, quare Judex ſęcularis uſurarios vivere ſubſtinet, cum alios fures, et latrones ad mortem condemnet?

Ad primum horum dicendum, quod de illo verbo *Ambro.* ſunt diverſæ opiniones, et variæ expoſitiones, quarum duæ ſufficiant ad præſens gratia breuitatis, quæ videntur eſſe rationabiliores, et communjores. *Vna* eſt, *quod* debet intelligi, et exponi de Paganis, et hoſtibus Reipublicæ, ſicut litera ſonat planè; talibus enim ea, quæ malè detinent modis omnibus, quibus poſſumus apertè, et inſidioſè, tanquàm ab indignis debemus auferre. *Secùs* eſt de Judeis, qui ſunt noſtri ſervi, et ſervire nobis parati 23. *q.* 8. *diſpar.*, & *ea. q.* 7. *c.* 1. & 2. Alia opinio, quæ eſt communior ſecundùm *Ray* eſt, quæ à nullo homine Chriſtiano, Pagano, vel alio licet uſuram exigere, et ſecundum hoc illud verbum intelligi debet hironicè, et negativè ſic: Ab illo uſuram exige tu quicumque es, cui meritò deſideras nocere, *S*ed nulli meritò nocere debes deſiderare, ergo à nullo debes uſuram exigere, et hæc duplex ratio habetur 14. *q.* 8 *cum homo ab homine in Gloſ.*

Ad ſecundum dicendum, quod pro caſu iſto, quo filii Iſrael injuſtè ab aliis patiebantur, et bona eorum detinebantur, licuiſſet eis per uſuras bona ſua recuperare; ſicut dicitur de clerico, qui præbendam ſuam occupatam violentèr poteſt in pignus recipere, nec tenetur illud, quod indè recipit, in ſortem computare *extra de uſuris. plures clericorum. in fi.* Vel Judeis prohibitum fuit uſuram recipere à fratribus ſuis, ſcilicèt Iudeis; per quod datur intelligi, quod uſuram accipere à quocumque homine eſt ſimplicitèr prohibitum, quia quilibet homo debet haberi, quaſi proximus, et frater, potiſſimè in ſtatu Evangelii, ad quem omnes vocantur; Vndè

illè *in Pſal. Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, *& Ezech.* 18. *Qui uſuram non accepit*, quod autèm ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum, quaſi licitum, ſed permiſſum ad majus malum vitandum, ſcilicèt, ne à Judeis Deum colentibus uſuram acciperent proptèr avaritiam, cui dediti erant, ut habetur *Iſa.* 56. Dicitur autèm, quod in vera litera non fuit illa additio, *ſed alieno*, ſed fuit per Judeos appoſita in ſui excuſationem talem, qualem; & hoc habemus ſecundùm *Alex. de Ang. 3. ti. 4. c. de precepto mutui ar. 1. circa primum argumentum*, quod ſi non poſſumus obtinere ab uſurariis, quod totum reddant, debemus facere ſi poſſumus, quod ſaltèm partem reddant. Tertiò poteſt dici ſecundùm aliquos, quod illa acceptio uſuræ à gentibus, intèr quos habitant Judei, potiùs erat ſuæ rei recuperatio, quàm uſura, quia tota illa terra fuit Iudeis à Domino data, & injuſtè poſſidebatur ab illis.

Ad tertium dicendùm, quod ibi fęnus ſumitur largè pro omni mutuo, ſecundum illud *Eccleſiaſtici* 19. *Fęnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis.* Iudeis ergo promittitur in pręmium abundantia divitiarum, ad quod ſolet, vel poteſt fęneratio ſequi. Undè ponitur ibi conſequens pro antecedente q. d. *tantam abbundantiam habebis, quod poteris multis fęnerare, ſi volueris, & à nullo mutuari indigebis.*

Ad quartum dicendum; Quod præſtare in certis caſibus non tantùm eſt conſilium, ſed etiàm præceptum, & ideò nihil eſt ultra ſortem exigendum; ſi autèm non ſunt tales caſus, no tenetur homo pręſtare. Si autèm præſtet, tenetur ultra ſortem nihil recipere, pacto, vel principali intentione pręeunte, ſic ergò dare mutuum non tenetur homo ſempèr, & ſecundùm hoc ponitur inter conſilia; ſed quod homo ex mutuo lucrum non quærat, hoc cadit ſùb pręcepto.

Ad quintum dicendum; Quod uſus principalis vaſorum argenteorum non eſt ipſa eorum conſumptio, & ideò uſus eorum poteſt vendi ſervato rei dominio. Uſus autèm principalis monetæ eſt diſtractio pecuniæ in commutatione, undè non licèt ejus uſum vendere cum hoc, quod aliquis velit ejus reſtitutionem, quod mutuavit. Sciendum tamèn, quod ſecundarius uſus vaſis argentei poteſt eſſe commutatio, & talem ejus uſum vendere non licet; & ſimilitèr poteſt eſſe aliquis uſus ſecundarius pecuniæ argenteę, ut ſi quis pecuniam ſignatam ad oſtentandum ſe divitem, vel pignorandum concederet, & talis uſus licitè poſſet vendi, ut etiàm habebitur infra *ti. ſi. caſ.* 19.

Ad ſextum dicendum ſecundùm *Alex. de Ang. 3. ti. 4 c. de præcepto mutui ar. 4.*, quod argumentum non valet. Ille poteſt, ſcit, & vult transferre rem ſuam in dominium alterius; dicit enim ei do tibi pecuniam iſtam; ergo transfert; Licèt enim poſſet transferre, non tamèn ſic poteſt transferre, quia hujuſmodi contractus eſt omni jure prohibitus, ideò nullo modo poteſt fieri ipſius uſurarii, licèt etiam proferat verbum dandi, non tamèn dat. De verbis enim nulla eſt quęſtio, ſed de intentione; Intentio autèm fęneratoris eſt, quod rem manentem alienam faciat ſuam.

Ad ſeptimum dicendum, quod ille, qui non tenetur mutuare recompenſationem ejus, quod fecit, poteſt accipere; ſed ampliùs no debet exigere. Secundum autèm juſtitiæ ęqualitatem ſibi recompenſatur, ſi quantum mutuavit, ei tantùm reddatur; Undè ſi ampliùs exigat pro uſu rei, quæ alium uſum non habet, niſi conſumptionem ſubſtantiæ, exigit pretium ejus, quod non eſt, & ita exactio ejus eſt injuſta.

Ad octauum dicendum, quod ſi ille, qui mutuat, non vult damnificari, reſervet pecuniam ſibi neceſſariam, quia nullus eum neceſſitat ad mutuandum, ſed ſi ipſe mutuat, neceſſitatur ex lege, ut non vitiet mutuum, ſcilicèt accipiendo aliquid ultra ſortem.

Ad illud, quod poſtea quæritur, dicendum, quod Iudex ſęcularis Rempublicam gerit, quantum ad temporalia, & ideò licèt uſurarius ſit fur, tamèn quià eſt fur domeſticus, nec per violentiam furatur; & ex furto ejus, etiam utilitas aliqua Reipublicæ, quantùm ad temporalia, provenit, vſurarios vivere permittit; Secùs eſt de aliis furibus, & raptoribus.

Vtrùm quis poſſit pro pecunia mutuata aliquod commodum expetere?

Reſpondeo, quod non. Vndè; *Ezech.* 18 *Qui ad uſuram non commodat, & amplius non accipit, vita vivet. & Lucæ Mutuum date &c.* Hæc etiam probant *Auguſ. Hier.*, *& Ambro.* 14. *q.* 3. *c.* 1. 2., *&* 3., *& eſt expreſſum extra. c. conſuluit.* Secundùm enim *Philo.* 5. *Ethi.* omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium poteſt pecunia menſurari, & ideò, ſicut ſi quis pro pecunia mutuata, vel quacumque re alia, quæ conſumitur ex ejus uſu, pecuniam expetit, vel expetere intendit contra juſtitiam, uſuram committit, ut ſupra dictum eſt; ita etiam ſi expetit, vel ſperat quamcumque rem aliam, cujus pretium menſurari poteſt pecunia. Recompenſationem verò eorum, quæ non menſurantur pecunia exigere pro mutuo licet, ut benivolentiam, & amorem ejus, cui mutuavit, vel aliquid hujuſmodi.

Sed obiicitur, quia pro pecunia poteſt homo pignus accipere, ut domum, vel agrum, cujus uſus pretio vendi poſſet; Ergo &c.

Reſpondeo, quod tunc mutuans uſum illius pignoris in ſorte computare tenetur *extra c. c.* 2., aliàs uſuram committit. Niſi fortè eſſet talis res, cujus uſus inter amicos ſinè pretio concedi ſolet, ut patet de libro commodato ſecundùm *Tho.* 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. *c.* 6. De hoc *in titulo de pignore ar. 6. q. quid ſi quis equum.*

Utrùm liceat pecuniam mutuò accipere ſub uſura?

Reſpondeo, quod nullo modo licet inducere ad peccandum, licet tamèn uti peccato alterius

terius ad bonum ſuum; Nàm & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum, quia ex eis elicitur aliquod bonum, ut dicit *Auguſ. in Enchir.* Ita etiam in propoſito nullo modo licet inducere aliquem, ut mutuet ad uſuram, licet tamèn ab eò, qui paratus eſt hoc facere, & uſuras exercet, accipere mutuum ad uſuram proptèr aliquod bonum, quod eſt ſubventio neceſſitatis ſuæ, vel alteriùs. *Hæc Tho.* 2. 2. *q.* 68. *ar.* 4. *c.* Nec intelligitur ſecundùm *Ric.* 4. *diſ.* 15. *ar.* 5. *circà ultimum* hìc neceſſitas illa, quæ eſt extrema; Sed quando homo damnificaretur notabilitèr, vel notabilem penuriam pateretur, ſi non acciperet ad uſuram; & ſecundum Monaldum pro quanta neceſſitate liceat hoc facere, non determinat ars, vel ſcientia, ſed intentio, charitatis.

ARTICVLVS IV.

Utrùm liceat in aliquo caſu recipere aliquid ultra ſortem.

SEquitur videre de quarto, ſcilicèt utrum in aliquo caſu liceat accipere aliquid ultra ſortem. Circa quod ſciendum, quod quamvis regularitèr verum ſit, & firmiſſimè tenendum, quod non licet aliquid accipere ultra ſortem, hoc tamèn fallit in aliquibus caſibus.

Primò, quando Eccleſia à Uaſſallo ſuo feudum, quod ab eadem habet, tenet in pignore, sìc tamèn, ut interim vaſſallus dè feudo non teneatur ſervire *extra e. conqueſtus*, *& extra de ſer. c.* 1., *& ſecundùm Ber. ibidem.* ſi Vaſſallus uult Eccleſiæ ſervire proptèr hoc, ut fructus computentur in ſortem, non debet admitti; quod dicunt quidam, ut *Ray.*, *& Rod.*, *& Ber. in c. conqueſtus*: eſſe ſpeciale in feudo Eccleſiaſtico, & eſt verum, quod de feudo laico non invenitur expreſſum. Arguit autèm contra eos *Hoſti.*: sic. Aut eſt licitum, aut illicitum, ſi licitum, ergò & in laico, quia eadem ratio, ergo, & idem jus, *extra de conſti. translato*. Si illicitum multo minùs debet concedi clerico, quàm laico *extra e. c.* 1. *&* 2., multo fortius ergò hoc locum habet in ſeculari feudo. Prætereà; Ex tenore dicti capituli primi de feudis apparet, quod non eſt privilegium, ſed ad conſultationem factam reſpondetur de jure. Pretereà; Si uſura ſit ibi, quomodo Papa privilegiabit aliquem contra præceptum Dei? Ratio autèm hujus ſecundùm eumdem Hoſti. naturalis aſſignari poteſt de utroque, quia Uaſſallus ſecundùm aliquos non eſt Dominus, licèt habeat utilem actionem, vel ſecundùm alios non eſt major Dominus, ſivè directè, ſed utilitèr tantùm. Undè vaſallus præſumitur velle dare fructus, quia eſt ad antidota obligatus *extra de teſta. cum in officiis*. Res etiàm in id de facili redit, quod ab initio jus, & natura ſibi conceſſit *extra de cenſi. cum venerabilis*. *Ibi nec intelligatur &c.*

Sed dices, quod transfertur aliquandò, non ſemper feudum in vaſallum, immò ſæpè is, qui poſſidet, & à nemine recognoſcit illud ab alio ſponte recipit, vel ut à tyrannis defendatur, & sic dicta ratio deficere videtur.

Reſpondeo, quod licèt sic ſæpè fiat, tamèn naturam feudi recipit, ergo ſicut feudum judicandum eſt *ar. extra de ſta. mo. recolentes* §. *fina.*

Quid ergò de uſufructuario, & proprietario obligante?

Reſpondet *Hoſtien.* quod idem videtur ſi ipſe cauſam habeat liberam à proprietario, aliàs contra.

Notavit tamèn *Ray. ſub ti. de deci.* §. *quid ſimiles*, quod quidam volunt ad colonias extendere hoc privilegium, & malè, quia hoc non invenitur expreſſum. q. d. quod excuſat ab uſura hoc privilegium, ſed in hoc non benè dixit, ut patet ex prædictis ſecundùm H*oſti.*

Quid ergò de Emphiteota obligante Domino Ephiteomata?

Reſpondet *Hoſtien.* quod fortè eſt idem, quia eadem eſt ratio. Uel dicendum, quod non eſt ſimile, quia Emphiteota non ita gratuitè recipit ſicut vaſallus, cum pro introitu certam pecuniæ quantitatem donaverit. Uel dicendum ſuper hoc Papam conſulendum *Hæc. Hoſti.*

Secundò quando clericus poſſeſſionem temporalem alicujus Eccleſiæ aſſignatam ſibi pro beneficio, à laico, qui tenet eam injuſtè, redemit ſibi mutuando. Poteſt enim ille clericus, vel illa Eccleſia eam in pignore recipere, & ibidem res, & fructus ejus ultra ſortem recipere; Sed hoc non fit cauſa lucri, ſi clericus redimat de manu laici, quia sic fortè revertetur ad Eccleſiam, quæ alias fortè non poſſet recuperari. Nec eſt uſura, quia recipit tantùm ſuum *extra e. c.* 1., *& c. conqueſtus*. Similitèr laicus redimere poſſet hoc modo poſſeſſionem ſuam de manu detinentis injuſtè. Alienam verò poſſeſſionem sic non poſſet redimere, quia fructus illi non ſunt ſui: Undè ſi eos retineret, uſura eſſet. Idem eſſet de clerico, qui poſſeſſionem Eccleſiæ, quæ pro beneficio ſibi aſſignata non eſſet, talitèr in pignus reciperet, niſi de licentia Eccleſiæ hoc faceret, quaſi præcipiendo eos nomine Eccleſiæ; Hæc omnia *extra e. c.* 1. *in Gloſ.*

Tertiò quandò ſine omni pacto datur gratis oblatum, dummodo intentio non ſit corrupta ex parte creditoris, ut ſi fortè crediſſet pecuniam principalitèr proptèr ſpem lucri. In quo caſu, utrùm teneatur ad reſtitutionem, dicetur infra *de reſtitutione uſurarum q. quid de eo, qui ſola intentione*.

Quartò ratione dubii, ut ſi quis dat decem ſolidos circa Paſcha, ut in Autumno totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, quæ licet tempore contractus valeant plus, quàm decèm ſolidos, tamèn veriſimilitèr dubitatur, utrùm plus, vel minus, quàm decèm ſolidos ſint valituræ tempore ſolutionis. Si verò daret in Autumno decèm ſolidos, quandò talia ſolent

eſſe parvi pretii, ut ad Paſcha totidèm menſuræ talium ſibi redderentur, quando hujuſmodi ſecundùm conſuetudinis uſum ſolent eſſe cariora, eſſet uſura, quia non veriſimilitèr dubitatur, ſed probabilitèr creditur, quod plus valebunt tempore ſolutionis, quàm valeant tempore contractus.

Ratione etiam dubii excuſatur, qui pannos, vinum, granum, oleum, & ſimilia vendit, ita ut ampliùs recipiat in certo termino pro eiſdem, quàm valeant tempore contractus, ſi tamèn tempore contractus non fuerat ea venditurus. *extra e. naviganti* §. 1. & 2.

Satis tamèn conſultè homines agerent, ſi à tali contractu ceſſarent, cum cogitationes Deo nequeant occultari *extra e. inCivitate*. Si tamèn ad terminum longè majori pretio, quàm tempore contractus valeant, venderet, uſura eſſet, quia tunc non veriſimilitèr dubitaretur, utrùm plus, vel minus ſint valituræ, ſed præſumitur, quod longè minus *extra e. conſuluit*. Ratione enim dubii ſecundùm *Alex. Lomb.* poteſt æquitatem juſtitiæ facere, & per conſequens ab uſura excuſari, licèt plus recipiat, quàm detur, quia ratio hujus dubii, ſcilicèt de valore rei, æſtimat valorem rerum ſecundùm naturam earum, quæ in tali ſpecie poſſunt plus, vel minus valere in uno tempore, quàm in alio. Vndè cum non cauſa temporis, ſed cauſa dubii, de valore rei plus accipitur, ab uſura excuſatur. Sic etiàm videtur excuſare ratio periculi, per quam abbundantia poteſt recompenſari. Res enim extra periculum exiſtentes plus valent, quàm res ejuſdem ſpeciei in periculo exiſtentes, & sic hæc recompenſatio reducitur ad naturam rei, quæ proptèr periculum æſtimatur plùs, vel minùs valere; & ſic periculum, & dubium excuſant ab uſura, ſcilicèt quandò inſunt rei, de qua ſit contractus ex natura ſua. Vbi autèm periculum non ineſt ex natura rei, non excuſat ab uſura, ut patet in mutuo pecuniæ nauticæ, de quo *extra e. naviganti*, ut dicitur *infra ar. 5.* ubi dicitur, quod ſi aliquis alicui nauiganti pecuniam proptèr ſpem alicujus lucri commiſerit, uſuram committit, etiàmsi periculum ſortis propriæ ſuper ſe acceperit. Si etiàm aliquis mutuavit alicui centum libras, uſque ad quinque annos, ita quod ſi infra decem annos alter eorum deceſſerit, qui mutuum acceperit, à debito liberatus ſit; Si verò ambo ſupervixerint, dabit, qui mutuum accepit, bis centū libras ei, qui mutuum dedit, tale periculum non excuſat, quia contractum ad æqualitatem juſtitiæ non reducit. Talis enim ſuperabbundantia, nec ex labore, nec uſu rei propriæ, nec per recompenſationem alterius rei reducitur ad æqualitatem. *Hæc. Alex. Lomb. in quolibet. q. de uſu.*

Quid ſi credatur pecunia pro pecunia, ut marca argenti pro alia marca ad terminum perſolvenda, & granum pro grano, vinum pro vino ad eamdem menſuram?

Reſpondeo ſecundùm *Rod.* Si veriſimile ſit, quod talia non ſint futura pretioſiora tempore ſolutionis, quàm ſint tempore contractus, non eſt uſura. Si verò ſit veriſimile, quod ſint futura pretioſiora tempore ſolutionis, diſtingue, quia aut creditor non erat ſeruaturus illam pecuniam, & tunc eſt uſura; aut erat ſeruaturus eam, ut ſic ſervando ad tempus certum lucraretur cum ipſa; & tunc iterum diſtingue, quia aut creditor auſert debitori libertatem interim ſe liberandi, & debitum ſolvendi, & tunc eſt uſura, quia præſumitur, quod ideò credit eam, ut debitorem periculo oneret, & ſe exoneret; Aut non auſert ei, ſed concedit, ut pecuniam reddat ſibi quandocumque voluerit infra terminum, & tunc meretur, ſi faciat hoc ex miſericordia, ut relevet inopiam debitoris; Si autèm hoc faciat intentione currupta, ſcilicèt, ut ſe exoneret periculo eam ſervandi, peccat; non tamèn eſt cogendus ad reſtituendum lucrum, licèt hoc eſſet in pænitentia conſulendum, vel quod Pauperibus daret. Similitèr etiàm diſtinguendum, & videndum, quando datur ſpecies pro ſpecie ad terminum, ut granum pro grano, vinum pro vino, & hujuſmodi, & hæc debent intelligi, ſi ea tempore contractus non fuerat venditurus *ar. extra e. naviganti* §. 2.

Quid de his, qui emunt certos equos ſibi reddendos à venditore in certis nundinis, emunt inquàm minori pretio, quàm valeant tempore contractus?

Reſpondeo ſecundum *Rod.* Quod eſt uſura niſi veriſimilitèr dubitetur equos illos tempore ſolutionis plùs, vel minùs valituros, ut dictum eſt ſupra in quibuſdam caſibus; vel niſi ſciatur, vel probabilitèr credatur, quod tantumdèm plùs, vel minùs ſint valituri.

Quid ſi Petrus exiſtens Ianuæ emat à Titio turonenſes recipiendos in Francia in talibus nundinis?

Reſpondeo ſecundùm *Alex. Lombar. ubi ſupra.* Contractus videtur illicitus, ſi minus det emens proptèr temporis dilationem, & maximè, ſi pecunia recipienda in termino probabilitèr credatur plus valitura. Tunc enim videtur eſſe mutuum indirectum, putà, ut ſi quis det minus probabilitèr recepturus in termino plus. Secùs eſt ſi dubium eſſet, ſicut dictum eſt in precedenti caſu. Similitèr ſecundùm *Hoſtien.* Quando quis emit fructus alicujus agri ad tempus, licèt fructus, quos indè percipit multo plus valeant, quàm dederit venditori, tamèn non tenetur aliquid reſarcire ratione dubii, ſivè incertitudinis, *ut C. e. l. ſi ea lege.* Licèt autèm iſte contractus non ſit uſurarius ex forma contractus, poteſt tamèn fieri in fraudem uſurarum, ut ſi ager ſit tantus, & talis, quod veriſimile ſit, quod fructus indè colligendi valeant multo plus, quàm emptor dederit putà, Emptor dedit decem libras, & veriſimile eſt, quod valebunt viginti quinque, vel viginti; maximè ſi talis eſt persona, quæ contractus hujuſmodi conſuevit exercere. In hujuſmodi enim ad præſumptiones eſt recurren-

dum in foro cauſarum. In foro autèm pœnitentiali ſtabitur ejus confeſſioni, & multum eſt præſumendum contra talem, & ei in pœnitentia eſt reſtitutio indicenda, ſi verisimilitèr credebantur longè plus valere, ſi juſtus emptor inveniretur. Si autèm probabilitèr dubitatur, utrum ſint plus, vel minus valituri, non eſt uſura *ar. in c. naviganti*.

Sed obiicitur contra ſupra dicta, quia licet contrahentibus decipere ſe invicem citra dimidium juſti pretii, *extra de empt. cum dilecti*. ergo licet alicui vendere piper valens quinque libras pro ſeptem libris?

Reſpondet *Ber.*, & *Inno.*, & *Hoſtien. ſupèr illud c. in civitate*, quod emens pro ſeptem libris illud, quod valet quinque libris, aut ſcientèr plus det propter dilationem ſolutionis, ita quod ipſe non decipitur in juſto pretio, & ſic non eſt uſura, quia licet contrahentibus mutuo ſe decipere uſque ad dimidium juſti pretii; Sed ſecundùm hoc, ille, qui decipit, ex malo ſuo lucrum conſequitur, quod non facit ille, qui non decipit. Preterea videtur ſecundùm hoc, quod mercator poſſit vendere merces ſuas pretio majori alicui ſimplici, qui neſcit valorem rei, quàm alicui ſapienti, quod iniquum videtur eſſe, cum ſecundùm leges Prætor non ſubvenit ſcienti, ſed ignoranti *ff. quod falſo tu. l. 1. in fin.* Ideò alii diſtinguunt de ignorantia, & de deceptione; Non enim contingit decipi, niſi ignorantem. Eſt autèm duplex ignorantia, ſcilicèt in diſcernendo, ſivè judicando, & hæc opponitur ſcientiæ, ſic enim nullus ſciens eſt ignorans. Alia eſt ignorantia in eligendo, & hæc ignorantia non opponitur ſcientiæ; Multi enim ſcientes in judicando, ſunt ignorantes in eligendo. Similitèr duplex eſt deceptio, ſcilicèt in judicando; Sic nunquam decipitur ſciens in contractibus, ſcilicèt, quandò ſcit rem aliquam non valere tantùm, tamèn proptèr affectionem, quam habet ad rem, magis eligit comparare pretio, quàm re deſiderata carere. Vtroque modo licet contrahentibus ſe decipere, & ſecundò modo magis licet, quàm primo modo, ut credunt, licèt *Ber.* contrarium dicat, ſed de hoc vide infra *ar. 5. q. quid de his, qui emunt ab Eccleſia &c.*

Ad hoc nota ſecundùm aliquos, quod licèt vendentes non poſſint proptèr dilationem ſolutionis pretium augere, poſſunt tamèn proptèr accelerationem ſolutionis pretium minuere. Vndè ecce, quod mercator ſtatuat in corde ſuo, quod pannum, quem habuit pro ſex ſolidis, velit dare pro novem, ita quod omni volenti ſibi dare tantum. ſivè ſtatim incontinenti, ſivè ad terminum certum dare velit, & longè libentius ſtatim ſolventi, quam uſque ad terminum aliquem; ſi talis mercator hoc apud ſe deliberans ſimulquè cum hoc de lucro paratæ ſolutionis cogitans apud ſe dicat: licèt in corde illud lucrum taxaverim, quicumque tamèn pretium paratum haberet, cum quo de lucro modò aliquid ordinare poſſem, de pretio taxato diminuerem, talis non eſt uſurarius, ut volunt aliqui. *Hæc in tabula Io.* Quidam etiàm dixerunt, quod licèt contractus, quo quis vendit majori pretio proptèr dilationem ſolutionis ſit de ſe vitioſus, tamèn excuſari poteſt ex parte vendentis; puta, ſi non intendat vendere cariùs proptèr tempus, ſed proptèr damnum, & laborem, quem imminere ſibi videt in procuratione ſolutionis habendæ, & rectitudo hujus intentionis apparet, quando mallet non vendere talibus, quàm vendere ejs ad credentiam, & quandò libentius venderet aliis pro pretio minori, quam iſtis pro pretio majori; Vndè licet hic caſus ſit dubius, non poteſt tamèn excuſari, ſi proptèr credentiam rem plus vendit ſimplicitèr, vel quàm ſit veriſimilitèr valitura tempore ſolutionis, vel ſi non venderet alicui niſi proptèr credentiam, plus reciperet; Hæc *Alex. Lomb. in quolibet q. de uſu.*

Quid ſi quis vendat pro pretio, quod modò currit bladum, ita tamèn quod ſi plus valuerit uſque ad Paſcha, vel quod ſi illud plus ſibi deſit, nihilominus tamèn non vult, quod pretium minuatur?

Reſpondet *Hoſtien.*, quod eſt uſurarius cum claudicet in pretio *ar. C. de ſol. l. penul.*

Quid ſi vendam tibi hoc pro tanto, quantùm valebit illa die, qua curret pro majori pretio vſque ad Paſcha? Iſte caſus eſt multum vicinus præcedenti.

Reſpondet *Scotus 4. diſ. 15. q. 2. ar. 2.*, quod talis contractus eſt uſurarius, & ponit duas regulas circa iſtam materiam obſervandas. Vna eſt, quod commutans non commutet, vel vendat tempus, quia non eſt ſuum. Secunda eſt, quod non ponat ſe in tuto de lucro, & illum cui vendit in damno; In *tuto* dico, vel ſemper, vel ut in pluribus. Et contra hanc regulam fieret in propoſito caſu, quia venditor certificat ſe de lucro etiàm ultra, quàm humana induſtria pertingere poſſit, ſi quis conſideret.

Quintò quando uſuræ petuntur quaſi intereſſe, ut ſi fidejuſſor uſuras creditori ſolvat, poteſt eas à debitore petere pro quo fidejuſſerat, quia non ſunt uſuræ quantum ad eum, ſed potius intereſſe, ideſt vitatio damni, *extra de fidejuſſ. conſtitutus.* Similitèr, ſi paratus ſim emere merces pro centum libris, in quibus eram lucraturus ſecundùm ſanam coſcientiam, & ſpem futuram decem libras, uſque ad menſam, ipſis ad certum locum deductis; & tu proptèr nimiam inſtantiam tuam me impedis, ne emam, & hanc pecuniam recipis, & promittis mihi infra menſem reddere centum, & decem libras, non eſt uſura ſecundùm *Hoſt.*, quia loco intereſſe ſuccedit, & ſimilis caſus ponitur *in arti ſe. q. 4.*

Quid ſi quis denarios ſub uſura recipiat, & poſtea authoritate propria alicui amico ſuo ſub eadem uſura, vel etiam minori mutuat?

Reſpondeo. ſcribit *Monaldus*, quod tenetur ad reſtitutionem illi amico ſuo, quia ipſe fuit principalis in hac uſura. Si autèm tantùm eſſet mediator, vel fidejuſſor, ita quod obligatio

eſſet

eſſet de amico ad uſurarium facta, non tenetur; Sed ratio prædicta non videtur valere: Eſtò enim, quod aliquis ad preces alicujus amici ſui accipiat pro eo pecuniam ad uſuram ab aliquo, qui eſt inimicus ejus, tunc non eſſet obligatio de illo amico ad uſurarium, ſed ad eum, qui mutuatus fuerat pecuniam, ut illi mutuaret eam recepturus ab eodem capitale, & uſuram, de qua convenit cum uſurario; & tamèn ille ſic faciendo uſuram non committit, ſed damnum ſuum evadit; & idem videtur dicendum de caſu præmiſſo, quod ſinè uſura fieri poſſit.

Item ſecundùm *Hoſtien.* Quando is, qui mutuavit, occaſione mutui laborem ſubiit, in cujus recompenſationem fructus perceptos facit ſuos, quod pertinet ad intereſſe, *ut extra de reb. Eccle. non alien. ad noſtram.* Uel illud Papa, qui eſt Dominus Eccleſiæ, fecit, ut res Eccleſiæ citiùs recuperare poſſit *ar. ibidèm ad audientiam.*

Itèm ratione moræ uſuræ petuntur, quaſi intereſſe, ſecundùm *Lau.*, *& Ber. extra e. conqueſtus.* Quandò vendo tibi fundum pro certo pretio, quod mihi teneris infra certum tempus ſolvere, & non ſolvis, elapſo termino poſſum uſuras petere, cum facias fructus tuos rei venditæ, *ut C. e. l. 2.*. Et idem eſt de contractibus bonæ fidei, & tunc non petitur, quaſi uſura, ſed quod intereſt moram adhibitam non fuiſſe *ff. pro ſocio, Socium.* Quod intellige, quandò intereſſe eſt intra rem, ut cum petitur cauſa damni vitandi, non lucri captandi *ff. de ac. emp.*, *& ven. ſi ſterilis §. cum per venditorem.* Et ideò cautè dicit Canon incrementa ſuſceperit *14. q. 4. ſi quis oblitus* ſecundùm *Goſ.*, *& Ber. extra e. conquæſtus.* Uel dicit in hoc caſu, actionem competere ex contractu, vel officio judicis non ad uſuram, ſed ad intereſſe. Quod eſt verius ſecundùm *Hoſtien. C. de ac. emp & ven. l. 2.*, *& ff. de ac. emp. l. 2.*, & ſecundùm *Goſ. 14. q. 4. quantum.* Licitè enim poteſt quis agere, ut reddatur indemnis *extra de fidejuſ. conſtitutus*, *& c. pervenit.* Similitèr ſi debeas mihi centùm libras in termino certo, & noluiſti mihi ſolvere in illo tempore, & ideò proptèr mea negocia tractanda opportuit me pecuniam ſub uſura recipere, ſi ſolvi eam, teneris mihi illam reſtituere, vel ſi non ſolvi, teneris liberare me ab ipſa obligatione ſecundùm *Ray.* Probantur hæc *extra de fidejuſſo. pervenit*, *& c. conſtitutus.*

Itèm intelligi poteſt de caſibus, in quibus ex mora veniunt uſuræ ſecundùm leges, quia ibi non dicitur aliquid receptum ultra ſortem, ſed potius intereſſe, & ſecundùm canones intereſſe peti poteſt *15. q. 4. quantum multi clerici*, *& 12. q. 2. c. ſi quis de clericis. ibi ad quæſtum:* Et idèm fortè eſt, ubi pęna permittitur a lege, & ſuccedit loco pęnę non fraudolentę,

Nec obſtat illud *14. q. 3. plerique*, quia illud in mutuo locum habet, & quod dicitur, quicquid accedit ſorti eſt uſura; illud eſt verum, quando exceptio datur, vel aliquid in fraudem uſurarum excogitatur. Hæc. *Hoſti.* *& Ber. extra e. conquæſtus.*

Divina etiam pagina in multis locis uſuram in mutuo tantùm prohibere videtur; In Evangelio *mutuum date, nihil indè ſperantes*, & in Pſal. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.* Hæc *Hoſti.* Qui quidèm ponit ſub tribus caſibus ea, quæ pono ſub hoc quinto caſu, & hoc ideò facio, quia in his omnibus eſt excuſatio ab uſura ratione intereſſe.

Sextò licet accipere ultra ſortem, quandò poſſeſſiones ſunt à Socero pro numerata dote pignori genero obligatæ; Tunc enim fructus non computantur in ſortem *extra e. ſalubritèr verò ſanè generum.* Cujus ratio eſt, quia dos conſtituitur proptèr matrimonij onera ſupportanda *extra de do. poſt di. re. per veſtras.* Vndè ſicut ex aliquo honeſto lucro ſubſtentarentur onera matrimonii, ſic ex fructibus poſſeſſionum, quæ ſuccedunt loco pretii *extra e. cum in fin.* Hoc autèm intellige, cum vir ſubſtinet onera matrimonii, aliàs non, ut innuitur in fine prædictæ decretalis *ſalubritèr.* Poteſt etiàm, & alia ratio hujus caſus aſſignari ſecundùm *Hoſt.* hoc ſcilicèt, ut dos ſalva maneat mulieri, quæ aliàs conſumeretur, & ſic utilitas publica lederetur *ff. 50. ma. l. 1.*. Prætereà nullum mutuum ibi contrahitur; Ratio enim prima poteſt mutuo adaptari. Si enim recipiam à te Prędium mihi obligatum pro decem libris, quas mutuo tibi, & de quarum lucro vivere proponam, prędium ſuccedit loco pretii, & tamèn fructus debent in ſortem computari, *extra e. c. 2.*, & ratio eſt, quia mutuum ibi contrahitur, in quo regularitèr, & non in alio contractu locum habet uſura, ut dictum eſt ſupra; Nec etiam ibi utilitas publica verſatur.

Nota etiàm ſecundùm *Hoſtien. extra e. ſalubritèr*, quod dictum privilegium extenditur ad virum, quamdiù tenetur uxorem alere. Hęredes autèm non habent hoc privilegium.

Quid in caſu converſo, ut ſi ſoluto matrimonio hæredes viri poſſeſſionem aliquam obligant mulieri pro ſua dote, quia non habent quid ſolvant, numquid fructus computabuntur in ſortem?

Reſpondet *Hoſtien. in ſum.* quod ſic *ff. de ſolu. titia.*, & idem vult *extra e. ſalubritèr*, & idem vult *Inno. ibidem.* Mulier diſcreta non recipiat rem obligatam, ſed potius faciat ea diſtrahi, vel accipiat in ſolutum; Aliàs fructus extenuabunt ſortem.

Quid ſi gener poſſeſſionem talitèr ſibi obligatam cum jure, quod ibi habet, concedat alii, recepta ab eo ſumma, quæ fuerat ſibi pro dote promiſſa? Numquid iſte poteſt lucrifacere fructus perceptos, donec ei pecunia prædicta fuerit perſoluta, ſicut poterat gener?

Reſpondeo ſecundùm *Rod.* Si gener animo dandi totum jus, quod habet in pignore non proptèr contractum pecuniæ ab eo receptæ, ſed quia eſt ejus conſanguineus, vel aliàs conjun-

ctus amicus, & ille non proptèr fructus lucrifaciendos ei numerat pecuniam, ſed proptèr dilationem, aut gravamen, poteſt abſque periculo uſuræ fructus lucrifacere; Nec eſt ille contractus veri nominis mutuum, niſi ſit ductum in pactum, quod gener ei teneatur pecuniam reddere, ſi ille voluerit repetere, & ideò mutuavit; in quo caſu eſſet uſura, ſi fructus lucrifacere vellet.

Septimo, quando vendo tibi Prædium tali pacto, quod ſi uſque ad duos annos, ego, vel hæres meus tibi ſolvero, ego, vel hæres meus prædium recuperabo; Hoc enim facit fructus ſuos, ut *C. de pac. inter emptorem commiſſorie* Quod intelligitur, quando pretium eſt juſtum, & nihil fit in fraudem uſurarum; Aliàs contrà *extra de contrahen. em. ad noſtram*, & *extra de pig. illo*, & *C. de pac. inter em. ſi fundum*; Præſumitur autèm talis venditio fieri in fraudem uſurarum ex eo, quod eſt modicum pretium reſpectu valoris rei, & ex eo, quod aliquid ultra ſummam receptam ſolvitur, quando venditio reſcinditur, & ex eo, quod emptor uſurarius eſſe cōſuevit; Probantur hæc in dictis *c. præ allegatis ad noſtram*, & *c. illo*. *Hæc Hoſtien.*, & *Ber. extra e. conqueſtus*.

Octavo quando pecunia nomine pœnæ promittitur, ut pecunia metu pœnæ certo die ſolvatur, & hæc pœna conventionalis dicitur, quia de conſenſu utriuſque partis apponitur; Poteſt tamèn hoc fieri in fraudem uſurarum, ut ſi creditor credit, aut ſperat debitorem incurrere pœnam 12. *q.* 2. *fraternitas*, & *c. in legibus*, & *extra de ur. dilecti*. *Hæc Hoſtien.*

Sed numquid licet exigere talem pœnam ad intereſſe tantùm, an etiàm ultra intereſſe?

Reſpondet *Rod.* Quod ubi ſinè fraude eſt pœna appoſita, exigi poteſt tota, quia publicæ utilitatis intereſt pacta ſervari, & creditores à debitoribus non fraudari. Præſumitur autèm talem pœnam in fraudem uſurarum apponi, ſi ille, qui appoſuit, uſurarius eſſe conſuevit *ff. de ac. emp.*, & *vend. Iulianus* §. *idem*, & *extra de pig. illo in fin.* Præſumitur etiàm ſi per ſingulos menſes, vel annos dicatur committi *C. de uſu. in auc. l. ad hæc*. & idem eſt de ſimilibus, quæ ſolent ab uſurariis ſpecialitèr exerceri; talia enim inducunt ſempèr præſumptionem facie prima, quod ſit uſura. In judicio tamèn animæ ſtandum eſt ſuæ confeſſioni, ſed proptèr præſumptionem contrariam diligentèr, & cautè debet conſcientia ejus examinari. Secundùm enim *Hoſtienſ* præſumendum eſt contra apponentem pœnam in mutuo, niſi fortè pœna, quæ loco intereſſe ſuccedit, petatur, ut ſupra dictum eſt; vel niſi ex honeſtate perſonæ relevetur *ar. extra de procura. in noſtra* §. *nos verò*. Demum *Hoſtien.* hoc eſſe arbitrarium dicit. Secundùm verò *Scotum* 4. *diſ.* 15. *q.* 2. *ar* 2. ſignum eſt manifeſtum, quod non apponitur in fraudem uſuræ, quando creditor mallet ipſo die præfixo ſibi pecuniam ſolvi, & per contrarium eſt in fraudem uſuræ, quando non mallet. Eſt autèm alia pœna, quæ dicitur judicialis, ut ſi Judex præcipiat debitori quod infra menſem ſatisfaciat ſub pœna decem ſolidorum, vel ſimili. Hoc etiàm non eſt uſura, quia eſt appoſita pro punienda debitoris contumacia *ar. di.* 23. *quamquàm*.

Nono, quando pecunia commodatur ad pompam, quia tunc non eſt mutuum, ſed potius commodatum, ſivè locatum *ff. commoda. l.* 3 §. *a l.* & *l. ſi.* & 14. *q.* 3. *ſi fęneraveris. in Gloſ.* & *extra e. conqueſtus in Gloſ.*

Decimo in contractu locationis, in quo ultra rem locatam recipitur merces pro uſu ipſius rei locatæ.

Sed quare magis licet exigere ultra ſortem in locatione, quàm in mutuo?

Reſpondeo. Hujus ratio eſt ſecundùm aliquos, quia periculum rei mutuatæ ſpectat ad debitorem *ff. de rei ven. ſi navis*. ſed periculum rei locatæ ad locatorem, niſi ſit expreſſum in contractu, quod pertineat ad conductorem *diſ.* 88. *eiiciens*, & 14. *q.* 3. *ſi fęneraveris in Gloſ.* Sed ſecundùm hoc fęnus nauticum eſſet licitum, quod eſt falſum, ut videbitur infrà. Secundùm verò alios eſt ratio, quia mutuum debet eſſe gratuitum, non ſic locatio. Nec iſta ratio videtur valere, quia ex quo pecunia interveniret, mutuum in locationem tranſiret. Secundùm *Hoſtien. autèm*, & *Goſ.*, & *Alex. Ang.* 3. *ti.* 4. *c. de præcepto mutui*, *ar.* 1. *c.* 4. ratio eſt, quia locans retinet dominium rei locatæ, adeo quod conductor quæſtionem ei de proprietate non poteſt referre *C. de pig. ac. l. nequam creditores*. & ideò ipſe locans pro uſu rei propriè, quam concedit, pecuniam recipit licitè, quia nemo cogitur de proprio alicui beneficium facere 12. *q.* 2. *precariè*, ſed rei mutuatæ dominium in accipientem transfertur; ideo uſus rei locatæ eſt ſine conſumptione, uſus verò rei mutuatæ nullus eſt ſine conſumptione.

Itèm res locata deterioratur uſu, quod non contingit in mutuo, ubi non eadem pecunia, quæ mutuo recipitur, ſed alia generis ejuſdem redditur *ff. de rebus credi. cum quid*, & ponitur ratio 14. *q.* 3. *ſi fęneraveris in Gloſ.*. ponitur etiam à *Goſ.* Et ſic patet, quod non eſt ſimile de domo, & de pecunia. Patent etiam quinque differentiæ inter mutuum, & locationem, quarum prima, quarta, & quinta tanguntur *diſ.* 88. *eiiciens*, *quod c. eſt Grego.*, *ut dicit Ray.* qui allegat ipſum; Aliqui tamen libri non habent illud.

ARTICULUS V.

De quibuſdam caſibus dubitabilibus, utrùm ibi ſit uſura.

Sequitur videre de quinto, ſcilicèt de quibuſdam caſibus dubitabilibus, utrùm ibi ſit uſura. Et circa hoc quæruntur plura, ſcilicèt

I. Utrùm ſola ſpes recipiendi aliquid ultra ſortem faciat uſurarium?

II. Utrùm autèm ille, qui mutuavit principa-

...cipalitèr proptèr ſpē lucri,teneatur reſtituere ea, quæ ultra ſortem accepit?

III. Utrùm ſit uſura, ſi accipiatur aliquid pro pecunia nautica, vel traiectitia?

Circa primum Reſpondeo, Quidam fauentes uſurariis dicunt, quod nunquam uſura committitur, niſi ex pacto detur; ſed hoc eſt contra illud *Lucæ 6. mutuum date, nihil indè ſperantes. Gloſ. ultra ſortem*, ſupple, *ab homine, ſed à Deo* dicit etiàm ibi *Glo. ſpirituum ponderator eſt Deus*, ideſt voluntatum *Proverb.* 16. ſola ergo voluntas recipiendi aliquid ultra ſortem uſuram facit apud Deum; Sicut etiàm ſola voluntas occidendi hominem, homicidam 1. *Io.* 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*. Ideò dicendum eſt ſecundum opinionem communem, & veriorem, quod licèt ſecundum legem humanam ſola, ſpes ſivè voluntas talis non faciat uſuram, quia talis lex cohibet manum, non animum, facit tamèn ſecundum legem divinam,quę cohibet utrumque. Undè talis non poterit uſurarius cenſeri in foro judiciali *extra e. in civitate*; ſed in pęnitentiali ſic, *extra e. conſuluit*. Sciendum tamèn, quod ſicut dicitur ibidem *in Gloſ.* aliquis poteſt alicui mutuare pecuniam proptèr ſpem duplicitèr. Vno modo principalitèr,quandò non mutuaret, niſi inde lucrum ſperaret; Alio modo ſecundariò, ut ſi ſibi alius mutuaturus eſſet, & ſecundariò ſperaret, ut ei ſubveniret, vel retribueret. Dicendum ergo, quod ſpes lucri primo modo facit uſurarium, hoc innuit *Glo. ſuper illud:nihil indè ſperantes* Glo. *Non ab homine ſpem mercedis figentes*; Non figentes, ſcilicèt ita quod aliàs non mutuaretis, niſi indè lucrum ſperaretis *extra e. c.* 1, *& c. conſuluit*, *&* 14. *q.* 3. *ſi fęneraveris*. Sed ſpes lucri ſecundo modo non facit uſurarium *ar. di.* 61. *quid proderit*, *& diſ.* 77. *in ſingulis*. Cum enim aliquis dat alicui mutuum, ſcit, vel ſcire debet eſſe ſibi debitorem ad antidota naturalitèr obligatum *ar.* 1. *q.* 2. *quam pio*, *& extra de teſta. cum in officiis*; & ſic ſecundariò aliquid ſperare, & etiàm ex tali ſpe aliquid recipere non eſt malum *extra e. conſuluit in Gloſ. Rod.* verò dicit, quod ſi credat, quod ei ſit datum non proptèr dilectionem, ſed proptèr mutuum, reſtituere tenetur, aliàs non. De hoc vide infra *in* 8. *ar. q. quid de eo, qui ſola ſpe &c. & q. ſeq.*

Circa ſecundum *vide*, quod habetur infra de *reſtitutione uſurarum*.

Circa tertium ſciendum, quod nautica pecunia dicitur, quæ nautis datur trajicienda, vel transuehenda; Eadem tamen dicitur traiectitia, quia traiicitur; Datur autem periculo creditoris, *ut ff. de nau. fęno. l.* 1., *& l. periculi*; Sed locum habet navigio accepto, vel prius quam navem navigare convenit, *ut ibidem in l.* 3., quod verum eſt,niſi debitori poſſit aliquid imputari, ut quia navigii locum non ſervavit, vel quia merces prohibitas transportavit; Tunc enim quia non ex maritima tempeſtate, ſed ex avaritia, vel audacia debitoris detrimentum accidit, imputatur debitori *C. de nau. fęne. l. cum præponas*. Ad hoc quoque ſciendum, quod ibi eſt uſura non obſtante, quod creditor in ſe retinet periculum pecuniæ, ut patet *extra e. naviganti*; Cujus ratio naturalis ſecundùm *Hoſtien.* quicquid dicant alii, eſt, quia recipiens, aut juvat ſe de illa pecunia, aut non; ſi non, iniquum eſt, quod creditor ab eo lucrum petat, quod non habuit; Si ſic, ergo dominium non remanet apud creditorem, quia in conſumptione ammittitur, & alterius efficitur, *ut ff. de ſol. ſi alieni*; Undè res empta debitoris efficitur, licèt eam emerit pecunia aliena *C. de rei vendi. ſi ex ea*. Quarè patet, quod ab eo non debet lucrum exigere, ſi re utatur propria, & lucratur ex ea; Periculum igitur, quod in ſe retinet, in nullo eum relevat, ſed potius onerat; Imputet ergo ſibi, qui tale pactum appoſuit; Periculum enim in ſe recipere potuit, & voluit, & ideò videlicet pactum ultra ſortem exigere voluit, ſed non potuit, *ut extra de pac. c. fin.* partem lucri ſtipulari potuit, *ut extra de dona. inter vir., & uxor. & ſi neceſſe*. ſed noluit, & ideò non habebit. Secundùm verò *Gof.* ratio eſt, quarè in pecunia nautica eſt uſura, quia &ſi is, qui pecuniam dat, periculum in ſe recipiat, pecunia tamèn ſalva manente ultra ſortem habebit, ſivè mercator indè lucretur in mercibus, ſive perdat. Secundùm autèm *Rich.* 4. *diſ.* 15. *q.* 5. *ar.* 5. *c.* ratio eſt, quia rarò accidit, niſi fuerit culpa, vel negligentia ejus, qui accipit, quod illa pecunia pereat. Undè tradens eam habet in favorem ſuum illud, quod ſepè accidit, & contra ſe non habet, niſi illud, quod rarò accidit. Idem dicendum de eo, qui mutuat eunti ad nundinas pecuniam, recepturus aliquid ultra ſortem pro eo, quod in ſe periculum ſuſcepit, ideſt ſi pecuniam, vel merces ex ea emptas ſalvas portaverit, alitèr non teneatur ſibi etiam de ſorte, *ut in c. naviganti*, *&* 14. *q.* 3. *putant in Gloſ.* Idem etiàm dicendum eſt de eo, qui mutuat centum aureos Ianuæ, ut totidèm recipiat Romæ, quia ſcit, vel credit eos ibi plus valere, recipit tamèn periculum in ſe, ſicut prædictū. *Hæc Ray. ar. in c. prædicto*. Poteſt tamèn hic excogitari ſecundum *Ray.*, *& Hoſtienſ. in c. naviganti* caſus, in quo non eſſet ultra ſortem aliquid accipere uſura; puta, dum ego emo, vel paratus ſum emere certas merces de pecunia, & tu proptèr nimiam inſtantiam me ceſſare facis à tali emptione, ut mutuem tibi; & dico: ego volo, quod ibi reddas mihi tantùm, quantùm habiturus eſſem de mercibus iſtis, ſi illùc eas deferrem; recipio tamèn in me periculum, ut dictum eſt ſupra; ſi tali modo ultra ſortem aliquid recipio, non eſt uſura, quia recipio illud tanquàm intereſſe. Dicit autèm *Rod.* quod receptio periculi in ſe potiſſimùm excuſat ab uſura, ſed tunc eadem ratione excuſaret ab uſura in prædicto caſu de nautica pecunia; Undè melius videtur dicere *Ray.*, ſcilicèt, quod vitatio damni excuſat.

Pone

omnibus circumſtantiis ſecundùm rectam rationem conſideratis ex omni parte non apparet manifeſtè quis, ſcilicèt vendens, vel emens, habeat in illo contractù partem notabilitèr meliorem, & tunc unus alteri reſtituere non tenetur, quicquid contingat. Si verò appareat manifeſtè, quod alter habeat ibi partem notabilitèr pejorem, tunc eſt contractus illicitus, quia ibi corrumpitur æqualitas juris naturalis, quæ ſervari debet inter ementem, & vendentem. *Hæc Ric. ubi ſupra*, & cum eo convenit *Hoſtien. in ſum.*, *&* *in Gloſa ſupèr c. in civitate*, *& Inno. ſuper idem c.*

Præſumitur autèm talis venditio fieri in fraudem uſurarum ex circumſtantiis poſitis *ſupra in ar. 4. bujus titu. caſu 7.*. Sic etiàm ex ętate, & ſanitate, ex quibus poteſt haberi, utrùm parùm, vel multùm debeant vivere, quia ſecundùm hoc majùs, vel minùs rei emptæ pretium debet eſſe. In judicio tamèn animæ ſtandum eſt confeſſioni ſuæ; Sed examina coſcientiam eorum proptèr contrarias præſumptiones diligentèr, & cautè, ne decipiaris.

Si tamèn in tali venditione monaſteriū eſſet deceptum enormitèr, vel manifeſtè, licèt ibi fuerit pura venditio, & recta intentio, nec fuerit dolus habitus, & ideò excuſetur ab uſura; Ille tamèn, qui decipit, debet removere deceptionem, vel pretium juſtum ſupplendo, vel reſtituendo, pretio de re vendita, quod habuit ſibi reddito *extra de emp., & ven. cum dilecti*. Fiat autè næſtimatio deceptionis, non ſecundùm tempus præſens, in quo fortè res eſt multùm meliorata, ſed ſecundùm tempus, in quo fuit venditio facta *extra de emp. cum cauſa*. Non tenetur etiam fructus, quos percepit tempore medio computare in prædicto; excuſatur enìm per bonam fidem, & juſtum titulum, & laborem &c. *extra de rebus Eccle. non alien. ad noſtram*, *& 12. q. 2. vulterana extra de reſti. in integ. requiſivit*. *Hęc Ray.*. Et intelligitur ſecundùm *Rod.* hæc enormis deceptio, non tantùm ultra medium juſti pretii, ſed etiàm citra, & hoc credo ſervandum in deceptione privatæ perſonæ maximè ſimplicis, & ſi non jure fori, tamèn jure poli. Si tamèn ille, qui decipit, nollet aliquid reſtituere talitèr decepto, non eſſet proptèr hoc ei neganda abſolutio, cum jura civilia ſubſtineant, quod contrahentes citra dimidium juſti pretii ſe invicem reipſa decipiant, cum tamèn ſine dolo, & fraude hoc faciant. Quando verò deceptio eſt ultra dimidium juſti pretii, non tantùm Eccleſia, ſed etiàm perſona privata poteſt agere ad reſcindendum venditionem, vel ad recipiendum ab emptore juſti pretii ſupplementum, ita tamèn, quod in optione emptoris ſit facere, quod horum duorum ſibi placuerit; hæc *Rodom.*

Secundùm autèm *Rich.* in quæſtione ſupradicta, quando exceſſus notabilis apparet manifeſtè ex parte ementis, ſivè ſit ultra dimidium juſti pretii, ſivè citra, tenetur emens, aut pretium juſtum ſupplere, aut totum, quod ultra ſortem recepit, reſtituere, & contractum quitare. Quandò verò eſt ex parte vendentis, tenetur vendens, aut illud, quod ultra juſtum pretium, accepit, reddere; aùt ſaltèm quitare contractum; aùt dimittere rem emptam in manu illius, qui emerat, quouſque de re empta ſortem receperit; ut quando Prædium emit ad vitam ſuam, & moritur antequam ſortem receperit; hæc *Ric. quolibet 2. q. 23. ar. 3.*, *& 4.*, & convenit cum eo *Tho. 2. 2. q. 77. ar. 1. c.*

Quid de illis, qui à cōmunitatibus civitatum, vel à Monachis, alias monaſteriis emunt certos redditus annuos, vel certos modios annuos ad vitam ſuam, numquid eſt uſura?

Reſpondeo ſecundùm *Rod.*, quod non, ſcilicèt ex forma contractus, cum hujuſmodi annuus redditus ſit perſonalis, ſivè burſalis, non prædialis. Licèt quidam legiſtę contrarium dicant, quod ſit contractus illicitus, tum quia creditor facilè poſſet emptoris mortem deſiderare, ut ſic liberatus eſſet, tùm quia nullum periculum eſt emptoris de terræ ſterilitate, aùt tempeſtate, quod periculum, & detrimentum emptores ſępè ſubſtinent Prædiorum.

Inſuper notat *Rod.*, quod quando emuntur aliqui proventus, vel redditus ad vitam venditoris, ſervatis debitis circumſtantiis, hujuſmodi emptio eſt tollerabilis, quia non eſt periculum, quod alter mortem alterius deſideret, Sed quandò emitur ad vitam emptoris, tunc non eſt tutum, ne vendens deſideret mortem emptoris, ideò eſt inhibita promiſſio præbendæ non vacantis; non tamèn præcisè dicendum eſt eſſe peccatum mortale vendere, vel emere ad vitam ementis, quia hoc non invenitur prohibitum, ubi ſervantur debitæ circumſtantiæ; hæc *Rod.*. Quicquid autèm dicat *Rod* tenendum eſt, quod contractus talis eſt ex forma ſua licitus, dum modo ſervetur æquitas juris naturalis, de qua dictum eſt in præcedenti quæſtione. Hoc enim tenuit *Ric.*, ut ſupra patuit; hoc idem *Alex. Lomb. frater minor* in quodam ſuo quolibet Ianuæ, licitum eſſe determinavit; & etiam communitèr omnes doctores Pariſienſes, quos viderat, pręter unum hoc ſenſiſſe, me præſente dixit. Et etiam ſecundùm *Hoſtien* talis contractus proptèr vitæ incertitudinem excuſatur, ut patet ex his, quæ dicta ſunt ſecundùm eumdem in quęſtione immediatè pręcedenti, *& ſupra quintum articulum bujus tituli caſu quarto §. ſimilitèr ſecundùm* Hoſt.

Sed numquid ſi emantur certi redditus annuatim in perpetuum?

Reſpondeo. Idem dicendum eſt, quod in prędicto caſu dicunt prædicti doctores, ſcilicèt *Ric.*, *Alex. ubi ſupra* in omnibus aliis à pecunia, ſivè emantur ad tempus, ſivè in perpetuum.

Sed quid de illis, qui emunt oves, vel boves à pauperibus, quos fortè non habent?

Reſpondeo ſecundùm *Rod.* Quando quis emit hujuſmodi animalia à paupere, vel divite, quem ſcit, vel credit eum non habere, & quaſi

iam

ſiàm ei tradidiſſet,locat ei pro certa annua penſione, uſura eſt; vel præſumendum eſt hoc fieri in fraudem uſurarum. Idem eſt de his, qui non habent. Si autèm ſinè fraude, & bona fide emptio fiat hujuſmodi, non eſt credendum, quamdiù bona fides durat,emptorem peccare.

Quid ſi quis mutuet pecuniam, recepturus in termino aurum, vel argentum, vel alterius generis monetam?

Reſpondeo ſecundùm *Goſ.* ſi hoc faciat, ut æſtimatione lucretur,uſurarius eſt; & idem dicit *Hoſt. extra e. conſuluit*, *& de hoc habitum eſt ſupra 4. ar. caſu* 4.

Quid ſi quis mutuet veterem annonam, ut recipiat novam?

Reſpondeo uſurarius eſt, ſi hoc ideò facit,ut meliorem recuperet ſecundùm *Ray.*, *&* *Goſ.* . Si autèm hoc faciat, ne ſua ſibi pereat, vel fortè ut recipienti gratiam mutuando faciat, non committit uſuram; & hoc ſecundùm *Rod.* dummodò non auferat libertatem ſe infra terminum liberandi veterem ſolvendo; vel si probabilitèr dubitetur, utrùm plus, vel minus ſit ſolutionis tempore valitura.

Quid ſi mutuem tibi pecuniam pro pretio, ut iterum remutues mihi; Numquid es uſurarius?

Reſpondeo, quod ſic, licèt enim obligeris mihi ad antidota *ff. de pe. hæredi. ſed & ſi lege §. conſuluit*, *& extra de teſta. cum in officiis*. Illam tamèn obligationem naturalem deducere in civilem eſt ſpes lucri, & ideò eſt uſura ſecundùm *Gloſ.* 14. *q.*3. *ſi fœneraveris*, & ſecundùm *Ray.*, *& Goſ.* Movetur tamèn Hoſtien. in contrarium, quia hìc nihil accedit ſorti, & aliàs illud, quod ſinè pacto debetur, licitè poteſt in pactum deduci; *extra de elec. ſignificaſti*.

Quid enim ſi debes mihi decem, quæ non poſſum recuperare, & mutuo tibi alia decem cum hoc pacto, ut ſatis des opportunè, quod infra certum tempus ſolvas mihi viginti. Nec obſtat illud *Luc. 6. mutuum date &c.* Quia illud intelligitur hoc modo: *Nihil*, ſcilicèt ad lucrum, vel ſupèr abbundantiam, vel quod ſit plùs, *extra e. conſuluit*, *&* 14. *q.* 3. *per totum*. Quia tamèn multi caſus poſſunt accidere, in quibus pecuniam mutuatam amitteres, & ego lucrarer, ideò opinioni primæ eſt adhęrendum, etiam ſecundùm *Hoſtien.*, quia quod eſt tutius, eſt tenendum, *extra de ſpon. juvenis*.

Sed quid, ſivè quantùm tenebitur reſtituere in hoc caſu?

Reſpondeo ſecundùm Monaldum, quod tenetur reſtituere tantùm, quantùm eſt alter damnificatus; ſiuè quantum tot denarii valere ſolent; vel ſecundùm quoſdam, quantùm indè fuerit lucratus. Tamèn ſi componat ſe ad libitum ejus, liberatus erit ſecundùm quoſdam.

Quid ſi quis mutuet pecuniam hac ſpe, ſivè intentione principalitèr alicui, ut ille alia vice remutuet ſibi?

Reſpondeo; Mutuans ſperare illud poteſt in ſimili caſu ab accipiente, non tamèn ex vi mutui, ſed ex accipientis charitate. Et quià ex pręcepto Dei tenemur mutuare indigenti, ſi hac intentione principalitèr mutuet, non eſt ſibi meritorium, quia non ponit finem Deum. Imò dicitur *Luc. 6. mutuum date, nihil &c.*, ſcilicèt ab homine, ſed à Deo; Secundùm *Alex. de Ang. 3. ti. 4. c. de præcepto mutui ar. 2. c. 2. contra reſponſionem aliquorum*. Undè ſecundùm *Rod.* Scholares, qui mutuant campſoribus, vel aliis ſcholaribus principalitèr hac intentione, ut illi remutuent ſibi, quandò indigebunt, uſuram committunt, & idem ſentit *Goſ.*, *& Hoſtien.*

Quid de Dominis molendinorum, qui pecuniam Piſtoribus mutuant, ut in eorum molendinis molant?

Reſpondeo ſecundùm *Rod.* uſurarii ſunt, accipiunt enim ultra ſortem in faciendo, & auferunt debitoribus libertatem molendi, ubi voluerint. Si tamèn debitores proptèr hoc non ſunt damnificati, non tenentur eis ad reſtitutionem faciendam, niſi quatenùs æſtimari debet libertas molendi ubi vellent, penſatis etiam circumſtantiis de majori, & minori remotione molendinorum, & facilitate, & difficultate molendi.

Quid de Notariis, qui ſupèr uſuris ſcientèr conficiunt publica inſtrumenta?

Reſpondeo. Perjuri, ſunt quia quãdo creantur, jurant quod benè facient, & non malè, ergo nec de cętero teſtificari poterunt, nec conficere inſtrumenta. Perjurus enim teſtificari non poteſt, quantumcumque egerit pęnitentiam *extra de teſti. ex parte*, *& c. ſi.* . Et hi etiàm ſunt infames, quibus ſunt actus legitimi interdicti *extra de teſti. licèt ex quadam*, *reſpon. ad ſi.* Hæc *Hoſtien.*

Quid de Prælatis contractibus uſurariorum ſubſcribentibus, & ſigilla apponentibus?

Reſpondeo ſecundùm *Hoſtien.* Si Prælatus tenorem non legerit, vel ſi legerit, uſura tamèn velata ſit, quia fortè ibi ponitur major quantitas, quàm mutuata ſit in veritate; nec diligentèr ſcrutatur, & examinat, & ideò non intelligit, fatuè agit, ſed in veritate non conſentit *ff. de pigno. ac. gajuſ.* Si verò legerit, & veritatem invenerit, particeps eſt criminis uſurarii, ſed non commodi. Nàm ſubſcriptio in multis juris articulis conſenſum, & approbationem inducit *extra de re judi. cum inter.* Hæc *Goſ.*, *& Hoſtien.*

Eſtò quod communitas alicujus civitatis indigeat pecunia, pro cujus recuperatione imponit mutuum civibus ſuis, poſt hoc autèm prędicta communitas nolens cives ſuos aggravare, ſed relevare, aſſignat cuilibet, qui mutuavit ſupèr aliquibus redditibus ſuis pro certa quantitate mutui, certam quantitatem pecuniæ annuatim reddendam, ut pro centum libris octo libras annuatim. Modò quæritur, utrùm talis excreſcentia ultra ſortem licitè recipi poſſit?

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo. Dicunt aliqui quod ſic. Primò, quia ſupponitur, quod ibi mutuum à principio fuerit, & ex poſt facto ſuperſit violentum, & non voluntarium; de ratione autèm uſuræ eſt, quod committitur circa mutuum voluntarium. Secundò, quia congruum eſt, & rationi conſonum, quod communitas, ſi poteſt, relevet cives ſuos, quos mutuare coegit; Et hujus ſententiæ fuit *Frater Joachim de Saxonia*, qui fecit tabulam juris, ſecundùm quod fertur reſpondiſſe. Secundùm autèm *Alex. Lomb. in quolibet. q. de uſuris* probabilius dicunt dicentes caſum propoſitum non eſſe licitum, quia ratione mutui non licet accipere aliquid ultra ſortem ſecundùm illud *Luc. 6. mutuum &c.* Diſtinxit autem, quia relevatio poteſt fieri dupliciter. Uno modo per modum gratitudinis, quia ſcilicet communitas gratis, & liberaliter relevat mutuantes, & tunc licitè recipitur. Alio modo per modum obligationis, quia ſcilicet communitas ad hoc faciendum ſe obligavit, & tunc non præcipitur licitè, & ſpecialiter, quia ex tali obligatione mutuum incipit eſſe voluntarium, & fieri propter ſpem lucri. Mihi autem videtur, ſalvo ſemper judicio meliori, quod ſi is, qui mutuavit ſemper mallet, ſi poſſet, ſuum mutuum recuperare, quàm proventus habere, licitè poſſit eos recipere, præcipuè cùm communitas ad hoc ſe obligaverit ſpontè, ut ſupponitur àd præſens.

Quid ſi cives prædicti velint vendere jus, quod habent ſuper communi ſuo pro capitali, & proventu, pro eo, quod nolunt expectare, vel etiam dubitant ſibi periculum in communi imminere, numquid licitè poterint iſti jus illud vendere, & alii emere pro pretio tanto, vel minori, quàm dèderint, vel præſtiterint?

Reſpondeo. Ad hoc fertur reſpondiſſe ſupradictus Ioannes, quod ſic, quia juſto titulo, jus aliquod juſtè poſſidens, juſtè poteſt vendere, & alius juſtè emere jus illud, quia quod juſtè venditur, non injuſtè emitur; & hoc prætio æquali, vel minori, vel majori, quàm fuerit datum, quia res tantùm valet, quantum vendi poteſt.

Quid ſi quis habens aliquam monetam, quam dubitat ſequenti tempore minus quam nunc valituram ſecundùm ſtatutum legis poſitivæ, mutuat eam ſub tali pacto, ſcilicet ut ſibi reddatur in pretio æquali, in quo eſt tempore mutui, numquid hoc licebit ſibi?

Reſpondeo. Aliquibus videtur quod non, aliis quod ſic, quia quamvis in mutuo non liceat ſperare lucrum, licet tamen vitare damnum, quod hic mutuans intendit; debitor etiam tantùm accepit, quantùm reddere tenetur; hujus ſecundæ opinionis fuiſſe videtur *Alex. Lomb. in quolibet. q. de uſu.*

Numquid licet mihi mutuare communi meo pro aliquo officio habendo, ex quo ſpero conſequi magnum honorem, & lucrum? Ad hoc fertur prædictus frater Ioannes reſpondiſſe quod non; quia mutuans expreſſè recipit ex mutuo ultra ſortem.

Numquid licitè poſſum emere ab aliquo debente recipere à ſuo communi, vel pro ſuo ſalario, vel quia mutuavit centum libras pro aliquo officio habendo, jus, propter quod recipere debet pretio minori, quàm recipere debet? Ad hoc fertur dictus frater Ioannes reſpondiſſe quod hoc licet, dummodò hoc cum moderamine, & ſine fraude fiat.

ARTICVLVS VI.

De Pœnis Uſurariorum.

Sequitur videre de ſexto, ſcilicet de pœnis Uſurariorum, quibus ſcilicet puniuntur, & ad reſtitutionem compelluntur; hæc autem eſt multiplex quia alia imponitur à Canone, alia à Iudice, alia ab adverſario per exceptionem.

Eſt ergo primò conſiderandum de illa, quæ imponitur à Canone, hæc autem eſt multiplex, Uſurarii manifeſti nec ad Communionem Altaris admittuntur, nec ad chriſtianam ſepulturam in hoc peccato decedentes recipiuntur, ſed nec vivorum oblationes recipi debent. Sed ſi quis Clericus convenerit, ſcilicet de ſepeliendo, vel recipiendo cogitur reddere quod accepit, & ab officii ſui executione manet ſuſpenſus, donec ad arbitrium Epiſcopi ſui ſatisfecerit; *extra e. quia*, de quo conſilio ſemper debet fieri mentio in literis contra uſurarios impetratis, cum dicitur, eos ad reſtituendum quicquid ultra ſortem perceperunt per pœnam in Lateranenſi Concilio contra uſurarios editam compellatis *extra de emp. & ven ad noſtram.* Undè ab hac pœna ſemper eſt incipiendum tanquam à minimo *extra de teſti. cum tu. in gloſ.* Eſt autem dictus Canon ſecundùm Hoſti. & Ber. ibidem, ſententiæ non latæ, ſed ferendæ; ſi enim uſurarius, qui eſt principalis non incurrit pœnas expreſſas in jure, multò minùs talis Clericus.

Sed cui reſtituet Clericus oblationem, quam accepit?

Reſpondeo. Alanus dixit, quod Epiſcopo loci, & aufertur Eccleſiæ in pœnam recipientis, ſicut patet 20. *q.* 3. *conſtituit.* Guil. autem Naſo dicit, quod reſtituet illi, qui obtulit in opprobrium ejus. *ar. extra e. cum tu. §. Super his. Et extra de homici. ſicut dignum.* §. *Eos.* Ber. verò dicit *extra e quia*; quod reſtituet ei, à quo recepit, ut ipſe reſtituat ei, à quo habuit. *ar. in proximis dictis* Hoſtien. verò *in c quia* tenet cum Alano, ut ſcilicet detur Epiſcopo, qui reſtituat ei, à quo uſurarius accepit, ſi inveniatur alias pauperibus erogetur *ar.* 20. *q* 3 *conſtituit.*

Qui dicuntur hic manifeſti uſurarii?

Reſpondeo Uſurarii notorii ſunt, qui habent evidentiam facti, ut quando uſurarius menſam tenet paratam ad mutuandum cuilibet ſub uſuris, ſicut meretrix in proſtibulo patet cuilibet. *ar. extra de coha. cle. tua. Et c. ſi.* & in hoc caſu

caſu ipſo jure ſupradictam pœnam Canonis patiuntur, ſive ſint notorii juris, ut quia ſunt per Epiſcopum publicati; ſecùs eſt ſi adhuc ab Eccleſia tolerantur. *extra de coha. cler. veſtra.* Nam ſi manifeſti ſint per famam tantùm, non tamen notorii, non patiuntur hanc pœnam ipſo jure, ſed per publicationem, ſic intellige illud *extra e. cum tu. R.* 1. Secundùm Hoſti. ſufficit autem ad publicationem faciendam, quod vocati confiteantur, vel per teſtes convincantur, ut *extra de coha. cler. tua.* Sufficiunt etiam certa argumenta cum fama, ut *extra e. de coha. cle. tua.* Licèt autem nullus accuſator ſuper hoc appareat, procedet tamen nihilominus Epiſcopus ex officio, *ut ibidem.* quàm citò autem ſatisfaciunt, ceſſat hæc pœna, *ut ibidem.* Hæc Hoſti. Satis tamen poſſet dici quantum ad caſum iſtum uſurarius manifeſtus ſecundùm Joan. Ang. & Guil. Naſonem, qui coram Presbytero, & teſtibus fatetur ſe eſſe uſurarium, & mandat uſuras reſtitui tradens fortè librum rationum.

Quid ſi ſit notorium aliquem recepiſſe uſuras, hi tamen qui ſolverunt, non repetunt, vel quia non audent, vel quia juraverunt non repetere?

Reſpondeo ſecundùm Hoſti. Eccleſia ad denunciationem alicujus, vel ex officio ſuo procedet, & eum reſtituere coget. *extra e cum tu.* & *extra de jurejuran. ad noſtram.* 2.

Quid ſi Epiſcopus in vita uſurarii recipiat oblationem; ſed eum poſt mortem ad ſepulturam non admittat?

Reſpondeo, quod ſe puniendum affirmat, ut *extra eo. quia in omnibus. in fi. nam cui communicamus vivo &c. extra de ſepul. ſacris.*

Quid ſi publicatus decedat, hæres tamen de uſuris ſatisfaciat?

Reſpondeo ſecundùm Hoſti. eum non eſſe ſepeliendum, niſi de contritione certis ſignis appareat. *ar. extra de ſent. excom. à nobis* 2. & 24. *c.* 2. *nec quiſquam.*

Sunt autem & aliæ pœnæ uſurariorum præter pœnas prædictas, quæ ponuntur *li.* 6 §. *uſurarum*. ubi inhibetur, ne Collegium, vel Univerſitas, vel aliqua ſingularis perſona cujuſcumque ſit conditionis, dignitatis, aut ſtatus; alienigenas etiam ſi ſint cives, vel incolæ ſecundùm Jo. Ang. vel alios non oriundos de terra eorum, qui ſcilicet non ſunt cives, vel incolæ publicè pecuniam fenebrem exercentes, vel exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut aliàs habitare permittant, ſed huiuſmodi uſurarios manifeſtos omnes infra tres menſes, ſcilicet à tempore publicationis hujuſmodi conſtitutionis expellant, nunquam aliquos tales de cætero admiſſuri. Præcipitur etiam ibidem, quod nemo illis ad exercendum fænus domos locet, vel ſub quocunque alio titulo concedat; qui verò contrafecerint, ſi fuerint perſonæ Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, ſuſpenſionis; minores verò, ſi ſint perſonæ ſingulares, excommunicationis; ſi autem Collegium, vel Univerſitas interdicti ſententias ſe noverint ipſo facto incurſuros, quam ſi per menſem animo indurato ſuſtinuerint; terræ eorum quamdiù in ipſis morantur Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto; cæterum ſi Laici fuerint per ſuos ordinarios ab hujuſmodi exceſſu, ceſſante omni privilegio per Eccleſiam compeſcantur.

Inſuper quia ſtatutum erat, ut habitum eſt ſupra, uſurarios manifeſtos in hoc crimine decedentes non debere admitti ad ſepulturam, ut *extra e. quia in omnibus.* Ipſi autem uſurarii, ut pœnam illam deluderent in ultima voluntate mandabant ſatisfieri, & ita ſepeliebantur, & ſic dicta pœna deludebatur, ſtatutum eſt poſtea *li.* 6. *e. quamquam.* quod licet mandent ſatisfieri, denegetur tamen eis Eccleſiaſtica ſepultura, donec de uſuris fuerit ſecundùm facultates eorum pleniùs ſatisfactum, vel idoneè cautum illis, quibus debent reſtitui, ubi ſunt præſentes; vel aliis, qui poſſunt eis acquirere; vel eis abſentibus loci ordinario, vel ejus Vicario, vel Presbytero Parochiæ, in qua habitat uſurarius, vel tabellioni de mandato ordinarii; ita quod certa quantitas exprimatur in cautione, ſcilicet vel quantitas manifeſta exprimatur ſi apparet; vel ſi non apparet quantitas manifeſta, exprimatur quantitas illa ſecundum arbitrium ejus, qui recipit cautionem, qui ſi ſcienter minorem poſuit, quam veriſimiliter creditur, ad reſiduum tenebitur, ſcilicet propter ejus malitiam, vel negligentiam.

Sed quid ſi nullam quantitatem ponat?

Reſpondet Jo. Ang. quod tenetur in totum, ergo cautè faciat, ſi certam veriſimiliter quantitatem exprimat; & addat etiam, quod etiam ultra illud ſatisfiet in quantum conſtabit eum ratione uſurarum teneri.

Intelliguntur autem nomine idoneæ cautionis pignora, vel fidejuſſores. *ff. manda. ſi mandato titii* §. *fi.* aliàs cautio ſignificat nudam promiſſionem. *C. de ver. ſig. ſancimus.*

Sed quid ſi cautiones, pignora, vel fidejuſſores dare non poſſet?

Reſpondeo ſecundùm Bar. & Jo. Ang. juret ſe hoc dare non poſſe, & facturum quod cavet. *lib.* 6. *de ſent. excom. c. fi.* §. *illis.*

Nota etiam, quod illi, qui poſſunt acquirere nobis, ſunt filii, quos habemus in poteſtate noſtra. Item ſervi proprii: item ſervi, in quibus habemus uſufructum: item ſervi alieni, quos bona fide poſſidemus: item liberi, quos bona fide poſſidemus tanquam ſervos. *inſti. per quas perſo. no. acqui.* §. 1.

Sed numquid procurator acquiret domino abſenti hanc perſonalem obligationem?

Reſpondet Bar. & Jo. Ang. quod non. *p l. ff de acqui. poſſ. l. quemadmodum.* & *l. generaliter* & *l. quod meo.* Item per loci ordinarium intelligo ſecundùm Jo. Ang Epiſcopum de jure; & idem de Decano, Archipresbytero, vel Abbate, qui aliàs de conſuetudine juris-

juriſdictionem haberet in ſpiritualibus, & intellige de loco, in quo uſurarius deget. Item quod dicit de Presbytero, ſive Rectore Parrochiæ, in qua uſurarius habitat, multò fortiùs intellige de Rectore Parochiæ illius leſi, cui reſtitui debet, cùm ſit quaſi Judex, & miniſter ejus, ſecundùm Bar. & Joan. Ang. ff. *de in jus voc. l. eum pro quo.* Jtem pro hoc, quod dicit mandato ordinarii arguit Jo. Ang. quod tabellio in hoc caſu non acquirit àctionem extraneo ex ſua ſtipulatione, niſi faciat iſtud de mandato ordinarii.

Ulteriùs omnes ſive Religioſi, ſive alii manifeſtos uſurarios recipientes ad Eccleſiaſticam ſepulturam contra formam ſupradictam ſubjacent pœnæ in Lateranenſi Concilio contra uſurarios promulgatæ. *lib.6. e. quandoque. §. omnes autem de Concilio illo. extra c. quia in omnibus.* Et ex hoc notat Bar. ibidem, quod tales non ſunt rècipiendi, ſicut nec uſurarii manifeſti in vita ad communionem, nec in morte ad Eccleſiaſticam ſepulturam. Sed Io. Ang. notat contrarium, ſcilicet quod hìc non habet locum pœna ſtatuta contra recipientes eos ad oblationes, & Eccleſiaſticam ſepulturam, undè ibi in Lateranenſi Concilio contra uſurarios ſubaudit edita.

Item teſtamentis uſurariorum manifeſtorum nullus interſit, nec eos ad confeſſionem admittat, ſive abſolvat, niſi de uſuris ſatisfaciant, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum facultatum viribus præſtent, ut ſupra dictum eſt, idoneam cautionem Teſtamenta verò eorum facta aliàs, ſcilicet non facta ſatisfactione, nec præſtita idonea cautione, non valent, ut *c. quamquam §. ſi.*

Quid ſi teſtamentum facit, & poſtea cavet; numquid poſtquam caverit, teſtamentum valebit?

Reſpondeo, dixit Bar. quod non, quia ab initio nullum fuit *li.6. de re. jur. non firmat.* Sed ſecundùm Ioan. Ang. ſatis videtur ſufficere, ſi cavit ante mortem; cùm teſtamentum in morte firmetur. Nec obſtat regula illa, ſcilicet non firmatur, quia de ſolo tractu temporis loquitur; & quidem Io. æquitati meliori initi videtur, eo quod ad conſervationem teſtamentorum nititur, prout omnia jura nituntur, ut *C. de Sac. San. Ec. l.*1. Facit etiam pro eo quantùm ad legata ad pias cauſas, quod ſecundùm leges ff. *de le.* 3. *l*, 1. §. 1. legata relicta à filiofamilias, vel à ſervo licèt tempore teſtamenti inſpecto non valeant, ſi tamen ſervus manumiſſus, vel filius emancipatus in eadem voluntate perſeveraverit, valebunt; Accipere enim cautionem eſt quomodocumque accipere, ſic & dare, eſt quomodocumque dare 1. *q.* 1. *eot.*

Quid de codicillis, numquid valebunt facti ab uſurario manifeſto?

Reſpondet Guil. Gar. & Io. Ang. quod non; & idem eſt de qualibet alia ultima voluntate, ut patet ex *prin. d. c. quamquam. & ar. extra. de teſta. cum eſſet.* quia etiam codicillus largè dicitur teſtamentum, quia teſtatio mentis. 13. *q.*2. §. *ſed aliud.*

Quid ſi iſte uſurarius ſecundùm formam prædictam ſatis dedit, numquid ex hac ſatisfactione tenebitur ſolvere ſi convaluerit?

Reſpondeo. Dicunt Guil. Gar. & Ioan. Ang. quod ſic, *ar. hoc.* & quia etiam ſi non ſatis dediſſet, cogendus eſſet ſolvere, *extra. c. cum tu.*

Circa verò pœnam, quæ imponitur uſurariis à Iudice, quæ quandoque ſequitur ex pœna inflicta à Canone, ſi contumacia exigat, eſt ſciendum, quod ſi uſurarius ſit Clericus ab officio, beneficioque ſuſpenditur, ut *extra c. præterea.* Suſpenditur inquam à beneficio obtento, & multò magis repellitur ab obtinendo, *extra de exceſ. Præla. & inter dilectos.* Poteſt tamen cum tali diſpenſare Epiſcopus poſt ſatisfactionem, & pœnitentiam, quia hoc non prohibetur, ut dicitur *in Gloſſ. d. c. Præterea.* Et ſi adhuc non deſiſtat, eſt degradandus, ut *extra c. c.*1. & 14. *q.*4. *Canon.* quam tamen pœnam evadit, ſi deſiſtat; nam de jure communi eſt degradandus, niſi peniteat; ſic intellige dicta jura *di.* 46. *c.*1. & 2. *ſecundùm Gloſ. & Hoſt.* Exinde ſi fuerit incorrigibilis ſecundùm Ray. ad mandatum Epiſcopi, ſi non poteſt aliter corrigi, coercebitur per potentiam laicalem. *extra de judi. cum non ab homine* & *di.* 17. *non licuit.* Si verò ſit laicus, & prima pœna inflicta non deſtiterit, majori excommunicatione percutietur. *extra c. quanto. & c. præterea. in fi.* & hæc intelligas, quando delegatus eſt cui mandatur, quod à pœna Concilii incipiat; ſecùs eſt ſi mandetur ei, quod per cenſuram Eccleſiaſticam eum cogat; ſecùs eſt etiam ſi ordinarius ſit, quia talis à principio poterit eum excommunicare. Sic intellige illud *extra c. tuæ & de jurejur. debitores.* Hæc Hoſti.

Sed quare Iudex Eccleſiaſticus magis intromittit ſe de pœna uſurariorum, qui ſunt fures, & raptores, ut habitum eſt ſupra, quàm de pœna aliorum furum, & raptorum?

Reſpondeo propter damnum ſpeciale, quod ex uſura videt accidere, & etiam quia uſurarii cum contemptu præcepti divini, & damno proximi adinvenerunt ſibi officium, & modum vivendi, & ditandi.

Nec obſtat illud Auguſt. ad Macedon. & habetur 14. *q.*4. *quid dicam. Vellem*, inquit, *quod reſtituerentur uſuræ, ſed non eſt, quomodo juſtè repetantur.* Hoc enim dicit ad factum, non ad jus reſpiciendo, & loquitur pro tempore quo nondum reſtitutio uſurarum erat ordinata, ut patet *ibidem in Gloſ.*

Numquid etiam hæres uſurarii cogitur reſtituere uſuras?

Reſpondeo quod ſic; & hoc etiam præmiſſis modis, & pœnis, & hoc ſive hæres ſit filius, ſive extraneus, ut *extra c. tua. nos. & c. Michael.* Et tenetur hæres in hoc, quod ad eum pervenit. *ar.* 12. *q.*2. *Epiſcopus. qui filioſ.* & 16. *q.*6.

q. 6. ſi Epiſcopum. ex quo enim in integrum ſibi ſucced.t, præſumitur ad eum res perveniſſe, ut *extra e. tua ſecundùm Hoſti.*. Sed Lauren. & Alanus dicunt, quod hæres non tenetur, niſi quatenus vires hæreditatis patiuntur, ut *extra de appel. qua fronte.* & *extra de rapto. in litteris*; quibus conſentit Hoſt. & Ber. *in c. tua.* & Io. Ang *li.6. de uſuris, quamquam.*

Quid ſi alter hæredum factus ſit non ſolvendo, numquid alter tenetur inſolidum?

Reſpondeo ſecundùm Hoſti, *in ſum.* quod tenetur inſolidum, inquantum ſaltem ad eum pervenit de hæreditate; nam & res hæreditaria videtur obligata. *extra e. de uſu. cum tu.* §. *ſi*, & idem dicit Ber. *in c. tua.* Hoſti. tamen in Gloſ. dicit, quod prædicta opinio eſt ab omnibus approbata, & ideò contradicere non audet; conſiderata tamen veritate & ſubtilitate juris, cùm certum ſit multos aliqua poſſidere, quæ notum eſt fuiſſe uſurariorum, qui nunquam de uſuris ſatisfecerunt, durum eſt ſentire, quod omnes tales ea, quæ poſſident taliter reſtituere teneantur, maximè cum fortè quadraginta anni vel plures ſint, quod illi uſurarii deceſſerunt, & gravius eſt tot animas condemnare; ideò diſtinguit, quod is, qui eſt heres, tenetur in ſolidum, ſi non fecit inventarium, aliàs ſecùs eſt; is autem, qui non eſt hæres, & ad quem aliàs pervenit, non videtur teneri, etiam ſi ex cauſa lucrativa res ad eum pervenit, ut *C. de donati. æris alieni.* niſi ſaltem eſſet de pecunia fenebri empta, de quo etiam ſunt opiniones, ut infra dicetur.

Quid ſi de pecunia uſuraria ſit poſſeſſio empta, numquid is, qui dedit illam, agere poteſt actione reali, ut ſcilicet agat ad vendicandam poſſeſſionem illam emptam de ſua pecunia?

Reſpondeo, Alanus dixit, & Ray. quod ſic, & hoc eſt ſpeciale, ſicut etiam alibi contingit, ut *C. de rei ven. ſi ex ea pecunia.* Goſ. tamen hoc non admittit, cui etiam conſentire videtur Hoſtien. immò dicit indiſtinctè agendum eſſe actione perſonali contra uſurarium, vel hæredem ejus, & Iudex ex officio ſuo eum coget uſuras reddere, ſi habet undè ſolvat ſine diſtractione, aliàs ad poſſeſſiones vendendas eum coget, & ſic ſatisfieri de uſuris faciet, & ſic intellige *extra e. cum tu.* §. *poſſeſſiones verò.*

Quid ſi creditor de pecunia fenebri poſſeſſiones emat, & dominium vendat, & de pecunia recepta pro ipſis alias emat, numquid idem jus eſt de his ſecundis poſſeſſionibus, quod in primis?

Reſpondeo ſecundùm Goff. quod ſic, quia ſuccedunt loco priorum. *ar. extra ut lite pen. Eccleſia.* & ff. *de le. 2. l. imperator.*

Quid ſi poſſeſſio empta ex pecunia fenebri tranſeat in alium, numquid is, qui pecuniam illam dedit, beneficium idem habebit contra extraneum poſſeſſorem, quod habet contra uſurarium, vel ejus hæredem, ut vendere cogatur & ſatisfacere agenti?

Reſpondeo ſecundùm Goſ. quod non, niſi extraneus poſſideat ex cauſa lucrativa, & uſurarius, vel ejus hæres conventus excuſatur, ſi non ſit ſolvendo. *ar. inſti. de le.* §. *ſi aliena.* ſecùs eſt, ut dicit Ber. *extra e. cum tu. ſuper illud vendi.* & Rod. ſi ipſe extraneus emiſſet, vel ex alia cauſa non lucrativa adeptus eſſet rem illam bona fide ab uſurario, non credens fortè eum eſſe uſurarium, aut credens rem illam non eſſe emptam de pecunia fænebri; aut uſurarium aliter habere, undè poſſet reddere uſuras.

Quid ſi res empta de fænebri pecunia proveniat ex titulo lucrativo ad eum, qui uſuras ſolvit, numquid ille, ad quem prius ex ſimili cauſa pervenit res eadem, liberatur, ut contra eum agi non poſſit?

Reſpondeo ſecundùm Goſ. quod ſic, ff. de *acti. & obli. omnes debitores.* Uſurarius tamen, vel ejus hæres ſecundùm Hoſt. minimè liberatur. ff. *de ſolv. quoties unus.*

Circa pænam autem, quæ eſt ab adverſario contra uſurarium excipiendo; ſciendum, quod per exceptionem removetur à dignitate, ſi fortè ſit electus, & in ludo mutuaverit. 47. *di. c.* 1. 2. Nec obſtat, quod dicat ſe hoc cauſa ludi feciſſe ſub obtentu alicujus conſuetudinis, ſeu corruptelæ, ut *extra de exceſ. præla. inter dilectos.*

Item ſi quis literas ſuper uſuris impetraverit, non auditur, niſi primò reſtituat, ſi quas uſuras quandoque extorſit, quia fruſtrà legis invocat auxilium, qui in legem committit, ut *extra e. de uſu. quia fruſtra.* Nec ſufficit in tali caſu cautio de reſtituendo. *ar. extra de re judi. cum aliquibus*, niſi fortè interveniat magna cauſa, ut ff. *de re judi. l. 4.* §. *ait prætor. in fine* putà, quia non eſt ſolvendo, tunc enim ſufficit cautio, & debet audiri, ut poſtea reſtituat, ut *extra de ſolut. Odoardus.* vel ſi is, cui debetur ſit contentus *extra e. de re judi. quod ad conſultationem.* Hæc Hoſtien, & Ber. *extra e. quia fruſtra.*

Quid ſi nullus appareat, qui agat contra ipſum?

Reſpondeo ſecundùm Io. facta denunciatione in publico, ſi nullus appareat, audietur. Secundùm verò Hoſtien. & Ber. *extra e. quia fruſtra.* & Garz. *li. 6. e. quamquam.* & *Jo. Ang. ibidem* ſecundùm quod dictum eſt ſupra, ſi ſit publicus, & notorius, Iudex ex officio ſuo repellet eum, licèt nullus appareat. *ar. extra de jurejur. ad noſtram.* & *extra de except. exceptionem.* & *extra e. cum in tua.* quia etſi nullus petat, tamen reſtituere tenetur, ut *extra e. cum tu.* §. 1. Si autem occultus erat, & adverſarius objiciat, & incontinenti ſit paratus probare, audietur, & hoc probato repelletur. *ar. extra e. de reſtitu. ſpo. literas.* §. *propterea melius.* Et maximè ſi probet infra octo dies, *extra de except. pia conſideratione.* §. *Si quis igitur excommunicationem.* & *extra de deci. tua.*

tua. in fine. Si verò ſit occultus, & nihil objiciatur, non repellitur, undè tunc tenet ſententia Ioan. & Tanc.

Nota hìc, quod *extra e. cum in tua.* dicitur, quòd licèt contra uſurarium non appareat accuſator, ſi tamen aliis argumentis conſtiterit eoſdem eſſe uſurarios manifeſtos, poterit Iudex in eos pœnam contra manifeſtos uſurarios in Concilio Lateranenſi editam liberè exercere.

Et objicit Ber. quod ſi loquitur de manifeſtis notoriis, non eſt opus aliis argumentis, ſi non de notoriis, tunc evidens probatio requiratur ſecundùm ordinem juris. *ii. q. 3. eorum qui.* Et reſpondet ad hoc, quod hìc notorium non habet perſeverantiam facti, undè requiruntur alia argumenta, vel dic, quod ſolemnis fama docet iſtos eſſe uſurarios, & ideò puniuntur propter famam, & argumenta alia, quia ad condemnationem non ſufficit ſola fama. *extra de jureju. e§ litteris.*

Quid ſi notorium ſit, quod uſuras habuit, is tamen, à quo extorſit eas, non invenitur, nec hæres ejus?

Reſpondeo. Iudex faciet pecuniam fœnebrem pauperibus exhiberi, quo facto petitio ejus admittitur *extra e. cum tu. §. 1. ſecundùm Hoſti. & ſecundùm Ber.* vel ſecundùm Ioan. Ang. *li. 6 e.c. quamquam.* Epiſcopus poteſt uſuras illas recipere, & ſolvere eis, à quibus habuit uſuras ille, qui petit.

Quid ſi literæ obtentæ ſint contra aliquem uſurarium, & ipſe moriatur ante citationem; numquid hæres pro hujuſmodi literas poterit conveniri?

Reſpondeo quod non, ſecundùm Gof. & Hoſti. *per illud c. extra de reſcript. ſignificavit.* niſi fiat ibi mentio de hærede, ut *extra de offi. dele. cum olim.*

Nec obſtat illud *extra e tua.* quia illud de ordinario habet locum, qui hæredem judicare poterit ut defunctum.

Quid ſi debitor juravit ſolvere?

Reſpondeo, tunc habet duo remedia, unum, ut denunciet Eccleſiæ, ut cogat per cenſuram Eccleſiaſticam, quod juramentum relaxet, vel ab exactione ceſſet *extra de jureju. c. 1. per totum. & extra e. de uſu. tuas.*

Qui ſi velit excommunicationem potiùs ſuſtinere, quam juramentum relaxare, puniri poteſt per poteſtatem temporalem nimia pertinacia exigente, cum Eccleſia ultra hoc non habeat, quid faciat, ut *extra de cle. excom. c. 2. & de judi. cum non ab homine, circa fi.* qui eum fortè velut hæreticum condemnabit *2. q. 3. rurſus. & extra de hæreticis. excommunicamus. §. 1. & 2.* vel ſicut fit in quibuſdam locis, ut in Anglia, capietur ad mandatum ordinarii; vel quolibet menſe ſolvat certam pecuniæ quantitatem, ſicut fit in Francia, & ſpecialiter in partibus Tholoſanis; ſed nihilominus adveniente die, propter juramentum ſolvere tenetur, niſi Papa interim eum abſolvat, vel etiam Epiſcopus exigente contumacia uſurarii excommunicati in pœnam contumaciæ ejus. Secundum eſt, quod ſi ipſe ſolverit propter juramentum, tamen poteſt repetere, ut *extra de jureju. debitores. ſecundùm Gof.*

Quid ſi juravit ſolvere, & non repetere?

Reſpondeo non debet in judicio repetere propter vim juramenti, hoc enim eſſet directè repetere, crimen ejus denunciando Eccleſiæ. *extra e. tuas in Gloſ.* & Iudex ex officio ſuo poteſt cogere eum ad relaxandum juramentum, quod ſi ad hoc induci non potuerit; poteſt eum cogere ad reſtituendum. Aliqua tamen nova cauſa poſſet ſupervenire, ratione cujus poſſet repetere, putà, ſi uſurarius in fine pænitens ordinaret, quod hæredes ſui omnibus illis uſuras reſtituerent, qui ſe uſuras dediſſe probarent. *extra de jureju. ad noſtram 1. in text. & in Gloſ.*

Quid ſi juravit non denunciare?

Reſpondeo, juramentum tale eſt temerarium ſecundùm omnes, quia ad hoc quilibet tenetur; undè non tenetur ſervare ipſum. *extra de jureju. quemadmodum. in fi. ſecundùm Gof & Hoſti. in ſum. & Ber. ſuper d. c. ad noſtram 2.* Hoſtien. tamen in apparatu diſtinguit; quod ſi talis magis movetur zelo juſtitiæ, & correctionis fraternæ, quam amore rei ſuæ recuperandæ, denunciet; ſi verò è converſo non denunciet, ne perjuret, & ita occurritur fraudibus uſurariorum.

Quid ſi juravit etiam non recipere?

Reſpondeo, juramentum tenet, ut *extra de renun. cum inter p. & de his, quæ vi. ad audientiam*; cogi tamen debet uſurarius, quod juramentum relaxet, *ar. extra de jureju. c. 1.* Vel ſi ad hoc primò induci non poterit, non audietur, antequàm ſe liberaverit; in hoc ergo caſu erit pauperibus eroganda, ſi fiat fides Eccleſiæ, aliter non audietur, niſi Papa eum abſolverit, & hoc poteſt denunciare Eccleſiæ debitor prædicto juramento non obſtante. Hæc Hoſti. *in Sum.*

Quid ſi is, contra quem ſunt literæ impetratæ appellet, numquid repelletur in cauſa appellationis?

Reſpondeo quod non, *extra de excep. cum inter priorem. & c. fi.* Idem dicendum eſt ſi uſurarius, qui literas impetravit, appellet; ſuper principali tamen nunquam audietur, niſi priùs reſtituerit, ut ſuprà, ſecundùm Hoſti. & etiam ſecundùm hoc priùs expeditur cauſa appellationis, quàm audiatur ſuper principali. *ar. extra eo. quia fruſtra. ibi.* niſi priùs reſtituerit uſuras, quas pater ſuus priùs extorſit ab aliis, ut *extra e. Michael.* Cùm enim ex perſona patris agat, tenetur eum defendere *ff. de reg. jur. ex qua perſona.* ſecundùm Ber. & Hoſtien.

Quid ſi non fiat in literis mentio de patre, numquid contrà eum excipi poterit ex perſona ſine facto patris?

Reſpon

Reſpondet Ber. & arguit hic pro, & contra extra *e. Michael.*, & deinde dicit, quod credit, quod ſic, quia tenetur uſuras reſtituere, quas pater ejus extorſit, cùm ſuccedat ei in bonis. Hoſtien. verò dicit, quod ſi ſit hæres, vel univerſalis ſucceſſor, bona empta de pecunia uſuraria poſſidens ex cauſa lucrativa poteſt excipi contra eum, cùm ſit ſucceſſor viriorum. *ar. in prænominatis quæſtionibus in præcedenti arti. q. numquid. hæres. & q. quid ſi de pecunia. & ff. de calum. in hæredem autem.* §. 1. Secùs eſt ſi non ſit hæres, nec poſſideat bona empta de pecunia uſuraria, licèt bona alia titulo donationis à patre recepit bona fide, ut *C. de dona. l. æris alieni. & l. ſi patri tuo.*

Quid ſi quis tutor, curator, vel procurator uſuras receperit non nomine ſuo, ſed alieno?

Reſpondeo: quidam dicunt, ut Ber. *extra e. Michael.* quod non repelletur, quia nec illæ uſuræ repeti poſſunt ab eo, cum nihil verſum ſit in utilitatem ejus; ſed malè dicit ſecundùm Hoſt. & ſecundùm Io. *ut habetur in gloſ. di. 46. c. ult.* quia in delictis illud non attenditur, ſed ipſum factum, & delinquentis voluntas, & propoſitum, 22. *q. 5. qui perjurat; & extra de ſen. excom. cum voluntate.* Nam etſi procurator meus te dejiciat de fundo tuo, teneor tibi interdicto, undè vi, nihilominus & ipſe, licèt nihil ad eum pervenerit, ut *ff. de vi. & vi. ar. l. 3. §. cum procurator.*

Is tamen, in cujus utilitatem verſum eſt principaliter, tenetur & primò, alius verò in ſubſidium, ff. *de eo per quem factum erit: ex hoc edicto*: & ſic talis tenetur, ſi principalis non vult, vel non poteſt; undè ſi tutor uſuras recipiat pupilli nomine, functo officio tutelæ, poſſum ab eo uſuras recipere, quia pro alio non debuit peccare: *e di. 46. c. ult.* Sed in aliis contractibus nihil ab eo poſſum petere *C. de admi. tu. ſi non ſubſcripſiſti.* Licèt ſecùs ſit de procuratore ff. *de procura. procurator, qui pro evictione*; quia tutor ſit voluntate, procurator neceſſitate.

ARTICULUS VII.

De Uſurarum reſtitutione.

Sequitur videre de ſeptimo, ſcilicet de reſtitutione uſurarum; & circa hoc quæruntur plura, ſcilicèt

1. Utrum uſurarii teneantur ad reſtitutionem uſurarum?
2. Utrum uſurarius teneatur reſtituere, non tantùm uſurariam pecuniam, ſed etiam quicquid lucratus eſt cum illa, & fructus perceptos ex re empta de pecunia uſuraria?
3. Utrum aliquis teneatur reſtituere damnum, quod incurrit ille, cui rem abſtulit ex illius ablatione?

Ad primum reſpondeo, quod ſic, & hoc patet primò per jus divinum Lucæ 19. *Si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum, ait illi Jeſus: quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* Ergo priuſquam haberet voluntatem reddendi defraudato, non erat ei ſalus. Secundò hoc patet per jus poſitivum, ſcilicet per jus canonicum, ſecundùm quod quilibet tenetur uſuras reſtituere, ſive Chriſtianus, ſive Iudæus, ſive Clericus, ſive Laicus, ut *extra e. c. 1. & 2. & c. poſt miſerabilem: & c. quanto.* Et quidem qualiter ad hoc cogatur Chriſtianus, dictum eſt articulo præcedenti. Præterea quicumque habet alienum, tenetur illud reſtituere, ſed illud, quod quis accipit pro mutuo ultra ſortem, eſt alienum non ſuum, non enim tranſit in dominium ejus. *Probatio.* Quicumque eſt alicujus rei dominus, eſt aliquo jure, non injuria dominus ejus, ſed rei acquiſitæ per uſuram uſurarius non eſt aliquo jure dominus, quia nec jure emptionis, nec liberalis donationis, nec locationis; certum eſt enim quod in locatione non tranſit dominium rei locatæ; nec jure permutationis, nec jure mutui, quia accipere pro mutuo non eſt jus, ſed injuria, & ſic de aliis; ergo uſurarius non eſt dominus rei, quam acquiſivit per uſuram; ergo tenetur eam reddere, ſive reſtituere. Prætereà uſurarius illud, quod accipit ultra ſortem, accipit contrà omnia jura, ut patet ex ſupradictis, ſcilicèt contra naturale, divinum, canonicum, & civile, ergo non acquirit illud per aliquem titulum juſtum, & per conſequens, nec aliquid acquirit, quia injuſtus titulus pro non titulo eſt habendus: *ff. de peti. hære. nec ullam.* Et malæ fidei poſſeſſor dicitur, qui contra legum interdicta mercatur: *C. de agri. quemadmodum*: Ergo &c. undè uſuræ omni jure ſunt prohibitæ, & indebitæ, & in nullo caſu conceſſæ, nec etiam pro captivorum redemptione: *extra e. ſuper eo.* ideo repeti poſſunt ſolutæ, ut habitum eſt ſupra. Præterea eſtò quod uſura tranſeat in dominium uſurarii, nihilominus eam reſtituere tenetur, ſicut mutuum tranſit in dominium recipientis, & tamen tenetur tantumdem reſtituere creditor; & quia uſurarii ſic, ut plurimum contrahunt uſuram, quod vix convinci poſſunt; ideò cùm agetur de uſuris, codices rationum ſuarum exhibere cenſura Eccleſiaſtica ſunt cogendi *li. 7. ne uſu. ex gravi.* Et procedi poteſt in cauſis de uſuris de cætero ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, *li. 7. de judi. diſpendioſam.* Item nota, quod quicumque communitatum officiales favore uſurariorum aliquid ſtatuendo, vel judicando, quod eiſdem uſurariis uſuræ ſolvantur, vel quod ſolutæ non repetantur, vel reſtituantur, fecerint, ipſo facto ſunt excommunicati, ut *in d. c. ex gravi.* de quo pleniùs tangetur infra *li. 7. ti. 2. caſu* 82. 83. & 84.

Sed quare etiam jus civile non cogit ad reſtitutionem uſurarum?

Reſpondeo: quia aliter judicat alienum lex

lex divina, & aliter humana; Lex enim divina judicat alienum, quicquid poſſidetur contra legem Dei, qui eſt verus Dominus omnium; ſic autem poſſidet uſuram uſurarius: lex autem humana judicat alienum, quod poſſidetur præter voluntatem ejus, qui eſt verus dominus ipſius; undè quia in uſura eſt voluntarium mixtum, quod non eſt in furto, & rapina, ideò magis judicat alienum in his, quàm in uſura, & magis cogit in his ad reſtitutionem, quàm in uſura; & etiam quia per illa læditur magis bonum commune, quàm per uſuram; lex autem divina judicat in utroque eſſe alienum, ſcilicèt tam illud, quod eſt contra legem Dei, ut in uſura, quàm illud, quod eſt contra legem Dei, & voluntatem proximi, ut in furto & rapina; & ideò judicat reſtitutionem fieri in utroque. Hæc Alexan. Lomb.

Sed numquid uſurarius reſtituere tenetur rem eamdem in numero, quam accepit pro uſura, ſicut tenetur fur, & raptor?

Reſpondeo quod non; hujus ratio prima eſt, quia quod accipitur pro uſura, non eſt omninò involuntarium. Secunda ratio eſt, quia uſura fit in contractu mutui, in quo non requiritur, quod ille, qui accipit mutuò, reddat mutuanti idem numero, ſed ſufficit, quod reddat æquale in pretio; & idem dicendum videtur de eo, quod accipitur ultra ſortem ratione mutui, ſcilicèt quod ſufficit, quod reddatur æquale in pretio; hæc Alex. Lomb.

Sed contra prædictam rationem ſecundam poſſet objici, quod non eſt ſimile de eo, quod accipitur mutuo, & de eo, quod accipitur pro uſura, quia res, quę accipitur mutuo, tranſit in dominium recipientis; res verò, quæ accipitur pro uſura, non tranſit, ut dictum eſt ſupra ſecundùm communiorem opinionem, ergo &c. Propter quod dici poteſt etiam ſecundùm eumdem, quod quantum eſt de lege divina, cogi debet ad reſtituendum rem eamdem numero, ſi res maneat apud eum, & ſit in ejus poteſtate, niſi per aſſenſum repetentis liberetur, aliàs tenetur reſtituere ęquivalentem, ſi res ſit conſumpta; vel in dominium alterius, qui ſit bonæ fidei poſſeſſor tranſlata.

Quid de Communitatibus, vel Collegiis dantibus pecuniam ad uſuram, numquid omnes, & ſinguli ſunt uſurarii, & tenentur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod ſic, ſecundùm Ray. omnes illi, ſcilicèt quorum auctoritate, vel conſenſu fit hoc *extra e. conqueſtus*, *& 7. q. 1. ſicut vir. & 24. q. 3. ſi habes.* Et ſecundùm Hoſti. omnes illi, quibus hæc in mente ſua placent, & ratum habent, & conſentiunt, & prohibere poſſunt, & non faciunt, *extra de Sen. ex. quantę.*

Numquid ſinguli de Collegio, vel civitate tenentur reſtituere in ſolidum, quod habuit Collegium ex uſuris?

Reſpondeo ſecundùm Rod. licèt illi, quorum auctoritate, & conſenſu talia fiunt, ſint uſurarii, ut dicit Ray. tamen non tenentur ad reſtitutionem, niſi quantum ad eos pervenit de uſura, vel quantum relevati ſunt ab expenſis, quas de ſuo feciſſent in ſuſtinendis oneribus communitatis, niſi fortè præſtiterint auctoritatem compellendo, aut præcipiendo communitati taliter fœnerari, quę aliter hæc facturą non eſſet, in quo caſu in ſolidum tenentur.

Quid de Regibus, & aliis Dominis, qui cogunt debitores dare uſuras?

Reſpondeo ſecundùm Rod. quod tenentur ad reſtitutionem, etiam ſi nihil ad eos pervenerit; ſecundùm verò Alex. Lombar. domini, qui uſurariis favent, vel eos in terris ſuis retinent, nihil reſtituere tenentur, ſi nihil ad eos pervenit de bonis eorum, licèt aliàs peccent.

Quid de illis dominis, qui multa recipiunt à Judæis, cùm ſciant eos nihil habere niſi uſuras, & quod bona eorum, quæ poſſident ad reſtitutionem non ſufficerent?

Reſpondeo ſecundùm Rod. quod tenentur ad reſtitutionem taliter perceptorum, ſi ex cauſa lucrativa perceperunt; poſſunt tamen ab eis accipere, quod ſibi debent, ſicut & alii creditores.

Quid de uxore, & familia non mercenaria uſurarii?

Reſpondeo, idem dicendùm eſt, quod de uxore raptoris dictum eſt ſupra, titulo de raptoribus; & poteſt hìc addi, quod uxori uſurarii, cujus dos eſt de uſura, & vir non habet niſi de uſura, ſuccurritur, ut vivere poſſit de his, quæ ſunt in domo viri, ſi ipſa laborat in domo, ſive nendo, ſive ſuendo, ſive etiam bona ne pereant cuſtodiendo, quia hoc in creditorum cedit utilitatem; ſi etiam vir habeat bona plura incerta, tunc auctoritate Epiſcopi, qui debet pauperibus providere, licitè poteſt de eis vivere. *ar. diſ. 72. § generaliter, & c. Epiſcopus.* Cavere tamen debet à ſuperfluis, aliter tenetur.

Sed numquid poteſt uxor reſtituere mala ablata viro ipſo vivente, & ignorante?

Reſpondeo quod non, cum non ſit domina rerum. Dixerunt tamen quidam, quod licèt uxor non ſit domina rerum, tamen data eſt viro in adjutorium, cujus ſalutem procurare tenetur; & ideò ſicut de bonis propriis viri poteſt facere eleemoſynas moderatas viro ignorante, & non prohibente, quia ſic agit cauſam ejus, ita eodem modo poteſt facere reſtitutionem; & ſi reſtituat viro ſciente, & non contradicente, tutius facit; ſi autem vir ſciat, & contradicat, & prohibeat, uxor tenetur non reſtituere, quia etiam aliàs non tenetur ad illud bonum ex neceſſitate; pro viro autem de furto non tenetur reſtituere, niſi quantum ad eam de bonis ejus pervenit, vel in quantum bonis ejus uſa fuerit; ſi verò nihil de talibus bonis pervenit ad eam, vel etiam in domo ejus de dote ſua, vel

vel etiam aliundè expenſas ſufficienter habuerit, in nullo tenetur, quia nihil indè habuit, quod non recompenſaverit mulier.

Quid de genero raptoris, vel uſurarii, numquid poteſt accipere dotem de bonis ejus, cum quicquid habet, non ſufficiat ad reddendum, quod talis habuit de uſura?

Reſpondeo ſecundùm Rod. licèt dos non proveniat ex cauſa lucrativa, ſed accipiatur propter onera matrimonii ſupportanda, ſi tamen talis veritatem ſciens, aut craſſa ignorantia ductus contraxit cum filia talis, non debet dotem recipere de rebus hujuſmodi de æquitate canonica, licèt de ſubtilitate juris civilis alitèr fortè poſſet dici; ſi autem fuit ductus ignorantia probabili, putà quia credebat ſocerum non eſſe uſurarium, vel aliàs ſolvendo eſſe, poteſt recipere dotem, licèt poſtea intelligat veritatem.

Quid de creditore; numquid recipere poteſt, quod ſibi debetur à tali uſurario, vel raptore, cujus ſcilicèt omnia bona, quæ habet, non ſufficerent ad reddendum ſua male ablata?

Reſpondeo ſecundùm Rod. hic non eſt opus diſtinctione præcedenti; ſed diſtinguendum eſt alitèr, ſcilicèt quod ſi creditor credidit talem pecuniam, ut ex ea commodum ſuum faceret, & ex ea lucrando fortè ſe liberaret, tunc poteſt recipere debitum ſuum de rebus talis. Nec eſt ſimile de genere quantum ad dotem, quia ſocer dando dotem genero pauperior efficitur, niſi quatenùs ab onere alendæ filiæ relevatur, ſed debitor non fit pauperior recipiendo rem, vel rei venditæ pretium. Si autem credidit mala fide pecuniam, putà ad aleas ludenti, vel meretrici daturo, vel hiſtrioni, vel alitèr bona ſua dilapidanti, non debet hujuſmodi pretium recipere de bonis prædictis, ſimilitèr nec ille, qui ex cauſa lucrativa agit; omnes autem alii, quibus ex contractu debetur, vel quaſi ex maleficio recipere poſſunt ex hujuſmodi rebus, quod ſibi debetur, dum tamen rem furtivam, vel raptam, vel uſurariam in ipſa ſpecie non recipiant; maximè ſecundùm illos, qui dicunt, quod in uſura dominium non transfertur; ſecundùm etiam eos, qui dicunt, quod transferatur dominium in uſura, credo, quod ipſa res uſuraria in ſpecie in ſolidum recipi non debet, quia debitor, qui dedit eam, contradicere poteſt, ſi extat, nec eo invito creditor aliam pro ea ſolvere poſſet. Hæc Rod.

Quid de ſervientibus uſurariorum?

Reſpondeo ſecundùm Rod. aut ſerviunt uſurariis in licitis, & honeſtis, & neceſſariis, & ſic poſſunt accipere mercedem de hujuſmodi rebus, quia utilitas, quam conſequuntur uſurarii ex operibus eorum, compenſatur cum mercede, quam dant eis; undè non poſſunt dici pauperiores propter mercedem datam, cum loco mercedis habeant commoda operum. Aut ſerviunt in illicitis, & inhoneſtis, & ſic non debent recipere mercedem de hujuſmodi. Idem dicendum eſt de cultoribus prædiorum, & mercenariis aliis uſurariorum.

Sed numquid illi ſervientes uſurariorum, qui ſerviunt eis in fænerandi officio, ſcilicèt pro eis pecuniam ad uſuram numerando, & uſuram accipiendo de eorum mandato, ad reſtitutionem tenentur, cum nihil ad eos pervenerit?

Reſpondeo ſecundùm Rod. quod non tenentur, præſertim cum idem uſurarii per ſe, vel per alios miniſtros exercerent hujuſmodi uſuras, licèt non per iſtos. Aliqui verò ut Monaldus diſtinguunt dicentes, quod ſerviens, aut mutuat pecuniam domini ſui ad uſuram de generali mandato domini dicentis ſibi, quod mutuet cuicumque voluerit pecuniam ad uſuram ſub nomine ipſius domini, & tunc ſerviens tenetur ad reſtitutionem, ſi dominus non reſtituat, quia eſt in hoc principalis, & in optione ejus eſt mutuare, & non mutuare. Aut hoc facit de ſpeciali mandato domini ſic mandantis ſibi: mutua de pecunia mea decem libras nomine meo; & tunc licèt peccet hoc faciendo, tamen non tenetur ad reſtitutionem.

Quid de illo, qui ſine mandato gerendo negotium alienum fæneratur ad opus ejus, cujus gerit negotium?

Reſpondeo ſecundùm Rod. quod tenetur ad reſtitutionem, quia fuit contractus uſurarii miniſter, & actor.

Quid de illo, qui cum vellem mutuare pecuniam alicui gratis, induxit me, quod non darem eam ſibi, niſi ſub uſura?

Reſpondet Rod: quod reſtituere tenetur, quia impedivit indebitè utilitatem proximi, procurando ne mutuum gratis ſibi daretur.

Quid de illo, qui conſuluit alicui, ut fæneretur? quid etiam de eo, qui dat amico, vel conſanguineo, vel commodat gratis pecuniam, ut ex ea fæneretur? quid etiam de eo, qui contrahit ſocietatem cum alio ad fenus exercendum? quid etiam de eo, qui mutuat uſurario pecuniam ad participationem lucri uſurarum?

Reſpondeo ſecundùm aliquos; tales, qui inducunt aliquos ad fænerandum tenentur in ſolidum, ſi aliter non erant fæneraturi; ſi autem aliàs erant fæneraturi, non tenentur, niſi quantum ad eos pervenit. Secundùm verò Rod. in neutro caſu tenentur, niſi quantum ad eos pervenit, & melior eſt conditio talium in hoc caſu, quàm in furto, & rapina, ubi qui præſtant auctoritatem, ad reſtitutionem tenentur, etiam ſi nihil ad eos pervenerit de maleficio; & hoc ideò, quia rapina, & furtum contra voluntatem domini fiunt, qui patitur damnum, ſed uſura de voluntate domini pervenit ad creditorem; nec inveni, quod jura dent actionem debitori contra hujuſmodi inductores ad repetendum uſuras ab eis, quas debitores ſolverant talitèr inductis per alios, cum ad inducentes nihil indè pervenerit.

Quid de eo, qui pecuniam deponit apud uſu-

Digitized by Google

uſurarium?

Reſpondeo. Si quis committeret pecuniam ſuam uſurario non habenti aliàs, undè uſuras exerceret, vel hac intentione, ut indè copioſiùs per uſuram lucraretur, ei materiam peccandi daret; undè & ipſe culpę particeps eſſet. Si verò uſurario aliàs habenti, undè uſuras exerceat, aliquis pecuniam ſuam committat, ut tutiùs ſervetur, non peccat, ſed utitur ad bonum homine malo, hæc *Tho.2.2. q.78 ar.4. c.3.*

Quid de eo, qui ſola ſpe ſine intentione principali uſuram commiſit; numquid tenetur reſtituere ea, quæ ultra ſortem accepit?

Reſpondeo, tali, ſecundùm *Goſ. & etiam Ric.4. di. 15. q.5. ar.5. c. parum ante medium, in hoc ejus ſequacem*, non eſt opus reſtitutione ad purgationem delicti, ſed ſola penitentia ſufficit ſibi, ſicut in ſimonia mentali *extrav. de ſimon. c.fin.* Sed contrarium ſentit Hoſti. & Ber. & Rod. quia contra Goff. expreſsè eſt illud *c. extrav. conſuluit*: undè ſecundùm eos talis uſurarius ad reſtituendum ea, quæ recepit, ultra ſortem, eſt efficaciter inducendus, & tenetur in foro pænitentiali, quia dictum per Dominum eſt *Lucę 6. mutuum date nihil indè ſperantes*: & tenetur ſecundùm Rod. reſtituere quicquid ultra ſortem perceperit, quacunque intentione ei debitor dederit, ſive propter dilationem extortam propter mutuum ei datum, vel propter aliud, ſive propter recipiendum ad prolixiorem terminum. Quando tamen debitor dat creditori propter ſolam dilationem, non poteſt repetere, nec per retentionem ſibi conſulere, ſi fortè habeat aliàs aliquid de bonis creditoris; de hoc ſupra *ar.5. circa principium.*

Quid ſi non ſit corrupta intentio creditoris, debitor tamen propter mutuum acceptum, vel ulterius retinendum; dat ei aliquid; numquid creditor tenetur reſtituere illud?

Reſpondeo ſecundùm Rod. non tenetur de conſumptis fide bona, nec etiam de extantibus quamdiu probabiliter credit, quòd ex ſola dilectione ei dederit; ſi autem credat, vel probabiliter dubitet, quod propter illam cauſam illi ſervierit, reſtituere tenetur; quando autem debitor non gratis dat, vel creditor non gratis mutuat, ſi aliàs habeat de bonis creditoris, & per retentionem ſibi conſulat de uſura, qua dedit, non eſt cogendus ad reſtituendum in foro pænitentiali.

Quid de illis, qui veniente ſolutionis termino nolunt dare dilationem debitori, qui juramento adſtrictus eſt ſolvere, niſi data eis pecunia, aut aliquo æquipollente, expreſsè tamen aliquid non petunt?

Reſpondeo, tenentur ad reſtitutionem *extrav. conſuluit*, ſecundùm *Ray.* Si tamen debitor creditorem volentem recipere pecuniam ſuam præveniat muneribus gratis, rogans eum ut det ſibi dilationem propter amicitiam, vel propter Deum, & gratis recipiat illa munera ratione præteriti temporis, non futuri, licèt poſtea det indigenti benevolè dilationem, quam aliàs non daret, ſi eum ingratum vidiſſet; *det* dico principaliter propter amicitiam, vel propter Deum, ſecundariò verò propter gratitudinem debitoris, & hæc faciat ratione præteriti temporis, non futuri, non eſt uſura; undè ille non tenetur ad reſtitutionem eorum, qui ſic accepit, quos dat; hæc de Monaldo.

Quid ſi quis vendat bladum alteri pro viginti ſolidis in meſſe, quod eſt tantùm quindecim ſolidis ſecundùm boni viri æſtimationem in præfixo termino valiturum, & poſtea cariſtia veniat, & dictus emptor illud bladum pro viginti quinque ſolidis vendat; numquid primus venditor aliquid emptori reſtituere tenetur? Et videtur quòd non, quia emptor in nullo eſt damnificatus; immò lucratus.

Sed contra, quia contractus ille fuit uſurarius, ergò tenetur aliquid reſtituere venditor primo emptori.

Reſpondeo, venditor ſcilicet ille ſecundùm Monaldum tenetur emptori primo reſtituere totum illud, quod ſupervendidit ultra ſecundùm æſtimationem boni viri; quia licèt emptor non ſit damnificatus, hìc propter eventum rei, qui non excuſat ab uſura, damnificatus tamen fuit, quia multò plus emit quàm in termino valebat ſecundùm æſtimationem boni viri.

Quid ſi quis det uſurario modium bladi pro uſura, qui modò valet decem ſolidos, & poſt annum idem modius valet viginti ſolidos, numquid uſurarius tenetur reſtituere modium bladi illi, qui dedit in valore, in quo modò eſt, vel quo fuit, quando dedit?

Reſpondeo. Scripſit Monaldus, quòd hoc erit in optione recipientis; quia cùm uſurarius uſque modò non reſtituit, & mora reſtituendi prejudicare debeat ſibi, reſtitutio ſecundùm optionem recipientis debet fieri, ut dictum eſt ſupra.

Sed quorum ſolutio priùs debet fieri, ſcilicet malè ablatorum, vel debitorum, vel legatorum?

Reſpondeo ſecundùm Alex. Lomb. ratio videtur oſtendere, quòd priùs ſunt reſtituenda malè ablata, quàm ſolvenda debita; quia reſtitutio malè ablatorum tollit injuriam factam Deo, & proximo, & maximè in furto, & rapina; in ſolutione autem debitorum non tollitur injuria, ſed ſalvatur juſtitia, & ideò videtur hoc priùs faciendum; & ſi fiat contrarium, ut in pluribus, hoc fieri videtur, quia debita ſunt clara & manifeſta; reſtitutiones autem non ſic, ſed ſunt inquirendæ; cęteris autem paribus clarum præcedit incertum; priùs autem ſunt reſtituenda malè ablata, quàm ſolvenda legata; quia donatio legatorum eſt ex devotione legantis, & ideò eſt ſupererogationis, ſed reſtitutio ablatorum eſt neceſſitatis juſtitiæ; priùs autem oportet ſolvere illud, quod eſt neceſſitatis, quàm quod eſt ſupererogationis; undè ſecun-

dùm Jo. Ang. *li. 6 de uſuris.* quamquam priùs deduci debent uſuræ, & malè ablata tanquam æs alienum, quàm ſolvantur legata, & alia quæ ſunt titulo lucrativo relicta, intelligitur enim hæreditas, deducto ære alieno. *C. de legat ſi univerſa.* De hac materia vide infra de teſta. Ad quid hæres tenetur *q.* Sed quibus ſatisfaciet primo.

Utrum uſurarius teneatur reſtituere tantùm uſurariam pecuniam, ſed etiam quicquid lucratus eſt cum illa, & fructus perceptos ex re empta de pecunia uſuraria?

Reſpondeo ſicut ſupra dictum eſt; rerum quædam ſunt, quarum uſus eſt earum conſumptio, quæ non habent uſumfructum principaliter ſecundùm jura; & ideò ſi tales res ſint per uſuram extortæ ut denarii, triticum, vinum, & hujuſmodi, non tenetur homo ad reſtituendum, niſi illud quod accepit; quia illud, quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus hujus rei, ſed humanæ induſtriæ, & laboris, cujus ipſe, non homo eſt dominus, niſi fortè per receptionem, vel detentionem talis rei debitor ſit damnificatus, amittendo aliquid de bonis ſuis, tunc enim tenetur ad recompenſationem nocumenti, ut ſi domum ſuam, vel aliquid hujuſmodi oportuit eum pro pretio viliori diſtrahere, quàm valeret, ut uſuras ſolveret. Quædam verò res ſunt, quarum uſus non eſt earum conſumptio, ſeu diſtractio, & hæ habent uſumfructum, ut domus, ager, & ſimilia; & ideò ſi quis alterius domum, vel agrum extorſiſſet, non tantùm tenetur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus indè perceptos, deductis priùs laboribus & expenſis, quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt dominus, & ideò debentur ei, hæc Tho. 2. 2. *q.* 78. *ar.* 3. *c.* Rich. 4. *di.* 15. *q.* 5. *ar.* 6. *c.* & *Rod.* cum quibus etiam Hoſti. concordare videtur dicens, quòd uſurarius tenetur ad reſtituendum uſuras, & intereſſe debitoris, in quo quidem damnum & lucrum ſuum eſt computandum, ſicut ſatis expreſſè legitur *ff. de eo quod certo loco l.* 2. §. *penul.* & §. *fi.* & *etiam l. ſeq.* undè non placet ei interpretatio, quam Ray. pro uſurario facit, conſulens, quòd uſurarius, poſtquam ſatisfecerit de uſuris, petat à debitore veniam ad cautelam, quia fortè teneretur ei ampliùs aliquid reſtituere pro intereſſe, & damno. Non vult etiam Hoſtien. quod debitor ultra ſuum intereſſe poſſit lucrum petere; quia hoc eſſet ſuum repetere cum uſuris. Idem etiam dicendum eſt ſecundùm Rod. de lucro habito de re furtiva, vel rapta per negociationem, vel comparationem redditus, vel prædii factam de re hujuſmodi furtiva, vel rapta.

Utrum aliquis teneatur reſtituere damnum, quod incurrit ille, cui rem abſtulit ex illius ablatione.

Reſpondeo dupliciter quis damnificatur, uno modo, quia ſibi aufertur illud, quod habet actu, ut quia aliquis diruputi domum ejus & tunc debet ſibi reſtitui quantum valet domus, alio modo, quia auffertur ſibi non illud, quod habet, ſed quia impeditur, ne habeat id, ad quod habendum in via erat; & tunc non debet æquale ſibi reſtituere, quia ſcilicet minus eſt habere in potentia, & eſſe in via ad habendum, quàm habere in actu; undè ſi quis effodiat agrum alicujus ſeminatum, non tenetur reſtituere totum valorem meſſis futuræ.

Alii dicunt ſic, ſcilicet quòd in reſtituendo duo debent attendi, ſcilicet valor rei ablatæ, & illa eadem eſt reſtituenda, vel æquivalens, & damnum ſecutum ex ablatione illius rei; hoc autem damnum aut eſt conſecutum indè primò, & per ſe, & hoc directè; aut per accidens; primo modo damnificans tenetur reſtituere damnum illud, verbi gratia: alicui eſt ablata pecunia, ex qua volebat neceſſaria emere, vel etiam empta, vel debita ſolvere, & ideò oportuit eum poſſeſſiones utiles ſibi vendere, vel pecuniam mutuò ad uſuram accipere, tunc tenetur damnum ſic ſecutum reſtituere; ſi verò illud ſit ſubſecutum indirectè, & per accidens, puta quia damnificatus non eſt conſecutus lucrum, quod ex pecunia ſibi ablata conſequi ſperabat, tale damnum damnificans reſtituere non tenetur, quia pecunia de ſui natura non multiplicatur; ſecùs autem ſecundùm iſtos in his, quæ ex natura ſua multiplicari poſſunt, ut in animalibus, & ideò ſpoliator talium tenetur reſtituere tantùm quantùm erat valitura tempore reſtitutionis; de hoc tamen eſt dubium, ſcilicet utrum teneatur ad tantum, tum quia talis valor eſt in potentia, tum quia animalia poſſent interim mori.

Quid ſi is, qui uſuras extorſit, ad inopiam devenerit?

Reſpondeo licèt uſurarius intelligatur ſemper in mora eſſe, ut *C. de furtis. ancillæ ſubtractæ*, tamen ſi paupertas eum excuſet, vel bonis cedat eſt excuſatus, & eſt abſolvendus; tenetur tamen ſatisfacere ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit, id eſt, habita ratione ne egeat. *ff. de reg. jur. in condemnatione* §. 1. ſuper quo exponet idoneam cautionem, ut *extrav. cum tu.* §. *penul.* & *de ſolu. Odoardus.* & poteſt quilibet cedere ante litem conteſtatam in præſentia, vel etiam in abſentia per nuncium, vel per epiſtolam, ut *ff. de ceſſ. bonor. l. penult.* & *ulti.* & hoc eſt verum in judicio contentioſo.

Sed numquid ita eſt in foro pœnitentiali?

Reſpondeo ſecundùm Gof. quod non, immò dicetur ei, quòd totum reſtituat ablatum *extrav. cum tu*, & 14. *q.* 6. *ſi res.* dico *ablatum* ſive per rapinam, ſive per furtum, ſive uſuram 14. *q.* 5. *ſi quid inveniſti*; hoc videtur etiam velle *Ber. in c. cum tu in Gloſ. ſuper illud facultatibus.* Sed in contrarium opponens Hoſti, dicit, quòd non amittit privilegium ex cauſa juſta ſibi datum; nam ſi tempore famis licèt alienum ſine peccato accipere, multò fortiùs retinere, hæc Hoſti. Alii autem volunt,

ſunt, quòd ſi talis contritus non potens eſt ſatisfacere, petere tenetur dilationem, vel remiſſionem ſibi fieri cauſa eleemoſynæ ab illis, quibus tenetur reſtituere, & ſic erit in ſtatu ſalutis, aliàs non. 14. q. 6. *ſi res.* Sed hoc videtur nimis durum; undè credo, quòd ad ſalutem ei ſufficiat, quòd ſi ad pinguiorem fortunam venerit, reſtituere firmiter in corde proponat.

Sed numquid Clerici uſuras, quas habent, vel habuerunt de rebus Eccleſiæ reſtituere poſſunt?

Reſpondeo ſecundùm Ray. quòd non, quia tales res ſunt pauperum, niſi quatenus ex pecunia uſuraria, vel qualiter alia ſua expendiſſent in utilitatem Eccleſiæ, ſed potiùs reſtituere debent de rebus ſuis patrimonialibus, quàm de Eccleſia acquiſitis fideliter juxta ſuum poſſe. Rod. verò credit, quòd ſi hoc non poſſint de bonis ſuis facere, de fruct b..s Eccleſiæ, quos perceperunt, legitimè poſſunt ſe liberare.

Cui eſt uſura reſtituenda?

Reſpondeo, ſi ſciatur à quo extorta eſt, reſtituenda eſt ei, ſi ſit præſens, *extrav. cum tu.* §. *ſuper his.* Si verò ſit abſens ejus hæredi, vel procuratori, ſi ſit; ſi verò nec ipſe, nec hæres ejus, vel procurator ſit præſens, & uſurarius novit ubi ille habitat, debet ei mittere aliquo modo, ſi poteſt fieri fideliter, & ſecurè hoc enim ſemper faciendum eſt, quandò commodè fieri poteſt, & ſecundùm quoſdam, ut Ber. mitti debet ſumptibus ipſius debitoris abſentis *ar. ff. de opere. li. l. opere enim.* Si tamen expenſæ itineris excedunt ſummam illius uſuræ, tunc debet pauperibus erogari, ut 2. *q.6. anteriorum,* & *extrav. de Judæis cum ſit.* & *extrav. cum tu. in Gloſ.* Hoſt. verò diſtinguit, quòd ſi uſurarius, qui eſt malæ fidei poſſeſſor alibi ſe tranſtulit, quàm ubi uſuras exercuit, tunc propriis ſumptibus mittere tenetur, ſi verò is, a quo uſuras extorſit, vel hęres ejus alibi ſe tranſtulit, tunc locum habet, quod illi alii dicunt, & probatur hoc *ff. de rei ven. ſi res.* & *l. ſi verò* & *l. ſe,* & *in omnibus.* Secundùm quod Rod. dicit penſandę ſunt circumſtantiæ, & quantitas rei debitę, remotio loci, expenſæ quæ fierent in mittendo, & paupertas, vel divitiæ ejus, cui reſtitutio debet fieri, quia tam parva poſſet eſſe ſumma rei reſtituendæ, & tantæ expenſæ, quæ fierent in mittendo, & tam dives, cui debet reſtitui, quòd nullo modo deberet velle pro re tam modica proximum tantum gravari; undè non oportet, quòd tunc mittat, & in talibus recurrendum eſt ad arbitrium boni viri, hæc Rod. Cæterùm, ſi de ejus adventu proximo ſperetur, tunc pecunia deponetur, & conſignabitur *C. de uſur. acceptam* ſecundùm *Goſ.* Item ſi res eſſet magni valoris, & non poſſet illi commodè mitti, cujus eſt, deberet in aliquo tuto loco deponi, & ei ſignificari ſecundùm Tho. 2. 2. *q. 62. ar. 5. c.3.* Si verò uſurarius neſciret, nec ſperaret, quòd de facili ſcire poſſet, ubi ille habitaret; non enim tenetur vagari, ut quærat, & inveniat eum, *ar. ff. de operis li.6. l. quod niſi fiat* §. 2. & *extrav. eo. cum tu in Gloſ.* vel ſi ſciret, ei tamen commodè mittere non poſſet, debet eam pauperibus erogare 2. *q. 6. anteriorum.* & melius *extrav. cum tu.* ſecundum *Ray. & Ber. ibidem.* Et idem intelligendum eſt, ſi ſcire non poſſit, à quo eam receperit; & quod dictum eſt de eo, à quo extortæ ſunt uſuræ, idem intelligendum eſt per omnia, ſi ille non ſit ſuperſtes de ejus hærede fieri debere.

Sed numquid priùs debet fieri reſtitutio uni, quàm alii?

Reſpondeo quòd ſic, in caſu, ut quando reſtitutio unius eſt clara, & determinata, alterius autem non ſic; tunc enim videtur, quòd cæteris paribus priùs ſit faciendum iſti, quàm illi; cęteris etiam paribus videtur priùs reſtituendum pauperi, quàm diviti. Si autem uterque ſit æquè pauper vel dives, videtur quòd reſtitutio ſit prius illi facienda cui priùs facta eſt injuria. Hæc Alex. Lomb.

Quid ſi non ſufficiat hæreditas ad ſatisfaciendum omnibus, numquid ſatisfaciet primò venientibus?

Reſpondeo, dixit *Guil. lib. 6. c. quamquam* quòd non; immò ſatisfiet eis, & aliis pro rata, *ar. extrav. de teſtam relatum in fine.* & *ff. de pac. ſi plures.* Io. autem Ang. dicit, quòd ſatis videtur in hoc caſu tempus conſiderandum, ut qui primò ſolvit, quod ſuum eſt integrè recipiat, & ſic de ſingulis *li. 6. de re jur. qui prior.* Sed primum dictum magis placet mihi, & de hoc infra *ti. 36. q.* ſed quibus.

Cujus auctoritate malè ablata incerta ſunt pauperibus eroganda?

Reſpondeo. *Ric. 4. di. 15. q. 5. ar. 4. c. 2.* dicit, quòd auctoritate ordinarii, qui eſt pater pauperum, ubi conſuetum eſt talia fieri per ordinarium; ubi autem non eſt conſuetum poteſt facere per ſe ipſum; non enim interdicitur per jus ſcriptum ei, qui tenetur reſtituere, in dicto caſu erogare pauperibus per ſe ipſum, ſi faciat hoc fideliter, & de conſilio bonorum virorum; ſecundùm verò Ray *in ſumm. ejus 2. li. tit. de rap. juxta fi.* §. *forma reſtitutionis.* reſtituenda ſunt malè ablata incerta ad conſilium Epiſcopi, vel Pænitentiarii diſcreti; ſecundùm verò Hoſtien. *in ſumm. ejus. ti. de pænitentia* §. *ult. ad fi. ſub* §. *ſed qua forma. v. item.* & *ubi.* reſtituenda ſunt ad conſilium Epiſcopi, & eſt pro eo. 12. *q.* 1. *præcipimus.* Dominus verò Guido de Baſio Archydiaconus Bonon. Auditor contradictarum in curia Papæ, qui fecit apparatum ſuper decretum, & ſextum decretalium, interrogatus ſuper hoc, ſic ſcriptis reſpondit, ſcilicet quòd ſumma Hoſt. eſt vera, ubi nullus eſt deputatus à teſtatore, qui hoc exequatur 12. *q.* 2. *de laicis. in fi.* ubi verò certa perſona eſt deputata illa debet exequi, ut ibidem 12. *q.* 1. *c. Epiſc. Eccleſiaſticarum.* & *C. de Epiſc.* & *cle. l. nulli licere.* & *extrav. de teſtam. tua nobis.* & *c. Joannes.* & *in aut. de Eccle. ti.* §. *ſi quis.* immò etiam

etiam ipſe, qui habet bona incerta, quæ debent pauperibus dari, poteſt ea pauperibus erogare ſine auctoritate, aut licentia Epiſcopi, vel alterius Iudicis Eccleſiaſtici, ut colligitur *extra de uſur. cum tu. §. 1. ver. vel his. in tex. & gloſ.* hoc etiam innuit clarè *extra de homi. ſicut dignum. §. eos. ſuper illud aliena.*

Nec obſtat illud *extra de Judæis. cum ſit.* quia loquitur de Iudæo, cujus diſpenſatio meritò habetur ſuſpecta quoad pauperes Chriſtianos ab Eccleſia, & ideò bene ibi dicitur: ſecundùm providentiam Diœceſani Epiſcopi, quæ ſuſpicio ceſſat in Chriſtiano fideli, hæc Archidi, & ſic Epiſcopus ſecundùm eum non habet ſe intromittere de talibus in defectu. Scotus vero ad quæſtionem iſtam reſpondens 4. *di.* 15. *q.* 2. *ar.* 4. dicit, quod ubi lex divina, vel eccleſiaſtica non determinat perſonam, ſequenda eſt ratio naturalis, hæc autem dictat magis, quòd ille, qui tenetur, reſtituat pauperibus per ſe, quàm per alium, non tamen excludendo alterius boni viri conſilium, quia tali committere poſſet, qui non bene fideliter diſpenſaret. Dicit autem Guil. Duran. *in ſpec.* quod in hoc caſu proponi debet publicè dictum in locis, à quorum incolis uſuræ ſunt extortę, quod omnes à quibus ſunt extortæ veniant, & ſi qui appareant, quibus fides ſit adhibenda, potius illis reſtituetur, quàm pauperibus erogetur. ad hoc *ar. extra de homi. ſicut dignum. §. eos.* & convenit cum eo Ioan. Ang.

Sed pone, quòd Chriſtianus recepit uſuras à Iudæo, cui reſtituet?

Reſpondeo liberabitur eidem reſtituendo; convenientiùs tamen eſt ſecundùm Ray. & Hoſti. quòd ipſe non nomine illius Iudæi, cum auctoritate Eccleſiæ illis Chriſtianis ſatisfaciat, à quibus illi Iudæus uſuras exegerat, vel quibus aliàs obligatus erat, & ſic liberatus erit *ff. de neg. geſt. ſolvendo. & l. cum pecuniam.* vel apud ędem ſacram, vel alium locum tutum cum auctoritate Eccleſiæ nomine illius Iudęi pecuniam deponat, ut cùm Iudæus ille reſtituerit, ei reſtituatur, & idem intelligendum eſt ſecundùm Ray. quando debet fieri reſtitutio uſurarum receptarum à Chriſtiano uſurario.

Quod autem dictum eſt ſupra, quòd convenientiùs eſt quòd ipſe nomine illius &c. Secundùm Rod, eſt verum quando factum eſt occultum, & non timetur ſcandalum, nec periculum taliter ſolventis, aliàs ſufficit, quòd reſtituantur illi, à quo ſunt acceptæ.

Quando debet fieri reſtitutio?

Reſpondeo quòd ſtatim, non enim remittitur peccatum niſi ablatum reſtituatur, ut dicit *Aug. lib. de verbis Domini.* Tenetur autem hoc facere quantum in ſe eſt, ut ei remittatur peccatum *extra de ſymo Mathæus ibi celeriter. & c. cum in Eccleſia.* dicitur, quod tantò ſunt graviora crimina, quantò diutiùs detinent infelicem animam alligatam. In caſu tamen, ille, qui reſtituere debet, non eſt in mora; nec imputatur ſibi, ſi non reſtituit ſtatim, & primò ſi reſtitutio ſit contra bonum proximi, propter quod non tenetur quis reddere gladium furioſo. Secundò ſi fiat hoc de libera voluntate ejus, cui reſtitui debet. Tertiò quando expectatur opportunitas reſtituendi cum majori pace, & honeſtate, ut ſi ille, cui reſtitui debet debitum ignoret, & non ſine ſcandalo, vel inhoneſtate aliqua ſtatim ſibi reſtitui poſſet. Quartò ſi facultas non adſit *ar.* 14. *q.* 6. *ſi res aliena ibi: ſi reddi poſſit.* & *extra de uſuris. cum tu. ibi in facultatibus.*

Eſto quòd ille, qui debet reſtituere non poſſit reſtituere ſine grandi diſpendio ſuorum bonorum, putà quia fortè non invenit, qui bona ejus pro competenti pretio emere velit, quid faciet?

Reſpondeo. Dici poteſt quòd talis ab eo cui reſtituere debet, differendi reſtitutionem licentiam petat, & obtineat, aut ei de damno quod incurrere poteſt ex dilatione ſatisfaciat, aut tantùm det de rebus ſuis eidem, quantùm res vel pecunia reſtituenda valet.

Quid ſi is qui debet rdſtituere ſit indigens multùm, & quaſi in extrema neceſſitate?

Ad hoc reſpondet Alex. Lomb. quod ille cui talis reſtitutio fieri debet, aut æquè indiget ſicut ipſe, aut non multùm indiget. In primo caſu videtur quod debeat ſtatim reſtituere, quia nullus facere debet profectum ſuum cum alieno cum damno ejus. cujus eſt, ipſo invito. In ſecundo caſu aut ille qui reſtituere debet, eſt in tanta indigentia, quòd ſi ſciret eam, is cui reſtituere debet ſecundùm dictamen rectæ rationis & charitatis teneretur ſibi ſubvenire vel remittere in toto vel in parte, vel dilationem dare; aut non eſt in tanta indigentia, quin ſcilicet reſtituere poſſit in toto, vel in parte. In primo caſu poteſt differri de conſilio Iudicis Eccleſiaſtici, dummodò reſtituere ſit paratus, ſi ad fortunam venerit pinguiorem. In ſecundo caſu ſtatim reſtituere debet.

Sed numquid ſufficit uſurario in mortis periculo conſtituto condere teſtamentum in quo ordinet ſuorum malè ablatorum reſtitutionem?

Reſpondeo quod non, quia teſtamentum eſt de his, quæ quis vult fieri poſt mortem ejus, quando jam non eſt locus pœnitentiæ, & ideò oportet quòd in vita velit reſtituere, aliàs non remittitur ſibi peccatum. Si ergo habet pecuniam, eam exponat reſtitutioni, priuſquam moriatur, undè ſi ſit uſurarius manifeſtus, debet ſepultura Eccleſiaſtica denegari, donec ſecundùm quod ejus patiuntur facultates plenariè fuerit ſatisfactum, vel quibus reſtitui debet ſi pręſto ſint, aut aliis qui eis acquirere poſſit, vel eis abſentibus loci ordinario, aut vicem ejus gerenti. ſive Rectori Parochiæ, in qua teſtator inhabitat *lib. 6. de uſurit. quamquam.* ut habitum eſt ſupra in articulo pręcedenti, & fiat ſecundùm quod dicitur ibi.

Quid

Quid ſi fœnerator partem pecuniæ fœnebris ei à quo ipſe habuit, vel hæredi ejus reſtituat, & de ejus voluntate partem retineat?

Reſpondeo. Dicunt quidam indiſtinctè eum non eſſe liberatum niſi offerat totum; ſecundùm verò Gof. & Hoſti. ſi hoc ex pacto ſiat, liberatus non eſt *ar. extra de Symo. veniens*. Si verò partem liberaliter, & ſine pacto offerat, & ſolvat, & de reſiduo miſericordiam petat, & debitor liberaliter remittat, liberatus eſt, nec ultra reſtituere tenetur; tamen ſecundùm Hoſti. Iudex ex certis conjecturis animi ſui modum formabit; ſi enim debitor ſit pauper, & uſurarius ſit potens & dives, non eſt præſumendum quod debitor ex corde remittat; ſed hoc facit, ut ſtatim illud modicum habeat, & non totum perdat. Si autem ſit dives, & potens qui ſolet etiam nimis tantum de ſuo tradere, præſumi poteſt quòd hoc faciat ex corde.

Ad hæc nota ſecundùm aliquos quod ſi reſtituens vult reſtituere ad ſalutem, duo debet oſtendere ei cui tenetur, ſcilicet velle; & poſſe, & ad minus velle ſi non habet poſſe, & ita ſive totum, ſive partem, ſive nihil recipiat creditor ſolutus eſt debitor, quia aliquis eſt qui habet poſſe, & non velle, qui dicit creditori ſi volueris concordare mecum, ego concordabo tecum, hoc eſt dictum tibi ſatisfaciam ſi volueris ad voluntatem meam non ad tuam, quia ſi crederet quod totum vellet accipere nihil daret, & creditor potiùs vult aliquid habere quam nihil; talis enim ſatisfactio non eſt ſalutifera, quia non ſatisfacit alteri, ſed ſibi. Item alius oſtendit velle & non poſſe dicens: libenter tibi ſolverem omnia, ſed non habeo undè: nec iſta eſt ſalutifera ſi poteſt, quia creditor audiens impotentiam velit nolit, oportet quòd ſcilicet abſolvat eum, quia ait lex; *inanis eſt actio quam inopia debitoris excludit*. Hæc de Monaldo. Item pone quòd quidam uſurarius offerat liberè totam pecuniam creditori oſtendens plenariam voluntatem, cum tamen non habeat, ſi crederet quod aliquid acciperet, non offerret ei: creditor autem nihil pænitus vult accipere, ſed dimittit totum, numquid talis ſatisfecit?

Reſpondeo quòd iſte plenariè ſatisfecit proximo, ſed non Deo; undè conſulendum eſt non contritis, ut ad minus liberam ſatisfactionem prius Deo faciant. Secundùm Hoſti. verò intelligitur eſſe ſatisfactum creditori, ex quo remiſit ſibi ex corde qualitercumque ſatisfactum fuerit ſibi, dummodò ſit talis, quòd remittere poſſit, quæ remiſſio ex quo eſt facta non revocatur pænitentia.

Item ſunt aliqui uſurarii, qui nituntur decipere Deum, qui numerata uſura & accepta, tunc exponunt eam danti, credentes quod non accipiat, quia ſi crederent quod retineret non præſentarent; at ille verecundia, vel timore ductus nihil vel parum recipit, reſiduum donans eis, & tales ſatisfacere ſe dicunt, quod non eſt verum; idem eſt de eis qui concordant recipiendo uſuras; oportet ergo quod poſtmodum de novo ſatisfaciant, oſtendendo liberam voluntatem, hæc de Monaldo.

Item nota quòd quinque ſunt modi ſatisfaciendi ſecundùm aliquos. Primus eſt cum pecunia liberè offertur ſine malitia & fictione, & hic eſt perfectus. Secundus cum non habens pecuniam offert pignora ſufficientia. Tertius eſt cum nec pecuniam habens, nec pignora ſufficientia facit tamen inſtrumentum, ut poſtea tam ipſe, quàm hæres poſſit ad ſolutionem compelli quando venerit ad pinguiorem fortunam. Quartus eſt cum mediante Sacerdote, vel aliqua religioſa perſona ſit libera & voluntaria concordia, iſta tamen media perſona ſemper debet oſtendere creditori velle & poſſe liberum debitoris, ita quòd nulla ſit coactio creditoris directa, vel indirecta. Quintus eſt cum de conſenſu, & mera ac libera voluntate creditoris ponit aliquam poſſeſſionem in manu alicujus honeſti viri, ex cujus fructibus proceſſu temporis omnia debita perſolvantur; poſtea poſſeſſio reddeat ad hæredes, vel ita remaneat in perpetuum, ſi debitor voluerit pro incertis. Et ſciendum quod ſecundum quoſdam, licèt hoc ſiat de licentia Epiſcopi, vel Sacerdotis diſcreti; ſi tamen ſiat abſque libera voluntate, & conſenſu creditoris non ſufficit ad ſalutem, quando ſciuntur certæ perſonæ, quibus reſtitutio fuerit facienda.

ARTICULUS VIII.

De forma inſtrumenti obligationis uſurarii, vel raptoris ad reſtituendum aliena.

Circa quod ſciendum, quòd tale inſtrumentum debet fieri manu publica, ſcilicet tabellionis. Cui autem debeat fieri, ſupra habitum eſt in hoc titulo, *ar. 6. §. inſuper quia ſtatutum*. Dicetur autem ſic; Dominus Petrus volens ſaluti ſuæ animæ conſulere per reſtitutionem plenam omnium quæ indebitè, & injuſtè acquiſivit, habet, & habuit, promiſit Domino N. Presbytero talis Eccleſiæ in cujus Parrochia habitat, promiſſionem recipienti, & ſtipulanti nomine, & vice omnium quorum intereſt reſtituere omnia & ſingula quæ ad eum vel patrem ſuum, vel avum, vel alium ejus nomine pervenerunt ex cauſa uſurarum, vel alia quacumque cauſa injuſta, vel indebita acquiſitione, vel exactione omnibus, & ſingulis perſonis, Univerſitatibus, & Collegiis, a quibus ipſum, & patrem ejus, vel avum, vel alium ejus nomine hoc, vel aliquid eorum apparuerit habuiſſe, vel percepiſſe, ſive hoc apparuerit libris, vel ſcriptis rationum ſuarum, vel inſtrumentis, ſive alia legitima fide vel probabili ratione, & etiam quibus reſtituendum videbitur dicto Domino N. vel fratri tali Confeſſori ſuo, de pura & ſimplici conſcientia eorum. Confitetur namque, & recolit nonnulla indebitè habuiſſe, quæ non poſſent legitima ratione probari. Item ſcit ſe

ſe feciſſe mutuando cum aliquibus perſonis quoſdam contractus uſurarios quadam palliatione velatos, de quibus confecta ſunt inſtrumenta, in quibus uſura non poſſit facilè deprehendi. Item promiſit reſtituere tali decem libras. Item tali communitati centum libras, quas quantitates habuit à prædictis per uſurariam pravitatem, vel aliam injuſtam exactionem. Item promiſit dare prædicto Domino N. vel Fratri N. Confeſſori ſuo viginti quinque libras ſolvendas per eum, & convertendas in his, & circa ea, quæ ſibi ſecretè commiſit. Item cum ſciat ſe quædam illicitè percepiſſe, & habuiſſe, quæ ſcilicet à quibus habuit apud ſe eſt incertum, pro animabus omnium eorum, à quibus habuit ipſa, dare promiſit centum libras prædicto Domino N. diſtribuendas ab eodem de conſilio, & voluntate præfati N. Confeſſoris ſui, vel ſi ipſe non poſſit intereſſe, ad conſilium & voluntatem Guardiani Aſtenſis modo quo magis animæ ſuæ viderit expedire. Item promiſit ſupradicto Domino N. nomine, & jure quo ſupra reſtituere omnibus, & ſingulis perſonis, Collegiis, & Univerſitatibus omnia pignora, mobilia, & immobilia quæ habet, & quę ſunt ſibi obligata, pro uſuris, & aliis injuſtis, & indebitis cauſis incontinenti pro ſola ſorte. Omnes quoque uſuras ab eo recipiendas, juramenta fidejuſſiones, & obligationes proindè ſibi factas relaxat, remittit, & abſolvit. Inſtrumenta irritat, & caſſat, ita quòd per ea niſi ad ſolam ſortem, & juſtam ſolutionem non poſſit aliquis conveniri, vel in aliquo moleſtari. Item promiſit dare, & tradere incontinenti in manus & poteſtatem prædicti Domini N. omnia inſtrumenta ad prædictas cauſas pertinentia, quæ habet apud ſe, & apud notarios vel aliàs poterunt inveniri.

Pro prædictis autem omnibus, & ſingulis faciendis, & plenariè exequendis obligavit ſupradicto Domino N. jure, & nomine ſupradicto talem domum ſpecialiter, & generaliter omnia bona ſua habita, & habenda, mobilia, & immobilia, dans & tribuens ei plenam ac omnimodam poteſtatem, & mandatum, ut abſque ejus contradictione, vel hęredum ſuorum propria auctoritate accipiat, & accipere poſſit prędictam domum, & alia bona ejus quę voluerit, & ea quæ ex eis voluerit poſſit diſtrahere, vendere, & obligare, convenire de pretio, illud recipere, poſſeſſionem tradere, de evictione cavere, & ob illud certa bona obligare, & omnem in eis, & ſuper eis contractum facere quemadmodum ipſe facere potuiſſet.

Item dans, & tribuens ei plenam, & omnimodam poteſtatem, & mandatum agendi & exercendi actiones ſuas petendi, exigendi, & retinendi, tranſigendi quoque ac paciſcendi, conveniendi, & compromittendi, refutandi, quitationem faciendi, & in animam ejuſdem de calumnia, & veritate dicenda jurandi, & quodlibet licitum juramentum præſtandi cum perſonis illis, & contra eas, quæ bona ſua mobilia, & immobilia detinent, vel poſſident, & contra debitores ſuos omnes, vel ſpecialiter contra tales, & contra illos, quos ex eis voluerit eligere, & ab eis ſufficientem quantitatem ex debitis exigendi, petendi, & retinendi pro dictis omnibus, & ſingulis perficiendis, & plenariè exequendis, nec non etiam dans, & tribuens ei ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis generale mandatum cum libera adminiſtratione, & omnes prædictos & ſingulos conſtituit procuratores in bonis ſuis tanquam in rem ſuam. Item promiſit dicto Domino N. nomine ſupradicto reficere, & reſtituere omne damnum, mutuum, expenſas, & intereſſe quæ fient pro omnibus, & ſingulis ſupradictis exigendis, recuperandis, & etiam exequendis in judicio, vel extra, quocumque modo omnibus, & ſingulis quorum intereſt, vel interfuit per ſe, vel per nuncios ſuos, credendo eis de prædictis, & quantitate eorum ſuo ſimplici verbo ſine teſtibus & ſacramento; & hæc omnia, & ſingula ſupradicta pro ſe ſuiſque hæredibus promiſit, & juravit ad ſimplicem requiſitionem, ſine petione libelli, & dilationis implere, & rata in perpetuum habere, & tenere, nec per ſe, nec per alium de jure, vel de facto convenire. Renuncians exceptioni doli mali, & actioni in factum, & conditioni ſine cauſa, vel ex injuſta cauſa, & privilegio fori, & omnibus feriis, & induciis, & omni ſtatuto, vel capitulo civitatis, vel loci, & ſpecialiter talis, & omni alii legum auxilio, quo vel quibus ſe defendere poſſet quominus omnia prędicta, & ſingula adimpleret, & quotieſcumque ipſe vel hæredes ſui, vel alius nomine ejus venerit contra prædicta, vel contra aliquid prędictorum, toties ſe, & ſuos condemnavit cauſa pænæ centum librarum domino Epiſcopo tali, vel domino tali applicandarum. Qua pæna ſtipulata vel promiſſa, ſoluta vel non, nihilominus prædicta omnia & ſingula ęxecutioni mandentur. Pro prædictis autem omnibus & ſingulis attendendis, & obſervandis & h. quilibet eorum, & principaliter, & in ſolidum conſtituerunt ſe fidejuſſores, & principales debitores & pagatores, ſub obligatione omnium bonorum ſuorum præſentium, & futurorum, & ſub pæna præſcripta, promittentes prædicto domino N. recipienti, & ſtipulanti vice, & nomine ſupradicto omnia & ſingula ſupradicta attendere, & obſervare, renunciantes epiſtolæ divi Adriani, & conſtitutioni de duobus reis debendis, & privilegio fori &c. ut ſupra.

Forma autem inſtrumenti venditionis factæ à Commiſſariis de rebus teſtatoris poteſt eſſe talis. Cum A. in ſuo teſtamento centum libras pro reſtituendis malè ablatis, vel pro anima ſua reliquiſſet reſtituendas, & diſtribuendas prout diſpoſuit, & legavit per manus domini N. Præbyteri, vel N, Confeſſoris ſui, quos ſuos ad hoc inſtituit Commiſſarios, & reliquit

dans eis plenam & liberam poteſtatem, licentiam, & auctoritatem vendendi, obligandi, & alienandi de bonis ipſius teſtatoris, & de quibus voluerint ſine contradictione ſuorum hæredum, vel alterius perſonæ pro ipſis malè ablatis reſtituendis, vel pro legatis ſolvendis, ut hæc patent per ejus teſtamentum, vel per publicum inſtrumentum ſcriptum per manus talis Notarii; ideò idem Dominus N. vel idem N. Commiſſarii ipſius A, vel ipſius teſtatoris voluntatem fideliter adimplere, & ejus animam, & ſe ipſos de hujuſmodi commiſſo, vel de prædictis exonerare volentes, cum per aliam velociorem, vel commodiorem viam de bonis ipſius A. pecuniam pro prædictis perficiendis nequeant percipere vel habere, ex poteſtate, licentia, & auctoritate eis ab eodem tradita, ut ſupra continetur, Commiſſario nomine, & ut Commiſſarii olim A. ſupradicti dederunt, vendiderunt, & tradiderunt Titio domum unam ex bonis, ſive hæreditate dicti A. poſita in tali loco &c. prout habetur in inſtrumentis venditionis pro pretio centum librarum. Quod pretium dicti Commiſſarii confeſſi fuerunt, & contenti ſe ab ipſo emptore habuiſſe & recepiſſe, dandi, & ſolvendi in reſtitutione malè ablatorum, vel in ſolutione legatorum dicti A. quam domum prædicti N. & N. Commiſſario nomine, & ut Commiſſarii olim dicti A. ſe pro ipſo Titio & ejus nomine conſtituerunt poſſidere, donec ipſe Titus ipſius domus poſſeſſionem acceperit corporalem, quam accipiendi ſua auctoritate, & retinendi deinceps licentiam dederunt, promittentes Commiſſario nomine, & ut Commiſſarii olim dicti A. dicto Titio pro ſe & ſuis hæredibus ſtipulanti litem vel controverſiam &c. ut in inſtrumentis venditionis uſque ad omnium bonorum obligationem; & tunc infra dicitur. Pro quibus omnibus obſervandis idem Commiſſarii Commiſſario nomine, & ut Commiſſarii dicti A. obligaverunt omnia bona ipſius A.

TITULUS XII.

De Societatis Contractu.

DEinde quia uſura eſt illicita, & ſocietas debito modo facta eſt licita, & aliquando ſub pallio ſocietatis latet uſura, ideò conſiderandum eſt de contractu ſocietatis, &

Primò, quid eſt.

Secundò, quomodò contrahitur.

Tertiò, inter quos.

Quartò, in quibus rebus.

Quintò, quis modus, vel quod pactum apponi poſſit.

Sextò, quot, & quibus modis ſolvitur.

Septimò, quæ actio, & quando ex ea naſcitur, & ad quid, & quibus, & contra quos detur, & qualis ſit.

CIrca primum ſciendum quod ſocietas eſt duorum vel plurium conventio contracta ob commodiorem uſum, & uberiorem quæſtum; hæc deſcriptio habetur à Marco Tullio, & accedit ad hoc quod dicitur unius induſtriam *ff. e. ſi non fuerit. §. plerumque.*

Circa ſecundum, ſciendum, quòd ſocietas contrahitur ſolo conſenſu, undè ſi meus ſocius aliquem admiſerit, quem meum ſocium eſſe noluit, & ſolus ſocius eſt non mihi *ff. e.* qui admittitur, & contrahitur ad tempus, & in perpetuum, id eſt, dum vivit ſocius, & ſub conditione, ut *ff e. l. 1. & C. e. l. penulti.* In æternum autem, id eſt ut ſine fine duret non poteſt. *ff. e. l. nulla.*

Circa tertium ſciendum, quòd ſocietas contrahitur inter perſonas illas, quæ aliàs poſſunt contrahere, & obligare ſe; de quibus habitum eſt ſupra titulo de contractibus in communi. *art. 3.*

Circa quartum ſciendum, quod ſocietas contrahitur quandoque univerſorum bonorum; quandoque alicujus negociationis tantum; quandoque unius rei *ff. e. l. ulti* in re autem turpi, & flagitioſa contrahi non poteſt. *ff. e. nemo poteſt.*

Circa quintum ſciendum quod in ſocietate contrahenda non poteſt modus adjici, ut quæcumque ex ſocietate obveniunt cauſa donationis pertineant ad ſocium meum, & ego nihil habeam, quia tunc magis viderer mercenarius tuus quam ſocius. *ff e. l. 5 §. fi.* Item non poteſt adjici, ut ſocius de dolo non teneatur, undè ſi à principio dolo te inducam, ut mecum coëat aliàs ſocietatem, quam alias non contraheres, non tenet ſocietas ipſo jure *ff e. l. 3. §. ult.* Item nec ut tranſeat ad hæredes, *ff. e. nemo poteſt & l. nemo ex ſociis,* & hoc in ſocietate privatorum, ſed in ſocietate vectigalium publicorum tranſit ſocietas ad hæredem, & hoc ſi fuerit dictum, & perſona hæredis ſit ſocietati conveniens. *ff. e. adeò morte, & l. verum eſt.* Si autem in ſocietate contrahenda aliquid exprimatur de lucro, idem tacitè dictum videtur de damno, & è converſo. *inſti. e. §. illud* Eadem enim debet eſſe ratio contrariorum. *ar. ff de l 3. l ulti* & hoc eſt verum de damno, quod caſu contingit; ſi enim contingit dolo ſocii, vel culpa ex qua teneatur, non deducitur ex ſocietate damnum tale, ſed potiùs inducitur actio pro ſocio, qua conventus ille, qui damnum dedit, damnum cogitur reſarcire. ff. *e. non ob eam.* Item in ſocietate poteſt adjici pactum, ut partes ſocietatis conſtituantur arbitrio Titii, & ſi ipſe nihil arbitretur, ſocietas nihil valet. ff. *e. ſi comita.* Si verò Titius iniquè arbitretur, ad arbitrium boni viri, id eſt Judicis recurritur. ff. *de ver. ob l. continuus §. cum ita.*

Sed quid de ſocietate, quæ contrahitur inter aliquos, ſcilicet quod unus ponat pecuniam,

niam, & alter operam, numquid talis ſocietas eſt licita.

Reſpondeo quod ſic, dum tamen communiter ſentiant lucrum, & damnum; quandoque tamen ſocietas iſta poteſt coiri, ut alter nullam partem ſentiat damni, & lucrum ſit commune, ut ſi tanti ſint opera quanti eſt damnum. Sæpe enim tanta eſt ſocii induſtria, ut plus conferat ſocietati, quàm pecunia, ut ſi ipſe ſolus naviget, ſolus peregrinetur, ſolus pericula ſubeat ff. *e. ſi non fuerit.* §. 1. *ſuper illo verbo: plerumque enim tanta.*

Quid ſi periculum pertineat inſolidum ad recipientem, & lucrum in ſolidum ad tradentem?

Reſpondeo quod talis ſocietas eſt illicita, & etiam leonina, ut ibidem §. *ſi.*

Quid ſi recipiens inſolidum ſentiat periculum, ut percipiat lucrum?

Reſpondeo. Albertus dicit, quod talis ſocietas ex vi pacti, non jure ſocietatis eſt licita, ſed Quintus Mutius dicit, quod omnino eſt illicita, & huic ſententiæ adhærent Jo. & Archid. & alii Doctores; nam quantum ad ſocietatem pertinet, niſi aliud dictum ſit, partes ſunt æquales: agi tamen poteſt in contrarium, ſcilicet quod ad unum pertineant duæ partes lucri, ad alium tertia, dum is, qui plus recipit, ſocietati plus pecuniæ, vel operæ, vel cujuslibet artis contulit. ff. *e. ſi non fuerit.* §. 1. Aliter verò quia ſocietas eſt alicujus firmitatis, ut *ibidem l. verum.* Et ideò ex vi pacti talis ſocietas non valebit, licèt in aliis contractibus teneat oppoſitum pactum.

Nec obſtat *inſti. pro Soc.* §. *& adeo contra.* quia ibi dicit poſſe convenire, ut quis partem lucri ferat, damno non teneatur, quod oportet de lucro mercimonii intelligi, vel opere, non capitali, & hoc eſt quod dicitur ſuperiùs; neque enim lucrum intelligitur, niſi omni damno deducto, nec damnum niſi omni lucro deducto, ideò ſic ſcripſit Goſ. in *ſum. tit. de uſuris.* vis dare pecuniam alicui mercatori ſine peccato, pone pecuniam, & ipſe operam perſonalem, nec pecuniam tantam, vel minorem, plurimùm enim quod deeſt pecuniæ opera ſuppletur, & communicetis pericula, damna, & lucra. ff. *e. l.* 6. §. 1. *& l. ſi non fuerit. & ſe.* hæc Hoſti.

Eſto, quod tradat aliquis alicui quantitatem tantam pecuniæ ad operandum fideliter, & diligenter cum ea in tali arte, vel ad mercandum in tali mercatione uſque ad annum tali pacto, ſcilicet quòd in fine anni ſi lucratus fuerit indè ſortem, & quartam partem lucri ipſi A. dabit, ſi autem damnum evenerit ipſe C. damni tres partes, A. verò quartam partem portabit, numquid contractus talis licitus erit?

Reſpondeo ſecundùm aliquos quòd non, immò erit uſurarius, hac ratione, quia ſi contingat illam pecuniam, vel illam rem ex ea emptam divino judicio, vel caſu fortuito perdi, ipſe C. debitor tres partes ſentiet damni, quia quicquid contingat, tres partes ſortis reddentur ipſi A. creditori; & ideò quicquid A. conſequitur de lucro, quantum eſt pro illis tribus partibus, quæ non ſubjacent ejus periculo, eſt uſurarium; quod autem percipit, quantum eſt de quarta parte, quæ pertinet ad ejus periculum, eſt licitum lucrum.

Pone quod A. tradat ipſi C. boves duos æſtimatos ad viginti libras ad laborandum cum eis fideliter & diligenter uſque ad annum, tali pacto, ſcilicet quod ipſe C. teneatur ipſos boves fideliter ſervare, cuſtodire, paſcere, & tenere omninò de expenſis ſuis, & in fine termini eoſdem boves, vel prædictam æſtimationem cum quarta parte lucri, ſi lucratus indè fuerit, vel eo tanto minus ipſa æſtimatione, quantum fuerit quarta pars damni, ſi damnum indè evenerit teneatur ipſi A. dare, & conſignare, numquid talis contractus erit licitus?

Reſpondeo, ille caſus eſt ſimilis præcedenti, ut patet intuenti; ideò dicendum videtur idem hic & ibi; erit autem licitus ille caſus ſi addatur in pacto ſic, ſcilicet quod ſi damnum aliquod ſine culpa, vel negligentia, vel dolo ipſius C. vel ejus nuncii, vel familiaris venerit, ad ipſum A. totum, & totaliter pertinebit; dictum tamen damnum non tenebitur dictus A. ſibi computare, niſi ipſe C. per teſtes tres legales & bonæ opinionis, qui non ſint ei familiares, vel conſortes, potuerit oſtendere. Similiter ſi in pacto caſus præcedentis clauſula conſimilis eſt competens appoſita fuerit, licitus erit. Debet autem lucrum intelligi illud, quod, deductis æſtimationibus operum, & laborum ipſius debitoris, expenſis factis de bonis ejuſdem in illa arte, vel mercatione, vel in bobus, & eorum operatione, reperitur ſupereſſe, facta diligenti & fideli computatione & æſtimatione.

Quid de eo, qui tradit boves alteri pro certis ſextariis bladi uſque ad annum tali pacto, ſcilicet quod ſi moriantur, vel deteriorentur, conductor ſubeat medietatem damni, ſi autem meliorentur, habeat medietatem lucri?

Reſpondeo, ita licet alteri locare boves ad certum terminum pro certo pretio, ſicut equos, dummodò ibi ſervetur æquitas juris naturalis; quod ſi quando non apparet evidenter, cujus ſit conditio melior, vel deterior, ſcilicet locatoris, vel conductoris, In pacto autem propoſito videtur notabiliter deterior conditio conductoris, quia vix aut nunquam habere poteſt tantum commodum de boum melioratione quantum damnificari poteſt de morte; ſi tamen locator propter hoc tale pactum apponat, quia timet ne conductor boves gravet, firmiter proponens quod ſi boves perierint ſine culpa ejus, vel nuncii ſui, nullam recompenſationem peteret, non peccaret, niſi fortè propter malum exemplum ejus intentionem ignorantium: verum eſt tamen quod conductor poteſt in ſe recipere periculum rei conductæ, quantum eſt de

Digitized by Google

natura contractus, tamen caſu propoſito non eſt ſolum locatio & conductio, ſed etiam ſocietas in bouum melioratione, & deterioratione.

Quod A tradat ipſi C. unam vaccam pro quinque libris æſtimatam tali pacto, quòd ipſe C. teneatur eam, & omne ejus futurum fœtum, & fructum fideliter, & diligenter cuſtodire, ſervare, paſcere, ac tenere omninò de ſuis expenſis, & ipſam, vel aliquem ejus fœtum, vel fructum non vendere, vel alienare ſine ipſius A licentia ſpeciali, ex fructibus verò, & fœtibus ejus prioribus tantum ipſi A dare, & conſignare, donec ſibi de dicto pretio ſit integrè ſatisfactum, quo facto ejus lucri, quod ab eis hinc inde fuerit habitum totius ipſi A dare dimidium, & ſibi tenere reliquum. Si tamen vacca, aut aliquis ejus fructus, vel fœtus ipſius C. vel nuntii ejus, vel familiaris culpa, aut dolo, vel mala cuſtodia perierit, aut perditus, aut vaſtatus fuerit, reſtituet ipſe C integrè pretium prædictum cum omni damno, & intereſſe ſuo ipſi A. Si autem hoc judicio divino, vel caſu fortuito evenerit, ad ipſum A. damnum omnimodè pertinebit, numquid talis contractus licitus erit? & videtur quòd ſic, quia ipſe A in ſe divini judicii, & caſus fortuiti periculum ſuſcipit, & ideo non debet videri grave ſi priùs ſortem recipiat, quàm aliquid inde percipiat. Sed in contrarium eſt, quia evidenter alterius conditio, ſcilicet ipſius C. eſt deterior, quia fortè evenire poterit, quòd poſtquam ipſe A ſortem receperit, vacca cum omni fœtu & fructu ſuo peribit, & ſic de omnibus ſuis expenſis, & laboribus circa vaccam habitis nihil habebit, quod impium eſſe videtur, & ideo dicendum, quòd non eſt licitus contractus. Nota tamen quòd ſi ad hunc caſum additur, quòd paſtor mox ut de cura animalium ſe intromiſerit, habeat omnem fructum de lacte venientem quouſque dominus omnium ſortem de lana ſublevabit, non videtur quare ſit illicitum. Eſto quòd ipſe A. tradat ipſi C. viginti oves æſtimatas ad decem libras, tali pacto, quod ipſe ei medietatem ſortis proventuum reddat, ſcilicet quinque libras, quicquid poſtea de ovibus contingat, numquid hoc licebit?

Reſpondet Ro quòd hoc per idem eſt ac ſi A. creditor dediſſet ipſi C. mutuo quinque libras, ex quibus emptis decem ovibus ſocietatem ad invicem contraxiſſent, & omnia communia haberent, in hoc caſu ſi A. ipſum C. ratione mutui gravaret, uſura eſſet.

Eſto quòd aliquis emat duas vaccas, & eas tradat alicui agricolæ tali pacto, ſcilicet quòd ipſe illas paſcat, & cum eis terram colat, ita tamen quòd ipſe emptor de fructibus primis earum recipiat medietatem pretii, quo recepto, medietas earum erit agricolæ, & alia medietas emptoris, & æqualiter divident fructus Hoc acto inter eos fiat pactum, quod agricola dare debeat annuatim unum ſextarium tritici emptori, eo quòd colit terram cum vaccis, & ſi vaccæ moriantur, communicabunt æquè damna, numquid contractus ille eſt licitus?

Reſpondeo, quòd ſic, & eſt magis ibi contractus locationis, quàm ſocietatis, quia iſte locat unam vaccam, quæ eſt ſua pro uno ſextario tritici annuatim, & pro paſtu vaccæ, & fœtus ejus, aliàs verò nihil recipit; quia illa non ſunt ſua, ſed agricolæ.

Pone quòd A tradat viginti oves ipſi C. uſque ad duos annos tali pacto, quòd ipſe C. teneatur eas, & omnes fœtus earum, & fructus futuros diligenter cuſtodire, & ſalvare, paſcere, ac curare omnino de ſuis expenſis, fructuum verò & fœtuum medietatem fideliter ipſi . conſignare, & dare, & in fine termini ipſas eaſdem oves, vel alias, quæ ex eis tunc temporis extabunt ipſi A. reſtituere, & conſignare; ſi tamen ipſe oves, aut aliqua earum, aut ipſarum fœtus, vel fructus ipſius C. vel ejus nuncii, ſive familiaris culpa vel dolo, aut mala cuſtodia perierint, aut perditi, vel devaſtati fuerint ad ipſum C. totum damnum ſpectabit.

Si verò divino judicio, vel caſu fortuito hoc evenerit, ad ipſum A. pertinebit, dummodo ipſe C. ipſi A. per præſentationem cutis ovis mortuæ, vel aliter fecerit plenam fidem, numquid talis contractus licitus erit?

Reſpondeo, credo quòd ſic, quia ſatis videtur æquè bona conditio utriuſque.

Quid de eo, qui tradit decem oves alicui cuſtodiendas, & paſcendas ſub pretio certo.

Reſpondet Rod. quòd talis contractus eſt licitus, ſi Dominus ſibi periculum divini judicii & fortuiti caſus omnino retinet, nec alter in conventionibus alterum gravet. Ad hæc nota, ſicut notat Rod. generaliter, ubi probabiliter dubitatur, utrum hujus, vel illius ſit deterior conditio in forma pacti adhibiti in ſua ſocietate, non eſt peccatum, ubi autem alterius conditio eſt deterior ad arbitrium boni viri, peccatum eſt ex parte gravantis, ſi fiat hoc ſcienter, & tenetur ad reſtitutionem. Nota etiam quòd ſi unus fratrum aliquid lucratur de pecunia communi, debet lucrum aliis communicare. *ff de uſu, & habi. ſi ita.* §. *ſi.* Item ſi detur aliquid uni fratrum propter negociationem communem cum aliis, debet illud dividere cum eis. *inſtit. per quas perſo. nobis.* ac §. 3. & §. *per eam quoque.* Item ſi ſint decem ſocii, & omnes præter unum concedant mihi ſervitutem in fundo communi, nihil acquiritur mihi, & tamen qui conceſſerunt, reſilire non poſſunt. ff. *de ſer. ru. prædi. per fundum*

Circa exitum, ſciendum, quòd ſocietas ſolvitur primo modo morte hominum naturali, niſi ſuperſtites reintegrent ſocietatem ff. *e. actione.* §. *morte. & l. planè. ſibi.* vel niſi ſit actum, quòd uno mortuo, inter ſuperſtites duret. *inſtit. e.* § *ſolvitur.* Secundò, civili morte, vel capitis diminutione maxima, vel media. Tertiò, morte rerum, vel naturali, ut cum eſſe deſierunt, vel civili, ut cum conditionem mutaverunt

verunt, quia conſecratæ ſunt, vel publicatæ quantum ad uſum & proprietatem. ff. *e. verum.* §. *ult* & *l. actione.* §. *publicatione.* Quartò, voluntate, ut cùm quis renunciat ſocietati; ſi enim renunciat tempeſtivè, & infra tempus pacto comprehenſum, non agetur contra eum ad Intereſſe. ff. *e. ſed & ſocius.* §. *ult.* niſi aliter ſit dictum, quòd etiam tempeſtivè renunciari poſſit. Poteſt etiam quis intempeſtivè renunciare, ſi conditio appoſita non ſervatur ſibi, vel etiam quia ſocius eſt ita damnoſus, vel injurioſus ſibi, ut non expediat eum pati, vel etiam, quia non licet frui vel uti illa gratia, cujus negociatio eſt ſuſpecta, vel etiam quia cauſa Reipublicæ diu; & invitus eſt affuturus, nec poteſt per alium ſocietatem adminiſtrare, vel ſocio idoneo committere, aliàs non eſſet excuſatus. ff. *e. ſi convenerit.* & *l. idemque.* & *l. ſed & ſocius.* Si autem quis renunciet ſocietati dolo malo, id eſt; ut aliquid lucrum obveniens ipſe ſolus habeat, putà hæreditatem delatam ſibi, cùm eſſet omnium bonorum ſocius, commodum hæreditatis illius ſocio communicare tenetur, damnum autem ipſe ſolus ſentit; quod autem eſt acquiſitum poſt renunciationem non tenetur alter ſocius renuncianti communicare. *inſtit. e.* §. *manet autem.* & ff. *e. actione.* §. *diximus.* Hæc autem renunciatio fit per ipſum ſocium, non per ejus Dominum. ff. *e. ſi ſervus ſocietatem.* & fit ſocio præſente non abſente, antequam ſciat eſſe quòd renuncians acquirit, ex quo non ſciverit abſens, ſervantur prædicta. ff. *e ſed & ſocius.* §. *ſi abſenti.* Quintò, ſocietas ſolvitur, cùm quis ex ſociis cedit bonis ſuis, & propter ejus debita puplica non privata ſubſtantia ſua venditur; in hoc tamen caſu ſi conſentiant in ſocietatem, videtur incipere ſocietas nova *inſti. e* §. *pe* Sextò, ſi ſocietas ſit contracta in in una re, cui impoſitus eſt finis. *inſtit. e.* §. *item ſi alicujus.* Septimò, actione pro ſocio perempta vel mutata, ut ſi quid mihi debeas actione, pro ſocio animo novandi ab alio ſtipuler, vel contra alium litem conter, ut liberer, tacitè enim videtur renunciatum ſocietati. ff. *e. verum* §. *pe.* & *l. actione.* & hujuſmodi renunciatio poteſt fieri per ipſumſocium tantùm, vel per procuratorem ejus ſpecialem, vel etiam generalem, qui liberam habeat adminiſtrationem Alia autem ſimplex renunciatio, quæ non extinguitur, actio prepria fiet per procuratorem generalem, fortè ſi non habet liberam adminiſtrationem, niſi Dominus renunciare prohibuerit, cum contrario renunciari non poteſt procuratori ſocii, vel renuncians liberetur, niſi ipſe ſocius ratam habeat renunciationem. ff. *e. actione.* §. *renunciare.* Octavò, ſolvitur ſocietas ſocii, qui ſervus erat manumiſſione, vel alienatione, & ſi in eadem mutato ſtatu permanſerit, alia inchoatur. ff. *eod. ſi id.* §. *penult.*

Circa ſeptimum, ſciendum quòd naſcitur actio pro ſocio demum finita ſocietate ut *C. e. tamdiu.* niſi in caſu, ſed in ſocietate vectigalium, cum non profertur in medium quod provenit ad alterum, vel cum neutri expedit à ſocietate diſcedere. *ff. eo. actione.* §. *nonnunquam.* & fortè idem eſſet in privata ſocietate, ſi non communicetur à ſocio quod eſt communicandum, & ſi non expediat adhuc ſocietati eam diſſolvi. Item ſcholaris ſocius repatriare volens, ſecundùm Guil. non poteſt alium in ſua camera ponere, aliis ſociis invitis, niſi aliud ſit actum in contrahendo *ff. e. actione.* §. *ſocietas.* nec poteſt petere partem communium rerum, nec alii ſocio dare, niſi finito uſu ad quem ſunt emptæ. ff. *e. ſed & ſocius.* ut ſi aſinus fuerit emptus ad portandum ligna de nemore, lignis portatis poteſt ſocius partem aſini petere. Competit autem actio pro ſocio ad faciendum collationem, ſed attendendum eſt, an contra ſit ſocietas omnium bonorum expreſsè, aut ſimpliciter, an alicujus negotii ff. *eo. l. 5.* ſi enim contrahatur primo modo, tunc communioni acquiritur hæreditas, & legatum, & quod donatum eſt, aut alia ratione acquiſitum, undè ſtatim omnia bona corporalia ſunt communia; ſecùs eſt de incorporalibus, ſcilicet juribus, & actionibus. ff. *e. canon.* ſic & omninò expenſæ debent eſſe communes.

Item quando aliquis eſt damatus ſolvere juſtè, vel injuſtè, ex communi ſolvi debet, niſi quis culpa ſua, ut propter contumaciam ſit damnatus, ob quod maleficium acquiritur, non confertur; ſi tamen in medio ſit collatum commune erit lucrum. In quo caſu ſi ex illo maleficio poſtea fuerit damnatus, totum illud in quo damnatus es de communi ſolvere potes, ſi mihi ſcienti tuum maleficium communicaſti lucrum, & hoc totum eſt ſervandum, cùm ſocietas contracta, in qua communicatum eſt furtum erat licita. Si enim principaliter contraheretur in delictis, nulla eſſet. ff. *e. cum duobus.* §. *ult.* & *l. ſe.* Si verò ſocietas contrahatur ſecundo modo ſcilicet ſimpliciter, tunc acquiritur communioni omne illud, & ſolum illud, quod provenit ex quæſtu, ſcilicet lucrum proveniens ex venditione, emptione, & conductione, & locatione, Queſtus enim intelligitur, quòd ex opera cuiuſcumque deſcendit ff *e. l. coiri.* & *l. quæſtus.* Si verò contrahatur ſocietas tertio modo, ſcilicet in re una, vel pluribus, vel aliquo negocio, omne illud, & ſolum illud, quod ex illis acquiritur communicandum eſt. ff. *e. cum duobus.* §. *cum duo.*

Quid ſi conventio facta fuerit, quòd ſi juſta hæreditas obvenerit ſit communis?

Reſpondeo hoc non videtur eſſe dictum, niſi de hæreditate, quæ ab inteſtato defertur, non ex teſtamento ff. *e. l. 3.* §. *de illo.* De hæreditate enim certi hominis fieri non poteſt pactum, quia prohibitum eſt paſci de futura ſucceſſione, ut etiam habetur *ſupra tit. de pact. venit bona fides, ſive aſſit.* Item culpa ſi non præſtet diligentiam illam, quam in rebus ſuis habere ſolet, ultra verò non tenetur; imputet autem ſibi, qui ſocium parum diligentem aſſumit. *inſtit.*

e.

e. §. *ult.* nec relevatur ſocius à culpa, quia pleriſque aliis ſua diligentia lucrum ſocietati contulit. ff. *e. non ob eam*: puta lucratur in ſale, & negligenter agit in vino; ſed cùm in eadem negociatione lucratur in uno, & negligenter in alio, tunc fit recompenſatio.

Item venit percipiendum omne æs alienum, quòd manente ſocietate eſt purè contractum; ſi verò ſit contractum in diem, vel ſub conditione, caveri debet de indemnitate, & ſi unus ſociorum ſolvendo non ſit, damnum hoc ad cæteros ſocios pertinebit ff. *eod. l. omne. & l. ſi ſocii.* Item ſi ſint tres ſocii, & unus eorum agens contra ſocium conſequitur integrè partem ſuam, reliquus autem agens contra eumdem non poſſet integrè conſequi partem ſuam, quia ille non habet unde ſolvat eam, partes erunt adæquandæ ff. *e. verum.* §. *cum res.* Item neutri ſocio recompenſandum eſt damnum omne, quod incurrit de communi ſine ſua culpa gerendo negocia ſocietatis, ſive illud caſu fortuito evenerit, ſive à latronibus illatum fuerit tam in rebus, quàm in pecuniis, quàm etiam in expenſis in medicos, & medicinas impenſis, ſive pro ſe, ſive pro ſuis ff. *e. cum duobus.* §. *quidem.* Item veniunt expenſę in reflectione rei communis impenſæ, ut *l. cum duobus.* §. *idem.* Item & ſi aliàs in rem communem impendam, agam pro ſocio, vel communi dividendo: ſed ſi propter ſocietatem proficiſcens agam pro ſocio, non communi dividendo, quia in rem communem non ſeparando. Item agi pro ſocio poteſt, vel de communi dividendo contra ſocium, ſi fructus ex re communi percipiat, vel in æs damnum dederit, vel per fallaciam, vel dolum rem communem amoverit, vel eam animo celandi contractaverit. Pro damno etiam agi poteſt aquilia, & pro furto actione furti ad pœnam dupli, vel quadrupli, ff. *e. l. pro ſocio.* §. *ſi tecum, & l. rei communis.* Socius tamen ita demum furti tenetur, ſi cum dolo malo ejus contractas ſe rem communem apertè probetur; datur autem hæc actio ſocio & hæredibus ejus contra ſocium, & hæredes ejus, & eſt directa ex utraque parte, quia unus non eſt magis ſocius, quàm alter, & uterque ad idem, ſcilicet ad lucrandum tendit, *inſtit. de pe. te. liti* § *ex quibuſdam.* Eſt autem hæc actio famoſa, damnatus enim ea fit infamis, ut ibidem: in condemnatione tamen debet diſcretio adhiberi, ut ſcilicet ipſe ſocius non in ſolidum, ſed in quantum poteſt facere condemnetur, quòd tempore rei judicandæ ſpectatur, niſi dolo ſuo, vel pacto beneficium illud amiſerit. Dolum accipe, ſive conveniatur ex eo quòd fecit dolo, ſive ex eo quòd fecit culpa, nec extenditur hoc beneficium ad hæredes, vel patrem, vel dominum ſocii; defenſor verò ſocii hoc beneficio gaudet; quiſquis etiam hoc beneficium habet, gaudet nuda promiſſione de hoc, quod ad præſens ſolvere non poteſt. ff. *e. verum. poſt* §. 1. 2. & 3. & §. *tempus.* Item hæc actio eſt perſonalis perpetua, & bonę fidei, & hæc de contractu ſocietatis ad præſens ſufficiant gratia brevitatis.

TITULUS XIII.

De Pignoribus.

DEinde quia uſura ſæpe committitur, eo quòd fructus pignoris ſæpe non computantur, conſequenter conſiderandum eſt de pignoribus, &

Primò, quid ſit pignus, & unde dicitur.

Secundò, quot, & quæ ſunt differentiæ pignorum.

Tertiò, quæ res poſſunt pignori obligari,

Quartò, quomodo pignoris obligatio contrahitur.

Quintò, ad quid receptor pignoris teneatur.

Sextò, de venditione pignoris.

ARTICULUS I.

Quid ſit pignus, & unde dicitur?

CIrca primum, ſciendum, quòd pignus eſt res obligata pro debito ad ſecuritatem creditoris ſecundùm Goſ. vel eſt obligatio rei licitæ pro debito, ita ſecundùm Hoſtien. quòd tutius eſt pignori inſiſtere, quàm in perſonam agere. *inſtit. de ob. quæ ex delic. naſ.* §. *furti.* Secundùm autem Grammaticos, differentia eſt inter pignus pignoris, & pignus pigneris; unde græciſmus pignora natorum dicuntur pignera rerum. Sed non inveni hanc differentiam in jure poni. Dicitur autem pignus propriè rei mobilis, quaſi res à pugno, ſive manu tradita. ff. *de rer. ſig. plures.* Rei etiam immobilis traditione pignoris obligatio contrahitur, ac pignoraticia actio naſcitur; ubi autem res in creditorem non tranſit, hypotheca dicitur ff *de pig. ac. ſi rem.* Quantum tamen ad actionem hypothecariam nihil refert inter pignus & hypothecam, voce enim tantum differunt. ff. *e. ret. hypothecæ*, & dicitur hypotheca ab hypos, quod eſt ſub, & theſis poſitio, inde hypotheca, id eſt ſuppoſitio, vel res ſuppoſita ſcilicet obligationi.

ARTICVLVS II.

Quot, & quæ ſunt differentiæ pignorum?

CIrca ſecundum ſciendum, quòd pignoris differentiæ ſecundùm leges ſunt tres, ſcilicet pignus conventionale, quod ſic dicitur à conventione; pignus prætorium ſic dictum à prætore, ut ſi fiat propter illud, quod prætor jubet fieri, puta ut caveatur de damno infecto, vel alio ſimili; & pignus judiciale ſic dictum à Judice, ut cùm Judex mitti jubet in poſſeſſionem,

nem, vel ſententiam deffinitivam mandat executioni, & dicitur quandoque pignus judiciale, quia utrumque conſtituitur à Judice. *C. de prætorio pignore.*

ARTICVLVS III.

Quæ res poſſunt pignori obligari?

CIrca tertium ſciendum, quòd pignori poſſunt obligari quæcumque poſſunt vendi; quæ autem non poſſunt vendi, non poſſunt pignori obligari. ff. *quæ res. pig. obli. poſſ. l.* 2. §. *ult.* Quædam tamen pignori non poſſunt dari quæ poſſunt vendi; aliena enim poſſumus vendere, ff *de contrahen. emp. & ven.* rem alienam, non autem niſi noſtra poſſunt pignori obligari, *C. quæ res pig. obli. qui filios.* quòd autem dictum eſt rem alienam poſſe vendi, eſt verum de mobilibus, quia ſi res aliena immobilis vendatur, furtum committitur; & ideo nec emptio, nec venditio contrahitur. ff. *de contrahen. emp. & ven. ſi in emptione.* Ratio autem ſecundùm Gof. quare aliena poſſunt vendi, non autem pignori obligari eſt, quia in venditione agitur ut res tradatur, & venditor de evictione obligetur, ut ff. *de ac. emp. & vend. ex empto.* Sed de pignore agitur, ut jus in re conſtituatur, unde conventio pignoris creditori parit actionem in rem ff. *e. tit. pignoris.* unde creditor, qui accepit alienam rem in pignore, non habet in ea jus pignoris hypothecæ, quia debitor quod non habebat, non potuit dare.

Item obligari poſſunt res præſentes, & futuræ, ut fructus pendentes, partus ancillarum, fætus pecorum, & ea quæ naſcuntur. Item res corporales, & incorporales, ut cautiones, & nomina debitorum. Item ſervitutes perſonales, ut uſufructus, & ſervitutes prædiales ruſticæ; probantur hæc omnia per jura ff. *e.* Item qui obligavit inſtrumenta ſuorum agrorum, de ipſis agris cogitaſſe videtur *C. quæ res. pig. ob poſ. l.* 2. non poſſunt autem obligari pignori jura prædiorum urbanorum, ff. *e. ſi is* §. *ult.* Ratio diverſitatis hujuſmodi eſt ſecundùm Gof. ne ex varietate uſus & utentium ædificia deſtruantur, & inutilia fiant. Dici tamen poſſet, quòd commoditas ſervitutum prædiorum urbanorum obligari poteſt ſicut hoc contingit in ruſtico, ut ſcilicet liceat ire & agere creditori ff. *e. l. ſed & an viæ.* ſecundùm Gof. nec homines liberi poſſunt pro debitis, etiam ſi res defuerit, detineri, *extrav. e. c.* 2. quod eſt verum ſi bonis cedant, aliàs in carcere detrudentur. *C. qui bo. ce. poſ. l.* 1. ut dicitur *ibidem in gloſ.* tenet tamen in caſu obligatio liberi hominis, ut in redempto ab hoſtibus, qui per quinquennium jubetur ſervire, niſi poſſit pretium ſolvere *C. de ju. poſt. limi. l. ab hoſtibus. & l. ult.* & propter famem poteſt pater filium obligare, quia etiam poteſt vendere eum *C. de pa. qui fi. diſtra. l.* 2 poteſt etiam liber homo conſentiens in obſtagio poni *extrav. de jureju. ex reſcripto.* non tamen ut jus conſtituatur in re, ſed ut quod convenit, fiat, vel non poteſt homo liber pro pecunia obligari, ſed pro pacto pacis ineundæ vel conſimili. *extrav. de arbi. expoſita* ſecundùm Gof. *in ſum* & ſecundùm Ber. *extrav. e. c.* 2. *& ſuper c. expoſita. & c. ex reſcripto.* Non poſſunt etiam obligari pignori Eccleſiæ, in autentico *de alie. & emphi.* §. *quoniam.* nec res Eccleſiæ, niſi pro certis cauſis, ut 12. *quæſtione ſecunda aurum.* ſicut nec poſſunt alienari, ſicut dicetur pleniùs infra *libro ſexto, titulo* 37. nec etiam Eccleſiaſtici redditus, vel ſtipendia ſecundùm Innocen. & Ber. *extrav. de fidejuſ. ſuper c. pervenit.* poſſunt obligari ſpeciali conventione, ſed à Judice pro debito canonici, & cauſa judicati poſſunt obligari.

Item pignorationes, quas vulgò vocat repreſalias prohibentur in utroque jure, ſcilicet civili, & canonico obligari, & quicumque eas contra perſonas Eccleſiaſticas, vel earum bona concedit, & conceſſas extendit quantumcumque generaliter prætextu cujuſvis conſuetudinis, niſi revocaverit hoc infra menſem, ſcilicet à tempore conceſſionis, vel extenſionis, ſi ſit perſona ſingularis, eſt excommunicatus, ſi ſit univerſitas, ſubjacet Eccleſiaſtico interdicto *lib. 6. de jurejur. & ſi pignorationes.* de quo habetur pleniùs infra *li.* 7. *tit.* 2. *caſu* 49.

Sed numquid prædictæ pignorationes, ſive repreſaliæ poſſunt eſſe aliquo modo licitæ, quantum ad laicos? videtur quòd non, quia ut dicitur *in c. & ſi pignorationes.* civili conſtitutione ſunt prohibitæ tanquam graves legibus, & æquitati naturali contrariæ, & ſecundùm leges quicumque alium pignorat, quadruplum reſtituit, & ab actione, pro qua hoc facit, cadit, ut *in aut. ne fiant. pig. quæ aut. ponitur. C. ne uxor pro ma. l. ult. & incipit. & omnino.* Sed contra 23. *q.* 2. *Dominus Deus jubet.* ubi dicitur: juſta bella dici ſolent, quæ ulciſcuntur injurias. Sic gens & civitas petenda eſt, id eſt, impetenda, quæ vel judicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quòd per injurias ablatum eſt. Reſpondet ad hoc *Jo. an. ſuper c. & ſi pignorationes.* quòd Doctores dicunt, quòd *hoc c. dominus noſter.* eſt correctum per *illud c. & ſi pignorationes.* quando non vult facere juſtitiam Dominus, vel civitas debito modo requiſita, ita tamen, quòd etiam tunc ad perſonas Eccleſiaſticas nullatenus extendatur.

ARTICVLVS IV.

Quomodo pignoris obligatio contrahitur?

CIrca quartum ſciendum, quòd pignus contrahitur, quandoque generaliter, ut cum quis obligat omnia bona ſua, in quo caſu intelliguntur obligata habita, & habenda, & etiam ſervus ff. *quæ res pig. ob. poſ. l. ult.* in hac tamen

tamen obligatione generali non continentur, ea quæ veriſimile eſt, quemquam nolle obligare, ut ſuppellex, veſtis, mancipia valdè neceſſaria, ff. *e. obligatione.* quandoque ſpecialiter, ut ager, liber, equus, & ſimilia. Item contrahitur pignus, quandoque expreſsè, quandoque tacitè; tacitè enim obligata ſunt bona Miniſtri Eccleſiæ pro adminiſtratione rerum ejus ipſi Eccleſiæ *ar. 13. q. 2. illud*, & bona viri uxori pro dote, & ſimiliter eius bona, qui dotem promiſit obligantur *C. de rei uxo. act. l. una*, *& extrav. e. ex litteris* & bona contrahentis cum fiſco ipſi fiſco, & bona tutoris pupillo, & bona curatoris minori, & bona conductoris invecta, & illata pro penſione. Patent hæc omnia per jura *ff. e.*

Sciendum autem ſecundùm Hoſt. quòd bona conductoris invecta, & illata in ruſtico prędio domino ſciente, niſi ad tempus inferantur, domino tacitè obligantur pro penſione; in urbano autem non diſtinguitur utrum dominus ſciat, vel neſciat *C. quibus cauſis pig. ta. obli. l. quamvis*. Sed & bona patris tacitè obligantur filiis pro rebus adventitiis, & pretiis earumdem.

Item bona matris ſecundo nubentis, ſunt filiis primi viri tacitè obligata, ut eis reſtituantur, quæ à primo viro fuit lucrata, item tacitè obligantur bona defuncti pro legatis, & fideicommiſſis.

ARTICULUS V.

Ad quid receptor pignoris tenetur?

Circa quintum ſciendum, quòd dator pignoris tenetur ſolvere debitum, etiam ſi pignus perit ſine culpa creditoris, niſi ſit actum, quod amiſſio pignoris liberet debitorem, *C. de pig. ac. quæ fortuitis.* Item ſi quis debet probare amiſſionem pignoris, non oportet, quòd probet, quòd ſive dolo, ſive culpa amiſerit, quia eo ipſo, quòd dolus non probatur, præſumitur quòd ſine dolo amiſerit, ut *in l. ſi creditor, C. eod.*

Item impenſas in pignore bona fide factas à creditore, debet reddere, niſi fuerint immoderatæ. ff. *de pig. ac. ſi ſervos.*

Item rem impignoratam uni non debet impignorari alteri, aliàs ſtellionatus crimine poterit accuſari, *C. de cri. ſtel. l. 1. niſi ſit ſatis res quæ ſufficiat utrique.* Item ſi debitor ſcienter rem alienam ſine domini voluntate obligaverit, vel obligatam ſubripuerit, criminis ſtellionatus reus erit, *C. de cri. ſtel. l. 2.* pignoris autem receptor, ſcilicet creditor non dicitur propriè pignus poſſidere ff *qui ſatisda. co. l. ſciendum.* & nullo tempore poteſt illud præſcribere *C. de uſuris pignoribus*, & debito ſibi ſoluto, integrè pignus tenetur reddere; ideo dixi integrè, quia pro parte tantum, ſoluto debito, pignus tantùm remanet obligatum, *C. de diſtrac. pigno. l. quamdiu.* Item tenetur reddere pignus non alii obligatum, nec deterioratum ff. *e. creditor.* & ſi perierit, vel deterioratum fuerit, tenetur debitori ſatisfacere pignoraticia actione; hoc eſt verum ſi culpa ejus, vel dolo hoc evenerit, non autem in caſu fortuito ſine culpa ejus, *C. de pig. ac. l. 2. 3. 4. & 5.* & ſi creditor illud impignoraverit, non tamen ipſum in plus obligare potuit, quàm ſibi fuerat obligatus, *extrav. de jure pa. quod autem in fi. & extrav. e. cum contra. in glo. 5.* tenetur etiam ipſum reddere debitori, quandocumque venerit, niſi ſit diſtractum. *C. de diſtrac. pig. ſi prius.* Item licèt pignus poſſit pignorari, ſortem tamen extenuant fructus percepti; & ideo quicumque ſit poſſeſſor pignoris mei, tenetur illud reſtituere mihi, licèt obligaverit illud alii, dummodò primò ſatisfaciam creditori, & per quaſcumque manus poſſeſſio tranſierit, idem jus erit *extrav. e. illo.* hæc Hoſtien. & ſtatim cùm fructus adæquatur ſorti, domino ſuo debet reddi; tenetur enim poſſeſſor in ſortem computare, non tantum fructus, quos ipſe percepit, ſed etiam omnes, quos anteriores à tempore primi contractus perceperunt, niſi ipſemet debitor obligaverit pignus ſecundo debitori; tenetur autem debitor in ſortem computare uſum pignoris ſive fructum, deductis expenſis, *extrav. de uſuris c. 1. & 2.* & expenſæ iſtæ non debent eſſe ſuperfluæ, *ar. ff. de rei ven. in fundo.* & illæ tantum expenſæ ſunt deducendæ, quæ in ipſa re, & pro fructibus colligendis ſunt neceſſariò factæ, *C. de pig in fi.* poteſt ergo retinere rem, donec deduxerit expenſas, hæc Ber *extrav. de uſuris c. 1.*

Sed ſi debitor eam expenſas deducere non permittit, quid faciet creditor?

Reſpondeo ſecundùm Ray. petere poteſt actione perſonali coram Judice *C. de pig. quamvis perſonali:* poteſt etiam pignus ſibi obligatum alii pignorare. *C. ſi pignus pi. da ſit. l. 1.*

Sed ſi creditor rem reddit priuſquam expenſas deduxerit, poſt quid faciet?

Reſpondeo ſecundùm Ber. *extrav. e. c. 1.* petat per conditionem indebiti ff. *de impen. in re dota. factis l. quod dicitur. §. ſi dot.* vel per contrariam pignoraticiam, ff. *de pig. ac. ſi neceſſarias.*

ARTICVLVS VI.

De venditione pignoris.

Circa quod diſtinguendum eſt ſic, ſcilicet quòd aut debitor convenit cum creditore, quòd vendere poſſet, aut quòd non venderet, aut de hoc nulla mentio fuit, in primo caſu debet creditor primò debitori denunciare, & poſtea poterit ſecundùm formam conventam vendere, aliàs non; in ſecundo caſu debet ſibi priùs ter denunciare, ut ſolvat, & inter unam denunciationem, & aliam debet triduum eſſe, ſicut in citatione accuſati abſentis, ff. *de pub. judi. inter accuſatorem, & de pig.* ac ſi convenerit *in glo*, hodie tamen accuſati ſunt citandi per intervallu

vallum triginta dierum, quòd ſi non ſolverit, vendere poterit; ſi verò ante trinam denunciationem vendiderit, furti tenetur; in tertio caſu ſemel denunciare ſufficit; & poſtea elapſo biennio vendi poterit. Probantur hæc ff. *de pigne. acti.* ſi convenerit de diſtrahendo, & ſi venditor pignore bona fide credito minus accepit, fortè poteſt ad reſtituendum agere; ſi verò plus tenetur debitori reſtituere, *C. de jur. dotium. l. ult.* Si verò nullus velit emere, & creditor velit jure dominii pignus poſſidere, tunc poſt biennium adeat creditor Judicem, qui debet ſtatuere debitori tempus certum, intra quod debet pignus redimere, & ſi debitor non invenitur, tunc Judex certum tempus taxabit intra quod pignus redimere poſſit, quòd ſi tempore ſtatuto inventus non fuerit, vel totam pecuniam non ſolverit, tunc creditor Judicem adeat, & petat quòd ſibi jus dominii illius rei adjudicet, & poſtquam hoc factum fuerit, ſi debitor intra biennium offerat creditori, qui jam eſt factus dominus cum uſuris, & damnis, quas ſuo ſacramento creditor declarabit, recuperat pignus ſuum; poſt biennium recuperare non poteſt. ff. *e. ſi convenerit. & C. de jure doti l. ultima.*

Quid ſi quis equum ſibi impignoratum ad ſua negotia equitat, vel aliàs locat?

Reſpondeo; talis eſt uſurarius, ſi ille cujus eſt equus ſolvit cibaria ejus; idem eſt de veſte, & ſimilibus, quibus creditor utitur ad ſuam utilitatem cum damno alterius, quinimmo talis furti tenetur ff. *de furt. ſi pignore.* Si tamen creditor ipſum paſceret, & eum ſine periculo, & gravamine ipſius ſcilicet equi equitaret, uſura non eſſet, quia proximum non gravaret, ſed potiùs equum paſcendo juvaret; unde in hujuſmodi caſibus conſiderandum eſt, utrum ſit æqualis utilitas hinc inde mutuo circumſcripto, & ſic non eſt ibi uſura.

Idem eſt de eo, qui pignorat alicui domum ſuam inutilem ſibi, quia non vult eam locare alteri, & mutuans ea utitur, & per eum à ruina pręſervatur, de hoc ſupra titulo de uſuris. *ar. 3. in ſolutione, ar. ſecundæ quæſt.*

Ad hoc nota, quòd quandoque aliqui colore quæſito fraudem faciunt juri canonico, quod uſura prohibet, & earum repetitioni favet, dum ſcilicet tranſeunt de contractu pignoris ad contractum emptionis, quod quidem committitur ex fortuna contractus, & ex comparatione pretii ad rem emptam, & ex æqualitate creditoris, *extrav. e. illo, & extrav. de emp. & ven. ad noſtram.*

Nota inſuper, quòd ſi fiat pactum inter creditorem, & debitorem, quòd niſi debitor ſolvat ad terminum, pignus ſit creditoris, non valet omnino pactum tale, quia eſt contra bonos mores, & ideo eſt à lege prohibitum, ſed ſi fiat pactum, quòd ſi pecunia non fuerit ſoluta, creditor poſſideat jure emptionis rem pignoraticiam juſto pretio æſtimandam, tenet pactum, quia eſt quædam venditio conditionalis, & dicitur pactum præcedens pactum legis commiſſoriæ, ſive pactum commiſſorium, quod quidem reprobatur in pignoribus, & ſi fiat non obſtat, quin pignus reddi debeat. Si tamen juramentum intervenerit ſuper tali pacto, tenetur illud ſervare, *extrav. de jurejur. cum contingat. in glo.* non reprobatur autem pactum tale, ſcilicet commiſſorium in venditionibus; ſi enim ſic dicatur, vendo tibi fundum tali pacto, quòd ſi infra menſem non ſolveris, fundus ſit inemptus, licita eſt venditio, ff. *de lege commiß. l. 1. & l. 2.* hæc pauca de pignoribus ad præſens ſufficiant; plura enim de ipſis in jure civili traduntur, quæ ſi quis proſequi vellet, longum requireret tractatum.

TITULUS XIV.

De Locato, & Conducto.

Poſtea conſiderandum eſt de contractu locationis, & conductionis, qui etiam valdè ſimilis eſt contractui emptionis & venditionis, ut ff. *e. l. 1. &*

Primò dicendum eſt, quid ſit locatio & conductio, & quis dicatur locator, & quis conductor.

Secundò, qualiter contrahatur.

Tertiò, quibus prædia locari non poſſunt.

Quartò, quæ locari poſſunt.

Quintò, quo tempore penſio debet ſolvi.

Sextò, in quibus caſibus poteſt expellere dominus inquilinum,

Septimò de quibuſdam dubitationibus circa iſtum contractum.

Octavò, quæ actiones naſcuntur ex locato, & conducto.

ARTICULUS I.

Quid ſit locatio & conductio, & quis dicatur locator, & quis conductor?

Circa primum ſciendum, quòd locatio eſt perſonæ, vel rei ad uſum facta conceſſio mercede in pecunia numerata conventa, aliàs ſi de alia re danda vel facienda convenerit, non erit locatio, ſed contractus innominatus, & agetur præſcriptis verbis, ut ff. *depoſi. l. 1.* Locator dicitur qui re ſua permittit alium uti mercede ſibi conventa, ut cùm ego loco tibi domum meam ad habitandum dicor locator, & tu conductor, *extrav. e. c. 1.* Aliquando verò locatio dicitur firma, ut *extrav. e. veſtra.* quod intelligit Goſ. dictum, ſed vulgare alicujus provincię; aliquando etiam locatio ponitur pro emptione, & è converſo, ut ff. *de ac. emp. & ven. veteris.*

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Qualiter contrahatur?

Circa ſecundum ſciendum, quòd locatio, & conductio contrahitur quibuſcumque modis contrahitur emptio, & venditio; & ideo illa, quæ ſupra dicta ſunt in titulo de emptione, & venditione de conſenſu, rebus & pretio, hic intelligas repetita. Locatio fieri poteſt in perpetuum, & ad tempus, & ſi moriatur conductor infra tempus locationis, ſuccedit hæres in jure conductionis, ſecus eſt in uſufructu, qui eſt perſonalis, & extinguitur cum perſona, ut *C. eod. viam.*

ARTICVLVS III.

Quibus prædia locari non poſſunt?

Circa tertium ſciendum, quòd militibus prædia locari non poſſunt; ne omiſſo uſu armorum ſe conferant ad opus rurale, *C. e. milites, & l. curialis, & l. ult. nec monachis, extrav. ne cle. vel mo. c.* 1. niſi cauſa neceſſitatis hoc faciant, ut cùm prædia ſufficientia non habent, *extrav. de deci. delicti.* ſi tamen locavi militi tanquam pagano ignoranter, poſſum ab eo exigere mercedem, *ff. e. ſi ignorans.*

ARTICULUS. IV.

Quæ locari poſſunt?

Circa quartum ſciendum, quòd locari poſſunt omnia quæ vendi poſſunt; & quæ non poſſunt vendi, non poſſunt locari; ſervitutes perſonales non poſſunt locari à proprietario, ſed ſi locentur ab uſufructuario, tunc per mortem ipſius uſufructuarii extinguitur locatio, *C. de jure. do. ſi ſocrus.* hæc Hoſtien. Dicuntur autem ſervitutes perſonales uſus, & uſufructus, quia cum perſona moriuntur, & finiuntur; reales autem dicuntur ſervitutes prædiorum ruſticorum, ut iter, actus, & via.

ARTICVLVS V.

Quo tempore penſio debet ſolvi?

Circa quintum ſciendum, quòd conductor debet ſolvere locatori mercedem, & penſionem ſecundùm Gof. eo tempore, quo inter ſe convenerunt, quòd ſi appareat, ſervanda eſt conſuetudo regionis, quia forte invenitur variè, quod minus eſt ſervabitur, ſcilicet ut in fine anni exigatur *ff. de reg. jur.* ſemper in ſtipulationibus, unde qui ſolvere promittit in certum diem, vel annum, vel in certis nundinis, ſemper tranſactis nundinis vel anno, vel die, ſolvere debet, *ff. de ver. ob eum, qui Kalendis.* Si verò ſingulis annis promittat aliquid dare, debet in principio anni ſolvere, *ff. quooiam dies lega. cedat.* nec ſemel in principio. hæc Inno. & Accur. *ibidem l.* 1. *unde verſus.*

Annua ſi debes, tunc inſpicies capiit anni.
Anno ſi debes in fine tenebris anni.

Licèt autem debito tempore dominus poſſit exigere, tamen ſi inquilinus ſponte non ſatisfaciat ſibi, impunè poterit eum expellere, unde ſi locator promiſit pœnam, ſi vi conductorem expelleret, intelligitur hæc conditio, ſcilicet, ſi conductor ſolveret penſionem, *ff. e. quare.*

ARTICVLVS VI.

In quibus caſibus poteſt expellere Dominus inquilinum.

Circa ſextum ſciendum, quòd Dominus poteſt inquilinum expellere in quatuor caſibus.

Primus eſt, ſi domus locata ſit ejus habitationi neceſſaria, quòd intelligo cum tempore locationis aliam domum habuit, quæ caſu periit; ſi enim tunc aliam non habuit, etiam ad habitandum recuperare non poterit; hoc enim à principio providere debuit ff. *e. ſi quis domum.*

Secundus eſt, cùm domus eget refectione, quia minatur ruinam, quam non minabatur tempore locationis; aliàs ſecus eſt in caſu præmiſſo, & in duobus caſibus ſecundùm omnes fiet remiſſio penſionis pro rata temporis, vel providebit Dominus inquilino de domo æque idonea ad habitandum, ff, *e. cum in plures.*

Tertius eſt ſi conductor in domo perversè converſetur, & in hoc caſu etiam fiet ſecundùm aliquos remiſſio penſionis pro rata temporis; ſecundum verò alios non fiet, ſed Domino domus dabitur actio legis aquiliæ contra conductorem. Hęc Goff. Hoſtien. verò dicit, quod ſi conductor meretrices publicas tenet, expellitur, & nihil remittitur; ſed ſi aliàs perversè converſetur, ſcilicet arbores incidendo, vel prędium ſuo tempore non colendo, vel porcos in ſolario locando, facienda eſt remiſſio, & agat Dominus contra colonam de damno ſibi dato, ff *e. quæ res*, hæc Hoſtien. *extrav. e. propter ſterilitatem.*

Quartus eſt cum inquilinus annonam per biennium non ſolvit, ſcilicet cum quis conduxit domum ad aliquod longum tempus, ut ad ſex, vel decem annos, niſi citò poſt biennium ſolverit. *extrav. e. propter ſterilitatem.* Secus autem eſt in re data, ubi ſecundùm leges ſtatuitur triennium inter privatos, *C. de jure emph. l.* 2. ſed in re Eccleſiæ biennium, *extrav. e. potuit.* Fiſcus verò non ſolventem ſtatim expellere poteſt, ff. *de pub. & vec. vectigal ea.* hæc Hoſtien. de quatuor prędictis caſibus habetur, *extrav. e. propter ſterilitatem, in tex. & gloſ.*

Non poteſt tamen Fiſcus recuperare agros publicos, qui perpetuò ſunt locati, niſi auctoritas

ritas Principis accedat, ut *ibidem*, hæc Hoſtien. & Ber. *extrav. de dila. litterę*.

ARTICVLVS VII.

De quibuſdam dubitationibus circa contractum locationis, & conductionis, præcipuè quæritur:

I. Utrum merces, vel penſio ſit minuenda, vel etiam totaliter remittenda, vel augenda in aliquo caſu.

II. Utrum lite pendente conductor debeat ſolvere penſionem.

Ad primam verò iſtarum, nempè primò, utrum merces, vel penſio ſit minuenda, vel etiam totaliter remittenda, vel augenda in aliquo caſu.

Reſpondeo. Ipſe locans aut locat corpora, aut agros, aut res, aut operas. Si corpora, ſic nocet locatori caſus fortuitus, ſcilicet ut non habeat mercedem, niſi pro rata, unde propter ſterilitatem remittitur penſio; ſi verò locet res: aut ſtat per locatorem, quominus re conducta utatur, aut per conductorem; ſi per locatorem, aut ſtat per eum purè, & ſic tenetur ad intereſſe, vel per caſum in perſona ejus contingentem, & ſic penſio remittitur, aut per conductorem, & ſic tota penſio ſolvitur, ſive ſtet per eum purè, ſive per caſum per eum contingentem. Si autem locet quis operas, aut ſtat per locatore, quominus operas ſuas præſtet, aut per conductorem; ſi per locatorem, aut ſtat per eum purè, & ſic tenetur ad intereſſe, vel per caſum fortuitum in ejus perſona contingentem, & ſic tenetur penſionem remittere, vel reddere pro rata temporis, quo non præſtitit eas; ſi autem per conductorem, ſic locator mercedem totius temporis conſequitur, ſive ſtet per conductorem purè, ſive per caſum fortuitum per eum contingentem, ff. *loco ex conducto. in tex. & glo.*

Circa ſterilitatem verò, & ubertatem rei conductæ ſic diſtingue, ſcilicet quòd conductor propter ſterilitatem, aut afficitur damno puro, & tunc nihil remittitur, aut magno, & hoc vel caſu fortuito, vel culpa coloni, vel vitio rei; ſi primo modo penſio remitti debet pro rata, ſcilicet in toto, vel in parte, ita quòd ſi nihil recepit, nihil ſolvat, niſi ſterilitas per ubertatem anni proximi præcedentis vel ſequentis poſſit compenſari, tunc enim integra penſio illius anni, quam remiſerat, poterit exigi, niſi aliud in locatione ſit actum, *C. e. licèt & extrav. e.* propter ſterilitatem, unde ubertas anni interpolati non prodeſſe, ſed nocere videtur.

Si verò hoc contingat ex vitio rei conductę, hoc poteſt eſſe vel ſine culpa, vel cum culpa coloni; ſi ſine culpa, ut quia terra non poteſt ſuſtinere magnam ſiccitatem, vel pluviam, & colonus non poteſt occurrere, quin ſuffocetur, tunc idem eſt, quod in præcedenti caſu.

Si verò cum culpa coloni, ut quia herbas peſtiferas non extirpavit, vel ſimilia, non remittitur penſio, ff. *e. ex conducto.* §. 1. dicitur autem ſterilitas ſecundùm aliquos, cum non percipitur etiam ſemen, ut *in* §. *prædicto.* Goff. verò, & Io. intelligunt ſterilitatem, & ubertatem ſecundùm vulgi opinionem, ut dicunt homines communiter bonum tempus eſt, vel malum, ff *de fun. inſtru. l. delatione.* §. *licet.* Similiter de ubertate dicendum eſt, quòd ſi contingat caſu fortuito, augenda eſt penſio; ſi verò diligentia coloni, non eſt augenda, *ar.* ff. *e. ex conducto.* §. 1. hæc Ber. *extrav. e. propter ſterilitatem.* Hæc autem quæ dicta ſunt intelligantur de colono, qui dat annuatim certam quantitatem pecuniæ, vel etiam certos corbes, non autem de pecuniæ pretiario, qui damnum & lucrum partitur cum Domino ff. *e. ſi merces.* §. *apparet.*

Nota etiam, quòd ſicut remittitur penſio propter caſum fortuitum, ſic etiam propter neceſſariam refectionem ædis ff *e. l. ſed addes.* unde ſecundùm Hoſtien. in ſumma, ſi conductor fundi aliquid neceſſariò, vel utiliter expendit augendo, vel ædificando, vel inſtruendo, aget contra locatorem, ut illud recipiat, licèt non convenerit, & per doli exceptionem ſumptus retinere poterit.

Quid ſi quis locavit ſaltum paſcuum, in quo creſcit herba peſtifera, ita quòd inde pecora fiunt morbida, vel deteriora?

Reſpondeo. Talis, aut locat ſcienter, & tunc tenetur ad intereſſe, aut ignoranter, & tunc non petet penſionem, ff *e. ſed addes.* §. 1.

Sciendum autem, quòd jus civile, ſicut in emendo, vel vendendo concedit, quod pluris eſt minoris emere, & quod minoris, pluris vendere, & ita ſe invicem decipere circa dimidium juſti pretii, ita etiam in locando, & conducendo ff. *e. l. item ſi pretio.* Secùs autem eſt ſecundùm jus divinum, & jus naturale; videtur etiam *Jo.* 10 *q.* 2. §. *hoc jus.* ſentire hoc illicitum eſſe, licèt lex hìc videatur concedere.

Quid ſi quis locet rem ſuam tali pacto, quòd ſi qualitercumque perdatur, recuperet ejus valorem.

Reſpondeo. Dicunt aliqui, quòd eſt ibi uſura, quia res æſtimata loco pecuniæ intercedit, unde non eſt ibi verè locatio, quia locator rem ſuo periculo tradit, pro qua mercedem ſibi conventam recipit, hic verò conductor rem ſuo periculo accipit, & inſuper mercedem addit, ut ſi mihi equum oces uſque ad certum terminum, qui valet decem libras, & ego ibi teneor in decem libris, ſi perierit equus quocumque modo, putà ſi etiam perierit morbo vel fulmine, ſi enim conductoris culpa vel negligentia perierit, non eſt dubium, quin ejus valorem reſtituere deberet.

Quid ſi locavi alicui boves meos cuſtodiendos, data ſibi certa mercede, & tempore noctis eos in paſcuis dimiſit, in quibus alia animalia dimitti ſolebant, venit autem fur, vel lupus, & eos abſtulit vel occidit, numquid cuſtos

ſtos ille mihi tenetur? Videtur quòd ſic, quia mercedem pro cuſtodia recipit, ergo de periculo convenitur, *ff. loca. qui mercedem*. Debuit enim eos cuſtodire, & non ſine cuſtodia dimittere. *ar. ff. commo. l. ſi ut certo loco. §. cuſtodiam*. & certè in culpa eſſet, ſi cuſtodem minus bonum reliquiſſet. ff. *de præſcrip. ver. apud labeonem*. quanto magis ſi nullum reliquit; diligentiùs enim eos cuſtodiſſem, niſi in eo confiſus fuiſſem; non igitur debeo ſub ejus ſpe deceptus eſſe; è converſo videtur, quia ibi, & alii ſic eos dimittere ſolent: ergo ſi ſic fecit, ſatis eſt. *C. de pig. ac pignus*. Diligens enim fuit ſicut alii; ſecurus igitur debet eſſe. ff. *de contrahen. empt. quod ſæpe. §. ſi res*. credo, quòd excuſatur à mala opinione, qui opinatus eſt quod alii opinantur, ergo innocens eſt à mala ejus cuſtodia, qui cuſtodit, ſicut alii vicini cuſtodiunt. *ar. c. de teſta. l. 1.* & maxime quoad hoc valet, ſi Dominus boum in illis paſcuis boves ſuos aliundè ſine cuſtodia dimittebat. *ar.* ff. *de pig. oblig.* Præterea quando quis legat nummos, nummi illi debentur, qui in conſuetudine habentur; ergo qui cuſtodire promiſit, de cuſtodia promiſiſſe videtur, quæ in regione illa fieri conſuevit. *ar.* ff *de reg. jur. ſemper*. hæc Mar. Eſtò quod facultates Eccleſiæ, quæ dare debent annuatim penſionem ſint augmentatę, numquid debet penſio augeri? Reſpondet Bar. *extrav. de pac. cum Clerici*. quòd non, ſi diligentia ſit damnoſa. *C. de allu. l. ulti.* Si autem aliunde ſint augmentatæ poteſt, & debet penſio augeri, quia juſta cauſa ſubeſt augendi. *ar. extra de cenſi. quanto*. de hoc etiam habetur *eod. tit. c. prohibemus. in glo.*

Quid ſi quis locet vas vitioſum?

Reſpondeo. Tenetur ad intereſſe ſive fecerit hoc ſcienter, ſive ignoranter; ſecùs eſt de vaſe vitioſo commodato, ubi tantum ſciens ad intereſſe tenetur, ut *in §. prædicto*

Quid ſi quis locet Eccleſiam ſuam ad aliquod tempus ſub cenſu annuo, & infra tempus illud moriatur, numquid ſucceſſor contractui ſtare tenetur?

Reſpondeo. Si pecunia jam ſoluta converſa fuit in utilitatem Eccleſiæ tenetur ratum habere, ſi non, non tenetur, niſi fortè impetratum eſſet à Principe propter ſtudium, vel aliam cauſam. *C. de his qui ve. eta. impe. l. 1.* hæc Hoſtien. *extrav. ne pla. vi. ſu. c. 2.* Eſto quod aliquis conveniat cum Eccleſia aliqua quod molendinum ejus ſcilicet Eccleſiæ perpetuò ſibi, & ſuæ familiæ molat, conſtituta ſibi certa penſione, poſtea decedens relinquat filios plures, quorum quilibet tantam familiam habet, quantam habebat pater, numquid Eccleſia tenebitur omnibus illis molere, cùm ſint omnes de familia defuncti?

Reſpondeo. Obſervandum eſt, quod actum eſt, quòd ſi non appareat, Eccleſia non tenebitur ultra illud, quod defuncto tenebatur, undè tantum molet omnibus heredibus, quantum molebat defuncto, quia non eſt veriſimile, quòd Eccleſia ſe obligaret in infinitum. ff. *de pericu. & com. ſi quis vina*. Hęc Bar. in quæſtionibus ſuis.

Quid ſi quis locet horreum proponens ſe nolle in periculo ſuo recipere aurum, argentum, & hujuſmodi, & poſtea ſcienter patiatur hęc inferri?

Reſpondeo. Obligatus erit ac ſi propoſitum remiſiſſet. ff. *e. cum in plures. §. locator*.

Quid ſi quis locet fundum ad medium alicui colono, & ipſe colonus ſeminet ipſum, & locator eum vendat, numquid emptor poterit colonum expellere, & omnes fructus colligere?

Reſpondeo, quòd non, ſed colonus medietatem habebit; ſi verò emptor omnes fructus percepit, colonus aget contra venditorem ff. *de le. 1. nihil in fi.* de colono tamen fiſci eſt ſpeciale privilegium fiſci; hæc Guil.

Quid ſi quis locet fundum alicui ad medium, nulla facta mentione de arboribus, numquid colonus aliquam partem habebit fructuum?

Reſpondeo quòd non, ſed locator habebit eos omnes. ff. *de uſuris. fructus*. & ſi colonus arbores deſtruat tenetur; ſi autem aliquis ejus arbores odio ejus excidat, ejus culpæ imputatur. ff. *e. ſi merces. §. culpæ*.

Quid ſi ſcriptor alicui operas ſuas locet, & poſtea per menſem ſtet, quòd non ſcribat, quia ille non dat ſibi ad ſcribendum?

Reſpondeo. Si talis interim operas ſuas non locet, poteſt petere intereſſe illius menſis. ff. *e. qui operas*. Si autem locet, non petet. ff. *e. ſed addes*. hæc Guil.

Quid ſi quis locavit operas ſuas duobus?

Reſpondeo. Satisfaciat primò. ff *e. in operis*,

Quid ſi quis conduxit vaſa tranſportanda, & illa frangantur, numquid tenetur?

Reſpondeo quòd vel franguntur culpa ſua, vel eorum, quorum utitur opera, & ſic tenetur, vel adhibuit tantam diligentiam, quam paterfamilias diligens adhiberet, & ſic non tenetur ff. *e. ſi merces*. Item qui accepit ad poliendum veſtimenta mea, & mures roſerunt ea de culpa tenetur; & ſimiliter ſi vitulos ad paſcendum, vel gemmam ad ſculpendum, vel includendum, tenetur, niſi vitio materiæ frangatur, tunc enim non tenetur niſi per pactum ſpeciale. Similiter auriga ſi quis dum currum nimium extendendo alios ire non permittit; ipſum currum evertit, & ſervum vel bovem occiderit, tenetur ex locato; debuit enim temperare currum, & voluntatem ſuam, & hæc etiam probantur, ff. *l. 1.*

Quid ſi unus magiſter conduxit ſcholas, & alius poſtea ſcholas illis ita propinquas, quod voces eorum ad invicem confundantur?

Reſpondeo primus expellet ultimum. *C.* de *ſtu. li. 6. rome. l. unica. li. 11.* & hæc cauſa tractari poteſt in feriis meſſis. Hæc Hoſtien. *extrav. e. de judi. ſignificaverunt*.

II. Utrum lite pendente conductor debeat ſolvere penſionem?

Reſpondeo quòd ſic. 16. *q.* 4. *volumus.* ſed contra *art. C. de agri. & ce. litibus. li.* 11. ubi dicitur quòd lite pendente colonus denegat Domino penſionem. Reſpondeo quòd eſt contentio inter Dominum, & colonum, ut quia colonus negat ei dare penſionem, quam petit, dicens, eum non eſſe Dominum, qui ſibi rem ab initio dedit; tunc penſio ſequeſtratur, quia Dominus eſt ſuſpectus, niſi colonus ſolviſſet longo tempore penſionem; ſi verò ſit contentio inter Dominum, & alium, tunc non fit ſequeſtratio penſionis, quia lite pendente nihil eſt innovandum *extrav. e. ſcilicet ut lit. pen. c.* 1.

ARTICULUS VIII.

Quæ actiones naſcuntur ex locato, & conducto.

CIrca octavum ſciendum, quòd ex hoc contractu naſcuntur duæ, ſcilicet actio ex locato, quæ datur locatori, & in hac venit primò merces ſolvenda, de qua convenit. Veniunt & alia de quibus actum eſt ſupra in tractatu, ut *C. e. legem.* & actio ex conducto, quæ datur conductori, ut ibidem; & quidem ſi conductor fuerit bonæ fidei, habet actionem contra locatorem alienant rem 2. q. 8. *vulterane.* Si autem malæ fidei, tunc non habet 16. *q.* 3 §. *item decimæ* ſuper verbo *univerſas terras*, niſi de evictione proſpexerit ſibi *C de evic. ſi fundum.* Ad hoc nota, quòd locatio facta non probat dominium, nec poſſeſſionem, *extrav de fi. inſtru. inter dilectos.* & hoc ideo, quia etiam conductor locare poteſt rem conductam, ſi nihil aliud convenit, *ff. e. qui inſulam.* & hoc intelligitur ſecundùm *glo.* de æquè idoneo, & ad eundem uſum.

Item conductor non poteſt litigare cum locatore de proprietate rei locatæ, putà domus, niſi priùs poſſeſſionem reſtituat locatori *C. e. ſi quis conductionis.* Inſuper nota, quòd Dominus habet jus hypothecæ in re locata; ſi enim locetur prædium ruſticum, omnia invecta, & illata tacitè obigantur domino, ſi eo ſciente ſint intromiſſa; ſi autem prædium urbanum obligatur, hoc intelligunt quidam, etiam ſi ſepte partes perierunt; alii verò hoc intelligunt, ſi meditas remanſerit, quod eſt æquius ſecundùm Hoſtien. *ar. ff. ſi uſuſfruc pe. l. & partis.* etiam domino ignorante. *C. e. certi.* Dicitur autem prædium ruſticum, quod eſt ſine omni ædificio præter domunculam pro fructuum repoſitione; urbanum verò dicitur ubi eſt ædificium ad habitandum, & etiam poteſt eſſe in villa, ſicut in civitate etiam poteſt eſſe prædium ruſticum, ſcilicet ad uſus ruſticanos, ut ad cuſtodiendum oves, & boves. *ff. de ver. ſigni. urbana.*

TITULUS XV.

De Emphiteoſi.

DEinde conſiderandum eſt de contractu, qui dicitur emphiteoſis, qui quidem eſt medium inter contractum locationis, & venditionis, ut in ſequentibus patebit; eſt autem nomen grecum, & inde emphiteoticus, emphiteotica, emphiteoticum; inde contractus emphiteoticus, conceſſio emphiteotica, inſtrumentum emphiteoticum, & inde dicitur emphiteoticarius, emphiteoticaria, emphiteoticarium, & ſumitur pro illo, cui conceditur in emphiteoſim; & inde etiam pro eodem hic, & hæc emphiteota: & inde etiam hoc verbum emphiteoteco, emphiteoticas, emphiteoticare, id eſt in emphiteoſim concedere. Videndum eſt igitur;

Primò, quid ſit emphiteoſis?

Secundò, in quibus conſiſtit?

Tertiò, qualiter contrahitur?

Quartò, quid dominus ibi concedat, retineat, recipiat, & quando poteſt emphiteotam expellere?

Quintò, utrum emphiteota ſuas meliorationes, & ſua emphiteomata poſſit deſtruere?

Sextò, in quibus convenit cum venditione, & locatione, & in quibus differt ab eis. Unde ſit;

ARTICVLVS I.

Quid ſit emphiteoſis?

CIrca primum ſciendum, quòd contractus emphiteoſis eſt contractus meliorationis, propriam habens naturam ſuis pactionibus fulciendam, licèt locationi, & venditioni multum ſimilem. Ille enim contractus fuit inventus præcipuè, ut concederetur ad tempus res ſterilis alicui, qui diligenter eam excolendo melioraret, & fertilem redderet, fructus ſibi interim applicando; emphiteoſis enim græcè melioratio dicitur latinè, unde olim emphiteoticabantur tantùm ſterilia, nunc emphiteoticantur etiam fertilia *C. de Sac. San. Ec. auc. perpetua.* unde alio modo poteſt dici emphiteoſis poſſeſſio rei immobilis ad certum tempus alteri facta conceſſio, domino proprietate retenta ſub conditione penſionis annuæ, & renovationis finito conceſſionis tempore faciendæ, & ille contractus ſecundùm diverſarum terrarum diverſas conſuetudines diverſis nominibus nominatur, ſcilicet emphiteoſis præcaria, libellus conceſſus, ſiſcum, & pluribus aliis, & fulcitur diverſis pactionibus ſecundùm diverſas contrahentium voluntates, & ſecundùm hunc modum poteſt dici emphiteoſis ab *en*, quod eſt *fides*, & *theſis*, quod eſt *poſitio*, quaſi in fide, id eſt in bonæ

fidei

fidei contractu poſitio.

ARTICULUS II.

In quibus conſiſtat emphiteoſis?

Circa ſecundum ſciendum, quòd conſiſtit contractus iſte tantùm in rebus immobilibus, ut in *authen. de alie. & emphiteo. contractu ſcilicet. §. licentiani.*

ARTICULUS III.

Qualiter contrahatur emphiteoſis?

Circa tertium ſciendum, quòd contrahitur contractus iſte ſcriptura interveniente non aliter, ut *C. de emp. jure l.* 1. & poteſt contrahi in perpetuum ſine temporis præfinitione, vel ad certum tempus, vel uſque ad certam generationem, hoc eſt ut res ſit penes emphiteotam, & ſecundum, & tertium ſucceſſorem; poteſt etiam contrahi ſic, ut cum ad quartam perſonam pervenerit revocatio fiat. Contrahitur etiam ſic, ut tempore conceſſionis aliquid pro conceſſione domino detur. Item novus emphiteota poteſt in poſſeſſionem induci per dominum, non per alium. *C. de emphi. co. l. ulti. in fi.*

ARTICULUS IV.

Quid Dominus ibi concedat, retineat, & recipiat, & quando poteſt Emphiteotam expellere?

Circa quartum ſciendum, quòd in contractu iſto conceditur ſola poſſeſſio naturalis, dominus autem in ſe retinet dominium & proprietatem, & habet civilem poſſeſſionem, & hinc eſt, quòd emphiteota debet dare domino annuatim penſionem, ut *inſti. de loca. §. adeo.* debet autem ſolvi ſemper tota conventa penſio, niſi res pereat ex toto. *C. emphi. jure. l.* 1. Sciendum autem ſecundùm Hoſtien. in ſum. quòd in hoc contractu venit culpa levis, cùm utriuſque gratia celebretur, licèt aliqui contrarium dixerint, *inſtit. quibus. mo. re. con. ob. §. fi.* & licèt de damno dato ab alio non teneatur, tenetur tamen de cuſtodia. *ff. e.* ſed de damno. *& l. qui mercedem pro cuſtodia recipit*; tenetur etiam de leviſſima culpa, & idem ſecundùm *Jo.* & *Azo.* & ſecundùm *Ber.* & *Inn. extrav. de re. ju. ſuper c. quamvis.* Si dicat amiſſam ovem, ei probatio incumbit, quòd dolus accrevit, cùm alius, qui dolum allegat, dolum probare debet. *ff. de proba. quotiens.* Et idem dicit Hoſtien. *ibidem in gloſ.*. Sed caſus fortuitus non venit in hoc contractu, niſi per ſpeciale pactum, ut dicit Hoſtien. etiam in *ſum.*

Item licet domino ſua auctoritate expellere emphiteotam, & ejus ſucceſſorem, ſi per triennium ceſſaverit ſolvere penſionem, ſed Eccleſia, & ſimiliter fiſcus poteſt expellere eum, ſi ceſſaverit per biennium, niſi celeriter poſt biennium ſatisfecerit, nec obſtat ſi dominus ei non denunciet, quod ſolvat, quia ſtatuta dies pro domino interpellat. *extrav de loca. & conduc. potuit.* & illud modicum tempus, quod datur ſibi poſt bienniam, non eſt in jure taxatum, ſed eſt arbitrio Judicis relictum. *extrav. de offi. de leg. de cauſis.*

Si etiam emphiteota ſolvere promiſit, pœnam ſi non ſolverit penſionem, & dominus pœnam petierit, nihilominus eum repellere poterit. *ar. ff. de tranſac. qui fidem.* Melius tamen facit, ſi eum auctoritate Judicis expellit; ſi tamen emphiteota alii poſſeſſionem tradidit, vel ab alio expellitur, non dejiciat dominus poſſeſſorem auctoritate propria. *extrav. de lo & conduc. potuit in glo.*

Item ſi emphiteota ceſſavit per biennium, & tantò ampliùs, quòd non poſſit purgare moram, ſi dominus poſtea penſionem receperit, eum expellere non poterit, quia juri ſuo renunciavit. Similiter ſi Prælatus de conſenſu Capituli recipiat penſionem, non poteſt eum expellere, licèt ſi ſolus Prælatus hoc faciat, non obeſt Eccleſiæ, quin eum poſſit expellere, niſi poſtea Capitulum conſenſiſſet. Item unus ſolus Presbyter, ſive Rector in Eccleſia, vel Capellla ſi recipiat penſionem, credit Ber idem ſcilicet quodammodo non poterit emphiteotam expellere; ſi tamen aliquis penſionem cum proteſtatione, dicens, ſalvo jure meo, receperit, talis expellere poterit, quia etiam ſi eum expellere vellet, nihilominus penſionem petere poſſet 10. *q.* 2. *hoc jus porrectum.* Item ſi plures ſint cohæredes, & omnes penſionem ſolvant præter unum, non præjudicatur ſolventibus, dummodo ſolvant totam penſionem, & poſtea agent contra non ſolventem; hæc omnia *extrav. de loca. & conduc. potuit in glo* Item ſi emphiteota rem Eccleſiæ conductam, vel in emphiteoſim acceptam deterioraverit, vel per biennium penſionem non ſolverit, expelli poteſt, ita tamen, quòd ſolvat totius temporis penſionem, & reſarciat rei læſionem, non repetiturus, ſi quid impendit in meliorationem. 10. *q.* 2. *§. hoc jus.*

Item ſi emphiteota probet per duos proximos annos in Eccleſiaſticis, vel per tres in ſæcularibus penſionem ſolviſſe, licèt antea per decem annos non ſolverit, expelli non poterit. *C. de appel. l. penult. in fi.* Hæc Hoſtien. Item ſi quis ſtans in fundo per tres annos penſionem ſolvat, fundum ſibi conceſſum in emphiteoſim ſufficienter probat, *C. de fundo do. per totum.* Hæc Pet. de San.

Quid ſi emphiteota fundum, quem ab Eccleſia habuit, emptori bonæ fidei vendidit, & tamen per quadraginta annos penſionem Eccleſiæ ſolvit, numquid enim emptor præſcriptione tutus erit, ſi fundum Eccleſia repetierit?

Reſpondeo quòd non, quia Eccleſia in culpa non fuit, cùm venditionem ignoraverit, & optionem habebit, contra quem primo agere velit, *C. ſi tu. & cu, interve. l. ult.* Hæc Ber. *in quæſtionibus.*

ARTICULUS V.

Utrum emphiteota ſuas meliorationes. & ſua emphiteomata poſſit deſtruere?

Circa quintum ſciendum, quòd hujuſmodi contractus natura eſt, quòd emphiteota meliorationes ſuas vendere poteſt, ita tamen quòd primò requirere debet ab Eccleſia, an vellit jus ſuum emere, & debet ei dicere, quantum poteſt ab aliis habere; & ſi Eccleſia dixerit, quòd non vult emere. poteſt aliis jus ſuum vendere; ſi autem Eccleſia nihil dixerit, expectare debet Eccleſiam per duos menſes, quibus elapſis, vendere poteſt aliis, dummodo non vendat illis qui emere prohibentur, ut ſervi Eccleſiæ, & capitanei, & omnes majores perſonæ, quæ de facili non poſſunt conveniri, putà nimis pauperes, nimis potentes, unde Eccleſia poſſit prejudicium pati. ut *extrav. de locat. & conduc. c. ult. in tex. & glo.* Et ſi emphiteota aliter fecerit, jus ſuum perdit. Item emphiteota ſine conſenſu domini ſui poteſt emphiteoſim donare, & etiam pignori obligare, ſi tamen non ſatisfecerit de cautione, ſoluitur pignus, ut ibidem.

ARTICULUS VI.

In quibus emphiteoſis conveniat cum venditione, & locatione, & in quibus differat ab eis?

Circa ſextum ſciendum, quòd contractus iſte convenit cum emptione, quia utrobique quando contrahitur, aliquid datur. Cum locatione verò convenit, quia utrobique dominium retinetur, & annuatim aliquid percipitur: differt autem à venditione, quia transfertur ibi dominium, hìc non, & ita, ut dicit Ber. magis accedit ad naturam locationis, propter quod *Ber. c. potuit.* quod eſt de emphiteoſi, magis ponitur in titulo de locato, & conducto, quia convenit cum eo; à locatione verò differt, quia ibi penſio in certis caſibus minuitur, et augetur, hic, nec augetur, nec minuitur, niſi res omnimodè diſtrahatur. In locatione etiam conductor regulariter non habet in re nomen, non vendit, nec vendicat rem, ſed emphiteota poteſt rem vendere, et habet utilem rei vendicationem, ut ff. *de pig. act. tutor, §. ult.* Differt verò ab utraque ſimul, ſcilicet venditione, & locatione; quia utraque harum eſt de rebus immobilibus, & mobilibus. & ſe moventibus, & in neutra ſcriptura requiritur; ſed ille contractus eſt tantùm de immobilibus, nec fieri poteſt ſine ſcriptura; hæc Ber *extrav. de loca. c. ulti.* Item in emptione pretium, & in locatione merces requiruntur in pecunia, ſed in hoc contractu penſio poteſt eſſe in pecunia, & qualibet re alia, ut patet ex ſupradictis. Predicta autem omnia emphiteoſi convenienter adaptantur, ſive celebretur ab Eccleſia, ſive à ſeculari perſona; undè ſi aliqua pacta de voluntate partium non appareant, tacitè intelliguntur facta ea, quæ ſupradicta ſunt de contractu hujuſmodi; nam tacitè intelliguntur eſſe facta, ſi quæ etiam alia pacta inter partes fuerint conventa, omnimodè ſunt ſervanda. *C. eo. l 1.* Sed preter predicta requiruntur aliqua ſpecialia in emphiteoſi Eccleſiæ, ſcilicet quòd fiat ex cauſa utili, & neceſſaria, & quòd interveniat conſenſus Epiſcopi, & etiam Capituli, ſed hoc dicetur pleniùs infra *lib. 6. tit. de alie. re. Eccle.*

TITULUS XVI.

De Commodato.

Poſtea conſiderandum eſt de commodato: Et primò quidem, quid eſt commodatum, & undè dicatur?

Secundò, in quibus rebus conſiſtit?

Tertiò, inter quos iſte contractus poteſt celebrari?

Quartò, in quibus còmmodator, & commodatarius ad invicem tenentur.

Quintò, quid juris de eo, qui commodat vaſa, vel pondera vitioſa.

Sextò, quæ actiones naſcuntur ex hoc contractu? quapropter ſit:

ARTICULUS I.

Quid ſit commodatum, & undè dicatur?

Circa primum ſciendum, quòd commodatum eſt alicujus rei, ad quem uſum ſpecialem gratuita facta conceſſio; ideo dicitur *conceſſio*, non translatio, quia commodans rei dominium, & poſſeſſionem retinet, & ſolum uſum concedit, ut ff. *c. rei commodatæ*; ideo dicitur *gratuita*, quia ſi interveniat pecunia, erit locatio, ſi res alia, erit contractùs innominatus, ut *inſti. man. §. ulti.* ideo verò additur *ad aliquem ſpecialem uſum*, quia uſus, ad quem fit, debet exprimi, ut commodo tibi equum, ut eum ducas ad bellum, vel ad villam; commodo tibi librum, ut exemples alium, vel corrigas tuum.

Undè dicitur commodatum, quaſi utentis commodo datum, undè revocari non poteſt niſi expleto uſu, ad quem eſt factum, & in hoc differt à præcario, quod fit ſine præfinitione uſus certi, undè poteſt quandocumque revocari, ut ff. *c. in commodato. §. ſicut.* hæc omnia Ber.

Ber. *extrav. e. c. unico.*

ARTICULUS II.

In quibus rebus conſiſtat commodatum?

CIrca ſecundum ſciendum, quòd commodatum conſiſtit in rebus mobilibus, & ſe moventibus, & immobilibus. Item in incorporalibus, ut in ſervitute habitandi, ut *ff. e. l.* 1. ea verò, quæ uſu conſumuntur, & quę coſiſtunt in numero, pondere, & menſura non commodari, ſed mutuari dicuntur, & in hoc differt à mutuo commodatum. Prediĉta tamen commodari poſſunt ad pompam, ut ſcilicet quis ditior videatur. *ff. e. ſed mihi.* §. *ulti.* & *extrav. e. in glo.* unde panis inproprìè dicitur commodari ſecundùm Accur. Poteſt etiam quis commodare non tantum ſua, ſed etiam aliena, quæ poſſidet, ſi aliena ſcienter poſſidet, ita quod ſit fur, vel predo & commodaverit, aĉtionem habeat commodati. *ff. e. commodare.*

ARTICVLVS III.

Inter quos ille contraĉtus poſſit celebrari?

CIrca tertium ſciendum, quòd poteſt commodare, & ei commodari, qui poteſt contrahere, undè non tantum Prelatus poteſt hoc, ſed etiam æconomus, nam contrahere poteſt. 10. *q*: 2. *hoc jus.*

ARTICVLVS IV.

In quibus commodator, & commodatarius ad invicem tenentur?

CIrca quartum ſciendum, quòd natura commodati eſt, ut ipſa res reſtituatur, hoc enim eſt de jure naturali. *di.* 1. *jus naturale.* nec poteſt prætextu debiti retineri, ut *C. e. l. ult.* ſi tamen commodatum conſiſtat in pecunia, & debitum infra duos menſes probari poſſit, admittitur compenſatio. *inſt. de aĉti.* §. *in bone* eadem inquam res debet reddi, unde verſus:

Mutuo vult ſimilem, commodatum quęrit eamdem.

Eadem, inquam, res non deteriorata, aliter non videtur reddita, & ideò pręſtabitur intereſſe *ff. eo. ſi mihi.* §. 1. ſi verò res non reſtituatur per contumaciam, jurabitur in litem conteſtatatam contra contumacem; ſi autem non fuerit contumax, ſed culpa ceſſat rem reſtituere, eſtimabitur quanti ſit res à tempore moræ uſque ad ſententiam, ſed in Judiciis ſtriĉti juris eſtimaretur à tempore moræ, uſque ad tempus litis conteſtatę, ut *in di.* 54. *hac auĉtoritate* hæc Goſ.

Sed quid erit, ſi res penes commodatarium pereat, vel deterior fiat?

Reſpondeo ſecundùm Goſ. & Ber. aut accipit quis commodatum gratia ſui, aut gratia commodantis, aut gratia utriuſque; ſi gratia ſui, quod frequentius contigit, tunc tenetur de dolo, & lata culpa levi & leviſſima, quia debuit in conſervanda re adhibere curam magnam, & etiam mjaorem, quàm de rebus ſuis adhibere ſolebat, ſi alius diligentius rem illam cuſtodire poterat. Pone de prædiĉtis exemplum. Commodatarii dolo periit, quando fraudem commiſit, ut equus comodatus ſibi ſurriperetur, ejus lata culpa fuit, quando equum extra [illegible] num in noĉte reliquit, & comparatur hoc d[illegible] *ff. mandati. ſi fidejuſſor.* Levis culpa fuit, ſi equum in domo poſuit, domum tamen apertam dimiſit. Leviſſima culpa fuit, ſi domum clauſit, non tamen benè interius firmavit; in his omnibus tenetur domino ad eſtimationem rei cum acceſſibus, ſcilicet fętibus, partubus, & fruĉtibus *ff. e. in rebus.* de caſibus autem fortuitis, quos etiam diligens, & fidelis homo providere non poſſit, commodatarius non tenetur, niſi in tribus caſibus.

Unus eſt, ſi caſus ille ſua culpa accidit, ut ſi equum tibi commodavi, ut duceres ad villam, & duxiſti ad bellum, & ideo ſi aliquo caſu equus periit, prejudicium tuum erit, culpa enim tua caſum præceſſit; ſimiliter ſi rem commodatam remiſiſti per nuncium non idoneum; teneris, ſed non teneris, ſi idoneus fuit, licet contrarium evenerit *ff e. argentum.* & idem eſt de depoſito. ſed in mutuo teneris. *extrav. de pig. Significante*; cujus ratio eſt, quia qui commodat, vel locat, vel deponit rei proprietatem, vel poſſeſſionem retinet, & ideo cum ejus, cui creditur nuncius idoneus pecuniam deportat, pecuniam commodantis, vel deponenti deportat, ſed in mutuo dominium transfertur, & ideo ſi pecunia perditur, ei qui eam mutuo accepit perditur.

Secundus caſus eſt, ſi paĉtum intervenit, tunc enim de caſibus certis, & determinatis, & in paĉto expreſſis tenetur; caſus enim fortuiti debent in paĉto ſpecialiter exprimi ſecundum Ber. ſecundum vero Hoſtien, quando aliqui caſus ſpecificantur, & poſtea generalis clauſula ſequitur, tunc de omni caſu fortuito tenetur, cum vix poſſent omnes caſus ſpecificari; aliqui tamen dicunt, quòd ſi contingat alius caſus à ſpecificatis, & nominatis non tenetur, licèt etiam clauſula generalis ſubſequatur, ut ff. *de cauti. ſed & ſi quis.* §. *quæſitum.* Guid. verò Naſo diſtinguit, ſcilicet, quia aut per commodatarium ſtat, quominus omnes caſus numerarentur, putà quia dicit: Longum eſſet omnes caſus numerare, de omnibus ego volo teneri, & tunc de omnibus tenetur ff. *ſi cer. pe. cum quid.* aut non ſtat per eum, ſed commodans dicit: volo, quod tenearis mihi de tali, & tali caſu, enumerans quoſdam, & poſteà ſubdit de omnibus: volo quod tenearis, & tunc de numeratis tantù n[illegible] tenetur, qui illa clauſula generalis tantùm ad ſpecificata trahitur ff. *de tranſaĉti. cum aquiliana.* Si verò dicat: volo, quòd tenearis de omni caſu fortuito, tunc de nullo tenetur, & idem eſt de conduĉtore.

Ter-

Tertius caſus eſt, ſi mora præceſſit caſum, *extra. eo c. uno.* In prædictis tribus caſibus tenetur commodatarius de fortuito caſu, etiam ſi apud commodantem res eodem modo fuiſſet peritura ff. *de lega.* 1. *cum res.*

Si verò quis accipit commodatum gratia commodantis, quod raro accidit, ut cùm quis ornamenta commodat ſuæ ſponſæ, ut ornatior dicatur, tunc tenetur tantùm de dolo, & lata culpa. ff. *e. l. ſi ut certo loco.* §. *interdum.* Si autem commodatum fiat gratia utriuſque, ſcilicet commodantis, & commodatarii, ut cùm communem amicum invitamus, & tu curam ejus rei ſuſcepiſti, & ego argentum ejus ſibi commodavi, teneris de dolo, & lata culpa, & levi, ſed non leviſſima. ff. *e. in rebus.* §. 1.

Item commodatarius tantùm illos caſus non præſtat, quibus reſiſti non poteſt, ut ſunt mortes animalium, quæ ſine dolo & culpa eis accidunt, latronum, hoſtiumque incurſus, piratarum inſidiæ, naufragium, incendium, & hujuſmodi; & quod dictum eſt de latronibus, piratis, & naufragio, verum eſt, ſi res ad hoc ſit alicui commodata, ut eam ſecum peregrè ferat; ſed ſi alicui argentum commodavi, quia ſe amicos invitaſſe dixit, & ipſe ſecum peregrè tulit, debet caſus piratarum, latronum, & naufragii ſuſtinere. ff. *e. in rebus.*

Item ſi commodatarius in re commodata impenſas fecerit, retentioni locus erit, putà quia aquum ſalvari fecit, undè aget ad recuperandas expenſas, majores, intellige; modicæ enim expenſæ, ut cibariorum pertinent ad eum. ff. *e. in rebus.* §. *poſſunt.*

Item ſi res commodata traditur æſtimata, tunc per eſtimationem adjicitur gradus, ut ſi commodatarius tenebatur tantùm de lata culpa, modò tenebitur de levi; ſi de levi, modò tenebitur de leviſſima; ſi de leviſſima, modò tenebitur de caſu fortuito. ff. *eo. l. ſi ut certo loco.* *x. nunc. videndum eſt.* & §. *commodatum.* hæc Hoſtien. *extrav. e. c. uno.*

Item illi, qui rebus commodatis aliter utuntur, quàm eas ad utendum acceperunt, ſi domino nolente hoc faciant, vel etiam hoc domino invito ſe facere credant, furtum committunt; ſi autem hoc domino volente faciant, vel etiam ſi hoc, non invito domino, facere ſe credant, furtum non committunt, ut *inſti. de obli. quę ex delic. naſ.* § *placuit.*

Nota, quòd tunc furtum non dicitur fieri, quando non datur actio furti, ſit tamen furtum ſecundùm aliquos, ſecundùm verò alios non fit furtum; aliqui verò ſic diſtingunt in caſu, quo credit domino diſplicere, ſcilicet, quòd aut verè diſplicet domino, & ſic ille furatur, & furtum fit, aut placet ei, & tunc iſte furatur, non tamen fit ibi furtum, quia non contrectatur ibi res aliena invito domino, quod eſt de ratione furti: furari verò dicit contrectationem rei alienæ, ſicut quandoque aliquis mentitur, non tamen dicit mendacium.

ARTICULUS V.

Quid juris de eo, qui commodat vaſa, vel pondera vitioſa?

Circa quintum, quod eſt de vaſis, & ponderibus vitioſis ſciendum eſt, & primò de vaſis, quòd qui ſcienter vaſa vitioſa commodaverit; ſi ſit effuſum vinum, vel oleum, vel corruptum, tenetur de effuſo, vel corrupto, ut ibidem: ſecùs eſt, ſi ignoranter hoc fecerit. ff. *e. l. penul.* & *extrav. e. in glo.*

Circa eum, verò qui commodavit pondera vitioſa, ſic diſtinguit Hoſtien. ſcilicet quòd ſi ingnorat ea vitioſa, nulli tenetur ff. *commo. in rebus.* ſed locator etiam ingnorans tenetur. ff. *loca. & conduc. ſed addes.* Si verò ſciat & commodet emptori ſcienti; & venditor decipiatur, tunc etſi dominium non ſit translatum, tamen emptor facit furtum, & etiam commodans opem ferendo, & ideo conveniri poteſt à venditore actione furti, & conditione furtiva; ſed ſi dominium ſit translatum, & emptor ſit ſolvendo, venditor aget contra eum, quia ſcienter plus juſto accepit, ſed ſi emptor non ſit ſolvendo, aget contra commodantem actione de dolo, & idem eſt in caſu præcedenti, ſi emptor non ſit ſolvendo. Si autem emptor ſit deceptus, qui ſcienter recipit vitioſa, non aget, & idem eſt ſi uterque, ſcilicet emptor, & venditor ſciebat; ſed ſi uterque ignorabat, & venditor eſt deceptus, tenetur commodans actione de dolo, & idem eſt ſi emptor ſciebat, ſed non eſt ſolvendo; ſi verò uterque ignorabat, & emptor eſt deceptus, habet contra commodantem contrariam commodati, per quam ab eo conſequetur, ſi quid ſua interſit; & idem eſt, ſi emptor ignorat, & venditor ſciat, licèt enim hic venditor teneatur, nihilominus & commodans; ſi autem commodet venditori, & ipſe ſit deceptus, in nullo caſu habet contra commodantem actionem de dolo, cùm habeat aliam contrariam ſcilicet commodati; ſi verò emptor ſit deceptus in hoc caſu, quo ſupra dictum eſt, quòd contra venditorem habet regreſſum, agere non poteſt contra commodantem aliqua actione; ſed in quo caſu regreſſum non habet, ut quando emptor & venditor ignorabant, & dixerunt quòd ſtaretur illis, ſive eſſent æqua, ſive non, & in duobus caſibus, in quibus dictum eſt venditorem teneri, ſi non eſt ſolvendo, tenetur commodans actione de dolo, & ſunt hæc vera, quando dictum fuit, quibus ponderibus ſtaretur, & menſuraretur; ſi autem hoc non ſit dictum, ſenſiſſe videtur de ponderibus in regione conſuetis. ff. *de emp. & vend. imperatores*, & ſi hoc non appareat, de minimis videtur ſentiſſe. ff. *de reg. ju. ſemper.* & *extrav. de cenſi. ex parte.*

ARTICULUS VI.

Quæ actiones naſcuntur ex contractu commodati?

Circa ſextum, quod eſt quæ actiones naſcuntur ex hoc contractu, ſciendum, quòd duæ actiones ex eo naſcuntur, ſcilicet directa, & contraria: directa datur commodanti, & ejus hæredi contra commodatarium, & ejus heredem ad ea, quæ ſibi tenetur; quæ etiam patent ex ſupradictis. Contraria verò datur commodatario, & ejus heredi contra commodantem, & ejus hæredem ad ea, quæ ſibi tenetur, quæ ſimiliter patent ex ſupradictis.

TITULUS XVII.

De Depoſito.

POſtea conſiderandum eſt de depoſito Et primò, quid ſit, & undè dicatur?

Secundò, in quibus rebus conſiſtit?

Tertiò, quomodo habeat fieri?

Quartò, in quibus teneatur depoſitarius deponenti.

Quintò, de actione depoſiti. Ideoque ſit;

ARTICVLVS I.

Quid ſit depoſitum, & undè dicatur?

Circa primum ſciendum, quòd depoſitum, eſt, quod alicui cuſtodiendum eſt traditum; nam rei depoſitæ cuſtodia, & à deponente ſperatur, & depoſitario ex toto committitur Et hinc eſt, quòd dicitur depoſitum, quaſi deorſum, ſcilicet à deponente poſitum, ut oſtendatur totum fidei depoſitarii eſſe commiſſum, quantum ſcilicet pertinet ad cuſtodiam, & in hoc, quod dicit *cuſtodiendum* patet, quòd rei depoſitę, ſicut & commodatę poſſeſſionem, dominium, & proprietatem retinemus. ff. *e. licet.* §. *rei.* quandoque tamen dominium rei depoſitæ tranſit in depoſitarii dominium, & tamen agitur depoſiti, ut cùm apud te depono aliquid eorum, quæ ſunt in numero, pondere, & menſura, & convenio tecum in hoc, ut inde aliquid reddas mihi, vel tantum ejuſdem generis, quod obtines, ſive illud expreſſè conveniam, ſive tacitè videar convenire; ut cùm aliquid ex prædictis apud te depono non ſignatum, nec clauſum; ſi enim ſignatum vel clauſum depono, videor te prohibere, ne utaris eo, niſi in contrarium agatur, ut ff. *e. Lucius.* & *l. die.* §. *qui pecuniam.*

ARTICULUS II.

In quibus rebus depoſitum conſiſtat?

Circa ſecundum ſciendum, quòd depoſitum conſiſit in rebus mobilibus, & ſe moventibus, & in rebus, quæ non ſunt depoſitarii; undè non rem meam apud me deponas, quia neque commodatum, neque depoſitum, neque præcarium, neque conductio tenet in re mea propria, niſi rem meam ab eo, quem ſcio eam poſſidere impetrem præcario, vel conductione, vel alio ſimili modo, ut ff. *e. qui rem.* Caſualiter autem deponitur res immobilis, cùm res, de qua habetur quæſtio ſequeſtratur, id eſt apud ſequeſtrum deponitur res immobilis, cum his convenit Ber. *extrav. e. c. bona fides.*

ARTICVLVS III.

Quomodo habeat fieri depoſitum?

Circa tertium ſciendum, quòd depoſitum ſolet fieri per Chirographum, vel cum Chirographo, hujuſmodi verò Chirographum ſolet dividi, & una pars datur depoſitario, altera verò remanet deponenti, ut ex junctura partium probatio fiat; ſed hæc probatio nec eſt juris, nec de jure, quia non creditur privatæ ſcripturæ, niſi ſubſcriptionem habeat trium teſtium fide dignorum, ut *C. qui po. in pig. ha. ſcripturas.*

ARTICULUS IV.

In quibus depoſitarius teneatur deponenti?

Circa quartum, ſcilicet in quibus tenetur depoſitarius deponenti eſt ſciendum, quòd natura depoſiti eſt, ut res depoſita reddatur, hoc enim de jure naturali eſt, ut *di.* 1. *jus naturale.* reddatur inquam, deponenti, fallit autem in quatuor caſibus. Primus eſt, cùm quis gladium deponit, & furens repetit. 22. *q.* 2. *ne quis.* Secundus eſt, cùm deponens fuerit deportatus, bona enim ejus in publicum deferuntur. Tertius eſt cum fur deponit, & repetit, ſi repetitio vi domini cum furis repetitione concurrit, quia tunc potior eſt cauſa domini; ſi tamen fur rem repetat, debet ſibi reſtitui ſecundùm Azo. & Ber. *extrav. eo. bona.* undè actio depoſiti datur furi, non autem furti. ff. *de furtis. itaque.* Quartus, cùm fur apud illum deponit, à quo ſurripit, vel proprietarium. ff. *eo. bona fides.* Debet autem res depoſita reddi non deteriorata, aliàs actione depoſiti poteſt agi; cùm enim deterior redditur, poteſt dici dolo malo reddita eſſe, quòd intellige, ſi ſit deteriorata vitio depoſitarii; ſecùs eſt, ſi vitio rei, vel caſu fortuito. ff. *e. l.* 1. & *extrav. e. bona fides. in glo.*

Quid ſi res apud Eccleſiam deponitur, quod fieri videtur cum in theſaurariam, vel ſacriſtiam infertur, numquid Eccleſia de ea tenebitur

bitur, ſi amittatur?

Reſpondeo quod ſic, ſi ſit illata præſentibus Prælato, & Capitulo, quia tunc videtur commendata Eccleſiæ, non perſonæ tantùm, ſicut dicitur nauta, & caupo de rebus invectis, & illatis teneri, ut ff. *nau. cau. ſta. l.* 1. §. *ult.* ſecùs eſt, ſi Prælatus, & Capitulum non ſint præſentes, tunc enim non Eccleſia, ſed perſona, quæ rem recipit obligatur, bene tamen tenetur Eccleſia de re illa, ſi in ejus utilitatem fuiſſet converſa, quia tunc teneretur Eccleſia, ſi apud eam, vel aliquam ejus perſonam non fuiſſet depoſita. *extrav. eo c.* 1. *inter, & in glo.*

Quid ſi depoſitarius reddat depoſitum alieno ignorante?

Reſpondeo, liberatur ff. *e. l.* 1. §. *ſi rem.* non enim tenetur tunc, niſi cedere actionem deponenti ſ contra illum cui reddidit ff. *de peculio quod debetur.* Secùs eſt de debitore, qui non liberatur ſolvendo falſo procuratori, licèt credat eum procuratorem, & hoc ideo quia depoſitarius tenetur tantùm de dolo, & ideo ſufficit, quòd cedat actionem deponenti; eſt etiam obligatus in ſpecie, immo cum poſſidere definit illam ſpeciem ſine fraude, liberatur, ſed debitor eſt obligatus in genere, ideo ſolvendo alii non liberatur. ff. *ad l. fal. l. in ratione legis fal.* 2. §. *incertè autem. ff. de ver. ob. ſi ex legati.* hæc Hoſtien. *extrav. de jure. ca. te.*

Quid ſi plures depoſuerunt, numquid reddetur alteri eorum, ſi petet?

Reſpondeo quòd ſic, ſi hoc in depenendo ſit actum, aliàs pro parte tantum, quia etiam duo heredes agunt *ff. eo. l.* 1. *ſi pecuniam*, Si autem duo deponant hoc pacto, quod non reddatur uni ſine altero, hoc ſervari debet, unde ſi reddat uni, neuter agere poteſt, ſi depoſitarius negat ſe reddidiſſe, nec reddere cogitur alicui, qui non ille cui reddidit, quia ille non poteſt agere, nec ille, cui non reddidit, quia non tenetur ſine alio reddere; hæc Hoſtien.

Sed numquid depoſitarius tenetur in hoc caſu deponenti, ſi res depoſita periit?

Reſpondeo res depoſita aut periit dolo, vel culpa depoſitarii, aut caſu fortuito; ſi dolo tenetur: eſt autem dolus ſtudioſa machinatio *ff. de dolo. l.* 1. ut cùm depoſitarius latenter ſignificat furi, ubi res depoſita ſit, ut eam tollat, & ſecum dividat; tenetur autem de dolo in tantum, quod ſi etiam de dolo conveniat, non conveniatur, talis conventio non valet, quia eſt contra bonos mores. ff. *eo. l.* 1. §. *ſi conveniat.* Si verò periit culpa depoſitarii, aut culpa lata, aut levi, aut leviſſima: eſt autem culpa lata, ſi rem propriam poſuiſti in arca, & rem depoſitam reliquiſti in banco, & hæc comparatur dolo. ff *man. ſi fidejuſſor.* Præſumitur enim dolus, ſi curam camdem non habuiſti de depoſitis, quam habuiſti de tuis; bona fides etiam abeſſe præſumitur, id eſt ſecundùm Goſ. dolus adeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſalvis depoſitas amiſiſti. *extrav. e. bona fides*, Levis autem culpa eſt, ſi rem depoſitam in archa poſuiſti, & eam clauſiſti, ſed clavem inceautè dimiſiſti Si enim periit culpa lata tenetur ſicut de dolo, quia hic præſumitur dolus, ſicut dictum eſt, & ſufficit hæc præſumptio ad condemnationem ſecundùm Ber. Si verò periit culpa levi, & leviſſima tenetur in pluribus caſibus. Primò, ſi depoſito ſe obtulit, quia ſibi deponi petiit, ut *extrav. e. c.* 2. Secundò, ſi aliquid pro cuſtodia recipit, & tunc ſi recepit pecuniam, agetur contra eum actione ex conducto; ſi verò ſpeciem, vel operas agetur actione præſcriptis verbis, ut *ff. e. l.* 1. §. *ſi quis ſervum:* Tertiò, ſi per pactum in ſe culpam levem, & leviſſimam recepit, ut *in d. l.* 1. §. *ſi conveniat.* Quartò, ſi moram in reſtituendo fecit. ff. *eo. ſi in aſia.* §. *ult.* Quintò, ſi res cauſa ſui apud eum fuit depoſita, ſcilicet, ut uteretur ea ff. *e. l.* 1. §. *ſi pecunia* cum his convenit Ber. *extrav. e. c.* 2. Si verò periit caſu fortuito non tenetur, quia caſus fortuiti nequeunt prævideri; tenetur tamen etiam tunc in pluribus caſibus, Primò, ſi pactum de eo intervenit, ut *extrav. e. c.* 2. ff. *e. l* 1. §. *ſæpe.* ita tamen, quòd omnes caſus ſpecificentur in pacto ſecundùm Ber. Sed de hoc pleniùs in præcedenti titulo prænotatum eſt. Secundò, ſi mora in reſtituendo præceſſit caſum, ut quia candelam ardentem in camera plena palea dimiſiſti, & comburatur domus, in qua liber erat depoſitus, vel rem depoſitam per nuncium non idoneum remiſiſti, Tertiò, ſi dolus caſum præceſſit; ut ſi aliis rem depoſitam vendidit, & eam poſtea redemit, ut haberet eam in cauſa depoſiti, etiam ſi ſine dolo ejus periit, tenetur, quia ſemel commiſiſſe dolum ſufficit. ff. *eo. l.* 1. §. *ſi rem* Si tamen pœnitentia ductus eam redimat, & in proprio ſtatu habeat, vitium purgatur, ff *de uſucapi. l. ſequitur.* §. *item labeo.* & idem eſt ſecundùm Goſ. ſi dolum non in alienando, ſed in utendo committat, ut ff. *de condi. fur. qui furtum.* Quartò, ſciendum aliquos, ſcilicet ſecundùm Goſ. ſi apud aliquem tantum gratia ejus res depoſita fuit, ff. *e. l.* 1. §. *ſæpe alii contra.* in prædictis caſibus tenetur depoſitarius, etiam ſi res apud deponentem ſimili modo periiſſet; ſufficit enim quòd res potuit non perire. ff *de lega.* 1. *cum res.* §. *ulti.* hæc Goſ. & Ber. *extrav. eo. c.* 2. & Hoſtien.

Item nota, quòd in depoſiti repetitione non habet locum compenſatio in toto, nec deductio in parte, ut *extrav. eo. c.* 2. §. *ſanè*, ubi etiam notatur, quòd depoſitum cum depoſito non compenſatur, ſed qui primò deponit, primò recipit *C. e. l. pen. ult.* non habet etiam locum propter expenſas retentio ſecundùm Goſ.; ſed Accur. dicit contrarium, ſcilicet in caſu, quando depoſitarius fecit expenſas ratione rei depoſitæ, Petere enim poteſt eas à deponente ff. *e. actione enim. nec doli exceptio C. e. l. pe.* undè depoſitarius non poteſt excipere contra deponentem depoſitum repetentem de dolo, dicens: repetis dolo, quia feciſti mihi pactum, quod uſque ad meam mortem non repeteres; depoſitum enim quandoque

Digitized by Google

doque repeti poteſt, etiam ſi cum pacto depoſitum fuerit, ut poſt mortem depoſitarii repetatur, poterit enim deponens mutata voluntate repetere, ff. *eo. l.* 1. §. *ulti.* niſi apud ſequeſtrum res depoſita fuerit, quæ repeti non poterit, niſi lege ſequeſtrationis impleta; nec etiam ibi locum habet exceptio expoliationis ſecundùm aliquos. Alii dicunt veriùs quod bene habet locum exceptio talis, ſaltem in modum reconventionis, quæ favorabilior videtur, quàm actio depoſiti, licèt illa ſit bonæ fidei, hæc Ber. *extrav. de ord. cog. c.* 2. & Hoſtien.

Nota inſuper, quòd depoſitarius utendo re depoſita committit furtum, ſi ſit expreſsè prohibitum, ne ea utatur, ff. *e. ſi ſtichus.* aliter non committit, dummodò hoc putat, dominum permiſſurum, etiam ſi hoc minus probabiliter putet. ff. *de furtis. qui re.* committit etiam furtum, ſi depoſitum cauſa intercipiendi abſconderit. ff. *de furtis. l.* 1.

Ad hæc etiam nota, quòd ea, quæ rebus depoſitis accedunt, depoſita non ſunt, ut ſi homo veſtitus deponatur, veſtis non eſt depoſita, ſed homo; vel ſi equus cum capiſtro deponatur, ſolus equus eſt depoſitus, ff. *e. l.* 1. §. *quæ depoſitis.* ubi attendendum ſecundùm Accur. quòd ſi quis dicat ſic: depono equum cum capiſtro, tunc deponit non tantum equum, ſed & capiſtrum; ſi verò dicat depono equum, qui eſt capiſtratus, non deponit capiſtrum, tenetur tamen de cuſtodia ejus ille, apud quem deponitur equus; aliter depoſiti agetur contra eum non tantùm ut pro depoſito, ſed ut pro acceſſorio depoſiti. *ar.* ff. *commo. ſi ut certo.* §. *uſque adeo &c.* Repetitur autem depoſitum quandocunque placuerit deponenti, non obſtante aliquo pacto, ut dictum eſt ſupra. *extrav. eo. bona, in text. & in gloſ.*

ARTICVLVS V.

De actione Depoſiti.

CIrca quintum, quod eſt de actione depoſiti, ſciendum, quòd hæc actio datur deponenti, hoc tamen fallit in caſibus ſupradictis. Datur etiam hæc actio domino, & dominis deponentis ff. *eo. l.* 1. Datur etiam furi, & prædoni deponenti, non obſtante ſuo debito, ut etiam dictum eſt ſupra; agunt enim ex ſuo contractu ff. *e.* § *ſi prædo.* Sed furti non poſſunt agere, nec conſequuntur actionem ex ſuo ſcelere. ff. *de fur. l. itaque fullo.* Datur autem hæc actio contra depoſitarium, vel ejus hæredem ex dolo defuncti, & multò magis ex ſuo. ff. *de acti. & ob. ex depoſiti.* & tenetur hæres etiam de pretio rei ignoranter venditæ. ff. *e. l.* 1. 2. 3. & 4. Ad quæ verò & in quantum hæc actio detur, patet ex ſupradictis; eſt autem hæc actio bonæ fidei. *inſtit. de act.* §. *actionum.* Eſt etiam famoſa, & in tantum, ut hæres ſuo nomine damnatus fiat infamis. *C. eo. qui depoſitum.*

TITULUS XVIII.

De Feudis.

DEinde conſiderandum eſt de feudo, & primò dicendum eſt, quid ſit feudum, & undè dicatur:

Secundò, quot, & quæ ſunt differentiæ feudi?

Tertiò, quæ res poſſunt infeudari?

Quartò, quæ perſona poteſt infeudari?

Quintò, quis poteſt infeudari?

Sextò, quomodo conceſſio feudi fiat?

Septimò, in quos feudum ex ſucceſſione proveniat?

Octavò, quibus ex cauſiis feudum perdatur?

Nonò, coram quo debet quæſtio feudi ventilari? unde ſit;

ARTICULUS I.

Quid ſit Feudum, & undè dicatur?

CIrca primum ſciendum, quòd feudum eſt immobilis rei ob homagium benivola conceſſio, & hæc deſcriptio colligitur *ex li. feudorum ti. in quibus cauſis feudum amittitur*: §. *beneficium.* per hoc, quod dicitur *immobilis rei*, nota, quòd feudum poteſt concedi tantùm in rebus ſoli, vel ſolo cohærentibus, ut ſunt fructus in ſolo pendentes, qui tanquam pars fundi ipſi fundo cohærere dicuntur, ut ff. *de rei ven. fructus.* & in his, quæ inter immobilia computantur, ut cùm de caverna vel camera feudum datur, ut *C. de jure do. l. ulti.* §. *præterea.* dicitur etiam *ob homagium*, id eſt, ob fidelitatem, & fidelitatis debitum à vaſallo præſtandum, undè homagium, quaſi hominis actio dicitur; hic enim vaſallus ſe hominem domini agit, & eidem certis ex cauſis perpetuò ſe ſupponit; dicitur autem *benivola*, quia ſit ex grata benivolentia; undè vocatur beneficium *in prædicto* §. *beneficium.* Per hoc autem, quod dicitur *conceſſio*, & non translatio notatur, quòd apud dominum directum dominium, & proprietas directa remanent: vaſallus verò acquirit ſibi uſumfructum, & habet etiam naturalem poſſeſſionem. ff. *de acquiren poſ. naturaliter. & l. poſſeſſio.* poſſidet enim ſibi, & habet quaſi dominium, & utilem rei vendicationem. ff. *ſi ager vectigalis vel emphi. pe. l.* 1. §. *qui in perpetuum.* Dicitur autem feudum à fidelitate, vel fide, quam vaſallus domino jurare, & præſtare tenetur, ut *in li. feudorum. ti. per quos fiat inveſtitura* §. *fœminam quoque.* Fidelitas autem hic dicitur jusjurandum, quòd à vaſallo domino præſtatur.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Quot, & quæ ſint differentia feudi?

Circa ſecundum, ſcilicet quot, & quæ ſunt differentiæ feudi, ſciendum, quòd feudorum aliud eſt paternum, ſcilicet quod à communi patre eſt acquiſitum; aliud maternum, quod eſt per matrem acquiſitum; aliud novum, quando ſcilicet de novo eſt acquiſitum; non eſt autem feudum novum, ſcilicet quod iterato confertur *extrav. eo. ex parte.* undè aliud eſt infeudare, quod non licet, aliud reinfeudare, quod licet.

Item ſecundùm Guil. Duran. duplex eſt homagium, ſcilicet ligium, & non ligium. Ligium eſt illud, quod fit Imperatori, vel Regi, nullius alterius fidelitate ſalva & dicitur ligium, quaſi ligatum, vel quaſi legalitatis contentivum, non ligium verò eſt illud, quod fit aliis ſalva fidelitate Imperatoris, vel Regis.

ARTICVLVS III.

Quæ res poſſunt infeudari?

Circa quod ſciendum, quòd res quæ prohibentur alienari, non poſſunt in feudum concedi, ut *in ti. per quos fiat inveſtitura.* nam in conceſſione feudi fit alienatio ſaltem utilis dominii; undè ſecundùm Gof. res feudales, id eſt, quæ in feudum dari conſueverunt, poſſunt In feudum concedi. Quæ verò feudales non ſunt, feudari non poſſunt, niſi in quatuor caſibus. Primus eſt, ſi feudatarius moriatur, & feud um ad Eccleſiam revertatur; tunc enim Prælatus poteſt illud feudum alteri dare, non obſtante juramento, quod fecit de non infeudando de novo *extrav. e. ex parte.* Secundus eſt, ſi vaſallus feudum Eccleſiæ alienavit, & propter hoc illud perdit; tunc enim Prælatus poteſt illud dare filio alienantis, vel ejus conſanguineo ſine licentia Papæ. *ut ibidem.* Tertius eſt, ſi vaſallus Eccleſiæ feudum alienavit, quòd Eccleſia facilè recuperare non poſſit. tunc enim Prælatus dare poteſt illud alicui laico, qui ipſum recuperet, & ab Eccleſia recognoſcat Quartus eſt ſi Prælatus aliquis aliquibus propter obſequium ſibi ab eis præſtitum conceſſit de licentia Papæ terram aliquam ſub certa menſura in feudum, & illa terra poſtea ſub illa menſura fuerit inventa deficere; tunc enim ſucceſſor menſuram illam poterit integrare. *extrav. de dona. per tuas*- Ex prædictis patet & habetur, quòd juramentum de non infeudando de novo non extenditur ad feuda antiqua, ſed tantum ad illa quæ nunquam fuerunt in feudum data,

Item nullus debet cogi pro ſpiritualibus homagia facere, hoc enim eſſet ſymonia. *extrav. de ſymo. ex diligenti.*

Utrum autem decimæ in feudum poſſint concedi, require infra *ti. de decimis,*

Ad videndum etiam quæ res infeudari poſſunt, valent ea, quæ dicta ſunt immediatè poſt deſcriptionem feudi.

ARTICVLVS IV.

Quis poteſt infeudare?

Circa quod ſciendum, quòd Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas, & Præpoſitus, ſi conſuetudo fuerit, feudum concedere poſſunt.

Item Marchiones, Duces, & Valvaſſores, ut *in lib. de feud. in ti.* 1 Item minores, et minimi, ut *in eo. li. tit. de natura feudi.* & hoc eſt verum, ſi habent legitimè ſuorum bonorum adminiſtrationem, qui enim ratione qualibet prohibetur aliquid de bonis ſuis alienare, nec inveſtituram feudi poteſt facere.

Nota tamen. quòd quando fit inveſtitura per minorem, aut fit de beneficio veteri, & tunc valet; aut de novo, & tunc non valet. *eodem libro, titulo, per quos recipiatur. in prin. fœminam.* etiam conſentiunt plerique inveſtituram novi feudi facere poſſe, ut *in eo. tit.*

ARTICVLVS V.

Quis poſſit infeudari?

Vndè ſciendum, quòd circa hoc non diſtinguitur. nam & ſervus infeudari poteſt niſi ignorantia prætendatur, ut quia liber putabatur; & hoc eſt verum, ſi ſit talis, qui ſervire de feudo poſſit. Igitur mutus, ſurdus, claudus, vel aliàs imperfectus; Clerici etiam, & omnes Religioſi feudum accipere non poſſunt, immo ſi habent, perdunt, ut *in li. feu. ti. an mutus.* Poteſt etiam minor, ideſt impubes feudari, non faciet tamen fidelitatem antequam venerit ad pubertatem, & ſi eam antea fecerit, non tenetur, quia fidelitas illa, ut dictum eſt ſupra, fit per juramentum, quod firmamentum non habet ab impuberibus factum, ut *in li. feu. ti. ſi de feudo controverſia fuerit.* Poteſt etiam fœminæ concedi feudum fœmineum, ut *in li. feu. tit. de beneficio fœminæ.* Poteſt autem infeudatio, etiam per nuncium. vel procuratorem à parte qualibet expediri, ut *in ti. per quos fiat inveſtit.*

ARTICVLVS VI.

Quomodo conceſſio, ſive inſtitutio feudi fiat?

Circa quod ſciendum, quòd fit pro honore domini, & amore vaſalli, & per inveſtituram, ut *in li. feu. ti. quibus modis poteſt feudum conſtitui.* Eſt autem inveſtitura propriè poſſeſſionis rei traditio; impropriè verò eſt alicujus corporei loco poſſeſſionis in manibus poſitio, ut quando dominus vaſallo porrigit haſtam, vel aliquid ſimile, dicens ſe facere inveſtituram, ut

in

in ii. feu. ti. quid eſt inveſtitura.

Debet autem inveſtitura coram teſtibus fieri, non quidē quia ſine teſtibus, vel inſtrumento non valeat, ſed ut veritas probari poſſit, ſi oporteret, & ſi quidem dominus inveſtituram faciat de beneficio novo, tunc ſi pares, ideſt vaſallos habet, coram tribus, vel ſaltem duobus ex illis eam facere tenetur; ſi verò non habet pares, ſufficit, quòd faciat eam coram aliis idoneis teſtibus; ſi verò inveſtiat de veteri beneficio coram quibuſcumque teſtibus idoneis ſive paribus, ſive aliis hoc facere poteſt, ut *in li. feu. ti. qui teſtes ſunt neceſſarii*; ſi verò clericus faciat inveſtituram, & de rebus propriis, tunc idem debet ſervari, quòd in inveſtitura laici; ſi verò faciat de rebus Eccleſiæ, teſtes adhiberi poſſunt indifferenter pares & extranei, ſecundùm Hoſtien. facta verò inveſtitura, debet vaſallus domino ſacramentum fidelitatis præſtare; hujuſmodi autem ſacramentum ſecundùm diverſarum curiarum varias conſuetudines diverſimodè ordinatur, & quidem in Summa Rolandina talis ordo traditur, ſcilicet quòd vaſallus promittit domino, & corporaliter jurat ad ſancta Dei Evangelia de cætero ſibi, & fidelibus ſuis eſſe fidelis vaſallus; ipſumque, & hæredes ſuos res, jura, & honores eorum pro poſſe fideliter conſervare, & nullatenus aliquid, quod in detrimentum, periculum, ſive damnum perſonæ, vel perſonarum, rerum, jurium, & honorum ſui, ſuorumque hæredum verti poſſit, per ſe, vel per alium tractare, vel modo alio machinari, immò ſi quos hoc, vel eorum aliquid tractare, vel procurare ſenſerit, quàm citò poterit ei indicare; & quicquid ſibi ſub fide, & credentia ab eodem depoſitum fuerit, ſecretum tenebit, & perſonam, res, jura, & honores contra quoſcumque exceptis Imperio Romano, & his, quibus debito fidelitatis ipſius priùs aſtrictus erat, tueri, & totis viribus adjuvare, & generaliter veram, & puram fidelitatem ſibi, ſuiſque hæredibus reddere, ac per omnia impartiri & his verò, ſic factis tenetur dominus vaſallum inducere in vacuam poſſeſſionem, ut *in li. feu. ti. quid ſit inveſtitura.* Mortuo autem domino, vaſallus, vel ejus hæres dominum, vel ejus ſucceſſorem infra annum, & diem honorificè debet adire, & inveſtituram petere, & fidelitatem promittere, dominus verò incontinenti debet inveſtituram facere, & fidelitatis ſacramentum recipere, quod ſi non fecerit, vaſallo non debet obeſſe, ex quo inveſtituram ſicut debuit, poſtulavit; quinimmò ſi dominus ultra annum, & diem hoc facere differret, proprietate privari debet; ſicut etiam ſi vaſallus ultra annum, & diem inveſtituram petere differret, beneficio debet privari *ar. ti. qualiter dominus proprietate privatur*, & *in ti. ſi de feudo controverſia fuerit. §. domino committente.*

Ex prædictis patet ſecundùm Hoſt. quòd licèt vaſallus generaliter juret, quòd in omnibus caſibus juvabit dominum. & contra quemlibet, non tamen juvabit eum contra dominum antiquiorem, niſi ſit excommunicatus, vel à Rege bannitus, quia interim vaſallus eſt a ſacramento fidelitatis abſolutus; nec etiam juvabit eum contra Imperium, vel Papam. *extrav. de jurejur. venientes.* alias vaſallus debet juvare dominum contra omnem hominem etiam contra fratrem, vel filium.

Sciendum autem, quòd unus poteſt eſſe vaſallus plurium. *extrav. de privi. cum capella* tamen nullus poteſt eſſe homo ligius diverſorum dominorum, ſed bene homo non ligius pro diverſis feudis, quæ tenet à diverſis. *extrav. de ſup. ne. pre. ſicut.* eſt autem homo ligius alicujus, qui eſt homo ejus juriſditioni ſubjectus quoad perſonam, & quoad alia bona ſua, quæ habet ab alio in feudum non ligium; eo enim ipſo quia perſonam ſuam ei principaliter ſubjicit, videtur ipſi bona ſua ſubjeciſſe. *ar. ff. de adop. ſi. pater.* homo verò non ligius alicujus eſt, qui non eſt ejus juriſditioni ſubjectus, niſi in quantum feudum ſe extendit; ſi igitur ſit aliquis homo non ligius duorum dominorum contra ſe invicem bellantium juvet illum perſonaliter, cui primò fecit homagium, & alterum juvet ſecundùm vires ſui feudi per alium ſubſtitutum; hæc Guil.

Quid ſi vaſallus minores plures filios reliquerit?

Reſpondet Hoſtein. quòd omnes facient fidelitatem, & feudum habent indiviſum; ſi verò ad unum eorum ex diviſione pervenerit, ille ſolus jurabit. Ad hoc nota, quòd pactum commiſſorium ita eſt in feudis, ſicut in pignoribus prohibitum, putà ſi pactum fuit, quòd ſi pignus infra certum diem non redimatur, creditoribus in feudum detur, non valet, ut *dicitur in li. de feu.*

Quid autem ſit pactum commiſſorium? vide ſupra *ti. de pignoribus. ar. 6.* circa finem.

Sed nunquid vaſallus ſequetur dominum ad exercitum ſub ſumptibus domini, vel ſuis? Reſpondet Guil. quòd ſumptibus propriis ſi pingue feudum habet; ſi verò modicum, ſequetur ſumptibus domini *ff. de ope. li. ſuo victu.* hoc tamen magis pendet ex prædictis.

Nunquid vaſallus tenetur ſequi dominum ultra mare? Reſpondeo, quidam dicunt, quòd ſic, ſi anteceſſores domini conſueverunt pugnare cum barbaris, ſicut Rex Franciæ, inſtar patroni, qui conſuetas operas indicere poteſt liberto. *ff. de pig. ac. vel univerſorum.* Rex tamen tenetur ſibi providere expenſis in toto, vel in parte arbitrio boni viri conſiderata quantitate feudi, ſi verò non conſueverunt, non tenetur. hæc Guil.

Eſtò quòd aliquis Epiſcopus habeat aliquam villam in feudum à Rege, & de illa Baronem infeudat, & Rex poſtea emat eam à Barone, nunquid Rex faciet homagium Eccleſiæ?

Reſpondeo: quidam dicunt, quòd non tenetur, ſed faciet quandam compenſationem dicens Epiſcopo: tu teneberis mihi homagium facere pro tali villa, & talis Baro in cujus locum

ſucceſſi tenebatur illud facere tibi, unde ſis liberatus ab homagii præſtatione. *ar. C. ſi pars hæreps. l. 1. §. penul.* Alii dicunt, quòd debent homagium ſibi invicem facere, ut ſic ſibi invicem ſerviant bona fide. *ar. ff. ſi cer. pe. ejus, qui in provincia.* hæc Guil.

Numquid filius vaſalli mei eſt vaſallus meus?

Reſpondeo homagium poteſt fieri propter tria. Primò propter emendam injuriæ illatæ; & tunc filius hominis mei non eſt meus, quia filius non portabit iniquitatem patris, nam ſi propter delictum patris filius non perdit bona, multò minus debet perdere ſtatum perſonæ. *ar in aut. ut nulli judice. §. ult.* Secundò, propter bona, ut cum quis mihi ſubjicit bona ſua, & à me recipit in feudum illa, & tunc quia videtur mihi ea tradidiſſe, ſi filius à bonis paternis abſtinere voluerit, homo meus non erit. Tertiò propter tuitionem perſonæ, ut cum quis principaliter ſe facit hominem meum, ut à me defendatur, & tunc perſona filii erit homagio aſtricta; pater enim filium impuberem ſub tutoris poteſtate conſtituere poteſt, ergo & per conſequens ſub domini poteſtate. *ff. de tutel. l. 1.* hæc Guil.

Quid de vaſallo vaſalli mei, nunquid eſt vaſallus meus?

Reſpondeo quod non; nam libertus liberti mei non eſt libertus meus ff. *pro ſocio. l. nam ſocii.*

Sciendum autem, quòd ſicut domino fidem ſervare tenetur vaſallus, ſic & vaſallo dominus, & ſicut vaſallus ſi non ſervet fidelitatem domino, feudum perdit, etiam & dominus ſi non ſervet fidem vaſallo, dominio privatur, quod in eo habuit, & ad ſuperiorem feudum tranſit, ut *in tit. quemadmodum feudum amit. hæc Jo. 22. q. ult. ex delicti.* & idem vult Hoſtien. *in ſum.* Poteſt tamen vaſallus feudum invito domino retinere, et tunc non tenetur domino ſervire, in memoriam tamen antiqui dominii non debet eum offendere, ut *in c. li. de feu.*

Nota tamen, quòd ſicut innuitur *extrav. de exceſſ. præla. gravem. & in glo.* Ber. ibidem cùm dicitur, quòd propter fidelitatem non ſervatam ad dominum amittatur feudum, intelligitur per ſententiam ſuper hoc latam, non ipſo jure. Similiter et è converſo, ſi dominus aliter ſe habeat circa ſubditum, quàm debeat, videtur, quòd ſubjectus ipſo jure non debeat ei obedientiam denegare, ut innuitur *diſt. 45. eſto ſubjectus.* Agat ergo per ſuperiorem *ar. 11. q. 3. ſi epiſcopus.* et idem vult Hoſtien. In quibuſdam tamen caſibus perditur ipſo jure, ut ſi feudum ſit alienatum ſecundùm Innó. *extrav. c. ſuper c. 2.* Ad hoc nota, quòd domino indigenti debet vaſallus alimenta præſtare ff *de li. agnoſcen. necar.* Inſuper nota ſecundùm Hoſtien. *in ſum. eo. ti.* quod vaſallus ſervire debet ſecundùm quod conventum eſt, et feudi natura requirit ſecundùm diverſarum conſuetudines regionum, et ipſis deficientibus, utitur jure ſcripto; undè in feudo ante omnia ſervanda ſunt pacta, quibus deficientibus conſuetudo regionis debet inſpici, qua deficiente, jure ſcripto poterit uti.

ARTICULUS VII.

Ad quos feudum jure ſucceſſionis perveniat?

Circa quod ſciendum, quòd in feudo non ſuccedunt aſcendentes, ut pater filio, ſed deſcendentes, primò filius, non filia, poſtea nepos ex filio, non neptis, et ſic in infinitum maſculi deſcendentes ex maſculo; his verò deficientibus primò ſuccedunt fratres, et fratrum premortuorum filii, deinde agnati ulteriores, et ſic in infinitum, ut *in ti. de natura ſucceſſionis feudi. c. 1.* Dicit tamen Hoſtien. quòd de conſuetudine imperii non ſuccedit niſi filius, qui deſcendit, immo feudum ad imperium redit, & ſic in Alemania per pares judicare vidit per proceres. Quod autem dictum eſt, quòd in feudo filius patri ſuccedit, intelligitur de filio naturali, vel legitimo; ab initio enim ſuccedit adoptivus, nec naturalis, vel natus ante deſponſationem, niſi poſtea factus ſit legitimus, ut *in ti. ſi de feudo controverſia ſit. §. adoptivus. & c. naturales* hoc etiam vult Hoſtien. *extrav. qui fi. ſunt le. c. 1.* non ſuccedit etiam natus de ſecunda uxore, morganatica lege accepta. Dicitur autem ex morganatica, quando aliquis habens liberos de prima uxore, ea mortua, ducit ſecundam tali pacto, quòd nec ipſa, nec filii ejus ſuccedant, nec de bonis patris habeant, niſi quantum tempore ſponſaliorum accepit, et talis filius in feudo non ſuccedit, immo nec etiam in proprietate extantibus liberis uxoris primæ, ut *in eodem lib. tit. de filiis natis de matrimonio c. quidam habens filium.* Quod autem dictum eſt ſupra, quòd deficientibus maſculis ex maſculo deſcendentibus, ſuccedunt primò fratres, eſt intelligendum de feudo acquiſito ab antiquo, id eſt, ab eo qui fuit pater communis totius cognationis, aliter ſecùs eſt; ſi enim aliquis fuerit de novo beneficio inveſtitus, eo ſine maſculo legitimo defuncto, non ſuccedit frater ejus, vel filius fratris in feudo, ſed ad dominum revertetur, ut *in ti. de naturali ſucceſſione feudi*; undè etiam duobus fratribus inveſtitis, uno ſine prole defuncto, non ſuccedit ei alter in feudo, immo pars ejus ad dominum reddit, niſi ex ea lege inveſtiti fuiſſent, ut ſibi invicem ſuccederent, vel niſi illud de communi pecunia à vaſallo emiſſent domino conſentiente, quia aliàs venditio non teneret, vel niſi fuiſſet acquiſitum per utriuſque fratris ſervitium, putà ſimul fuerunt in exercitu Regis hoſtes debellando, ſecundùm Hoſtien. ut *in ti. qui feudum dare poſſunt. §. cum verò.* Quòd verò dictum eſt ſupra, quòd filia, vel proles ex ea deſcendens non ſuccedit in feudum, fallit in duobus caſibus, unus eſt ſi ſit feudum fœmineum, vel fœminæ

minus conceſſum. tunc enim deficientibus maſculis ad fœminas pertinebit, ut *in ti. de beneficio fœminæ.* Secundus eſt, ſi ſit tali pacto acquiſitum, ut ſcilicet deficientibus maſculis ad fœminas devolvatur, quia quod fuit actum, eſt ſervandum, ut in *ti. de ſucceſſione feu. §. filia.*

Numquid filius poteſt feudum retinere repudiata hæreditate patris, ad hoc ut non teneatur ſolvere debitum ejus?

Reſpondet Hoſtien. in ſum. quòd non, ſed aut totum debet repudiare, aut totum retinere, niſi dominus eum tanquam de novo beneficio inveſtiat agnatis conſentientibus, quia tunc illud bene retinebit ſine aliquo onere hæreditario; ſecùs autem eſt, ſi agnati non conſentiant, quia ſibi ipſis poſſunt feudum retinere, repudiata hæreditate ſine aliquo onere hæreditario, ut *in conſtitutione Federici de feu. an agnatus, vel filius defunctus retinere poſſit, repudiata hæreditate, feudum c. ſi contigerit.*

Quid ſi diverſæ conſuetudines de feudis inveniuntur in diverſis locis?

Reſpondet ibidem Hoſti. quòd ſalvis legibus imperialibus, quæ continentur in conſtitutione Federici, feudi natura, & cauſa, ſecundùm diverſas regionum conſuetudines eſt diverſimodè terminanda, & conſuetudine deficiente in aliqua regione, recurrendum eſt ad aliarum regionum conſuetudines, & ſi nec illa appareat, conſtitutione, vel lege ſcripta ſine calumnia uti poſſunt.

Adhuc nota, quòd ſi vaſallus ſine hærede maſculo decedat, & feudum ad dominum redeat, aut decedit poſt Auguſtum, & ante Kalendas Martii, et tunc omnes anni fructus pendentes pertinet ad dominum; aut poſt Kalendas Martii uſque ad Auguſtum, et tunc fructus ad hæredes maſculi pertinent, ut *in ti. lex regni hic finitur, c. unico. §. ſi vaſallus.*

Item ſi vaſallus fecerat in feudo aliquod ædificium, vel illud pecunia ſua melioraverit, et poſtea ſine liberi deceſſerit, heredes inde poſſunt auferre illud ædificium, niſi dominus ſolvat meliorationis pretium, ut *in c. prædicto.* Inſuper nota, quòd Ducatus, Marchionatus, Comitatus non dividuntur, ſed feudum dividi poteſt, ita tamen quòd pro uno feudo vaſallus plures dominos non cogatur habere, ut *in conſtitutione Federici, hac edictali.*

ARTICVLVS VIII.

Quibus ex cauſis feudum amittitur?

Circa quod ſciendum, quòd amittitur 18. modis. Primò ſi vaſallus fiat mutus, ſi tamen feudum ſit magnum, et ille non poſſit ſine feudo ſubſtentari, tantum ſibi debet de feudo relinqui, quod inde poſſit ſubſtentari, ut *in tit. quib. mo. feu. amit. §. ulti.* et hoc debet intelligi de feudo novo; ſed feudum paternum retinebit totum ſurdus, mutus, et claudus. Secundò, ſi fiat clericus, vel religioſus, ut *in titul. qui arma bellica depoſuit.* Tertiò, ſi ipſe non petat poſt mortem domini ab ejus hærede infra diem, et annum inveſtituram, vel ſi hæres vaſalli infra diem, et annum non petat inveſtituram. et hoc eſt verum ſi ſit major quatuordecim annorum; ſecùs eſt ſi ſit impubes; impubes verò debet eam petere infra annum, et menſem, ut *in ti. quo tempore miles inveſtituram petere debeat, c.* 1. et hæc vera ſunt, quando dolosè omiſit; ſecùs eſt ſi ex juſta cauſa, ut propter inimicitias capitales, vel abſentiam juſtam. Quartò, ſi ter monitus non velit jurare fiedelitatem domino inveſtituram pollicenti. Quinto, ſi infeudavit feudum tali, qui illud deſervire non poteſt, vel ſi infeudavit illud alia lege quam ipſe habet, putà habuit in ſe, et in ſuis hæredibus maſculis, et ipſe infeudavit, ſibi in ſe, et in ſuis hæredibus maſculis, et fœminis ſimul; poteſt tamen feudum dare vaſallus, alii in feudum, debitis circumſtantiis obſervatis, ſi ſit feudum paternum, ut *in tit. de feu. aliter ſi clientulus.* Sextò, ſi felloniam, id eſt fraudem in dominum commiſit contra tenorem juramenti fidelitatis, ut ſi dominum relinquat in bello campeſtri non mortuum, nec ad mortem vulneratum. Septimò, ſi cum uxore, vel concubina domini concubuit, vel turpiter luſit, vel ſi cum filia, vel uxore filii, vel nepte ex filio, vel cum ſorore domini in domo domini concubuit, ut *in tit. quibus modis feudum amittitur. §.* 2. Octavò, ſi occidit fratrem proprium, vel filium fratris, ut ipſe ſolus habeat totam hæreditatem, in quo caſu ſi feudum ſit paternum, perdit illud, tamen reddit ad ſuos feudatarios, non ad dominum, ut *ibidem. §. ult.* Exponit autem Ber. hoc de fratre domini. *extrav. e. c.* 2. *in fi. glo.* Sed malè ſecundùm Hoſtien. et Accur. Nonò, ſi alienavit feudum, vel ejus partem, niſi juret, quòd hoc ignoranter fecerit; nullo titulo vaſallo licet feudum, vel aliquam partem ejus vendere, impignorare, vel quocumquemodo alienare, vel etiam in dotem dare, vel etiam pro anima ſua dare, niſi majori domino permittente, ad quem feudum ſpectat; et ſi ſecùs fiat irritum eſt, nulla præſcriptione impediente, et pars alienata reddit ad dominum ut *in conſtitutione Federici hac edictali.* Et ſimiliter nec idem transferre poteſt feudum in alium ſine conſenſu domini, ut *ibidem*, non prohibetur tamen feudum paternum alienari inter agnatos, cùm potiùs refutatio, quàm alienatio videatur, ut *ibidem.* Poteſt etiam, irrequiſito domino. feudum paternum ad vitam vaſalli in dotem dari, *extrav. e. c.* 1. *in glo.*

Utrum autem feudum poſſit pro anima Eccleſiæ dari, require infra *in ti. de immunitate Eccleſiæ circa fi.* Tamen Ber. notat *extrav. e. ex parte*, quòd ſi vaſallus alienet totum feudum, vel majorem partem, perdit feudum, cùm dominus à quolibet poſſeſſore poſſit illud revocare; ſi verò minorem ejus partem det in libello, vel obliget pignori, dummodò remaneat in ſervitio

vitio domini, non perdit propter hoc feudum, ut *in li. ſeu. quibus mo. amit. feudum. l. 2.* Decimò, ſi negaverit feudum, vel partem ejus. Undecimò, ſi dominum accuſaverit, vel contra eum teſtimonium tulerit, vel adnotaverit, vel procurator fuit in actione civili, vel criminali, et plures alias cauſas ingratitudinis, quæ numerantur *in li. feu.* ſi tamen proſequatur injuriam ſuam, poteſt dominum accuſare. Duodecimò, ſi in dicta publica expeditione vocatus, ad dominum non venit, nec alium pro ſe miſit, vel dimidium redditoum feudi unius anni domino non miniſtravit, ut *in conſtitutione hac edictali.* Decimo tertiò, ſi tantùm delinquat, quod feudum perdere debeat; tunc enim propter ejus delictum, filii ſui perdunt feudum; videtur tamen, quòd illud perdere non debeant, ſi patri non fuerit quæſtio mota. *art. extrav. de dona. c. ſi.* Goſ. autem allegat ad hoc pro, et contra, et tandem dicit, quòd recurrendum eſt ad conſuetudines, et conſtitutiones feudorum. Decimoquartò, ſi non fecerit obſervare ea, quæ circa Cardinalium incluſionem in electionem Papæ ſunt ſtatuta, ut *in li. 6. de elec. c. ubi &c.* Decimo quintò, ſi filium ſuum ad ſatisfaciendum domino non induxerit; ſi enim filius vaſalli offenderit dominum, pater requiſitus à domino inducat filium ad ſatisfaciendum, vel ſeparet à ſe filium, aliter feudo privetur; ſi verò pater eum ad ſatisfaciendum inducat, et ipſe contemnat, patre mortuo, ei in feudo non ſuccedat, niſi priùs ſatisfaciat, ut *in conſtitutione hac edictali. l. 1.* Decimo ſextò, ſi ſuum vaſallum non induxerit ad ſatisfaciendum domino; ſi enim vaſallus de ſuo feudo, vaſallum alium habeat, et ille alius vaſallus vaſalli dominum domini ſui offenderit, niſi fecerit hoc pro ſervitio domini proprii, quem ſine fraude priùs habuit, feudo ſovetur, et ad dominum, à quo illum habuit revertetur, niſi ab eo requiſitus paratus fuerit ſatisfacere majori domino, quem læſit, et ſimiliter niſi dominus vaſalli requiſitus à ſuo domino requiſierit eum, qui illum dominum ſuum offendit, ut ſatisfaciat illi, feudo privetur, ut *ibidem.* Decimo ſeptimò, ſi dominus infeudavit ſuum allodium, et poſtea illud contulerit alicui Eccleſiæ, vel per oblationem, vel per aliquem contractum, tunc vaſallus non poteſt illud retinere. niſi per gratiam ipſum ab Eccleſia recipiat tanquam novum; poteſt tamen tunc vaſallus agere ad intereſſe contra dominum, vel ut det ſibi feudum, vel æquè bonum, ut *in tit. de pace juramento firmanda. l. unica. §. pe.* Decimooctavò, ſi Prælatus Eccleſiæ vaſallus alicujus Principis contra dominum felloniam committit, Eccleſia feudum perdit, dum ille Prælatus vivit, ſed poſtea ea recuperat illud, ſcilicet cum ille obierit, ut *in ti.* ſi Clericus vel Epiſcopus; hæc Hoſti. Ber. etiam plura ex prædictis ponit *extra. e. c. 2.*

Quid ſi vaſallus committat crimen læſæ majeſtatis contra Principem, propter quod publicantur omnia bona ſua, numquid ad Principem pervenerint bona feudalia?

Reſpondet Guil. dupliciter, quòd jus in re, quod competebat vaſallo, ſcilicet utile dominium perveniet ad Principem, ſed directum dominium apud immediatum dominum remanebit; quia verò non decet Principem pro feudo ſervire, nec per ſe, nec per ſubſtitutum, ideo Princeps pretium recipiat pro æſtimatione utilis dominii, dominus immediatus recipiat partem aliam pretii pro directo dominio *ff. de leg. 2. qui ſolutum. §. 1.* Fiſcus enim poteſt vendere rem, quam cum alio habet communem reſtituendo alteri pro rata pretii partem. *C. de communi. re. alie. l. 2. l. 4.*

ARTICULUS IX.

Coram quo quæſtio feudi debeat ventilari?

Circa quod nota, quòd aut agitur de feudo poſſeſſorio, aut petitorio; ſi de poſſeſſorio, tunc coram ordinario, vel delegato debet cauſa tractari. *extrav. de fo. compe. ex parte 6.* in multis tamen locis dominus cognoſcit de feudo, ſive agatur de poſſeſſione, ſive de proprietate ſecundùm Goſ. & Hoſtien. ſed Ber. intelligit *dictum c. de perſonis miſerabilibus*, quia loquitur de vidua, quæ feudo fuit ſpoliata; ideo coram ordinario, vel delegato erit tractanda; quia Epiſcopi dicuntur conſervatores viduarum, & miſerabilium perſonarum, *di 87. c. 4. & 13. q. 5. adminiſtratores.* Si petitorio, ſic eſt diſtinguendum: ſi enim quæſtio vertatur inter dominum, & vaſallos ſuos, aut vertitur pro feudo, ſcilicet utrum vaſallus debeat illud habere, vel non, & tunc debent pares, id eſt vaſalli cauſam tractare; dominus enim & vaſallus poſſunt de communi conſenſu judicium admittere parium, quia hoc neutri præjudicat; ſi verò dominus pares non habet, arbitri ſuccedunt inſtar Iudicum ſuſpectorum *ar. 1. q. 1.* ſi Clericus adverſus Clericum. aut dominus habet pares, vocabit autem omnes, & ex illo eliget unum dominus, & vaſallus alium. *ar. 2. q. 6 placuit.* In multis autem locis, ſolus dominus eligit pares, aut vertitur pro jure dominii, ſcilicet, quòd petit, ſe recognoſcit in dominum, & vaſallus hoc negat, quia negat feudum, & tunc cauſa debet tractari coram odinario, vel delegato, & ſi vaſallus ſuccumbat perdit jus, quod in feudo habebat, ut *in tit. ſi de feudo conten. ſue. vaſallus.* Si verò quæſtio vertatur inter duos vaſallos, ſcilicet quis eorum in feudo ſit potior, tunc dominus feudi debet recognoſcere, ut *ibidem.* Quamdiu enim dominus feudi paratus eſt juſtitiam facere, & vaſalli parati ſunt coram domino reſpondere, nullus alius ſe debet de illa cauſa intromittere. *extrav. de judi. cæterum.* niſi conſuetudo, vel privilegium obviet, ut *ibidem. in c. novit.* Sed ſi dominus negligens eſſet, tunc Iudex alius ordinarius, vel delegatus judicare poſſet. *extrav.*

de

de ſo. compe. ex tranſmiſſa. Si autem inter dominum & vaſallum, vel etiam inter vaſallos agatur actione perſonali, quæ non ſit de jure feudali, licèt ſit circa rem feudalem; ut pignoraticiam, vel depoſiti, tunc ſemper coram ordinario eſt agendum, & hæc ſunt vera, ubi tantum res, & jurisdictio eſt infeudata, aliàs dominus feudi cognoſceret de omnibus cauſis jure ordinario, & appellabitur ad illum, qui ſibi jurisdictionem infeudavit; tales autem ſunt Epiſcopi, Abbates, Duces, & Comites, qui non tantùm rem, ſed jurisdictionem habent infeudatam, undè in talibus appellari debet ad dominum ſuperiorem proximum feudi, quia ille habet jurisdictionem ordinariam à lege Federici. Si verò quæſtio vertatur inter vaſallos, & alios, qui non ſunt vaſalli, ut ſi agatur de re illa rei vendicatione, tunc dominus non cognoſcet, quia tunc in ſua cauſa Iudex eſſet, vel ordinarius, vel delegatus cognoſcet. Si autem quæſtio vertatur inter dominum, & alium, qui non eſt vaſallus ejus, putà emptorem feudi, vel aliàs feudum poſſidentem, tunc cognoſcet ille Iudex ſub cujus jurisdictione eſt res ipſa, vel reus; hæc Hoſtien. *extrav. de judi. cæterum.*

Adhuc nota, quòd, Eccleſia vacante, capitulum de feudis Eccleſiæ cognoſcere non poteſt. *extrav. de ſo. compe. verum.* Inſuper nota, quòd quando eſt controverſia inter dominum, & vaſallum, vaſallus non debet exigere à domino juramentum calumniæ, & per conſequens nec dominus à vaſallo, quia quod quiſque juris &c. ut *in li. de feu.*

TITULUS XIX.

De Solutionibus.

POſtea, quia per ſolutionem ejus quod debetur, obligatio tollitur; ideo poſtquam conſideratum eſt de obligationibus, nunc conſiderandum eſt de ſolutionibus.

Ubi primò videndum eſt quid ſit ſolutio?

Secundò, quot; & quæ ſunt ſpecies ejus?

Tertiò, quis ſolvere poteſt, & debet?

Quartò, qui debet ſolvi?

Quintò, quid ſit ſolvendum?

Sextò, quis eſt ſolutionis effectus, ideoque fit.

ARTICVLVS I.

CIrca primum ſciendum, quòd ſolutio eſt ejus, quod debetur redditio, & colligitur hæc deſcriptio *inſti. qui mo. tol. ob. in prin.* vel largo modo ſumpto nomine ſolutionis: ſolutio eſt ab obligatione liberatio; liberatio, inquam, quocumque modo facta, ut *ff. eo. ſolutionis. & l. ſolutionem.*

ARTICULUS II.

Quot, & quæ ſunt ſpecies ſolutionis?

CIrca ſecundum ſciendum, quòd ſolutionis ſpecies ſunt duæ, ſcilicet naturalis, ſive vera, quæ fit per redditionem ejus, quod debetur; & civilis, ſive imaginaria, & hæc fit multipliciter; & quia per ſolutionem tollitur obligatio, ut patet ex prædictis; ideo ad majorem evidentiam notandum, quòd aliqui ſunt modi, quibus omnino tollitur, & extinguitur ipſo jure quælibet obligatio tam civilis, quàm naturalis. Aliqui verò ſunt modi, quibus tollitur omnino ipſo jure obligatio naturalis, ſed civilis non omnino tollitur, ſed debilitatur. Tertiò eſt quidam modus, quo tantùm obligatio civilis eliditur, ſed naturalis nullatenus ibi concutitur.

Modi autem, quibus omnino tollitur omnis obligatio, civilis ſcilicet, & naturalis ſunt multi; hoc enim primò fit per veram & legitimam ſolutionem. Secundò, per acceptilationem, quia tollitur obligatio, verbis, ſcilicet ſtipulatione contracta, de qua ſcilicet acceptilatione *require infra tit. de ver. ſig.* in fine hujus primæ partis. Tertiò, per aquilianam ſtipulationem, qua tolluntur priores obligationes aliter quàm verbis contractæ, putà re & conſenſu, vel litteris, & de his tribus modis habetur. *inſtit. quibus mo. ob. tol.* Prædictæ enim obligationes per acceptilationem non tolluntur, quia per eam ſola obligatio verbis contracta tollitur, & hoc eſt verum niſi dictæ obligationes primò reducantur per ſtipulationem aquilianam, ut ſi interrogem te hoc modo: id quod debes mihi ex tali mutuo, vel commodato, vel depoſito; item illud, quod debes mihi ex obligatione conſenſu contracta ex tali venditione, vel locatione, vel ſocietate; item illud, quod mihi debes ex obligatione contracta ex talibus litteris tuis, promittis, te mihi daturum, & ſoluturum, & reſpondeas promitto; ecce modo priores obligationes re, vel conſenſu tractatæ, vel litteris, nunc de novo reducuntur in ſtipulationem aquilianam, ſic dictam à Gallo aquilio, qui eam invenit, per quam tolluntur; quo facto ſequi debet acceptilatio ad tollendum ſtipulationem aquilianam, ut dicatur hoc modo: quod nunc ſtipulatione promiſi tibi, habes ne hoc acceptum; & reſpondetur; habeo acceptum, quæ tuli; undè in his talis forma debet in inſtrumento ſervari. Abſolvat eum per aquilianam ſtipulationem præcedentem, & acceptilationem ſequentem legitimè interpoſitas. Quartò, per obligationem, ut ſi debitor pecuniam offerat præſentibus teſtibus eo loco, quo debet fieri ſolutio. Quintò, per depoſitionem, ut ſi quis pecuniam apud ſe depoſitam deponat coram Prætore, vel perſonis honeſtis apud ædem ſacram. *ff. depoſi. l. 1. §. ſi pecunia.* Sextò, per obligationem totius pecuniæ debitæ ſolemniter factam. *C. e. obligatione.*

Ali-

Aliqui tamen ut Gof. & Hoſtien- hos modos proximè dictos accipiunt pro uno modo, ut ſi creditore nolente ſolutionem accipere, debitor ſibi eam offerat, demùm deponat, & conſignet, ut *ibidem*. Oportet autem depoſitionem eſſe diuturnam, quia ſi debitor reſervat pecuniam, nec depoſuiſſe videtur eam ff. *de uſu debit.*

Septimò, per interitum ſpeciei, quæ erat in obligatione. ff. *de ver. ob. ſi ex legati.* undè dicitur, quòd ſi ex legati cauſa, vel ex ſtipulatu certum hominem mihi debes, & ille priuſquam des eum mihi, mortuus fuerit, non aliter teneberis, niſi per te ſteterit, quominus eum vivum mihi dares; tunc autem per te ſtetit, ſi interpellatus non dediſti. vel occidiſti. Octavò, ſi creditor ſuo maleficio ſuam actionem amittat, *per l. ſi quis in tantam. & edictum divi Marci. ut C. undè vi. ſi quis in tantam. & ff. ad l. jul. de vi. priva. l. penult.* Nonò, per novationem ſic dictam per novam obligationem, in quam prior obligatio debiti tranſit, putà ſi id, quod debes mihi ſtipulatus ſim à Titio mihi dari, nam interventu novæ perſonæ naſcitur obligatio nova, & fit ſecundùm jura novatio, cùm expreſsè agitur inter contrahentes, quòd tollatur obligatio prima, & inducatur nova, ut *inſtit. qui mo. tol. obli.* §. *præterea.* Aliàs manet obligatio prima cum nova, ita ut ex utraque ſit debitor obligatus. *l. de eadem tantùm ſemel exactio fiat. ut* ff. *de re. jur. bona fides.* Decimò, per delegationem, ut cùm quis dat ſuo creditori conſentienti pro ſe alium reum conſentientem. ff. *de nova. delegare.* Undecimò. per compenſationem, quæ eſt debiti & crediti inter contrahentes tributio. ff. *de compenſa, li.* 1. Duodecimò, per ſucceſſionem, ut ſi creditori debitor, vel e converſo ſuccedat, ff. *de fidejuſ. ſi ſtichum.* §. *à Titio.* Decimotertiò per nudum conſenſum; illæ enim obligationes, quæ ſolo conſenſu contrahuntur, ut ex vendito, locato, ſocietate, & mandato, ſicut conſenſu inducuntur, ita voluntate contraria diſſolvuntur; ſi tamen res adhuc ſit integra, ut ecce ego, & tu invicem convenimus, ut prædium meum emptionis cauſa haberes pro pretio decem librarum, demum re nondum ſecuta, id eſt pretio nondum in toto vel in parte ſoluto, & re nondum in toto, vel in parte tradita, voluntate contraria recedere conſenſimus ab ipſa emptione, & venditione, certe hoc modo liberamur invicem, & obligatio, & actio ex ipſa venditione, & emptione deſcendens extinguitur.

Sed quid ſi res non eſt integra?

Reſpondeo, tunc ſolus conſenſus contrarius non ſufficit ad reſcindendum primum contractum, ſed non ex eo datur actio ad repetendum, quod eſt ſolutum. ff. *de pac. ſi ab emptione* §. *penult.* Oportet ergo actum priori ſimilem intendere, ut *C. quando li. ab em. di. l.* 1. Hoc eſt verum ſecundùm Azo. ut emptor tradat rem, & venditor pretium. Et idem intellige de aliis contractibus ex conſenſu deſcendentibus, ut *inſti. qui mo. tol. ob. inſ.*

Decimoquartò, per fructuum adoptionem, *extrav. e. de pig. cum contra.* Modi autem, quibus tantùm naturalis obligatio tollitur ipſo jure, ſed civilis remanet eliſa; tamen ut de facili ei per exceptionis auxilium reſiſtant, ſunt plures: hoc enim fit primò per tranſactionem; eſt autem tranſactio, de re dubia lite incerta, nec dum finita non gratuita pactio. Dicitur autem tranſactio, quaſi actionis tranſitio, quia qui tranſigit, tranſit, & diſcedit ab actione, & ita dicitur propriè tranſigere is, qui agit, ut recedat à lite: per hanc enim tollitur obligatio naturalis, & remanet civilis, quia tranſigens poteſt in tantum agere, & petere illud, ſuper quo eſt tranſactum, ſed reus ſe defendere poteſt per exceptionem tranſactionis. ff. *de tranſac. l.* 1. & 2. Secundò per pactum de non petendo, de quo intellige id, quod dictum eſt de tranſactione, à qua differt: quia pactum de non petendo poteſt fieri gratis, & non gratis, tranſactio verò non fit gratis. Tertiò per inſtrumenti debiti redditionem, vel cancellationem, de qua illud idem intellige ff. *e. ſ. de ſolu. ſtichum.* §. *naturalis.* & hoc ſi fiat de voluntate creditoris, aliàs ſecus eſt *C. e. quod debitori.*

Sed nunquid erit idem, ſi reddatur pignus?

Reſpondeo quòd non, ratio hujuſmodi eſt, quia redditio inſtrumenti in nullo eſſet utilis debitori, niſi eſſet à debito liberatus, ſed redditio pignoris poteſt aliàs utilis eſſe debitori, quia poteſt eo uti.

Quartò per juramenti delati receptionem, ut ſi debitor, deferente creditore, juraverit ſe nihil debere, ipſo jure ſublata eſt obligatio, ut *in d.* §. *naturalis.* Civilis verò eliditur per exceptionem juramenti. Modus autem, quo tollitur obligatio civilis, & remanet naturalis, eſt per ſententiæ abſolutionem, ut ſi obligatus civiliter, & naturaliter eras, & contra te fuit actum in judicio, & fuiſti per ſententiam abſolutus, ſublata eſt obligatio civilis, ita ut per exceptionem rei judicatæ non ſortiatur effectum; remanet tamen naturalis, ut *inſti. de excep.* §. *item ſi judicio.* Res enim judicata cùm ſit de jure civili, poteſt tollere ea, quæ ſunt juris civilis, non autem ea, quæ ſunt juris naturalis.

ARTICVLVS III.

Quis teneatur, & poſſit ſolvere?

Circa quod ſciendum, quòd tenetur, & poteſt ſolvere obligatus, vel hæres ejus, in quem obligationis actio tranſit; ſi tamen ſit compos mentis, & major viginti quinque annorum; ſi enim pupillus ſit debitor alterius, & velit ſolvere creditori, ſi talia det, in quibus alienandis decretum exigitur, debet in eis ſolvendis adhiberi tutoris auctoritas, & decretum; aliàs ſolutio ipſo jure non tenet, & quod eſt ſolutum, ſi

Digitized by Google

ſi extat, à minori poteſt vendicari; ſi tamen conſumpſit illud creditor, liberatur minor facto creditoris, ut *inſti. quibus alie. li.* §. *ult.* ſi verò pupillus det ea, in quibus alienandis decretum non exigitur, tenet ſolutio facta ab eo cum tutoris auctoritate, vel à ſolo tutore. Si autem adultus eſt debitor, & non habeat curatorem, & ipſe ſolvat, ſolutio tenet, & ipſe ſolvens liberatur, ſive quòd ſolutum eſt ſervari poſſit; ſive non poſſit, ſi verò habeat curatorem, neceſſaria eſt in utriuſque rebus auctoritas curatoris, ut ſolutio teneat ipſo jure, licèt in his omnibus etiam quando ſolutio ipſo jure tenet adhuc reſtat ei beneficium reſtitutionis in integrum, ſi doceat ſe ſolvendo læſum, quo beneficio privabitur, ſi jurabit. Sunt autem quidam, qui ſolvere tenentur, qui tamen non ſunt obligati, tutores, & curatores, & omnes legitimam adminiſtrationem, habentes *ff. de admi. tu. quotiens.* §. *ſi autem* Item quælibet perſona legitima pro debitore ſolvere poteſt, & ſolvendo ignorantem liberat etiam invitum, ut *inſti qui. mo. tol. ob.* 1. *reſponſo.*

Item quælibet legitima perſona poteſt ſolvere creditori invito nomine debitoris, ſi ſpecies, vel quantitas erat in obligatione; ſecùs eſt ſi factum, ut ff. *e. inter.*

Item nota. quòd ſi tutor ſit debitor pupilli ſui, ſolvere debet ei, nec debet expectare quouſque conveniatur per judicem, & quod ſolvit, debet adminiſtrare cum alia ſubſtantia pupilli & è converſo, ſi pupillus ſit debitor tutoris, quia tutor fuit creditor patris pupilli, poteſt à pupillo exigere, & ſibi ipſi ſolvere, dummodo ſit pecunia in ſubſtantia pupilli, de qua poſſit ſibi ſolvere.

Sciendum autem, quòd filius tenetur ſolvere debita patris, ſi eſt hæres. *extrav. e. c.* 1. ubi nota ſecundùm Ber. quòd filius, aut eſt hæres, aut non; ſi non, non tenetur pro patre, niſi in cauſa primipilari. *C. de primipilo. cum ex ſola. li.* 12. Si autem eſt hæres, aut eſt inſtitutus hæres in certis rebus, & ſic non tenetur ſolvere debita patris, quia qui in certis rebus inſtituitur loco legatarii habetur. *C. de hære. inſti. quotiens.* aut univerſaliter in omnibus, & tunc aut fecit inventarium, aut non; ſi fecit, ſic non tenetur ſolvere, niſi quantùm hæreditatis vires ſe extendunt. *C, de ju. deli. l. ſancimus* Si non fecit, tunc in judicio poli non tenetur ſolvere, niſi quantùm hæreditatis vires ſe extendunt, ſed in judicio fori tenetur ſolvere omnia debita deſcendentia ex contractu, vel quaſi. Debita verò deſcendentia ex maleficio, ſive delicto, vel quaſi, non tenetur ſolvere, niſi quantùm ad eum pervenit, vel niſi lis cum defuncto fuerit conteſtata. *C. de deli defun. l. unam.*

Nota tamen, quòd in duobus caſibus non datur actio contra hæredem, niſi quantùm ad ipſum pervenit; unus eſt, quando aliquis agit contra menſorem malè renunciantem, ut ſi aliquis fuit mihi condemnatus ad decem jugera ſolvenda, & ipſe ſolvit minus quàm decem, & ideo depoſui querelam coram Judice, & ideo Iudex miſit menſorem, qui renunciavit ſibi, quòd decem jugera tradita eſſent mihi, & propter hoc ille fuit abſolutus, actio mihi datur contra menſorem, ſed non contra ejus hæredem, niſi quantùm ad eum pervenit. ff. *ſi men. fal. mo. di. ſi duobus.* §. *ult.* Secundus eſt, cùm quis agit contra aliquem actione tributoria, quæ non datur contra hæredem, niſi quantùm ad eum pervenit ff. *de tribu ac illud.* §. *ult.*

Secundùm autem Canones, hæres tenetur ex delicto defuncti. *extrav. de ſepul. c. ult.* & *de rap. in litteris* undè nota, quòd quilibet hæres, ſive filius, ſive extraneus tenetur ſolvere omnia debita defuncti, ſive ex contractu, vel quaſi, ſive ex delicto, vel quaſi, hæc Rich. & Ber. *extrav. e. c.* 1. & *de ſepul. c. ult.* & ſi quidem tantùm ſit unus hæres, ille tenetur inſolidum; ſi verò ſint hæredes plures, quilibet tenetur pro ea parte, pro qua hæres exiſtit, niſi fortè in duobus caſibus; unus eſt, quando res furtiva tota pervenit ad unum, ille tenetur reſtituere totam. ff. *commo. l.* 3 §. *hæres.* hæc Gof. Secundus eſt, ſi ante reſtitutionem rei furtivæ, alter hæredum fiat non ſolvendo. *ar. extrav. de uſuris. cum tu.* & *c. tua in glo.*

Item ſi filius ex contractu patris juſſu ejus mutuo pecuniam accipit, non tenetur eam ſolvere creditori, niſi ſit hæres patris. *C. quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt. ſi ex contractu.* hoc eſt verum ſecundùm Glo. ſi accipit nuncius, vel miniſter. Non ſolùm autem principalis debitor, & ejus hæres ſolvere tenentur, ſed etiam in defectum horum, fidejuſſor, & ejus hæredes. ff. *de fidejuſ. pot.* §. 1. Debet autem Prælatus ſolvere debita ſui prædeceſſoris pro Eccleſiæ utilitate contracta, *extrav. e. c.* 1. aliter contractus eſſet invalidus. 13. *q.* 2. §. *hoc jus.* & refundi per in integrum reſtitutionem *extrav. de reſti. in inte. requiſivit*, Prælatus enim quaſi ſui prædeceſſoris hæres eſſe videtur, *di.* 40. *c.* 1. Secundùm verò Innoc. Eccleſia vel civitas, nunquam in mutuo obligatur, niſi ſit verſum in utilitatem ejus ff. *ſi cer. pe. civitas.*

Quid de illo qui ſolvere tenetur, non tamen poteſt, quia non habet undè ſolvat?

Reſpondeo, quòd talis tenetur, vel convenitur, aut ex maleficio, aut ex contractu; ſi ex maleficio, tunc ſi non eſt ſolvendo, puniri poteſt, & verberari. ut *notatur* 14. *q.* 6. *ſi res.* nec ejus pœna eſt pretio redimenda, 1. *q.* 2. *debemus.* & ex quo talis pœnam corporalem ſuſtinuit pro debito, non tenetur ſolvere, immo liberatur, quia pro eodem non debet bis judicari, ut *in c. ſi res.* Si autem conveniatur ex contractu, non eſt corporaliter puniendus, ſed ſufficit, quòd cedat bonis *C. qui bo. ce. po. l. ult.* Tamen ſi poſtea venerit ad pinguiorem fortunam, ut *extrav. e. Odoardus.* tenetur ſolvere, ſed non totum, ſed quantum poteſt, habita ratione ne egeat. *inſti. de ac.* §. *ult.* tamen in judicio animæ totum reſtituet, etiam ſi nihil remaneat ſibi, quia non dimitti-

mittitur peccatum niſi ablatum reſtituatur, ut *in c. ſi res.* hæc Ber. & Hoſtien. *extrav. de bo-mi. ſicut dignum.* & *Jo. di. 86. non ſatis.* & *9. q. 6. c. 1.*

Ad hoc nota, quòd quando Judex dubitat utrum quis totum, vel partem ſolvere poſſit, ſi ferat ſententiam excommunicationis contra non ſolventem, tenet; ſed ſi certus eſſet, quòd nihil ſolvere poſſet, vel ſi bonis ceſſiſſet, non teneret; vel ſi teneret, quod eſt tutiùs dicere, injuſta eſſet, & iſte ſine difficultate abſolvi deberet, & tenetur Judex ad intereſſe. hæc Ber. *extrav. c. odoardus.* Inanis enim eſt actio, quam inopia debitoris excludit. *extrav. de reſti. ſpo. olim 2.* nota etiam, quòd ſolvendo nemo intelligitur eſſe, niſi qui poteſt inſolidum ſolvere. ff. *de dolo. nam is.*

Quid ſi mihi promittas pecuniam, quam mutuavi tibi, ſolvere certo loco, & non ſolvas in iſto loco?

Reſpondeo teneris mihi quantum intereſt mea fuiſſe ſolutum in illo loco, & ideo per officium Judicis ad intereſſe condemnaberis mihi, quia abſtuliſti mihi utilitatem loci, & ita in hoc teneor tibi; hæc enim actio utilitatem continet utriuſque; ſcilicet actoris, & rei. ff. *de eo. quod cer. lo. l. 2* & dicitur hæc actio certi conditio. Quandoque enim petitur principale debitum principali actione, putà ex teſtamento, vel certi conditione, tunc debet intereſſe peti officio Iudicis, & hoc in contractibus ſtricti juris, ſed in contractibus bonæ fidei, ut in emptionibus, & locationibus, & hujuſmodi, ſi promiſiſti mihi ſolvere certo loco, venit intereſſe jure actionis. hæc Ber. *extrav. de offi. dele. p. & g.* & idem videtur dicendum de eo, qui ſolvit in termino præfixo,

Sed numquid dies ſolutionis à debitore poterit preveniri?

Reſpondeo, aut dies ſolutionis eſt adjectus in favorem debitoris, & tunc debitor poteſt illum prævenire, quia plus ſolvit, qui ante tempus ſolvit. *inſti. de ac. plus autem.* aut in favorem creditoris, & tunc non poteſt prævenire. ff. *de ju. eum qui.* & ff. *de au. & ar. lega. eum qui*, hæc Io. *de con. di. 1. ſolent.* Sed repetere non poteſt quis ante terminum pecuniam debitam *extrav. de plus pe. c. uno.* hoc tamen fallit primò in marito ad inopiam vergente, de quo require circa *fi. tit. de matrimonio*, Secundò, in debitore fugiente. ff. *quæ in frau. cre. ait prætor*, §. *ſi debitorem.* Tertiò, in debitore ſuſpecto, quia poteſt cogi dare cautionem. ff. *qui ſa. da. co. ſi fidejuſſor.* §. *fi.* hæc Hoſtien. *extrav. de plus pe. c. uno.*

Quid ſi aliqui bona communia habent, & unus eorum contrahit æs alienum, & poſtea dividant, numquid ambo debita ſolvent?

Reſpondet Guil. dupliciter, quòd aut æs alienum fuit contractum ab omnibus, & tunc omnes ſolvent, aut ab uno tantùm, & tunc aut eſt contractum occaſione omnium bonorum, & in communem utilitatem, vel profectum verſum, & ſic ſolvetur de communibus bonis, ſi contrahens hoc probaverit. ff. *de ne. ge. Pomponius l.* aut non eſt in communem utilitatem verſum, vel non probat, quòd ſit, & ſic tantum contrahens ſolvet. ff. *de regu. jur. non debet alteri.*

Nota, quòd ſi debitum ſit ſcriptum, & debitor velit probare per teſtes ſine ſcriptura ſolutionem, oportet, quòd ipſe probet per quinque teſtes rogatos, & ipſi poſſunt teſtificari pro ſolutione, quando debitor facere voluit, vel pro ſolutione facta ipſi creditori, vel pro confeſſione creditoris. *3. q. 9. ſi non debitum.* & ſecundùm Jo. omnes illi teſtes rogati dicuntur, qui rogati ſunt à Judice, licèt ad illud venerint. ff. *de teſta. hæredes.* Si verò debitum ſit cancellatum, liberatur debitor, niſi contrarium probet creditor ff. *de proba. ſi chirographum.*

ARTICVLVS IV.

Cui ſit ſolvendum?

Circa quod ſciendum, quòd ſolvendum eſt creditori, vel ejus ſucceſſori, cui competit actio obligationis, ſi tamen ſit compos mentis, & major viginti quinque annorum; in minoribus autem ſic diſtingue, cùm creditor tuus eſt pupillus, & ipſi ſoli ſolvis, ipſo jure non tenet ſolutio, nec es liberatus, immo ſi pupillus pecuniam non habeat ſalvam, poteſt iterum petere quod ſolviſti; ſi verò pecuniam habeat ſalvam, liberaris quidem non ipſo jure, ſed per remedium exceptionis, quia ſi iterum petat, amovebitur exceptione doli mali; ſi verò ſolvas pupillo cum ſui tutoris auctoritate, tenet ſolutio, & liberatus es ipſo jure; ſi tamen ipſe pupillus pecuniam conſumpſerit, aut vi, vel furto amiſerit, repetet iterum per beneficium reſtitutionis in integrum; ſi autem ei ſolvas auctoritate Judicis, vel eo volente deponas juſſu Judicis pecuniam apud ædem ſacram, ne ipſe pupillus perdat eam, ipſo jure ſolutio tenet, & reſtitutionis beneficium ceſſat, etiam ſi tutoris auctoritas interveniat. De adoleſcentibus autem ſic diſtingue, ſcilicet quòd adoleſcens aut habet curatorem, vel non; ſi non, ſic ei ſolvendo liberatus ipſo jure, procurabis tamen, quòd ipſe juret more minorum, ne aliàs perdita pecunia reſtituatur in integrum; ſi autem habet, aut in ſolutione intervenit auctoritas curatoris, aut non; ſi ſic, ſolutio tenet, & liberaris ipſo jure, licèt ipſe adoleſcens perdita pecunia reſtituatur in integrum, qua reſtitutione privabitur ſi juravit; ſi verò non intervenit, ſolutio non tenet, & ideo non es liberatus, nec datur ei reſtitutio ipſo jure, non valente, quod actum eſt. Item ſolvi poteſt tutori, vel curatori minoris, & tenet ſolutio ipſo jure, licet minori reſtitutio detur.

Item in ſtipulatione adjecta quicumque ſit ille, etiam nolente creditore, niſi primo cum

eo

eo litem conteſtetur, vel niſi ſtatus adjecti mutetur in conditionem deteriorem. ff. *eo. ſi quis ſtipulatus.* Item ſervo creditoris. ff. *eo. ſi quis ſervo.* Item ſi ſolvo creditori creditoris mei liberor, niſi fortè intereſſe creditoris mei non fuiſſet ſolutum. ff. *de neg. geſt. ſi liber homo.* & hoc eſt verum, ſi quantitas debetur; ſecùs eſt, ſi factum. ff. *eo. inter artifices.* Hæc Hoſtien. Item ſi aliquis mandavit, ut Titio ſolvam, demum prohibeat eum recipere, ſi prohibitionem ignoro, ſolvendo Titio liberor, ſi autem ſcio non liberor. ff. *e. ſi quis ſtipulatus.* Item creditor debitorem invitum liberare poteſt. ff. *eo. ſi debitor.* Item ſi invito & ignorante creditore alteri ſolvatur, non liberatur debitor. *C. e. invito.* niſi ille alter eſſet ſocius. ff. *de pac. ſi unus.* vel procurator, cujus mandatum ignoretur eſſe revocatum. ff. *e. ſ. de ſolu. l. vero procuratori.* cuicumque autem voluntate creditoris ſolvatur, liberatur. *C. eo. nihil.* procuratori verò litis non ſolvitur, ff. *eo. hoc jure.* Item qui ſolvit pernicioſo non liberatur, putà qui ſolvit luxurioſo, ut det meretrici, ff. *de annu. le. eum qui rogatus.*

Quid ſi debeo tibi centum libras, & commune cogit me ſibi ſolvere illas centum, numquid poteris à me petere illam pecuniam?

Reſpondet Guil. quòd aut tua bona erant obligata communi ex contractu, aut non ex contractu: ſi ex contractu, tunc jure retinet, & non potes à me petere; ſi verò non ex contractu, aut fuerunt publicata propter delictum, & ſic ſum liberatus, nec teneor tibi in aliquo; aut fuerunt alicui data propter utilitatem publicam, vel propter ſtatutum civitatis, ſcilicet pro ſtipendiariis militibus, & hujuſmodi, & tunc teneor tibi. ff. *de rei ven. Item ſi verberatum.* §. *primo.*

ARTICULUS V.

Quid, & quantum ſit ſolvendum?

Circa quod ſciendum, quòd ſolvendum eſt illud quod eſt in obligatione, ſcilicet res, vel quantitas ab obligato debita, ſi tamen ſit res corporalis, quia incorporalia non recipiunt ſolutionem, vel traditionem, ff. *de acquire. do. ſerv.* §. *incorporales.* non ergo eſt aliud ſolvendum, niſi quod erat in obligatione, quia aliud pro alio ſolvi non poteſt niſi creditore conſentiente, ut *inſti. quib. mo. tol. ob.* §. 1. aliquando tamen cogitur aliud pro alio recipere, ut in Eccleſia debitrice, & in eo, qui debet aurum, cùm in ejus ſubſtantia non reperitur aurum, & in eo, qui debet ſervum, cujus vult ſolvere pretium, qui dicit eum ſuum eſſe cognatum, ut *C. de ſac. ſan. Eccl. hoc jus.* & *C. eo. aut. niſi debitor.* & *ff. de leg.* 1. *ſi domus.* §. *in pecunia.* Item in noxali actione, *ff. de re judic. miles.* §. 1. & 2.

Sed qualis moneta dabitur in ſolutione?

Reſpondeo. Solutio fieri debet ad illam monetam, quæ currebat tempore contractus. *extrav. de cen. c. penul. hac glo. extrav. de injur. olim.* Nota ſecundùm Hoſtien. quòd in moneta tua requiruntur, ſcilicet pondus, materia, & forma, undè reprobatur ſi deficiat in materia, vel pondere, vel forma debita, ut quia non eſt talis formæ, quæ currat, & recipiatur, undè creditor mutuans provideat, quod in inſtrumento ponatur, quòd ſibi debetur pecunia ejuſdem materiæ valoris, & in eodem curſu.

Sed quid ſi mercator de hoc ſibi non providerit, & dominus terræ curſum mutuatæ pecuniæ prohibeat, & ſic diminuta ſit libra in duobus vel tribus ſolidis, cujus erit damnum?

Reſpondet Hoſtien. *extrav. de jurejn. veniens.* quòd moneta, aut reprobatur ex cauſa juſta, ſcilicet quia diminuta eſt in valore, & tunc damnum erit debitoris & non creditoris, *ff. e. creditor.* aut ex cauſa injuſta, ſcilicet quia dominus vult conſequi lucrum, & tunc aut debitor fuit conſcius fraudis, vel culpæ, aut non; ſi ſic, erit ſuum damnum, *ff. ſi cer. pe. quod te mihi.* Si non, ſufficit, quòd debitor pecuniam in eodem pondere, & valore, quoad pondus reddat, licèt ſit diminuta quoad curſum, niſi aliud dictum ſit, ut *ibidem l.* 2.

Quid ſi alieni nummi inſcio, vel invito domino ſunt ſoluti?

Reſpondet Azo. quòd ſi diſcerni poſſunt ab aliis, manent ejus, cujus fuerunt, & eos vendicare poteſt; ſi verò non poſſunt, quia ſunt mixti cum aliis, ſunt ejus, qui accepit; nec poteſt eos dominus vendicare, ſed ei competit actio furti in dantem, *ff. e. ſi alieni.*

Nota etiam, quòd quando quis tenetur ad alterum duorum ſub alternatione liberatur, quando voluerit præſtando. *inſti. de hære. inſti* §. *ſi plures.* hoc autem fallit, primò in legatis, ſecundò in fideicommiſſariis libertatibus, quæ quidem duo, ſi relinquantur ſub diverſis conditionibus, & incertis noviſſimè parcendum eſt. *ff. de condi. & demon. ſub diverſis.* & *l. per fideicommiſſum.* Tertiò, quando duo tenentur in ſolidum ſub alternatione ad aliqua, tunc enim creditoris eſt electio. *ff. de condi. inde. planè.* Quartò, in legatis in genere, ut cùm teſtator habens duas conchas, legat concham ſine determinatione, tunc enim electio eſt legatarii. *ff. de le.* 1. *qui duas.* hæc Ber. vel Brocar. & Guil. *extrav. de teſta. indicante.* Sed Ber. *extrav. de reſcrip. inter cæteras.* loquens de prædicto quarto caſu dicit, quòd hæres habet optionem, niſi ſit in mora, quia tunc ad legatarium optio pertineret.

Quid ſi quis ſolvit amplius ſuo creditori, quàm debuit?

Reſpondeo, cùm quis indebitum ſolvit, aut ſolvit ſcienter, aut ignoranter; ſi ſcienter aut ſponte, & ſic non poteſt repetere, quia videtur donaſſe. *ff. de condi. indebi. l.* 2 aut coactus per metum juramenti, & ſic poteſt repetere, ut ſi quis juraverit uſuras ſolvere, debet

ſolvere, & poſtea repetere. *extrav. de jurejur. debitores. in glo. & in textu.* Si verò ſolvit ignoranter, aut per ignorantiam juris, & ſic non poteſt repetere; aut facti, & tunc aut per ignorantiam probabilem, & ſic poteſt repetere, ut ſi is, cui ſucceſſit, ſatisfecerat de debito, quia qui ſucceſſit in locum alterius, habet juſtam ignorantiæ cauſam, aut minus probabilem, & ſic non poteſt repetere. *C. ad l. fal. error.*

Nota inſuper ad majorem evidentiam, quòd in jure civili aliquid dicitur indebitum multipliciter; uno modo dicitur indebitum jure tantùm civili, quod tamen eſt debitum jure naturali, ut illud quod poteſt retineri per legem falcidiam; & ſimiliter ſi parvus, vel pupillus promittat, tenetur naturaliter & civiliter; & qui ſolvit indebitum tale per ignorantiam facti, poteſt illud repetere; ut ſi legatum de quo falcidiam detrahere potui, integrè ſolvi credens hæreditatem ad omnia ſufficere, tenetur legatarius mihi reſtituere; ſi autem per ignorantiam juris, ſic non repetitur. *C, ad l. fal. error.* niſi ſolvatur à perſona privilegiata, ſcilicet à milite, ruſtico, minore, vel muliere, *ff. de proba. cum de indebito §. ſin autem primus.* Similiter ſi aliquis poſt præcriptionem completam promiſit ſe ſoluturum ſcienter, tenetur; ſed ſi ignoranter, non tenetur. *ff. ſi quis canti. ſed & ſi.* hæc Guil. Secundò, dicitur aliquid indebitum, jure naturali tantum, ſed debitum jure civili, ut per inſtrumentum ſi tenebar tibi in aliqua pecuniæ quantitate, feciſti autem mihi pactum de non petendo, vel juraſti non petere, ſoluta eſt obligatio naturalis, remanet tamen civilis; unde ſi perſolvi, repetere poſſum. Tertiò, dicitur aliquid indebitum jure civili & naturali ſimul, ut ſi tibi tenebar in aliqua pecunia per inſtrumentum, & feciſti mihi pactum de non petendo, vel juraſti non petere, & reddidiſti inſtrumentum, ſoluta eſt obligatio naturalis per pactum, vel juramentum, & civilis per inſtrumenti redditionem, & in hoc caſu per quamcumque ignorantiam ſolvat, repetet, ſed ſi ſciens ſolvat, non repetet, quia donaſſe videtur. *ff. de condi. inde. l. 1.* Quartò, dicitur aliquid indebitum per exceptionem, quod tamen eſt debitum jure naturali, vel civili, vel etiam utroque, hæc autem exceptio aut eſt temporalis; aut perpetua, aut dubia, ſcilicet an ſit temporalis, aut perpetua, aut ſit introducta ad ſervandum juris rigorem. Si ergo ſit aliquid indebitum per exceptionem temporalem, & ſolvatur, repeti non poteſt, ut ſi promiſi aliquid dare cum moriar. ſi dedero ante, repetere non poſſum. *ff. de condi. inde. nam ſi cum moriar.* Si verò ſit indebitum per exceptionem perpetuam, id eſt generalem, aut ergo illa eſt favorabilis, & ſi ſolutum eſt per errorem indebitum, poteſt repeti, ut contingit in velleiano, quia propter favorem mulierum quod non ſidejubeant, eſt ſtatutum: aut eſt odioſa, ut ſi filiusfamilias contra Macedonianum mutuum accepit, & paterfamilias ſolverit, non repetitur, Macedonianum enim in creditoris odium datur, immo ſi indebitum per ipſum per ignorantiam, ſive juris, ſive facti ſolvatur, non repetitur. Si autem exceptio ſit dubia, puta promiſi tibi centum libras, ſi veniret de Aſia navis mea; hæc enim exceptio eſt dubia, an ſit temporalis, vel perpetua, quia ſi navis veniat, fuit temporalis, ſi nunquam venerit, perpetua; ſic proceditur ac ſi eſſet perpetua & faverabilis, unde indebitum ſolutum repetitur, & de his tribus membris habetur. ff *de condi. inde qui exceptionem.* Si verò ſit exceptio introducta ad ſervandum rigorem juris, ut exceptio rei judicatæ, tunc indebitum ſi ſcienter ſolvatur, non repetitur, ut *ibidem Judex* hæc Ber *extrav. c. is qui. & de proca in noſtra.*

Nota iterum, quòd indebitum ſolutum non repetitur in ſex caſibus. Primò, quando ſolvitur ex cauſa judicati, ut proximè dictum eſt. Secundò, quando debitor creditori detulit juramementum, & ille falsò juravit ipſum in tantum eſſe obligatum. *inſti. de obli. quæ eſt quaſi. §. item is cui. in gloſ. & inſti. de act. §. item ſi quis.* Tertiò, quando cauſa tranſactionis ſolvitur. *C. de condi. inde. l. 2.* Quartò, quando ſolvitur ex cauſa quæ creſcit per inficiationem, ut actio legis aquiliæ, quæ datur in ſimplum contra confitentem, & in duplum contra negantem, ut ſi occidiſti animal vicini tui. ff. *ad l. aquil inde neractius. §. hæc actio.* Quintò, quando ſolvitur ex pietate. ff *de condi. inde cum is. §. penul.* Sextò, quando aliquis ſcienter ſolvit. *C. de condi. indebi indebitum.* hoc tamen ſecundùm Canones fallit in uſura, quæ indebitè ſoluta repetitur, *extrav. de jureju. debitores.* hæc Accur. *C. de condi. inde l. 1. gloſ.* ſuper verbo *judicati* unde verſus:

Judicat & jurat tranſacta negat, pietas
ſcit.

Quid ſi ſuper majori quantitate, quàm ſibi debeatur, fecerit quis ſcienter & dolosè à debitore ſibi caveri?

Reſpondet Ber. *extrav. de plus pe. c. ...* & Guil. quod ſi talem pœnituerit fraudis, & confiteatur veritatem ante litem conteſtatam, debitum non perdit, ſed punietur in expenſis, quas reus fecit; ſi verò perſiſtat in crimine, & tandem de adjecta falſa quantitate convincatur, in toto debito punitur, niſi in duobus caſibus; unus eſt quando creditor convictus tranſigit cum debitore ſuper pœna, & ſuper doloſitate illa, immò ſi quis eſt dolo inductus ad tranſigendum de illa doloſitate, non poteſt excipere de dolo priùs commiſſo in extorquenda cautione, ſed de dolo preſenti. Secundus eſt, quando priùs extortam dolo cautionem debitor confitetur ſe totum debere *C. e. l. 1.*

Quid ſi quis bis creditori pecuniam ſolvat, quia neſcivit ſe primò ſolviſſe, & poſt recordetur?

Reſpondeo, indebitum poteſt repetere, ſed ipſe

ipſe tenetur probare, quòd ſoluta ſit indebitè, ubi creditor negaret ſolutionem factam ſibi fuiſſe, & tunc ſi probabitur ſibi ſolutio facta, oportet, quòd creditor probet quòd illa pecunia ſibi fuerit debita. *extrav. c. is qui.* hoc intelligitur de perſonis non privillegiatis, ſecùs eſt in priviligiatis, ut de pupillo ſive minore, mulier, milite, ruſtico ſimplicitate gaudente, iſti enim non tenentur probare indebitam fuiſſe, ſed qui recipit, probare debet debitam fuiſſe *ff. de proba. cum de indebito.* §. *ſin autem* 1. hæc Ber

Nota quòd qui primò negaverit pecuniam numeratam, & poſtea de hoc convictus fuerit, proponere non poteſt exceptionem ſolutionis in pœnam mendacii. *C. de non nume. pe. auc. qui propriam.* Item neque delicatus debitor, nec oneroſus creditor à judice audiatur *ff. de pig. ac. ſi ſervus. in fi.* & quidem ſecùndùm Glo. delicatus debitor eſt, qui nec unum vult ſolvere nummum, ſed oneroſus creditor eſt, qui ſibi vult ſolvi uſque ad quadrantem ultimum.

ARTICULUS VI.

De effectu ſolutionis.

EST autem effectus ſolutionis dummodò legitimè fiat, eo modo quo dictum eſt ſupra, ut tollatur omnis obligatio quæcunque ſit illa tàm principalis, quàm fidejuſſoria, ut *inſti quibus modis tolli. obli. in principio.* Ad hoc autem ut tollatur omnis obligatio, oportet, ut ſolutio plene & integrè fiat, & tunc fit liberatio pro illa ſolum.

Sed quid ſi plures debitores erant in ſolidum obligati, & unus eorum pro ſe partem virilem ſolvit, & creditor admiſit?

Reſpondeo per hoc obligatio eorum in ſolidum tollitur, & alter pro altero poſtea non exigitur, aut convenitur, ſed quilibet eorum tantum pro ſe, & parte virili exceptione oppoſita pacti taciti, niſi dictum ſit in contrarium, ut *C. de pac. ſi creditores.*

Item quando plures aliquid promittunt, aut promittunt pecuniam, & tunc quilibet liberatur ſolvendo partem ſuam ff. *de condi. inde cum duo.* aut ſpeciem, & tunc non liberatur, ff. *de ver. ob. l.* 2, aut factum, & tunc ab omnibus compleri debet. *ſi de manu. teſta. & ſi ita fuit. duobus ſervis.* hæc Hoſt. *extrav. de pe. conſtitutus,*

Item ſi quis promiſit quadraginta libras in aliquo termino ſub pœna decem librarum, ſi ſolverit triginta libras infra terminum, non debet exigi pœna, niſi per decem non ſolutis. *extra. de pe. ſuam.* ubi nota ſecundùm Ber. quòd illud quod promittitur ſua pœna aut conſiſtit in dando, aut in faciendo: ſi in dando, ſic in totum pœna committ.tur, licèt pro parte ſit ſatisfactum, ff. *de ver. ob. ſtipulationem,* 2. §. *ſi ſortem.* ita dicunt omnes Legiſtæ præter dominum meum, qui dixit, quòd oppoſita doli exceptione repelletur à pœna pro rata partis ſolutæ, & eſt cum eo Goſ. *ti. de pœnis. ar. ſed eos.* ff. *de obl. l.* 2. §. *ult.* & hæc æquitas ſervatur *in c. ſuam.* quia non debet quis cum alterius jactura ditari, ut *ibidem dicitur.* Si in faciendo, aut ergo illud quod fieri debet, eſt individuum, i. eſt tale, quod non poteſt dividi in partes, & ſic in toto pœna committitur ſi non fiat, ut ſi mihi ſit à te ſervitus conſtituta ſub certa pœna, & decedas pluribus hæredibus relictis, & unus eorum tantùm me impediat, pœna committitur in totum. ff. *de ver. ob eadem.* §. *Cato. in prin.* aut eſt dividuum, ut cùm quis ſtipulatur generaliter hominem, vel vas quodlibet, & ſic pro parte tantùm committitur pœna in contractibus, ut ſi procurator ſub certa pœna promiſit dominum, ratum habiturum ſuper rem certam, & ſunt plures ſuper quibus ſtipulatio rata eſt habita, ſi dominus in uno contravenerit, non committitur pœna, niſi pro parte, ff. *rem ra. ha. ſi procurator ratam rem.* Sed in judiciis pœna committitur in ſolidum, exceptio tamen doli opponitur pro parte. ff. *ſi quis cau. ſi ſervus.* in primo tamen caſu, ſcilicet cum pœna conſiſtit in dando diſtinguit Guil. ſcilicet, quòd illud, quod dari debet, datur aut ab uno, aut à pluribus; ſi ab uno, tunc ſi pro parte detur pœna in ſolidum committitur, ut *in l. ſtipulationem.* ſi à pluribus, tunc pœna pro parte committitur, & exigitur. ff. *de arbi. ſi duo.* niſi illi plures loco unius habeantur, ut *ibidem in* §. *cui fundus.* Item ſi quid ſub pœna promiſi, & non ſolvi, pœna eſt commiſſa; ſi tamen poſtea ſolvo liberor à pœna. ff. *de ar. l. ult.* hoc eſt verum ſecundum Accur. ſi ſolvo ante judicium cœptum, & antequam creditoris interſit, ut *ibidem. l. ſicut dies.* §. *ult.*

TITULUS XX.

De donationibus inter vivos.

DEinde quia dictum eſt ſupra de venditione, & permutatione, in quibus rerum dominium transfertur non gratuitò; nunc dicendum eſt de donationibus, in quibus transfertur dominium rerum gratuitò.

Videndum eſt ergo primò quid ſit donatio, & undè dicatur.

Secundò, de ſpeciebus donationis.

Tertiò, quis poteſt donare?

Quartò, cui poteſt donari?

Quintò, quid poteſt donari?

Sextò, quomodo donatio fiat?

Septimò, ad quid donator tenetur?

Octavò, ex quibus cauſis donatio revocetur? Ideoque ſit.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

Quid ſit donatio, & undè dicatur?

CIrca primum ſciendum, quòd donatio eſt mera liberalitas, qua nullo jure cogente aliquid conceditur. ff. *e. l.* 1. & 2. vel ſecundùm Hoſtien. eſt rei licitæ nullo jure cogente mera liberalitate facta collatio; ſola autem obligatio civilis præcedens non impedit donationem, quia illa non eſt efficax ad agendum, vel retinendum, vel conſtituendum, ſed naturalis ſic, quia ſufficit ad conſtituendum. ff. *e. hoc jure.* §. *ult. mera.* ideo dicitur, quia ſi fit ex neceſſitate, non eſt donatio. ff. *de adimen. legatis. rem legatam.*

Dicitur autem donatio à dono, quaſi doni datio. ff. *de dono. cauſa mor. ſenatus.* §. 1.

ARTICULUS II.

De ſpeciebus donationis.

CIrca ſecundum ſcilicet de ſpeciebus donationis, ſciendum, quòd donationum alia eſt ſimplex, alia ob cauſam; ſimplex eſt illa, quæ non habet cauſam, & eſt irrevocabilis, ita ut nullo caſu donator velit ad ſe reverti rem donatam. ff. *e. l.* 1. Donatio ob cauſam eſt cùm interponitur, ut aliquid fiat, vel non fiat, ut eſt donatio propter nuptias, & cauſa mortis, & dotis; ſecùs eſt fortè de donatione ſponſaliorum ſecundùm Azo. quia ipſa fit purè, & ſimpliciter, licèt inſit conditio tacitè per *l.* ff. *e. hoc jure.* §. *ult.* Item donatio alia eſt inter vivos, ut quando rem, quam dono, malo habere illum, cui dono, quam me. Alia cauſa mortis, ut cum rem quam dono, malo me habere, quam eum cui dono, ſed magis ipſum, quàm hæredem meum. ff. *de do. ca. mor. l.* 1. Ad præſens autem intentio eſt dicere tantùm de donatione inter vivos; hæc autem, ut dictum eſt, debet eſſe mera; debet etiam eſſe pura, non fictitia, ut ſcilicet donator habeat propoſitum transferendi proprietatem, aliter enim dominium transferri non poteſt. ff. *e. in ædibus.* §. *ult. in fi.* Debet etiam eſſe ſimplex, id eſt ſine cauſa, & irrevocabilis, ut dictum eſt ſupra, ideo etiam in inſtrumentis de donationibus inter vivos dicitur: donavit purè, liberè, ſimpliciter, & irrevocabiliter inter vivos. De donatione verò dotis, & de donatione propter nuptias, & de donatione inter ſponſalia habetur, *infra l.* 8. *ti. de matrimonio circa fi.* De donatione autem cauſa mortis habetur infra titulo ſequenti. Item donationum alia perſonalis, alia realis; ſi enim Epiſcopus donet rem Eccleſiaſticam alicui perſonæ, magis eſſet donatio perſonalis, quàm realis. 10. *q.* 2. *hoc jus.* Si verò donet pluribus perſonis immediate ſibi ſuccedentibus, præſumitur eſſe realis, quia præſumitur donaſſe dignitati. *extra. de dona. cum dilecti.* Si autem donet Eccleſiæ, præſumitur etiam eſſe talis, ſcilicet realis, quia Eccleſia non poteſt mori, & iſte præſumitur perpetuò donaſſe. 16. *q.* 1. *c. fi.* hæc Ber. *in c. cum veniſſent.*

ARTICVLVS III.

Quis poſſit donare?

CIrca tertium nempe quis poteſt donare, ſciendum, quòd donare non poteſt Monachus, vel Converſus *di.* 54. *Abbati*, nec Abbas ſervum Eccleſiæ, niſi dentur Eccleſiæ duo ſervi ejuſdem meriti, & peculii. 12. *q.* 2. *Epiſcopus, qui mancipium.* aliàs verò res cum conſenſu Capituli, vel ſolus donare poteſt; ſed cùm ſolus donat, quantitas dati, & conſuetudo terræ diligentiùs debet attendi, & ſecundùm hoc donatum eſt ratum, vel irritum judicandum. *extra. e. cæterum,* Dicit autem ibi Ber. quòd ſecundùm Alanum, Abbas poteſt facere donationem, loquendo de pauperum erogatione, quam poteſt facere quilibet Prælatus Eccleſiæ; ita tamen quòd non prorogetur ad numerum quantitatem, ut *innuit in d. c. cæterum. ar di.* 86. *non ſatis,* conſiderata conſuetudine, & facultate Eccleſiæ. *extra. de cenſi. cum Apoſtolus in fi.* vel poteſt etiam dici, quòd Abbas poteſt facere donationem veram, quam poteſt facere Prælatus; ſi hoc habet loci conſuetudo, quæ dat juriſdictionem, & liberiorem aditum. *extra. de his quæ fi. à Præla ſine conſen. ca. c canoſcitur* ita tamen quòd Eccleſia enormiter non gravetur. *extra. e. fraternitatem.*

Item donare non poteſt minor viginti quinque annorum, niſi major factus ratum habuerit, ut *in l. ult.* nec furioſus, nec prodigus. ff. *e. modeſtinus.* §. *penul,* & *de cur. furi. l. ult.* nec ignorans, nec invitus. *C. e.* nec is, cui eſt alienatio interdicta, ut quia commiſit crimen leſæ majeſtatis, vel eſt hæreticus. *C. ad le. ex-ma. l. ul.* & *de hær.* & *ma. l. Manicheos* & *extra. de hære. ad abolendam* In his autem criminibus donare non poteſt quis poſt ſententiam; ſecùs eſt ſi donet ante ff. *e. poſt contractum*, nec etiam ſervus, nec filiusfamilias, niſi habeat peculium caſtrenſe, vel quaſi, vel niſi habeat liberam adminiſtrationem peculii profecticii, & hoc ipſum ſit ſpecialiter ei conceſſum, vel niſi ſit filius Comitis, vel Marchionis, vel Senatoris, àliter non, quantumcumque magnus, & diſcretus, ff. *e. filiusfamilias.* Item ſi Imperator donet domum, interpretamur eam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eſſe donatam. *C. de bo. va. hære. l. ſi quando. l.* 10.

AR-

Digitized by

ARTICULUS IV.

Cui donari poteſt?

Circa quartum, ſcilicet cui poteſt donari, ſciendum, quòd donari poteſt præſenti & abſenti, noto & ignoto ff *eodem libro ultimo*, amico, & amicæ etiam meretrici, niſi ſit miles ille, qui donat amicæ, quia miles non poteſt donare meretrici, vel doctori non docenti. ff. *e. affectionis. & C. de dona. inter vi. & uxo. l.* 3. patrifamilias, & filiofamilias. extranea tamen *C. e.* ſive emancipatis; uxori autem meæ donare non poſſum. *C. de dona. inter vi. & uxo. per totum.* Et dicit Hoſtien. *in ſum. ti. de dona. inter vi. & uxo.* quòd quicquid de donatione inter virum & uxorem dicitur prohibitum, idem pænè intelligas de donatione inter patrem, & filium. Item ſi aliquis de curia, vel de curialibus dederit ſubſtantiam ſuam alicui quocunque modo, ſive inter vivos, ſive in ultima voluntate, quarta pars debetur curiæ; Excipiuntur autem loca pia, quibus poteſt dare totum, ita quòd curia non detrahet quartam 12. *q.* 8. *quicunque*.

ARTICULUS V.

Quid poſſit donari?

Circa quintum, ſcilicet quid poteſt donari, ſciendum, quòd illud, & ſolum illud, poteſt dari, quod poteſt in dominium alterius transferri. ff *eodem in ædibus.* § *ultimo.* Item non poteſt à Prælato dari, niſi cum conſenſu Capituli *extrav. e. paſtoralis.* niſi res modica, ut ſupra dictum eſt de Abbate præter quinquageſimam, & centeſimam ad Eccleſiam conſtruendam, vel conſtructam ampliandam, ut *extrav. de his, quæ fiunt à Prael. paſtoralis.* aliàs non poteſt fieri ab eo perpetua donatio, niſi fortè moderata ſecundùm conſuetudinem patriæ, vel niſi cauſa eleemoſynæ; ſive extraneis, ſive propinquis. *extrav. de teſta. c. ad hoc in fi. & c. relatum.* vel niſi ex cauſa de conſilio Papæ, vel majoris partis ſui capituli *extrav. e. per tuas. & c. paſtoralis.* Conſuetudo etiam generalis tenet, quòd Prælati ſui compotes, pecuniam, equos, fructus, & res ſe moventes, & mobiles, donant pro libito voluntatis. Poſſent tamen ſi nimis excederent reprehendi, quod eſt commitendum arbitrio boni viri *ar. extra e. apoſtolice. cæterum. fraternitatem.* hæc Hoſt *e. ti* Item non poſſunt aliqua donari in enormem læſionem Eccleſiæ. *extrav. e. fraternitate*.

Sed quid ſi per multas donationes Prælatus Eccleſiam lædat, numquid illæ donationes revocantur?

Reſpondeo. Ber. *extrav. eo. fraternitatem* ad hoc arguit prò & contra per jura, hoc tamen indeterminatum relinquit.

Item ſupradictam quinquageſimam & centeſimam donare poteſt Epiſcopus tàm de redditibus Eccleſiæ, quàm de poſſeſſionibus, dummodo Eccleſia non lædatur. *extrav. e. apoſtolice. in tex. & gl. 3. in fi.*

ARTICULUS VI.

Quomodo fiat donatio?

Circa Sextum, ſcilicet quomodo donatio fiat, ſciendum, quòd donatio olim ſecundùm vetera jura fiebat tantùm ſtipulatione, hodie autem poteſt fieri ſolo pacto per verba præſentis temporis, ut dono, ſcilicet nudis verbis, conſenſu tamen donatoris, & donatarii interveniente, aliter non. ff. *e. nuda.* immò inter præſentes, vel abſentes per nuncium vel epiſtolam in ſcriptis, & ſine ſcriptis fieri poteſt. *C. e. nec ambigi oportet. & l. ſi aliquid.* niſi fortè convenerit inter partes, quòd in ſcriptis fiat, *C. de fi. inſtru. contractus.* vel niſi fortè fiat à patre in filium emancipatum; vel niſi fiat inter perſonas conjunctas. *C. e. ſi quis in emancipatum. & l. ſeq.* ſed niſi excedat quingentos aureos; nulla debet fieri in ſcriptis, & dicitur hic ſcriptura inſinuatio apud Magiſtratus convenientes, hoc eſt, quòd donator apud eos exprimat, quòd tali donare velit; & ſcriptura inde fiat adhibitis perſonis publicis non privatis; & hoc ſi fiat in actis non oportet adhibere teſtes *C. eo. in donationibus.* Sunt tamen quidam caſus, in quibus donatio ultra quingentos aureos ſine ſcriptis tenet, ut cùm ſit piis locis. *in aut. de non alie. vel permu. re. Eccl.* §. *ſi minus.* & cùm ſit à Principe in privatum *C. eo. ſancimus.* vel è converſo à privato in Principem, vel à magiſtro militum in milites, vel à privato in privatum in reparatione domorum, vel à privato in privatum in donatione propter nuptias. *C. eod. in aut. item & à privatis. & in aut. ut non fiat pigno.* §. *illud quoque. & de dona. an. nupt. in aut. eodem curſu.* vel cùm uſuræ futuri temporis remittuntur. ff. *eo. modeſtinus.* Fit etiam donatio per verba futuri temporis, ut dabo, vel donabo initar ſtipulationis, quæ habet fieri per verba futuri temporis. ff. *de ver. obli. ſtipulationum.*

Quid ſi plures donationes alicui factæ ſint diverſis temporibus, quarum nulla per ſe excedit ſummam prædictam, ſed omnes inſimul excedunt?

Reſpondet Hoſtien. quòd donatio valet licet non ſit inſinuata. *C. eo. ſancimus.* §. *ſi autem.*

Quid ſi donatio facta ſit in ſingulos annos, ejus quantitatis, quando non excedit ſummam ſed omnes ſimul excedunt?

Reſpondet Hoſtien. quòd eſt donatio una. ff. *de dona. ca. mor. Senatus.* §. *fi.* Si tamen perſonalis fuerit, quia ſcilicet nulla de hæredibus facta eſt mentio, non exigitur; ſi autem de hæredibus utriuſque, ſcilicet donatoris, & donatarii

Digitized by Google

jarii, vel alterius eorum mentio fiat, exigitur etiam ſcriptura. *C. eo. ſancimus*, §. *finali*.

ARTICVLVS VII.

Ad quid teneatur donator?

Circa ſeptimum ſcilicet ad quid donator tenetur, ſciendum, quòd donator tenetur tradere, quod donavit, vel equipollens, *inſti. e.* §. *perficiunt.* non tenetur autem de evictione, ff. *eo. ariſto. in gl. fi.* niſi ex pacto convenerit. *C. eo. l.* 2. & hoc quando incepit à traditione; vel ubi donatio inceperit à promiſſione, ff. *de ver. ob.* ubi autem non apparet, §. *ult.* poſſum agere de dolo contra donatorem, ſi mihi det ſcienter rem alienam, ff. *e. ariſto.* §. *ult.* Secundùm Io. 7. *q.* 1. *c.* 3. tenetur autem donator dare in quantum facere poteſt, id eſt habita ratione ſui ne egeat, ff. *de re. judi. cum ex eo.* & ff. *de re jur. in condemnatione.*

Nota, quòd in donatione non obligatur quis abſenti, niſi in caſu; primò ſi mittat, qui rem ſibi ferat: ſecundò, ſi rem penès ſe habeat, & eam ſibi donatam eſſe ſciat; ſed ſi neſcit eam ſibi eſſe datam, vel nondum accepit eam ſibi miſſam, non fit dominus rei donatæ, quæ ſi per ejus ſervum fuerit ſibi miſſa, niſi ea mente fuerit ejus ſervo data, ut ſtatim ejus fiat. Tertiò, ſi habeat aliquem parentem, qui nomine ejus accipiat rem illam, ff. *eo abſenti.* & ff. *de neg. ge. ſi ego.*

Item * quando duobus res aliqua datur, vel venditur, ſemper eſt potior is, cui res primò traditur, non cui primò datur, *C de res ven. quotiens.* hæc Hoſtien. *extra. de ſpon. du. tuat.* Item donatarius donatori naturaliter eſt obligatus ad antidota, ff. *de pe. he. ſed & ſi lege.* § *conſuluit.*

ARTICULUS VIII.

De cauſis ex quibus revocatur donatio.

Sequitur videre de octavo, ſcilicet de cauſis, ex quibus donatio revocatur.

Circa quod ſciendum, quòd revocatur primò propter deffectum cauſæ, propter quam res data eſt. *extrav. de cle. con. quod à te.* Secundò, propter conditionem adjectam *extrav. de con. apo. verum.* Tertiò, propter dantis impotentiam, de qua dictum eſt in quarto articulo. Quartò, propter pacti turpitudinem *extrav. de ſym. veniens.* Quintò, propter dati enormitatem. 13. *q.* 2. *ſi quis iraſcitur.* ubi dicitur, quòd ſi pater tantum donet, quòd filius exhæreditetur, debet donatio revocari. Sextò, propter recipientium fraudem. 17. *q. ulti. conſtituit.* ubi dicitur de illis Abbatibus, qui inducunt aliquos ad deponendum pecuniam propter turpe lucrum, quod res eorum hæredibus reddere debet. Septimò, propter ſupervenientem filiorum nativitatem, 17. *q. ſi, quicunque.* ubi dicitur, quòd quidam non habens filios; res ſuas Eccleſiæ dedit uſufructu ſibi retento; poſtea verò natis ſibi filiis res ſunt reddendæ, & hoc non jure fori, ſed poli, ut dicit Ber. *extra. eo. c. ult.* Octavò, quatenus modum excedit, 12. *q* 2. *ſi quos.* ubi dicitur quòd Epiſcopus poteſt ſervum benemeritum manumittere, & ei viginti ſolidos dare, & ſi ultra dederit, per ſucceſſorem poterit revocari. Nonò, propter ingratitudinem, *extra. eo. c. fi.* undè ſi quis impugnat eum, à quo beneficium habet, beneficium perdit, *extra. de poſtula. c. ult.* Sic etiam perditur feudum, *diſtinc.* 86. *ſi imperator.* vel legatum, ff *de inoffi. teſtamento. papinianus*, §. *meminiſſe.* Sic etiam revocatur in ſervitutem libertus, qui patronum impugnat, *C. de obſe. pa. p ſi manumiſſio.* & 12. *q.* 2. *liberi.*

Sunt autem & quædam aliæ cauſæ civiles, propter quas donatio revocatur; revocatur enim donatio facta liberto. Primò, propter obſequium non præſtitum patrono, ita etiam quòd revocantur empta de pecunia donata, *C. de revo. do. l.* 1. Ex hac tamen cauſa non revocatur libertus, quia in non faciendo leviter deliquit, *C. de libe. cau. ſolo.* Si tamen deliquerit contra patronum in faciendo offenſam etiam levem, poterit revocari in ſervitutem, & ſic debet intelligi, *C. de liber. & eo. li. l.* 2. quod autem dictum eſt, quòd propter obſequium non præſtitum non revocatur libertus in ſervitutem, eſt verum de liberto privati, ſecùs eſt de liberto Eccleſiæ, qui redigetur in ſervitutem, de quo vide infra *lib. 6. de ſer. non ordi.* Secundò, donatio libertis facta tota revocatur propter liberos poſtea à patrono ſuſceptos, quinimmò etiam ipſe filius poſtea genitus totum revocare poteſt, *C. de revo. donat ſi unquam.* & 17. *q. ult. quicunque.*

Donatio verò facta filio emancipato, ſive alicui de liberis non exiſtentibus in poteſtate donatoris, ſive etiam extraneo, revocatur propter quinque cauſas ingratitudinis. Prima, ſi donatarius atroces injurias donatori intulerit, ut quia dixit ei in platea, vel loco ſimili, quòd erat fur, vel aliud ſimile, Secunda, ſi manus impias in eum injecerit. Tertia, ſi grave damnum rerum ſuarum intulerit. Quarta, ſi vitæ periculum ei inferre attentaverit, ut quia eum intoxicare voluit. Quinta, ſi conditionem appoſitam non impleverit; de his caſibus habetur, *C. de revo. do. l. ul.* Primæ verò quatuor cauſæ tanguntur *extra. e. c ult.*

Mater verò quæ donavit filio, & poſtea tranſivit ad ſecunda vota, donationem revocare non poteſt, niſi ex tribus caſibus, ſcilicet ſi vitæ ejus inſidietur: vel in eam manus inferat; vel jacturam totius ejus ſubſtantiæ moliatur, *C. de revo. do. aut. quod mater.* & *aut. de nupti. ma. tamen.* Hoc etiam notatur per Gof. *in ſum. e. ti.* & per Ber. *extra. e. c. ult.* Eſt autem hoc jus revocandi perſonale ab utraque parte, undè non

Digitized by Google

non tranſit ad hæredes donatoris, qui tacuit ſuper hoc in vita ſua, quia tacendo renunciaſſe videtur; nec ad hæredes donatarii, *C. eo. l. ult. in fi* niſi donator in vita ſua ſe præparaverit ad agendum, ut dicit Hoſtien. *extra e. c. ul. ar. C. de inoffi. teſta. ſi pater.* & niſi in donatione facta liberto, qui liberis poſtea ſuſceptis etiam à filio revocatur.

Quid ſi in donatione pactum fieret, quòd donator donationem prætextu alicujus ingratitudinis non revocaret?

Reſpondeo, tale pactum non teneret, quia æquitati naturali contrarium eſſet, ſcilicet quòd aliquis impunè ingratitudinis vitium committeret. *c. de inuti. ſtip. ex eo.*

Ad hoc nota, quòd ſi qui Clerici illis Eccleſiis, quibus fuerant intitulati in poſſeſſionibus, vel aliis bonis, aliqua donaſſe noſcuntur, cùm ab earum miniſterio & beneficio fuerint amoti, ad eas debent reverti, *extra. de cler. conju. quod à te & 16. q. 6. de lapſis.*

Sed contrarium videtur 12. *q.* 2. *nulli liceat. & extra. de condi. apo. verum.*

Reſpondeo, ſuper hoc fuerunt diverſi modi dicendi, ut dicitur *in glo. illius. c. quod à te.* Sed dicit Ber. ibidem, quòd *illud c. quod à te.* & ſimilia loquuntur de benignitate, & diſpenſatione; contraria verò de ſtricto jure. Vel dicendum, quòd ſi tempore ingreſſus ſint expreſsè donatæ, nunquam poſtea ſunt reſtituendæ, *c. ſi vens, vel act. mor. ſu. l. ult.* niſi Clerici vellent ei gratiam facere; ſi verò ſint tacitè donatæ perſonam ſequuntur, & ſic intelligi poteſt *c. quod à te.* quia bona ſunt acceſſoria, immo ſequuntur perſonam, hæc Ber. Secundùm autem Io. 16. *q.* 6. *de lapſis*, bona ſibi reddentur, ſi ſint immobilia, quantum ad uſumfructum, quia tempore vitæ ſuæ utetur; ſed proprietas apud Eccleſiam remanebit.

Sed quid ſi aliquis invita uxore monaſterium intret, & poſtea revocetur ab ea, numquid illa, quæ contulit monaſterio, ſibi reddentur?

Reſpondeo. Ber. in quæſtionibus dicit, quòd ſic, quia illa non fuerat aliter daturus, niſi teneret ingreſſus.

Inſuper nota, quòd donatio poteſt modum accipere, ut do tibi hoc, ut facias mihi illud. Conditionem, ut do tibi hoc, ſi feceris mihi illud. Cauſam, ut do tibi hoc, quia feciſti mihi illud. Demonſtrationem, ut do tibi ſervum meum, ſtichum coquum. Vide de hoc infra de modo contrahendi ſponſalia ſub conditione, *lib.* 8. 2. *part.* Si ergo fiat donatio ſub conditione non tenet, niſi conditione extante; nec donatarius petere poteſt rem ſibi donatam, antequam conditio extet, etiam ſi cavere velit de conditione implenda, ff. *de condi. & demon. qui hæredi.* §. *fi.* undè ſi pendente conditione, res tradatur, & poſtea conditio non extet, res tradita repetitur, ff. *de condi. indebi. l. ſub conditione.*

Si verò fiat ſub modo, donatio ſtatim tenet, & donatarius ſtatim poteſt petere rem ſibi donatam, ſi cavere velit de modo implendo, ff. *de fideicom. libertatibus. cum in teſta. & extr. ut Eccl. be. c. uno in glo. niſi ſub modo.* undè magis obligatus eſt, qui donat ſub modo, quàm qui ſub conditione, & hæc donatio non revocatur, quamdiu modus ſervatur; ſi autem modus non ſervatur, tunc aut in conditione expreſſa fuit revocatio ejus modo non ſervato, aut non; ſi ſic, donatio revocatur modo non ſervato; ſi non, revocatur, ſed agitur ad intereſſe, ut fiat, quod convenit, *c. de reſcin. ven. ea conditione.* hæc Ber. *extra. de condi. apo. verum.*

Si autem fiat donatio ob cauſam, aut fit ob cauſam futuram, aut præteritam; ſi propter futuram, aut illa cauſa non exprimitur, & tunc non poteſt repeti, quod donatur: cauſa enim non impedit donationem, niſi exprimatur, *c. de condi. ob. ca. da. ſi repetendi.* vel niſi intelligatur à jure, ff. *de jure dot. ſtipulatio.* ubi dicitur, quòd ſtipulatio, quæ fit ob cauſam dotis, non habet in ſe tacitam conditionem, ſi nuptiæ fuerint ſecutæ; aut exprimitur, & tunc aut datur propter cauſam honeſtam, & tunc repeti poteſt, ſi illud, propter quod eſt datum, non eſt ſecutum; aut propter cauſam turpem, & tunc aut illa turpitudo eſt ex parte accipientis tantùm, & ſic poteſt repeti, etiam ſi res ſit ſecuta; ut ſi dedi tibi, ne mihi facias injuriam, 1. *q.* 2. *jubemus. & c. ſe.* aut ex parte dantis, ſic non poteſt repeti, ut illud quod datur meretrici; illa enim turpiter facit, quòd eſt meretrix, ſed non turpiter accipit, cùm ſit meretrix; poteſt tamen pignus ab ea repeti non actione pignoratitia, ſed rei vendicatione, *ar. c. ſi ob tur. cau. l.* 2. *ſuper ver. melior.* aut ex parte utriuſque, ut ſi detur pecunia Iudici, ut mihi judicet, & tunc repeti non poteſt, 11. *q.* 3. *quæ rectè.* Hoc autem fallit in magiſtro, qui dat pro licentia docendi, qui poteſt repetere quod dedit; & hoc fit in odium ejus, qui recipit, *extra. de magi. prohibeat.* Fallit etiam in ſymoniaco regulariter, cui pecunia redditur, ut cùm ea in monaſterium arctius recludatur, immo monaſterio potius, quam perſonæ datur, *extra. de ſymo. veniens.*

Nota tamen, quòd quando turpitudo eſt ex parte dantis, vel utriuſque, tunc licèt dans non poſſit repetere, Fiſcus tamen repetere poteſt, ff. *de do. inter vi. & uxo. cum hic ſtatus.* §. *ult.* Si verò aliquid detur propter cauſam præteritam, ut do tibi, quia hoc feciſti mihi, tunc non repetitur, etiam ſi cauſa ſit falſa propter quam datur. ff. *de condi. inde. caſus.*

Si autem fiat donatio propter demonſtrationem, tunc etiam non repetitur, etiam ſi ſit demonſtratio falſa, quia demonſtratio, vel cauſa falſa legatum non perimit, ff. *de fal. cau. ad l.* 2.

Ad hoc nota, quòd ſi verbum in inſtrumento donationis ſit dubium, largiſſimè eſt interpretandum, quia in contractibus plena, in teſtamentis plenior, in beneficiis eſt interpreta-

tio pleniſſime facienda, *extra. e. cum dilecti filii. in fine.*

TITULUS XXI.

De Donationibus cauſa mortis.

Viſo de donatione inter vivos, videndum eſt de donatione cauſa mortis, &

Primò, quid eſt donatio cauſa mortis?

Secundò, quis poteſt donare?

Tertiò, cui poteſt donari?

Quartò, quid poteſt donari?

Quintò, quot, & quæ ſunt ſpecies ejus?

Sextò, qualiter fiat?

Septimò, ex quibus cauſis revocetur?

Octavò, in quibus hujuſmodi donationes ſunt ſimiles, & diſſimiles legatis?

Nonò, de effectu hujus donationis.

Decimò, de forma inſtrumenti ejus: Ideo ſit:

ARTICVLVS I.

Quid ſit donatio cauſa mortis?

QUid autem ſit hæc donatio, dictum eſt priùs propè principium tituli precedentis. Poteſt etiam dici, quòd eſt quædam ex mortis, vel alterius inſtantis, vel futuri periculi conſideratione, vel metu, diſpenſatio voluntatis, ff. *e. l.* 2. & addit in deffinitione prædicta Hoſtien. liberaliter facta, quia ſi quis cauſa mortis ſibi comminatæ rem ſuam conferret, non valeret, licèt periculum immineret, ff. *quod met. cau. metum.* & hoc intelligitur, quando metus ideo mihi infertur, ut aliquid donem, aliàs ſecùs eſt, ff. *e. l.* 3

ARTICULUS II.

Quis poſſit donare?

CIrca ſecundum, ſciendum, quòd hujuſmodi donationes facere poteſt omnis, qui teſtari poteſt; qui autem teſtari non poteſt, eam facere non poteſt; Hoc tamen fallit in filiofamilias, quia licèt patre conſentiente teſtari non poſſit, donationem tamen facere poteſt, parente, in cujus poteſtate eſt, conſentiente, *c. e. l. pen.* Quis autem teſtari poſſit, dicetur infra.

ARTICVLVS III.

Cui poſſit donari?

CIrca tertium ſciendum, quòd omnibus donatio fieri poteſt, quibus legatum de jure relinqui poteſt, de quo etiam habetur infra *tit. ſe.* ff. *e. omnibus.* in quo quidèm tempus non donationis, ſed mortis inſpicitur, ff. *e. in mort.* ergo ſi ſit excommunicatus, donatio evaneſcit, *extra. de appel. paſtoralis.* §. *fi.*

ARTICVLVS IV.

Quid poſſit donari?

CIrca quartum ſciendum, quòd donari poſſunt res mobiles, & immobiles, corporales, & incorporales, ff. *e. ſi mortis.* Et ſi chirographa debitorum dentur, debita, vel empta ibi contenta donata videntur, ff. *e. mortis cauſa. ſ.* §. *titia.* & breviter donari poteſt cauſa mortis, quidquid inter vivos dari poteſt, de quo vide ſuperiùs.

ARTICVLVS V.

Quot, & quæ ſunt ſpecies hujus donationis?

CIrca quintum ſciendum, quòd hujuſmodi donationis tres ſunt ſpecies, una quæ fit ab homine ſano, eo quòd cogitet ſe quandoque moriturum; aliæ verò duæ ſunt ab homine, qui occaſione languoris, vel alterius cauſæ timet ſibi mortem, vel aliud periculum de proximo imminere; quarum una fit ita, ut res donata ſtatim fiat accipientis; altera verò, ut tunc fiat accipientis, cùm donans deceſſerit, ff. *e. l.* 2. Cadit autem harum donationum quælibet inter virum & uxorem, de quo vide *lib.* 8. *ad fi. tractatus de matrimonio.*

ARTICVLVS VI.

Qualiter hujuſmodi donatio fiat?

CIrca ſextum ſciendum, quòd hæc donatio fit tripliciter, ſcilicet traditione, pollicitatione, & ſtipulatione, ff. *e. ſenatus.* §. *ſed qui mortis cauſa..* ſub quacumque autem ſpecie fiat, vel quocumque modo, inſeri debet in ea, quòd fiat cauſa mortis, vel alterius periculi talis, quia aliàs eſſet donatio ſimplex inter vivos, quantumcumque fieret in articulo mortis, quia non eo ipſo, quòd quis moriens donat, donare mortis cauſa videtur, ff. *e. ſenatus* §. *ult.* ſecundùm Azo. Secundùm autem Hoſtien. hoc æſtimandum erit ex verborum affectione, & qualitate perſonarum, & ſtatus; & ſi nihil apparet, præſumitur inter vivos donatum, ut *dicitur in fi. prædictæ l.* & debent in ea quinque teſtes adhiberi, *c. e. l. fi.* Debet etiam præſens eſſe perſona, cui fit, vel alia, quæ vice ejus recipiat eam; undè ſi vult donare cauſa mortis pauperibus, vel Eccleſiæ, donet Notario ſtipulanti recipienti nomine pauperum, vel Eccleſiæ, ff. *e. inter.*

AR-

ARTICULUS VII.

Ex quibus cauſis hæc donatio poſſit revocari?

Circa ſeptimum ſciendum, quòd hæc donatio cujuſcumque ſpeciei, vel modi ſit, ipſo jure poteſt tripliciter revocari, ſcilicet ſi donans ſupervixerit, ſeu de periculo, in quo erat, convaluerit; vel eum pœnituerit, vel donatarius priùs deceſſerit, *inſti. e. in prin.* Si tamen donans irrevocabilem eam dixerit eſſe, irrevocabilis erit, ut ſi dicat ſic: donationem hanc quantumcumque donatarium, aut me ſupervivere, aut pœnitere contingat, tamen irrevocabilem eſſe paciſcor, & jubeo, volens eam nulla ratione, vel cauſa infringi, vel irritari poſſe, ff. *e. l. ſenatus.* §. *mortis cauſa.* & ſic habebit effectum ſimplicis donationis, licèt dicatur fieri cauſa mortis.

ARTICVLVS VIII.

In quibus hujuſmodi donationes ſint ſimiles, & diſſimiles legatis?

Circa octavum ſciendum, quòd hæc donatio differt à legato; Primò, quia legatum ſemper datur ab hærede, ſed donatio cauſa mortis, vel ab eodem, vel à defuncto. Secundò, quia filiusfamilias patre permittente hanc donationem facere poteſt, non autem poteſt legare, vel teſtari, quia hoc ex alieno arbitrio pendere non debet, ff. *e. tam is.* Tertiò, quia teſtamentum ſi accuſo, legatum perdo, non autem donationem ff. *de his quibus ut indig. l. poſt legatum. & inſti. de dona.* §. 1. *in glo. ferè.* ubi etiam plures aliæ ponuntur differentiæ. Convenit autem cum legato, quia in morte confirmatur, ex ea falcidia detrahitur, *c. ad L. falci. l. fi.* & in tantum eſt ſimilis ei, ut cum ipſo ferè per omnia connumeretur, *inſti. de dona.* §. 1. *in textu, & in gloſa.*

ARTICULUS IX.

De effectu hujus donationis.

Circa nonum ſciendum, quòd effectus hujus donationis eſt, ut res ſi fuerit tradita retineatur, vel ſi non fuerit tradita, vendicetur, non obſtante uſucapione, *ff. e. ſenatus.* §. 1. Expenſæ tamen neceſſariæ, vel utiles per doli exceptionem recuperantur. ff. *e. ſi mortis.* Item ut juſtus titulus uſucapiendi transferatur. ff. *e. qui alienam.* & hæc ſunt vera, niſi donatio fuerit revocata.

ARTICVLVS X.

De Forma inſtrumenti hujus donationis.

Circa decimum, ſcilicet de forma inſtrumenti donationis, ſciendum, quòd ſi fiat donatio cauſa mortis per obligationem ab homine ſano, quem nullum inſtans periculum terret, dicetur ſic: Petrus ſanus exiſtens, ſciens tamen ſe quandoque moriturum præſentem, cauſa mortis fecit donationem; donavit enim cauſa mortis Joanni fratri ſuo ibidem præſenti prædium tale pollicitationem offerens; vel ſic: ſolemni ſtipulatione interveniente promittens dicto Ioanni dare, tradere, & exhibere poſt mortem ipſius donantis dictum prædium, & volens, atque paciſcens, ut ſtatim poſt mortem ejus ipſi Joanni petitio, & exactio dicti prædii competat pleno jure, niſi vel donatarium præmori, vel donatorem donationis prædictæ pœnitere, & eam in vita ſua ſpecialiter revocare contingat; horum enim duorum altero contingente donatio evaneſcit. Si verò donatio cauſa mortis per traditionem fiat metu mortis proximæ, vel alterius periculi de proximo imminentis, dicetur ſic: Petrus de proximo mare tranſiturus, vel ad bellum iturus, timens naufragii, vel belli periculum, pro Dei reverentia, & ſuorum delictorum venia, mortis vel dicti periculi cauſa donavit Joanni Procuratori Conventus talium Religioſorum, nomine conventus ejuſdem recipienti prædium tale, & dans, & tradens in præſenti ipſi Joanni dictum prædium, vel ſic: Conſtituens ſe ex nunc dictum prædium ipſius Johannis donatarii prædicto nomine poſſidere, vel quaſi; & volens ut ex nunc dicti prædii donatio in eundem donatarium prædicto nomine ſit tranſlata, & prædictum prædium de cætero ejus nomine ſæpe dicto fiat, niſi vel donatorem ipſum ab hac ægritudine liberari, vel donationis pœnitere contingat; ita ſcilicet, ut quodcumque horum contingat, donatio evaneſcat. Si verò filiafamilias nupta faciat donationem cauſa mortis dicetur ſic: Domina Berta filia Petri, & uxor Titii compos mente, & ægra corpore, quia in patris poteſtate conſtituta teſtari non poterat, infraſcriptam cauſa mortis donationem, periculum mortis imminere de proximo cognoſcens, prædicto patre ſuo præſente, & conſentiente modo infraſcripto facere procuravit: Primò, namque de dotibus ſuis, & juribus ad ſe ſpectantibus cauſa mortis donavit pro anima ſua centum libras expendendas hoc modo. Item pro fratre ſuo decem libras &c. reliquum verò, ſive reſiduum dotium, bonorum, & jurium ſuorum mortis cauſa donavit prædicto Titio viro ſuo recipienti vice, & nomine *C. & H.* filiorum ejus; ita tamen quòd ſi aliquis prædictorum filiorum ejus deceſſerit ante ipſam, ejus portio ſuperveniat donatione cauſa mortis, promittens ſolemni ſtipulatione interveniente cuilibet prædictorum donatariorum ibidem præſentium, recipienti ſuo nomine pro donatione ſibi facta, & vice illius, ſive illorum, cujus, vel quorum nomine eſt donatum H. Notario ſupraſcripto recipienti &c. eidem dare, vel tradere, vel exhibere quantitatem, rem, vel res ipſas donatas ipſius donantis morte ſecuta; & volens, atque paciſcens, ut quantitatis rei, vel rerum donatarum illicò poſt mortem ejus petitio & exactio competat pleno jure, niſi donatarium,

dis, *inſti. e. §. ſi quis rem ſuam.* Item hæres legatarii poteſt erogari, ut non tantum rem ſibi legatam, ſed etiam propriam alteri reſtituat; hoc obſervato, ne plus reſtituere cogetur, quàm cæpit ex teſtamento, *inſti. de ſingulis rebus per fideicom. re. §. poteſt autem.*

Item res aliena, ſi tamen teſtator alienam eſſe ſciebat, & teneatur eam rem hæres emere, & præſtare, vel ejus æſtimationem legatario, & hoc eſt verum, ſi res illa ſit talis, quæ vendi poſſit, aliàs non, *inſtit. e. §. non ſolum. & §. quod autem.* & ſi hæres eam non redemerit, vel pretium ejus legatario non dederit, nihilominus ipſe legatarius, ſi rem illam alienam habeat, tenetur eam reddere, ſed contra hæredem poteſt agere. Si verò teſtator ignoret illam rem eſſe alienam, non tenet legatum, niſi cùm legatur perſonæ conjunctæ, ut uxori, vel alii perſonæ, cui tantundem relicturus erat de ſuo, *c. e. cum alienam*, & niſi cùm libertas relinquitur ſervo, ff. *de fideicommiſ. lib. paulus.* Oportet autem legatarium probare, teſtatorem rem alienam ſcienter ſe legaſſe, *inſti. eo. §. quod autem*, hoc notatur per Hoſtien, & Ber. *extra. de teſta. filius.* & poteſt præmiſſa diſtinctio, ut dicit Hoſtien. in quatuor caſibus ſalvari.

Nec obſtat *c. filius.* ubi dicitur, quòd hæres cogitur ſecundùm leges ſæculi, non ſecundùm leges Dei ſolvere, ſi teſtator rem alienam ſcienter leget; quia loquitur in caſu, in quo res legatæ erant cuidam Eccleſiæ, in quibus tale legatum non tenuit. Poteſt etiam intelligi, & in aliis rebus legatis, quando hæres egens remaneret, ſi redimeret, vel pretium ſolveret; non enim debent viri Eccleſiaſtici eſſe actores importuni in grave præjudicium aliorum, quibus potiùs debent de ſuo in neceſſitatibus ſubvenire, *extra. de cenſibus ex parte.* Sed & laici etiam ad hoc ſecundùm Hoſtien. tenentur, *ar. extra. de cenſi. licet.* quia etiam ad eos ratio decretalis extenditur, ut patet *extra. de teſta. filius.* Item ſi quis legat rem obligatam creditori ſuo ſcienter, quia ſcilicet ſcit eam eſſe obligatam, tunc hæres debet eam luere, ideſt redimere; ſi tamen noluit, & hoc expreſſit, quòd legatarius eam lueret, tunc hæres non tenetur eam luere; ſecùs autem eſt, ſi legat ignoranter, *inſti. eo. §. ſed & ſi rem.* tunc enim hæres non luet, ſed legatarius, niſi cum legatur perſonæ conjunctæ, vel pro tanto res eſt obligata, quantum valet, ff. *de fideicommiſ lib. obligata. &* ff. *e. l. ſi res obligata.* Item ſi quis rem ſuam credens eam eſſe alienam leget, valet legatum; & ſi putet eam eſſe legatarii, valet etiam *inſti. e. §. ſi quis rem ſuam.* Item ſi cui legetur res ejus non prodeſt, nec convaleſcit legatum, ſi legatarius eam alienet, *inſti. eo. §. ſi rem legatarii* & hoc eſt verum, niſi teſtator legaverit eam ſibi ſub conditione hac, id eſt, ſi eam alienaret, ipſo teſtatore vivente, *ar.* ff. *eo. l. cætera.* Item ſi alicui fundus alienus legatus fuerit, & ejus proprietatem, detracto uſufructu, emerit, & uſusfructus ad eum ex cauſa lucrativa poſtea pervenerit, ipſe legatarius poterit fundum petere, & hæres officio Judicis cogetur proprietatis illius æſtimationem ei præſtare, *inſti. eod. §. ſi cui.* Item ſi quis res ſuas legaverit, & poſtea eas vendiderit, nihilominus legatum tenebit, niſi vendendo legatum adimere voluerit, *inſti e. §. ſi quis rem ſuam.* & in dubio probabit hæres voluntatem defuncti mutatam quatuor teſtibus, *gloſa ibidem.* Secùs eſt, ſi eam donaverit, quia tunc indiſtinctè videtur adimere legatum, ut *in eadem gloſ.*. & idem eſt de eo, qui prædium quod legavit, poſtea pignori obligavit; poterit enim legatarius agere cum hærede, ut prædium luat, habita tamen diſtinctione ſupradicta, *inſti. e. §. e. in tex. & in glo.*

Si verò partem rei legatæ teſtator alienaverit, pars non alienata omninò debetur; de parte verò alienata idem dicendum eſt, quod præ dictum eſt de re tota, *inſt e. §. ſi verò quis.* Item teſtator poteſt legare rem, quam habet communem cum alio, & tunc legatarius tantùm habet partem ejus. ff. *de leg. 1. l. ſi.*

Item poteſt mihi legari, ut mihi liceat cædere lapides in ſolo ejus; hoc tamem legatum non tranſibit ad hæredem meum, niſi ſit nomen adjectum ff. *e. l. apud jul. §. ſi quis.*

Item poteſt res, quæ nondum eſt in rerum natura, dummodò ſit futura, legari, vel fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit, *inſti. eo. §. ea quoque res.* legari ergo poſſunt & ea, quæ ſunt, & ea, quæ futura ſunt, ſed legari non poſſunt ea, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, ut chymæra, nec ea quæ fuerunt, ſed eſſe deſierunt; ut homo mortuus. *inſti. de inuti. ſtipu. in prin.* ſi verò dubitetur tempore teſtamenti, an res legata ſit in rerum natura, putà, an homo legatus vivat, agi quidem poteſt ex teſtamento, ſed officio judicis continetur, ut cautio interponatur, cavet enim hæres rem illam proſecuturum, & ſi nactus eam fuerit, ipſam legatario reſtituturum ff *e. ſervo legato.* Item ſi tempore teſtamenti ſervus legatus eſſet in fuga, vel longè abſens, tunc debet hæres operam, & precium, & ſumptus impendere, ut recuperetur; ſi verò poſt teſtamentum fugerit, impenſis, & periculo legatarii debet quæri, quia hæres rem legatam in illo loco debet præſtare, in quo relicta fuit à teſtatore. ff. *eo. cum ſervus & l. ſi ſervus. reſponſ. 1.* Item legari poſſunt non tantùm corporalia, ſed etiam incorporalia, ut jura, actiones, & ſervitutes; & ideò ſi teſtator mihi legaverit, quod alius ſibi debet, hæres debebit mihi cedere ſuas actiones dando, quoniam etiam ſine hoc habeo utilem actionem, niſi teſtator vivus exegerit pecuniam.

In dubio enim ſemper præſumitur tunc voluiſſe legatum extingui, niſi contrarium probetur, vel quia eo non petente, debitor ei ultrò obtulit, vel quia exactam pro legatario depoſuit. *inſti. eo. §. tam autem in tex. & in glo.*

Item poteſt quis debitori ſuo liberationem legare, & tenet legatum. *inſt. eo. §. ſi quis debitori*

tori

tori. niſi teſtator vivus exegerit. *inſti. eo.* §. *tam autem.* Sed & meo creditori legare poſſum,quod debeo, & cum plus ſit in legato, quàm in debito, & ſi ex legato commodè aliquid ei repreſentetur, putà quia pure legatur, quod in diem, vel ſub conditione debebatur, quia tunc ante diem, vel conditionem aget ex legato, vel quia exceptionem habebat pro debito, vel quia deficiebat ei probatio debiti, & hinc eſt,quòd utile eſt legare, & exprimere illicitè ablata illis, à quibus ſunt extorta. *inſtitu. eo.* §. *eod.* Item poteſt legari factum, ut lego tibi, quòd hæres meus vendat tibi rem illam; & tunc hæres tenetur vendere pretio vero: ſed ſi hæredem meum damnaverim vendere pretio certo, neceſſariò habebit vendere tanti, quanti eſt damnatus, ff. *eo. fidejuſſor.* §. *fina.*

Item ut hæres meus emat à te rem talem pretio juſto, ff. *e. l.* & *ſi equo.*

Ad hoc nota, quòd legari non poſſunt res, de quibus non eſt commercium, vel quæ alienari prohibentur, & ſi tales res legentur, nec ipſę, nec earum æſtimatio debetur, *inſti.eo.* §.*ſed ſi talis res. ut ibidem in glo.* & ſecundùm Azo. *tit. de lega.* diſtingue, quòd rei legatæ, vel nullum eſt commercium, vel eſt quidèm, ſed cum grandi difficultate, ut in prædiis neceſſariis, & tunc nec ipſa res, nec ejus ęſtimatio debetur, niſi voluntas teſtatòris contraria appareret,ff. *eo.ſi quis inquilinos.* Excipitur etiam caſus alius,ut in homine libero, qui aliquando ſibi poteſt legari, ut ſi redemerim eum ab hoſtibus, proficiet enim ſibi legatum ad liberationem vinculi pignoris, quod habui in eo tacitè, quia redemi, ff.*eo.ſenatus.* Si verò illius rei commercium ſit in communi, ſed non huic, ſi quidem non ſit ei, qui damnatus ſit præſtare, præſtabit nihilominus legatum; ſi autem ſit ei, qui præſtare debet, ſed non ei, cui debet præſtari; aut hoc eſt propter ejus delictum, vel ſectam, ut quia Hæreticus eſt, vel Judæus, qui mancipium Chriſtianum poſſidere non poſſunt, & tunc nec res, nec æſtimatio debetur; aut propter conditionem ſtatus, ut quia eſt ſervus, cui militia legatur; aut propter vitium corporis cum contracto legatur ſtipendium curſoris; & in his ſi teſtator ſciebat hujuſmodi qualitatem perſonarum, æſtimatio debetur, aliàs non. Item nec ea, quæ ſunt ædibus juncta, ne urbs deformetur ruinis, ff.*eo.l.cætera.* Item ſi res eadem in duobus teſtamentis, id eſt duorum hominum eiſdem legata fuerit, & ipſe ex primo teſtamento rem ſuam executus fuerit, tunc ex ſecundo teſtamento nihil petere poteſt, quia duæ cauſæ lucrativæ in eundem hominem, & in eandem rem concurrere non poſſunt; ſi verò ex primo teſtamento executus eſt rei æſtimationem, tunc nihilominus ex ſecundo teſtamento poteſt petere rem,*inſti. eo.*§.*ſi res aliena.*

ARTICULUS V.

In qua ultima voluntate legari poſſit?

Circa quintum, nempe in qua ultima voluntate poteſt legari, ſciendum, quòd legatum relinquitur in teſtamento perfecto, & in codicillis perfectis, non in donatione cauſa mortis,quia legata in multis differunt ab eis, ut habitum eſt ſupra titulo præcedenti.

ARTICULUS VI.

Qualiter, & quibus verbis fiat legatum?

Circa ſextum ſciendum, quòd legatum poteſt purè relinqui, ut tali lego centum libras; & in diem, ut lego uſque ad Paſcha; & ex die, ut à Paſcha, & in antea; & ſub conditione, quæ apponitur per *ſi*, vel per *cum*, ut lego tibi, ſi filiam meam in uxorem acceperis, vel cum 14. annorum fueris; & ineſt ei conditio hæc, id eſt ſi compleveris decimum quartum annum,ff.*e.ſi cui legetur.*& *c.eo, l.fi.* In libertate tamen eſt ſpeciale, ut videatur potiùs eſſe relicta in diem, ſi dicat teſtator: illum ſervum eſſe liberum jubeo, cum ſi ius meus erit viginti quinque annorum, *c.de fideicom.lib.fideicommiſſaria.*

Item legatum poteſt fieri quibuſcunque verbis, aptis tamen, & idoneis, ut ſi dico: do, lego,dari jubeo,volo,rogo,poſco,opto,ut des,credo te daturum,&ſimilia,*c.communia de leg.l.2.*

ARTICULUS VII.

Quot, & quæ ſunt ſpecies legatorum, & quo ordine debeant ſcribi legata?

Circa ſeptimum ſciendum, quòd triplex eſt ſpecies legatorum: legantur enim aliqua pro reſtituendis malè acquiſitis, ſi teſtator acquiſivit, & habet aliquid tale; aliqua verò pro funeris impenſis, & eleemoſynis, & aliis animæ ſuffragiis. Aliqua verò uxori, & propinquis, & aliis carnalibus amicis; & quidem congruè perſona debet præmitti in ſcribendo aliis legatis, quia nulla alia legata debentur,niſi deducto ære alieno, *c.eo.ſi univerſæ.* undè illa intelliguntur bona, quæ non ſunt alieno ære deducta; ſecundò loco poni debent ſecunda tanquam pinguiora. Poſt verò has duas ſpecies legatorum debet eligi certa perſona, vel certæ perſonæ,quæ commiſſarii, vel fideicommiſſarii, ſeu executores dicuntur, qui ad prædicta legata conſtituantur; raró enim hæc fideicommittuntur hæredum; quibus ita poſitis, tertiò debent poni certa legata, quorum quidem ſolutio hæredi ſolet relinqui.

AR-

ARTICULUS VIII.

De Formis ſcribendi legata relicta pro reſtitutione malè ablatorum.

CIrca octavum ſciendum, quòd circa reſtitutionem malè ablatorum, vel acquiſitorum quatuor ſolent contingere, & ſecundùm hoc variatur forma eorum, quæ legantur pro talium reſtitutione. Pimò, quando teſtator pauca talium habet, & eſt memor eorum, & perſonarum, à quibus habuit; & ideo poſſunt breviter notari in teſtamento; undè tunc poſito proœmio dicitur ſic: Primò quidem voluit, diſpoſuit, & mandavit,quòd reſtituantur Petro decem librę, & Johanni decem, & ſic de aliis, quas quantitates habuit à prædictis per uſuram, vel aliam exactionem illicitam, & hæc eſt via tutiſſima. Secundus caſus eſt, quando teſtator perſonas, res, quantitates, & cauſas illicitas propter timorem infamiæ in teſtamento non vult exprimi, & tunc ſolet habere ea notata manu ſua, vel alterius ſecretò in aliqua cedula, quam ſuo Confeſſori, vel alteri perſonæ fideli coram duobus teſtibus ignorantibus quid contineat, ſigillatam tradit; quo facto in teſtamento dicetur primò, quid eſt; vel item reliquit de bonis ſuis tali perſonæ centum libras ſolvendas in his, & circa ea, quæ ſibi ſecretè commiſit. Tertius caſus eſt, quando longo tempore multa illicitè acquiſivit, quæ particulariter in teſtamento non poſſunt exprimi, & tunc ita dicetur: Primò quidem voluit, diſpoſuit, & mandavit, quòd reſtituantur omnia, & ſingula, quæ ad eum, vel alium ejus nomine pervenerunt ex cauſa uſuræ, vel ex alia quacunque injuſta acquiſitione, vel exactione omnibus & ſingulis perſonis, vel univerſitatibus, à quibus ipſum, vel alium ejus nomine hæc, vel aliquid eorum apparuerit habuiſſe, vel percepiſſe; ſive hoc appareat ex libris, ſive ex ſcripturis rationum ſuarum, ſive ex alia legitima fide, vel probabili ratione, & etiam quibus reſtituendum videbitur commiſſariis ſuis de ſimplici, & pura conſcientia eorum. Quartus caſus eſt, quando ſcit ſe aliqua illicitè habuiſſe, & habere, ſed à quibus habuit eſt incertus; undè tunc debet ea pro eorum animabus relinquere, dicendo ſic: item cum ſciat, vel credat, quædam illicitè habuiſſe, à quibus tamen ea habuerit, eſt incertus, reliquit pro animabus eorum,à quibus habuit ipſa, centum libras ſolvendas, & diſpenſandas à ſuis commiſſariis infraſcriptis de conſilio talium fratrum, eo modo quo eis meliùs pro liberatione animæ ſuæ videbitur expedire.

Forma verò legatorum ſecundę ſpeciei, & tertię propter ſui facilitatem Notarii prudentię relinquantur, qui diligenter ea formet ſecundùm quod exegerit intentio ipſius teſtatoris.

ARTICULUS IX.

De Formis ſcribendi legata uxori relicta.

CIrca quòd ſciendum, quòd ſi vir dotem uxori legaverit, legatum eſt utile ſibi, etiam ſi nihil ultra dotem ei reliquerit, quia plenior eſt actio ex legato, quàm de dote. *inſti. e. §. ſed ſi uxori.* quia, ſicut dicit ibi glo. legatum ſtatim debetur, dos verò ſi conſiſtat in mobilibus debetur poſt annum, ſi autem non in mobilibus, debetur ſtatim. Item de dote agitur in quantum poteſt facere vir, vel alius hæres ſuus; de legato verò in ſolidum, niſi obſtet Falcidia, vel beneficium inventarii. Item ſi quę facta prædicta ſint in præjudicium mulieris, tollentur beneficio legati;tamen ſi quam vir non accepit dotem legavit ſimpliciter,legatum erit inutile: ſi verò in legando certam pecuniam, & certum corpus, vel inſtrumentum dotis, ſcilicet in quo fuit confeſſus ſe dotem recepiſſe, quam non receperat,demonſtraverit, legatum valebit, ut ibidem. Teſtator ergò volens aliqua uxori ſuæ in teſtamento relinquere, primò ei dotem ſuam relinquere debet, & tunc debet ejus quantitatem ſpecificare, aliàs teſtamentum non ſufficeret, niſi ipſam quantitatem dotis per inſtrumentum,vel teſtes probaret. *C. de fal. ca. l.* 3. Solet etiam ei quandoque aliquid de ſuo relinquere, & tunc debet perquiri diligenter intentio ejus; quandoque enim vult, quòd tantùm habeat alimenta, & tunc dicitur ſic: relinquo uxori meę alimenta, vel victum, & veſtitum, quod idem eſt in vita ejus, dum vixerit caſtè, & in hoc caſu debet habere cibum, potum, veſtimenta, lectum, & habitationem, & ea,ſine quibus vivere non poſſet. ff *de ali. & ciba. lega. l. legatis. & de ver. Sig. verbo victus.* §. *verbum.* quandoque etiam vult, quòd ultra alimenta aliquod dominium regiminis domus habeat, & familiæ, ſicut in vita ejus habebat, & tunc dicetur ſic: relinquo uxorem meam in domo mea dominam, & uſufructuariam omnium bonorum meorum,dum vixerit caſtè; per hoc quod dicit *dominam*,habebit curam & gubernationem familiæ; per hoc quod dicit *uſufructuariam*, habebit victum, & veſtitum. Ita interpretantur ſapientes illa verba; ut notatur *C. ſi ſe. nup. mulier. ſuper aut. hoc locum*. Quandoquè vult, quòd habeat omnes fructus omnium poſſeſſionum ſuarum, ut poſſit facere de illis quidquid placueritſibi, etiam ſi eſſent ultra quantitatem alimentorum, & tunc dicitur ſic: relinquo uxori meę jure legati uſufructum omnium bonorum meorum, dùm caſtè vixerit; vel ſic: relinquo uxorem meam uſufructuariam omnium bonorum meorum, in quo caſu habebit in ſolidum uſufructum omnium bonorum, ut ff. *de uſu. lega. uxori meæ.* niſi filios haberet, in quo caſu filii haberent ſaltem legitimam partem in uſufructu, ſecundùm dominum Odofredum, ſicut ipſe notavit *de inoffi. teſta.ſuper aut. noviſſima*, ubi dicit, quòd illa lex, ſcilicet *uxori meæ* corrigitur in filiis, & non in extraneis: item

Item ſi teſtator intendat in aliquo caſuum prædictorum, quòd uxor dum habeat alimenta de domo viri, de domo dotem non extrahat, nec fructus dotis percipiat, debet hoc exprimere, ſcilicet alterutro ſit contenta, aliàs deberet utrumque, ſcilicet alimenta, & fructus dotis, *c. de rei uxo. ac. l. 1. § ſciendum.*

ARTICULUS X.

Quid juris ſit de legatis in genere relictis?

CIrca quod nota ſecundum Azo. & ſecundum gloſam Accur. *inſti. e. §. ſi generaliter.* quòd legatum in genere relictum, aut ſuis certis finibus naturaliter continetur, ut homo, bos, equus, aut non; ſi ſic, omninò tenet legatum, ſive conſiſtat in ſpecie, & tunc dicitur individuum, ut Titius, ſive conſiſtat in genere, ſcilicet illo, quod dialectici vocant ſpeciem, & tunc poteſt dubitari, cujus ſit electio; ſed diſtingue, quod teſtator legans ſervum in genere, aut reliquit ſervos in hæreditate ſua, aut non; ſi ſic, tunc legatarius ex eis eligere debet, ut tamen non eligat meliorem. ff. *e. l. ſi legati.* ſi non reliquit, tunc hæres eligere debet, ff. *de triti. lega. l. 3. reſponſo.* 1. ubi autem teſtator ex certis ſervis reliquit incertum, aut ſenſit de certo, quia ſcilicet ipſum proprio nomine in legando expreſſit, & tunc hæres eliget; aut non ſenſit de certo, quia ſcilicet legavit unum ex eis, & tunc legatarius eliget, ff *e. l. qui duos.*

Si verò legatum ſuis naturalibus finibus non continetur, aut ejus ſola deſtinatione conſtituitur, ut fundus, & tunc omninò non tenet legatum, quia hæres præſtare fundum unius digiti, vel unguis poſſet, quod eſſet deriſorium ff. *e. l. quod in rerum. §. ſi quis autem.* aut ad conſtitutionem ejus requiritur factum, ut domus; & tunc aut legans domum in genere reliquit domos aliquas, aut non; ſi non deriſorium eſt, ff *e. l. ſi domus,* Si ſic, cogetur hæres unam ex eis, quam hæres ipſe voluerit legatario dare, ut *ibidem* Si autem legatum conſiſtat in genere generaliſſimo, ut eſt ſubſtantia, res, ens, nullum eſt, & idem eſt ſi in genere ſubalterno, ut eſt animal, quia hæres liberaretur dando feſtucam, vel muſcam; oportet ergo legatum continere certam ſpeciem, vel quantitatem, vel factum, aliàs nullum eſt, niſi in caſu, ut cum aliquid annuum eſt relictum ſine adjectione ſummæ, percipiet enim legatarius, quod teſtator conſueverat ei dare, vel certum aliquid ſtatuere ex dignitate perſonæ, ff. *de lega. 3. ſi cui.*

ARTICULUS XI.

De legatis relictis Epiſcopo, vel Eccleſiæ Cathedrali, vel alii Eccleſiæ, quomodo debent dividi?

CIrca quod ſciendum, quòd ſicut habetur *extra. de teſta. requiſiti.* aut teſtator legat ſic dicendo: relinquo illud Epiſcopo; aut ſic: relinquo illud Eccleſiæ, & Epiſcopo, ſcilicet conjunctim; aut ſic: relinquo hoc Epiſcopo, & illud Eccleſiæ ſcilicet diviſim. Si primo modo, aut relinquitur Epiſcopo ab extraneo, aut à propinquo; ſi ab extraneo, generaliter verum eſt, quòd præſumitur eſſe relictum intuitu Eccleſiæ, non perſonæ; & ideo tunc de illo Eccleſia Cathedralis poteſt petere canonicam portionem; & hoc verum eſt, niſi teſtator exprimat, quòd velit illud eſſe tantùm Epiſcopi, id eſt proprium, non Eccleſiæ, tunc enim nihil poteſt Eccleſia Cathedralis petere. Secùs eſt, ſi detur aliquid Epiſcopo inter vivos, quia tunc ſecundùm gloſ. præſumitur intuitu amicitiæ, vel ſpe remunerationis datum. Si verò aliquid datur Epiſcopo à propinquo, præſumitur eſſe relictum intuitu perſonæ, non Eccleſiæ, niſi fortè contrarium probaretur; unde hæc eſt præſumptio juris, non de jure, in qua probatio in contrarium admittitur; talis etiam eſt præſumptio in caſu præcedenti, & in hoc caſu nihil poteſt Eccleſia petere, maximè in vita ejus; & poteſt hic accipi ſecundùm gloſ. propinquius uſque ad quartum gradum, *extra. de conſan. & af non debet.* Quidam verò dicunt, quòd accipitur uſque ad ſeptimum, cùm canon non diſtinguat hoc, 13. *q.* 3. *c.* 1 & *extra. de teſta. quia nos.* Si verò teſtator relinquat ſecundo modo, hoc eſt Eccleſiæ, tunc Epiſcopo competit ſua portio, etiam ſi exprimat, quòd velit eſſe Eccleſiæ tantùm, & non Epiſcopi; quia privata diſpoſitio teſtatoris non poteſt generalem conſtitutionem canonis immutare, qui ſcilicet canon habetur. 12. *q.* 3. *Pontifices.* Rationem verò hujus diverſitatis, ſcilicet quòd quando relinquitur Eccleſiæ tantùm, nihilominus Epiſcopus habet ſuam partem; quando verò relinquitur Epiſcopo tantùm. Eccleſia nihil habet, ſi vis, invenies, *extra. de teſta. in glo. c. requiſiti.* Secùs eſt ſecundùm glo. ſi dicat: relinquo hoc Canonicis, quia tunc præſumitur eſſe relictum intuitu perſonæ, & non Eccleſiæ; ideo Epiſcopus de illo nihil habebit. Si verò relinquatur tertio modo, ſcilicet Epiſcopo, & Eccleſiæ, tunc inter ipſos eſt æqualiter dividendum. Si verò relinquatur quarto modo, dicendo lego hoc Eccleſiæ, & illud Epiſcopo, ſive relicta ſint æqualia, ſive inæqualia, ad diviſionem ſunt canonicam inter Epiſcopum & Eccleſiam reducenda, niſi velint ambo eſſe teſtatoris diſpoſitione contenti, quam ſatis decet, licèt non ſit neceſſariam obſervare propter favorem ultimæ voluntatis, ubi nec fraus intervenit, nec dolus, nec quiſquam nimium fraudatur debita portione, quia decens eſt pro

pro modico contentionem non habere.

Sed quid ſi legetur ſeparatim aliquid Epiſcopo, & aliquid alicui Eccleſiæ, ſcilicet non Cathedrali, aut Monaſterio, vel aliis piis locis?

Reſpondeo, ut habetur *extra. de teſta. requiſiti.* §. *secùs*. tunc illud quod eſt Epiſcopo legatum, dividetur inter Epiſcopum, & Eccleſiam Cathedralem, & de illis, quæ legata ſunt aliis Eccleſiis, Epiſcopus habebit canonicam portionem.

Ad hoc nota, quòd ſi aliquid ſpecialiter Clerico non habenti prælationem, vel adminiſtrationem Eccleſiæ, qui proprium poſſit habere à propinquo, vel etiam extraneo legetur, relictum eſſe intuitu non Eccleſiæ, ſed perſonæ intelligitur, niſi contrarium probetur; & ideo de illo nec Epiſcopus, nec Eccleſia in vita ejus aliquid conſequetur, & hoc eſt verum, quando fraus non procuratur, ut *ibidem.* §. *illud autem.*

Inſuper nota, quòd ſi quis in teſtamento legavit Epiſcopo propriam portionem, & alia multa Monaſteriis, vel Eccleſiis; ſi eam ipſi Epiſcopo abſolutè legavit, nihilominus portionem ſibi debitam de cæteris exigere poterit; ſi verò eam ſub conditione reliquit, ſcilicet ut ea ſola contentus eſſet, & hoc Epiſcopus acceptavit, portionem de aliis exigere non poteſt; ſi verò poſtea conſtituit, quòd Epiſcopo portionem modicam fraudulenter legaverit, ut ſcilicet aliorum portione debita fraudaretur, portionem debitam ex illis exigere poterit, licèt teſtator conditionem appoſuerit, & ipſe priùs acceptaverit, *extra. de teſta. officii.* quia teſtator partem Epiſcopo debitam ex conditione auferre non potuit, *extra. de teſta. requiſit.* Videtur etiam *ſecundùm gloſ. ſuper c. officii.* quod Epiſcopus agere poſſit ad ſupplementum, ſi relinquatur ei minus legitima portione, quia hæc portio gravamen non admittit, ſicut nec quarta debita jure naturæ.

ARTICULUS XII.

De Determinatione quorumdam dubiorum circa legata.

VBi ſciendum, quòd ſi quis quartam partem legare voluerit, & dimidiam ſcripſit, debetur tantum quarta; & ſi quinquaginta legare voluit, & centum ſcripſit, debetur quinquaginta; ſed ſi plura legare voluit, & minus ſcripſit, legatum valebit. *ff. de le. 1. qui quartam.* Item ſi aliquis ex illo dolio legaverit quatuor amphoras, & ibi non ſint quatuor, ſed pauciores, tantum accipietur, quantum invenietur ff. *de leg. 2. ſi quis ſervum.*

Item ſi legavi tibi decem libras, ſi volueris tale legatum non tranſit ad hæredem niſi expreſſeris te voluiſſe; ſecùs eſt ſi legavi tibi decem purè, quia illud tranſit ff. *de le. 1. ſi tibi legatum ſit.* Item legator ſi nomine, cognitione, vel agnitione legatarii erraverit, dum tamen certum ſit, de quo ſenſerit, error hujuſmodi nihil veritati officit. *ff. de teſta. ſi in nomine.* & idem eſt ſi fundi vocabulo erraverit; ſecus eſt ſi erraverit in appellativo, ut ſi quis credat appellatione auri contineri auricalcum, & legat aurum, non dabitur illi aurum ff. *de le. 1. l. 4.* & *inſti. e.* §. *quod ſi aliquid.* diſtinguit tamen glo. in appellativis, quod ſi teſtator parum erret, ut ſi libros appellet membranas, valet legatum, maximè cum ſic convenit appellare; ſi autem multum erret, non valet, ut *in dicta l. 4.* Item falſa demonſtratio non permittit legatum, ut ſi quis leget ſic: ſtichum ſervum, quem emi à Titio, lego Petro, licèt ſit emptus ab alio, quam à Titio; nihilominus tenet legatum, dummodò conſtet de ſervo. *inſti. e.* §. *hinc.* & idem eſt ſecundùm gloſam *ibidem*, ſi non emit. Similiter nec cauſa falſa nocet legato, ut ſi quis leget ſic: lego tali illud, quia fecit mihi ſervitium tale, licet ſervitium illud non fecerit, tamen legatum tenet. *inſtitutione eadem* §. *longè.* ſi verò cauſa illa ſit conditionaliter appoſita, ſecùs erit, ut ſi dicatur: Titio ſi negocia mea curaverit, lego centum libras, ut *ibidem.* Item ſi lancem maximam, minorem, & minimam reliquit, & legavit ſic: ſcilicet lancem minorem illi lego, lancem mediæ magnitudinis legatam eſſe videtur, ſi non appareat, de qua intellexerit. *ff. de au. & ar. lega. qui lancem.*

Item ſi quis leget aliquid ſic: lego hoc Petro, & filiis ejus; tunc Petrus habebit medietatem, & filii ejus conſequenter aliam medietatem. *ff. de uſufru. accres. ſi quis Titio.* & *extrav. de teſta. Rainaldus in glo.* Item ſi quis chirographum legavit, legavit actiones in eo contentas. *ff de le. 3. qui chirographum.* Item ſi quis legat alicui ancillam Bertam, & poſtea vendit eam, & emat ancillas alias, quarum unam vocet Bertam, hæc ſecunda Berta dicitur eſſe legata, ff. *de condi. & demon. l. filiæ ſuæ.* §. *titia.* Item quando aliquis habet plures ſervos, & legat alicui unum ex illis, ſcilicet illum quem elegerit, vel optaverit, Prætor præfigere debet legatario terminum infra quem eligat, & ſi hæres ante ejus electionem, & ante terminum ſervos, vel ſervum vendiderit, vel manumiſerit, venditio, vel manumiſſio irritatur, & ſervus ille cedet legatario, quem ipſe elegerit: ſi autem legatarius infra terminùm non elegerit, hæres poſtea poteſt ſervos vendere, nec habebit legatarius actionem legati; ſed in legatis futuris non poteſt terminus præfigi, ut ſi quis leget unum fœtum naſciturum de grege ſuo, *li. 6. de conceſ. pre. quia cuneis.* §. *ſi extitit.* & §. *ſe. in tex.* & *glo.* Item ſi alicui legatur optio ex ſervis, vel ex rebus aliis, tantùm ſemel optare poterit, ff. *de le. 1. l. 5. reſpon. 1.* Si autem optio relinquitur pluribus, vel etiam uni, & ille decedat antequam optet pluribus hæredibus relictis, & inter eos ſit diſſentio de optione, forte dirimitur quæſtio inter eos, & quem ſors prælegerit, cæteris pari-

paribus æſtimationem partium præſtabit. Si autem legaverit mihi ſervum, quem optabit Titius, & ille infra annum non optet, vel quia nolit, vel quia non potuit, poſt annum optio videtur mihi relicta, *c. communio. de le. l. fi.* Item ſi quis leget mihi omnia bona ſua mobilia, mei erunt omnes fructus à ſolo ſeparati tempore ſuæ mortis, dum non adhæreat ſolo pars fundi, ff *de rei ven. l. fructus.*

Sed numquid per hæc verba habebo omnia nomina, id eſt relicta debita ſua?

Reſpondeo quòd non, niſi aliter conſtet de mente ejus, quia nomina nec inter mobilia, nec inter immobilia continentur, ſed in tertiam ſpeciem cadunt, ff *.de re judi. à divo Pio.* Præterea nec eſt noſtrum, quod nobis debetur, ſed tantùm illud, quod poſſumus vendicare. ff. *de au. & ar. le. l. 2. & l. qui.* & idem eſt dicendum de lignis, & lapidibus ad ædificium paratis. *ar. ff. de le. 3. ligni appellatio. ſi.* hæc Guil. Item ſi quis legavit alicui decem libras, & ſi illas perderet, iterum reliquit ei alias decem, non eſt onerandus hæres, ut quoties illas perdiderit, tantundem ei reſtituere teneatur, ſed tantùm ſemel, ut *ibidem. l fideicommiſſa §. ſi quis decem.*

Item ſi quis l get Monaſterio Sanctæ Mariæ decem libras, & non determinat cui Monaſterio, cum ſint plura Monaſteria Sanctæ Mariæ, dabitur pauperiori, *ar. in aut. de ec. ti. §. ſi quis in nomine. & extra. de teſta. judicante. in glo.*

Quid ſi non apparet, quod ſit pauperius?

Reſpondet Hoſtien. quòd Epiſcopus cui gratificare voluerit, dare poterit, *extra. de teſt. tua.* Item ſi eadem res duobus ſit legata, ſive conjunctim ſcilicet, dicendo Titio, & Petro ſtichum ſervum meum lego, ſive disjunctim, ideſt ſeparatim dicendo: Titio lego Stichum ſervum meum, & Petro lego Stichum ſervum meum; ſi ambo perveniant ad legatum, æquè dividetur inter eos, niſi aliàs mens appareat teſtatoris, ff. *e. ſi pluribus.* Si verò alicui alter deficiat, ſcilicet quod vel legatum ſprevit, aut vivo teſtatore poſt teſtamentum deceſſerit, vel alio modo deficit, ut per mortem ſervilem, ad collegatarium pertinet totum legatum; ſi verò teſtatore mortuo decedat, tranſmittit illud ad heredem ſuum. *inſti. e. §. ſi eadem res. in tex. & in glo.*

Quid ſi quis habens duas conchas, quarum una eſt melior altera, legat alicui concham, cujus erit optio?

Reſpondeo ſecundùm Ber. *extra. de teſta. judicante.* optio erit heredis, ff. *e. l ſi quis à filio. § ſi quis.* & hoc niſi hæres ſit in mora, quia tunc eſſet legatarii.

Item ſi ędificium legetur, ut fiat Monaſterium, nec in quo loco fieri debeat, determinetur, hęres ad faciendum illud obligatus non videtur. *ar. ff. de ver. ob. ſi inſulam.* Sed ſecundùm Lau. dicendum eſt aliter cauſa religionis, vel favore ultimæ voluntatis; & ſecundùm canones teſtamenta ſunt pleniùs interpretanda. *extra. de dono cum dilecti.* & res ad pias cauſas relictę liberę ſunt ab inſcriptionibus lucrativorum, 23. q. 8. §. *quamvis* hęc Ber. *extra. de teſta. Raynuccius. & c. nos quidem.* Similiter ſi legatum ſciri non poteſt ex teſtamento, non valet, ut ſi dicatur: des fundum Titio, de quo rogavi te. ff. *de jure fiſ. ita fides.*

Item quando dubitatur de eodem legato, cui plus debeat dari, hęres eliget, cui ſolvat, ff. *de le 2 ſi quis. §. ſi inter duos.* Item ſi res aliena alicui fuerit legata, & poſtea vivo legatore legatarius illius rei ex cauſa emptionis factus fuerit dominus, ex actione teſtamenti poteſt pretium conſequi; ſi verò ex cauſa lucrativa, ut ex donatione, vel alia ſimili, cauſa ut legati agere non poteſt, etiam ſi ſua deſinat eſſe poſtea, ut *ibidem. in tex. & in glo.*

Item ſi res legata ſine facto, ideſt mora *hę*redis perierit, legatio peribit, ut *ibidem. § ſi res legata.*

ARTICULUS XIII.

Quibus modis legatum extinguatur?

Circa quod ſciendum, quòd illud quod relinquitur in teſtamento fit, & dicitur caducum uno modo, quando habetur pro non ſcripto, & hoc contingit tripliciter, ſcilicet quia aut ei legatur, qui deceſſit, quem teſtator vivere credit; aut quia illud, quod legatur, non eſt in rerum natura, ut equus, qui eſt mortuus, quem teſtator vivere credit, vel quia legatur ſervo pænę. Secundò, quia caducum in caſu caduci, & hoc dupliciter, ſcilicet, aut quia aliquid legatur vivo, ſed ipſe pręmoritur teſtatori; aut quia graves inimicitiæ interveniunt inter legantem, & legatarium; ſi tamen redeant ad amicitiam, reintegratur legatum; propter verò leves inimicitias non extinguitur legatum, vel fideicommiſſum, ff. *de adimen. lega l. 3.* Legatarius autem advocans contra legantem perdit legatum, ff. *de inoffic. teſta. papinianus. §. meminiſſe.* Tertiò, dicitur propriè caducum, quod poſt mortem teſtatoris deficit quacumque ratione, ut ſi legatarius legatum ſpernat, vel conditio ſub qua eſt legatum, deficiat, *C. de cadu. tol. l. una.*

TITULUS XXIII.

De Fideicommiſſariis.

POſtea quia, ut ſupra dictum eſt, in teſtamento ſolent ordinari fidei, commiſſarii, ſive executores teſtamentorum ad ſolvendum ea, quę ſunt legata pro reſtitutionibus, & eleemoſynis faciendis, ideò poſtquam dictum eſt de legatis, dicendum eſt de commiſſariis, ſive executoribus teſtamentorum,

Et

Et primò, ponendæ ſunt formę ordinandi ipſos.

Secundò, ſolvendę ſunt quędam dubitationes circa ipſos: ideoque ſit.

ARTICULUS I.

De forma deputandi fideicommiſſarios.

Circa primum ſciendum, quòd ordinatis legatis reſtitutionum, & eleemoſynarum ſolet teſtator ad ea exequenda commiſſarium, vel commiſſarios eligere, de quorum fidelitate, & charitate confidat; quod ea diligenter ſtudeant effectui demandare, vel etiam ipſum hæredem; quinimmo etiam nullo alio commiſſario dato hæres exequi tenetur ipſo jure. Hujuſmodi autem commiſſarii tantùm, & nihil plus habent de poteſtate, quàm eis datur à teſtatore, quia ſunt mandatarii, & ideo bonum conſilium eſt, quod plenum mandatum, & plena auctoritas ei detur. Poſitis ergò legatis reſtitutionum, & eleemoſynarum, ita continuabis: Commiſſarios autem ſuos, & hujuſmodi teſtamenti executores ad prædicta omnia, & ſingula facienda, & complenda eſſe voluit, & diſpoſuit talem, & talem. Et hoc modo ſimpliciter electi dicuntur meri miniſtri; undè pecuniam eis datam poſſunt diſpenſare, ſed contra hæredes agere non poſſunt. Si autem teſtator dare voluerit eis auctoritatem pleniorem, poſitis nominibus eorum ita continuabis: dans, & tribuens eis plenam, atque omnimodam poteſtatem, atque mandatum petendi, exigendi, & recipiendi ab hæredibus infraſcriptis ſufficentem, & integram pecuniam pro prædictis omnibus, & ſingulis exequendis, & contra eos ob hanc cauſam agendi, & ipſos cum effectu conveniendi; & mandavit hæredibus ſuis infraſcriptis ipſam pecuniam dictis commiſſariis liberè ſine moleſtia, vel lite tradi, vel exhiberi, alioquin eos cauſa pœnæ damnavit in centum libris, dictis commiſſariis eorum proprio nomine recipientibus legati nomine applicandis; & prædicta omnia, & ſingula nihilominus executioni mandari. Vel ſic: dans, & tribuens eis plenam, & omnimodam poteſtatem, & mandatum agendi, & exercendi ſuas actiones contra ſuos debitores, & contra quos ex eis voluerit, & ab eis ſufficientem quantitatem ex debitis exigendi, & recipiendi pro prædictis omnibus, & ſingulis exequendis. Vel ſic: dans &c. & mandatum, ut ſua auctoritate recipere poſſint, & accipiant de bonis ſuis, & de quibus voluerint, & ea quæ ex eis voluerint diſtrahere, alienare, vendere, & obligare, de pretio convenire, illud recipere, poſſeſſiones tradere, de evictione cavere, & ob id bona cætera obligare, & omnem in eis, & ſuper eis contractum perficere, quem idem ipſe vivens perficere potuiſſet pro prædictis omnibus, & ſingulis exequendis. Et in fine harum diſpoſitionum addes ſic: dans, & tribuens ſuper omnibus, & ſingulis ſupradictis generale mandatum cum libera adminiſtratione.

Item voluit, & diſpoſuit, ut ſi aliquis, vel aliqui ex eis præmorerentur, vel abeſſent, ut prædicta exequi non poſſent, vel nollent; alius, vel alii nihilominus prædicta omnia, & ſingula in ſolidum exequantur. Vel ſic: Item voluit, & diſpoſuit, ut ipſi commiſſarii omnes ſimul, & concorditer omnia, & ſingula exequantur, vel de conſilio & aſſenſu talis habito & obtento cæteri exequantur. Vel ſi prędicti commiſſarii in aliquo diſſentirent, id in quo major pars conſenſerit executioni mandetur. Semper autem diſponatur ſecundum quod placuerit teſtatori. Si autem teſtator plenè non confidat de commiſſariis, quod faciant ea, quę magis expediunt animę ejus, addat: quod ipſi omnia faciant ſecundùm conſilium alicujus viri ſpiritualis, & diſcreti, nominando eum, & id quod fecerint non ſecundùm ejus conſilium, irritum ſit; in quo caſu nihil valebit quidquid fecerint, niſi fecerint ſecundùm conſilium illius, ff. *de admi. tu quidam decedens pap. & extra. de elec. cum in veteri.* Det etiam teſtator illi viro ſpirituali plenam, & liberam poteſtatem, quòd mutare poſſit commiſſarios, vel ſubrogare alios, quoties videbitur ei expedire, quibus ſubrogatis, det eamdem poteſtatem in omnibus, quam dederat primis, jubens haberi ratum, & firmum in perpetuum quidquid per eos ſecundùm conſilium alicujus viri fuerit actum. *ar. quod talis commiſſio valeat. extra. de teſta. cum tibi.*

ARTICVLVS II.

De Quibuſdam dubitationibus ſolvendis circa commiſſarios.

Circà ſecundum, nempè quod ſolvendæ ſint quædam dubitationes circa ipſos commiſſarios, quæruntur plura; ſcilicet:

I. *Vtrum Religioſi poſſint eſſe executores teſtamentorum?*

II. *Vtrum executores teſtamentorum teneantur infra annum executionem complere?*

III. *Vtrum dilatio executionis in aliquo præjudicet animæ defuncti?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic, de licentia ſui ſuperioris, & ut in pluribus eſt utile, quod ſint, animæ teſtatoris; quia veriſimile eſt, quòd fideliùs exequantur.

Nec obſtat, quòd *extra. ne Cle. vel. Mon. Sacerdotibus* dicitur: *Clericis tuis denuncies publicè, ne miniſtri laicorum, nec in rebus eorum procuratores exiſtant.* Multùm differunt procurator, & executor, quia procurator res alicujus viventis adminiſtrat ad temporalem ejus neceſſitatem; executor verò res mortui diſtribuit ad ejus animæ conſolationem. Sine licentia autem Prælati ſui ſi intret religioſus executionem alicujus teſtamenti, ut executor peccat quia facit, quod de jure non poteſt. *6. li. de teſt., religioſus.* quia qui recipit executionem alicujus teſta-

teſtamenti, ſe obligat ad exequendum, Religioſus autem ſe obligare non poteſt ſine licentia ſui Prælati. hæc Richar.

Circa ſecundum reſpondeo: Aut teſtator determinat tempus infra quod vult teſtamentum eſſe completum, aut non; ſi ſic, non tenentur de neceſſitate executores uſque ad tempus illud teſtamentum complere, niſi viderent ſe citiùs implendo animæ defuncti magis prodeſſe; tunc enim ad citius complendum eos conſcientia debet arctare. Si autem non determinat tempus; aut executores habent liberè bona, ſe quibus ſtatim poſſunt teſtamentum implere, aut non; ſi habent, tenentur implere quàm citiùs poſſunt, quia ſunt debitores illis, quibus ſunt legata; & ut dicitur *ff. de re, ju* in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur. Præterea quantò citiùs teſtamentum impletur, tantò citiùs anima defuncti alleviatur, ut dicetur in quæſtione ſequenti; aliàs tales etiam negotiatoribus egentium comparantur 13. *q.2. qui oblationes.* Executores etiam ſi pro ſe retineant illa bona, furtum committunt, ut *eo. c. ſi ſacrilegium 17. q. 4. ſacrilegium.* undè ſi executores infra annum ſaltem admoniti ab Epiſcopo pias voluntates defunctorum non implent cùm implere poſſent, per Epiſcopum impleri debent, etiamſi teſtator prohibuiſſet ne Epiſcopus, vel alia perſona ſe intromitteret de ſuo teſtamento, niſi ſoli executores ſui; talis enim prohibitio non valet, ut *extra. de teſta. nos quidem & c. tua in tex. & in gloſ. & c. Joannes.* Si autem non habeant bona in promptu, de quibus poſſint infra annum teſtamentum implere, non credo, quòd propter hoc devolvatur poſt annum poteſtas eorum ad Epiſcopum; tenentur tamen facere, quod in ſe eſt, ut bona habeant, & habita diſtribuere debent quam citiùs poſſunt; hæc Rich.

Ad hoc nota, quòd executor teſtamenti tenetur reddere rationem de illis, quæ diſtribuit præſentibus heredibus, & legatariis. *in aut. de ſan. epi §. ny vnomos.* Et hodie quicunque Religioſi, etiam exempti deputati ad executionem cujuſvis ultimæ voluntatis, qui ſi ſint Prælati tenentur de executione ſuſcepta locorum ordinariis reddere rationem, alias ſunt puniendi ab eis quocunque privilegio, ſi ipſos in hoc invenerint deliquiſſe, non obſtante *li. 7. de teſta. religioſus.*

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, cujus ratio eſt duplex, una eſt, quia quantò Clerici citiùs Eccleſiæ, & pauperes quibus legatum eſt, recipiunt legata ſua, tantò citius, & frequentiùs orant pro anima defuncti, per hoc citiùs alleviatur, & expeditur. Secunda ratio eſt, quia ſicut defuncti in charitate aliquid purgabile ſecum portantes, in hac vita meruerunt, ut ſi dentur pro eis eleemoſynæ proſint eis non ad augmentum gratiæ, ſed ad alleviationem, & abreviationem penę; Sic teſtator teſtamentum faciens, & in charitate decedens, teſtamentum faciendo, meretur, ut ejus executio poſt mortem ſibi valeat ad alleviationem, & ad abreviationem pœnæ hujuſmodi; hęc Ric. Sic autem quantum ad effectum eleemoſynę prejudicat dilatio ejus animę defuncti, non quia pro dilatione anima puniatur, ſed quia ei remedium non adhibetur; ſed quantùm ad meritum eleemoſynę ex hoc ei nullatenus prejudicatur, maximè ſi quantùm in ipſa fuit, curam adhibuit, ut hujuſmodi eleemoſynæ citò darentur, quia meritum principaliter ex voluntate, & intentione dependet.

TITULUS XXIV.

De Hereditate.

DEinde, quia ut habitum eſt ſupra legata ſunt ab herede preſtanda, ideò poſtquam dictum eſt ſupra de legatis, dicendum eſt nunc de heredibus, & ideò ſit hic

ARTICULUS UNICUS.

Quid ſit hereditas, & in quot, & in quas partes dividatur?

HÆreditas eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit tempore mortis, *ff. de ver. ſig. l. nihil.* & hoc dicitur à pondo, vel pondus, vel libra; hęc enim quatuor ſunt ſynonyma.

Diviſio autem hereditatis ſolemnis fit à jure in duodecim uncias, ſive partes, quę aſſis nomine continentur, undè quęlibet illarum partium duodecim eſt major uncia, & minor aſſe, & quęlibet ſuo nomine proprio vocatur. Prima dicitur *ſeſcuns*, ita quod ejus tertia litera eſt S, quia componitur ex ſemis, & uncia; continet enim unciam, & dimidiam. Secunda, *ſextans*, quia ſignificat ſextam partem hereditatis, id eſt duas uncias. Tertia, *quadrans*, quia ſignificat quartam partem hereditatis, id eſt tres uncias. Quarta, *triens*, quia ſignificat tertiam partem hereditatis, & ita quatuor uncias; undè prædicta quatuor nomina ſumunt interpretationem ex eo quod ſignificant quotam partem hereditatis portionem; Sequentia verò nomina octo habent etymologiam, ex eo quod ſignificant certum numerum unciarum; undè quinta dicitur *quincuns*, quia ſignificat quinque uncias. Sexta, dicitur *ſemis*, quia continet medietatem hereditatis, ſcilicet ſex uncias, Septima dicitur *ſeptans.* Octava, *bes.* Nona, *dodrans.* Decima, *dextrans.* Undecima, *decuns.* Duodecima, *as*, quod ſignificat pondus duodecim unciarum; licèt aliquando *as aſſis* ponatur pro obulo; undè verſus:

As, obulus, pondus, as eſt, poſſeſſio tota.

Teſtator autem in plures, vel in pauciores

uncias hęreditatem ſuam dividere poteſt ; probantur hęc *inſti. de hære. inſti. §. hæreditas plerumque.*

Ad hęc nota, quòd hęreditas eſt nomen juris, ſicut & bonorum poſſeſſio, ff. *de ver. ſig. hæreditatis nomen.* Quando venditur hęreditas, vendi videntur non res hęreditarię, ſed ipſum jus ſuccedendi, quia ipſę res non ſunt hęreditas ſecundùm Accur.

TITULUS XXV.

De Hæredis inſtitutione.

POſtea conſiderandum eſt de inſtitutione hęredum, &

Primò, quid eſt inſtituere hęredem, & undè dicatur?

Secundò, quibus verbis inſtituatur?

Tertiò, in qua ultima voluntate inſtituatur?

Quartò, de diverſitate hęredum.

Quintò, de inſtitutione deſcendentium.

Sextò, de inſtitutione aſcendentium.

Septimò, de inſtitutione extraneorum.

Octavò, de formis inſtitutionum hęredum.

Nonò, de cauſis exhęredandi; undè ſit

ARTICULUS I.

Quid ſit inſtituere hæredem, & undè dicatur?

CIrca primum ſciendum, quòd hæredem inſtituere, eſt aliquem poſt mortem loco ſui in bonis ſuis dominum ſtatuere; undè dicitur inſtituere, quaſi intus ſtatuere, quia ſic ſubintrat hæres dominum ſubſtantiæ defuncti, ut eadem perſona eſtimetur cum eo. Dicitur enim hæres ab hæro, ideſt domino. *inſti. de hære. quali. & differen. §. pro hærede enim.*

ARTICULUS II.

Quibus verbis hæres inſtituatur?

SCiendum, quòd inſtitutio hæredis fit verbis directis, ut Titius mihi hæres eſto, vel hæreditatis meæ dominus eſto; Et verbis inflexis, ideſt obliquis caſibus; ut illum hæredem meum facio, vel inſtituo, vel jura inſtitutionis ei relinquo. *C. de teſta. quoniam, idemque eſt, tibi relinque mea bona. C. de ſec. nup. hac edictali.* quod eſt verum ſecundùm Guil. niſi alium inſtituerit; tunc enim pro legatario habetur. *C. e. quoties.* Item ſecundùm Hoſt. non refert quantùm ad perfectionem teſtamenti, utrum dicam: Petrum hæredem inſtituo, vel voluntatem meam ejus diſpoſitioni committo, quia talis non videtur decedere inteſtatus, *extrav. de teſta, cum tibi*, quod cap. multi intelligunt de relictis ad pias cauſas; ſed meliùs eſt quòd ſimpliciter intelligatur, ſive generaliter; ſi tamen teſtator teſtabatur ſimpliciter, non ſolemniter; quia ſi quis aliquem hęredem in re, vel portione certa inſtituat, de toto patrimonio ſentire videtur, niſi de ipſo aliter diſponatur. *C. de hære. inſti. quoties.* quinimmò ſecundùm aliquos in tali caſu etiam oratio imperfecta hęredem facit, ut ſi dicat: Titius hęres; undè ſufficit, ſi dicat; Titius hęres, vel Titius eſto. *C. de teſta. errore.* ſed & nominis error non nocet, ſi de voluntate conſtet. *C. eo. 5. de hære. inſti. l. fi.* ergo multò fortiùs valet, ex quo conſtat de perſona per quæcumque verba ſit relictum. *ar. extrav. de reſcrip. Significante.*

Quid ſi dicat tantùm hoc nomen, ſcilicet *Titius?*

Reſpondeo, non ſufficit. Nec obſtat *illa lex: errore*, quę innuit, quod valet, & ſi deſit hęres eſto; quia hic bene dixerat, ſed hoc omiſit Notarius, ut dicitur ibi; ergo qui hęredem inſtituit, ejus diſpoſitioni ſua bona relinquit, & è converſo: nec eſt curandum de verbis teſtamentorum, quia ſępe aliter loquuntur *C. de teſta. l. fi.*

Nec obſtat *ff. e. de hære inſti. l. illa inſtitutio.* quia intelligitur, quando fit in fraudem, vel quando per talia verba non intendebat inſtituere hęredem; & ſi aliquod jus contrarium invenitur, illud intelligas, quando teſtator dixit, quod ſolemniter teſtari volebat. Bonus tamen judex inſpectis perſonis, an inſtituti ſint conjuncti, vel extranei, teſtator litteratus, vel ſimplex, conſtitutus in articulo mortis, vel non, facilè poterit terminar. hęc Hoſt.

Secundùm autem Ber. *extrav de teſta. cum tibi.* licèt ille, qui voluntatem ſuam extremam alterius diſpoſitioni committit, de benignitate canonica videatur teſtamentum feciſſe, ut *in c. cum tibi* tamen re vera non eſt teſtatus, quia nullum eſt teſtamentum, ubi non exprimitur nomen hæredis. *C. de teſta. jubemus.* Poteſt autem quis committere factionem ſui teſtamenti alterius diſpoſitioni, & tunc teſtamentum tenet, quia tunc non committitur teſtamentum expreſsè arbitrio alterius, ſed tacitè alterius voluntati; Aut ergò voluntati hæredis, & hoc licet & tacitè, & expreſsè. *ff. de condi. inſti. verba hæc.* aut voluntati extranei; Aut ergo tacitè, ut inſtituo te hæredem, vel lego hoc tibi, ſi talis Capitolium aſcenderit, & ſic valet; aut expreſsè ut inſtituo te hæredem, quem Ber. voluerit, vel lego hoc illi, quem Ber. voluerit, & ſic non valet, talis enim inſtitutio eſt captatoria, ideſt adulatoria. *C. de teſta. mil. captatorias. & ff. eo. captatorias.* hæc Ber. Oportet autem in inſtitutione certum hæredem demonſtrari; quoties enim non apparet, quis eſt inſtitutus, inſtitutio nulla eſt, niſi ex aliis apertiſſimis probationibus appareat, de quo teſtator ſenſerit; non tamen ad deſignandum hæredem debet dici circumſtantia contumelioſa, hæc dico ſpecificando contumeliæ cauſam; ſecùs eſt, ſi in

genere

Digitized by Google

genere diceret: filius meus impiiſſimus de me malè meritus, & cauſam non exprimeret, tunc enim inſtitutio valeret *C. de hære. inſti.* & ff. *e. quoties*. in caſu tamen poſſunt incertæ perſonæ inſtitui, ut pauperes intuitu pietatis *C. de Epiſ. & Cle. id quod* Item fieri poteſt inſtitutio pura, & ſub conditione, ex certo autem tempore, aut ad certum tempus hæres quis inſtitui non poteſt, immò vitio temporis ſublato de medio tenet inſtitutio, ut ſi dicatur: inſtituo te uſque ad Paſcha, vel à Paſcha in antea, *inſti. de hæredi. inſti*, §. *hæres. & purè*. Miles tamen hoc facere poteſt. ff. *de teſtamen. mili. miles*.

Tamen ſi hoc fiat ad tempus incertum, vel ex tempore incerto, bene valet, ut ſi dicam: uxorem meam mihi hæredem inſtituo, quamdiù vixerit; poſt mortem meam Titium mihi hæredem inſtituo, cùm abſolutus fuerit ab excommunicatione, ff. *de hære. inſti. in tempus*. Item conſtitui poteſt quis in univerſo, & in certa parte, & in certa re, vel quantitate; inſtitutus tamen in certa parte, ſubire debet onus æris alieni pro ea parte, qua eſt inſtitutus; inſtitutus verò in certa re, vel quantitate, pro legatario habetur; & ideò non ſubit illud onus, *C de hæredi. inſti. quoties*. & hoc eſt verum, quandò alius eſt hæres inſtitutus in univerſo. Non eſt autem ſecundùm Hoſtien. prætermittendum, quòd quis inſtitui poteſt in certa parte, dum tamen aſſignatio pendeat ex arbitrio teſtatoris, quia voluntati alterius expreſsè conferri non poſſet; tacitè tamen ſic, ut dictum eſt ſupra ſecundùm Ber. Quædam enim ſi in teſtamento exprimantur, non habent effectum, *ff. e. talem*. & idem eſt de legatis, *ff. de le. l.* 1. hæc Hoſtien. Item poſſunt inſtitui plures ſimpliciter, partibus non expreſſis, & tunc ex æquis portionibus ſunt hæredes, *inſtitu. de hæredi. inſti.* §. *ſi plures*. Et nota, quòd ſi unus hæredum faciat ſumptus in militia, vel in nuptiis, aut fecit illos ſumptus pater communis; & tunc ille filius habet hoc pretium; aut ipſe filius fecit poſt mortem patris, & tunc erunt de ſorte ſua, non de communibus bonis, niſi hoc inter hæredes ſpecialiter actum eſſet, *ff. fam. hær. ſi filia* §. *idem ſcribit.* & §. *neratius*.

Item inſtitutio fieri poteſt partim in capita, & partim in ſtirpes, ut Petrum, & Joannem filios meos, ſcilicet quemlibet eorum pro tertia, & A. & B. nepotes meos, filios quondam C. filii mei pro alia tertia parte hæredes mihi inſtituo; ſic enim & ab inteſtato vocantur *inſti. de hæredi. quæ ab inte. deſe.* §. & *quia placuit*. Ad hoc nota, quòd pactum de futura ſucceſſione perſonæ certæ non tenet, niſi de conſenſu ejus, cujus eſt hæreditas, ita tamen quod in illo conſenſu perſeveret uſque ad mortem, *C. de pac. l. ult.* licèt autem alii paciſcenti de hæreditate mea poſſim conſentire, non tamen ex pacto poſſum me aſtringere, quod quis mihi ſuccedat in hæreditatem, quia hoc eſſet contra bonos mores, poſſum tamen hæredem ſine pacto inſtituere, *C. de tranſac. cum donationis*.

Nec obſtat, ff. *pro ſocio. l.* 3. §. *de illo*. ubi dicitur, quòd ſocietas ita coiri poteſt, ut ſi aliqua hęreditas alterutri obvenerit, communis ſit, quia hoc intelligitur ſecundùm Accur. quando eſt pactum de perſona incerta, undè pactum de futura ſucceſſione in genere tenet, non in ſpecie.

ARTICULUS III.

In qua ultima voluntate hæredes inſtituantur?

Circa tertium, nempe in qua ultima voluntate inſtituantur, ſciendum, quòd hęredum inſtitutio directa non poteſt fieri niſi in teſtamento, putà cùm quis recto jure inſtituitur hęres, ad quem teſtator vult hęreditatem ſuam, ſive illud, in quo eum inſtituit pervenire, & illud capere nullo mediante; Obliqua verò, ſive fideicommiſſaria hęreditas relinqui poteſt in teſtamento, & codicillo, ut cùm rogatur in codicillo hęres inſtitutus in teſtamento, vel hęres ab inteſtato veniens, ut hęreditatem reſtituat alteri, is enim, cui reſtituitur hęreditas, erit hęres per fideicommiſſum, *inſti. de codicillis.* §. *penult.*

Quid ſi dicat teſtator in teſtamento ſuo: inſtituo hęredem, quem in codicillo nominavero, vel talem, ſi eum in codicillis inſtituero?

Reſpondet Hoſtien. quòd valet non jure codicillorum, ſed teſtamenti, & ſub tali conditione poteſt inſtitui quilibet pręter filium. ff. *e. aſſe*.

ARTICULUS IV.

De Diverſitate hæredum.

Circa quod ſciendum, quòd hæredum alii ſunt neceſſarii tantùm; alii ſui, & neceſſarii; alii extranei. Hæres neceſſarius eſt ſervus, qui inſtituitur hæres à domino ſuo, ita tamen, ſi conſequatur hæreditatem, & libertatem ſimul ex domini teſtamento, ut quia tempore teſtamenti, & mortis erat in domini poteſtate, ſit etiam ignorans, & invitus liber, & hæres; undè velit, nolit tenetur hæreditatem etiam ſuſpectam adire, & ideò dicitur neceſſarius. Sui, & neceſſarii ſunt liberi, qui ſunt in poteſtate teſtatoris tempore mortis, ut filiusfamilias, & deſcendentes ex maſculo filio; filii verò filiæ ſunt in poteſtate patris eorum, & avi paterni. Diſtingue tamen inter filium, & nepotem ex filio, quia filius meus ideò eſt mihi ſuus hæres, quia eſt in poteſtate mea, & quia nihil eſt medium inter me & eum; & hoc ſecundùm deficit in nepotibus ex filio ipſo vivente, & ideò non ſunt mihi ſui hęredes; ſed ſi filius meus me vivo moriatur, tunc nepotes ex eo tempore mortis mihi ſunt filii hæredes, quia in poteſtate mea ſunt, & quia ſublatum eſt de medio caput primum, quod eos pręcedebat,

cedebat, ſcilicet pater eorum, & eſt idem de nepotibus, & cæteris liberis. Dicuntur autem ideò ſui, quia domeſtici, & vivo patre quodammodo eſtimantur domini: ideò verò dicuntur neceſſarii, quia de jure civili cogebantur ſervi inviti hæredes fieri, ſed de jure prætorio permittitur eis ab hereditate abſtinere, ſi velint. Extranei hæredes ſunt, qui non ſunt ſubjecti juri teſtatoris, undè filii emancipiati ſunt hæredes extranei, & liberi, etiam à matre inſtituti, quia feminæ non habent liberos in poteſtate. Probantur hæc omnia *inſti. de hæred. qua. & di. in prin. & §. ſui autem. & §. cæteri.*

Item hæres alius eſt teſtamentarius, ut qui eſt in teſtamento ſcriptus. Alius legitimus, ut is, qui ipſo jure, & ſine teſtamento defuncto ſuccedit. Alius fideicommiſſarius, cui ex fideicommiſſo eſt hæreditas reſtituta. Alius eſt ſubſtitutus, ſcilicet qui alii ſubſtituitur hęredi. Inſuper quidam ſunt ad quos in ſtricto jure legitima ſpectat hæreditas, ut non inſtituantur, vel ritè exhæredentur; teſtamentum autem ipſo jure eſt nullum, aut reſcinditur. Ad quos cognoſcendos, nota tres eſſe gradus, vel lineas conſanguineorum, ſcilicet aſcendentium, ſive parentum; deſcendentium, ſive liberorum, & collateralium. Teſtator autem quamdiu habet aliquid de deſcendentibus, tenetur illum hæredem inſtituere, vel exhæredare, & ſi illum hæredem inſtituat, non tenetur de aliquo aſcendentium in inſtitutione mentionem facere, ipſi enim in infinitum cæteris pręferuntur. *inſti. de hære. quæ ab inte. in prin.* deficientibus autem deſcendentibus legitimis tenetur ſuos aſcendentes legitimos, ſi quos habet, hęredes inſtituere, vel exhęredare *C. ad ſena. con. or. quoties.* Collaterales autem nunquam tenetur inſtituere, vel exhęredare ſed deficientibus deſcendentibus, & aſcendentibus legitimis, poteſt quos vult, ſive collaterales, ſive alios ſibi non attinentes inſtituere, nulla facta de collateralibus mentione.

ARTICULUS V.

De Inſtitutione deſcendentium.

Circa quod ſciendum, quòd deſcendentium, ſive liberorum quidam ſunt legitimi, & naturales ſimul; quidam naturales tantùm; quidam legitimi tantùm. Item eorum, qui ſunt legitimi, & naturales quidam ſunt nati, quidam naſcituri, ſive poſthumi. Item quidam ſunt primi gradus, ut filii; quidam ſecundi, vel ulterioris, ut nepotes, & deinceps.

Primò autem dicendum eſt de inſtitutione liberorum naturalium, & legitimorum primi gradus.

Secundò, de inſtitutione liberorum ſecundi gradus.

Tertiò, de inſtitutione poſthumorum.

Quartò, de quibuſdam documentis generalibus circa inſtitutionem liberorum.

Quintò, de inſtitutionibus liberorum tantùm. De inſtitutione verò, ſive ſucceſſione liberorum naturalium, & ſuperiorum, vide infra *in tractatu de matrimonio. tit. de filiis.* Propterea ſit primò:

De inſtitutione liberorum naturalium, & legitimorum primi gradus.

Sciendum, quòd teſtator, ſive pater, ſive mater ſuos liberos legitimos, & naturales maſculos, & fęminas, virgines, nuptas, & viduas in poteſtate ejus exiſtentes, & emancipatos inſtituere debet, vel ritè exhęredare, aut ritè, vel legitimè pręterire, aliter teſtabitur inutiliter. *inſti. de exhære. libe. reſponſ. 1. & §. noſtra verò.* Et intellige, quòd feminæ licèt ſint nuptæ, nihilominus tamen de Jure Romano ſunt in poteſtate patris, ſed de Jure Lombardorum ſunt in poteſtate viri, non patris. *inſti. de ſe. con. Tertul. §. poſtea autem.*

Solet autem quæri, utrum dotatas debeat inſtituere tantùm in dote?

Reſpondeo. Dixerunt aliqui Doctores Legum, quòd ſic. Azo. verò, & aliqui alii dicunt, quòd oportet inſtituere non tantùm in dote, ſed etiam in aliquo ſaltem modico præter dotem; undè propter periculum hujuſmodi dubitationis tutius eſt, quòd ſemper inſtituatur in aliquo ultra dotem, & ſic agere non poſſunt niſi ad ſupplementum, ſi quid deficiat de legitima, in qua etiam dotem computare debent; nam ſi ab inteſtato ſuccedere vellent, eam fratribus conferent. *C. de inoffi. teſta. quoniam novella.*

Item profeſſi in religione debent inſtitui ſicut & cæteri. *C. de Epiſcopis, & Cle. l. fi. §. hoc etiam cognitum.*

Item licèt filius ſuccedat matri ex teſtamento, & ab inteſtato, pater tamen in cujus poteſtate eſt filius, habet uſumfructum in poſſeſſionibus relictis à matre filio, qui etiam omnem diligentiam tuendæ rei debet habere; non tamen poteſt eam alienare, vel donare. *C. de in inte. reſti. l. 1. & 2. & extra. e. c. conſtitutus in glo.*

Pone, quòd aliquis habens filium ex concubina, contrahat tamen cum alia, ex qua habet filios; illa verò mortua contrahat cum concubina, & ita filius ejus eſt legitimatus; quis ſuccedet patri? & ſit conſuetudo terræ, quod unus ſolus ſuccedat.

Reſpondet Hu. & Bar. in quæſtionibus, quòd ſuccedet ille, qui primò fuit legitimatus, id eſt, de primo matrimonio natus.

Quid ſi duæ matres pro eodem filio contendant, & ambæ lite pendente deficiant, numquid ille petet hæreditatem utriuſque?

Reſpondet Bar. in quæſtionibus, quòd non, ſed tantùm ſuccedet illi, qui erat in poſſeſſione filiationis ejus; ſi verò neutra poſſidebat, tunc ſi velit alicui earum ſuccedere, oportet

Digitized by Google

tet eum probare, ſe filium ejus eſſe.

De Inſtitutione liberorum ſecundi gradus.

SCiendum, quòd ſi ego parens maſculus, vel fœmina tempore teſtamenti mei filium habeo, vel filiam, ſive in poteſtate mea, ſive non, & ex eo, vel ex ea habeo nepotem vel neptem, & inſtituam filium, vel filiam, non oportet, quòd de nepote, vel nepte faciam mentionem; ſi tamen tempore quo teſtor, filius meus, vel filia mea præmortuus ſit, tunc nepotem vel neptem, quem ſuperſtitem habeo ex ea, vel ex eo, quæ emancipato, vel emancipata inſtituam. *inſti. de hære qua. & di. §. ſin autem & neceſſarii.* & idem eſt de cæteris liberis, undè præmortuo filio, vel nepote, pronepos ex nepote natus inſtitui debet. *inſti de hære. qui ab inteſtu. deſe. §. ita demum.* Idem eſt etiam de poſthumis, & nepotibus, & cæteris liberis ulterioris gradus, quia ſi nurus mea ex filio meo præmortuo conceperit, & teſter ea pregnante, debeo eum, qui naſcetur ex ea, hæredem inſtituere. *C. de poſthu. hære. quod creatum.*

Item ſi poſt meum teſtamentum filius meus inſtitutus me vivo moriatur, & demum moriar nullo alio condito teſtamento, incipit nepos natus ex ipſo filio in loco ejus ſuccedere, & quaſi agnoſcendo efficitur mihi avo ſuus hæres. *inſtitu. de legi. agna. ſuc. §. proximus autem.* Et ideo quia in teſtamento tunc inſtitutus non invenitur, rumpet teſtamentum.

Idem facit nepos ex filio emancipato præmortuo inſtitutus. Sed contra periculum illud habes conſilium. L. Velleianę, quo potes dupliciter uti; uno modo ut filius, & nepos natus ex eo pariter inſtituantur; alio modo ut filius purè, & nepos ſub conditione inſtituantur, ut Petrum filium meum, vel eo mihi præmortuo nepotes, vel neptes ex eo ſuperſtites natos, & poſthumos mihi hæredes inſtituo; probantur hæc *inſti. de exhære. libe. §. poſthumorum autem.*

De Inſtitutione poſthumorum.

CIrca quod nota primò ad majorem evidentiam, quòd poſthumus dicitur dupliciter, ſcilicet ſtrictè, ut ille, qui vita teſtatoris conceptus, poſt ejus mortem eſt natus, undè dicitur poſthumus, quaſi poſthumum patris natus, & largè ſcilicet ille, qui poſt teſtamentum conditum vivo etiam patre eſt natus. *ff de inju. rupto. teſ l. 3. §. 1.* Hos igitur poſthumos, qui ritè vult teſtari, debet inſtituere; non autem poteſt eos exhæredare, cum nullam ingratitudinem commiſerint. *inſti. de exhær. li. §. noſtra verò.* Si autem poſthumus præteritus fuerit, ut non inſtituatur, & ipſe naſcatur vivus voce emiſſa, vel non emiſſa; dum tamen conſtet eum vivum natum, vel exſecto ventre editum integrum; aliàs cum ſpiritu, tamen teſtamentum rumpet. *ff. de poſthu. hære. quod dicitur.* niſi declinet ad monſtrum, vel prodigium. *ff. de ſtat. ho. non ſunt.* qui autem naſcitur mortuus, non videtur conceptus. *C. eo. l. 1.*

Quod autem dictum eſt de præteritione filii poſthumi teſtamentum rumpi, verum eſt quantum ad inſtitutionem, ſed ſtat firmum quantum ad legata. *inſti. de exhæ. lib. reſponſ. 1.* Et idem eſt de quaſi poſthumo, ut ſi teſtator poſt teſtamentum aliquem in filium arrogavit; nam quaſi agnitione ſui hæredis rumpetur teſtamentum. *inſti. quibus mo. teſta. infir. reſponſ. prima.*

Idem etiam eſt de eo, qui eſt loco poſthumi, ut qui in tempore teſtamenti non erat ſuus hæres, ſed tempore mortis teſtatoris invenitur ſuus, ut dictum eſt in articulo præcedenti; & quod dictum eſt de poſthumo præterito à patre, idem intellige de poſthumo præterito à matre: in caſu tamen poſthumus non rumpet teſtamentum matris, ut cùm mater in puerperio decedit, quo inſtituat hæredes jam natos, præſumitur non inſtituiſſe eum, in cujus partu decedit, & ideo non rumpitur ejus teſtamentum per querelam inofficioſi teſtamenti. *C. de inoffi. teſtamen. ſi mater.*

De Generalibus documentis circa inſtitutionem liberorum.

CIrca quod nota, quòd ſi ea, quæ dicta ſunt de inſtituendis vel exhæredandis, vel prætereundis liberis non fuerint obſervata, poſſunt ipſi liberi diverſis viis ad teſtamenta parentum infirmanda venire, vel dicendo teſtamentum ipſo jure nullum, vel petendo bonorum poſſeſſionem contra tabulas teſtamenti, vel proponendo querelam inofficioſi teſtamenti. Non ſolùm autem inofficioſum teſtamentum revocatur per quærelam, ſed etiam inofficioſa donatio, & inofficioſa dos, & inofficioſa venditio quoad legitimam, ut *C. de inoffi. do l. 1. & l. ſi totas. & l. fi.* quæ omnia relinquo juris peritis gratia brevitatis.

Item ſi alicui prædictorum liberorum, qui neceſſariò ſunt inſtituendi, vel exhæredandi aliquid in teſtamento tantùm legatum ſit, teſtamentum non tenebit, quia is videtur præteritus, qui non eſt inſtitutus, vel exhæredatus; præterire enim eſt aliquem omittere eo non inſtituto, vel exhæredato *inſti. de hære. quæ ab inteſta. de. § eadem hæc.* non tamen dico, quod cuilibet prædictorum legari non poſſit, dum tamen ſit in aliquo inſtitutus.

Sed quid ſi teſtator ſimpliciter dixerit: filio meo L. relinquo centum libras, nunquid valebit teſtamentum?

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo quòd ſi teſtator dixerit; filio meo L. relinquo bona mea, ſive dimidiam, ſive tertiam partem bonorum meorum tenet teſtamentum, quia jure inſtitutionis intelligitur eſſe relictum; Si verò dixerit filio meo L. relinquo centum libras, vel agrum illum, non tenet teſtamentum, quia jure legati intelligitur eſſe relictum, & filium eſſe præteritum *C. de hære. inſti. quoties.*

Item non refert in quo, vel in quanto aliquis prædictorum inſtituatur, utrum in univerſo, aut in parte, vel in re, vel in quantitate certa; & ſi ſit inſtitutus in eo, quod eſt ſua portio ligitima, vel ultrà, ſtabit contentus; ſi verò in minori, tenet teſtamentum, ſed aget ad legitimæ ſupplementum. *C. de inoffi. teſta. omni modo.* quæ etiam legitima dicitur debitum bonorum ſubſidium, ſive portio debita jure naturæ; & eſt hodie tertia pars hæreditatis ſi ſint quatuor filii, vel pauciores; ſi verò ſint quinque vel plures, eſt medietas inter eos æquè dividenda, undè ſi quis ſit inſtitutus in ſua parte tertiæ partis, vel medietatis ſtabit contentus, aliàs aget ad ſupplementum, ut dictum eſt; de eo verò, quod ſupereſt ultra partem tertiam, vel medietatem, teſtator quicquid vult facere, poteſt: undè verſus:

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem.
Semiſſem verò dant natis quinque, vel ultra,
Arbitrium ſequitur ſubſtantia cætera patris.

Debetur autem dicta portio tantùm filiis, & ipſis mortuis debetur nepotibus ex eis legitimè natis; nec eis poteſt imponi gravamen per legata, & fideicommiſſa; poſſunt tamen gravari per debita; non poteſt etiam eidem apponi conditio, vel modus, & ſi apponatur, pro non addita habetur.

Ad hoc nota, quòd triplex eſt portio, ſcilicet legitima, & trebellianica, ſic dicta à Trebellio auctore, & falcidia, ſic dicta à Falcidio auctore. Prima debetur jure naturæ, de qua dictum eſt. Secunda, debetur jure ſubſtitutionis, & eſt quarta pars hæreditatis totius, ut cùm aliquis eſt inſtitutus hæres, & rogatus ut reſtituat alii hæreditatem, ſi ſine liberis decedat, iſte ſic inſtitutus retinere poteſt quartam partem totius hæreditatis. Tertia, debetur jure inſtitutionis extraneo inſtituto hæredi, & eſt quarta pars, quam deducit, & retinet ſibi inſtitutus de legatis, & fideicommiſſis, quando ſupra dodrantem, ideſt tres partes hæreditatis, eſt aliquid legatum. Quando enim aliquis eſt inſtitutus hæres, & illa hæreditas eſt ex juſta cauſa legata, & fideicommiſſa, tunc inſtitutus poteſt detrahere quartam partem de legatis, & fideicommiſſis, *extra. de teſta. Rynaldus.*

In prima, & ſecunda portione, ideſt in legitima, & trebellianica computantur omnia hęreditaria, & legata, & fideicommiſſa, undè ſi filius, vel rogatus aliqua perceperit de legatis, vel fideicommiſſis à teſtatore, illa computabit in legitima, vel trebellianica.

In tertia verò, ideſt in falcidia computantur ſola hæreditaria non legata, nec donata, nec fideicommiſſa, *extra. de teſta. Raynutius.* hæc Ber. undè deductio falcidię eſt conditionis melioris, quàm deductio legitimę, quantum ad hoc, quod donationes, & legata non computantur in ea; undè ſi inſtitutus aliquid de legatis, vel fideicommiſſis à teſtatore percepit, illud in falcidia non computabitur.

Sciendum autem quòd falcidia ceſſat in his, quę ſic legantur, ut ad ſucceſſores ejus, cui relicta ſunt debeant pervenire. *C. ad l. fal. in aut. ſed in ea te.* Ceſſat etiam in relictis cauſa pietatis, ut *ibidem. ſ. aut.* Similiter ceſſat etiam in teſtamento militis. *C. de teſta. mi. in teſtamento. & extra. de teſta. Raynaldus & c. ult.* Item ceſſat falcidia in malè ablatis incertis, quæ benè poſſunt dici legata eſſe pro anima, multò magis quàm legata alia; poſſunt etiam dici legata ad pias cauſas, quia ad liberandam teſtatoris animam. Monaldus tamen ſcripſit in ſua Summa, quòd propter malè ablata incerta ſi non poſſunt probari, non credit, quòd liberi, vel parentes ſi conſentire nolint, poſſint legitima jure naturæ ſibi debita defraudari; aliàs poſſet teſtator de levi fingere malè ablata multa, ut prędictos illa legitima defraudaret, quod iniquum eſſet, quia ſi talia malè ablata non poſſunt probari, non tenetur hęres ſolvere, ut debitum, ſeù ut æs alienum, ſed ut legatum. *C. de fal. mo. l. 2. & 3.* Et ideo bonum conſilium eſt, quòd ipſe teſtator ſatisfaciat de illis dum vivit; vel faciat, quòd filius obliget ſe ad ſolvendum inſolidum illa legitima non detracta, in quo caſu tenebitur. *ar. inſti. de excu. tu. §. ſicut per contrarium.* Si autem non poſſit ad hoc inducere filium, non faciat teſtamentum, ſed codicillum, in quo ordinet quòd omnia bona diſtribuantur pauperibus pro malè ablatis incertis, aſſerens quòd plura ſunt ſua malè ablata, quàm omnia ſua bona. Similiter malè ablata certa, quę tamen probari non poſſunt, relinquat illis perſonis, à quibus injuſtè habuit ea, & malè ablata certa, quę probari non poſſunt, ſunt ſicut æs alienum.

Sed numquid poteſt quis inducere duas quartas, ſcilicet debitam jure naturę, & trebellianicam?

Reſpondeo. Dicunt quidam quòd non, niſi quantum eſt plus in ſecunda, quàm in prima. *C. ad l. fal. l. pe.* Alii dicunt indiſtinctè, quòd ſic. Azo. verò diſtinguit, quòd aut quis eſt rogatus reſtituere hęreditatem incontinenti, & tunc eſt vera ſententia prima. *C. de inoffi. teſta. quoniam novella.* vel uſque ad tempus, ut ſi decedat ſine liberis, & tunc eſt vera ſententia ſecunda. *C. de innoffi. teſta. quoniam in prioribus. & in aut. de reſtitutio. §. penul. col. 8.* Ratio hujus diverſitatis eſt, quia ubi quis eſt rogatus reſtituere hęreditatem poſt tempus certum, vel ſi

ſi decedat ſine liberis, poteſt incontinenti deducere tertiam debitam jure naturæ, quia illam ſine omni gravamine debet quærere, ut probant auctoritates prædictę; in proceſſu autem temporis deducet trebellianicam, in qua cum fructus percepti computentur, minus diminuitur ſubſtantia hæreditatis, quàm ſi reſtitueret incontinenti, & ideò tunc non deduceret, quia tunc ſubſtantia defalcaretur, non autem fructus. Jus autem canonicum apertè fovet ſententiam Azo. *extra. de teſta. Rainucius. & c. Rainaldus in tex. & gloſ.* Item non poteſt uti quis beneficio falcidiæ in tribus caſibus. Primus eſt, quando extraneus inſtitutus hæres rogatus eſt reſtituere hæreditatem alii, & non implet voluntatem teſtatoris, infra annum à juſſu Judicis. Secundus eſt ſi non fecerit inventarium. Tertius eſt, ſi teſtator certus de quantitate ſui patrimonii prohibeat expreſsè deduci falcidiam in auctentico *de hære. & fal. §. illud: & §. ſi non fecerit inventa. & §. ſi verò expreſſum.* & hoc vide infra *tit. de providentiis teſtatoris. ar. 1. ſ. de probibitione falcidiæ.* Item quando uni plures res ſint legatæ, tunc ſi ſolvit aliquas illarum integrè, poteſt in aliis retinere plenam falcidiam per doli exceptionem. ff. *ad l. fal. ſi ex pluribus.*

Item ſi legatum ſit tale, de quo falcidia non debet deduci, putà ad pias cauſas, per hoc non onerantur àlii legatarii, quia cuilibet legatario ſufficit onus ſuum, ut deducatur. *C. ad l. fal. in auc. ſimiliter.*

Item legatum aut eſt relictum uni perſonæ, aut pluribus; ſi uni, aut legatum eſt unius, & tunc ſi ſolvit totum, nihil detrahet, aut incepit tantum ſolvere, ſic detrahet; aut ſunt legata plurium, & tunc ſi ſolvit uni, poteſt detrahere de aliis; ſi verò ſit relictum pluribus, tunc ſi ſolvit totum, uni non detrahet *C. ad l. fal. auc. ſed cum teſtator. & in l. prealle. ſi ex pluribus.* hæc Guil. Item, quando fructus percipiuntur voluntate teſtatoris, ut quando quis eſt rogatus reſtituere alteri hæreditatem poſt aliquod tempus, tunc computat fructus in quartam trebellianicam, & quod ſupra quartam recepit non reſtituet, niſi ſit de liberis primi gradus. Quando enim eſt rogatus frater primi gradus reſtituere fratribus hæreditatem, ſi deceſſerit, debet retinere quartam ſine computatione fructuum, niſi perceperit eos poſt litis conteſtationem, tunc enim computabit ipſos in quartam, quia eſt malè fidei poſſeſſor; ſi verò percipiuntur ex negligentia non petentis, ſic non computat in quartam, nec reſtituit eos; ſi autèm percipiuntur ex mora non ſolventis, ſic computat in quartam, & quidquid ex eis habet ultra reſtituet. *C. ad ſe. con. velleia. jubemus.*

De Inſtitutione liberorum legitimorum.

SCiendum, quòd pater arrogans, & avus nepotem adoptans, tenentur filios ſuos arrogatos, & adoptivos, ſi tempore mortis ſuæ habent eos in ſua adoptitia familia, in teſtamento ſuo inſtituere, vel exhæredare, ſicut ſi eſſent filii eorum legitimi, & naturales, aliàs inutiliter teſtabuntur; ſi verò tempore mortis ſuæ eſſent emancipati ab eis, tunc non tenentur eos inſtituere, nec exhęredare, quia ſunt loco extraneorum. Pater etiam naturalis hujuſmodi filios quamdiu ſunt in adoptiva familia nec inſtituere, nec exhæredare tenetur, quia ſunt loco extraneorum; ex eo tamen tempore quo à patre adoptivo fuerint emancipati, incipiunt in ea cauſa eſſe ſicut ſi fuiſſent emancipati ab ipſo naturali patre, *inſti. de exhære. li. §. adoptivi liberi. & §. emancipati verò.*

Is autem, qui adoptavit extraneum condens teſtamentum filium ſuum adoptivum nec inſtituere, nec exhæredare tenetur, cùm nihil juris habeat in bonis ejus, niſi quod ei ſuccedit ab inteſtato. *inſti. de adop. §. ſed hodie.* Et nota, quòd illa documenta, quæ ſunt tradita in articulo præcedenti, habent etiam locum in liberis tantùm legitimis. Quid autem ſit adoptio, & arrogatio, vide *in tractatu de matrimonio, ti. de adoptione.*

ARTICULUS VI.

De Inſtitutione Aſcendentium.

CIrca quod ſciendum, quòd ſi ego teſtator, vel teſtatrix nullum habeo liberum à me neceſſariò inſtituendum, vel exhæredandum, habeam tamen parentem, vel parentes legitimos, & naturales, & ſim in ſtatu, in quo liceat mihi teſtari, ut quia ſum emancipatus, vel aliter mei juris factus, tunc ſi teſtari utiliter voluero, eos inſtituere debeo. *C. ad Sena. Conſul. orphi quoties.* Licèt ſi habeam etiam deſcendentes, eos, ſcilicet aſcendentes ſi volo, poſſum inſtituere. Inſtituam ergo parentes meos, nulla differentia habita inter paternos & maternos, ſalva tamen gradus prerogativa, putà ſi patrem, & matrem habeam, utrumque inſtituam, vel ſi ſolum patrem, vel ſolam matrem, illum, vel illam inſtituam, de aliis autem aſcendentibus non teneor facere mentionem, quia præcedit eos uno gradu pater vel mater; ſed ſi patrem, vel matrem non habeo, tunc proximiores mihi in gradu aſcendentium inſtituere debeo, eodem enim modo ſuccedunt ab inteſtato, ut *in aut. de here. ab inte. veni. §. ſi igitur defunctus.* Poſſum autem inſtituere in toto, vel in certa parte, tamen ſufficit, ſi parentem inſtituendum inſtituam in ſua legitima portione parentibus debita jure naturæ, quæ eſt tertia pars bonorum meorum, ut *in aut. de triente, & ſemiſſe. §. 1.* & ſi in minori inſtituero, nihilominus tenet teſtamentum, licèt agi poſſit ad ſupplementum, ut de liberis dictum eſt: Poſſum autem meos parentes exhæredare,

vel

vel præterire, ſcilicet nominatim, & legitima cauſa adjecta, aliàs teſtamentum meum reſcinderetur *in aut. ut cum de ap. cog.* §. *ſi talis igitur. col.* 8.

ARTICULUS VII.

De Inſtitutione Extraneorum.

CIrca quod ſciendum, quòd ſi illum, vel illos, quem, vel quos habeo legitimos deſcendentes, vel aſcendentes inſtituendos, vel exhæredandos inſtituam quidèm, non tamen in univerſo, ſed in parte, vel re certa, tunc extraneum in reſiduo univerſalem hæredem inſtituere potero; ſi enim non inveniretur univerſalis, tunc is, qui eſſet inſtitutus in parte, vel re certa haberetur pro univerſali. *C. de hære. inſti. quoties.* ſi autem eos omninò exhæredavero, tunc extraneum inſtituam, aliàs teſtamentum non teneret, in quo inſtitutio hæredis non eſſet, *inſti. de fideicommis. hære.* §. *in primis.* Quando verò nullum habeo deſcendentium, vel aſcendentium, inſtituam hæredem aliquem extraneum, ſive ſit meus naturalis, ſive aliquis de collateralibus meis, ſive quæcumque alia perſona, putà, dicendo in prima, vel in tertia perſona ſic: In omnibus autem bonis ſuis quatuor actionibus, ideſt filium ejus naturalem vel patruum, vel hujuſmodi ſibi hæredem inſtituit, vel talem Eccleſiam, vel conventum, vel Hoſpitale, tamquam Chriſti pauperes intuitu pietatis ſibi hæredem inſtituit.

Notandum autem, quòd ſi dicatur generaliter: pauperes Chriſti ſibi hæredes inſtituit, diſtributio competit Epiſcopo Diœceſano, qui eſt procurator pauperum generalis ſuæ Diœceſis; & ideò ad hoc vitandum ſolet ſic addi: illos ſcilicet pauperes, quos ejus commiſſarii duxerint eligendos, quorum quemlibet tantùm illam portionem, quam ipſi commiſſarii ei deſignaverint ex hac hæreditate capere voluit, & diſpoſuit; & ipſos commiſſarios vice dictorum pauperum, & hæredum hanc hæreditatem adire. Licèt autem inſtitutio talis videatur alieno arbitrio committi, & ideò non valere, tamen bene valet, quia teſtator prima facie ſuo arbitrio inſtituit pauperes Chriſti, quod facere potuit, licèt eos reſtrinxerit ad certos pauperes, & hæredes ad commiſſarios ex poſt facto declarandos. Si verò diceret: illum inſtituo, quem talis voluerit, tunc omninò committeret arbitrio alieno, & eſſet omninò inutilis inſtitutio. Ad prædictum autem dubium vitandum ſolet teſtator aliquam fidelem perſonam hæredem inſtituere, diſtributionem ipſius hæreditatis pro anima ſua ejus fidei committendo, dicendo ſic: In omnibus autem bonis ſuis dominum talem hæredem ſibi inſtituit, diſponens, & jubens quatenùs pro anima ſua hæreditatem ipſam eroget, & diſtribuat in pias cauſas, & diſtributionem ipſam ejus fidei, & charitati committens. Licèt autem videatur eſſe quoddam fideicommiſſum, quæritur: utrum idem poſſit trebellianica portio defalcari? Et videtur quòd non, cùm in relictis ad pias cauſas omninò falcidia ceſſet. *in auc. de Ec. ti.* §. *ſi autem hæredes.* Ad hoc nota, quòd frater non habet querelam inofficioſi teſtamenti, ſi frater ejus hæredem extraneum inſtituerit, niſi perſonam infamem inſtituiſſet, & hoc habet locum in fratre conſanguineo tantùm, & non in fratre uterino tantùm. *ff. de inoff. teſta. l.* 1. undè qui habet fratrem ex patre, & matre tantùm, ſi inſtituit perſonam turpem, & infamem, debet inſtituere fratrem ſaltem in aliqua re, aliàs rumperet frater teſtamentum, niſi commiſerit cauſam ingratitudinis, ut quia contra eum mortem intentavit, vel accuſationem criminalem inducere voluit, vel ſubſtantiæ ejus jacturam gravem molitus fuit; probantur hęc in *aut. de nup.* §. *ingratitudinem.* hæc Guil. Item ad hoc ut quis inſtitui poſſit, tria tempora conſiderantur, ſcilicet tempus inſtitutionis, ut ſciatur, utrum inſtitutio tenuerit; tempus mortis teſtatoris, ut ſciatur utrum effectum habuerit; & tempus additionis hæreditatis, quod tempus maximè expectandum eſt, quo ſcilicet hæreditas acquiratur. *ff. de fur. à Titio.* Medio autem tempore inter factum teſtamentum & mortem, vel conditionem inſtitutionis exiſtentem mutatio juris hæredis non nocet, quia tria tempora conſiderantur, & hoc quoad extraneos, & eos, qui non ſunt in poteſtate teſtatorum; in hæredibus verò ſuis, & neceſſariis tempus mortis tantùm videtur expectandum. *inſti. de hære. quali. & di.* §. *extraneis.* & §. *ſui.* In hærebibus verò neceſſariis duo tantùm tempora ſunt expectanda, ſcilicet teſtamenti, & mortis. *ff. de hæredi. inſti. ſi alienum.* & §. *in extraneis. l. ſervum. in prin.* undè ſi hæres inſtitutus ab extraneo ſit excommunicatus tempore inſtitutionis vel mortis, vel additionis pro nihilo habetur; ſi autem medio tempore, non nocet; undè ſi poſt inſtitutionem fuit excommunicatus, & ante mortem abſolutus, hæres erit; ſed de hoc habebitur infra pleniùs *libro 7. tit.* 8.

Inſuper nota, quòd inſtitui non poſſunt iſti, ſcilicet deportatus in inſulam. *C. de hære. inſti. l.* 1. Damnatus in metallum, quia peregrinus eſt effectus. *ff. de his, quæ pro non ſcriptis habentur. ſi in metallum.* Hæretici *C. de Hæreti. & Manichæ. l. Manichæos.* Baptiſmi iteratores. Apoſtatæ Chriſtiani, qui idolis ſacrificant. *C. de apoſta. hi qui.* Collegia illicita, ideſt privilegium ſpeciale non habentia, eo quod non ſunt à Senatu, vel Principe approbata. *C. de hære. inſti. collegium.* Item ſpurius teſtatoris ab eo inſtitui non poteſt. Item inceſtuoſus *in aut. qui mo. na. ef. ſui.* §. *ſi.* Item nec muliera quæ nubit infra tempus luctus, ſecundùm *le. in aut. de nup.* §. 1. & *C. de ſe. nup. l.* 1. *reſponſ.* 3. Hoc tamen ſecundùm canones non tenet. *extra. de ſe. nup. c. penul. & ult.* Item incerta perſona non poteſt inſtitui; hoc tamen fallit in pauperibus Chriſti, *C. de hære. inſti. quoties.* Item ſervus accuſatus de adulterio cum domina ſua commiſſo, quæ etiam domina non poteſt inſtitui

tui. *inſti. de hære. inſti.* §. *eſt autem caſus*. Omnes verò perſonæ aliæ à prædictis poſſunt inſtitui.

Ad hoc nota, quòd ſi ſervus ſit inſtitutus hæres, non poteſt niſi juſſu domini adire hæreditatem, & ſi domino jubente adeat, acquiritur domino, ac ſi eſſet inſtitutus. *inſti. per quas perſo. non acqui.* §. *item nobis*.

Nota tamen ſecundum Io. 13. *q.* 2. *illud*, quod licèt ſervi non poſſint hereditatem poſſidere; conſuetudo tamen eſt pluribus locis, quod filiis relinquitur peculium, quod habuit pater.

ARTICVLVS VIII.

De Formis inſtitutionum hæredum.

CIrca quod ſciendum, quòd dictator teſtamenti conſiderare debet, utrum inſtituatur unus hæres, vel plures, & an liberi, vel aſcendentes, vel extranei, & an plures inſtituantur æqualiter, vel inæqualiter; & an in capita, vel ſtirpes; & quidem ſi teſtator habeat unicum filium, vel filiam, & eum inſtituat hæredem in univerſo, poſitis omnibus legatis dicetur ſic: In omnibus autem bonis ſuis, juribus, & actionibus T. filiam ejus hæredem inſtituit. Et ſi per legem Velleianam providere velit, ne quaſi agnatione ſui hæredis rumpatur teſtamentum, dicetur ſic: Talem filium ejus inſtituit; vel eo præmoriente liberos ex eo ſuperſtites natos, & poſthumos in ſtirpes, & non in capita hæredes ſibi inſtituit. Si autem habeat plures filios, & filias, & velit eos æqualiter hæredes inſtituere ſibi, dicetur ſic: L. & P. filios ejus æquis portionibus inſtituit; & ſi qui dictorum filiorum ejus ipſo teſtatore vivo deceſſerit, in locum, & partem ejus liberi ex eo ſuperſtites nati, & poſthumi in ſtirpes, & non in capita ſint hæredes. Si verò aliquos eorum velit inſtituere ſibi hæredes in re certa, vel parte, & aliquos in univerſo, dicetur ſic: Petrus Bertam ejus filiam hæredem ſibi inſtituit in centum libras, quas etiam eam habere voluit cum nupſerit, vel religionem intraverit; & interim in domo ſua decentia, & ſufficientia alimenta; Si tamen dictas centum libras antequam nubat, vel religionem intret exegerit, ex tunc non habeat alimenta. Si autem filia ſit nupta, ſic dicetur: Petrus Bertam filiam ejus, vel ea premortua liberos ex ea ſuperſtites in ſtirpes ſibi hæredem inſtituit in eo, quod ipſi Bertæ dotis nomine dedit, quando nupſit, & inſuper in decem libras. Si verò filia ſit dedicata in aliquo monaſterio, poteſt eam pater, vel monaſterium, in quo eſt, ſi voluerit, hæredem ſibi inſtituere in certa quantitate. Poteſt etiam filium emancipatum hæredem ſibi inſtituere in certa parte. Poteſt etiam in univerſo pariter cum aliis in poteſtate ſua retentis. Poteſt etiam aliquos eorum, quos habet in poteſtate, hæredem ſibi inſtituere in certa parte. Poſitis autem hæredibus particularibus, debet inſtitui hæres univerſalis ſic: In omnibus aliis, &c. ut ſupra. Factis autem inſtitutionibus univerſalibus, & particularibus liberorum viventium, debent fieri inſtitutiones poſthumorum, ne aliàs teſtamentum rumpatur ſic: Si verò ex ipſa domina Berta conjuge ejus nati fuerint ei filii, unus, vel plures maſculi, vel feminę poſthumi, vel medio tempore nati ad lucem provenientes, ſi maſculus, vel maſculi fuerint, ipſum, vel ipſos cum prædictis A. & B. jam natis pariter, & æquis portionibus in omnibus bonis ſuis ſibi hæredes inſtituit. Si verò femina fuerit una, vel plures, ipſam, vel ipſas, ſive quamlibet earum in centum libras hęredem ſibi inſtituit.

De formis autem inſtitutionum aſcendentium, & extraneorum patet ex prædictis.

Attendat etiam teſtamenti dictator, quòd ſi fiat exhæredatio, legitimè fiat, & quod teſtationem ipſa exhæredatio antecedat.

Quomodo autem formæ exhæredationum fiant, patet ex his, quæ dicentur in articulo ſequenti.

ARTICULUS IX.

De Cauſis exhæredandi.

QUia enim habitum eſt ſupra, quòd parentes filios, & filii parentes exhæredare poſſunt, ideò videndum eſt, quibus ex cauſis exhæredatio fieri poſſit, & Primò, quibus ex cauſis exhęredari poſſunt filii. Secundò, ex quibus parentes.

Sciendum ergo, quòd quatuordecim ſunt cauſæ, quibus pater, vel mater, avus, vel avia filios exhęredare poſſunt. Prima eſt, ſi filius manus injecerit in patrem, & offenderit eum. Secunda, ſi grandem injuriam ei fecerit, & contumeliam. Tertia, ſi patrem accuſavit in criminalibus cauſis, præterquam de crimine læſæ majeſtatis, vel de offenſa contra communitatem ſuæ Civitatis factam, vel de hæreſi. Quarta, ſi filius maleficus cum maleficis converſatur. Quinta, ſi filius machinetur, vel inſidietur in necem patris. Sexta, ſi filius calumnioſè litem moverit patri, à qua ſi pater defecerit, oportet eum gravia damna ſubſtinere. Septima, ſi filius rogatur à patre ob debitum in carcere detruſo, ut fidejubeat pro eo, & non vult fidejubere in illo, pro quo creditores ejus fidejuſſorem recipere volunt; quod tantùm in filiis maſculis locum habet. Octava, ſi filius prohibuerit patrem teſtari. Nona, ſi filius ſit joculator contra voluntatem patris, niſi pater eamdem habuerit profeſſionem. Decima, ſi filia non conſenſerit patri volenti eam honeſtè maritare, & dotare ſecundùm vires patrimonii, ſed potius vult luxuriari. Undecima, ſi filius miſceatur cum ſua noverca, aut concubina patris ſui. Duodecima, ſi filius neglexerit patrem furioſum, in quo caſu etiam ipſo jure eſt exhæredatus. Decima tertia, ſi filius patrem captum à Saracenis redimere noluit, in quo caſu ſi pater in captivitate decedat, hæreditas ad Eccleſiam ſpectat. Decima quarta, ſi pater ſit Catholicus, & filius Hæreticus.

Cauſæ

Cauſæ autem propter quas filii parentes, & nepotes avum, & aviam exhæredare poſſunt, ſunt octo. Prima eſt, ſi pater filium de crimine accuſaverit, præterquam de crimine læſæ majeſtatis. Secunda, ſi pater vitæ filii per venenum, vel aliter inſidiatus fuerit. Tertia, ſi pater uxori, vel concubinæ filii ſe immiſcuerit. Quarta, ſi pater prohibuerit filium teſtari de his, de quibus poterat teſtari. Quinta, ſi pater non redemerit filium captum à Saracenis ſubveniendo ſibi, quia tunc ſi filius in captivitate decedat, bona de quibus ipſe poterat teſtari, debent eſſe Eccleſiæ, vel dari pro captivorum redemptione; ſi verò redeat, ritè patrem exhæredare poteſt. Sexta, ſi pater neglexerit curam filii furioſi. Septima, ſi pater ſit Hæreticus, & filius Catholicus. Octava, ſi pater uxori filii dederit venenum, ad mo rtem, vel mentis alienationem, vel aliter inſidiatus fuerit vitę ejus, & eodem modo ſi mater marito filiæ.

Probantur hæc omnia in *aut. ut cum de ap. cog. §. cauſas & §. omnes. coll.* 8. & omnes iſtæ cauſæ igratitudinis tolluntur per ingreſſum religionis, ut dicit Ber. *extrav. de. apo. ex. literarum*.

Ad hoc nota, quòd exhæredatio non tenet niſi cauſa aliqua de ſupradictis nominatim exprimatur, ut dicendo ſic: Inſuper Petrus filius ejus, quia manus atroces in eum injecit, omninò exheredavit, & ex omni ſubſtantia, & hæreditate ſua alienum conſtituit, B. verò ſibi hęredem inſtituit. Si verò nec inſtituere, nec exhæredare velit, poteſt præterire, inſerendo tamen cauſam ſic: Petrus Bertam filiam ejus nec inſtituit, nec exheredavit, quia cum eam honeſtè maritare vellet, maluit luxuriari. P. verò hęredem ſibi inſtituit. Talis enim præteritio facta circa eam tantùm valet, ſicut exhæredatio; & ſimili modo liberi, & aſcendentes ſuos exhæredare, vel præterire poſſunt, inſerendo aliquam de cauſis ſupradictis.

Item ſi teſtator dicat exhæredo filium meum ſine expreſſione nominis, cùm plures filios habeat, nullus erit exhæredatus. ff. *de li. & poſthu. nominatim.*

Inſuper nota, quòd filius excluditur ab hæreditate patris propter plura crimina. Primò, propter crimen hæreſis. *extra. de hæreti. vergentis in fi.* Secundò, propter crimen leſæ majeſtatis. *ar. de pe. di.* 1. *ſi quis tamen in militibus.* & ſecundùm quoſdam, ſymoniæ, quod ei parificatur. Tertiò, propter crimen interfectionis, vel mutilationis Rectoris Eccleſiæ. *extra. de pænis in quibuſdam.* Quartò, propter crimen inceſtus cum Monachis commiſſum. *ar.* 22. *ſi quis ſollicitaverit. in textu, & gloſa.*

TITULUS XXVI.

De Subſtitutionibus.

DEinde quia inſtitutis heredibus plerumquè ſubſtituuntur alii, ideò viſo de inſtitutionibus, videndum eſt de ſubſtitutionibus, &

Primò, quid eſt ſubſtitutio?

Secundò, quot, & quæ ſunt ſpecies, ſive differentiæ ejus?

Tertiò, de ſubſtitutione vulgari.

Quartò, de ſubſtitutione pupillari.

Quintò, de ſubſtitutione exemplari.

Sextò, de compendioſa.

Septimò, de ſubſtitutione breviloqua. Propterea ſit

ARTICVLVS I.

Quid ſit ſubſtitutio?

CIrca primum ſciendum, quòd ſubſtitutio eſt ſecundaria & conditionalis inſtitutio. Subſtitutio enim continet in ſe inſtitutionem, ut cum A. mihi hæredem inſtituo, & ſi A. non fuerit, vel ſi deceſſerit, P. ſit hæres, & patet, quòd A. hæres inſtituitur purè, & primo gradu, ſed P. hæres eligitur ſub conditione, & ſecundo gradu; & licèt ſubſtitutio poſſit ab uno in alium multiplicari, quælibet tamen ſubſtitutio dicitur gradus ſecundus; ſicut ſecundæ nuptiæ dicuntur omnes, quæ ſequuntur primas.

ARTICULUS II.

Quot, & quæ ſunt ſpecies, ſive differentiæ ejus?

SCiendum, quòd ſubſtitutio alia eſt directa, alia obliqua. Directa eſt per quam quis capit hæreditatem defuncti nullo alio mediante, vel ſibi cooperante, ut cùm dicitur: A. mihi hæredem inſtituo, & ſi ipſe non fuerit hæres, P. ſit hæres; tunc enim adveniente conditione ſtatim immediatè hæreditas perveniet ad P. & ipſe per ſe nullo alio cooperante poteſt eam adire. Subſtitutio verò obliqua, ſive fideicommiſſaria, vel præcaria eſt illa, per quam quis capit hęreditatem alio mediante, ut cùm teſtator fideicommiſerit hęredi, ut hęreditatem reſtituat alii dicendo ſic: A. hęredem mihi inſtituo, ſed rogo eum per fideicommiſſum, ut ipſam hęreditatem reſtituat P. licèt ergo per fideicommiſſum P. ſit ſubſtitutus ipſi A. primò tamen A. debet hęreditatem adire, & aditam P. reſtituere, & ſic A. mediante, & operante hęreditas perveniet ad P.

Sciendum autem, quòd ſi adierit ſpontè hęreditatem, tunc defalcata, & retenta ſibi portione trebellianica, ſcilicet quadrante, ideſt quarta parte hęreditatis, reliquum dodrantem, ideſt reliquas

gitized by Google

reliquas tres partes hęreditatis reſtituet Petro; ſi verò Judicis officio compulſus adierit, totam hęreditatem reſtituet *inſti. de fideicom. hære. §. in primis.* Sed hęc ſubſtitutio ſub dicta verborum forma rarò fieri conſuevit; ſub aliis autem verbis ſępè contingit, ut quando inſtituo A. filium, vel fratrem meum, & ſubjicio: quòd ſi dictus A. quandoque deceſſerit ſine liberis, ſubſtituo ei P. Hęc enim verba repręſentant fideicommiſſariam ſubſtitutionem, ut infra dicetur, cùm de compendioſa agetur.

Sed quid ſi Eccleſia ſit hęres, & rogata reſtituere hęreditatem alteri, numquid detrahere poteſt quartam trebellianicam?

Ad hoc notat Jo. 12. *q.* 3. *c. pe.* quod poteſt eam detrahere, ſi debet hęreditatem reſtituere perſonę privatæ; ſi autem Eccleſiæ, non dubitant Legiſtę, utrum poſſit detrahere. *C. communia. de le. l.* 1. Item ſi quis rogatus ſit reſtituere pluribus hęreditatem, ſi ſine liberis morientur, & unus illorum præmoriatur, & relinquat filios, alter autem ſuperveniat, illi ſoli ſuperviventi debetur hæreditas, vel fideicommiſſum, quia tempore extantis conditionis ſolus invenitur, & filiis præmortui nihil debetur, quia deceſſit ante diem fideicommiſſi cedentem. *C. de cadu. tol. l. una.* § *ſi autem aliquid. & extra. de teſta. Raimaldus. in glo.*

Ad hoc nota ſecundùm Ber. & Guil. *extra. de proba. in præſentia ſuper illud: non intelligitur ſine hærede decedere, qui Monaſterium ſibi inſtituit hæredem.* quod quando quis eſt rogatus reſtituere hæreditatem alii, vel legatum, aut eſt rogatus reſtituere loco religioſo, vel Eccleſiæ, vel pauperibus ad pias cauſas, & tunc per ingreſſum monaſterii non evaneſcit ſubſtitutio; aut privatæ perſonæ, & tunc aut ſit mentio de liberis, vel hæredibus, aut non; ſi non, puta: inſtituo A. hęredem tali conditione, ut reſtituat P. hæreditatem, & tunc evaneſcit ſubſtitutio, ſi A poſtea filium, vel nepotem ex filio præmortuo habuerit, licèt mentio de liberis non ſit facta. *C. de fideicommiſ. cum acutiſſimi.* Aut ſit mentio de liberis, putà: inſtituo A. tali conditione, ut ſi ſine liberis deceſſerit, hæreditatem reſtituat P. tunc ſubſtitutio evaneſcit in pluribus caſibus. Primò, ſi ſubſtitutus decedat priùs quàm inſtitutus, undè filiis ſubſtituti prmortui nihil debetur, vel ſi ſint mortui ante diem fideicommiſſo cedentem. *C. de cadu. tol. l.* 1. Secundò, ſi inſtitutus ingrediatur monaſterium, vel aſſiſterium, ita quod monachatus teneat, quia tunc monaſterium, vel aſſiſterium hæres ejus intelligitur eſſe; ſi verò non intret monaſterium, tunc gravatus ſubſtitutione non poteſt inſtituere monaſterium hæredem; unde illud, quod dicitur *in c. pænitentia. non videtur ſine hærede decedere.* Verum eſt monaſterium ingrediendo, non tamen inſtituendo. Tertiò, ſi habeat filium naturalem. ff. *ad treb. ex facto.* Quartò, ſi non habeat filium, vel nepotem ex filio præmortuo; non evaneſcit autem prædicta ſubſtitutio, ſi inſtitutus filium habuerit, & ille præmoriatur, quia tunc videtur ſine liberis deceſſiſſe. *extra. de teſta. Rainutius.* Non evaneſcit etiam ſi fiat Clericus, niſi duo concurrant ibi, ſcilicet quod in Eccleſia perpetuo maneat, & quod relicta expendantur, vel relinquantur in pias cauſas; non evaneſcit etiam ſi ſe, & ſua tradat Eccleſiæ ſeculari, niſi concurrant ibi etiam prædicta. *in aut. de ſanc. epiſ.* §. *ſed hoc præſenti.* Si verò fiat mentio de hærede; putà: inſtituo A. tali conditione, ut ſi ſine hærede deceſſerit, reſtituat hæreditatem P. tunc nomine hęredum ſoli filii intelliguntur, ut *in l. ex facto.* & nomine filiorum, nepotes, & alii ulterius deſcendentes. Directa autem ſubſtitutio, alia vulgaris, alia pupillaris, alia exemplaris, alia compendioſa, alia breviloqua, de quibus per ordinem eſt videndum.

ARTICVLVS III.

De Subſtitutione vulgari.

Circa quod ſciendum, quòd talis alia eſt expreſſa, alia tacita; expreſſa ſit per iſtam negationem *non* hoc modo: inſtituo mihi hæredem A. & ſi ipſe noluerit, vel non potuerit hęres eſſe, P. ſit hęres, vel P. ſubſtituo.

Tacita eſt, quando negatio non exprimitur, ſed includitur, ut cùm dicitur A. & P. mihi hæredes inſtituo; ex hoc enim colligitur, quòd ſi alter eorum hæres non fuerit, ſcilicet quia noluit, vel non potuit, quia deceſſit ante aditam hæreditatem, alter ſit hæres in ſolidum.

Dicitur autem vulgaris ſubſtitutio talis, quia à quolibet de vulgo, ſcilicet teſtatore maſculo, vel fœmina, parente, vel extraneo poteſt fieri. Poteſt etiam fieri cuilibet, ſcilicet pupillo adulto, & majori in poteſtate conſtituto, vel emancipato, ſuo, vel extraneo. Effectus autem ejus eſt, ut bona teſtatoris perveniant ad ſubſtitutum, ſcilicet illa tantùm, quæ pervenire debebant ad inſtitutum, qui noluit, vel non potuit hæres eſſe, & non bona illius hæredis inſtituti, quia teſtator per talem ſubſtitutionem ſubſtituere potuit in bonis ſuis, non autem in bonis hæredis; undè ſubſtitutus directè ſit hæres ipſi teſtatori. *inſti. de pupil. ſubſti.* §. *quo caſu.* Expirat autem hæc ſubſtitutio quam citò inſtitutus adierit hæreditatem, ſive poſtea decedat cum liberis, ſive ſine liberis. *C. de impuberum, & aliis ſubſti. poſt aditam.*

ARTI-

ARTICVLVS IV.

De Subſtitutione pupillari.

Circa quam ſciendum, quòd ad eam quatuor concurrunt. Primum eſt, ut ille, cui fit ſubſtitutio, ſit de liberis teſtatoris. Secundum, quod ſit impubes. Tertium eſt, quod ſit in poteſtate teſtatoris. Quartum eſt, quod ille, cui fit ſubſtitutio, inſtituat, vel exhæredet; & probantur hęc *inſti. e.* Poteſt autem hęc ſubſtitutio fieri non tantùm impuberi filio jam nato, ſed etiam poſthumo, ſi tamen ipſe poſthumus naſciturus erat in poteſtate teſtatoris, ſi teſtator ipſe viveret.

Poteſt etiam fieri nepoti ex filio, ſi tamen non ſit recaſurus in poteſtate patris ſui poſt mortem avi. ff. *de vulg. & pu. ſub l.* 2. § *poſthumus.* Dicitur autem hæc ſubſtitutio pupillaris, quia fit ſoli pupillo, nec poteſt tempus excedere pupillare, quia expirat ad introitum pubertatis.

Poteſt autem fieri in minus tempus, ut dicatur: ſi filius meus infra quartum, vel quintum annum, vel etiam minus deceſſerit, ille ſit hæres. ff. *e. l.* 2. *ſuper illo maſculi.* Eſt autem ſubſtitutio pupillaris alia tacita, alia expreſſa; expreſſa eſt illa, quæ fit per verbum affirmativum, & facit expreſsè mentionem de pupillari ætate, ut cùm dicitur ſic: A. filium meum hæredem mihi inſtituo, & ſi ipſe mihi fuerit hæres, & in ætate pupilari deceſſerit, P. ſit hæres, vel P. ſubſtituo. Tacita eſt quæ habet expreſsè formam pupillaris, ſed ſub quibuſdam aliis verbis includitur, ut cùm dicitur: A. filium meum hæredem mihi inſtituo, & ſi ipſe hæres mihi non fuerit, P. ſit hæres; hæc eſt ſubſtitutio vulgaris expreſſa, & ſub hac includitur tacita pupillaris, ex eo quod dico: ſi non fuerit, hæres reſultat utraque ſubſtitutio, ſcilicet vulgaris, & pupillaris; undè ſive A. non ſit hæres, ſive ſit, ſi in ætate pupillari deceſſerit, hæreditas directo jure perveniet ad P. ſcilicet ex vulgari ſuccedet tantùm in bonis teſtatoris, ex pupillari verò ſuccedet in bonis teſtatoris, & pupilli; & ſimiliter ſub pupillari expreſſa includitur vulgaris tacita. *inſti. e. in prin. & ff. e. nam hoc jure.* Effectus ſubſtitutionis pupillaris expreſſæ eſt, quòd ille, qui eſt ſubſtitutus impuberi decedenti infra tempus pupillare ſit directo jure hæres teſtatori, & pupillo, & capit bona, & hæreditatem utriuſque.

Item effectus ejus eſt, quòd excludit matrem impuberis, & omnem aliam perſonam, quę ipſi pupillo ab inteſtato ſuccedere potuiſſet. *inſt. e. ff. e. Lucius.* undè licèt teſtamentum videatur eſſe unum propter ordinatorem unum, ſcilicet patrem, eſt tamen duarum hæreditatum, ſcilicet patris, & filii; cùm enim pupillus non poſſit teſtari, permittitur patri teſtamentum ipſi filio facere, & de hęrede ei providere, & hoc tantùm infra tempus pupillare. *inſti. e.* §. *quo caſu.* In pupillari autem tacita, aut ipſi pupillo ſubſtituitur alter filius teſtatoris, & frater ejuſdem pupilli, & tunc ſubſtitutus totaliter admittitur, & mater, & quęlibet alia perſona veniens ab inteſtato repellitur; aut ſubſtituitur extraneus, & tunc mater admittitur, & ſubſtitutus repellitur. *C. de impu. & ali. ſubſti. cum quidam.* Evaneſcit autem ſubſtitutio pupillaris. Primò, ſi pupillus erit pubes. *inſti. e.* §. *qua ratione.* Secundò, ſi hæreditas patris non ſit adhuc adita, quia cùm teſtamentum paternum ſit deſtitutum, ex quo nullus apparet hæres, evaneſcit etiam pupillare. ff. *e. ſi plures.* Tertiò, ſi naſcatur poſthumus, de quo non fuit facta mentio. ff. *e. ſi pater l.* 2. Quartò, ſi pupillus patiatur capitis diminutionem maximam, vel mediam, vel etiam minimam ff. *de adopti. l. nec ei.* & quibuſdam etiam aliis modis, quos relinquo juriſperitis gratia brevitatis.

ARTICVLVS V.

De Subſtitutione exemplari.

Circa quod ſciendum, quòd ipſa fieri poteſt in quocumque parente mare, vel fæmina; filio furioſo, vel mente capto; exiſtenti, vel non exiſtenti in patria poteſtate, dum tamen ſit pubes, vel major: nam impuberi furioſo, vel mente capto providetur per ſubſtitutionem pupillarem. ff *de tutelis. l.* 3. §. 1. & 2. debet enim teſtator certas perſonas, & certo ordine ſubſtituere furioſo. Si enim furioſus habeat liberos, ei primò ſubſtituet illos; ſi verò non habeat liberos, ſed fratres, ſubſtituendi ſunt ei fratres; Si verò nec libros, nec fratres habeat, tunc quem voluerit, ſubſtituet. *C. de impu. & aliis ſubſti. humanitatis.* & ſubditur in hac ſubſtitutione talis conditio, ſcilicet ſi ipſe furioſus decedat antequam mente, & cerebro ſanus fiat. Eſt ergo ſubſtitutionis hujuſmodi forma talis: A filium meum furioſum, vel mente captum hæredem mihi inſtituo, & ſi ipſe deceſſerit, antequam mente & cerebro ſanus fiat, talis ejus filius, vel frater, vel talis alius ſit heres; vel ſic; Talem ejus filium vel fratrem, vel talem alium ſubſtituo: Dicitur autem hæc ſubſtitutio exemplaris, quia fit ad exemplum, ſive ſimilitudinem ſubſtitutionis pupillaris; ſicut enim pupillus teſtari non poteſt ſic nec furioſus, & ideò ſicut pater providet filio ſuo pupillo de hærede, ſic & filio furioſo; undè ſubſtitutus capit utriuſque bona, ſcilicet teſtatoris, & hęredis ſicut in pupillari. Differt tamen hęc ſubſtitutio à pupillari, primò quia illa fit tantùm à parente ei, quem habet in poteſtate, hęc verò fit etiam ei, quem non habet in poteſtate. Secundò quia illa fit tantùm pupillis infra tempus pupillare, hæc autem adultis, vel majoribus. Tertiò, quia pupillo ſubſtitui poteſt quilibet ad libitum teſtatoris, ſed furioſo certę perſonæ ſunt ſubſtituendę. Quartò, quia illa expirat adveniente pubertate, ſed hæc adveniente ſanitate. Pro-

Probantur hęc *inſti. de pup. ſubſti.* §. *qua ratione.* Sed quid ſi habet lucida intervalla?

Reſpondeo. Poteſt dici ſecundùm Hoſt. quòd ſi habet tanta, quod poteſt facere teſtamentum, ſubſtitutio evaneſcit, etiam ſi non fecerit, & imputet ſibi, ſi non hęc evitavit. *ar. ff. de re ju. quod quiſque.* vel dic, quod ſi fecit, evaneſcit; ſi verò non fecit, nec facere potuit, non evaneſcit. *ar. C. de legi. quod favore.*

ARTICVLVS VI.

De Subſtitutione compendioſa.

HÆc autem aliquando fit à milite, aliquando à pagano, ideſt non milite; milites de quibus loquitur lex, noſtro tempore non habemus, & ideò prętermiſſa illa, quę fit à milite, dicendum eſt de illa quę fit à pagano; hujus autem ſubſtitutionis forma eſt hæc: A. filium meum hęredem mihi inſtituo, ſi tamen quandocumque deceſſerit, P. ſit hęres meus. *ff. e. verbis.* Hoc tamen pręcognito, ſcilicet quod compendioſa fieri non poteſt à pagano, niſi filio pupillo in poteſtate exiſtenti, ſicut nec pupillaris, & hęc compendioſa continet in ſe pupillarem expreſſam, quia habet eumdem effectum; & dicitur compendioſa, quia ſub compendio hujus adverbii quandocumque continet pupillarem, quæ aliàs fit prolixioribus verbis; & licèt hoc adverbium quandocumque ſecundùm ſignificationem propriam ſe extendat ad omne tempus, reſtringitur tamen hìc ad tempus pupillare virtute horum verborum; P. ſit hęres, quia per hujuſmodi verba directa videor voluiſſe filio meo infra tempus pupillare providere de hęrede, quod infra tempus aliud facere mihi non licet. *inſti. de pupil. ſubſti* §. *quo caſu.*

Licèt autem prędicta ſubſtitutio ex ſui natura ſimpliciter ſit directa, aliàs tamen in ea poſſet addi, vel mutari, quod eam ad naturam, & jus fideicommiſſarię deduceret; hoc autem fieri poteſt ſub quatuor formis.

Prima eſt talis; & ſi dictus A. filius meus, vel frater quandocumque deceſſerit, P. ſubſtituo; hoc enim verbum *ſubſtituo* trahit hanc ſubſtitutionem corporaliter ad fideicommiſſum *C. de impu. & aliis ſubſti. prec.* & hoc adverbium *quandocumque* reſpicit omne tempus. *ff. de re. du. quoties.* Et ideò quocumque tempore A. moriatur, videtur virtute hujus verbi *ſubſtituo* rogatus eſſe à teſtatore per fideicommiſſum poſt mortem ſuam ſubſtituto reddere hæreditatem, & bona teſtatoris; undè quocumque tempore A. moriatur, mater, & quicumque ſucceſſores ejus adibunt ipſam hęreditatem, & aditam ſubſtituto reſtituent ex jure fideicommiſſi. *inſti. de fideicommiſ. hære.* §. *ſed quia. ſtipulationes.* Defalcabunt autem, & retinebunt primò ipſius A. legitimam, ſcilicet tertiam partem ipſius hęreditatis, ſi ipſe A. erat de liberis teſtatoris, ad quos legitima ſpectat; in hac enim teſtator eum gravare non potuit. *C. de inoff. teſta. quoniam novella.* De relictis verò duabus partibus defalcabunt trebellianicam, ideſt quartam, & ſic habebit mediam hæreditatem, alteram verò medietatem reſtituent ſubſtituto ex jure fideicommiſſi. Retinebunt etiam ſibi omnia bona ipſius A. quia teſtator de ſuis tantùm bonis rogaſſe intelligitur, non hæredis; ſi verò A. non erat de liberis defalcabunt tantùm trebellianicam, & habebit etiam alia bona, quæ ipſe A. aliundè quæſivit; hæc enim ſubſtitutio, quia fideicommiſſi jus habet, fieri poteſt cuicumque hæredi, & à quocumque teſtatore. *inſti. de fideicom. hæ.* §. *in primis.* & §. *ſe.* Attendas autem diligenter, quod licèt in dicta forma dicatur ſimpliciter quandocumque deceſſerit, & non addatur: ſine liberis, ſi tamen A. erat de liberis teſtatoris, hæc clauſula, ſcilicet ſine liberis, tacitè ſubintelligitur, quia regula eſt, quòd quandocumque teſtator rogat aliquem de liberis ſuis hæreditatem alteri reſtituere poſt mortem ſuam, hæc conditio ineſt tacitè, ſcilicet ſi deceſſerit ſine liberis, quia non eſt veriſimile, quòd velim meam hæreditatem excluſa prole filii mei ad alium pervenire, ſed extraneo hærede ſic rogato non ineſt conditio talis, niſi addatur expreſsè. *C. de inſti. ſub conditione factis generaliter.* §. *ult.*

Secunda forma eſt talis: A. mihi hæredem inſtituo; ſed ſi dictus A. quandocumque ſine liberis deceſſerit, P. ſit hæres. Et hæc eſt totaliter fideicommiſſaria, quia licèt hæc verba *P. ſit hæres* directa videantur, tamen per iſtam additionem, ſcilicet: *ſine liberis* trahuntur ad fideicommiſſum, ut probatur *ff. ad trebell. L. Scevola.* quia illa additio *ſit*, innuit, quòd in quacumque ætate decedat ſine liberis, videtur rogatus eſſe per fideicommiſſum hæreditatem reſtituere poſt mortem, & ideò quocumque tempore ſine liberis moriatur, mater, & quicumque ſucceſſores ejus hæreditatem reſtituent ſubſtituto, deductis ſupradictis. *ff. de vul. & pu. ſub l. cohæredi.* §. *cum filiæ.*

Tertia forma eſt talis; A. mihi hæredem inſtituo, ſed ſi dictus A. quandocumque deceſſerit ſine liberis, P. ſubſtituo. Et hæc etiam omni tempore eſt fideicommiſſaria, & idem jus, & eumdem effectum habet per omnia, quod, & quem habent aliæ duæ præcedentes, tum ratione hujus verbi *ſubſtituo*, tum ratione hujus adjectionis ſcilicet *ſine liberis*; & quæcumque dicta ſunt de illis duabus, de iſta tertia intelligi debent.

Quarta forma eſt talis, ſcilicet; A. filium meum mihi hæredem inſtituo, ſi tamen filius meus deceſſerit in pupillari ætate, vel quandocumque poſtea ſine liberis, P. ſubſtituo. Sub hac forma comprehenduntur tres ſubſtitutiones, una pupillaris expreſſa, per hoc, quod dicitur, *ſi deceſſerit in pupillari ætate*, & ex hac reſultat tacita vulgaris, quæ ſub pupillari expreſſa continetur, ut habitum eſt ſupra. *ff. de pupil. ſubſti. nam hoc jure.* Tertia fideicommiſſaria per

hæc

hoc quod dicitur: vel poſtea quandocumque ſine liberis; & omnes illæ tres ſubſtitutiones habent ſuos effectus, de quibus habitum eſt ſupra. Et nota, quòd hæc quarta forma fieri non poteſt, niſi filiofamilias pupillo propter pupillarem expreſſam, quæ continetur in ea, ut dictum eſt; & ſi dictator teſtamenti voluerit, quòd iſtæ tres ſubſtitutiones clariùs ex prædicta forma conſurgant, dicetur ſic: P. pupillariter, vulgariter, & per fideicommiſſum ſubſtituo. Inſuper nota, quòd ſi teſtator habuerit filium impuberem, cui non tantùm in pupillari ætate, ſed etiam abinde ſubſtituere hæredem voluerit, licèt quarta forma præmiſſa ſufficere videatur, bonum tamen eſt conſilium, quod quamlibet ſubſtitutionem per ſe faciat, & primò pupillarem ſic: A. filium meum mihi hęredem inſtituo, ſi tamen dictus A. filius meus mihi hæres fuerit, & inpupillari ætate deceſſerit, P. ſit hæres. Vel ſic: fratres ejus ſuperſtites, & præmortuorum fratrum ejus liberi in ſtirpes, & non in capita ſint hæredes. Poſtea faciat fideicommiſſariam ſic: ſi verò dictus A. factus pubes, poſtea quandocumque deceſſerit ſine liberis. Vel ſic; infra vigeſimum annum, vel aliud tale tempus ætatis ſuæ deceſſerit ſine liberis, per fideicommiſſum ei ſubſtituo P. vel per fideicommiſſum ei ſubſtituo fratres ejus ſuperſtites, & præmortuorum fratrum ejus liberos in ſtirpes, & non in capita; & quod dicitur de liberis præmortuorum fratrum, in utraque ſubſtitutione poni debet, ſi teſtator extendere velit uſque ad liberos fratrum; ſubſtitutio enim non extenditur ultra illos, quos teſtator exprimit; undè ſi inſtitutis tribus, vel pluribus addatur ſic: & ſi aliquis eorum deceſſerit ſine liberis ſubſtituo ſuperſtites, certè ſi decedat unus illorum relicto filio, deinde moriatur alius ſine liberis filius ejus, qui primò deceſſerit, non admittitur cum patruis, ſive ſine patruis ad fideicommiſſariam hæreditatem illius filii mei, qui ſine liberis deceſſerit, quia non extitit conditio ſubſtitutionis in perſona patris ejus; illos enim tantùm ego teſtator ſubſtitui, qui ſuperviverent illi, qui deceſſerat ſine liberis. *C. de fideicommiſ. l. ſi in perſonam.*

ARTICULUS VII.

De Subſtitutione breviloqua, vel reciproca.

Circa quod ſciendum, quòd teſtator habens duos filios, vel plures impuberes in ſua poteſtate, ſubſtitutionem hanc facere poteſt hoc modo: A. & B. filios meos impuberes mihi hæredes inſtituo, & eos invicem ſubſtituo; & dicitur hæc ſubſtitutio breviloqua, quia in brevi continet quatuor ſubſtitutiones, ſcilicet duas pupillares expreſſas, & duas vulgares expreſſas, undè ſi A. fuerit hæres, & in pupillari ætate deceſſerit, B. ſuperveniens hęres erit de jure directo; & è converſo, & in utroque excluduntur mater, & cæteri venientes ab inteſtato per effectum pupillaris expreſſæ, & ſic ſunt ibi duæ expreſſæ pupillares, una unius illorum, & altera alterius, quarum utraque eſt expreſſa quoad effectum, licèt non quoad verba.

Conſurgunt etiam ex eiſdem verbis duæ vulgares, quia ſi unus illorum non fuerit hæres, quia nolit, vel non poſſit, alter non eſt inſolidum hęres. Dicitur etiam hæc ſubſtitutio reciproca, quia fit ibi reciprocatio unius ad alterum; non poteſt autem ſubſtitutio fieri, niſi inſtituti ſint filii pupilli in poteſtate teſtatoris, aliàs non eſſet ſubſtitutio breviloqua, ſed tacita vulgaris, ut patet per ſupradicta, articulo de ſubſtitutione vulgari; & attendendum quòd licèt in hac ſubſtitutione ponatur hoc verbum *ſubſtituo*, non tamen convertit eam ad fideicommiſſariam; in quacumque enim ſubſtitutione ponatur, naturæ illius ſubſtitutionis ſe coaptat, & eam in directo jure conſervat, excepta ſola compendioſa, in qua ſi ponatur, ſtatim ad fideicommiſſariam ſe convertit, ut dictum eſt ſupra in articulo præcedenti.

TITULUS XXVII.

Qui teſtari poſſint?

Poſtquam habitum eſt de legatis & hæredum inſtitutionibus, & ſubſtitutionibus, quæ habent fieri in teſtamentis, conſequenter dicendum eſt de ipſis teſtamentis.

Priùs autem videndum eſt, qui poſſunt teſtari; hoc autem patebit ſi numerentur illi, qui teſtari non poſſunt, quia quod non eſt prohibitum, videtur eſſe conceſſum. *C. de appel. præcipimus in fi.* Illi autem, qui teſtari non poſſunt, ſunt iſti, ſcilicet filiusfamilias etiam ex conſenſu parentum de adventitio, vel profectitio. *ff. de teſta. qui in poteſtate*; & ſi teſtamentum fecerit, licèt ſuæ poteſtatis factus deceſſerit, non ideò magis valebit. *inſti. eo. quibus non eſt permiſſum. § præter hos igitur.* & hæc ſunt vera de filiofamilias pagano. Filiofamilias enim militi permiſſum eſt in armata, vel litterata militia de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi facere teſtamentum, etiam prępter patris voluntatem. *ff. ad macedo. l. 2.* Item impubes. *inſti. e. §. præterea.* Item furioſus, ſi tamen moribus reſipiſcat ad tempus interim teſtari poteſt, dummodo tamen teſtamentum compleat, antequam furor ſuperveniat. *inſti. e. §. nec furioſi* Et idem intellige de mente capto. *ff. de ver. ob. à Titio.*

Sciendum autem, quòd quando conſtat teſtatorem priùs fuiſſe furioſum, legatarius tenetur probare eum fuiſſe ſanę mentis, quando fecit teſtamentum 3. q. 9. *indicas.* Quando verò hoc non conſtat, tunc hęres tenetur probare eum fuiſſe furioſum, quando condidit teſtamentum, ſi negaverit legatum. *extra. de ſucceſ. ab inte. c. ſi. in tex. & gloſ.* Item prodigus, cui eſt bonorum ſuorum adminiſtratio interdicta, licèt il-

ſud, quod ante interdictionem ſecerit, ratum ſit. *inſti. e.* §. *item prodigus.* Item ille, qui naturaliter à nativitate eſt ſimul mutus, & ſurdus, ita tamen quod omninò nec loqui, nec audire poteſt; ſi quis autem ex caſu, vel aliquo accidenti loquelam, & auditum perdiderit, ſi quidem ſit litteratus, poteſt teſtamentum, & codicillos manu ſcribere, non autem per alium, niſi impetret hoc à Principe; & idem eſt de eo, qui eſt accidentaliter mutus tantùm; ille verò qui eſt tantùm ſurdus, ſive naturaliter, ſive caſu, dum tamen poſſit articulatè loqui, poteſt teſtari. *inſti. e.* §. *item ſurdus*, *& mutus. in tex. & glo.* De teſtamento verò cęci habetur infra titulo ſpeciali.

Item obſides dati pro captivis Populi Romani Item condemnati de crimine famoſo. Item dubitantes de ſtatu ſuo, an ſint manumiſſi, vel emancipati. Item ſervi. Item damnati ad mortem, ideſt ut moriantur, vel ut fiant ſervi pęnę, ſive ſint in inſulam deportati; relegati autem, quia non amittunt civitatem, vel libertatem, teſtamentum facere poſſunt; ſi quis tamen eorum fuerit damnatus, & appellaverit, interim teſtari poteſt. Probantur autem hęc. ff. *de teſta. obſides. & l. is cui. & l. ſi filiusfa. & l. ejus qui.*

Nota, quòd ſervus non poteſt teſtari, quia peculium ejus eſt domini. 13. *q.* 2. *illud.* Secundùm tamen Jo. licèt non poſſit hęredem habere, conſuetudo tamen eſt plurimorum locorum, quod peculium, quod pater habuit, relinquitur filiis non tanquam hęredibus, ſed tanquam ſervis. Aſcriptitius autem teſtari poteſt. *C. de epi. & cle. ſi quis presbyter.* Libertus verò teſtari poteſt, ſi relinquat patrono legitimam portionem. *inſti de ſucceſ. liber.*

Item nec Hęretici, niſi filios habeant fideles, qui in eis poſſunt teſtari. *C. de Hæreti. & ma. Manicheos.* ubi dicitur: *bona hæreticorum devolvuntur ad filios orthodoxos.* Sed hodie ſecundùm Cano. *extra. de hæreti. vergentis.* filiis Hęreticorum etiam Catholicis nihil eſt relinquendum de paternis bonis, & hoc eſt expreſſum in conſtitutione Federici. *hac edictali.* hoc *notatur in glo. c. vergentis.* Item credentes, receptatores, defenſores, & fautores Hęreticorum ſunt excommunicati, & quam citò quilibet talium fuerit excommunicatione denotatus, ideſt in Eccleſia per ſententiam excommunicationis expreſſo proprio nomine publicatus, niſi ſatisfecerit infra annum, non poteſt teſtamentum facere, nec aliquid ex teſtamento capere. *extra. de hæreti. excommunicamus.* 1. §. *credentes.* Item excommunicatus non poteſt teſtamentum condere, nec ex teſtamento aliquid capere ſecundùm quod notat Hoſti. *extra. de excep. ſignificavit.* Pla. & Gar. *extra. de uſur. quanquam lib.* 6.

Item nec uſurarius manifeſtus, niſi priùs ſatisfecerit, vel idoneam cautionem de ſatisfaciendo pręſtiterit *lib. 6. de uſur. quamquam.* Item nec Rei perduellionis, & qui commiſerunt crimen leſę majeſtatis. *C. ad l. jul. ma. l. pe.* Item Monachus, & quilibet alius Religioſus profeſſus *c. de Sac. Sanc. Eccle. auc. ingreſſi.* & ſi teſtamentum fecerint ante profeſſionem, confirmatur ſicut per mortem. *c. de Epi. & Cle. deo nobis. & extra. de teſta. quia ingredientibus. in tex. & glo.* Heremitę, & alii ſolitariam vitam ducentes, qui nulli Eccleſię ſe tradiderunt, teſtari poſſunt. 19. *q.* 3. §. *Maria. &* §. *Paulus.*

Quid de Bannito, numquid poteſt teſtari?

Reſpondeo, aut eſt bannitus propter cauſam levem, ut propter pecuniam, & ſic poteſt teſtari; aut propter cauſam gravem, ut propter maleficium, & ſic non poteſt. ff. *de teſta. l. ejus,* §. *inſulam.* quia bannitio loco deportationis habetur, & olim propter maleficia in inſulam deportabantur. hęc Guil.

Sed quid de Clericis, Sęcularibus, Beneficiatis, numquid poſſunt teſtari de fructibus Beneficiorum Eccleſiarum?

Reſpondeo. Ber. *extra. de pe. cleri. ſi quis de teſta. quia nos.* dicit quod non, niſi cum quodam moderamine, de quo habetur. *e. ti. c. ad hac. & c. relatum.* 2. §. *licèt.* undè ſecundùm Ber. *in c. ſi quis. & c. quia nos.* Clerici poſſunt uſuariis comparari, quibus uti licet tantùm ad quotidianum uſum. *inſti. de uſu. & habi.* §. 1. De moderamine prędicto dicitur *in c. ad hac.* quòd Clerici viventes, & ſui compotes, moderatè poſſunt aliqua de bonis mobilibus non ratione teſtamenti, ſed intuitu eleemoſynę erogare in ęgritudine conſtituti. *& in c. relatum* dicitur, quòd in morte pauperibus, & religioſis, & his, qui ſibi ſerviunt, ſive conſanguineis, ſive extraneis poſſunt aliqua ſecundùm ſervitii meritum elargiri. Quid de hoc ſentiat Gof. vide infra *lib. 6. ti. de pe. cle.* Secundùm autem Gar. *lib. 6. de re. Ec. non alie. hoc conſultiſſimo.* & Hoſti. & Inno. *extra. de pe. cle. ſi quis ſanè.* & Jo. Ang. *li. 6 de offi. ord. præſenti.* diſtinguitur ſic, ſcilicet, quod aut Clericus habet adminiſtrationem, aut non; ſi habet quamdiù vivit, & ſanus eſt, poteſt de eis ſuam facere voluntatem, dum tamen donet moderatè. *extra. de dona. cæterum.* Comparatur enim uſufructuario, quia jus ejus morte finitur, ſicut jus uſufructuarii, ut *in c. ſi quis ſanè*; cùm autem incipit infirmari, comparatur uſuario, & ita nihil habet niſi uſum, eleemoſynam tamen facere poteſt. *extra. de teſta. ad hac.* Teſtari verò non poteſt, ut *extra. e. cum in officiis.* Si verò non habeat adminiſtrationem, ſed ſit perſonaliter, & ſimpliciter Beneficiatus, comparatur & in vita, & in morte uſufructuario, quoad faciendum fructus ſuos, & de his teſtari poteſt; Eccleſia tamen ſuccedit ei in iſtis, ſi decedat ab inteſtato. *extra. de teſta. relatum.* probatur hęc diſtinctio *extra. eo. ti. requiſiti.* §. *illud.* & conſuetudo generalis, quaſi approbat eam; & quod dictum eſt de Clerico ſimpliciter beneficiato, quod facit fructus ſuos, debet intelligi de fructibus perceptis, & recon-

reconditis; alii verò fructus propter jura allegata ad Eccleſiam pertinebunt. De rebus verò aliis, ſive eas ex patrimonio habuerint, ſive partem acquiſierint, ſive eis intuitu perſonę, datę, vel relictę fuerint, teſtari poſſunt Clerici indiſtinctè. *extra. de teſta. c. 1. & c. cum in officiis. & c. quia nos.*

TITULUS XXVIII.

De Teſtamentis.

Deinde dicendum eſt de teſtamentis, &

Primò, quid ſit teſtamentum?

Secundò, de effectu ejus.

Tertiò, ad quem pertinet defenſio ejus?

Quartò, de ſpeciebus, ſive differentiis teſtamenti.

Quintò, quot, & quæ ſunt partes ejus, & quomodò debent ordinari?

Sextò, de Proemio teſtamenti.

Septimò, de clauſula finali. Et ideò ſit:

ARTICULUS I.

Quid ſit teſtamentum?

Circa primum ſciendum, quòd teſtamentum eſt voluntatis noſtræ ſententia juſta de eo, quod quis vult fieri poſt mortem ſuam cum inſtitutione hæredis. ff. *e. l.* 1. Dicitur autem *ſententia juſta.*, ideſt diſpoſitio legitima, ideſt ſecundùm jus ordinata, aliter non valeret. *C. e. teſtandi cauſa.* Et dicitur teſtamentum, quaſi teſtatio mentis, ideſt declaratio voluntatis. *inſti. e. in princi.* Oportet autem, quòd fiat uno contextu, nullo alio actu interpoſito, niſi fiat ex neceſſitate, ut depoſitio ponderis, ſumptio medicaminis, vel languor brevis infirmitatis. *C. eo. l. cum antiquitas.*

ARTICULUS II.

De Effectu Teſtamenti.

Circa ſecundum, ſcilicet de effectu teſtamenti, ſciendum, quòd effectus ultimæ voluntatis eſt, ut ei omninò ſtetur, ut *extra. eodem. nos quidem.* undè voluntas teſtatoris eſt lex, ut *in autent. de nuptiis. §. diſponat.*

ARTICVLVS III.

Ad quem pertineat defenſio Teſtamenti?

Circa tertium, nempe ad quem pertinet defenſio ejus, nota, quòd teſtamenti defenſio pertinet ad Eccleſiam. *extra. e. ſi hæredes.* non autem publicatio. *C. eo. conſulta. divalia.*

ARTICULUS IV.

De Speciebus, ſive differentiis teſtamenti.

Circa quartum, ſcilicet de ſpeciebus, ſive differentiis teſtamenti ſciendum, quòd teſtamentum aliud eſt conditum in ſcriptis, aliud nuncupativum ſine ſcriptis. Teſtamentum nuncupativum ſine ſcriptis dicitur illud, in quo teſtatoris, hæredis, & legatariorum nomina, & omnia, quæ in eo continentur, coram teſtibus nuncupantur, ideſt manifeſtantur; & dicitur ſine ſcriptis, ideſt ſine ſubſcriptione teſtium, & ſolemnitatibus aliis, quæ requiruntur in teſtamento in ſcriptis facto; & etiam quia poteſt quis nulla ſcriptura indè facta nuncupativè teſtari, dummodò coram teſtibus numero, & conditione legitimis nuncupet hæredem, & ſuam explicet voluntatem; Scriptura enim nihil ad teſtamenti ſubſtantiam operatur, ſed tantùm ad hoc, ut teſtamenti tenor faciliùs comprobetur. *inſti. de teſta. §. fi.* Si ergo Teſtator Notarium habere non poſſit, ſaltem legitimum numerum legitimorum teſtium adhibebit, coram quibus voluntatem ſuam apertè narrabit, exprimens legata, hęredum inſtitutiones, & alias ſuas teſtamentarias diſpoſitiones, & demùm præſentes ipſos rogabit, ut ſint teſtes

Mortuo autem teſtatore, Judex ad inſtantiam alicujus, cui ex ipſo teſtamento jus competit, ipſos teſtes citabit; citabit etiam nuncio, vel voce pręconia eos, qui poterant ab inteſtato ſuccedere, vel quia ex altero jus ſe dicerent in teſtamento habere, & ipſorum teſtium teſtimonia recipi ſolemniter faciat, & ſi concordaverint in teſtatoris nomine, ætate, conditione, & mentis ſobrietate, & in legatariis, & legatis, & hæredum inſtitutionibus, & aliis, quæ pro diſponentis voluntate, & juris neceſſitate in his concurrere debent, ipſa teſtibus præſentibus, & ad hoc legitimè citatis prædictis, qui jus habebent, & etiam præſentibus ſeptem aliis teſtibus recitabit, & finaliter ea ex tunc pro plena ipſius probatione teſtamenti haberi pronunciabit. Notarius autem Judicis in bono pergameno appoſitis annis domini, & cæteris publicationibus, ipſas atteſtationes Judicis pronunciationes, & præſentiam, vel citationem teſtium prædictorum ordinariè ſcribet; & demùm ſupponet illorum ſeptem teſtium nomina, qui recitationi, & prononciationi Judicis fuerint adhibiti; & hæc omnia rediget in publicam, & autenticam formam. Ex prædictis patet, quòd teſtamentum nuncupativum non ſolùm poteſt fieri cum ſcriptura, ſed etiam aliquando ſine ſcriptura.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Quot, & quæ ſunt partes teſtamenti, & quomodo debeat ordinari?

Circa quod ſciendum, quòd partes teſtamenti ſunt ſeptem, quarum quatuor requiruntur ad formam cujuslibet teſtamenti eleganter, & debitè ordinandam, ſcilicet proemium, inſtitutio hæredis, clauſula finalis, & numerus teſtium legitimorum. Per primum horum decoratur teſtamentum. Per ſecundum roboratur, quia ſine eo nullum eſt. *inſti. de fideicom hære.* §. *in primis.* Per tertium periculo caſualis fruſtrationis voluntatis teſtatoris occurritur. Per quartum probatur. Alia verò tria ex ſola voluntate teſtatoris dependent, quia ſine his, & quolibet horum teſtamenti forma ſubſiſtit; & hæc ſunt legata, ſubſtitutiones, & quædam aliæ teſtamentariæ diſpoſitiones. Elegans autem, & legitimus ordo prædictorum ſeptem in teſtamento eſt, ut primò ponatur proemium, ſecundò legata, tertiò inſtitutiones hæredum, quartò ſubſtitutiones, quintò voluntariæ providentiæ teſtatoris, ſextò clauſula generalis, & etiam finalis, ſeptimo teſtes. De tribus horum habitum eſt ſupra, ſcilicet de legatis, inſtitutionibus, & ſubſtitutionibus; unde reſtat agere de reliquis quatuor, & primò de proemio; unde ſit

ARTICULUS VI.

De Proemio.

Circa quod ſciendum, quòd tenor proemii debet eſſe talis, vel ſimilis: Quia nihil eſt certiùs morte, & nihil incertiùs hora mortis, ideò dominus talis ſaluti animæ ſuæ providere volens, in ſtatu ſobrietatis corporis, & animæ per Dei gratiam conſtitutus, rerum, & bonorum ſuorum diſpoſitionem per præſens nuncupativum teſtamentum ſine ſcriptis condidit in hunc modum. Primò quidèm &c. Si verò teſtator ſit æger, dicatur ſic: ideò dominus talis licet ęger corpore, tamen ſanus mente &c. ut ſupra.

ARTICULUS VII.

De Clauſula finali.

Circa quod ſciendum, quòd ad hoc, ut teſtator ſuam hæreditatem legitimè ordinet, & ejus diſpoſitio teſtata ritè procedat, multa debent concurrere, de quibus infra dicetur Titulo, quibus ex cauſis teſtamentum redditur inutile. Item licèt in tota ſerie teſtamenti nihil virtutis, vel juris defuerit, & nullum accidens vitioſum emerſerit, adhuc tamen pręter hæc omnia, lex propter ſuſpectam hominum infidelitatem, propter ſervandam teſtamentorum ſinceritatem adhiberi voluit quaſdam ſpeciales ſolemnitates ad faciendam plenam fidem, & probationem, putà legitimum numerum teſtium legitimorum, & teſtium quidèm rogatorum. Item in teſtamento in ſcriptis ſubſcriptiones teſtium, & ſigilla, & quædam alia, de quibus ſuo loco dicetur infra. Si quid igitur horum defuerit, ſive juris, ſive ſolemnitatis debitæ, vires teſtamenti dicuntur expirare. *c. de teſta. non dubium.* §. *ſed illud.* His itaque præmiſſis, cum dicatur in clauſula finali: ſi non valet jure teſtamenti, valeat jure codicillorum, ſciendum, quòd ſi teſtamentum patiatur defectum, vel repugnantiam juris in his, quæ ſunt de ſubſtantia ejus, nullo modo reſurgere poteſt in jus codicillorum, quantumcumque teſtator hoc expreſſerit, niſi teſtetur inter liberos ſecundùm communem opinionem, & ideò tunc finalis clauſula nihil operatur; & ratio eſt, quia deficiente jure, velut ſpiritu, & vita teſtamenti, nihil addi poteſt, ut reſurgat; ſi verò patiatur defectum ſolemnitatis debitę præmiſſæ, tunc ſi clauſula finalis appoſita non fuerit, illa voluntas ultima teſtatoris nec jure teſtamenti, nec jure codicillorum valebit; Si verò appoſita fuerit in jus codicillorum reſurgit. *c. de codi. l. fi.* Dum tamen tot, & tales ſolemnitates ſunt, quòd ſufficiant codicillo, qui minoribus ſolemnitatibus eſt contentus, v. g. ut teſtator adhibuit tantùm ſex, vel quinque teſtes, vel etiam ſeptem non rogatos, & adjecit: ſi non valet jure teſtamenti &c. tunc licèt non teneat ut teſtamentum, tenet tamen ut codicillus, cui ſufficiunt quinque etiam non rogati; & idem eſt ubicumque fuerit adhibita ſolemnitas inſufficiens teſtamento, ſed ſufficiens codicillo. Erit autem illius talis codicilli effectus duplex, unus, quod legata in eo relicta debentur. *inſti. de codi. in prin.* alius, quod inſtitutio, quę in eo erat ſcripta, licèt directa videatur, tamen in caſum fideicommiſſi convertitur. ff. *ad trebel. l. ſcævola.* undè cùm paterfamilias inteſtatus deceſſerit, venientes ei ab inteſtato reſtituent per fideicommiſſum hęreditatem ei, qui in ipſa ultima voluntate in codicillum redacta inſtitutus erat, quaſi tacitè videantur rogati hæreditatem reſtituere. *ar. c. de fideicommiſ. eam quam.*

Erit autem clauſulæ finalis forma talis: Et hanc ſuam ultimam voluntatem aſſeruit eſſe velle, quam valere voluit jure teſtamenti; quod ſi jure teſtamenti non valeat, ſaltem eam jure codicillorum, vel cujuſcumque alterius ultimæ voluntatis valere voluit, & tenere. Vel ſic: Ita quod prædicta omnia, & ſingula diſpoſitionem ſuæ ultimæ voluntatis aſſeruit eſſe velle, quam ut teſtamentum, & jure teſtamenti voluit valere; & mandavit, quod ſi aliqua cauſa pręſenti, vel futura jure teſtamenti non valeat, ſaltem eam jus, & effectum codicillorum habere voluit, & tenere, ſive alterius cujuſcumque voluntatis ultimæ; & ipſa, & omnia, & ſingula in eis contenta ab omni hærede, & ſucceſſore ſuo inviolabiliter obſervari, & efficaciter adimpleri.

TITU-

TITULUS XXIX.

De Voluntariis Providentiis Teſtatoris.

POſtea conſiderandum eſt de voluntariis providentiis teſtatoris, &

Primò, quomodò providetur, ne hęres detrahat falcidiam de legatis?

Secundò, ne rem aliquam alienet?

Tertiò, quomodo providetur pupillo de tutore?

Quartò, quomodo aliis ultimis voluntatibus derogetur?

Quintò, quomodo providetur, ut teſtamentum ſervetur? Undè ſit

ARTICULUS I.

Quomodò provideatur, nè hæres detrahat falcidiam de legatis?

CIrca primum ſciendum, quòd teſtator poteſt per legem falcidiam tres partes bonorum ſuorum legare, & non ultra; ita quod hęredi inſtituto remaneat integra quarta bonorum; ſi verò legata excedant tres partes hęreditatis, hęres per legem falcidiam detrahere poteſt de legatis, ſcilicet de quocumque legato pro rata tantùm quantùm eidem eſt legatum ad quartam habendam. *inſti. eo. 1. reſponſ.* Et hoc eſt verum, ſi teſtator prohibuerit hęredi, ne falcidiam detrahat de legatis, dicendo ſic: Pręterea ſciens modum patrimonii mei, prohibeo expreſsè hęredem meum detrahere falcidiam de legatis; tunc enim oportebit hęredem ſtare contentum, eò quòd ſupererit à legatis, & integrè ſolvere legata, nſi repudiaverit hęreditatem. *inſti. de l. fal. §. ex diverſo.* Pręterea hęres non conſequetur falcid iam, niſi fecerit inventarium. *c. de ju. deli. l. ſancimus.* Si tamen hęres inſtitutus ſit de liberis teſtatoris, ad quem pertinet portio naturalis, primò ex tota hęreditate deducet ipſam legitimam portionem, ſcilicet tertiam, ideſt quatuor uncias; ex reliquis verò octo unciis defalcabit per legem falcidiam jure inſtitutionis quartam, ideſt duas uncias; reliquas verò ſex uncias, ideſt medietatem hęreditatis, dividet inter legatarios pro rata. *inſti. e. §. cum autem.* Differt autem hęc portio ſcilicet falcidię à trebellianica, quia per falcidiam deducetur quarta non ex tota hęreditate, ſed ex ſingularibus relictis, ut dictum eſt; ſed illa, ſcilicet trebellianica habet locum, quando hęres rogatur hæreditatem alteri reſtituere, & tunc detrahitur quarta ex tota hęreditate.

Item teſtator non poteſt auferre hæredi quartam trebellianicam. *inſti. de fideicommiſ. ha §. ſed quia.* Sed bene poteſt prohibere hæredi, nè detrahat falcidiam de legatis, ut dictum eſt. Ratio hujus diverſitatis, quia per fideicommiſſariam hæres cogitur hæreditatem adire, & reſtituere, ut dictum eſt ſupra, & ſic in hoc gravatur, quòd agere cogitur, & ideò congruè in alio relevatur, ſcilicet ut trebellianica privari non poſſit; ſed hæres propter legitimam non cogitur hæreditatem adire, & ita in hoc relevatur, & ideò in alio gravatur, ſcilicet ut falcidia privari poſſit, ne eam detrahat de legatis.

ARTICVLVS II.

Quomodò Teſtator providere poſſit, ne hæres rem aliquam non alienet?

AD cujus evidentiam diſtingue, quòd talis prohibitio, aut ſit ad tempus, aut in perpetuum. Item talis prohibitio, ſive præceptum, aut eſt ſimplex, & nuda, ſcilicet non continens cauſam ſufficientem, aut eſt veſtita veſtimento cauſæ adjectæ propter favorem alicujus perſonæ.

Si prohibitio fiat ad tempus, bonum conſilium eſt, quòd pęna adjiciatur, dicendo ſic: Item dicto hæredi meo prohibeo talis prędii alienationem uſquequò compleverit vigeſimum quintum annum ętatis ſuę, vel uſque ad vigeſimum, vel decimum annum poſt obitum meum, vel aliud tempus, quod ſi contrafactum fuerit ipſum hęredem meum pęnæ cauſa condemno in centum libris pręſtandis ab eo tali, vel tali monaſterio jure legati. Legata enim, quę cauſa coercendi hęredis pęnę nomine relinquuntur, tenent. *inſti. de lega. §. ult.* Demum cogetur hęres, vel voluntatem teſtatoris ſervare, vel legatum pręſtare; ideò autem in hoc caſu debet adjici pæna, quia hujuſmodi pręceptum teſtatoris, niſi ſervetur metu legati præſtandi, non eſt neceſſe ſervari, eò quòd eſt nudum, ut infra dicetur, nec commodè infra illud tempus breve veſtiri poſſit cauſa ſufficienti annexa favore perſonæ.

Si autem prohibitio fiat in perpetuum, & ſit ſimplex, & nuda, & non adjiciens cauſam perſonę, cujus intuitu rem alienari prohibuit, cùm præceptum ejus ſit nudum, non habet hæres illud neceſſariò obſervare, immò tali præcepto non obſtante poterit rem alienare, & dominium ejus in accipientem transferre, quia non apparet perſona, quæ ex voluntate teſtatoris jus habeat rei vendicandæ; ſi autem contineat cauſam reſpicientem favorem alicujus perſonæ, ut quia rem alienari prohibuit, eò quòd voluit eam ad deſcendentes, & liberos ejus, vel ad perſonam aliam impoſterum pervenire, tunc res prohibita non poterit alienari, quia quodammodo per fideicommiſſum pervenire debet ad perſonas, quarum intuitu eſt prohibitio facta; unde quamdiù apparebit aliqua ex perſonis illis, rem vendicare poterit, ſi res fuerat teſtatoris, quia ex voluntate ejus dominium tranſivit in illas quantumcumque nondùm natas, quantumcumque etiam ignorantes; nam & in legatarium etiam ignorantem dominium tranſit; probantur hæc. *ff. de l. fi. §. diu.* Nec videtur alia cauſa ſuffi-

ſufficere, niſi favor perſonæ, quæ jus habeat rei vendicandæ, ut dictum eſt. Forma autem hujuſmodi veſtitæ, ac efficacis prohibitionis poteſt eſſe talis, ſcilicet, ut dicatur ſic: Item prohibuit omninò in perpetuum talis rei alienationem, diſtractionem, longi temporis locationem, & conceſſionem, & omnem contractum, ex quo alienatio ſequeretur, vel qui in fraudem alienationis fieri præſumeretur, vel præſumi poſſet; & hoc ideò, quia voluit rem prædictam in poſteros, & liberos ejus mares, & ex maſculina linea ex eo, vel ex eis deſcendentes in perpetuum pervenire; & ſi teſtatori placeret, addi poſſet: quod ſi aliquando contigerit, ut nullus ex ipſis liberis ſuperſit, vel appareat, voluit rem ipſam ad tale monaſterium pervenire, ea tamen conditione, & lege, ut nullo modo poſſit in perpetuum alienari.

Ad hoc nota, quòd hæres ſubſtitutione gravatus non poteſt alienare, vel obligare res, quæ ſubſtitutioni ſubjacent, niſi quatenùs contigerit eum ratione tertiæ, vel quartæ. *c. communia de le. l. ult.* Excipiuntur autem aliqui caſus. Primus eſt, quod quando rogatus, vel rogata eſt perſona, nec reſiſtere poteſt ſtimulis Sathanæ, tunc poteſt cauſa dotis, vel donationis propter nuptias tales res alienare, vel obligare pro modo perſonarum honeſtati congruo, *ut ibidem*. Secundò, quia libertatem præſtare poteſt. ff. *ad trebel, quidam. §. fi.* Tertiò, quia poteſt res illas obligare cauſa redemptionis perſonæ mediæ. *in aut. de reſtitutio. circa medium. §. ſi verò, coll.* 8. tamen quartam trebellianicam poteſt ſibi retinere, & ſi filius ſit rogatus, poteſt ſibi retinere quartam trebellianicam cum quarta debita ſibi jure naturæ, *ut extra. de teſta. Rainaldus. & c. Rainutius.* Si autem ſit rogatus reſtituere quidquid ſupereſt de hæreditate, tunc ad minus quartam reſervabit ſubſtituto. *c. ad trebel. in aut. contra ſi rogatus. & in aut. niſi rogati.* hæc Ber. *extra. de proba. in præſentia.* & Hoſti. *extra. de teſta. Rainutius.*

Item nota, quando movetur alicui quæſtio de hæreditate, quam poſſidet, prohiberi debet, ne quid diſtrahat de hæreditate, niſi præſtet cautionem de reſtitutione hæreditatis; permittitur tamen aliquid diſtrahere in caſu, & primò ratione ſepulturæ faciendæ; ſecundò, propter ſubſtentationem familiæ; tertiò, propter redemptionem pignoris, quod ſcilicet diſtraheretur, niſi redimeretur; quartò, quando res periret, niſi diſtraheretur. ff. *de pe. he. divus.*

ARTICVLVS III.

Quomodo Teſtator poſſit providere alicui pupillo de tutore?

Circa hoc autem eſt diſtinguendum, quòd alicui pupillo datur in teſtamento, vel codicillo tutor, aut à patre, aut à matre, aut ab extraneo; ſi à patre, aut datur filio pupillo exiſtenti in poteſtate, aut non exiſtenti. Sciendum ergo, quòd pater habens filium pupillum in poteſtate, quem hæredem inſtituit, poteſt ei dare tutorem in teſtamento, vel etiam codicillo; ſi tamen teſtamentum præcedat, vel ſequatur ipſum codicillum, aliter non. Item ſi quidam tutores ſint dati in teſtamento, & quidam in codicillo, omnes tutores manebunt, niſi teſtator dando poſteriorem caſſaverit primum. Item dari debet tutor certus, non incertus, undè ſi ſint duo Petri, pater, & filius, & datus eſt Petrus, nec apparet, de quo ſenſerit teſtator, non deficit jus, ſed probatio, undè neuter erit tutor. Item pater dare poteſt tutorem non tantùm natis, ſed etiam poſthumis, ſi tamen naſcituri erant in poteſtate ejus, ſi viveret. Poteſt etiam avus dare tutorem nepotibus natis ex filio in poteſtate ejus exiſtentibus, ſi tamen in poteſtate patris non ſint recaſuri, mortuo avo. Hæc prædicta omnia probantur *inſti. de tute.* Item pater poteſt dare tutorem unum, vel plures mares, non tamen feminas præter matrem, & aviam pupilli.

Poteſt etiam poſt mortem unius tutoris de alio providere, dicendo ſic: P. filii mei tutorem eſſe volo; & ſi deceſſerit antequam officium tutelæ depoſuerit, ejus tutor ſit talis. Item ſi minorem viginti quinque annis tutorem reliquit, quia nequit eſſe tutor, niſi compleverit vigeſimum quintum annum, poteſt iterum alium tutorem dare, quouſque factus ſit ille major. ff. *de teſta. tu jure noſtro. & l. tutor datus. & l. tutor incertus* Tales ergo tutores ſic dati, & à tali patre, & talibus pupillis, ſunt veri, & proprii teſtamentarii, & gaudent privilegiis multis, præcedunt enim omnes alios legitimos datos, & donatos, & non indigent confirmatione Judicis, licèt propter adminiſtrationem indigeant, ſicut cæteri, decreto judiciali; non coguntur etiam ſatiſdare. *inſti. de ſatiſda. tu. §. ſed hoc non eſt.* Si verò pater filio pupillo legitimo, & naturali emancipato, vel etiam tantùm naturali, in eo quod ei uſque ad terminum legitimum tutorem reliquerit; & ſimiliter, ſi mater filium pupillum hæredem inſtituerit, & ei tutorem reliquerit, licèt in his caſibus non teneat ex teſtamento ipſo jure datio tutoris, tamen tales tutores debebunt per Judices confirmari, & illi non erunt tutores teſtamentarii, ſed dativi, quia ex tali confirmatione videntur à Judice dati; ſatiſdatio enim remittitur eis. *inſti. de tute. §. ult.* Si autem extraneus pupillum aliquem hæredem inſtituerit & ei tutorem reliquerit, & pupillus nihil habeat præter bona illa, in quibus eſt inſtitutus,

dico-

dicererur non malè judicium eſt ſequendum, & ipſum tutorem per Judicem confirmandum, quia eum novit, & pupillum ita dilexit, ut eum hæredem inſtituerit, ſed fortè ſatisdatio non remittitur in hoc caſu. ff. *e. tutores.* Cæterùm, cùm tutor teneatur inventarium facere, recepta, & data in ſcriptis redigere, tutela depoſita ſuæ geſtionis actus exhibere, adminiſtrationis rationem reddere; & ex his, & aliis multis judicio teneatur tutelæ; & aliquando præſens in confectione teſtamenti vehementer inſtet, ut teſtator ab omnibus prædictis eum abſolvat; ſi voluerit eum abſolvere, poterit Notarius abſolutionem ſic formare: Titii autem prædicti filii ſui tutorem eſſe P. voluit, & diſpoſuit, abſolvens & liberans eum ab inventarii confectione, ac etiam ab adminiſtrationis ſuæ reddenda ratione. Talis tamen abſolutio eſt ſemiplena, quia etſi ſit tutor liberatus ab his, quæ debebat ex negligentia, non tamen ab his, quæ debebat ex dolo, & culpa, quia dolus ex hoc non eſt remiſſus. ff. *de liberatione leg. ab aurelio.* §. *fi.* Et ideò tutor aliquando ſapientum conſilio informatus petit ſe à teſtatore plenè abſolvi, ita ut nullum in eum, vel ejus hæredes redundare periculum poſſit; quibus ſi teſtator aſſenſerit, ita formari poterit abſolutio: Tutorem autem filii ſui P. voluit, & diſpoſuit eſſe C. nolens, & omninò prohibens eum juramentum præſtare, inventarium conficere, accepta & data, & cujuſcumque geſtionis omnis ejus actus in ſcriptis redigere, & redactos oſtendere; item rationem adminiſtrationis aliquo tempore reddere, vel exhibere, à quibus omnibus, & ſingulis ab omni lege tutelæ eum, ejuſque hæredes liberavit penitùs, & abſolvit; damnans hæredem ſuum, ne quid ab eo petat, vel exigat, nec prædictis occaſionibus contra eum ſuam actionem exerceat; & ſi dictus C. vel ejus hæres occaſione prædictorum, vel alicujus eorum, ſive etiam contractatione dictæ tutelę benè, vel malè geſtæ, omiſſæ, vel neglectæ, ſive doli, culpæ, vel negligentiæ in aliquo teneretur, vel damnaretur, illud totum, vel tantundem de ſuo ejus jure legati relinquat.

Ad hoc nota ad majorem evidentiam, quòd triplex eſt tutela, ſcilicet tutela teſtamentaria, ut quando pater dat tutorem filio in teſtamento; & tutela, quæ ſcilicet defertur à lege, ſecundùm quam, quando nullus tutor datus eſt à patre filio in teſtamento, ille, qui deberet ab inteſtato ſuccedere, tenetur tutelam hujuſmodi accipere; & tutela dativa, ſcilicet quæ datur à Judice, quando ſcilicet nullo tutore dato in teſtamento, & nullis extantibus conſanguineis idoneis ad tutelam, Judex dat tutorem ex officio ſuo. Item nota, quòd Religioſi, ut Monachi, & Canonici Regulares de licentia ſui Prælati recipere poſſunt tutelas miſerabilium perſonarum, vel etiam legitimas. 16. *q.* 1. *monachi.* Tutelam tamen teſtamentariam, & dativam nullo modo poſſunt recipere; & ita poſſunt intelligi jura contraria. *di.* 88. *c. fi.* & 16. *q.* 1. *generaliter.* & 12. *q.* 3. *Ciprianus.*

ARTICVLVS IV.

Quomodo teſtator poſſit aliis ultimis voluntatibus præcedentibus, vel ſequentibus derogare?

Circa quod ſciendum, quòd ſi quis fecerit duo teſtamenta etiam ſecundùm jura perfecta, unum priùs, alterum poſteriùs, quorum utrumque formam communem habet, quia ſcilicet in neutro aliquid continetur, per quod alteri derogetur, certè ſecundùm regulas juris poſteriùs ipſo jure rumpit priùs, quia noviſſima voluntas ſervari debet. *inſti. qui mo. teſta. infir.* §. *poſteriorem.* dummodo ſit rationabilis, quia ſi quis ſuum filium ſine cauſa exhæredare, vel oſſa ſua projici in mare velit, talis voluntas non eſt ſervanda. *extra. de teſta. tua nobis. in glo.* Contingit tamen aliquando, quòd teſtamentum licèt nuncupativum, tamen quantùm poteſt facit ſecretum, in quo ſuam voluntatem diù deliberatam ordinat, à qua diſpoſuit ultra non recedere; timet autem, ne quando erit in gravis infirmitatis articulo conſtitutus ſibi à propinquis ſuis ſuadeatur, vel fortè quod pejùs eſt cogatur mutare voluntatem, vel fortè teſtamentum, ne aliquid falſum poſt illud verum appareat factum, & ideò vult contra hujuſmodi pericula providere, & quantùm poteſt hoc teſtamentum roborare, ita quod etiam prævaleat poſterioribus: Quæritur ergo utrum hoc facere poſſit? Ad cujus evidentiam eſt ſciendum, quòd propter ſucceſſus varios ſtatus, & fortunæ hominis, quæ ſæpè mutantur, voluerunt leges, quod aliquis ſuam voluntatem confirmare poſſet, ut ipſi ab eadem recedere non liceret. Quia tamen quæ demergunt de novo, novo indigent remedio. ff. *de minori. emilius.* Et deambulatoria eſt voluntas hominis uſque ad extremum vitæ. ff. *de alimen. lega. l.* 3. Etiam ſi pactum intervenerit ne mutare poſſit. *C. de pac. pactum, quod dotali*, & etiam ſi per Principem firmatum fuerit. *C. de teſta. omnium.* Licèt autem ita ſit, poteſt tamen teſtator in teſtamento, quod hodie facit aliqua verba inſerere, quibus adeò derogabitur poſteriori voluntati ultimæ, ut poſſibile ſit hanc primam tenere, & poſteriorem non valere, putà dicendo ſic:

Item jubeo, & diſpono hanc meam ultimam voluntatem omnibus aliis, quas de cætero apparuerit me feciſſe, pleniſſimè prævalere, & ſi quæcumque, vel cujuſcumque generis alia voluntas ultima poſt hanc diceretur, vel appareret per me facta, volo illam omninò nihil valere, niſi in ea ſcripti eſſent teſtes tantùm tres tales, vel niſi in ea ſcriptum eſſet hoc verbum: *Surgite mortui, venite ad judicium*: vel aliquod aliud verbum, quod divinari non poſſet. Certè ſi talia verba derogativa addantur in priori ultima voluntate, & poſtea appareat poſterior, in qua de

de illis verbis nulla mentio in genere, vel ſpecie fiat, tenebit prior, & non poſterior, quia non videtur teſtator receſſiſſe à prima voluntate, eò quòd in ſecunda non apponitur illud, quod in prima dixerat in ea apponi debere, nec aliquid in prima dicitur, per quod voluntatem mutaſſe videatur. ff. *de le.* 1. *l. ſi mihi.* & ff. *de l.* 3. *l. ſi quis in prin.*

Sed objicitur, quia hoc poſſet eſſe valde periculoſum; eſtò enim quod aliquis fecerit Januæ teſtamentum habens verba derogativa; deindè velit apud Cyprum facere aliud teſtamentum, ubi non habet primum, nec eſt memor, quod contineat aliquid tale, nunquid valebit illud ſecundum?

Reſpondeo quod benè poteſt primum caſſari per ſecundum, quantumcumque non fiat in eo ſpecialis mentio de illis derogativis; ſi tamen teſtator dixerat in ſecundo: præterea teſtamentum olim à me factum manu talis Notarii ſcriptum, & omnem aliam ultimam voluntatem cujuſcumque generis, & cujuſcumque Notarii manu ſcriptam, hactenus à me factam revoco pænitùs, & caſſo, ſi in aliqua earum contineatur, per quod præſenti ultimæ voluntati derogaretur in aliquo, ea omnia, & ſingula ſpecialiter, & nominatim volo, & jubeo non valere, nam me penitet omninò quorumcumque derogativorum, & cujuſcumque prioris ultimæ voluntatis; probantur hæc. ff. *d. l.* 3. *ſi quis in prin.*

Ad hoc nota, quòd *glo. di.* 18. dicit, quòd non oportet in ſecundo teſtamento facere mentionem de primo, niſi in duobus caſibus; unus eſt ſi primum ſit factum inter liberos. *C. de teſta. hac conſultiſſima.* Secundus eſt, ſi teſtator impoſuerit ſibi legem caſſandi, ut ſi dixerit in primo, ſi fecero teſtamentum aliud valeat. ff. *de le.* 3. *ſi quis.*

ARTICVLVS V.

Quomodo teſtator providere poſſit, ut ejus diſpoſitio obſervetur?

Circa quod ſciendum, quòd teſtator aliquando diſpoſuit aliqua poſt mortem obſervari, quæ ipſo jure habent auctoritatem, & hæc hæres neceſſariò habet ſervare etiam nulla pæna adjecta, qualia ſunt ferè omnia, quæ dicta ſunt de voluntariis providentiis teſtatoris.

Aliqua verò aliquando præcipit, quæ non habet hæres neceſſariò ſervare, ut ſi præcipiat filiis hæredibus ſuis uſque ad certum tempus ſimul, & communiter habitare, & ad diviſionem non venire; vel ſi præcipiat filio, quod non fæneretur; vel quod filiam ſuam tali homini non copulet conjugio, & ſimilia; & tunc quia hujuſmodi non præcipiuntur ſervari aliqua ſpeciali lege, teſtator debet adjicere pænam, & hæredem ſi contrafecerit in legato cauſa pænæ præſtandæ damnare; ac coercere, tale enim legatum hodiè bene teneret, dummodo quod præcipitur non ſit impoſſibile, vel turpe, vel legibus interdictum. *inſti. de leg.* §. *pæna quoque.* & §. *fi.* Adjicietur autem pæna ſic: Item voluit, diſpoſuit, & mandavit, quòd filii ſui ſimul, & communiter habitent, & ad diviſionem bonorum omnium communium non veniant uſque ad vigeſimum annum poſt mortem ipſius teſtatoris; vel ſic: quouſque qui minor inter eos fuerit, viginti quinque annos compleverit, quod ſi contrafecerint &c. vel ſic: Quod ſi aliquis aliquem, vel eorum cæteros ad diviſionem provocaverit, damnavit cauſa pænæ illum, vel illos ex eis, qui cæteros ad diviſionem provocavit, in centum libris tali monaſterio, vel perſonæ nomine legati perſolvendis; vel ſic: in centum libris cæteris, qui diviſioni non conſenſerint perſolvendis; & in aliis ſimilibus præceptis, vel prohibitionibus conſimiliter adjiciat pænam.

Poteſt autem teſtator pænam adjicere, quantùm ad illa, quæ tenentur hæredes ſervare, etiam ſi nulla pæna adjecta eſſet hoc modo: Item voluit, ſtatuit, & mandavit, quòd ſi hæredes contradixerint, vel impediverint quocumque modo, ne legata ſua ſolvantur, vel malè ablata reſtituantur modo ſupradicto, hoc ipſo cadant ab hæreditate, & hæreditas tota ad tales devolvatur, quos eis ſubſtituit hæredes; vel per ſuos fideicommiſſarios tali modo diſtribuatur, vel ſi unus tantùm hæredum contradicat, vel impediat, alteri tota hæreditas applicetur.

Ad hoc nota, quòd voluntas teſtatoris ad pias cauſas debet executioni mandari ab hærede quod ſi non fecerit, & ad judicium tractus legatum pium negaverit, cedat in duplum. *inſti. de acti.* §. *item mixta.* Secùs eſt ſi teſtamentum diceret non tenere, ſecundum Goſ. ac Accur. *ibidem.* Item hæredi dicto modo negligenti debet Epiſcopus interdicere res omnes ſibi relictas cum omnibus fructibus, & emolumentis, donec impleat vota defuncti. *extra. de teſta. ſi hæredes.* Debet etiam Epiſcopus ejus negligentiam ſupplere, ut dicitur *ibidem c. nos quidem.*

Nec obſtat *diſt.* 88. *c. Epiſc.* ubi dicitur, quòd Epiſcopus non ſuſcipiat tuitionem teſtamentorum, quia hoc intelligitur ſecundùm Jo. quod non ſuſcipiat ut advocatus, ſed debet ſuſcipere ut ordinarius, & hoc ei teſtator interdicere non poteſt. *extra. de teſta. tua nobis.* Item hæredi, qui non implet voluntatem defuncti, tota hæreditas eſt auferenda. *extra. de voto*, & *vo. re licèt.* & 2. *q.* 1. *ſilveſter.* ubi Ber. diſtinguit quòd hęres aut eſt extraneus, & tunc perdit totam hęreditatem; aut filius, & tunc aut hęreditas eſt diviſibilis, aut non: ſi ſic, non perdit totum, ſed reſervatur legitima ſibi, *C. de fideicom. auc. hoc amplius.* ſi non eſt diviſibilis, ut ſunt dignitates, quę non debent dividi, ut Regnum, Ducatus, vel Principatus, ſic perdit totum. *extra. de vo.* & *vo. re. licèt in fi.* Non poteſt tamen conveniri, niſi poſt dies novem numerandos à morte defuncti. *C. de ſepul. l. fi.* in

ḃ aut. ibi poſita, quæ incipit: Sed nec.

TITULUS XXX.

De Teſtibus Teſtamentorum.

POſtea dicendum eſt de Teſtibus adhibendis in teſtamentis.

Circa ergo hos attendenda ſunt tria, ſcilicet numerus, conditio, & modus, ſive forma. Circa numerum nota, quòd regulariter in teſtamentis nuncupativis adhiberi debent ſeptem teſtes legitimi, inter quos etiam Notarius computatur, *inſti. de teſta.* §. *fi.* & ubi Notarius non habetur, unus teſtis pro eo adhibetur. Decre. tamen vult, quòd duo. *extra. de proba. quoniam contra.* Fallit autem hæc regula in aliquibus caſibus, quia in teſtamento cęci ſunt neceſſarii octo.

In teſtamento ruſtici, quod fit in illo rure, in quo plures inveniri non poſſunt, quinque ſufficiunt,

In teſtamento facto inter liberos ſimiliter ſufficiunt quinque, qui ſi aliud ſolemne priùs fecerat, dum tamen illud non valere dicat. In teſtamento verò cujuſcumque facto in præſentia Imperatoris precibus ſibi porrectis, ut audiat, ſufficit unus teſtis. In teſtamento autem in ſcriptis condito, ſi ſcribat illud teſtator, ſufficiunt ſeptem teſtes; ſi verò teſtator ſcribere neſciat, vel non poſſit, adhiberi debet ſcriptor, & ſeptem alii teſtes,

Probantur hæc. *C. de teſta. hac conſultiſſima. & l. omnium. & l. fi.* ubi tamen copia teſtium poteſt adhiberi, tutum conſilium eſt, quòd in teſtamentis præcipuè nuncupativis ultra numerum legitimum aliqui addantur, ita quod ſi aliqui ex eis eſſent minùs idonei, ſaltem de legitimis, numerus ſuperſit legitimus. Item quando teſtator dicit quòd non vult ſtare ſuam voluntatem priorem, ſufficiunt tres. *C. e. ſancimus.* & idem eſt quando vult declarare ſuam voluntatem. *C. e. hæredes palam.*

Quid ſi quis condat teſtamentum nuncupativum in præſentia ſeptem teſtium, & tabellio inde conficiat inſtrumentum, in quo duos, vel tres teſtes tantùm ponit, numquid probatur teſtamentum per tale inſtrumentum?

Reſpondeo. Azo. & Jo. *la. Fran. cremon.* dixerunt quòd non. Teſtamentum enim probari non poteſt per tres, vel quatuor teſtes, ergo nec per inſtrumentum continens totidem teſtes. *ar. C. de fide. inſtr. in exercendis. & extra. de fi. inſtru. cum Joannes.* §. *porrò.* Sed Pla. & Mar. dicunt, quòd bene probari poſſit per duos teſtes, & per tale inſtrumentum. *ar. C. ar. tu. l. fi. & extra. de dona. inter dilectos.* & hæc opinio ſecundùm Hoſtien. approbatur expreſsè *extra. de teſta. relatum. & c. cum eſſet.* licèt aliqui has decretales intelligant de legatis ad pias cauſas.

Quid ſi quis fecerit teſtamentum, in quo uxori ſuæ centum libras legavit, & inde coram duobus teſtibus ita dixerit: centum libras, quas in teſtamento meo legaveram uxori meæ, nolo ipſam habere; numquid uxor poterit legatum petere?

Reſpondeo, dici poteſt ſecundùm Hoſt. quòd ſi teſtamentum fuit nuncupativum, valet adjectio, *ut extra. de teſta. relatum. & c. cum eſſet.* Si verò in ſcriptis conditum fuiſſet, non tollerentur legata, niſi conſimilis ſolemnitas adhibita eſſet. *ar. extra. de regu. jur. omnis res.* Et ſecundùm has duas vias poſſunt diverſimodè intelligi diverſa jura, quæ circa hoc poſſunt allegari; Secundùm tamen Jo. indiſtinctè adjectio tenet.

Item milites dum ſunt in domo propria, vel aliena teſtari debent jure communi; dum verò ſunt in exercitu, teſtantur cum duobus teſtibus; dum autem ſunt in bello, teſtari poſſunt, ſicut volunt, etiam ſine duobus teſtibus, ſcribendo etiam ſanguine proprio in clypeo. *inſti. de mili. teſta.* §. *illis. & C. e. milites.*

Ad hoc nota, quòd ſecundùm Canones in legatis ad pias cauſas ſufficit, quòd teſtator coram Presbytero Parrochiali, & duobus, vel tribus teſtibus ea faciat. *extra. de teſta. cum eſſet. & c. ſeq.* in relictis verò ad alia legalis ſolemnitas eſt ſervanda ſecundùm Ber. *ibidem. & c. ult. & Jo. 2. q. 4. placuit.* Secundùm verò Guil. & Bar. prædictæ decretales loquuntur de omnibus relictis.

Sed numquid eſt ibi ſemper neceſſaria præſentia Presbyteri?

Reſpondeo, Pe. de Samp. dicit, quòd ſic; quia à regula juris ſecundùm quam requiruntur communiter ſeptem teſtes, recedi non poteſt, niſi quatenùs eſt expreſſum. Guil. autem dicit, quòd in relictis ad pias cauſas ſufficiunt duo teſtes ſine Presbytero. In relictis verò ad alia, neceſſaria eſt Presbyteri præſentia. *extra. e. relatum.* 1. Hoſtien. verò ſic diſtinguit circa hanc materiam, ſcilicet quod ſi agatur in foro eccleſiaſtico, & inter perſonas Eccleſiaſticas, tunc duo, vel tres teſtes ſufficiunt. *extra. de teſta. cum eſſet.* quia nec ſcriptura exigetur. *C. de Sa. San. Ec. generali. in fi.* Si verò agatur in foro ſęculari, & inter ſęculares, tunc Judex ſęcularis ſecundùm legem ſuam judicabit. *ar. di. 96. duo ſunt. & c. ſi imperator.* Si autem in foro Eccleſiaſtico, & inter perſonas ſęculares, quæ ſunt de temporali juriſdictione Eccleſiæ judicabuntur ſecundùm Canones. *extra. de fo. compe. quod Clericis.* Et idem eſt ſi laici ſe ſubjecerint prorogando Epiſcopi juriſdictionem in ſe, quia tunc idem eſt, ac ſi cognoſceret ordinariè. *extra. de offi. dele. p. & g.* & hoc ubi dictum eſſet à partibus, quòd ſecundùm legem humanam judicari nolebant; Si verò Judex Eccleſiaſticus ex legatione alicujus Principis fortè in civilibus cognoſceret, tunc ſecundùm legem humanam judicaret; & idem eſt, ſi in foro civili inter Cle-

ſicum agentem, & laicum reum ſit quæſtio, excipe tamen relicta Eccleſiis, vel aliàs ad pias cauſas, in quibus in utroque foro duo teſtes ſufficere debent. *extra. de teſta. relatum.* Jo. tamen ſcripſit, quòd in hoc corriguntur leges, quia ſecundùm legem divinam, & canonicam in ore duorum, vel trium teſtium, ſcilicet fide dignorum, ſtat omne verbum, non obſtante lege, vel conſuetudine contraria, ut *in c. cum eſſet.* & *c. relatum.* Secùs eſt, quando teſtes ſunt ſuſpecti, in quo caſu lex loqui videtur. *C. de fideicommiſ. l. 1. ibi lex etenim.* & *C. de teſta. jubemus.* Hæc Hoſtien.

ARTICULUS II.

De Conditione, ſive Qualitate Teſtium.

Circa quòd nota, quòd adhiberi poſſunt teſtes omnes, qui non prohibentur à jure; prohibentur autem à jure iſti, ſcilicet mulier propter inconſtantiam ejus, licèt in aliis cauſis, & contractibus admittatur, & in codicillis etiam prohibeatur. *ff. de teſta. qui in teſtamento. §. mulier.* Item, hermofrodita, in quo prævalent muliebria. *ff. de ſta. ho. quæritur.* Item impubes, etiam ſi factus ſit pubes tempore mortis teſtatoris, licèt aliàs teſtificetur de hoc, quod vidit in ætate pupillari, ut de ſervo dicitur. *ff. de ver. ſig. notionem. §. inſtrumentorum.* Item mutus, & ſurdus. Item furioſus niſi tempore intermiſſionis. Item is, cui hoc interdictum eſt à lege, vel à judice. Item ſervus niſi illo tempore liber communiter reputetur. Item is, qui eſt in poteſtate teſtatoris. Item hæres ſcriptus. Item omnis, qui hæreditatem per poteſtatem contingit, ut pater, qui ipſum hæredem habet in poteſtate, & filius, vel nepos, & deinceps, & frater hæredis, qui pariter cum eo eſt in eadem poteſtate; in hac enim re domeſticum teſtamentum reprobatur. Item, ſi filiusfamilias faciat teſtamentum de peculio caſtrenſi, poſt emiſſionem, pater ejus non poteſt eſſe in eo teſtis, nec illi, qui in ejus poteſtate ſunt; ſi verò ante emiſſionem, ſcilicet de militia, faciat teſtamentum de peculio caſtrenſi, pater ejus poterit eſſe teſtis; probanda hæc omnia. *inſti. de teſt. §. teſtes.* & *§. ſequen.* Item non adhibetur teſtis, qui non eſt teſtamenti capax; undè non ſpurius teſtatoris, non hæreticus, non iterator baptiſmi, non apoſtata, nor deportatus in inſulam, non damnatus in metallum. Item nec hi, quos leges improbos, & inteſtabiles jubent eſſe, ut de crimine famoſo damnati, muliebria paſſi. *ff. de teſta. ob crimen.*

Sed quid de commiſſario, & de legatario præſente, numquid poteſt eſſe teſtis?

Reſpondeo, quòd ipſe, & is, qui per poteſtatem eum contingit, non eſt idoneus teſtis; ſed ſi quæſtio vertatur inter eum, & hæredem occaſione ſui legati, tunc non habetur pro teſte; ſi verò inter hæredem & extraneum, quæſtio moveretur, tunc valeret teſtimonium ejus. *C. de teſt. omni.* & *inſti. e. ti. §. legatariis.* & ideò non legatarii, ſed magis alii, qui poſſunt haberi, debent in teſtes aſſumi.

ARTICULUS III.

De Modo, ſive Forma aſſumendi teſtes.

Circa quod nota, quòd lecto teſtamento, & per teſtatorem approbato, vel ſi in ſcriptis eſt clauſo, & involuto teſtibus oblatis, eos qui præſentes ad ipſum teſtamentum vocati ſunt, teſtator rogare debet teſtes omnes, dicens; rogo vos, ut teſtes ſitis, quæ quidem rogatio in ſcripturam publicam redigatur, quod quidem ſi non fieret, teſtamentum deficeret. *ff. de teſt. hæredes. § ult.* undè non valeret teſtamentum, in quo teſtes determinarent inviti. *ff. qui teſta. fa. po. qui teſtamento*

TITULUS XXXI.

De Teſtamento in ſcriptis.

Deinde dicendum eſt de teſtamento in ſcriptis, &

Primò ſcilicet, quomodò conficitur, & quare ſic nominatur?

Secundò, quando, & coram quibus aperitur? Ideò ſit

ARTICULUS I.

Quomodò hoc Teſtamentum conficiatur?

Nota igitur, quòd quando quis arbitrium ſuæ voluntatis ultimæ cupit ſecretum eſſe, poteſt teſtamentum in ſcriptis condere, cujus tenorem, ut volunt leges, poteſt à teſtibus celare, licèt ſi ſponte velit, eis poſſit aperire. Talis ergo ſi literatus ſit, & ſcribere poſſit, ſciat, & velit, teſtamentum manu ſua ſcribet, alioquin ſcriptorem quemcumque alium adhibere poterit. Aſſumetur autem membrana bona, & ſolida, in cujus parte ſuperiori relinquatur ſpatium trium, vel quatuor digitorum, & ſimiliter tantundem in latere dextro, & ſiniſtro; in parte autem inferiori ſupereſſe debet tantùm ſpatium, per quantùm palma manus digitis extenſis protenditur; & circa hæc, & in medio horum ſpaciorum ſcribetur ſeries teſtamenti. Quo facto plicabitur carta, conjungetur ſpatium inferiùs cum ſuperiori, & figentur ibi tres cordulæ; in plicatura verò dextri ſpatii duæ, & ſiniſtri aliæ duæ, ita quod cordula quælibet habeat duo foramina literam interiorem non attingentia, quibus cordulis ſingula ſpacia ſingulis conjuncta ligentur, ita quod interior litera videri non poſſit; porrò de illo magno ſpacio inferiori tantùm debet relinqui diſcoopertum, & vacuum, quod poſſint patenter, & apertè ſcribi ſubſcriptiones teſtium, & teſtatoris, quibus uno, & eodem

em dic, vel pluribus diebus antea ſic in ſcriptis, actis, & ordinatis; poſtea quando placuerit teſtatori, vocabit ſeptem teſtes viros utique literatos, & ſcribere ſcientes, & nullum juris impedimentum habentes, & coram eis ipſam ſcripturam clauſam, & involutam, & dictis cordulis ligatam, ut dictum eſt, in manibus tenens, debet offerre, dicens; illud eſſe ſuum teſtamentum, ſua, vel talis manu ſcriptum, & eos in teſtes rogare, & rogando inquadrare, quibus ipſi ſe teſtamento ſubſcribant, & illud deſignent; & ipſe etiam ſe ſubſcribere ſua manu debet, ut dicetur infra. Igitur ibidem, & in præſenti uno contextu antequam ipſe teſtator, vel aliquis teſtium diſcedat inde, debet quilibet eorum anulum, vel ſigillum characterizatum ad unam ex dictis cordulis pendens apponere ſuum, vel alterius ex teſtibus; ſi quis enim teſtium non habeat ſigillum, poterit cum alterius ſigillo ſignare; poſſunt enim ſignare anulo, dummodo habeat characterem. ff. *de teſta. & teſtium.* & alieno anulo, & omnes teſtes etiam uno anulo. *inſti. de teſt.* §. *poſſunt.* Videntur etiam tabulæ ſignatæ, ſi ſigna ſint impreſſa linteo, quo tabulæ ſunt involutæ, ut *in glo. ad teſt.* §. *fi.* Poſt hoc continuò interiori ſpacio diſcooperto fient ſubſcriptiones. Primò enim ſi teſtator teſtamentum ſua manu ſcripſit, ſe ſubſcriberet ſic: Ego A. quondam Petri præſentem paginam clauſam, & ligatam in manibus tenens infraſcriptis teſtibus omnibus ſimul præſentibus, per me ad hoc adhibitis, & rogatis, obtuli ab eis ſecundùm juris ordinem ſignandam, & ſubſcribendam, aſſerens, quod in ea ſcriptum eſt, meum fore teſtamentum, & omnia, & ſingula in eo contenta eſſe à me ſcripta, nec non coram eis ibidem ſubjiciens propria manu ſubſcriptionem præſentem. Non tamen requiritur neceſſariò, quod teſtator ſe ſubſcribat, vel alius pro eo in caſu prædicto, ſcilicet quando ipſe totum teſtamentum manu ſua ſcripſit, & hoc ibi ſpecialiter poſuit, ſcilicet quod manu ſua confecit. Si autem de mandato teſtatoris alius teſtamentum ſubſcripſerit, ipſe taliter ſe ſubſcribet: ego N. mandato Antonii literarum ignari, vel ſcribere impediti teſtamentum ejus, & omnia, & ſingula in eo contenta ſuo mandato mea manu ſcripſi, & eo poſtea præſentem paginam clauſam, & cordulis ligatam, infraſcriptis teſtibus ab eo vocatis, & rogatis omnibus ſimul præſentibus, offerente, & aſſerente illud quod in ea continetur, ſuum eſſe teſtamentum, & à me ſcriptum, præſentem ſubſcriptionem meam vice, & nomine ſuo, & ejus mandato appoſui, & in teſtimonium me ſubſcripſi. Similiter & quilibet ex teſtibus ibidem incontinenti ſe taliter ſubſcribat: Ego N. me, ac infraſcriptis, vel ſupradictis teſtibus ad omnia, & ſingula, & hoc paginæ præſentis inferiori ſpatio facta, contenta, & ſcripta, omnibus ſimul præſentibus, & rogatis in ipſa pagina ejus utique teſtamento Antonii ſuo mandato mea manu me in teſtem ſubſcripſi, & eam ſigillo proprio, vel ſigillo infraſcripti Petri ſignavi, habente in circulo formam talem, quod ad unam ex cordulis prædictis ceræ impreſſi. Præmiſſis autem omnibus, & ſingulis modo præmiſſo ritè, ac ordinatè perfectis, teſtator ipſum teſtamentum in aliquo loco ſecreto, & tuto deponet, poſt ejus obitum, ut infra dicetur, legitimè proferendum, aperiendum, & diſtribuendum.

Ex præmiſſis patet vera forma, modus, & ordo teſtamenti in ſcriptis; hæc enim ſunt ſcripta ſolemnia, ſive ſolemnitates, propter quæ dicitur in ſcriptis, idest legitimis ſolemnitatibus factum, ex quibus ejus ſubſtantia pendet; & ideò ſi quę earum defuerint, teſtamentum eſt irritum, niſi fortè fuerit inter ſuos, ſcilicet quia eſſent teſtatoris ſui hæredes; aliàs ſi eſſent extranei, tunc aliqua dictarum ſolemnitatum deficiente, omninò deficeret teſtamentum. Probantur hæc omnia. *C. de teſta. hac conſultiſſima. & l. cum antiquitas.* §. *fi. inſtitu. e.* §. *poſtea verò.*

ARTICULUS II.

Quando, & coram quibus teſtamentum in ſcriptis aperiatur, & deſcribatur?

Circa quod ſciendum, quòd mortuo teſtatore, aliquis cujus intereſt, poſtulabit coram Prætore teſtamentum aperiri, & exhiberi, & eo jurante ſe illud non calumnioſo animo petere, Prætor vocatis ſignificationibus omnibus, ſi commodè potuerint reperiri, jubebit teſtamentum exhiberi, & ipſis teſtibus aſſerentibus ſe ſigilla, & ſubſcriptiones ſuas cognoſcere, faciet illud coram eis aperiri, & recitari, & mandabit Notario, ut illud obſervata omni ſolemnitate debeat exemplare, & hæredibus, & his quorum intererit, exhibere; quo facto interim deſignari, & deponi jubebit originale, ut ad illud, quando neceſſitas, vel utilitas exegerit, recurratur.

Cæterum, multa alia ad hanc materiam pertinentia pertranſeo brevitatis gratia, præcipuè cum in uſum rarò veniat hujuſmodi teſtamenti forma; & ſi volueris de hujuſmodi aperitionis, & deſcriptionis proceſſu apertiùs videre, poteris in ſumma domini Azo. Ric. ſcilicet quemadmodum teſtamentum aperiatur.

Notandum autem, quòd ſive per modum exempli, ſive authenticæ, ſive originaliter exhibendum fuerit teſtamentum, quodcumque, exhibebis illud hæredi totum, & integrum; quia ipſe eſt totius hæreditatis univerſalis dominus, & ſucceſſor, & cuilibet hæredum inſtitutorum, & ſubſtitutorum, & fideicommiſſariorum. ff. *de acqui. poſ. cum hæredis in prin.* Legatario autem, ſive alteri, cui aliquod particulare relictum eſt aſcriptum, exhibebit certam partem teſtamenti, illam ſcilicet, quæ de relicto ſibi facit mentionem hoc modo: Petrus per Dei gratiam ſanus mente, licèt languidus corpore; ſuarum rerum, & bonorum omnium diſpoſitionem per

præſens animi teſtamentum ſine ſcriptis fecit in hunc modum. In primis, reliquit de bonis ſuis pro anima ſua viginti duo libras &c. Et inter alia, quæ in eodem diſpoſuit T. tale legatum fecit his verbis expreſſum: Præterea de aliis bonis ſuis reliquit jure legati A. ſuo nepoti quinque libras. In fine autem ipſius teſtamenti ſic continetur: In omnibus aliis bonis ſuis mobilibus, & immobilibus, juribus, & actionibus præſentibus, & futuris L. filium ejus ſibi hæredem inſtituit, & hanc ſuam voluntatem ultimam eſſe velle, quam valere voluit jure teſtamenti; quod ſi jure teſtamenti non valet, valeat ſaltem jure codicilli, vel cujuslibet alterius ultimæ voluntatis. Et ſic nota, quòd quando pars ſumitur, debet teſtamenti principium, & finis, & ſpecialiter inſtitutio hæredis, & illud legatum occaſione cujus pars ſumitur, in medio poni ſecundùm formam prædictam.

Inſuper nota, quòd vivo teſtatore ſine expreſſo ejus mandato interveniente, nulli petenti teſtamentum, vel aliam ultimam voluntatem debet Notarius exhibere, aut legi, vel videri permittere; quia vivo teſtatore non debent aperiri tabulæ. ff. *quemadmodum teſtam. aperiuntur l. 2. §. ſi dubitetur,*

TITULUS XXXII.

De Teſtamento cæci.

POſtea dicendum eſt de teſtamento cæci, ſcilicet naturaliter, vel accidenti lumine oculi utriuſque privati; in cujus quidem teſtamento debent quædam ſpecialia obſervari, quorum ſi quid defecerit, teſtamentum non valebit.

SCiendum ergo, quòd cæcus teſtari volens, vocare debet Notarium, quem ſi habere non poſſit, tunc deinde alium quemcumque ſcriptorem adhibere ei licebit; vocabit etiam ſeptem teſtes legitimos, & ſcribere ſcientes, & coram eis dicet ſe velle teſtari ſine ſcripuis. Inſuper hæredum nomina quos inſtituit, & indicia, ideſt prænomina, & dignitates, & officia, & in quo, & in quanto eos inſtituit, legata, & fideicommiſſa, debet coram eis ore proprio declarare; deinde debent ibidem hæc omnia in præſenti ſcribi, & ſcripta recitari, vel ſi ante fuerint ſcripta, nihilominus tunc coram ipſis teſtibus debent ab ipſo teſtante oretenùs explicari, & ſcripta ab ipſo Notario per ordinem recitari; non enim refert: utrum eodem tempore, vel diverſo teſtamentum ſcribatur, vel proferatur. *C. de teſtam. hac conſultiſſima.* quibus recitatis & lectis, cæcus dicet, illud eſſe ſuum teſtamentum, & prædictos in teſtimonium revocatos, rogabit hujuſmodi ſui teſtamenti teſtes eſſe.,

Poſt hoc autem in inferiori cartæ ſpatio quilibet ipſorum teſtium ſubſcribet ſe; inſuper appoſitis ſeptem cordulis, & in qualibet earum cera ſufficienti, debebit tam Notarius, ſive ſcriptor, quàm quilibet ipſorum teſtium ſignum ſuum, ſcilicet ſigillum; vel annulum characterizatum ad unam ex cordulis ceræ imprimere, & puto, quòd inſtar teſtamenti in ſcriptis poterit quilibet ex teſtibus, ſive ſuo, ſive alterius aliorum ſigillo ſignare.

Dicitur autem hoc teſtamentum nuncupativum, quia omnia, quæ in eo continentur, debent coram teſtibus nuncupari, & declarari, licèt ſit valdè ſimile teſtamento in ſcriptis. Inſuper nota, quòd omnia predicta ſicut in teſtamento, ita & in codicillo cæci ſunt ſervanda. Probantur hæc omnia. *C. qui teſta. fa. poſ. hac conſultiſſima.*

Forma autem prædicti teſtamenti erit talis: A. licèt oculorum viſione privatus, corpore tamen, & mente ſanus, vel mente ſanus, et corpore languidus, vocatis me Notario, et teſtibus infra ſcriptis proteſtatus eſt, ſe per nuncupationem, et ſine ſcriptis velle teſtari, declarans, et exprimens infra ſcripta legata, et infra ſcriptorum hæredum nomina, dignitates, officia, et indicia, et ceteras infraſcriptas diſpoſitiones lucidè ore proprio coram nobis. Itaque bona ſua teſtando diſpoſuit in hunc modum; Primò namque pro anima reliquit de bonis ſuis libras centum, prout teſtator voluerit diſponere, Cùm autem ſcriptæ fuerint omnes ejus diſpoſitiones legibus conceſſæ, et de ejus arbitrio procedentes, et deinde appoſita fuerit clauſula finalis, ſubjicietur ſic; Igitur predictis omnibus coram dictis teſtibus apertè recitatis, et lectis, dictus A. proteſtatus eſt hoc eſſe ſuum teſtamentum, rogans infraſcriptos ad teſtamentum adhibitos teſtes eſſe, et ut ſubſcriptiones ſuas, et ſigilla ſecundùm juris ordinem ſubjiciant, et apponant. Poſt hoc autem ſe ſtatim ſubſcribet quilibet teſtium hoc modo: Ego Jo. quondam Petri ſimul cum infraſcriptis, vel ſupraſcriptis aliis teſtibus à dicto teſtatore adhibitis, et rogatis huic teſtamento, et ejus recitationi omnibus, et ſingulis ſupradictis preſens interfui, et ab eodem teſtatore rogatus in teſtimonium me ſubſcripſi, ſigillum meum, vel infraſcripti domini habens in circulo formam agni in una ex cordulis ceræ exprimens, et apponens. Et ſic quilibet aliorum teſtium ſe ſubſcribet. In fine verò Notarius, ſive ſcriptor ſubſcriptionem ſuam ſic ſubjiciet. Ego Jo. Notarius ab ipſo A. teſtatore vocatus, prædicta omnia, et ſingula, ejus mandato ſcripſi, et ſcripta coram dictis teſtibus reſtitui, et legi, et in publicam formam redegi ab eo rogatus in teſtem me ſubſcribens, et ſigillum proprium, vel talis, habens talem formam pendens ad unam ex cordulis ſubjiciens, et apponens.

TITU-

TITULUS XXXIII.

De Cauſis, quibus teſtamentum inutile redditur, vel rumpitur.

DEinde dicendum eſt, quibus ex cauſis teſtamentum inutile reddatur, vel corrumpatur.

Circa quod ſciendum, quòd ſunt quædam teſtamenta, quæ non jure facta dicuntur, ſed poſtea rumpi, et irritari poſſunt. *inſti. qui mo. teſt infir*, §. *alio autem modo.* Intelligitur autem teſtamentum ab initio factum non jure, nec legitimè factum pluribus modis, ſcilicet ſi teſtator non erat habilis ad teſtandum; vel ſi teſtator non inſtituit aliquem hæredem; vel ſi inſtituit heredem, non tamen capacem hæreditatis; vel ſi præteriit jam natum, quem inſtituere, vel exheredare debuit; vel ſi defectus aliquis appareat in ſolemnitate, putà, ſi non ſit adhibitus legitimus numerus teſtium, et teſtium legitimorum, et teſtium rogatorum; vel ſi deſit in teſtamento aliqua de ſolemnitatibus debitis. De hujuſmodi autem impedimentis omnibus dictum eſt ſupra.

Teſtamentum verò à principio legitimè, ac ſolemniter factum, dicitur poſtea rumpi, vel irritari etiam pluribus rationibus. Si teſtator non prævidit de poſthumo, qui poſt teſtamentum eſt natus; ſi tamen idem poſthumus vivo teſtatore moriatur, teſtamentum quoad effectum non rumpitur. ff. *de inju. teſta l. poſthumus.* Et ſic ſolvitur contrarium. *C. de poſthu. hæ. inſti l.* 2. Idem eſt etiam de quaſi poſthumo, ut ſi teſtator poſt teſtamentum adoptavit illum, qui veniet ab inteſtato. *C. de adop. cum in adoptivis.* vel ſi arrogaverit extraneum. *inſti. e.* §. *ſi quis enim.* quod intellige maſculi; teſtamentum enim feminæ non rumpitur hoc modo. ff. *de libe. & poſthu. gallus.* Agit tamen poſthumus de inofficioſo teſtamento. *C. de inoffi. teſta. l.* 3. Idem eſt etiam de eo, qui eſt loco poſthumi, ſcilicet qui tempore teſtamenti non erat hæres ſuus, tempore verò mortis hæres ſuus invenitur, ut dictum eſt ſupra. *ti. de inſtru. libe natu. & legitimorum.* Item licèt teſtator eum, quem inſtituere, vel exhæredare debebat, ritè, vel expreſſa cauſa ingratitudinis exhæredavit, ſi poſt mortem ejus, ſcilicet teſtatoris propoſita quærela inofficioſi teſtamenti reciſum eſt per ſententiam teſtamentum, et teſtamentum rumpitur. *C. de liberis præteritis aut ex cauſa*

Item ſi hæres non adivit, vel ante aditam hæreditatem deceſſit; vel conditio, ſub qua inſtitutus erat, deficit; tunc enim teſtamentum remanet deſtitutum nullo ex eo hærede apparente. Item ſi teſtator patiatur capitis diminutionem, niſi iterum fiat Civis Romanus, vel ſui juris; et ille modus, et præcedens approbantur. *inſti. qui mo. teſta. infir.* §. *poſteriore. et* §. *alio tamen modo.* & §. *non tamen per omnia.* Item ſi ab eodem teſtatore, poſtea teſtamentum aliud ritè, & perfectè factum appareat, ex quo hæreditas adiri poſſit, ut *in* §. *poſteriore.* niſi primum ſit derogatorium ſecundo, ut dictum eſt ſupra; & niſi in primo inſtituerit hæres liberos ſuos, & in ſecundo extraneos, tunc enim non tollit primum, niſi hoc expreſsè dicat teſtator in ſecundo, ſcilicet nolle primum teſtamentum valere. *C. de teſta, aut hoc inter liberos.* Item ſi à tempore conditi teſtamenti primi elapſo decennio teſtator dicat, ſe nolle illud valere, hoc coram tribus teſtibus exprimendo. *C. de teſta. ſancimus.* Item ſi teſtator inciderit, vel abſtulerit lumen, vel ſignacula illius teſtamenti, quod conditum eſt in ſcriptis. *C. eo. l. fi.*

Quid ſi habens duo teſtamenta tenoris ejuſdem inciderit alterum, numquid per hoc revocaſſe videtur integrum?

Reſpondet Hoſtien. quòd non, niſi probetur, quòd hoc fecerit hac intentione, ſcilicet quod decederet inteſtatus. ff. *de his quæ inteſta. delen. l. fina.*

Item ſi teſtamentum cum nuncupatione, vel macula appareat, vel aliter ſit ſuſpectum. ff. *de fide. inſtr. l.* 2.

Ad hoc nota, quòd quando teſtamentum eſt nullum ex præteritione jam nati, vel rumpitur ex præteritione poſthumi, vel reſcinditur per ſententiam propoſita quærela, & contra tabulas; tunc in quolibet horum caſuum dicitur deficere quoad inſtitutionem, ſed in legatis firmum perſeverat jure novorum auctorum; undè licèt inſtitutio non teneat, legata tamen debentur. *C. de liber. præteri. auc. ex cauſa.* & agitur pro dictis legatis actione ex teſtamento, vel conditione ex lege, niſi in teſtamento fuerint adjecta illa verba, ſcilicet *ſi non valet jure teſtamenti, valeat* &c. Tunc enim petuntur ab inteſtato ſecundùm quoſdam, ut in dicta auctoritate notatur.

Nota etiam, quòd licèt teſtamentum ſit falſum, legata tamen ex eo præſtanda ſunt. ff. *de hære. inſti. l. fi. v.* g. P. inſtituit B. filium Titii, & ſubſtituit ei ipſum Titium patrem ejus; moriatur Titius, & ideò P. mutavit teſtamentum, quaſi etiam B. mortuus eſſet, dicens: quia hæredes, quos habere volui, habere non poſſum, tu A. eſto hæres. Moritur P. quis habebit hæreditatem ejus?

Reſpondeo B. & dabit legata ex ſecundo teſtamento, licèt ſit falſum, quia continet falſitatem.

Nota etiam, quòd quando primum teſtamentum perfectum rumpitur per poſteriùs imperfectum, ut quando in principio inſtituti ſunt hæredes, qui non poterant venire ab inteſtato, & in ſecundo inſtituuntur, qui ab inteſtato vocantur ad hæreditatem; tunc enim poſterior ſcriptura licèt imperfecta ſervabitur, non ut teſtamentum, ſed quaſi voluntas inteſtati, in qua depoſitiones quinque teſtium juratorum ſufficient, alitter valebit primum teſtamentum. *C. de teſta.*

teſta. hac conſultiſſima. §. *ſi quis.* Et ſecundum imperfectum non valebit jure codicilli, quia ille teſtator voluit non teſtari, quia non potuit. *C, de codicil. l.* 1. Item licèt per poſteriùs imperfectum non infirmetur primum, quia teſtamentum imperfectum nullum eſt. *inſti. eo. quibus mo. teſta. infir.* §. *ex eo autem.* Si tamen teſtator in ſecundo teſtamento imperfectè declaravit primos hæredes non mereri voluntatem ſuam, vel eos indignos eſſe, ejus hæreditas aufertur, & fiſco applicabitur. *C. de codicil. hæreditatem.*

Ad habendam autem pleniorem hujus materiæ ſententiam, diſtinguit ſic Hoſtien. Cùm quis teſtatur, aut eſt pater, aut mater, aut filius, aut collateralis; ſi ſit pater, & inſtituit ſibi filium, planum eſt, quòd filius ſuccedet ex teſtamento etiam imperfecto. *C. de teſta. hac conſultiſſima.* Si verò inſtituit extraneum, & exhæredat filium, adjecta cauſa in lege ſcripta, non poteſt ei ſubveniri, niſi per quærelam inofficioſi teſtamenti. *C. de inof. teſt. omni modo.* Si verò præteriit filium, & filius erat ſuus hæres, electionem habet, an dicere velit teſtamentum nullum, vel per bonorum poſſeſſionem contra tabulas ſubvertere teſtamentum; & ſic loquitur *C. de liberis præteri, vel exhære. maximum.* §. *penul.*

Nec obſtat, quòd dicatur ſublata differentia patriæ poteſtatis, & emancipationis, ut *in aut. de hære. ab inteſt. col.* 9. Quia illud eſt verum quoad ſucceſſionem ab inteſtato; aliter enim antiqua jura manent firma. Si verò teſtetur mater ibi ſi filius agit quærela inofficioſi teſtamenti, quia præteritio matris, & maternæ lineæ habetur pro exhæredatione patris, vel paternæ lineæ. ut *C. de inof. teſtamen. filiam.* Secundùm hoc intellige *C. de libe. præteri. auc. ex eo.* Teſtamentum ex cauſa exhæredationis, vel præteritionis eſſe irritum quantum ad inſtitutionem, cætera autem manent firma, exhæredationis ſcilicet quoad lineam paternam, præteritionis quoad maternam. Item exhęredationis, quando cauſa non eſt adjecta; ſi enim adjecta eſſet, filius non haberet quærelam, ut ſupra dictum eſt, in quo caſu teſtamento per quærelam ſubverſo, nec legata, nec libertates relictę in teſtamento debentur. ff. *de inof. teſta. l. papinianus.* § *veterani.* Ratio hujus diverſitatis eſt, quia ubi non eſt adjecta cauſa, nullum eſt teſtamentum quoad inſtitutionem, & ſic legata dependere non poſſunt ex teſtamento ſine inſtitutione, quia nulla eſt, ſed per ſe, & ex vi legis firma ſubſiſtunt; quando verò non eſt adjecta cauſa, tenet teſtamentum, & inſtitutio ipſo jure, & ſic legata pendent ex eo. *inſti. de le.* §. *ante hæredis inſtitutionem.* ideoque teſtamento per quærelam ſubverſo, legata ex eo pendentia ſubvertuntur. *ar.* ff. *de re. ju. cum principale.* Si autem teſtetur filius in poteſtate conſtitutus de caſtrenſi, vel quaſi, poteſt facere teſtamentum in tantum quod nec de inofficioſo poterit impugnari. *C. de inofficioſo teſtamento. l. ſi.* Tamen filiusfamilias Clericus quidèm de adventitio teſtari poteſt. *extra. de teſta. quia nos.* Si verò emancipatus erat, & filios habeat, diſtingue eo modo ut ſupra dictum eſt de patre; ſi verò non filios, ſed tantùm parentes habeat, & eos hæredes ſibi inſtituat, planum eſt, quòd hęreditabunt; ſi autem extraneos inſtituerit, & parentes exhæredaverit, adjecta cauſa in lege ſcripta, non poteſt eis ſubveniri, niſi per quęrelam inofficioſi teſtamenti, qua rumpetur teſtamentum, & ſuccedent, niſi hæredes ſcripti probent exhæredationis cauſam eſſe veram, quia tunc per quærelam non rumpetur. Si verò nulla cauſa in legibus ſcripta ſit adjecta, nullum ſit teſtamentum, quantùm ad inſtitutionem, ut ſupra dictum eſt, quando pater fecit teſtamentum; & hæc omnia probantur *in aut. ut cum de appella. cog.* §. *& hæc quidem.* & §. *ſancimus itaque. coll.* 8. ubi autem patrem non exhæredavit, ſed præteriit, competit patri bonorum poſſeſſio *contra ta.* ff. *de inoffi teſta. pater.* Si autem teſtetur collateralis, competit quærela turpi perſona inſtituta, non alia fratri ſuo conſanguineo, & non alii alicui, *C. de inoffi. teſta. fratres.* Ex his patet, quòd inducunt quærelam inofficioſi teſtamenti exhæredatio in legitima paterna, & præteritio in legitima materna, & hoc quando exhæredatio facta eſt ſine cauſa; ſi enim facta ſit ex aliqua cauſa adjecta in legibus ſcripta, & probetur, tunc ceſſat quærela. Item ceſſat elapſo quinquennio adita hæreditate, niſi quærelam iterum expoſuerit is, cui competebat, & cogitur hæres ſcriptus adire, vel repudiare, ſi ſit in eadem Provinçia elapſis menſibus ſex; ſi autem in alia elapſo anno; ceſſat etiam ſi legatum agnovit, vel aliàs teſtamentum expreſsè, vel tacitè approbavit, vel legitimam recepit. *C. de inoffi. teſt. l. penult.* §. *ſi.* & *l. cum quæritur.* & *l. parentibus.*

Excluditur etiam, ſi ei poſſit aliter ſubveniri, ut quia competit ei bonorum poſſeſſio, vel conditio ex lege Divi Pii in bonis arrogatoris. *inſti. de inoffi. teſta.* §. *tam autem.*

TITULUS XXXIV.

De Codicillis.

POſtea conſiderandum eſt de codicillis, &

Primò, quid ſit codicillus, & undè dicatur?

Secundò, quis codicillari poſſit?

Tertiò, quando poſſint fieri codicilli?

Quartò, in quibus conveniant codicilli, & teſtamentum?

Quintò, in quibus differant?

Sextò, de forma codicillorum, ſcilicet qualis debeat eſſe? Quare ſit

ARTI-

ARTICULUS I.

Quid ſit Codicillus, & undè dicatur?

CIrca primum ſciendum, quòd codicillus eſt quædam ſine hæredis inſtitutione diſpoſitio ultimæ voluntatis. Dicitur autem *ultima*, quia ſicut teſtamentum, ita etiam codicillus morte confirmatur. *c. de cadu. tol. l.* 1. quare autem dicatur *ſine hæredis inſtitutione*, patebit in quinto articulo.

Dicitur autem codicillus à codice, quia eſt ejus diminutivum. Dicitur enim teſtamentum *codex*, quia perfectam diſpoſitionem continere debet patrimonii temporalis; ſed codicillus, ideſt parvus codex dictus eſt, quia in eo de una re, vel aliquibus rebus, aut de parte, vel de quantitate certa diſpoſitio continetur.

ARTICVLVS II.

Quis poſſit codicillari?

CIrca ſecundum, nempe quis codicillari poſſit, ſciendum, quòd omnis ille, & ſolus ille, qui poteſt de jure teſtari, poteſt et codicillari; qui verò non poteſt de jure teſtari, nec poteſt codicillari. *c. de codicil. nec codicillos.* ideò dixi *de jure*, quia ſi aliquis de facto non poteſt teſtari, eò quòd non habet ſeptem teſtes, habet tamen quinque, qui ſufficiunt codicillis, poterit codicillari. ff. *de le.* 3. *l. fideicommiſſa. §. quoties.*

ARTICVLVS III.

Quando fieri poſſunt codicilli?

CIrca tertium, ſcilicet quando poſſunt fieri codicilli, ſciendum, quòd poteſt quis codicillos facere ante teſtamentum, & poſt, & omnes valebunt, niſi ſecundus contradicat primo. *c. e. cum proponatis.* undè licèt quis teſtamentum nec fecerit, nec facturus ſit, ſed ſit moriturus ab inteſtato; poteſt tamen codicillos facere, in quibus legata, vel fideicommiſſa relinquat, quæ tenebuntur ejus hæredes, venientes ab inteſtato præſtare; & ſic patet, quod ab inteſtato poſſunt fieri codicilli, *inſti. e. §. non tantùm autem.*

ARTICVLVS IV.

In quibus conveniant Codicilli, & teſtamentum?

SCiendum, quòd teſtamentum, & codicillus conveniunt primò, in diſponente, quia cui prohibetur teſtari, prohibetur codicillari, ut dictum eſt ſupra. Secundò, quia utrumque fieri poteſt nuncupativè, & in ſcriptis. *c. de bo. libe. l.* 2. Tertiò, quia eiſdem modis, quibus infirmantur teſtamenta, infirmantur & codicilli, niſi fiant ab eo, qui vult decedere inteſtatus, quia tunc non infirmantur à generatione poſthumi. *c. e. l.* 1.

ARTICVLVS V.

In quibus conveniant Codicilli, & Teſtamentum?

CIrca quintum, ſciendum, quòd teſtamentum, & codicillus differunt; Primò, quia in teſtamento fieri poteſt inſtitutio directa, & fideicommiſſaria, ſed in codicillis tantùm fideicommiſſaria; is enim qui codicillatur, poteſt hæredem præſenti teſtamento inſtitutum, ſive etiam legitimum, ideſt ab inteſtato venientem, per fideicommiſſum in codicillo rogare, ut alteri reſtituat hæreditatem. Invenitur tamen caſus, in quo directa inſtitutio facta, in codicillo trahitur ad fideicommiſſum, qui notatus eſt ſupra *titulo de effectu clauſulę finalis.* Secundò per codicillum non admittitur hæreditas hęredi inſtituto in teſtamento, niſi uno modo, ut ſi quis in teſtamento pluribus hęredibus inſtitutis; deindè faciat codicillum, in quo dicat, unum ex hęredibus ſuis, ſcilicet Titium non mereri voluntatem ſuam; tunc enim hęreditas aufertur à Titio utl indigno; in aliis tamen hęredibus inſtitutio tenet. ff. *de his quibus ut indignis. l. aufertur hæreditas.* Item & ſi dicat omnes non mereri voluntatem ejus, vel ſi filio uno inſtituto dicat eum non mereri, ff. *de adime. le. l. divi Severus, & Antonius.* Sed licèt ita ſit de hæreditate legata, tamen & fideicommiſſa in pręſenti teſtamento, vel codicillo relicta, poſſunt in ſequenti codicillo adimi, & transferri, & eis poteſt addi, & detrahi. *inſti. de ademp. lega. per totum.* Tertiò, exhęredatio fit in teſtamento, non autem in codicillo. *inſti. e. §. codicillis.* Quartò, hæredi purè inſtituto in teſtamento non poterit adjici conditio in eo, quę obſit ſibi, in codicillo ſic. *inſti. e. §. & directo.* Quintò, quia hæredi inſtituto in teſtamento non poteſt fieri ſubſtitutio directa, in codicillo benè, licèt ſi facta fuerit, trahatur ad fideicommiſſariam; videtur enim teſtatorem rogaſſe inſtitutum, hęreditatem illi reſtituere, quem in codicillo ſubſtituit. ff. *ad trebell. ſcevola.* Sextò, quia in teſtamento requiruntur regulariter ſeptem teſtes, & rogati, ſed in codicillo ſufficiunt quinque non rogati. *c. e. l. ult.* in codicillo etiam mulier eſt idoneus teſtis, licèt ſecùs ſit in teſtamento. ff. *de teſta. & qui teſta. l. qui teſtamento. §. mulier in teſtamento.* Septimò, quia nemo poteſt decedere duobus teſtamentis relictis, ita quod teneat utrumque, ſed benè poteſt quis decedere pluribus codicillis relictis, & omnes tenebunt. ff. *de jure codicil. l. divi Sever.* Octavò, quia ſi quis dum eſſet filiusfamilias in teſtamento, vel ſecundùm fideicommiſſum in codicillo reliquerit, & poſtea paterfamilias deceſſerit eadem volun-

Digitized by Google

voluntate durante, valebunt codicilli, hoc autem eſſe non poteſt in teſtamento. ff. *de lega.* 3. *l.* 1. §. *filiusfamilias.*

ARTICVLVS VI.

De Forma Codicillorum.

CIrca quod notandum, quòd forma codicilli facti ante teſtamentum, vel facti, nullo ante, vel poſt, condito teſtamento eſt talis; A. per Dei gratiam mente, & corpore ſanus, vel mente ſanus, licèt corpore languidus, volens hac particulari diſpoſitione providere ſuę ultimę voluntati, præſentes infraſcripto modo condidit codicillos. Primò elegit ſepulturam ſuam apud talem Eccleſiam. Item pro anima ſua reliquit &c. & ad hæc exequenda voluit eſſe ſuos fideicommiſſarios tales. Item reliquit dominæ Bertæ uxori ſuæ dotes ſuas, quæ fuerunt centum libræ. Item reliquit eidem de bonis ſuis jure legati decem libras. Item legavit tali amico ſuo quinque libras; Et ſic legata, & fideicommiſſa prout teſtator voluerit, diſponere poterit.

Si autem ſubſtitutionem fideicommiſſariam facere velit, dicetur ſic: Inſuper hæredes ſuos legitimos, ideſt ab inteſtato ei ſuccedentes rogavit per fideicommiſſum his præſentibus, ut ipſam hæreditatem, vel talem ejus partem reſtituant Petro. In fine verò ita concludit: & hanc ſuam ultimam voluntatem aſſeruit eſſe velle, quam valere voluit jure codicillorum, vel cujuſcumque alterius ultimæ voluntatis, qua meliùs valere poteſt, & eam ab omni hærede ſuo firmiter, & inviolabiliter obſervari.

Si verò fiat codicillus poſt teſtamentum dicetur ſic: Verùm eſt A. teſtamentum ſuper bonorum ſuorum diſpoſitionem feciſſe, manu mei, vel talis Notarii ſcriptum; ſed quia voluntas hominis eſt deambulatoria uſque ad extremum vitæ, ideò A. poſt teſtamentum prædictum voluntate circa quędam mutata deliberato conſilio præſentes ſuper ultimo velle ſuo condidit codicillos. Primò namquè legatum decem librarum, quod in ipſo teſtamento Petro reliquerat, his præſentibus codicillis ademit, & ſubtraxit eidem. Item de alio legato quindecim librarum, quas ipſe tali reliquit in ipſo teſtamento, ademit eidem decem libras. Item tali, cui legavit in ipſo teſtamento quindecim libras, addidit alias quindecim. *extra. de teſta. c. Rainaldus.* §. *cæterum.*

Si autem fideicommiſſariam ſubſtitutionem facere voluerit, dicetur ſic: Prætereà C. quem ſibi hæredem in dicto teſtamento inſtituit, his præſentibus codicillis rogavit per fideicommiſſum, ut ipſam hæreditatem, vel talem ejus partem reſtituat Petro. Si verò alicui de pluribus hæredibus inſtitutis hæreditatem adimere velit, ſic dicetur: Inſuper unum ex hæredibus ſuis, ſcilicet B. dixit, & declaravit non mereri voluntatem ſuam. Poſtea omnibus codicillaribus diſpoſitionibus ordinatis infertur ſic: In cæteris autem in ipſo teſtamento contentis ipſum teſtamentum pleniſſimè confirmavit, & hanc ſuam ultimam voluntatem &c. ut ſupra.

Si verò fiat codicillus poſt teſtamentum, & codicillum, vel codicillos, dicetur ſic: Verum eſt A. feciſſe teſtamentum ſcriptum manu mei Notarii, vel talis Notarii, & poſt ipſum teſtamentum feciſſe codicillum ſcriptum manu talis Notarii; quia tamen ubi ſuadet ratio, liberum eſt uſque ad finem vitæ mutare conſilium, idem A. iterum præſentes addidit codicillos, in quibus reliquit pro anima ſua &c. De legatis poterit etiam in codicillis filiis ſuis pupillis de tutore, vel tutoribus providere, vel eos de novo conſtituendo, eò quòd in alia ultima præſenti voluntate de illis nullam fecit mentionem, vel aliquid prioribus addendo. In fine autem dicetur ſic: Cętera verò in ipſis teſtamento, & codicillis præſentibus contenta appobavit, & confirmavit, & hanc ultimam ſuam voluntatem &c. ut ſupra.

TITULUS XXXV.

De Succeſſionibus ab inteſtato.

DEinde conſiderandum eſt de ſucceſſionibus ab inteſtato, ubi

Primò, videndum eſt, quot, & quibus modis dicitur quis ſuccedere ab inteſtato?

Secundò, quibus ab inteſtato hæreditas deferatur?

Tertiò, in ſpeciali de ſucceſſionibus Clericorum, qui decedunt inteſtati. Quare ſit

ARTICULUS I.

Quot, & quibus modis quis dicatur ſuccedere ab inteſtato?

CIrca primum ſciendum, quòd ſex modis poteſt quis dici decedere inteſtatus. Primò, ſi moriens nullum fecit teſtamentum, vel quia noluit, vel quia non potuit, vel quia filiusfamilias, vel pupillus erat, vel aliquod ſimile juris impedimentum habebat. Secundò, quia etſi teſtamentum fecit, non tamen juris, quia ſcilicet non habuit legitimum numerum teſtium legitimorum, vel defuit alia ſolemnitas legitima. Tertiò, quia ſi teſtamentum fecit, illud tamen poſtea factum eſt ruptum, ſcilicet poſthumi generatione, vel irritum, ſcilicet per capitis diminutionem teſtatoris. Quartò, ſi teſtamentum ex omni parte ſit legitimè factum, nullus tamen ex eo hęres apparet, quia ſcilicet vel inſtitutus eſſe noluit, vel vivo teſtatore, aut etiam ante aditam hæreditatem deceſſit, vel conditio ſub qua inſtitutus erat, defuit. Probantur autem iſti quatuor modi. *inſtit. de hære. quæ ab inteſta. defe. in prin.* Quintò, ſi filius nominatim, & cum cauſa

Digitized by Google

cauſa legitima ſit exhæredatus, ſed poſt mortem teſtatoris propoſita quærela inofficioſi teſtamenti & hærede cauſam ingratitudinis non probante, teſtamentum per ſententiam eſt reſciſſum. Sextò, ſi teſtamentum de jure prætorio per tabulas reſcindatur, & his duobus ultimis modis dicitur quis ex poſt facto teſtamento decedere inteſtatus. *c. de colla. ut liberis.* Inſuper nota, quòd non videtur decedere inteſtatus, vel ſine liberis, qui reliquit Eccleſiam hæredem. *extra. de pro. hæ. in præſentia.*

ARTICULUS II.

Quibus ab inteſtato hæreditas deferatur?

SCiendum, quòd ſi quis deceſſerit inteſtatus, & relinquat filios legitimos, & naturales, vel eos, qui legitimorum loco adoptati ſunt, ipſi filii tam feminæ, quàm maſculi, tam emancipati, quàm ſervi, tam poſthumi, quàm nati, tam in monaſterio, quàm in ſæculo ad hęreditatem æquis portionibus admittuntur, excluſis omnibus aſcendentibus, & collateralibus ipſius defuncti, quia liberi uſque ad infinitum cæteris præferuntur. *inſtit. de hær. quę ab inteſt. de* §. 1. Sed ſi cum prædictis filiis relinquat etiam nepotes ex conſimilibus præmortuis liberis natos, ipſi nepotes cum ſuis patruis, & amicis admittuntur; patrui tamen, & amici in capita, nepotes verò in ſtirpes admittentur; & hoc eſt verum etiamſi ſint in gradu quarto conſtituti. Idem dicendum eſt, quando ſuperſunt ſoli nepotes, & deinceps, quia tunc etiam vocantur in ſtirpes. *inſti. de hæ. quæ ab inte.* §. *cum filius. & pluribus aliis.* Si autem moriens inteſtatus relinquat aſcendentes legitimos, tunc vocabuntur primò pater, & mater, vel alter eorum, qui ſupereſt, indè excluſis cæteris aſcendentibus; ſi verò nec pater, nec mater ei ſuperſit, tunc vocabuntur alii aſcendentes gradus proximioris, tam patrum, quàm matrum, ut paternis quædam legitima, maternis verò alia legitima debeatur, licèt diſpar ſit eorum numerus; & hoc quando in eodem gradu concurrunt ſimul patrum, & matrum; aliter is, qui proximior eſt defuncto, ſive paternus, ſive maternus fuerit, admittatur. Si autem nullus deſcendentium, vel aſcendentium ſuperſit, ſed ſuperſunt tantùm collaterales, tunc vocabuntur in capita primò fratres, & ſorores ex utroque parente conjuncti defuncto, & etiam conſimilium fratrum, & ſororum præmortuorum filii, licèt in ſtirpes.

Sed numquid cum fratribus vocabuntur nepotes, ideſt filii alterius fratris? Videtur quòd ſic, quia nomine filiorum continentur etiam nepotes. ff. *de ver. ſig. liberorum appellatione;* Sed dicendum eſt contrarium, ſecundùm Guil. quia hoc privilegium datum eſt filiis, undè non tranſit ad alios. ff. *quod cum eo. qui in aliena po. eſt l. ſed ſi.* Si verò prȩmortuorum omnium fratrum, & ſororum filiis prȩdictorum, ſoli ſine patruis, & amicis ſupereſſent; tunc ſecundùm Azo. & Hoſtien. vocarentur in capita, non in ſtirpes, licèt ſecùs ſit de nepotibus natis ex filiis, ut dictum eſt ſupra. §. *ſed ſicut prædictis.* undè tunc excluderentur fratres, & ſorores ex uno tantùm parente conjuncti defuncto, & conſimilium fratrum, & ſororum filii.

Si verò inteſtatus tantùm relinquat fratres, & ſorores ex altero parente ſibi conjunctos, ipſi ad ejus ſucceſſionem admittentur, & cum eis conſimilium fratrum, & ſororum filii in ſtirpes; ſi autem hujuſmodi ab inteſtato decedenti nullus omninò ſuperſit frater, ſive ſoror, ſive ex utroque, ſive ex altero parente conjunctus, vel nullus ex eorum libertis, ſed ſuperſint ei alii collaterales, tunc qui prior eſt ex eis in gradu, potior eſt in ſucceſſione, ſublata omni differentia ſexus, patrię poteſtatis, & cognationis; & ſuccedunt in capita.

Si verò is, qui moritur inteſtatus, ſimul relinquat parentes, & fratres, tunc pater, vel mater, vel alter eorum, qui ſupereſt, aut eis præmortuis avus, & avia, vel quilibet alter aſcendentium proximior defuncto fratres, & ſorores ex utroque parente conjuncti defuncto, pariter & æquis portionibus in capita vocabuntur, cum quibus & conſimilium fratrum & ſororum prȩmortuorum filii ſuccedunt in ſtirpes, excluſis fratribus, & ſororibus ex altero tantùm parente conjunctis; hi enim fratres ab aſcendentibus repelluntur: Probantur hæc *in aut. de hære. ab inteſt. ve. & in aut. ut fratrum filii. coll.* 9. & intellige illum parentem eſſe gradu proximiorem, quem nullus prȩcedit, ideſt inter quem, & defunctum nullus medius erat. ff. *de ver. ſig. proximus eſt quem.* Si quis autem relinquat aliquos fratres uterinos tantùm, & aliquos conſanguineos, certè in rebus paternis præferuntur fratres conſanguinei, in maternis verò uterini; in aliis verò bonis vocabuntur communiter. Qui verò ex utroque parente ſunt, cùm utriſque admittentur, ut *c. de le. hæ. emancipatis. in fine. & c. communia. de legatorum ſuc. l. ſi. ſecundùm Azo.* Sed Lau. Fran. Cremon. dicit, quòd indiſtinctè admittentur, & ſi non ſuperſint fratres ex utroque latere, ut *c. communia. de lega. ſuc. l. ſpeciale. aut itaque.* & hoc in allodiis, nam in feudalibus de conſuetudine in multis regionibus ſententia Azo. vendicat locum, ut dicit Hoſtien. Hęc dicta ſunt de fratribus naturalibus, et legitimis.

Sed quid de naturalibus tantùm?

Reſpondeo ſecundùm Azo. ſuccedunt ſibi invicem *inſti. de ſuc. cogna.* §. *vulgo.* Sed Hoſtien. contradicit *in aut. quib. mo. na. effi. ſui.* § *filium. coll.* 7. Deficientibus autem omnibus tam aſcendentibus, quàm deſcendentibus, et etiam collateralibus, ſuccedit vir uxori; et è converſo. *in aut. de hære. ab inte. ve. in prin.* quibus ſuccedit fiſcus, ut patet *li. 10. c. de bonis vacan. & de incor. l. 1. & l. 4.* hoc eſt verum, niſi pactum, vel conſuetudo prȩjudicet ſecundùm

dùm Hoſtien. Item ſi matrimonium ſit ſine dote, aut donatione propter nuptias, et conjux præmoriens ſit dives, ſuperſtes verò pauper, ſuccedet illi cum liberis communibus alterius matrimonii in quarta, ſi ſint tres liberi, vel pauciores; ſi verò ſint plures, ſuccedet in virilem, ideſt ęqualem portionem, ita tamen quod ſi habeat liberos ejuſdem matrimonii proprietatem eis conſervet; illis autem non extantibus dominium habebit. *c. undè vir. & uxor. aut. præterea.* Et idem eſt ſi non ſuperſint liberi, ſed aſcendentes ſecundùm Accur. Similiter cùm vir ſine cauſa dimittit uxorem, uxor habere debet quartam partem in bonis viri. *c. de repu. mariti* § 1. hæc Ber. *extra. de teſt Rainucius.*

Item condemnati pro crimine ad mortem, deſcendentes, et aſcendentes uſque ad tertium gradum ſuccedunt in bonis eorum; ſi verò uxores habent, illæ et dotem, et donationem propter nuptias accipient; ſi verò prædictorum neminem habent, eorum bona fiſco cedent propter crimen leſæ majeſtatis, in quo bona eorum confiſcantur. *in aut. ut nulli judi.* § *fi. coll.* 9. Item ſi quis moriens donationem facit in menſura, ille qui ſuccedere debet, revocare non poteſt donationem illam, niſi quantùm ſufficit ad quartam. *c. de inoffi. teſta. l.* 1. Quærela autem de inofficioſa donatione non datur, niſi quibus neceſſe eſt aliquid relinqui. *c. de inoffi. donatio ſi totas* Presbyter autem non tenetur aliquid legare de ſuis propriis, niſi velit; ideò hæc quærela non habet locum in eis. Hæc Ber. *extra. e. c. fi.*

Ad hoc nota, quòd filiofamilias inteſtato morienti habenti caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe peculium ſuccedent filii ejus legitimi, excluſis omnibus aliis; etſi liberi non ſuperſint, vocantur aſcendentes propinquiores. et cum eis fratres utrinque conjuncti defuncto. Filiofamilias verò habenti adventitium, ſcilicet in jure, quòd habebat in adventitio, eodem modo, et ab eiſdem ſucceditur modo, quo dictum eſt. *inſti. qui. non ſi permis. fa teſt.* §. *ſi verò inteſtati.* Qualiter autem, et in quanto ſuccedant ab inteſtato liberi naturales, et eis ſuccedatur, infra dicetur *in tractatu de matrimonio. tit. de filiis.*

ARTICVLVS III.

De Succeſſionibus Clericorum, qui decedunt inteſtati.

NOta, quòd omnes Clerici poſſunt in vita, et in morte facere quidquid placet eis de rebus illis, quæ obvenerunt ipſis intuitu perſonæ. Si verò decedant inteſtati, tunc diſtingue, quia aut certum eſt, quòd habebant aliquas res tales, aut dubium eſt; ſi ſit certum; aut tales res ipſorum ſunt diſtinctæ à rebus Eccleſię, et tunc ſuccedent conſanguinei ſecundùm ordinem prænotatum. 12. *q.* 2 *Si ſunt manifeſti.* aut ſunt permixta, et tunc, aut ſcitur, quę res fuerunt Clerici, et quę Eccleſiæ, et ſic etiam ſuccedunt conſanguinei; aut neſcitur, tunc ſecundùm Goſ. pręſumitur pro illo, qui eſt in poſſeſſione rei, de qua eſt quęſtio; undè ſi Eccleſia poſſidet, incumbet hęredibus probatio; ſi hęredes, incumbet Eccleſię. *ar.* 12. *q.* 4. *c.* 1. & 2. Secundùm verò Jo. et Ber. *extra. e. ſancto.* in hoc caſu peculium dividi debet in quatuor partes, quarum una erit Epiſcopi, ſecunda Eccleſię, in qua adminiſtraverat, tertia pauperibus dabitur, quarta erit parentum, ſi ſint idonei; ſi verò non ſint idonei, putà quia ſunt hęretici, tunc Epiſcopus illam in utilitatem Eccleſię diſtribuet, ut *in d. c. ſancto.*

Sed contra hoc eſſe videtur. 12. *q.* 4 *c.* 1. ubi dicitur, quòd ſi dubium eſt, ęqualiter dividetur inter Eccleſiam, et hęredes?

Reſpondet Ber. ſecundùm Lau. quòd *c. ſancto.* intelligitur de Presbyteris illis, qui ex ſervis facti ſunt Presbyteri; et ſic parentes non erant idonei, cùm eſſent ſervi, et ſic acquirere ſibi poſſent; undè quòd dicitur *ſi ſunt idonei*, ſubaudi, quia ſunt manumiſſi; ſed illud aliud *c.* loquitur in alio caſu. Dicit etiam Ber. quòd non credit, quòd hodie talis diviſio locum haberet; imò quod in hujuſmodi rebus conſanguinei ſuccederent. 12 *q. ulti. c. ulti.* Si autem ſit dubium, utrum habuit aliquas res proprias, totum vendicabit Eccleſia, quia pro eis pręſumitur, niſi contrarium probetur. *ar.* 12. *q.* 3. *quicumque.* ff. *de rebus dubiis. civilibus.* & *l. ubi eſt. verborum.*

Quid ſi Clericus ab inteſtato decedens fuerit in pluribus Eccleſiis beneficiatus?

Reſpondeo, bona ejus ſi non habeat cognatos, diſtribui debent inter eas pro rata beneficiorum, quę obtinuit in eiſdem. *extra de teſta. relatum.* 2. §. *ult.* ut ſcilicet plus ei detur, à qua plus recepit. Et ſecundùm Ber. ibidem attendendum eſt, utrum ſervierit uni magis, quàm alteri. *ar. extra. de ſen. c.* 1. & *extra. de præben. cùm ſecundùm Apoſtolum.* ubi dicitur, quòd qui Altari ſervit, de Altari vivere debet; ergò ſi non ſervivit, vel parùm ſervivit, plus ei reſtitui debet. Hęc Ber.

Ad hoc nota, quòd ſi Clericus uxoratus non habens cognatos inteſtatus decedat, uxor ei ſuccedit in propriis bonis, & præfertur Eccleſiæ. *c. de epi. & cle. ſi quis.* Deficientibus autem cognatis, & uxore, ſuccedit Eccleſia, quaſi fiſcus. *extra. e. c.* 1. niſi Eccleſia eſſet ſibi ingrata, tunc enim non ſuccederet ſibi. *c. de inoffi. teſta. liberi.* ubi mater excluditur à poſſeſſione filii propter ingratitudinem commiſſam erga filium. Hæc Guil. & Ber. *extra. de poſtula. cum Sacerdotis.*

Sed quid intelligitur hic nomine Eccleſiæ?

Reſpondet Hoſtien. quòd intelligitur ille, à quo beneficiatus erat, ubi Eccleſiam, vel certum beneficium non habebat; aliàs intelligitur ſucceſſor, ut *extra. de teſta. relatum.* 2. §. *nomine Eccleſiæ.* & *c. requiſiſti.* §. *fi.* ideòque Rector

ctor

ſtor Eccleſiæ bona ſucceſſoris debet habere, nec ea debet Epiſcopus occupare, aliàs furti crimine irretitur. 10. *q.* 2. *c. ſi.*

TITULUS XXXVI.

Ad quid hæres teneatur?

POſtea conſiderandum eſt ad quid hæres teneatur?

Circa quòd ſciendum, quòd hæres tenetur ad totum illud, ad quod defunctus tenebatur, quia ut dictum eſt ſupra, hæreditas eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod habuit defunctus; habita tamen diſtinctione, an fecerit inventarium, vel non; an adierit hæreditatem, vel non, quod ſolius animi eſt. ff. *de acqui. hære. pro hærede.* Tenetur etiam hæres defuncti voluntatem implere. 13. *q.* 2. *ultima voluntas.* Tenetur autem hæres, ſive filius extraneus omnia debita defuncti ſolvere, ſive ſint ex contractu, ſive quaſi; ſive ex maleficio, ſive quaſi; ſive res, pro qua debitum fuit contractum, ad ipſum hæredem pervenerit, ſive non; ſive lis fuerit cum defuncto conteſtata, ſive non; & hoc de jure canonico 16. *q.* 6. *ſi epiſcopum.* & *extra. de pigno. ex literis.* & *de ſol. c.* 1. Secundùm Inno. Lau. Jo. & Ray. & Hoſtien. videntur eſſe ſententiæ hujuſmodi, licèt Alanus diſtinxerit de maleficiis, utrum lis conteſtata fuerit cum defuncto, vel non. *per l. c. ex delictis. defuncto. l. u.*

Quid ſi non ſufficiat hæreditas ad debita ſolvenda?

Reſpondeo. Diſtingue ſecundùm leges, an fecerit inventarium vel non; ſi ſic, non tenetur ultra vires hæreditatis; ſi non, tenetur. *c. de jure delibe. l. cum antiquioribus. §. ideoque ſancimus.* Et idem videtur ſecundùm jus canonicum. *extra. de teſta. Rainaldus. §. pe. & ſi.* In judicio autem animæ ſecundùm Hoſtien. & Ray. non tenetur ultra quam ad eum pervenenerit de ipſa hæreditate, licèt poſſet imputari ſibi quoad falcidiam detrahendam.

Sed quibus ſatisfaciet primò?

Reſpondet Hoſtien. quòd primò debitoribus; ſecundò, damna paſſis in foro contentioſo, & hoc inſolidum ſine aliqua detractione; tertiò legatariis, & aliis, qui cauſam lucrativam proſequuntur detracta falcidia, ſi neceſſe fuerit de legatis, quia in illa gravari non potuit, *in aut. de teſ. §. pe. coll.* 8. & *extra. de teſta. Rainucius.* & *c. Rainaldus.* & hoc ſi fecit inventarium; Si verò non fecit, tenetur etiam in utroque foro inſolidum ipſa legata ſolvere, in quantùm hæreditas patitur; non enim tenetur ultra in judicio animæ, ut etiam prædictum eſt in præcedenti quæſtione; & ſic etiam intelligi poteſt, quòd ibidem de inventario dicitur; ſed & primis debitoribus primò ſatisfieri debet; ſecundò ſecundis; & ſic per ordinem; ita tamen quod ratio privilegiatorum habeatur, & hoc ſi ſimul veniunt creditores, & legatarii; nam ſi ſeparatim liberatur hæres per ordinem ſolvendo cuilibet venienti, dum tamen ſit ſine dolo, quia ſcilicet non eſt facti conſcius, nec aliquid de hæreditate ſubtraxit, in quo caſu reſtituere tenetur in duplum illud, quod celavit, aliter non tenetur de proprio ſatisfacere ſecundò venientibus, licèt eſſent potiores in jure; qui tamen actionem habent contra creditores poſteriores, vel legatarios, quibus jam ſatisfactum eſt; & nihilominus contra hæredem, ſi penès eum aliquid de hæreditate remanſit, deductis tamen omnibus expenſis neceſſariis, quas fecit occaſione hæreditatis, ſive cauſa funeris, ſive cauſa inventarii conficiendi, vel alia conſimili; & breviter ſicut non facit lucrum, ubi hæreditas non eſt ſolvendo, ita non debet gravari in aliquo; probantur hæc omnia. *c. depoſ. l. ſi.* Si tamen hæres prædictum ordinem in ſolvendo mutaverit, non abſolvitur in foro conſcientiæ, niſi faciat hæc ignoranter credens hæreditatem ad omnia ſolvenda ſufficere, vel neſciens hunc potiorem eſſe; de hoc ſupra. *tit. de uſu. art.* 7. *q. ſed quorum. & q. ſed numquid primus. & q. ſequenti.* Licèt autem obligatio ſic tranſeat ad hęredem, pæna tamen perjurii, vel voti facti, & quodlibet aliud, quod ex ſua vi, vel forma non poteſt excedere perſonam ſingularem, non tranſit ad hęredem, ſic intellige. 7. *q.* 1. *denique.* & *extra. de jureju. veritatis.* Hæc Hoſt. & Ray.

Sed qui ſunt inter creditores potiores?

Reſpondeo. Potiores ſunt illi, qui habent pignora, ſcilicet ut ſolvatur eis quantùm valet pignus, quàm qui habent perſonales tantùm actiones. Inter verò creditores hypothecarios, prior in tempore eſt potior in jure, niſi in quibuſdam caſibus ſpecialibus, qui ſolent notari. *c. qui po. in pi. hà. l. ſi decreto Prætoris.* Inter verò habentes actiones perſonales tantùm æſtimantur privilegia non ex tempore, ſed ex cauſa, ſcilicet fiſcus, & mulier in dote præferendi ſunt cęteris non privilegiatis. Item actio tutelæ, & actio depoſiti ſimiles ſunt privilegiatę, ut ſcilicet priùs debitum ſolvatur, quàm quod debetur ex aliis actionibus non privilegiatis; hoc autem ſolet notari pleniùs. *c. de bo. au. ju. poſ. l.* 1. & *l.* 4.

Quid ſi ſint plures hęredes, numquid quilibet creditoribus inſolidum obligatur?

Reſpondet Ray. & Hoſt. quòd non, ſed proportionabiliter tantùm. *c. de hære. ac l.* 1. & 2. Excipiuntur tamen caſus, in quibus inſolidum quilibet obligatur. Primus eſt, ſi aliquod individuum eſt in obligatione, ut ſi teſtator promiſit, ſe opus aliquod facturum. ff. *de ver. ob in executione.* Secundus, ſi res quę reſtitui debet ab uno inſolidum poſſideatur. *c. de hære. ac l.* 2. In his enim caſibus hęres inſolidum tenetur. Tertius, ſi alimenta ſint legata, tunc enim pro voluntate defuncti, vel judicis peti poſſunt ab uno inſolidum, vel à pluribus pro

partibus deſignatis. ff. *de alimen. le. l.* 3. Quartus, ſi teſtator ab uno herede legaverit creditori hereditariè compenſandi animo, tunc enim heres ille uſque ad quantitatem debiti ſaſtinebit onus legati. ff. *de le.* 2. *cum ab uno.* Quintus, in expenſa funeris uxoris, quę non tantùm aſtringit hæredes pro portionibus hereditatis, ſed virum pro portione, quę ad eum pervenit. ff. *de re. & ſump. fu. quoties.* Hęc Hoſt. & Ray.

Quid ſi heres ſit pupillus, numquid prętextu pupillaris ętatis differetur ſolutio debitorum?

Reſpondet Hoſt. & Ray. quòd non, dummodo habeat tutorem. *c. de ha. ac. ſub prætextu*, Si tamen tutor debitum quando non debebat ſolvere, ſolverit, reſtitutio competit. *c. ſi adverſus ſolutionem. l.* 1.

TITULUS XXXVII.

De Suffragiis Defunctorum.

Viſo de teſtamentis, in quibus teſtatores ſolent aliqua legare pro ſuffragiis poſt mortem eorum pro animabus fiendis, conſequenter conſiderandum eſt de ſuffragiis defunctorum, &

Primò, in generali, utrum ſuffragia facta per unum valere poſſint aliis?

Secundò, quorum ſuffragia proſint defunctis?

Tertiò, quibus ſuffragia proſint?

Quartò, quę ſuffragia proſint eis?

Quintò, quantùm proſint? undè ſit

ARTICVLVS I.

Utrum ſuffragia facta per unum poſſint valere aliis?

Reſpondeo quòd ſic, undè Pſalm. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Ad cujus evidentiam ſciendum, quòd actus noſter ad duo valere poteſt: primò, ad aliquem ſtatum acquirendum, ſicut per opus meritorium homo acquirit ſtatum beatitudinis; ſecundò, ad aliquid conſequens ſtatum, ſicut homo per aliquem actum meretur aliquod præmium accidentale, vel dimiſſionem pœnæ. Ad utrumque autem horum actus noſter dupliciter valere poteſt, uno modo per viam meriti, alio modo per viam orationis; & eſt differentia inter iſtas duas vias, quia meritum innititur juſtitiæ, oratio miſericordiæ; quia orans impetrat petitum ex liberalitate ejus, qui oratur. Dicendum ergo, quòd opus unius nullo modo poteſt alteri valere ad conſequendum ſtatum per modum meriti, ut ſcilicet ex his, quæ facio, aliquis mereatur vitam æternam, quia ſors gloriæ redditur ſecundùm menſuram accipientis; unuſquiſque autem ex actu ſuo diſponitur, & non ex alieno; & hoc dico de diſpoſitione dignitatis ad præmium; ſed per viam orationis etiam quantùm ad ſtatum conſequendum, opus unius, alteri dum eſt in via valere poteſt, ſicut cùm unus homo alteri impetrat primam gratiam. Cùm enim impetratio orationis ſit ſecundùm libertatem Dei, qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis ſe poteſt extendere, quæ poteſtati divinę ſubſunt ordinatè; ſed quantùm ad aliquid, quod eſt conſequens, vel acceſſorium ad ſtatum, opus unius poteſt alteri valere non ſolùm per viam orationis, ſed etiam per viam meriti; quod quidem dupliciter contingit. Uno modo propter communicationem in radice operis meritorii, quæ eſt charitas, & ſic omnes, qui invicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant, ſecundùm menſuram ſtatus uniuſcujuſque; quia unuſquiſque in patria gaudebit de bonis alterius; & inde eſt, quòd articulus fidei ponitur: Communionem Sanctorum. Alio modo ex intentione facientis, ut cùm quis aliqua opera ſpecialiter ad hoc facit, ut talibus proſint; undè iſta opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quaſi eis à faciente collata; undè poſſunt eis valere, vel ad impletionem ſatisfactionis, vel ad aliquid hujuſmodi, quod ſtatutum eorum non mutat.

ARTICULUS II.

Quorum Suffragia proſint defunctis?

Circa hunc Articulum quæruntur hæc, ſcilicet

I. *Utrum mortui poſſint juvari ex operibus vivorum?*

II. *Utrum ſuffragia per peccatores facta proſint?*

Circa igitur primum dico, quòd ſic, quia hoc patet per illud 2. *Mach.* 12 *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio &c.* Charitas namque, quæ eſt vinculum Eccleſiæ membra uniens, non ſolùm ad vivos ſe extendit, ſed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt; charitas enim cum vita corporis non finitur. 1. *Corint.* 13. *charitas numquam excidit.* Similiter etiam mortui in memoriis hominum vivunt, & ideò intentio viventium ad eos dirigi poteſt; & ſic ſuffragia mortuis dupliciter proſunt, ſicut & vivis, ſcilicet propter charitatis unionem, & propter intentionem ad eos directam; nec tamen ſic eis valere credenda ſunt vivorum ſuffragia, ut dictum eſt, ſcilicet ut ſtatus eorum mutetur de miſeria ad felicitatem, vel è converſo; ſed valent ad diminutionem pœnæ, ſeu mitigationem & abbreviationem, vel aliquid hujuſmodi, quod ſtatum mortui non tranſmutat, quia ut dicit *Aug. in ench. c.* 15. dum in hac vita viverent, meruerunt, ut hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent.

Nec obſtat illud 2. *Corint.* 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit,*

ſit, *ſive bonum, ſive malum*; quia propria corporis dicuntur quæcumque in corpore meruit, ſive merito abſoluto, ſive conditionali; ſic autem quicumque deceſſit, meruit juvari per ſuffragia Eccleſiæ ſi fiant, quòd nihil aliud fuit, quàm facere ſe habilem ad recipiendum ea, ſi pro eo fierent. Vel propria alicujus dicuntur dupliciter, vel verè quæ ipſe facit, vel interpretative quæ alius facit pro eo; vel ſecundùm Dam. *lib. quodam de ſuffragiis mortuorum*, illud intelligitur quantùm ad retributionem, quæ fiet in finali judicio, quæ erit æternæ gloriæ, vel æternæ miſeriæ, in qua quilibet recipiet tantùm ſecundùm quod in corpore geſſit; interim autem juvari poſſunt vivorum ſuffragiis.

Nec obſtat illud *Eccle.* 9. ubi dicitur de mortuis, quòd non habent partem in opere, quod ſub ſole geritur; quia hoc pro tanto dicitur, quia mortui tali opere non cooperantur; habent tamen partem in fructu operis propter rationem prædictam.

Circa verò ſecundum reſpondeo, quòd in ſuffragiis, quæ per malos fiunt, duo poſſunt conſiderari; primò, ipſum opus operatum, ſicut ſacrificium altaris; & quia noſtra ſacramenta ex ſe ipſis efficaciam habent abſque opere operantis, quam æqualiter explent per quoſcumque fiant; ideò quantùm ad hoc ſuffragia per malos facta defunctis proſunt. Secundò, ipſum opus operans, & ſic diſtingue, quia ſuffragium poteſt fieri per malum dupliciter; vel ut actor eſt, & ſic non proſunt, niſi fortè ex conſequenti, & per accidens, in quantùm ſcilicet per eleemoſynas mali hominis, boni pauperes excitati orant pro defunctis illis, pro quibus ille malus eis dedit; vel ut per miniſtrum, & hoc dupliciter, vel quia facit ut miniſter publicus Dei, vel Eccleſiæ; ſicut Sacerdos, qui celebrat exequias mortuorum; & talia ſemper proſunt, quia malitia miniſtri non nocet operi boni actoris; vel ut miniſter privatus, ſcilicet privatæ perſonæ; aut ergò ad mandatum perſonæ exiſtentis in charitate ſive defuncti, ſive alterius; & etiam ad conſortium exiſtentis in charitate, ut cum duo legunt Pſalmos ſimul, unus bonus, alter malus, & talia proſunt; undè ſi aliquis in charitate decedens præcipiat ſibi ſuffragia fieri, valent ipſi defuncto, licèt illi per quos fiunt, ſint in peccato; ſi tamen in charitate eſſent, magis eis valerent, quia tunc ex duabus partibus meritoria eſſent; aut ad mandatum perſonæ non exiſtentis in charitate; aut ergo non erat in charitate, quando mandavit fieri, aut quando opus mandatum eſt executioni; ſi primo modo, tunc illa opera defunctis non proſunt, pro quibus fiunt, licèt ſit in charitate pro tempore, quo illa opera mandantur executioni, niſi tunc illa iterum fieri mandet, & demandationem factam de novo acceptet, quia non ſunt ejus opera, niſi in quantùm mandat, vel acceptat fieri illa; aut erat in peccato mortali, quando mandantur opera illa executioni, erat tamen in charitate, quando præcepit illa fieri, & tunc defunctis proſunt, pro quibus fiunt, quia maximè ſunt à præcipiente ratione illius actus voluntatis, quem habuit, quando ea fieri præcepit. Hæc Tho. 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 1. *q.* 3. *c.* & Pet. 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 1. *q.* 2. Ric. 4. *di.* 45. *q.* 2. *ar.* 4. *c.*

ARTICVLVS III.

Quibus ſuffragia proſint?

Circa præſentem Articulum quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum ſuffragia, quæ à vivis pro mortuis fiunt, facientibus proſint?*

II. *Vtrum recipienti multos ad participationem bonorum ſuorum ſua opera ſint minus utilia?*

III. *Vtrum ſuffragia proſint exiſtentibus in inferno?*

IV. *Vtrum ſuffragia vivorum proſint exiſtentibus in Purgatorio?*

V. *Quando conſequantur defuncti fructum ſuffragiorum?*

VI *Vtrum ſuffragia valeant pueris exiſtentibus in Limbo?*

VII. *Vtrum aliquo modo proſint Beatis?*

Circa primum reſpondeo, quòd opus ſuffragii, quod ab altero fit, poteſt dupliciter conſiderari. Uno modo in quantùm eſt expiativum pœnæ; & ſic non abſolvit facientem a debito pœnæ propriæ, quia in tali recompenſatione conſideratur æqualitas juſtitiæ; opus autem illud ſatisfactorium ita poteſt adæquari uni reatui, quòd non adequatur alteri; reatus enim duorum peccatorum majorem ſatisfactionem requirit, quàm reatus unius; proſunt tamen ei ad remiſſionem aliquam pœnæ per modum meriti de congruo, hoc eſt, quod dicunt aliqui, quòd quoad hoc proſunt ei ex gratia, non ex debito. Alio modo poſſunt conſiderari in quantùm eſt meritorium vitæ æternæ, quod habet in quantùm procedit ex radice charitatis; facere enim pro defunctis ſuffragia eſt opus charitatis, & virtutis; & ideò facienti eſt meritorium augmenti præmii ſui in vita æterna; & ſecundùm hoc non ſolùm proſunt ei, pro quo fiunt, ſed etiam facienti magis; undè Pſal. *Oratio mea in ſinu meo convertetur.* Hæc Tho. 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 1. *q.* 4. *c.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd non, quia plus confert ſibi illud opus charitatis ſcilicet receptio talis in bona ſua communicando, quàm ſibi detrahatur, etiam quoad pœnæ ſuæ remiſſionem, de fructu bonorum communicatorum; & bona etiam ſic communicata facienti ea in nullo ſunt minùs utilia, ſed magis quoad augmentum præmii in gloria. Hæc Ric. 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 3. *c. ad ultimum dictum opinionis oppoſitæ in ſi.*

Circa tertium reſpondeo, quòd non, & hoc

hoc patet primò auctoritate Eccleſiæ, quæ canit, quòd ibi nulla eſt redemptio. Dicit etiam Aug. *in ench. c. 65.* quod hujuſmodi opera pro valde malis facta nulla ſunt adjuvamenta mortuorum; ſunt tamen qualeſcumque ſolùtiones vivorum, propter quod ipſe dicit 4. *de civ. Dei*, quod ſi ſciret patrem ſuum in inferno, non oraret pro eo, ſicut nec pro diabolo. Secundò, patet hoc ratione triplici, quarum prima ſumitur ex parte culpæ, quia manente culpa, manet pœna: culpa autem non poteſt minui, vel etiam ad tempus ſuſpendi per ſuffragia Eccleſiæ, quare nec pęna. Secunda ex parte pęnæ, ſi enim minui poſſet per ſuffragia Eccleſiæ, aut quoad acerbitatem, aut quoad durationem; ſi primo modo cùm acerbitas non ſit infinita, per aliquot ſuffragia poterit totaliter tolli; ſi ſecundo modo, ergo pœna infinita poteſt minui, & finiri. Tertia ex parte charitatis communicativæ; ſuffragia enim communicantur virtute communis charitatis; damnati autem non ſunt membra Eccleſiæ, nec habent charitatem, quare ſuffragia Eccleſiæ ad eos non derivantur.

Sed objicitur contra prædicta illud Auguſt. *in ench. 6.* ubi dicitur, quòd quibuſdam ſuffragia, vel ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio; vel ad hoc, ut tolerabilior ſit eorum damnatio.

Reſpondeo, quòd in verbis illis damnatio largè ſumitur pro quacumque punitione, & ſic includit etiam pœnam purgatorii, quæ totaliter quandoque expiatur, quandoque autem non, ſed diminuitur.

Objicitur etiam, quòd in vitis Patrum legitur, quòd etiam Dam. in ſermone quodam refert, quòd Macharius invento in via calvaria capite cujuſdam defuncti, oratione præmiſſa, quæſivit cujus caput fuiſſet; & caput reſpondit, quòd fuerat Sacerdotis gentilis, qui in inferno fuerat damnatus, & tamen confeſſus eſt oratione Macharii ſe, & alios juvari.

Reſpondeo, quòd illud adjutorium non erat, quòd pœna eorum diminueretur, ſed in hoc ſolo, ut ibidem dicitur, quòd eo orante concedebatur eis, ut mutuò ſe viderent, & in hoc aliquod gaudium non verum, ſed fantaſticum habebant, dum implebatur, quòd deſiderabant; ſicut etiam dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccata trahunt, quamvis ex hoc pęna eorum nullatenus minuatur, ſicut nec minuitur gaudium Angelorum, per hoc quod malis noſtris compati dicuntur.

Objicitur etiam ulterius, quòd Dam. in quodam ſermone narrat, quòd Gregorius orationem pro Trajano fundens audivit vocem ſibi divinitus dicentem: *Vocem tuam audivi, & veniam Trajano do.* & hujus rei, ut dicit Dam. in dicto ſermone, teſtis eſt oriens omnis, & occidens. Conſtat autem Trajanum in inferno fuiſſe, quia multorum martyrum necem amaram inſtituit, ut ibidem dicit Dam.

Reſpondeo de facto Trajani hoc modo poteſt probabiliter ęſtimari, ſcilicet quod precibus beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam conſecutus ſit, per quam remiſſionem peccatorum habuit, & per conſequens immunitatem à pęna; ſicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè á mortuis ſuſcitati, quorum plures conſtat idolatras, & damnatos fuiſſe. De omnibus enim ſimiliter dici oportet, quòd non erant in inferno finaliter deputati; ſed ſecundùm pręſentem propriorum juſtitiam meritorum; ſecundùm autem ſuperiores cauſas, quibus pręjudicabantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis diſponendum. Vel dicendum ſecundùm quoſdam, quòd anima Trajani non fuit ſimpliciter à reatu pęnę abſoluta, ſed ejus pęna fuit ſuſpenſa ad tempus uſque ad diem judicii; nec tamen oportet, quòd hoc fiat communiter per ſuffragia, quia alia ſunt, quę legi communi accidunt, & alia quę ſingulariter ex privilegio conceduntur aliquibus.

Circa quartum reſpondeo, quòd ſic, & hoc patet primò auctoritate beati Auguſtini dicentis, quòd ſuffragia non proſunt valde bonis, nec valde malis, ſed mediocriter bonis, & mediocriter malis; tales autem ſunt, qui ſunt in purgatorio. Secundò, patet ratione, quia ſuffragia, quę quis facit pro alio, ſunt in ſupplementum ſatisfactionis pro eo; undè ſicut poteſt homo ſatisfacere pro altero vivo, qui pro ſe non poteſt; ita poteſt pro defuncto. Ad hoc autem, quod hujuſmodi ſatisfactio in mortuo operetur, duo ex parte ejus requiruntur, ſcilicet indigentia, & ideò non prodeſt Beatis, & meritum conditionale, undè Aug. *in ench. c. 45. hoc omne meritum operatur, qui poſſit hanc vitam relevari.* ideò non prodeſt damnatis; utrumque verò eſt in eis, qui ſunt in purgatorio, ideò prodeſt illis. Hæc Pe. 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 2. *c.* 2.

Circa quintum reſpondeo, quòd ſuffragia valent ex duobus, ſcilicet ex opere operante, & ex opere operato. Et dico opus operatum non ſolùm Eccleſiæ Sacramentum, ſed etiam effectum ſequentem ex operatione; ſicut ex collatione eleemoſynarum, conſequuntur pauperum relevatio, & eorum oratio pro defuncto apud Deum. Similiter etiam opus operans poteſt accipi, vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis. Dicendum ergo, quòd quàm citò moriens, diſponit aliqua ſuffragia ſibi fieri, præmium ſuffragiorum plenè conſequitur, antequam fiant, quantùm ad efficaciam ſuffragii, quæ erat ex opere operante principalis agentis; ſed quantùm ad efficaciam ſuffragiorum, quæ eſt ex opere operato, vel ex opere operante exequentis, non conſequitur fructum, antequam ſuffragia fiant; & ſi priùs contingat ipſum à pœna purgari, quantùm ad hoc fraudabitur ſuffragiorum fructu, quod certè in eos redundabit, quorum culpa defraudatur; non enim eſt inconveniens, quòd aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus; pœna autem purgatorii eſt temporalis; licèt quantùm ad æternam retri-

Digitized by

retributionem nullus defraudari poſſit, niſi per propriam culpam; undè ſi legata, quæ quis facit nunquam ſolverentur, vel malè ablata, quæ præcepit reſtitui per executores, non reſtituerentur, non propter hoc perpetuò remaneret in pœna, licèt multò tardiùs liberaretur à pœna.

Circa ſextum reſpondeo, quòd non, & hoc patet auctoritate ſancti Auguſtini, qui dicit, quod ſuffragia non proſunt illis, qui ſine fide operante per dilectionem hinc exiverunt. Secundò, patet ratione, quia pueri non baptizati non detinentur in lymbo, niſi quia deficiunt à ſtatu gratiæ; undè cùm per opera vivorum non poſſit ſtatus mutari defunctorum, maximè quantùm ad eſſentiale præmium, vel æternum ſupplicium, pueris exiſtentibus in lymbo prodeſſe non poſſunt ſuffragia vivorum.

Circa ſeptimum reſpondeo, quòd non, ut patet ex ſupradictis; undè dicit Aug. *injuria eſt in Eccleſia pro martyre orare.* Sed ipſe intelligit de eo, quem certum eſt nobis martyrem eſſe; de his verò, de quibus non conſtat nobis, quòd ſint beati, dicit *in Ench. c.* 45. quòd ſacrificia, ſive altaria, ſive quarumcumque eleemoſynarum pro defunctis valdè bonis facta gratiarum ſunt actiones.

Nec obſtat prædictis illud, quod habetur in collecta Miſſę: *ſicut Sanctis tuis proſunt ad gloriam.* ſcilicet Sacramenta, *ita nobis proficiant ad medelam*: quia hujuſmodi collectæ non ſunt ſic intelligendæ, quaſi Sanctis in gloria proficiant quantùm ad ſe, quod eorum feſta recolimus, ſed quia nobis proficit, qui eorum gloriam celebramus; ſicut ex hoc, quod Deum cognoſcimus, vel laudamus; & ſic quodammodo ejus gloria in nobis creſcit, & nihil Deo, ſed nobis accreſcit. Hæc Tho. 4. *di.* 45. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 7. *c.* 1.

ARTICULUS IV.

Quæ Suffragia proſint defunctis?

Circa præſens quæſitum quæruntur plura, ſcilicet

I. *Quot, & quæ ſuffragia proſint eis?*

II. *Utrum Miſſa lecta pro vivis æquè proſit defuncto, ſicut Miſſa pro defunctis?*

III. *Utrum indulgentiæ, quas Eccleſia facit, proſint defunctis?*

IV. *Utrum cultus exequiarum defuncto proſit?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſuffragia proſunt defunctis ad ſolutionem pœnæ, non ad præmiùm vitæ æternæ. Abſolvi autem poſſunt à pœna duobus modis, ſcilicet per viam gratiæ, vel per viam juſtitiæ; per viam gratię dupliciter, ut per interceſſionem publicam, quæ eſt ipſius capitis, ſcilicet per oblationem Sacramenti altaris; vel per interceſſionem privatam membrorum, ſcilicet per orationes Sanctorum. Item per viam juſtitiæ dupliciter, quia vel per modum redemptionis pœnæ, ſcilicet per eleemoſynarum largitionem, vel per modum ſolutionis pœnæ, ſcilicet per jejuniorum afflictionem; ſed hìc diſtinguntur quatuor modi generales ſuffragiorum, ad quos omnes alii reducuntur; & hos quatuor modos aſſignat Gregorius dicens, quòd animæ defunctorum quatuor modis ſolvuntur, ſcilicet oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut eleemoſynis charorum, aut jejuniis cognatorum. Auguſtinus verò ponit tres modos tantùm, prætermittens ultimum membrum tanquam minùs efficax. Sciendum etiam, quòd oblatio Sacerdotis, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, etſi per modum Sacramenti non proficiat, niſi ipſum ſacramentaliter manducantibus, mortuis tamen prodeſt per modum ſacrificii; ſic enim prodeſt omnibus indigentibus Eccleſiæ membris, pro quibus offertur. Hæc Pet. 4. *di.* 15. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 1. *c.*

Quod iſtorum prævalet?

Reſpondeo iſta ſuffragia communicantur ex charitate, undè ſecundùm quod plus participant de virtute charitatis, plus proſunt; melius eſt autem opus charitatis, quod dirigitur in Deum, quàm in hominem; undè quia duo primi modi diriguntur in Deum; ideò meliores ſunt, quàm duo ultimi, niſi per accidens, in quantùm ſcilicet eleemoſyna impetrat orationes Sanctorum. Quia verò melius eſt opus charitatis communis, ſcilicet totius Eccleſiæ, quàm privatæ, ſeu ſpecialis; ideò melius eſt ſuffragium Sacramenti altaris, quàm orationis Sanctorum; quia etiam bonum humanum quantò communiùs, tantò meliùs; ideò eleemoſyna melior eſt jejunio. Hæc Pe. *ubi ſupra.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd quantùm ad virtutem Sacramenti æqualiter valet defuncto quæcumque Miſſa, licèt quantùm ad virtutem orationum, plus valet Miſſa pro defunctis; quem tamen exceſſum poteſt recompenſare major devotio, vel celebrantis, vel celebrare facientis, vel ſancti, pro cujus reverentia dicitur patrocinium. Hęc Pe. 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 1. *c.* 1.

Circa tertium reſpondeo, quòd indulgentia poteſt alicui prodeſſe dupliciter; uno modo principaliter; alio modo ſecundariò. Principaliter prodeſt ei, qui indulgentiam accipit, ſcilicet qui facit hoc, pro quo indulgentia datur; undè cùm mortui non poſſint aliquid eorum facere, pro quibus indulgentiæ dantur, eis indulgentiæ directè valere non poſſunt. Secundariò autem, & indirectè proſunt ei, pro quo aliquis facit illud, pro quo indulgentię dantur; quod quandoque contingere poteſt, quandoque non; nam indulgentię quandoque dantur ſimpliciter ſine ampliatione ad defunctos, & tunc non proſunt eis; aliquando cum ampliatione ad defunctos, & tunc ſecundùm formam indulgentię proſunt eis; non tamen quaſi per modum indulgentię ex auctoritate, ſed ſuffragii,

ſeu

ſeu cujuſdam beneficii Eccleſiaſtici ex charitate, virtute meriti conditionalis, quo dum erant in Eccleſia, meruerunt, ſi poſt mortem eis indulgentię fierent, ſibi prodeſſe; nec tamen immediatè, ſed mediante alterius ſuffragio; nec Eccleſia propriè eos abſolvit, ſed pro eis ſolvit: nec tamen ſequitur, quòd Prelatus Eccleſiæ pro ſuo arbitrio poſſit animas à purgatorio liberare, quia ad hoc, quod indulgentię valeant, requiritur cauſa conveniens indulgentias faciendi. Hęc Tho. 4. *diſtin.* 45. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 2. *c.*

Circa quartum reſpondeo, quòd ſepultura adinventa eſt & propter vivos, & propter mortuos; propter vivos quidèm, ne eorum oculi ex turpitudine cadaverum offendantur, & corpora fętoribus inficiantur; & hoc quantùm ad corpus. Sed ſpiritualiter etiam prodeſt vivis, in quantùm per hoc aſtruitur eorum fides; ſed mortuis proſunt quoad hoc, quod inſpicientes ſepulcra memoriam retinent defunctorum, & pro defunctis orant; undè & monumentum à memoria nomen accipit: dicitur autem monumentum, quaſi movens mentem, ut dicit Aug. *lib.* 1. *de civ. Dei. & in lib. de cura pro mor. agen.* Sed ulteriùs ſepultura in loco ſacro mortuo prodeſt, non quidèm ex ipſo opere operato, ſed magis ex ipſo opere operante, dum ſcilicet vel ipſe defunctus, vel alius corpus ejus tumulari in loco ſacro diſponens, patrocinio alicujus Sancti eum committit, cujus precibus per hoc credendum eſt adjuvari, & etiam patrociniis eorum, qui in loco ſacro deſerviunt, qui pro tumulatis apud ſe frequentiùs, & ſpecialiùs orant. Cęteris etiam paribus ex divina ordinatione triumphans Eccleſia ſpecialiùs orat pro illis, qui ſunt in loco ſacro ſepulti. Sed illa, quę ad ornatum ſepulturę adhibentur, ut luminaria, panni, & hujuſmodi proſunt quidèm vivis, in quantùm ſunt vivorum ſolatia, ſed defunctis poſſunt prodeſſe, non quidem per ſe, ſed per accidens, in quantùm ſcilicet per hujuſmodi hęres excitantur ad compatiendum, & per conſequens ad orandum; vel in quantùm ex ſumptibus ſepulturę, vel pauperes fructum capiunt, vel Eccleſia decoratur: ſic enim ſepultura inter cęteras eleemoſynas computatur.

ARTICVLVS V.

Quantùm Suffragia proſint?

Circa hoc quæruntur plura, ſcilicet

I. *Utrum ſuffragia, quæ fiunt pro uno defuncto exiſtente in purgatorio, proſint etiam aliis ibi exiſtentibus?*

II. *Utrum Suffragia facta pro uno mortuo à vivis, proſint etiam omnibus vivis?*

III. *Utrum Suffragia facta pro multis tantùm, proſint ſingulis eorum, quantùm prodeſſent, ſi pro unoquoque ſpecialiter fierent?*

IV. *Utrum tantum valeant ſuffragia communia illis, pro quibus non fiunt ſpecialia, quantum illis, pro quibus fiunt ſpecialia, valent ſimul ſpecialia, & communia?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſuffragium dupliciter prodeſt, ſcilicet vel confortando virtutem ſuſtinentis, vel minuendo gravitatem ponderis, ſicut relevatur homo oneratus, aut potu vini lętificantis, aut alleviatione oneris. Primo modo prodeſt ſuffragium pro uno factum etiam aliis, quia miſericordia Dei providente, ſuffragia facta pro quocumque exiſtente in purgatorio omnibus aliis innoteſcunt, & quia ſeſe ex charitate diligunt, nec ſibi invicem in aliquo invident, ideò de alleviatione pænæ illius, pro quo facta ſunt, omnes gaudent. Quodlibet autem gaudium reddit gaudentem minùs diſpoſitum ad pænam contriſtantem, quia ſecundùm ſententiam Philoſophi 7. *ethic. c. ult.* cuicumque triſtitię repugnat ſecundùm formam generis quęcumque delectatio, & ideò mitigat eam; & poteſt eſſe tam fortis, quod totaliter tollit eam, & expellit; ſed prędictum gaudium in propoſito non eſt tantum, quod omninò pęnam eorum expellat; nec fortè abbreviat, ſed intenſionem ejus mitigat. Secundo modo non prodeſt aliis, quia ſic virtus eorum non attingit niſi eum, ad quem determinantur, & quaſi applicantur per intentionem agentis. Primo modo prodeſt per modum congratulationis, & hęc utilitas communicatur ſecundùm virtutem charitatis; magis tamen prodeſt ſuffragium etiam iſto modo illi, pro quo fit, quàm aliis, ſi charitatem habent ęqualem, quia cęteris paribus magis gaudet quilibet de bono ſuo, quàm de bono alterius; alius tamen tantam poteſt habere charitatem, quod plus conſolatur de ſuffragio, quod fit pro alio, quàm ille pro quo fit; undè utilitas hoc modo eſt major in habentibus majorem charitatem. Secundo modo proſunt per modum ſatisfactionis, vel ſolutionis pęnę debitę, & hęc utilitas ſecundùm intentionem ſolventis communicatur, ut ad eos pro quibus fiunt ſuffragia ſpecialiter deriventur; ſic ergo illi, qui ſunt æqualis meriti, æquè gaudent de bonis operibus, quę fiunt per viventes, ſed non ęquè per ea liberantur; hæc Tho. 4. *di.* 45. *q.* 2. *ar.* 4. *q.* 1. *c.* 2. Pet. 4. *di.* 45. *q.* 2. *ar.* 3, *q.* 1. *c.* & Ric. 4. *diſ.* 45. *q.* 2. *ar.* 2. *c.*

Quibus proſunt magis ſuffragia in communi facta, ſcilicet vel dignioribus, vel his, qui magis indigent?

Reſpondeo, quòd quia in omni opere domini eſt miſericordia, & veritas, duo ſunt, quę faciunt valere ſuffragia Eccleſię, ſcilicet neceſſitas, & dignitas. Juſtitia conſiderat dignitatem, & digni ſunt, qui in charitate deceſſerunt ab aliis membris Eccleſię juvari, maximè ſi ipſi alios juvarunt; miſericordia verò conſiderat neceſſitatem, utrumque verò horum eſt in his, quæ ſunt in purgatorio, & hoc ſecundùm plus, & minus; & ideò eis ſuffragia valent, & hoc plus, & minus ſecundùm proportionem ad eorum dignitatem, & neceſſitatem, niſi adſit intentio facien-

facientis ad aliquem vel aliquos ſpecialiter directa, ratione cujus magis proſunt eis pro quibus ſpecialiter fiunt, ut ſupra dictum eſt, undè ſuffragia communia magis proſunt ei qui magis meruit ut ſibi prodeſſent, cæteris paribus, putà ſi æquè indigeant.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſuffragia pro uno mortuo facta non proſunt omnibus vivis etiam exiſtentibus in charitate quoad remiſſionem pœnæ quocumque prædictorum modorum, quia non omnibus vivis hæc innoteſcunt; illis tamen quibus innoteſcunt ſecundo modo proſunt, ſcilicet quoad mitigationem pœnæ quam habent in hac vita, quia exiſtentes in charitate gaudent de communi membrorum ſuorum utilitate.

Circa tertium reſpondeo. Præpoſit. dixit quòd ſic, niſi quod ei pro quo ſpecialiter fiunt major reverentia fit, ſicut candela accenſa, & lectio lecta pro pluribus tantùm quemlibet juvat, quantùm unum juvaret, ſi pro eo ſolo candela accenderetur, vel lectio legeretur. Alii dicunt, quòd ſi ita eſſet, ut dicit opinio prædicta, ille qui tenetur dicere unam Miſſam pro uno defuncto, & unam pro alio, ſi pro illis duobus unam diceret, cuilibet ſolveret, quod ſibi teneretur. Præterea bonum finitum, quod ſufficeret ad pœnæ liberationem unius animæ de purgatorio, ſufficeret ad liberationem omnium aliarum ad æqualem pœnam obligatarum. Præterea conſuetudo Eccleſiæ eſſet inutilis, quæ ſuffragia facit aliquando pro ſpecialibus perſonis; quæ omnia ſunt falſa.

Concordando ergo utramque opinionem dicendum, quòd ſicut tangebatur ſupra per modum acceptionis, ſeu congratulationis, aut conſolationis æquè proſunt quàntum eſt de ſe ſingulis eorum æquè diſpoſitis in æquali charitate conſtitutis, ac ſi pro quolibet fierent ſingillatim, quia omnes gaudent de illis pro quocumque fiant tanquam pro ſe factis ratione charitatis communis ſine ullo motu invidiæ regnantis in eis; magis tamen proſunt illi pro quo fiunt quàm aliis, ſi charitatem habent æqualem, ut dictum eſt ſupra. Per modum verò ſatisfactionis, ſuffragia facta ſpecialiter pro uno tantùm magis proſunt ſibi quàm aliis, immò aliis non proſunt de lege communi. Exempla quæ pro opinione prima adducebantur non valent, quia lumen candelæ, & vox doctoris ſe communicant per naturæ neceſſitatem, ſed ſuffragia communicantur per ſuffragantis intentionem.

Sed objicitur, quia dicit Hieronymus, & habetur de *conſe. di. 5. non mediocriter.* quod cum pro cunctis animabus Pſalmus, vel Miſſa dicitur, non minùs quàm ſi pro quolibet uno ipſorum diceretur, accipitur.

Reſpondeo, quòd illud debet intelligi, ut patet ex adjunctis quoad meritum facientis, non quoad utilitatem ejus pro quo fit ſecundùm Bon. 4. *diſt. 45. q. 2. ar. 4. q. 2. c.* & Pet. 4. *di. 45. q. 2. ar. 3 q. 2. c.* Aliis verò non videtur hoc verum, quia plus gaudet quilibet de bono proprio, quàm aliorum; undè dicunt, quòd Hieronymus dicit hæc, opinionem aliorum referendo; hæc Ric. 4. *di. 45. q. 2. ar. 3. c. 2.* & convenit cum eo Tho. & Pe. *ubi ſupra.*

Circa quartum reſpondeo, ſi ſuffragia pro aliquo facta non indifferenter omnibus proſunt, ſed eis maximè pro quibus fiunt, ut ſupra dictum eſt, non eſt dubium, quòd plus valent ſimul communia, & ſpecialia ſuffragia, quàm tantùm communia.

Sed objicitur, quòd Euchariſtia cùm totum contineat Chriſtum, habet quodammodo efficaciam infinitam; videtur ergo, quòd una oblatio Euchariſtiæ, quæ communiter pro omnibus fit, valet ad plenam liberationem eorum, qui ſunt in purgatorio; & ita tantùm juvant communia ſuffragia ſola, quantùm juvant ſpecialia, & communia ſimul.

Reſpondeo, licèt virtus Chriſti, quæ continetur in Sacramento Euchariſtiæ ſit infinita, tamen determinatus eſt effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur; undè non oportet, quòd per unum altaris ſacrificium tota pœna eorum, qui ſunt in purgatorio expietur, ſicut etiam nec per unum ſacrificium, quod aliquis offert, liberatur à tota ſatisfactione debita pro peccatis; undè & quandoque plures Miſſæ in ſatisfactione unius peccati injunguntur; credibile tamen eſt, quòd per divinam miſericordiam ſi aliquid de ſpiritualibus ſuffragiis ſuperſit his, pro quibus fiunt, ut ſi eis non indigeant, aliis diſpenſetur pro quibus non fiunt, ſi eis indigeant, ut patet per Dam. *in ſerm. de dormientibus*, ſic dicentem: *Deus tanquam juſtus commetietur impotenti poſſibilitatem tanquam ſapiens naturæ defectuum commutationem negociabitur:* Quæ quidem negociatio attenditur ſecundùm quod illud, quod ſupereſt uni, alteri ſuppleat.

Sed objicitur, quia ſecundùm prædicta cùm non fiant tot ſuffragia pro pauperibus, quot pro divitibus, pejoris conditionis ſunt pauperes, quàm divites.

Reſpondeo, quòd nihil prohibet divites quantùm ad aliquod eſſe melioris conditionis, quàm pauperes, ſicut quantùm ad expiationem pœnæ; ſed hoc quaſi nihil eſt comparatum poſſeſſioni regni cælorum, in qua pauperes melioris conditionis oſtenduntur, dicente Chriſto, *Lucæ 6. Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum cælorum.*

Ad hoc nota, quòd quia ſuffragia pro uno facta aliquò etiam modo aliis proſunt, ut patet ex prædictis; ideò cùm pro uno dicitur Miſſa, non eſt inconveniens, ut etiam orationes pro aliis fiant; non tamen æquè prodeſt illis, ſicut ei pro quo ſpecialiter dicitur Miſſa; undè per hujuſmodi additionem utilitas principaliter intenti non minuitur; non enim adduntur aliæ orationes, ut ſatisfactio unius ſuffragii determinetur ad alios ſpecialiter, ſed ut illis etiam

oratio pro eis ſpecialiter fuſa, proſit.

TITULUS XXXVIII.

De Orationibus exiſtentium tam in Patria, quàm in Purgatorio.

DEinde conſiderandum eſt de orationibus Sanctorum in Patria exiſtentium, & etiam de orationibus exiſtentium in Purgatorio, &

Primò, utrum cognoſcant orationes noſtras.

Secundò, de orationibus beatorum.

Tertiò, de orationibus exiſtentium in Purgatorio.

Quartò, de noſtris invocationibus Sanctorum. Unde ſit

ARTICVLVS I.

De Beatorum Orationibus.

CIrca hunc primum articulum, nempe de orationibus beatorum, quæruntur hæc, videlicet

I. *Vtrum Beati cognoſcant noſtras orationes?*

II. *Vtrum animæ exiſtentes in Purgatorio, cognoſcant orationes noſtras?*

Circa primum reſpondeo, quòd duplex eſt cognitio animarum ſanctarum, ſicut & Angelorum; quædam veſpertina, ſive naturalis rerum in proprio genere, & hac non vident ea, quæ circa nos aguntur; quædam matutina ſcilicet rerum in Verbo, hac vident quædam horum, ſcilicet illa, quæ aliquo modo ad eorum gloriam pertinent, & laudem; quædam autem non vident, ſcilicet non pertinentia ad eos, niſi quatenùs Verbum revelat eis, quamvis enim Verbum videant, non tamen in illo vident omnia, quia non vident illum ſecundùm totalitatem virtutis ſuæ, ſed tantùm vident omnia ad beatitudinem eorum pertinentia, ad eorum verò beatitudinem pertinet laudari ab hominibus, & invocari, & invocantibus ſubvenire. Ad beatitudinis namquè perfectionem requiritur, ut homo habeat quidquid vult, nec aliquid inordinatum velit, ut infra dicetur; hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut pertinentia ad ipſum cognoſcat; undè cum Sanctis nulla rectitudo deſit, cognoſcere volunt pertinentia ad ipſos. & ideò oportet, quòd illa in Verbo cognoſcant, hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quòd auxilium præbeant indigentibus, & ſalutem; ſic enim Dei cooperatores fiunt, quo nihil eſt diviniùs, ut dicit Dion, c. 3. *Ecc. Hierar.* undè patet, quod Sancti cognitionem habent eorum, quæ ad hoc requiruntur, & ſic manifeſtum eſt, quòd in verbo cognoſcuntur vota, orationes, devotioneſquè hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt. Ad viſionem autem veſpertinam pertinet obſcurè cognoſcere aliorum facta, ſecundùm Gloſ. ſuper illud *Iſa.* 64. *Abraham neſcivit nos. Mortui*, inquit, *ſancti neſciunt, quid agunt vivi, etiam eorum filii.* & ſumitur ab Aug. *in libro de cura pro mortuis agenda* Ad cognitionem verò matutinam pertinet illud Greg. *Quid eſt, quod non vident, qui videntem omnia vident.* ſupple, de pertinentibus ad gloriam eorum.

Ad hoc nota, quòd animæ beatę habent voluntatem conformem voluntati divinæ, etiam in volito, ideò quamvis affectum charitatis retineant ad proximos, non tamen eis aliter ſubveniunt videntes eorum neceſſitatem, quàm ſecundùm juſtitiam Dei vident eſſe diſpoſitam; credendum eſt tamen, quòd multùm eos juvant pro eis apud Deum intercedendo.

Circa ſecundum reſpondeo. Animæ exiſtentes in Purgatorio, quamvis per effectum cognoſcant ſuffragia efficacia pro qualibet ipſarum facta; tamen ut dicunt quidam, ſi eis porrigimus orationes, ut pro nobis Deum deprecentur, eas non cognoſcunt, quia non cognoſcunt eas in Verbo, quod adhuc non vident; nec eas virtute naturali poſſunt cognoſcere, & ideò ſecundùm iſtos inanes ſunt orationes, ſi quas eis porrigimus. Aliis autem magis piè ſentientibus videtur, quòd ſi quas eis orationes porrigimus, eas cognoſcunt, non tamen naturali virtute, nec in Verbo, ſed quia aliquas audiunt ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, aliquas ab Angelis bonis, aliquas ex revelatione divina, ut enim dicit Aug. *in libro de cura pro mortuis agenda.* hoc triplici modo aliqua de factis vivorum veniunt ad cognitionem ſpirituum defunctorum.

ARTICULUS II.

De Orationibus Beatorum.

CIrca hoc quæruntur plura, ſcilicet:

I. *Vtrum Sancti, qui ſunt in patria orent pro nobis?*

II. *Vtrum Beati orando pro nobis conſequantur aliquam utilitatem pro ſe ipſis?*

III. *Vtrum Beati orent pro his, qui ſunt in Purgatorio?*

IV. *Vtrum orationes Sanctorum pro nobis ſemper à Deo exaudiantur?*

Circa primum reſpondeo quòd ſic, aliàs fruſtrà Eccleſia Sanctos rogaret, ut orarent pro nobis; fruſtra etiam Beatus Petrus dixiſſet. 2. *Petri* 1. *dabo operam habere vos in memoria poſt obitum meum.* Sancti igitur, qui ſunt in patria, pro nobis Deum rogant, propter charitatem qua fervent, propter noſtram neceſſitatem, quam vident, & propter divinam voluntatem, quam in hoc complent; vult enim Deus, quòd membra ſe invicem juvent.

Sed objicitur, quia Beati aut volunt fieri,

quod

quod orant, aut non; ſi non, ergo fictè orant; ſi ſic, ergo fit ſtatim, ut volunt, etiam antequam orent, quia omne quod volunt Beati, fit.

Reſpondeo, quòd licèt velint fieri, non tamen poſſunt facere per ſe, nec volunt fieri per ſe, ſed per Deum, & ideò oportet rogare ipſum.

Objicitur iterum, quia qui orat pro alio, preces ejus alteri repræſentat, ſed ſuperfluè preces noſtræ Deo repræſentarentur, ergo &c.

Reſpondeo, aliquid repræſentare apud alterum poteſt eſſe dupliciter, vel ut diſcat, vel ut impleat; ſive ut audiat, vel ut exaudiat. Primo modo non repræſentantur à ſanctis Angelis orationes noſtræ Deo; ſed ſecundo.

Objicitur ulterius, ex quo enim Sancti vident Dei voluntatem, aut ergo vident Deum velle illud pro quo Deum orant, & ita ſuperfluè orant, aut nolle, & ita ſtultè orant.

Reſpondeo, quòd vident Deum iſtud velle fieri, non tamen abſolutè, ſed ipſis rogantibus; quædam enim vult Deus facere per ſe, & de his non rogant; quædam per orationes aliorum, & de his rogant

Circa ſecundum reſpondeo, quòd non, niſi in hoc quod in augmentationem numeri civium ſuperiorum creſcit æqualiter accidentale gaudium ſingulorum.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, ut enim dicit magiſter ſententiarum. *li.* 4. *diſt.* 45. *c.* 5. ille, qui in articulo finis ſæculi migrabit, ſuffragiis tamen indigens adjuvabitur meritis, & interceſſionibus Eccleſiæ cæleſtis; quare à ſimili, & illi qui ſunt in Purgatorio interceſſionibus cæleſtis curię adjuvantur. Sicut enim in corpore naturali membra fortia ſubveniunt indigentibus, ſic in corpore myſtico Eccleſiæ non tantùm debent ſubvenire membra, inter quæ eſt indigentia mutua, ſed etiam illa, quæ non indigent adjuvari; conveniens eſt indigentibus ſubvenire. Sic autem eſt in propoſito, ut per ſe patet.

Sed objicitur, quia orationes Beatorum ſemper exaudiuntur, ergo ſi pro exiſtentibus in Purgatorio orarent, ſtatim inde exirent.

Reſpondeo, hoc non ſequitur, quia nec hoc Sancti petunt, ſed ut Deus ſubveniat eis, quantùm vident ipſum velle ſubvenire eis precibus eorum.

Circa quartum reſpondeo, Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis; uno modo oratione expreſſa, dum votis ſuis pro nobis aures divinæ clementiæ pulſant; alio modo oratione quaſi interpretativa, ſcilicet per eorum merita, quæ in conſpectu Dei exiſtentia non tantùm eis cedunt ad gloriam, ſed etiam ſunt nobis ſuffragia, & orationes quædam; ſicut etiam ſanguis Chriſti pro nobis effuſus, dicitur veniam petere; utroque autem modo Sanctorum orationes ſunt quantum eſt in ipſis efficaces ad impetrandum, quod petunt; ſed ex parte noſtra poteſt eſſe defectus, quod non conſequamur fructum ipſarum, ſecundùm quod pro nobis orare dicuntur, ex hoc quod merita eorum nobis proficiunt, ſed ſecundùm quod orant pro nobis votis ſuis aliquid poſtulando, ſemper exaudiuntur, quia non volunt, niſi quod Deus vult; nec petunt, niſi quod fieri volunt; quod autem ſimpliciter Deus vult, impletur; niſi loquamur de voluntate antecedente, ſecundùm quam vult omnes homines ſalvos fieri, quæ non ſemper impletur; undè nec eſt mirum, ſi etiam quod Sancti volunt per hunc modum voluntatis, non impletur.

Sed contra prædicta objiciuntur plura, & primò illud, quod *Apoc.* 6. martyribus vindictam petentibus de his, qui ſunt ſuper terram, dictum eſt, ut requieſcerent modicum tempus, donec impleretur numerus fratrum ſuorum, & ſic non exaudiuntur de pertinentibus ad eos, ergo multò minùs de pertinentibus ad alios.

Reſpondeo, illa verba ſecundùm Gloſ. non ſunt verba orationis, ſed inſinuant deſiderium eorum de obtinenda ſtola corporis, & ſocietate ſalvandorum, & conſenſum quo conſentiunt divinæ juſtitiæ malos punienti.

Objicitur ſecundò, illud *Hiere.* 15. *Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

Reſpondeo, Dominus loquitur ibi de illis per hypotheſim ſecundùm ſtatum viatoris; ſi enim in carne tunc eſſent, & pro populo orarent, iram Dei à populo non averterent. Vel dicendum, quòd ipſi tunc erant in Lymbo, non in Cælo.

Objicitur tertiò, quia quicumque oratione impetrat aliquid, quodammodo meretur illud, ſed Sancti, qui ſunt in patria, non ſunt in ſtatu merendi, ergo non poſſunt aliquid nobis ſuis meritis impetrare apud Deum.

Reſpondeo, quòd licèt Sancti non ſint in ſtatu merendi pro ſe, poſtquam ſunt in patria, ſunt tamen in ſtatu merendi aliis, vel potius ex merito præcedenti alios juvandi, & hoc apud Deum viventes meruerunt, ut eorum orationes exaudirentur poſt mortem. Vel dicendum, quòd oratio ex alio meretur, & ex alio impetrat, meritum enim conſiſtit in quadam adequatione actus ad finem, ad quem eſt, qui ei reddetur, ſed orationis impetratio innititur liberalitati ejus, qui rogatur; impetrat enim aliquis quandoque ex liberalitate ejus, qui rogatur, quod ipſe non meruit, & ita licèt Sancti non ſint in ſtatu merendi, non tamen ſequitur, quod non ſint in ſtatu impetrandi.

ARTICVLVS III.

De Orationibus exiſtentium in Purgatorio.

Circa hoc quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum exiſtentes in Purgatorio orent pro nobis?*

II. *Vtrum exiſtentes in Purgatorio orando pro nobis conſequantur aliquam utilitatem?*

III. *Vtrum exiſtentes in Purgatorio orent pro ſe ipſis?*

IV. *Vtrum orationes exiſtentium in Purgatorio proſint eis?*

V. *Vtrum orationes exiſtentium in Purgatorio pro vivis ſemper exaudiantur?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic; orare enim eſt opus charitatis, ipſi autem confirmati ſunt in charitate; ſi enim exiſtentes in charitate non confirmati ante mortem pro nobis orabant, probabile eſt, quòd pro nobis orent in charitate jam confirmati.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic; interdum enim orationes, quas pro nobis faciunt, redundant in alleviationem pœnæ eorum, non quod in hoc mereantur, cùm ſint extra ſtatum merendi, loquendo de merito proprie dicto; ſed quia nos meliores per eorum orationes effecti efficaciora facimus ſuffragia ad ſublevationem eorum pœnæ.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic; cùm enim mentaliter clament ad nos, ut eis ſubveniamus, quòd nobis ſpecialiter intelligi datur, *Job.* 19 ubi in perſona eorum dicitur nobis: *miſeremini mei &c.* credendum eſt, quòd multò fortiùs ad invicem clamant ad Deum, ut eis miſereatur.

Circa quartum reſpondeo, quòd ſic, non quidèm quantum ad augmentum gratię, vel gloriæ, ſed quoad mitigationem, & abbreviationem ſuæ pœnæ; nec ideò ſequitur, quòd ſtatim à ſua pœna liberentur, quia nec hoc petunt, ſed Deum rogant, ut ſecundùm beneplacitum ſuum eorum miſereatur, & hæc oratio exauditur.

Circa quintum reſpondeo, quòd fortè eorum orationes non ſemper exaudiuntur; ſicut nec noſtræ, quia non ſic vident voluntatem Domini, ſicut Beati; eorum tamen orationes proſunt multis vivis, immò omnibus, niſi ſit impedimentum ex parte noſtra; ſi enim non proſunt, aut hoc eſt, quia ſunt in pœna; & tunc ſimiliter orationes noſtræ, qui ſumus in pœna, non prodeſſent; aut quia ſunt extra ſtatum merendi, & tunc ſimiliter orationes animarum beatorum nobis non prodeſſent; aut quia cum hoc, quod ſunt extra ſtatum merendi, adhuc carent viſione Dei, & hæc ratio nulla eſt, quia ut habetur 2. *Macha. c. ult.* Neemias, qui extra ſtatum merendi erat, adhuc viſione Dei carebat, pro filiis Iſrael orabat, & ejus oratio exaudita fuit.

ARTICULUS IV.

De noſtris Invocationibus Sanctorum.

Circa hoc quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum debeamus interpellare Sanctos ad orandum pro nobis?*

II. *Vtrum invocandi ſint Sancti, non tantùm ſuperiores, ſed etiam inferiores?*

III. *Quare non invocamus Chriſtum, ut oret pro nobis, cùm ipſe ſecundùm quod homo dicatur Sanctus Sanctorum, & ei ſecundùm quod homo orare conveniat?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic, undè *Job.* 15. *Voca, ſi eſt, qui reſpondeat tibi, & ad aliquem Sanctorum convertere. Noſtrum autem vocare*, ut dicit ibi Greg. *eſt humili prece depoſcere.* Decrevit autem Deus, & voluit, quòd Sanctos rogare deberemus, primò, propter noſtram inopiam in merendo, ut ubi noſtra merita non ſuppetunt, juvent aliena. Secundò, propter ſanctorum gloriam, quia Deus vult ſanctos ſuos glorificare, & per eos miracula facere in corporibus, & ſalutem in animabus, ut ipſos laudemus. Tertiò, propter Dei reverentiam, ut peccator, qui Deum offendit, quòd non audeat Deum in propria perſona adire, ſed amicorum patrocinium implorare.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd utile eſt interdum etiam minores ſanctos orare propter quatuor. Primò, quia quandoque aliquis habet majorem devotionem ad ſanctum minorem, quàm ad ſanctum majorem; ex devotione autem magis dependet orationis effectus. Secundò, quia quibuſdam ſanctis datum eſt in aliquibus ſpecialibus cauſis præcipuè patrocinari, ſicut beato Antonio ad ignem infernalem. Tertiò, ut honor debitus exhibeatur omnibus à nobis. Quartò, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quòd unius oratione non impetraretur.

Circa tertium reſpondeo. Oratio eſt quidam actus; actus autem ſunt particularium ſuppoſitorum, & ideò ſi diceremus: Chriſte ora pro nobis; niſi aliquid adderetur, videremur hoc ad perſonam Chriſti referre, & ita videretur eſſe conſonum, vel errori Neſtorii, qui diſtinxit in Chriſto perſonam filii hominis à perſona filii Dei; vel errori Arrii, qui ponit perſonam filii minorem patre. Undè ad hos errores vitandos non petimus ejus orationem, dicentes: Chriſte ora pro nobis: ſed potiùs ejus miſerationem dicentes: Chriſte audi nos, & miſerere nobis.

Sed objicitur contra prædicta, quia aut ſumus

mus digni, ut ſancti pro nobis orent, & tunc etiam nobis non invocantibus eos pro nobis orarent; aut ſumus indigni, & tunc etiam ſi eos invocemus, pro nobis non orant, ergo ſuperfluum videtur omnino interpellare, quòd pro nobis orent.

Reſpondeo, quòd non eſt ſuperfluum, quia ex hoc aliquis dignus fit, ut oret pro eo aliquis ſanctus, cùm ad ipſum in ſua neceſſitate cum devotione recurrit.

Explicit Liber tertius.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER QUARTUS.

TITULUS I.

De Sacramentis in Communi.

EXpeditis per Dei gratiam pro modulo tenuitatis meæ tribus partibus hujus Summæ, ſcilicet prima de decem Præceptis, & ſecunda de virtutibus, & vitiis, & tertia de contractibus, reſtat ulteriùs proſequ quartam partem ejuſdem, quæ eſt de Sacramntis, & dicendum eſt

Primò de Sacramentis in communi.

Secundò, de tribus Sacramentis in ſpeciali, ſciliet de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſti.

Circa primum, primò dicendum, quid ſit Sacrmentum, & in quibus conſiſtat?

Secundò, dato quod Sacramenta conſiſtant non antùm in rebus, ſed etiam in verbis, De variatione verborum ſacramentalium.

Tertiò, de numero, & ordine Sacramentoru Novæ Legis.

Quartò, de effectu ipſorum.

Quintò, de Miniſtris.

Sextò, de iteratione. Quare ſit

ARTICULUS I.

Quid ſit Sacramentum, & in quibus conſiſtat?

CIrca primum ſciendum, quòd de ratione ſacramenti novæ Legis, de quo hic eſt intenio, ſunt tria, ſcilicet naturalis ſimilitudo, ex qua habet aptitudinem repræſentandi; actualis nſtitutio occulta, vel expreſſa, ex qua habet orinationem determinatam reſpectu hujus ſignficati; & ſpiritualis ſanctificatio, ex qua habe virtutem efficiendi illud ſignatum; hæc auten tria complectitur expreſsè definitio ſacramenti, quam ponit Hug. de ſanct. Vict. *lib.* 1. *de ſacram par.* 9 *c.* 2. dicens, quòd ſacramentum eſt materiale elementum, extrinſecus oculis ſuppoſitum, ex inſtitutione ſignificans, ex ſimilitudine repræſentans, & ex ſanctificatione aliquam gratiam inviſibilem conferens. Sumitur autem in prædicta definitione elementum pro quacumque re ſenſibili; oculus verò ſumitur ibi communiter pro quocumque ſenſu; ſimilitudo autem ſumitur ibi non pro ſimilitudine participationis, ſcilicet ejuſdem qualitatis, quia talis ſimilitudo non poteſt eſſe viſibilium ad inviſibilia, ſed pro ſimilitudine repræſentationis ſecundùm quamdam proportionabilitatem, ut ſicut ſe habet aqua ad lavandum ſordes corporales, ſic gratia ad ſpirituales.

Eſt autem commune omnibus ſacramentis, tam legis naturæ, quàm legis novæ, quod conſiſtant in rebus viſibilibus, inviſibilem gratiam ſignificantibus. Speciale tamen eſt ſacramentis novæ legis, quod conſiſtant etiam in verbis, cùm ſint ordinata principaliter ad ſanctificationem: ſanctificatio verò creaturæ, fit per verbum Dei, & orationem. 1. *Thim.* 4. undè magiſter ſenten. *lib.* 4. *di.* 1. dicit, quòd ſacramenta conſiſtunt in duobus, ſcilicet in verbis, & rebus; quæ etiam duo tanguntur in prædicta definitione; nam res tanguntur ibi per hoc, quod dicit materiale elementum; verba verò intelliguntur per hoc, quod dicitur ex ſanctificatione, quia hoc fit per verbum Dei, ut dictum eſt. Requiruntur etiam in ſacramentis facta ſecundùm Hug. quæ ſecundùm magiſtrum comprehendi poſſunt ſub rebus; intentio etiam proferentis requiritur, quæ in verbis intelligitur.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

De Variationibus verborum ſacramentalium.

CIrca hunc articulum quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum liceat variare verba determinata in alia verba ſignificantia idem?*

II. *Vtrum additio, vel diminutio impediat baptiſmum?*

III. *Vtrum corruptio impediat effectum Sacramenti?*

IV. *Vtrum interruptio impediat?*

V. *Vtrum tranſpoſitio impediat?*

Circa primum reſpondeo, quòd non, undè ſecundùm Theologos ſubtiliùs conſiderantes, baptiſmus non eſſet, ſi quis in nomine genitoris & geniti baptizaret, quia non eſt data vis, niſi nominibus perſonas principaliter ſignificantibus; dicta verò nomina licèt pro perſonis ſupponant, non tamen ſignificant modo principali, ſed potiùs notiones, ſive actus perſonales; ſecundùm Pe. 4. *diſt. 3. q. 2. ar. 2. q. 1. c. 1. ad oppoſitum.* & Sco. 4. *di. 3. q. 2. ar. 3.* Quidam verò Canoniſtæ, ut Gof. & Jo. dixerunt, quòd ſi quis modo prædicto, ſcilicet in nomine genitoris, & geniti baptizaretur, baptizatus eſſet; tutiùs tamen eſſet, quòd rebaptizaretur ſub conditione.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd circa omnes iſtas mutationes, quæ poſſunt in forma ſacramentorum contingere, duo poſſunt conſiderari, unum quidem ex parte ejus, qui profert verba, cujus intentio requiritur ad ſacramentum, ut infra dicetur, & ideò ſi intendat per hujuſmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici ſacramentum, quia non videtur, quòd intendat facere, quod facit Eccleſia. Aliud eſt ex parte ſignificationis verborum; cùm enim verba operentur in ſacramentis quantùm ad ſenſum, quem faciunt, oportet conſiderare, utrum per talem mutationem tollatur ſenſus verborum debitus, quia ſi ſic, manifeſtum eſt, quod tollitur virtus ſacramenti.

Circa diminutionem igitur ſciendum, quòd ſi diminuatur aliquid eorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur debitus ſenſus verborum, & ideò non perficitur ſacramentum; undè dicit Diony. *lib. de Spiritu Sancto. Si quis ita baptizari procuret, ut de prædictis nominibus unum prætermittat, ſcilicet Patrem aut Filium, aut Spiritum Sanctum, ſine perfectione baptizabit.* Si autem ſubtrahatur aliquid, quod non eſt de ſubſtantia formæ talis, diminutio talis non tollit debitum ſenſum verborum, & per conſequens nec ſacramenti perfectionem; ſicut in forma Euchariſtiæ, quæ eſt *Hoc eſt enim corpus meum*: Ly *enim* ſublatum non tollit debitum ſenſum verborum, & ideò non impedit perfectionem, quamvis poſſit contingere, quod ille, qui prætermittit ex negligentia, vel contemptu, peccet.

Circa additionem verò conſiderandum eſt, quòd contingit aliquando apponi, quod eſt corruptivum debiti ſenſus, putà ſi aliquis dicat: *in nomine patris majoris, & filii minoris*; ſicut Arriani baptizabant, & ideò talis additio tollit virtutem ſacramenti. Si verò ſit talis additio, quæ non auferat debitum ſenſum, non tollitur virtus ſacramenti.

Sed numquid refert, utrum talis additio fiat in principio, medio, & fine?

Reſpondeo quòd non; undè ſi aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti*: erit verum baptiſma; & ſimiliter ſi quis dicat: *Ego Joannes baptizo te &c.* Hæc Tho. 4. *diſ. 3. ar. 2. q. 2. & 3.*

Quid ſi dicat: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis?*

Reſpondeo, quòd non eſt baptizatus, quia dicitur 5. *Corint.* 1. *numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis.* Sed hoc verum eſt ſi in nomine Beatæ Virginis intelligatur baptizari, ſicut in nomine Trinitatis, quo baptiſmus conſecratur; talis enim ſenſus contrarius eſt veræ fidei, & per conſequens tolleret virtutem ſacramenti; ſi verò intelligatur, quod additur in nomine Beatæ Virginis, non quod nomen Beatæ Virginis aliquid operetur in baptiſmo, ſed ut ejus interceſſio proſit baptizato ad conferendum gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio ſacramenti. Hæc Tho. *ubi ſupra.*

Quid ſi oratio aliqua diſtinguatur contra formam baptiſmi?

Reſpondet Sco. 4. *diſt. 3. q. 2. ar. 3. de ſecunda variatione*: quod non eſt baptiſmus, quia diſtinctio non poteſt determinare alteram partem, & idem dicit, ſi apponatur conditio aliqua, quæ non extat.

Circa tertium reſpondeo, aut eſt tanta corruptio, quòd non manet idem ſenſus aliquo modo, & tunc non eſt ſacramentum; aut non eſt tanta quin maneat ſenſus ſecundùm uſum accommodationem, licèt non ſecundùm inſtitutionis primæ rectam formationem, ſicut patet in puero balbutiente, qui tamen intelligitur, & eſt exemplum ſecundùm Priſci. ſi diceretur *olli* pro *illi*, & tunc eſt ſacramentum ſi, fiat ex ſimplicitate non ex diviſione, ſive à parte ante, ſive à parte poſt, undè dicitur *de conſe. diſ. 4. retulerunt nuntii.*

Quid ſi contingat aliquem infingendo linguam propter ignorantiam dicere *in nomine patrias* &c.? Non eſt rebaptizandus, quia ſanus eſt ſenſus. Hæc Bon. 4. *di. 3. q. 2. ar. 2. c.*

Circa quartum reſpondeo, quòd ſi ſit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur ſenſus debitus, & per conſequens virtus ſacramenti, non tamen tollitur

tur, quando eſt ita parva interruptio,quod proferentis non aufert intentionem, & intellectum. Hæc Tho. 4. *di.* 3. *ar.* 2. *q.* 4. *c.* 1.

Circa quintum reſpondeo. Si mutet ſenſum locutionis, quem habet ex vi ordinis verborum, impeditur virtus ſacramenti, ut ſi dicatur: *Ego Pater, & Filius baptizo te in nomine Spiritus Sancti.* quia ex vi ordinis talis eſt ſenſus: *Ego qui ſum Pater & Filius, baptizo te &c.* quia ex vi verborum non eſt ſenſus, quòd ego baptizem te, ſed aliquid in te per nomen patris &c. Si autem ſenſum locutionis non varient, non tollitur virtus ſacramenti, ſecundùm quod Philoſophus dicit, quòd nomina, & verba tranſpoſita idem ſignificant. Hæc Ric. 4. *di.* 3. *q.* 2. *ar.* 3. *c.* Attendenda eſt etiam intentio; ſi enim fiat tranſpoſitio ex ſimplicitate ſine erroris dogmatizatione, non nocet, ut ſi dicerem: *In nomine Patris, & Filii &c.* Ratio hujus eſt, quia ordo intelligitur in ipſis verbis, eò quòd filius procedit à patre, & ideò ita non oportet exprimere ordinem ſicut nomina perſonarum; ſi autem fiat ex malitia,nocet, quia mutare formam Eccleſiæ non eſt bonum.

ARTICULUS III.

De Numero,& Ordine Sacramentorum Novæ Legis.

Sciendum, quòd ſacramenta novæ legis ſunt ſeptem, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium; ſunt enim ordinata ad medicandum infirmitates ſpirituales, quæ ſunt ſeptem; eſt enim infirmitas pœnæ, & culpæ. Infirmitas culpæ eſt triplex, ſcilicet originalis, contra quam eſt baptiſmus; actualis mortalis, contra quam eſt pœnitentia; & actualis venialis contra quam eſt extrema unctio. Defectus autem pœnæ eſt quadruplex, ſcilicet ignorantia, contra quam eſt ordo, in quo traditur poteſtas diſcernendi; infirmitas, contra quam eſt confirmatio; malitia, contra quam eſt Euchariſtia, & ex his conflata concupiſcentia, contra quam eſt matrimonium; hæc enim quatuor, ut dicit Beda ex peccato nobis inflicta ſunt

Sciendum enim ſecundùm Ric. 4. *di.* 24. *q.* 4. *ar.* 1. *c.* 2. quod ſemper dignè recipienti ſacramentum ordinis confertur aliqua illuminatio contra ignorantiam, quæ eſt in homine ratione peccati originalis tantùm, licèt enim ſemper appareat in effectu hominem illuminationem recepiſſe talem, illa tamen illuminatio totam illam ignorantiam non tollit, ſed minuit. Dicitur autem quodlibet prædictorum ſacramentorum, unum ſacramentum ab una perfectione finis; ſicut dicitur una domus, quia licèt in ipſa gerantur plura, totum tamen, quod ibi geritur, ad unum ſignificandum, & efficiendum ordinatur. Primò autem ordinantur illa ſacramenta, quæ reſpiciunt communiter omnes, putà Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio; poſtea quæ reſpiciunt ſpecialiter aliquos, ut ultima duo, Ordo, & Matrimonium. Inter prima verò quinque, primò ordinatur illud, quod eſt ſacramentum intrantium, ſcilicet Baptiſmus; ultimò illud, quod eſt exeuntium, ſcilicet Extrema-Unctio; media autem ſunt progredientium, inter quæ primò ordinatur illud, quod pertinet ad gratiæ collatæ conſervationem, ſcilicet Confirmatio. Secundò, illud quod eſt ad ejus augmentum, & roborationem, ſcilicet Euchariſtia. Tertiò, illud quod eſt ad ejus, ſi ſit amiſſa, reparationem, ſcilicet Pœnitentia. Inter ultima verò duo, primò ordinatur illud, quod reſpicit perfectos, ſcilicet Ordo; ſecundò, illud quod reſpicit imperfectos, ſcilicet Matrimonium.

Dubitaret autem aliquis de aſperſione aquæ benedictæ, an ſit ſacramentum, pro eo quod eſt contra peccata venialia remedium?

Reſpondeo, quòd non eſt ſacramentum, quia per aſperſionem aquæ benedictæ remittuntur venialia per modum meriti, in quantum ſcilicet excitat motum voluntatis, ſive fervorem charitatis, per quem fit remiſſio peccatorum venialium, non tanquam per vim ſacramenti. Sacramenta verò ſignificant rem ſacram, ut ſacrantem actu per virtutem ſacramenti, non per modum meriti; hæc Ric. 4. *di.* 1. *q.* 1. *ar.* 3. *c.* 1. Secundùm autem Tho. 3. *di.* 2. *q.* 2. *ar.* 2. *c.* 7. aqua benedicta ordinatur directè ad tollendum impedimentum, undè datur contra nequitiam dæmonum, & venialia, & omne quod poteſt impedire ſacramentorum effectum; undè non eſt ſacramentum, ſed quoddam ſacramentale, quaſi diſpoſitio quædam ad ſacramenta.

Et nota, quòd cùm aqua non benedicta additur aquæ benedictæ, fit *ſecundùm Bon.* 4. *diſ.* 12. *q.* 2. *ar.* 2. *c.* tota benedicta; & idem eſt de oleo non conſecrato. *extra. de conſe. ec. quod in duobus.* & idem dicunt Tho. 4. *diſt.* 12 *q.* 1. *ar.* 2. *q.* 6. *c.* 2. & Pe. 4. *di.* 12. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 2. *c.* 2.

Dubitaret etiam aliquis de juramento, utrum ſit ſacramentum, cum vocetur communiter ſacramentum juramenti?

Reſpondeo, quòd habet quandam habitudinem ad res ſacras, in quantum ſcilicet eſt conteſtatio quædam per ſacra, vel aliquid ſacrum, & ex hoc dicitur juramentum eſſe ſacramentum, non eadem ratione,qua nunc loquimur de ſacramentis, ſed æquivocè ſumpto nomine ſacramenti, vel analogicè, ſcilicet ſecundùm diverſam habitudinem ad aliquid unum, quod eſt res ſacra. Hæc Tho. 3. *q.* 9. *ar.* 1. *c.* 3.

ARTICVLVS IV.

De Effectu Sacramentorum.

SCiendum, quòd effectus ſacramentorum novæ legis eſt duplex; unus principalis, ſcilicet gratia gratum faciens, ad quam principaliter ordinantur; alius ſecundarius præambulus, ut diſpoſitio, & ordinatio ad ulteriorem perfectionem, ſcilicet gratiam gratum facientem, & iſte dicitur character, vel aliquis ornatus animæ in ſacramentis, in quibus non imprimitur character. Dicuntur autem ſacramenta cauſare duo prædicta ſecundùm Bon. 4. *diſt.* 1. *q.* 1. *ar.* 3. non quaſi faciant ea in anima, ſed quia virtus Dei ſuſcipientibus ſacramenta aſſiſtit ad infundendum illa ex ordinatione ſua. Mar. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; undè dicit Aug. 9 *de civ. Dei. c.* 7. quòd Spiritus Sanctus operatur intrinſecus, ut valeat medicina, quæ exhibetur extrinſecus; aſſiſtit autem ad hoc tunc virtus divina merito Paſſionis Chriſti, undè ſuper illud *Rom.* 5. *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Glo. ex latere Chriſti profluxerunt ſacramenta*, ſcilicet aqua ablutionis, & ſanguis redemptionis, per quæ ſalvata eſt Eccleſia; & ſpecialiter de baptiſmo habetur *de conſe. di.* 4. *proprie. & extra. de baptiſ. majores.* §. *contè.*

Si quæratur, quid ſit character prout hic accipitur; dicendum, quòd ſecundùm quod elici poteſt ex ſcriptis magiſtrorum, character eſt quoddam ſpirituale ſignum animæ divinitus impreſſum gratiæ ſignificativum, & quantum eſt de ſe ad gratiam diſpoſitivum Dei, cujus gratia eſt; & ſimilitudo configurativum, & populi Dei ſecundùm fidei ſtatum diſtinctivum, reddens hominem habentem ipſum ſpiritualium actuum communicativum, cujuſmodi ſunt miniſtratio, vel receptio ſacramentorum; & indelebiliter permanſivum; undè Aug. *charactere ſemel impoſito nunquam aliquis eo carebit.* Hoc autem verum non eſſet, niſi per ſacramentum illud aliquid perpetuum anima reciperet. Quia verò, ut dictum eſt, character eſt ſignum diſtinctivum populi Dei ſecundùm ſtatum fidei, ideò imprimitur tantùm in ſacramentis recipientibus determinatum fidei ſtatum. Triplex autem eſt ſtatus fidei in Eccleſia militante, & ſecundùm hoc eſt triplex diſtinctio, ſicut in exercitu. Prima communis totius exercitus ab alio exercitu. Secunda ſpecialis militum à popularibus. Tertia ſpecialiſſima ducis ab utriſque. Prima reſpicit ſtatum fidei gignendæ, & hæc fit per characterem baptiſmi. Secunda ſtatum fidei defendendæ ab adverſariis, & hæc fit per characterem confirmationis. Tertia ſtatum fidei multiplicandæ in aliis, & docendæ, & hæc fit per characterem ordinis. Prima eſt bonorum à malis, ſeu fidelium ab infidelibus. Secunda fortium ab infirmis. Tertia clericorum à laicis; hæc Bonaven. 4. *di.* 6. *q.* 1. *ar.* 4. *c.*

ARTICVLVS V.

De Miniſtris Sacramentorum.

CIrca quintum ſcilicet miniſtros ſacramentorum quæruntur plura, &

I. *Utrum poteſtas miniſterii conveniat etiam malis in ſacramentis?*

II. *Utrum ſanctitas miniſtri operetur aliquid ad effectum ſacramenti?*

III. *Utrum mali peccent diſpenſando ſacramenta?*

IV. *Utrum malus miniſter, cui offertur puer baptizandus in periculo mortis exiſtens ſit perplexus?*

V. *Utrum ſuſcipiens ſacramentum à malo miniſtro peccet?*

VI. *Utrum Angeli poſſint eſſe miniſtri ſacramentorum?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic; quædam enim ſunt de ſubſtantia ſacramenti, & hæc omiſſa, ſacramenta evacuant; quædam verò de congruentia, & hæc ſi omittantur, non evacuant; bonitas verò miniſtri de congruentia eſt, non de ſubſtantia; nam ea, quæ ſunt de ſubſtantia, oportet eſſe certa; bonitas verò miniſtri incerta eſt, ideò ſi deſit, non eſt minùs ſacramentum, unde Aug ſuper illud *Jo.* 1. *ſuper quem videris &c.* dicit: *quid tibi facit miniſter malus, ubi bonus eſt dominus*; & habetur *de conſe. di.* 4. *baptiſmus.* ad hoc etiam eſt *ar. c. di. c. Romanus Pontifex. & e. di. quatuor, c. ſequentibus ad dictum. c. Romanus Pontifex. & pluribus aliis.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd non, undè Auguſt. *ſuper Jo. tract.* 5. & habetur *de conſe. diſtinc.* 4. *cum baptizat malus, non datur* inquit *impar baptiſmus per impares miniſtros.* hoc idem etiam probatur in pluribus aliis capitulis *ejuſdem diſt.*

Sciendum tamen, quòd in ſacramento quædam ſunt ſubſtantialia, & in his non plus valet operatio boni miniſtri, quàm mali, quia Deus ibi operatur ut actor, homo ut miniſter; quædam verò non ſunt ſubſtantialia, ut ſacramentalia, ſcilicet orationes, & hujuſmodi, & in his poteſt valere ſanctitas, & bonitas miniſtri, & hoc per accidens, non per ſe, quantùm ſcilicet ad aliquos effectus accidentales ſacramento non eſſentiales, ſecundùm Pe. 4. *di.* 5. *q.* 3. *ar.* 1. *q.* 1. & 2. & Rich. 4. *di.* 5. *q.* 3. *ar.* 1. *c.* Vel dicendum, quòd illud, quod eſt effectus ſacramenti, non impetratur oratione Eccleſiæ, vel miniſtri, ſed ſolùm paſſione, & merito Chriſti, ut dictum eſt; undè effectus ſacramenti non datur melior per miniſtrum meliorem; aliquando tamen annexum impetrari poteſt recipienti ſacramentum per devotionem miniſtri; ſed tamen miniſter non operatur, ſed impetrat operandum à Deo; Sancti enim aliquando inveniuntur baptizando obtinuiſſe his, quos baptizabant ſanitatem corporis, ut ſanctus Silveſter Conſtantino mundationem lepræ.

Circa

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic; nàm aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur, non ſecundùm quod oportet, ut patet per Philoſophum 5. *Ethic.* Eſt autem conveniens, ut miniſtri ſacramentorum ſint juſti, & mundi, quia miniſtri debent domino conformari, ſecundùm illud *Levit.* 19. *Sancti eritis &c.* & ideò non eſt dubium, quin mali exhibentes ſe miniſtros Dei, & Eccleſię in diſpenſatione ſacramentorum peccent; & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem ſacramentorum, quantùm eſt ex parte ipſius hominis peccatoris, licèt ſancta ſecundùm ſe incontaminabilia ſint; conſequens eſt, quòd tale peccatum ſit mortale ex genere ſuo. Hęc Tho. 3, *diſtinc.* 5. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 4. *c.* & 3. *q.* 64 *ar* 6. *c.*

Circa quartum reſpondeo, ut infra ubi agetur de his, quę requiruntur ex parte baptizantium.

Circa quintum reſpondeo. Ille qui ad ſacramenta accedit, ſuſcipit quidem ſacramentum à miniſtro Eccleſiæ, non in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum eſt miniſter Eccleſię; & ideò quamdiù miniſter ab Eccleſia toleratur, ille, qui ab eo ſuſcipit ſacramentum, non communicat ejus peccato, ſed communicat Eccleſię, quæ tanquam miniſtrum exhibet eum, undè non peccat in hoc niſi fortè per accidens, communicando ejus peccato, vel conſentiendo, ſi hoc ipſo faveat ei, vel foveat eum in peccato; undè dato etiam, quod malus presbyter peccet ſacramentum conferendo; non tamen operatur, quòd ſumens, vel petens ab eo, etiam prĕter cauſam neceſſitatis peccet, propter duo; primò, quia non poteſt eſſe certus, quòd ille ſit in peccato mortali, cui Spiritus Sanctus cooperatur miniſtranti juſtificationem impii. Secundò, quia petit, quod juſtum eſt, quia ſacramenta à ſuo presbytero recipere debet, nec per hoc cogit, nec inducit eum ad peccandum, quia ille reddere poteſt non peccando, quod debet; ſi verò ab Eccleſia non toleratur, putà cum degradatur, ſuſpenditur, vel excommunicatur, peccat, qui ab eo recipit ſacramentum, quia communicat peccato ipſius, niſi cùm in neceſſitate ſuſciperet ab eo baptiſmum. Hęc Tho. 4. *di.* 5. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 5. & Pe. 4. *di.* 5. *q.* 3. *ar.* 1. *q.* 3.

Circa ſextum reſpondeo, ut ſupra dictum eſt, tota virtus ſacramentorum à Paſſione Chriſti derivatur, quę eſt ejus ſecundùm quod homo, cui in natura conformantur homines, non Angeli, ſed ſecundùm paſſionem dicitur modicum ab Angelis minoratus, ut patet ad *Hebr.* 12. & ideò ad homines pertinet diſpenſare ſacramenta, non ad Angelos.

Sciendum tamen, quòd ſicut potentiam ſuam non alligavit Deus ſacramentis, quin poſſit ſine ſacramentis effectus ſacramentorum conferre; ita etiam potentiam ſuam non alligavit miniſtris Eccleſię, quin etiam Angeli poſſint veritatem miniſterii conferre in ſacramentis; & quia boni Angeli ſunt nuncii veritatis, ideò ſi aliquid ſacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, ratum eſſet habendum, quia conſtare debet hoc fieri auctoritate divina, ſicut quędam templa dicuntur miniſterio Angelorum conſecrata; ſi verò dęmones, qui ſunt ſpiritus mendacii, aliquod ſacramentale miniſterium exhiberent, non eſſet ratum habendum; hęc Thom. 4. *diſ.* 5. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 2. *c.* o. & 3. *q.* 64. *ar.* 7. *c.*

De intentione, & fide, utrum requirantur in miniſtris ſacramentorum, vide infra, ubi agitur de his, quę requiruntur ex parte baptizantium.

ARTICVLVS VI.

De Iteratione Sacramentorum.

Circa ſextum, ſcilicet iterationem ſacramentorum quęruntur plura, & prĕcipuè

Utrum poſſint iterari? Ad quod reſpondeo tria ſacramenta penitùs iterari non poſſunt, nec debent, ſcilicet Baptiſmus, & Ordo. 1. *q.* 1. *quod quidam, in prin.* Similiter confirmatio *de conſe. di.* 5. *dictum eſt.* & *c. de homine.* Quia ergo non poſſunt iterari, ideò nihil facit, qui iterat; quia verò non debent, ideò qui ſcienter iterat, graviſſimè peccat; reliqua verò quatuor iterari poſſunt, ſcilicet matrimonium. 31. *q.* 1. *aperiant.* & *c. ſeq.* Item Euchariſtia *de conſe. di* 2. *quotidie.* Item pęnitentia. *extra. de pæni. & remiſ. omnis* Item extrema unctio. 35. *diſ. illud.* Ratio autem horum eſt, quia nullum ſacramentale, nec ſacramentum, quod habet effectum perpetuum, debet iterari, quia oſtenderetur ſacramentum non fuiſſe efficax ad faciendum illum effectum, & ſic fieret injuria illi ſacramento. 1. *q.* 1. *quod quidem.* Sacramentum autem, quod habet effectum non perpetuum, poteſt iterari ſine injuria, ut effectus perditus meritò recuperaretur. Quia ergo prima tria effectum habent perpetuum, imprimunt enim characterem indelebilem in anima, qui ex quo ſemel imprimitur, ampliùs non poteſt imprimi, & ille effectus primus, ſine quo nihil ſit, eſt perpetuus, ideò non poſſunt, nec debent iterari; & quia etiam ſic ſtatuit dominus; undè ſi aliquis reſuſcitaretur, non eſſet rebaptizandus, vel reordinandus, vel reconfirmandus. Secùs autem eſt de aliis quatuor ſacramentis. Probatur hęc diverſitas ab Aug. 32. *q.* 7. *licitè.* & 1. *q.* 1. *quod quidam.*

Quidam autem dicunt, quòd nullum ſacramentum eſt iterandum, pro quibus facit Aug. dicens: *Nulli ſacramento eſt injuria facienda*, ergo nullum ſacramentum eſt iterandum, quia de tali injuria loquitur *de conſe. di.* 4. *oſtenditur.* Concordando verò poteſt dici ſine prejudicio, quod ſacramentum iterari poſſit, intelligitur dupliciter; uno modo reſpectu ejuſdem ſumentis, & ſic verum eſt, quod ſupradicta quatuor

quatuor poſſunt iterari, quia ab eodem poſſunt pluries ſumi; alio modo reſpectu ejuſdem effectus; & ſic verum eſt, quod etiam illa quatuor iterari non debent; ſi enim iterarentur ad eumdem effectum in numero, ad quem priùs fuiſſent ſumpta, & collata, fieret ipſis injuria, ac ſi fuiſſent priùs ab effectu ſuo vacua, cùm tamen ſemper habeant ſuum effectum, niſi adſit impedimentum ex parte ſumentis; iterari tamen poſſunt ab eodem ad effectum novum ſine injuria ſacramenti ratione prędicta.

Quę eſt pæna iterato conferentis baptiſmum?

Reſpondeo, qui ſcienter aliquem rebaptizaverit ſecundùm Hoſtien. *tit. de apoſtaſia.* talis ſi ſit clericus eſt ſecundùm canones deponendus. *ar. de conſe. di.4. eos, quos. & c. qui bis.* Si ſit laicus, eſt excommunicandus, & pæna graviori plectendus, ut dicitur *ibidem*; nec poteſt ordinari; undè etiam Acholitus, qui miniſterium præbuit ſcienter Presbytero baptizanti, ſi publicum ſit, nòn debet ad ordines promoveri, niſi religionem intret, ubi favore religionis poteſt ſecum diſpenſari; ſi verò ſit occultum, cùm de pęna pęnitentiam egerit, promoveri poteſt. *extra. de apoſta. ex literar.* Si verò rebaptizavit ignoranter ignorantia facti, exhibita debita diligentia, omnimodè excuſatur. Si autem ignorantia juris non excuſatur, quia talis ignorantia in talibus non excuſat, Secundùm leges verò, qui rebaptizat, ſi ſit laicus, eſt decapitandus; ſi verò ſit presbyter tanquam indignus à ſacerdotio deponendus. *C. de ſan. ba. itere. l.* 1.

Quę eſt pęna ſuſcipientis iterato baptiſmum?

Reſpondeo, ſecundùm leges videtur eſſe decapitandus, ut in prædicta lege; ſecundùm verò Canones, qui ſpontè, vel coactè conditionaliter fuerint rebaptizati, non poſſunt promoveri, & idem intellige ſi ignoranter, & poſtea cum ſciverint ratum habuerint. *di. l. confirmandum eſt. & 1. q. 7. convenientibus. & c. qui in qualibet.* Hoc autem fuit ſtatutum propter reverentiam ſacramenti, & in deteſtationem injuriantium ſacramento; in habitu tamen clericali debent iſti vivere, & ſic retinebunt privilegium clericale. *di.*81. *dictum. & de conſecratione di* 5. *dictum.* qui autem ignoranter fuerint rebaptizati, ſicut interdum fit de pueris, vel coacti abſolutè, poſſunt promoveri de jure ſecundùm aliquos, ex quibus eſt Hoſti. Secundùm verò alios, de diſpenſatione Epiſcopi; & hoc eſt tutiùs ſecundùm Goff *&* 1. *q.*4. *placuit.* de utriſque habetur *de conſe. di* 4. *eos, quos.*

Obviare tamen prædictis videtur *de conſe. di.* 4. *qui bis.* ubi dicitur: *Si quis eſt ignoranter rebaptizatus, non indiget pro eo pænitere, ſed tamen irregularis eſt, & non poteſt promoveri, niſi neceſſitas magna cogat.*

Reſpondeo ſecundùm Bar. hoc intelligitur de ignorantia juris, quæ non excuſat; & cum dicitur, quod talis *non indiget pro e o pænitere*; ſupplet, verum eſt tamen quantum aliàs. Secundùm Hug. verò intelligitur non tantum de ignorantia juris, ſed etiam facti, & factum fuit hoc olim in odium rebaptizantium, ſed hodie benè poſſunt tales promoveri, quia tales omnino excuſat ignorantia facti; & hæ reſponſiones habentur *in gloſ. prædicti. c. qui bis.* Ponuntur etiam à Goffr. partim *in ſum. ſua. ti. de ſacram. non iteran.* Quod verò dicitur ibi: *niſi neceſſitas cogat*, additur, quia imminente neceſſitate eſt cum talibus per Epiſcopum diſpenſandum. Secundùm autem Sco. 4. *diſ. 6. q.* 4. *ar* 1. *q.*2. *illud. c. qui bis.* cum accipiatur ex pænitentiali Theodori Epiſcopi Cantuarien. infligere non poteſt irregularitatem; niſi fortè dicatur, quòd omnia c. à Gratiano in corpore decretorum incorporata, ſunt à Papa confirmata; hoc tamen non eſt manifeſtum, ſicut eſt manifeſtum, quod omnia, quæ ſunt in corpore decretalium, ſunt per Papam confirmata; hoc enim patet per proemium Greg. IX. & per proemium Boniſa. VIII.

Et ſi dicatur; licèt ille Epiſcopus non potuerit jus illud condere, innuit tamen Papam illud jus condidiſſe, cùm dicit ſecundùm Canones.

Reſpondeo, Gloſator deberet oſtendere, ubi ſit ſuper hoc editus Canon, & hoc non facit. Poteſt ergo dici, quòd ignorantia dummodo ſit probabilis, ſicut excuſat totaliter conferentem à pęna irregularitatis, ita & ſuſcipientem; univerſaliter enim pæna canonica non incurritur, niſi à latore canonis inferatur; ubi ergo non invenitur ex vi verborum inflicta, dicendum eſt, quòd nulla eſt; verba enim conſtitutionum pænalium non ſunt amplianda, ſed potiùs reſtringenda ſecundùm regulam juris, hæc Sco. *ubi ſupra.*

Quod autem dictum eſt de rebaptizato, intelligendum eſt etiam de reordinato, vel reconfirmato. *ar. di.68. c.*1. *& de conſe. di.*5. *dictum. & di.*50. *presbyteros.* ita dicunt Canoniſtæ. Sed Sco. *ubi ſupra in ſi.* dicit contrarium, cùm non inveniatur expreſsè in jure irregularitas inflicta pro iteratione confirmationis; & hoc confirmatur *per illud c. dictum.* ubi infligitur pæna pro iteratione confirmationis, & non pæna irregularitatis, ſed magis innuitur oppoſitum, ſcilicet exercitium officii clericalis. De pæna etiam talibus imponenda dicitur infrà, cùm de menſura ſatisfactionis agetur.

Quid de illo, qui dubitat probabiliter, utrum ſit baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus?

Reſpondeo, quòd ſine periculo propter tale dubium poteſt baptizari, ordinari, & confirmari, quia non intelligitur iteratum, quod neſcitur eſſe factum. *de conſe. di.*1. *ſolemnitates dedicationum. & de conſe. diſt.*4. *ſi nulla. & extra. de presby. non bap. veniens.* undè ſi habita diligentia, requirendo ſcilicet à familiaribus ejus;

ejus, & notis, de eo per aliquem ſciri non poſſit, quod baptizatus fuerit, intrepidè rebaptizari poterit. *de conſe. diſt.4. cum itaque.* quinimmò etiam tenetur, & debet *in dicto c. ſi nulla.* undè in tali caſu, quia illud eſt ſignum probabile, quod non ſit baptizatus, eum, qui baptiſmum iterat, ignorantia totaliter excuſat; debet autem tunc conferens baptiſmum his verbis uti: *Si es baptizatus, non baptizo te; ſed ſi non es baptizatus. ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. extra. de baptiſ. c.* 2. & eamdem formam ſervet in aliis.

Quomodo de aliquo conſtabit probabiliter, quod baptizatus ſit?

Reſpondeo, unius hominis teſtimonio; nam de paptiſmo, & confirmatione creditur teſtimonio unius hominis, ſecùs eſt de ordine. *diſ.9. aſſroſ.* & eſt ratio ſecundùm Grego 1. *q.* 1. §. *ecce cum honoris.* quia circa talia, ſcilicet quæ etiam ad alios ordinantur, ut eſt ordo, majus periculum vertitur. *di.* 42. *quieſcamus.* hoc notatur *di.* 4. *placuit in gloſ.*

Eſtò quod inveniatur infans expoſitus, & à quo ſit expoſitus neſciatur penitùs, nec cum eo ſignum, vel veſtigium invenitur, quòd baptizatus ſit, nunquid eſt talis baptizandus abſolutè, vel ſub conditione?

Reſpondeo, talis eſt baptizandus, quia in dubio quiſque baptizari debet. *de conſe. di* 4. *parvulos. & c. ſi nulla.* quia tamen non eſt certum eum non eſſe baptizatum, ideò ad vitandum omne periculum baptizandus eſt ſub conditione, ut prædictum eſt.

Quid ſi aliquis probet ſe eſſe ordinatum quoad ſpeciem facti, tamen alius excipit contra eum dicens, eum non fuiſſe baptizatum; numquid crederetur tunc unius teſtimonio quoad baptiſmum?

Reſpondeo, dicit Hug. quòd quando non eſt præjudicium alii, creditur, aliàs autem non; undè non poſſet quis de baptiſmo ſuo teſtimonium facere per unum, ſi quid ſibi legatum eſſet ſive relictum, ſub hac conditione, ſcilicet ſi baptizatus eſſet, quia ſcilicet fieret præjudicium hæredi. *de conſe. diſ.4. placuit in gloſ.*

Quid ſi dubitetur de mortuo, utrum fuerit baptizatus?

Reſpondeo, quòd ſecùs eſt de vivo, & de mortuo; ubi enim dubitatur de vivo, habetur pro non baptizato, & baptizatur. *de conſe. di.* 4. *cum itaque.* ubi verò dubitatur de mortuo, præſumendum eſt eum eſſe baptizatum. *extra. de preſ. non baptiſ. c.*2. & 3. ubi dicitur de eo, qui natus eſt ex Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentibus forſitan argumentis contrarium probaretur. De hoc etiam eſt *ar. de conſe. diſt.* 4. *quibus. & c. præallegato cum itaque.* ubi etiam hoc nota in glo.

TITULUS II.

De Catechiſmo, & Exorciſmo.

Conſequenter conſiderandum eſt de ſingulis ſacramentis in ſpeciali ſecundùm ordinem præmiſſum, undè

Primò conſiderandum eſt de Catechiſmo, & Exorciſmo, quæ duo præparant ad baptiſmum,

Secundò, de ipſo baptiſmo.

Tertiò, de efficacia baptiſmi.

Quartò, de miniſtris baptiſmi.

Quintò, de baptizandis. Quare ſit

ARTICULUS I.

De Catechiſmo.

Circa Catechiſmum autem quæruntur plura, ſcilicet:

I. *Utrum Catechiſmus debeat præcedere Exorciſmum, vel è converſò?*

II. *Utrum debeat Catechiſmus præcedere Baptiſmum?*

III. *Utrum verum dicat patrinus reſpondens pro parvulo*, Credo?

IV. *Utrum parvuli ſint catechizandi?*

V. *Utrum ex reſponſione patrini obligentur?*

VI. *Utrum parvulus per eos obligetur?*

VII. *Utrum hujuſmodi obligatio ſit votum?*

Circa primum reſpondeo, ſi baptizandus ſit adultus, & capax doctrinæ, tunc ſecùs eſt, quàm ſi ſit parvus, unde in adultis præcedit catechiſmus; in parvulis verò exorciſmus, & ideò mutatus eſt ordo ſecundùm aliquas Eccleſias, nec obſervatur ille, qui conſuevit eſſe in Eccleſia primitiva, quia tunc baptizabantur adulti, nunc autem parvuli.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic, *de conſe. di.* 4. *ante baptiſmum. & c. prima.* Cùm enim baptiſmi ſalus per fidei veritatem ſit; meritò requiruntur à baptizando ea, quæ ſunt de neceſſitate fidei; hæc autem ſunt tria, ſcilicet fidei ſuſceptio, profeſſio, & obſervatio, & ideò propter hæc tria catechiſmus eſt inventus, in quo fit inſtructio de articulis communibus diſtincta ad fidei ſuſceptionem, fit etiam reſponſio ad fidei profeſſionem, fit etiam reſponſio, ſive obligatio ad fidei obſervationem Quia verò adultus peccatum proprium habet, & per ſe credere poteſt, requiruntur hæc de neceſſitate ab eo, & per ſe ipſum. Quia parvulus nec peccatum actuale habet, nec per ſe actu credere poteſt, ideò requiruntur ab eo de congruitate, & per vicarium, ſcilicet patrinum ſuum.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic, quia reſpondet pro eo de fidei ſacramento ſecundùm Aug. in præſenti, ut ſit ſenſus: *Credo*, ide

fidei ſacramentum ſuſcipio, vel ſuſcipere præſto ſum: & non eſt ſermo falſus, vel inſolitus, quia ut dicit Aug. ad Bonifacium, ſæpè ſignum ſumitur pro re, ſicut dicimus: cras erit reſurrectio Domini; & videns furnum, dicit ſe videre ignem; Vel reſpondet de obſervantia fidei in futuro ſecundùm Dionyſium, ut ſit ſenſus: *Credo*, ideſt quando ad perfectam ætatem venerit, credet; & hoc quidem confiteri poteſt ex propoſito ſollicitudinis circa eum adhibendæ; aut alio modo poſſet eſſe ſenſus: *Credo*, ideſt operam dabo ad hoc, quod credat.

Circa quartum reſpondeo, quòd ſic, licèt enim catechiſmus propter adultos fuerit inſtitutus, ſunt tamen catechizandi etiam parvuli, licèt nullam poſſint apprehendere inſtructionem circa exprimendam veritatem, ſive utilitatem baptiſmi; tum etiam propter majorem ſolemnitatem; tum etiam ut patrini melius ſciant ſuper quibus debeant parvulos informare, tum etiam ut parvulus fidem, & religionem chriſtianam diligentius cuſtodiat per h[illegible]d ſciet ſe eam per alium in baptiſmo profe[illegible] fuiſſe.

Sed quæritur in cujus perſona reſpondeant patrini?

Reſpondeo, poteſt dici, quòd in perſona ſui, vel in perſona parvuli, ut patet ex ſupra dictis.

Circa quintum, habetur infra, ubi agitur de ritu baptiſmi.

Circa ſextum reſpondeo, quædam ſunt neceſſitatis, & ad hæc poteſt homo per alium obligari; quædam voluntatis, & ad hæc requiritur proprius conſenſus. Obligatur ergo per patrinos voto generali non ſpeciali ad ea, quæ ſunt neceſſitatis, non ad ea, quæ ſunt ſupererogationis. *de conſe. di.* 4. *parvuli.* hæc Bon. 4. *diſt.* 6. *p.* 2. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 3.

Circa ſeptimum reſpondeo, quòd non propriè, quia votum propriè eſt de eo, quod eſt ſupererogationis, extenſo tamen nomine eſt votum, quia eſt voluntaria obligatio, undè ſuper illud Pſalm. *Vovete, & reddite &c.* dicit glo. quòd votum emittitur in baptiſmo. Non facit autem duplex præceptum veniendo contra, quia non obligatur poſtea magis quàm prius de neceſſitate, ſed de bono, & æquo. Hæc Bon. *ubi ſupra. quæſt.* 4.

ARTICULUS II.

De Exorciſmo.

Circa exorciſmum ſciendum, quòd baptiſmum prævenire debet, non tantùm catechiſmus, ſed etiam exorciſmus. *de conſe. diſt.* 4. *ſive parvuli. uſque ad c. illud veniet ad fontem*, quia per exorciſmum aſſiſtente ſibi virtute divina, poteſtas diaboli expellitur à baptizando. Sic intelligendo ſecundùm Rich. 4. *di.* 6. *q.* 6. *ar.* 1. *c.* quod arctatur poteſtas diaboli reſpectu illius, ne cæteris paribus tantùm poſſit de cætero contra illum quantum velit, ſed per exorciſmum fit, ne maximè impediat baptizandum à ſuſceptione baptiſmi, & effectu ejus; undè non debet exorciſmus aliquo modo prætermitti, niſi in neceſſitate, & tunc ceſſante periculo debet ſuppleri, ut ſolemnitas, & uniformitas ſervetur in baptiſmo, & etiam quia ſecundùm Rich. *ubi ſupra*, habet efficaciam etiam poſt baptiſmum reprimendo diaboli poteſtatem, quam diabolus accepit ſuper hominem per peccatum; licèt enim in parvulo poſt baptiſmum non ſit peccatum, tamen in eo remanet actualiter fomes peccati; cum prędictis conveniunt Tho. 4. *di.* 6. *q.* 2. *ar.* 3. *q.* 1. & alii doctores. Debet etiam baptizandus catechizari, & exorcizari per presbyterum. *de conſe. di.* 4. *ſacerdotes.*

Ad hoc nota, quòd adulti baptizandi debent tribus ſeptimanis ante baptiſmum catechizari, & exorcizari, in quibus doceantur ſymbolum, ſcilicet *Credo in Deum*, &c. & in cœna Domini debent Epiſcopo, & Presbytero reſpondere, & poſtea baptizari in ſabbato Paſchæ. *de conſe. diſt* 4 *baptizandos. & c. ſequen.* Judæi autem quia frequenter ad vomitum redeunt, debent ante baptiſmum quadraginta diebus catechizari, & in abſtinentia probari. *diſt.* 4. *ne quid obſit.*

Quid autem ſignificent ea, quæ fiunt in catechiſmo, & exorciſmo, ponitur *de conſe. di.* 4. *ab illo. c. poſtea. uſque ad c. venit. & c. perſona.* habetur etiam hoc infra *de ritu ſolemni baptiſmi, quaſi in fi.*

TITULUS III.

De Baptiſmo.

Poſtea conſiderandum eſt de ipſo baptiſmo, &

Primò, de quo baptiſmo eſt hìc intentio?

Secundò, quid eſt baptiſmus, de quo hìc intenditur?

Tertiò, à quo fuit inſtitutus?

Quartò, de ejus materia, ſive liquore, in quo habet fieri.

Quintò, de forma verborum ejus, quæ debent ibi dici.

Sextò, de lotione.

Septimò, de ritu baptiſmi, & quare baptiſmus non poſſit iterari. Sit igitur

ARTICULUS I.

De quo Baptiſmo ſit hìc intentio?

Circa primum ſciendum, quòd triplex eſt baptiſmus, ut dicit Auguſt. *li.* 4. *de unico baptiſmo* & habetur *de conſe. diſt.* 4. *baptiſmi vicem.* ſcilicet fluminis, ſanguinis, & flaminis, ſive Spiritus Sancti; de primo *Jo.* 3. *& poſt hoc venit Jeſus in terram judæam, & baptizabat*; de

de ſecundo *Jo.* 12. *Baptiſmo hoc habeo baptizari*; de tertio *Act.* 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Primus dicitur propriè baptiſmus, alii duo metaphoricè, quia uterque inſtar baptiſmi aquæ habet purificare, & per conſequens vicem ejus ſupplere. Eſt autem potiſſimus baptiſmus ſanguinis, undè Aug. ad Fortunatum, & habetur *de conſe. diſt 4. cathecuminum.* Baptizatus confitetur fidem ſuam coram ſacerdote, Martyr coram perſecutore, ille poſt profeſſionem ſuam aſpergitur aqua, hic ſanguine. Præſens autem intentio eſt de baptiſmo aquæ.

ARTICVLVS II.

Quid ſit Baptiſmus?

Circa ſecundum, ſcilicet quid ſit baptiſmus, ſciendum, quòd baptiſmus dicitur ab eo quod eſt baptizare, quod græcè idem eſt quod lavare latinè, undè baptiſmus poteſt dici lavacrum, quod eſt aqua deputata ad lavandum, vel lotio, quod eſt effectus, vel uſus lavacri. Secundùm autem quod baptiſmus eſt nomen ſacramenti, definitur ſic à magiſtro ſentent. *lib. 4. diſt.* 3. baptiſmus eſt ablutio corporis facta ſub forma verborum certa, ideſt determinata. & ſtat ibi ablutio antonomaſticè pro ablutione aquæ; ſtat etiam pro lotione corporis paſſiva, & ly corpus ſtat antonomaſticè pro corpore humano. Sciendum tamen, quod in baptiſmo eſt aliquid, quod eſt ſacramentum tantùm, ut lotio exterior; & aliquid quod eſt ſacramentum, & res, ut caracter; & aliquid quod eſt tantùm res, ſcilicet mundatio interior; & idem intellige de aliis ſacramentis. Primum eſt cauſa ſecundi, & tertii. Secundum eſt ſignum primi, & tertii. Datur autem deſcriptio prędicta de eo, quod eſt tantum ſacramentum in baptiſmo.

ARTICVLVS III.

A quo fuit Baptiſmus inſtitutus.

Circa tertium, ſcilicet à quo baptiſmus fuit inſtitutus, ſciendum, quòd Dominus ſacramentum baptiſmi inſinuavit, inſtituit, & confirmavit. Inſinuavit quidèm facto cum baptizatus fuit à Joanne; & verbo, cum prædixit Nicodemo *Jo* 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. Inſtituit autem facto cum baptizare diſcipulos fecit *Jo.* 3. *poſt hoc venit Jeſus iterum in Judæam & baptizabat.* & tunc inſtituit verbo, & facto, quia dicitur ibi, quod baptizabat, & ſi non in perſona propria, tamen diſcipuli in ſua præſentia, ſecundùm quod ipſe volebat; & iterum miſit diſcipulos ſuos ad prędicandum, & baptizandum *Luc.* 10. Confirmavit autem baptiſmum etiam facto, cum ſcilicet de latere ejus non tantùm fluxit ſanguis, ſed etiam aqua in paſſionis conſummatione; & verbo, quando poſt reſurrectionem omnes diſcipulos, & ſingulos ad prædicandum miſit *Matth. ult.* Et ſic patet ex ſcriptura, quando inſtitutus eſt baptiſmus, & quomodo ſcriptura diverſimodè loquitur. Patet etiam, quòd baptiſmus inſtitutus fuit ante paſſionem, & poſt, ſcilicet antè, inſtitutione privata; poſt verò, inſtitutione publica. Cum omnibus publicatum, & impoſitum eſt Evangelium, prima inſtitutio erat quaſi in conſilio, ſecunda in præcepto, cujus unuſquque ex eo tempore debitor eſſe cępit, ex quo adeum inſtitutio pervenit, ſecundùm Bon. 4. *di.* 3. *p.* 2. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 1. *in fine.* & Ric. 4. *diſ.* 3. *q.* 5. *ar.* 1. *c.* & Gual.

ARTICULUS IV.

De Materia Baptiſmi.

Circa quartum, ſcilicet de ejus materia, ſive liquore, in quo habet fieri, ſciendum, quòd baptiſmus fieri debet in aqua, ratio cujus eſt inſtitutio divina. Inſtitutionis verò hujuſmodi patet congruentia, quia in baptiſmo anima mundatur per gratiam, & ſine eo ſecundùm communem legem nullus ſalvatur, propter quę duo optimè ſibi convenit aqua, ſcilicet quantum ad primum, quia eſt naturaliter ablutiva, & quantum ad ſecundum, quia eſt inter omnes liquores communiſſima; undè debet fieri non in aqua artificiali, ſed in naturali, quia illa ab omnibus communiter, & faciliter poteſt haberi; non ſic autem aqua artificialis. Poteſt autem fieri in omni aqua naturali, non tantùm ſimplici, ſed etiam mixta, & in aqua qualitercumque tranſmutata, dummodo ſit ibi ſpecies aquę ſalva; aliàs ſecùs eſſet, undè poteſt fieri in aqua maris, in lixivio, & in aquis ſulphureis. Ad ſciendum autem diſcernere ſpeciem aquæ oportet attendere tria ſecundùm Gual. ſcilicet liquoris originem, ratione cujus patet, quòd baptiſmus non poteſt fieri in aqua roſacea, vel de ruta, et hujuſmodi facta, nec in urina, nec in ſaliva, *extra. de baptiſ. non ut opponeres.* quia hæ non habent aquæ elementaris originem, ideò nec ſpeciem, & formam, ratione cujus patet, quòd non poteſt fieri in pometa, palmento, & hujuſmodi liquoribus mixtis, quia nec materiam, nec ſpeciem aquæ habent, & efficaciam; ratione cujus patet, quòd non poteſt fieri in clareto, luto, cerviſia, & hujuſmodi. Medo autem ſpeciem aquæ tenet, ideò in eo poteſt fieri baptiſmus, licèt melius fiat in aqua. Cum prædictis conveniunt Ric 4. *diſt.* 3. *q.* 3. *c.* & alii doctores. Si autem aliquis eſſet baptizatus in aliquo liquore, de quo dubium eſſet, an haberet ſpeciem aquæ, rebaptizandus eſſet, ut dicit Sco. 4. *di.* 3. *q.* 3. *c. in particula. q. pura ſub conditione.*

Sed numquid in aqua paludoſa poteſt fieri baptiſmus?

Reſpondeo, quòd ſic, quia licèt coinquinetur

netur corpus accidentaliter propter ejus confuſionem cum immunditiis groſſis, ſalvatur tamen in ea ſpecies aquæ, cui ex natura ſua per ſe convenit habilitas abluendi, & etiam aliquo modo remanet in ea proprietas ablutiva; quod ideò dico, quia ſi nullo modo remaneat in aqua actu proprietas ablutiva, ut in glacie, grandine, nive, & hujuſmodi, quamdiù ſic eſt diſpoſita, baptizari in ipſa non poteſt. Hæc Ric. 4. *diſt.* 3. *q.* 3. *ar.* 3. *c.* 2. *ad oppoſitum.* Si etiam aqua paludoſa eſſet ita incraſſata, quòd recederet à vera raritate aquæ, non eſſet in ea baptizandum, ſicut ſi eſſet lutum, aliàs ſecùs eſſet, quia adhuc ſpecies aquæ remanet. Hæc Tho. 4. *diſt.* 3. *ar.* 3. *c.* 3.

Sed numquid etiam in brodio carnium poteſt fieri baptiſmus?

Reſpondeo, quòd ſic, nam admixtio carnis non ſolvit ſpeciem aquæ, niſi fortè facta ſit tanta reſolutio carnium coctarum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quàm de aqua, quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt; ſi tamen ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua ſubtilis, poteſt in ea fieri baptiſmus, ſicut etiam in aqua, quæ exprimitur de luto, licèt in luto fieri non poſſit baptiſmus. Hæc Tho. 3. *q.* 66. *ar.* 4. *c.* 2.

Numquid ad baptiſmum requiritur aqua ſanctificata?

Reſpondeo, duplex ſit ſanctificatio in baptiſmo; una eſt, quæ fit in baptiſmo per verbum adveniens elemento; alia eſt, quæ fit ante baptiſmum per orationem à Presbytero: prima pertinet ad neceſſitatem baptiſmi, ſicut & ipſum verbum: ſecunda verò de congruo, ita tamen quod niſi neceſſitas hoc requireret, in aqua non ſanctificata quis baptizari non debet, qui aliter faceret, mortaliter peccaret, ſecundùm Bon. 4. *di.* 3. *p.* 2. *q.* 1. *ar.* 2. *in fi.* Si quis autem velit in ſabbato Paſchæ, & Pentecoſtes de aqua conſecrata recipere ad ſuæ domus aſperſionem, recipiat eam ante chriſmatis infuſionem. *de conſe. di.* 4. *in ſabbato ſancto.*

ARTICVLVS V.

De Forma Sacramenti Baptiſmi.

Circa quintum, ſcilicet formam verborum, quæ dicuntur in baptiſmo quæruntur plura, ſcilicet

I. *Quæ ſit illa forma, & ſi eſt illa, quæ penitur extra. de baptiſ. ſi quis. & de conſe. diſ.* 4. *à quodam, & c. multi, ſcilicet: Ego te baptizo, in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti?*

II. *Vtrum expreſſio trium perſonarum ſit de neceſſitate formæ baptiſmi?*

III. *Vtrum in nomine Chriſti poſſet quis baptizari?*

IV. *Vtrum expreſſio actus baptizandi ſit de neceſſitate baptiſmi?*

V. *Vtrum ſi hæc præpoſitio:* In *ſcienter omittatur ſit baptiſmus?*

VI. *Vtrum ly* ego *ſit de neceſſitate, ſive de ſubſtantia formæ baptiſmi?*

VII. *Vtrum peccent Græci non ſervando formam noſtram?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic; in hac enim forma baptiſmi duæ particulæ continentur, una pertinens ad ſanctificationem elementi, ſcilicet invocatio Trinitatis; alia pertinens ad determinationem intentionis miniſtri, ſcilicet expreſſio actus baptizandi Prima habetur ex inſtitutione divina, & eſt eadem apud omnes Eccleſias, & ſecundùm omne tempus; nàm circa illam duo concurrunt ſcilicet expreſſio ipſius actus, & perſonæ, in qua tranſit actus, & hoc iterum eſt commune apud omnes, undè videtur deſcendere à prima conſuetudine, & traditione baptizandi apoſtolica, ſed modus exprimendi eſt diverſus apud Latinos, & Græcos; cùm ergo baptiſma unum ſit illorum, qui baptizantur in Eccleſia Latinorum, & qui in forma Græcorum, quę eſt: *Baptizetur Petrus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* ideò oportet, quòd de ſubſtantia formæ ſit una pars formæ, illa ſcilicet quæ pertinet ad ſanctificationem elementi, alia verò quantum ad expreſſionem actus, & perſonæ baptizatæ; ſimiliter eſt de ſubſtantia; quantum ad modum verò expreſſionis, qui varius eſt, non eſt de ſubſtantia, ſed accidit ex ſtatuto Eccleſiæ, quæ poteſt obligari miniſtrum, ſed non poteſt mutare ſubſtantialiter ſacramentum; ideò etiam ille modus eſt de neceſſitate facientis, & non facti, licèt quidam dicant, quòd ſit de neceſſitate utriuſque, ita quod aliter baptizatum neceſſe ſit rebaptizari, ſed opinio prima eſt verior, & communior. Hæc Pe. 4. *di.* 3. *q.* 2. *ar.* 1. *q.* 1. *c.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic, cujus ratio eſt, quia baptiſmus per formam ſuam conſecratus eſt ſecundùm Apoſtolum *Ephe*, 5. *mundans eam lavacro in verbo vitæ.* Et etiam Auguſtinus *lib de uni. baptiſ.* dicit, quòd baptiſmus verbis Evangelii conſecratur, & ideò oportet, quòd in forma baptiſmi exprimatur cauſa ſanctificationis, ſcilicet Trinitas perſonarum.

Sciendum tamen, quòd profeſſio fidei poteſt fieri quadrupliciter in baptiſmo; aut ita quod ſit plena in corde, & ore, ſed non in fide Eccleſiæ, & tunc eſt vacuum; aut in ore plena, ſed non in corde, & tunc eſt plenum ſacramentum, quia fit in fide Eccleſiæ, & non perſonæ; aut plena in corde, ſed non in ore, & hoc aut fit ex voluntate, & tunc eſt vacuum; aut ex neceſſitate ſcilicet mortis ſupervenientis, vel infirmitatis, & tunc non eſt ſimpliciter plenum, ſed ex divina pietate ſupplente, piè putari poteſt eſſe plenum, ut ſcilicet ſummus ſacerdos non dimittat imperfectum, quod erat inchoatum, & in hoc caſu intelligitur verbum Ambroſii *lib. de Spiritu San. c.* 3. *ſi fide myſterium Trinitatis*

tenea-

teneatur, & *una perſona tantùm nominetur*, *plenum eſt ſacramentum* vel expone, plenum eſt ſacramentum, ideſt plena eſt fides ſacramenti, ſed non effectus ejus; undè ſi talis moriatur, debet ſepeliri in cemeterio. Si autem antequam omnia verba complerentur, impediretur baptizatus, ita quod compleri non poſſet, puer iterum baptizandus eſſet ſub hac conditione ratione dubii: *Si tu non es baptizatus &c.* ſecundùm Ric. 4. *di 3. q. 2. ar. 3. c. 5.* & cum eo conveniunt alii doctores.

Sed objicitur contra prędicta, quia Ber. dicit in quadam epiſtola, quemdam eſſe baptizatum in nomine Dei, & ſanctæ crucis aſſerens; quæris, utrum ſit baptizatus? ego verò hunc baptizatum puto.

Reſpondeo, quòd ſi ly *in nomine Dei* diſtinctam intelligit Trinitatis expreſſionem, verum dicit, quia adjectio facta ex devotione non vitiat ſacramentum; ſi verò non, falſum dicit. ſecundùm Pe. 4. *di. 3. q. 2. ar. 1. q. 2. c. & c. 3.*

Quid ſi dicat in nomine trium perſonarum?

Reſpondeo, non eſt baptizatus, ut habetur *de conſe. di. 4. multi ſunt in gloſ.*

Circa tertium reſpondeo, quòd non, nam nunquam licet formam communem à Chriſto traditam de invocatione Trinitatis mutare in ſpecialem, ſine ſpeciali conſilio Spiritus Sancti, de cujus conſilio tempore primitivę Eccleſiæ Apoſtoli in nomine Chriſti baptizabant duplici ratione, ſcilicet propter modum ſignificandi, nam quodammodo nomine Chriſti tota Trinitas intelligitur, ut Ambroſius exponit. Chriſtus enim unctus dicitur, & ideò ungentem, unctum, & unctionem inſinuat; & propter reverentiam ſignificati, ſcilicet ut nomen Chriſti virtuoſum, & celebre oſtenderetur; ceſſante vero hac cauſa jam non licet ſic baptizare, nec poteſt, ut Theologi communiter dicunt, ſic tradi baptiſmus ſecundùm Bon. 4. *di. 3. par. 1. q. 2. ar. 2. c. 3. ad oppoſitum.* & Pe. *ubi ſupra. c. 2.*

Sed objicitur, quia Nicolaus Papa. *de conſe. di. 4. à quodam.* dicit, quòd ſi in nomine Trinitatis, vel in nomine Chriſti baptizantur, baptizati ſunt; unum enim, idemque eſt, ut ſanctus exponit Ambroſius.

Reſpondeo, quòd non intelligit, quòd verba omnino idem ſonant, ſed quod modus baptizandi in primitiva Eccleſia conformis fuit modo, quem nunc tenet Eccleſia, quia in Chriſto intellectus clauditur Trinitatis, ut dictum eſt ſupra; tamen implicitè, & remotè. Vel idem eſt, quia ejuſdem virtutis eſt, & efficaciæ in caſu, in quo eſſet eadem cauſa baptizandi; undè & eadem diſpenſatio eſſet Spiritus Sancti, ſecundùm Bon. *ubi ſupra. in dubi. circa literam. q. 3.* Vel poteſt dici, quòd quia in nomine Chriſti intelligitur tota Trinitas, ut dictùm eſt, ideò propter dubium, utrum eſſet baptizatus, qui in Chriſti nomine baptizaretur, dicit Papa Nicolaus, quòd non eſſet baptizandus; quod eſt intelligendum abſolutè, quia modò ſi aliquis hoc modo baptizaretur, deberet rebaptizari ſub conditione, ſecundùm Ric. 4. *diſt. 3. q. 2. ar. 3. c. de prima variatione formæ*, quia non legitur, ubi prædicta diſpenſatio fuerit relaxata, dubium eſt, an talis ſit baptizatus; & ideò ſub conditione eſſet baptizandus. Secundùm verò Jo. *de conſe. di. 4. à quodam.* & Ber. *extra. e. ſi quis.* Si quis in nomine Chriſti baptizaretur, baptizatus eſſet, licèt non ſic debeat baptizari. Secundùm verò Hug. *e. diſt. multi.* non eſſet baptizatus, & hoc quod dicit Nicolaus Papa, refert ad tempus Eccleſiæ primitivæ; hoc not. in *extra. de bap. c. 1. in glo. c.* hujus ſecundæ opinionis eſt Hoſtien. Quod autem dicit Nicolaus Papa in nomine Trinitatis, intelligitur explicitè propriis nominibus perſonarum expreſſis, ut dicit gloſa prædicta.

Circa quartum reſpondeo, quòd ſic; dicit enim Alex. III. *extra. de baptiſ. c. 1* actus baptizandi eſt de neceſſitate formæ; ratio hujus eſt divina inſtitutio. Ratio autem inſtitutionis eſt, quia intentio eſt neceſſaria ſacramento, & hoc eſt ſacramentum neceſſitatis, & eſt ad alterum. Immerſio autem poteſt fieri propter plura, & ideò propter periculum defectus intentionis, proprio verbo debet exprimi intentio in forma.

Quid ſi dicatur: ego mergo te in nomine Patris &c.?

Reſpondeo, ut habetur *de conſe. di 4. multi ſunt in gloſ.* non eſt baptizatus, quia *mergo* non eſt ſynonymum cum hoc verbo *baptizo.*

Quare dicitur in nomine, & non in nominibus?

Reſpondeo, quia licèt ſint tria nomina perſonalia trium perſonarum, tamen eſt unum nomen eſſentiale. Virtus autem divina, quæ operatur in baptiſmo ad eſſentiam pertinet, & ideò dicitur in nomine, & non in nominibus ſecundùm. Tho. 4. *diſt 3. art. 2. q. 1. c. 9.* Vel dicendum, quòd nomen ibi non ſumitur tantùm pro voce ſignificante, ſed pro notitia, quæ quodammodò una eſt trium perſonarum, in quantùm eſt una veritas trium, & in quantùm unum correlativum intelligitur in altero, ſecundùm Pe. 4. *diſt. 3. q. 2. ar. 1. c. 4.* Dicendum etiam ſecundùm Pe *ibidem*, quòd ibi ſumitur ſingulare pro plurali; & ſecundùm illam ſententiam videtur, quòd ſi diceretur: in nominibus Patris &c. eſſet baptiſmus; ſecundùm verò alios non eſſet baptiſmus, quia ſicut mutatio nominis impedit baptiſmum, ita & mutatio numeri, quia alia eſt ſententia.

Circa quintum reſpondeo, quòd non, quia nomine Patris nihil eſt dictum, vel non eſt eadem ſignificatio, quæ prius; ſed ſi ex defectu linguæ, vel ejuſdem idiomatis modo, & proprietate dimitteretur, eo quod in illo idiomate idem ſignificetur per ly *in nomine*, & per ly *nomine*; & è converſo, piè poteſt credi, quòd eſt baptiſmus. Hæc Gual.

Circa ſextum reſpondeo, quòd non, quia hæc

hæc vox, ſcilicet *baptizo* generat plenum ſenſum. *ar. de conſe. di.4. retulerunt.* ubi dicitur: *ſi quis ita dicat: baptizo te in nomine Patris &c. baptiſmus eſt, licèt non ponatur hoc pronomen: ego*; hoc notatur *extra. de baptiſ. c. in glo.6.* Eſt tamen ly *ego* de intentionis expreſſione, & idem dicendum eſt de hac dictione *amen.*

Circa ſeptimum reſpondeo, licuit eis formam noſtram ad tempus dimittere propter removendum errorem quorumdam, qui virtutem baptiſmi baptizantibus attribuebant, dicentes; ego ſum Pauli, ego autem Apollo &c. tamen illo errore ſublato debuerunt ad ipſam redire; undè creditur, quòd ſic baptizando mortaliter peccent, ſi formam Eccleſiæ Romanæ contemnant; illi verò, qui ipſam non contemnunt, & ſuam ex antiqua conſuetudine ſervant, mortaliter, ut puto, non peccant, quia Eccleſia Romana de illis Græcis, qui ei obediunt, hoc diſſimulat, & in aliis honeſtis eos recipit. Hæc Gual.

De hac autem materia, ſcilicet de variatione formæ baptiſmi, quære ampliùs ſupra *titulo de ſacramentis in communi. ar. 2.*

ARTICULUS VI.

De Lotione.

Circa ſextum ſcilicet lotionem faciendam in baptiſmo, tenendum eſt breviter ſecundùm doctores, quòd ablutio eſt de neceſſitate ſacramenti baptiſmi. Modus autem determinatus ablutionis, putà per aquæ aſperſionem, infuſionem, vel immerſionem, & numerus ablutionis non ſunt de neceſſitate ſacramenti baptiſmi; undè in his conſuetudo cujuslibet Eccleſiæ eſt ſervanda, quàm qui non ſervat graviter peccat, niſi caſus occurrerit ſpecialis, vel neceſſitas, quæ impediat *de conſe. di.4. poſtquam vos & quatuor c. ſeq. & c. propter.* Auctoritates autem, quæ dicunt ter immergendum, intelliguntur ubi conſuetudo talis erat; illæ verò, quæ dicunt ſemel immergendum, intelliguntur ubi conſuetudo erat contraria.

Sed ſi una immerſio ſufficit ad baptiſmum, & ſecunda,& tertia additur, numquid ſecundò, & tertiò baptizatur?

Reſpondeo, ſicut infra dicetur, intentio requiritur ad baptiſmum, & ideò ex intentione miniſtri Eccleſiæ, qui intendit unum baptiſma dare trina immerſione, efficitur unum baptiſma; ſi autem ad ſingulas immerſiones repeteret verba formæ, peccaret, quantùm eſt de ſe pluriès baptizando; unde quando ſit trina immerſio, in prima debet nominari Pater, in ſecunda Filius, in tertia Spiritus Sanctus; & tunc nulla ſuperfluit, quia non eſt completum ſacramentum, donec terminatum ſit verbum, incipit enim immerſio cum verbo, & terminat cum illo. Debet autem baptizans, quantò magis poteſt bono modo ſimul abluere, & verba proferre; non eſt tamen neceſſe ſecundùm Ric. 4. *diſt.* 3. *q.* 4. *ar.* 2. *c.* & Scotum 4. *diſt.* 6. *q.* 2. *e.* quod ſimul punctualiter utrumque incipiat, & terminetur, ſed ſufficit, quòd prolatio verborum ante incipiatur, quàm ablutio terminetur, vel è converſo.

Ponatur, quòd aliquis exiſtat ſuper pontem non potens aquam habere ad baptizandum puerum, quem cùm timeat citò mori, ſi intendens providere ſaluti pueri, proferens verba in quibus conſiſtat forma, projiciat eum in aquam intentione baptizandi, & poſtea puer aliquo caſu evadat, numquid debet reputari baptizatus?

Reſpondeo, credo quòd non, quia proxima materia baptiſmi eſt ablutio in aqua; qui autem aqua abluitur, primò aqua cooperitur in toto, vel in parte, & poſtea diſcooperitur, undè propter primum repræſentat Chriſti ſepulturam, propter ſecundum ejus reſurrectionem. Quamvis autem puer in caſu prædicto per actum illius, qui ipſum projicit in aquam, immergatur, non tamen eſt actus ordinatus ex ſui natura ad hoc ut puer abluatur, ſed ut ſubmergatur; & ideò ſi aliquo caſu per alios, vel per eumdem projicientem ipſum in aquam puer extrahatur de aqua, non propter hoc puer eſſet baptizatus, quia illa immerſio, quæ fuit facta, ex ſui natura non ordinabatur ad elevationem pueri de aqua, ſed ad ſubmerſionem; hæc Ric. 4. *di.4. c. de tribus caſibus. caſu* 2.

Eſtò quod aliquis exiſtat ſuper puteum ad cujus aquam non poteſt pertingere manu, nec vas habet, cum quo poſſit haurire, ſed habet calatum,& cordam; modo quæro, ſi per cordam dimittat puerum in calato in aquam, & ex hoc baptizare intendens, & verba in quibus conſiſtit forma proferens, utrum puer ſit baptizatus?

Reſpondeo, quòd ſic, dum tamen calatus ſit talis, quod aqua ſubintraverit ad abluendum corpus pueri, quia quod baptizans tangat illum immediatè,quem baptizat, vel aliquid aliud, non eſt de eſſentia baptiſmi; & in prædicto caſu eſt immerſio, et elevatio de aqua, et eſt immerſio talis, quæ ex ſui natura non ordinatur ad pueri ſubmerſionem, ſed ad ejus de aqua elevationem, quod patet per hoc,quod ille, qui eum mittit, ſemper tenet eum cum corda ad elevandum. Si tamen occurrerit prædicta neceſſitas, deberent mitti panni in aquam, et poſtèa illis extractis, deberet aqua exprimi ſuper corpus pueri ſub debita forma verborum, et cum intentione baptizandi; hæc Rich. *ubi ſupra. caſu* 3.

ARTICULUS VII.

De Ritu Baptiſmi &c.

Circa ſeptimum ſcilicet ritum baptiſmi, ſciendum, quòd in ſacramento baptiſmi de neceſſitate ejus ſunt ablutio in aqua, & verba debita; & alia, quæ in ritu baptizandi ſervantur, pertinent ad ſolemnitatem. Adhibentur autem hujuſ-

hujuſmodi, tum ad excitandam devotionem & reverentiam ſacramenti, tum ad inſtructionem fidelium, tum ad cohibitionem dæmonum, ne ſacramentalem impediant effectum. Debet autem in baptiſmo aliquis adeſſe, qui baptizatum teneat de ſacro fonte, recipiens eum quaſi novitium in ſuam inſtructionem, & tutelam, quia parvuli, & novitii præter curam communem indigent cura ſpeciali; & ille talis, qui levat de fonte, dicitur patrinus, quia ut dicit Hugo de Sanc. Victo. in oblatione baptizandi, & reſponſione quodammodo facit ad regenerationem ejus; obligatur autem ſuſcipiens de ſacro fonte ad ejus inſtructionem *de conſe. diſt. 4. vos ante omnia.* Si ipſe ſentiret, quòd neceſſitas imminerer, in quo caſu ſcilicet neceſſitatis aliquis admitti non deberet, niſi in divinis doctus, ut dicit Dionyſius. Non baptizatus autem non poteſt ſuſcipere baptizandum. *de conſe. diſt. 4. in baptiſmate.* licèt non baptizatus poſſit baptizare, quia perſona baptizans eſt de neceſſitate ſacramenti, non autem perſona ſuſcipiens. Prohibetur autem Abbatibus, & Monachis de baptiſmo commatres habere, & hoc propter familiaritatem, quæ ſolet ex hoc oriri inter patrinos, & matres carnales puerorum. *ar. de conſe. diſt. 4. monachi. & c. non licet. & c. ſe.* & idem intellige de Canonicis Regularibus, & aliis Religioſis; & hoc eſt verum levando, & tenendo, hoc tamen licet baptizando. Debet autem ad levandum tantùm unus admitti, tum ut confuſio diſciplinæ vitetur, tum ne propter cognationem ſpiritualem matrimonium impediatur. Sed quædam Eccleſiæ hanc conſuetudinem non ſervant, plures ad ſuſceptionem parvulorum admittentes *de conſe. diſt. 4. in catechiſmo. & c. non plures.* & ideò oritur cognatio ſpiritualis ad omnes tenentes, impediens matrimonium contrahendum, & dirimens poſtea contractum; & idem judicium eſt de confirmatione. *lib. 6. de cogna. ſpirituali. quamvis.* Et dicit ibi Joan. quòd ſi neceſſitas urget, poteſt unus eſſe patrinus in catechiſmo, & confirmatione.

Non eſt autem decens, licèt non ſit prohibitum conjuges ſimul levare puerum alterius de baptiſmo. 30. *q.* 3. §. *quod autem. & c. ſi.* Non debet autem aliquis baptizare aliquem alibi, quàm in Eccleſiis, ubi ſunt fontes ad hoc ſpecialiter deputati, niſi eſſet filius Regis, vel Principis, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam ſine periculo ad Eccleſiam accedi non poſſit. *lib. 7. de baptiſmo præſenti.*

Sciendum etiam, quòd ordo pertinentium ad ſolemnitatem baptiſmi ſecundùm morem Eccleſiæ uſitatum eſt iſte. Primò enim inſufflatur, ut virtus diaboli exterior expellatur, & exterius expellenda ſignificetur. Secundò, ſignum crucis fit in pectore, & in fronte, ut dæmon ſe cognoſcat expellendum, tam in occulto cordis, quàm in publico confeſſionis. Tertiò, ſal in ore ponitur, ut ſignificetur, quòd per baptiſmum ſapor ſapientiæ præparatur. Quartò, fit aurium, & narium cum ſputo linitio, ut ſignificetur gratia ad diſcernendum, & obediendum. Quintò, fit linitio olei ſancti, quod dicitur oleum cathecumenorum in pectore, & ſcapulis, ut ſignificetur unctio ad Deum amandum, & ejus onera portandum. Sextò, fit poſt baptiſmum inunctio chriſmatis in vertice, ut ſignificetur apertio mentis imputribilis ad contemplandum. Chriſma enim confectum eſt ex oleo lucente, & balſamo conſervante, & debet hæc inunctio fieri de chriſmate novo, non veteri. *de conſe. diſt. 4. ſi quis.* Epiſcopo tamen præſente non debet Preſbyter chriſmare infantes baptizatos in vertice, niſi Epiſcopo jubente, ſicut etiam non debet benedicere, niſi de juſſu Epiſcopi, Epiſcopo præſente. *de conſe. di. 4. omni tempore.* Septimò, veſtitur veſte munda, & alba, ut ſignificetur candor innocentiæ, & ſtola reſurrectionis. Ultimò, cereus ponitur in manibus, ut ſit lucerna pedibus ejus verbum domini, & lumen ſemitis ejus. Dionyſius autem alium ordinem ponit ſacramentalium baptiſmi, qui in primitiva Eccleſia ſervabatur in ſolemni celebratione baptiſmi, quando adulti veniebant ad baptiſmum. Hugo etiam de ſancto Victore aliam ponit formam. Modus tamen prædictus magis eſt uſitatus ſecundùm Bon. 4. *di. 6. in fine articulorum.* ubi notat ordinem eorum, quæ ad ſolemnitatem baptiſmi requiruntur.

Ad hoc nota, quòd eorum, quæ aguntur poſt baptiſmum, aliquid eſt, quòd non ſolùm ſignificat, ſed etiam efficit, putà unctio, quæ fit in vertice, quæ operatur conſervationem gratiæ baptiſmalis, aliquid eſt, quod nihil efficit, ſed ſolùm ſignificat; ſicut quando datur eis veſtis candida ad ſignificandum nativitatem vitæ, ſecundùm Tho. 3. *q.* 71. *ar.* 3. *c.* 4. Pedes autem baptizatorum non ſunt lavandi aqua benedicta, ſive conſecrata. 1. *q.* 1. *emendam.* Populo tamen Mediolanenſi permittitur hoc facere, quia hoc faciunt Ambroſii auctoritate, ut dicit gloſ. *ibidem.*

ARTICULUS VIII.

De Iteratione Baptiſmi.

Circa octavum, ſcilicet iterationem baptiſmi, ſciendum, quòd baptiſmus non poteſt iterari, cujus cauſa eſt duplex; una eſt communis ſibi, & aliis, ſcilicet impreſſio characteris, qui indelebiliter manet in anima; & alia propria ſibi, & hæc eſt triplex; una quia originale, cui apponitur non iteratur; ſecunda, quia morti Chriſti, quæ tantùm ſemel facta eſt, aſſimilatur; tertia eſt, quia per ipſum venialium purgatio efficitur; & quia ſi poſſet iterari, hominibus ſemper incentivum daretur peccandi. Secundùm autem Sco. 4. *diſt. 6. q. 4. c.* ratio quare baptiſmus non eſt iterabilis, eſt inſtitutio divina, cujus non eſt alia cauſa prior, niſi voluntas ejus; ſed patet convenientia ejus ex prædictis; reliqua ad hanc

hanc materiam pertinentia, quære ſupra, ubi agitur de iteratione ſacramentorum in communi.

TITULUS IV.

De Effectu Baptiſmi.

DEinde conſiderandum eſt de efficacia baptiſmi, &

Primò, de efficacia baptiſmi in adultis.

Secundò, de impedimento efficaciæ baptiſmi in adultis.

Tertiò, de efficacia baptiſmi in parvulis.

Quartò, de efficacia baptiſmi ante paſſionem Chriſti. Ideoque ſit

ARTICVLVS I.

De Efficacia Baptiſmi in adultis.

CIrca primum, ſcilicet de efficacia baptiſmi in adultis quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum per baptiſmum auferantur omnia peccata?*

II. *Vtrum per baptiſmum homo liberetur ab omni pœna?*

III. *Vtrum per baptiſmum auferatur concupiſcentia?*

IV. *Vtrum per baptiſmum tollatur irregularitas?*

V. *Vtrum quælibet infamia per baptiſmum tollatur, vel dimittatur?*

VI. *Vtrum Judex ſecularis indulgebit illi pœnam, qui commiſit maleficium, ſi baptizetur?*

VII. *Vtrum per baptiſmum conferantur homini gratia, & virtutes?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic. *de conſecra. diſt.* 4 *regenerante. & c. fine pœnitentia.* Ratio hujus eſt divina liberalitas, quæ tantam huic ſacramento contulit efficaciam, quod quidem conveniens fuit, quia baptiſmus eſt ad regenerandum inſtitutus, undè ibi tranſit homo de poteſtate tenebrarum in adoptionem filiorum Dei, & maximè aperitur largitas divinæ manus in primo adventu; & hoc eſt, quod dicitur Thi. 2. *per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè &c.*

Circa ſecundum reſpondeo quòd ſic, præterquam à pœna contracta; undè Ambro. ſuper illud Rom. 2. *Sine pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio.* & habetur *de conſecra. diſt.* 4. *fine pœnitentia. Gratia*, inquit, *Dei in baptiſmo omnia condonat.* Cùm enim ut ait Damaſcenus, baptiſmus ſit principium vitæ ſpiritualis tam gratiæ, quàm gloriæ, tollit illud quod retardat, vel excludit à vita. Pœna verò quædam eſt æterna, quæ omnino excludit a vita; quædam temporalis aſſumpta, quam homo meruit, hęc retardat morientes à vita, nec excludit; quædam temporalis contracta, hæc à vita non retardat morientes, nec excludit; ideò baptiſmus primam tollit, ſed ſecundam, & tertiam non, quia non opponitur effectui ejus.

Circa tertium reſpondeo. Per baptiſmum concupiſcentia extinguitur, non ut non ſit, niſi fortè hoc fiat miraculo, vel dono Dei ſpeciali, ſed ut non obſit, quia ibi gratia infunditur, qua ſuperari poſſit. Hæc Aug. & habetur *de conſe. di.*4. *c.* 2. undè concupiſcentia inquantum habet rationem culpæ extinguitur per baptiſmum in quantum habet rationem vitii, ſive pęnę manet.

Circa quartum reſpondeo ſecundùm Joan. ſi irregularitas proveniat ex defectu ſacramenti, non tollitur per baptiſmum, undè bigamus ante baptiſmum non poteſt poſt baptiſmum promoveri, nec etiam corrupta ante baptiſmum poteſt poſt baptiſmum velari, quia virgo velata ſignificat Eccleſiam triumphantem, in qua non eſt macula, neque ruga. De his duobus habetur *diſtin* 26. *c. acutius.* Si verò proveniat ex delicto, tollitur per baptiſmum, undè ſi quis antè baptiſmum homines occidiſſet voluntariè, poſt baptiſmum promoveri poſſet; ſi autem proveniat ex inſtitutione Eccleſiæ, non tollitur per baptiſmum; undè judex, executor, teſtis, advocatus in cauſa ſanguinis non poſſunt poſt baptiſmum ordinari. Hęc Joannes *diſt.* 26. *deinde.* & ejuſdem ſententiæ eſt Bar. Sed Goff. & Hoſti. & Hug. dicunt, quòd baptiſmus etiam tollit hanc irregularitatem, quia non debet eſſe melioris conditionis peccans, quàm non peccans. *diſt* 34. *ſi quis viduam.* & *diſt.* 32. §. *ecce.* in glo. Secundùm autem Theologos aliquos, nulla irregularitas tollitur per baptiſmum; per baptiſmum enim ſolùm tolluntur peccata, & ea quę ſequuntur ex ipſis ſub ratione, qua peccata ſunt; irregularitas autem non eſt peccatum, quia quandoque non ſequitur ex peccato, ſed ex opere meritorio, ut cùm quis occidit hominem zelo juſtitiæ, vel in judicio juſto; ex quo ſequitur, quòd irregularitas non tollitur per baptiſmum; non enim videtur rationabile, quòd baptiſmus tollat pœnam ex cauſa meritoria contractam.

Si dicatur, quòd ſaltem tollat irregularitatem ex cauſa culpabili contractam.

Reſpondeo, quòd non eſt verum, quia ſi contrahatur ex culpabili cauſa aliquando, non contrahitur tamen ſub illa conditione, quæ eſt culpa, ſed ſub ratione alia; & ad hoc eſt auctoritas Auguſtini *lib. de bono conju.* & habetur in glo. ſuper illud *ad tit.* 1. *unius uxoris vir.* habetur etiam *in decre. di.* 26. acutius, inquit, intelligunt, qui nec eum, qui cathecumenus, aut paganus habuerit alteram, ordinandum cenſuerunt, quia de ſacramento agitur, non de peccato.

Sed objicitur, quia Hierony. *ſuper epiſtolam ad Titum*, dicit, quòd ſi quis ante baptiſmum

mûm plures, vel unam ante, & alteram poſt habuerit, non eſt bigamus.

Reſpondeo, quòd in hoc non tenetur ejus opinio, ſed opinio Auguſtini. Hæc Ric. 4. *diſt.* 27. *q.*4 *art.* 2. & cum eo convenit Pe. 4. *diſt.* 27. *q.*5. *art.*2. *c.* Secundùm autem Sco. 4. *diſt.* 28. *q* 2. *art.* 1. *&* 2. *c.* per baptiſmum tollitur irregularitas homicidii cujuſcumque, non autem bigamiæ, ſicut dicit opinio ſecunda, & hoc habetur expreſsè in gloſ. *diſt.*34. *ſi quis viduam.* ubi ſuper illud verbum *poſt baptiſmum* arguit glo. à contrario ſenſu; ergo ſi ante baptiſmum fuit homicida, non nocet. Ratio hujus diverſitatis eſt inſtitutio Eccleſiæ hoc volentis; & hoc non ſine ratione, ſcilicet quia homicida non eſt ad ordines inhabilis, niſi propter horrorem ſanguinis, qui quidem tollitur in baptiſmo, quia ſupponitur, quod ſit factus agnus de lupo; ſed in bigamo non tollitur defectus ſignificationis propter quem eſt ad ordines inhabilis.

Circa quintum reſpondeo, quòd ſic *de conſe. diſt.* 4. *ſine pænitentia.* in glo. dictum eſt enim, quòd per baptiſmum tolluntur peccata, & ea quę ſequuntur ex peccato, ſub ratione, qua peccata ſunt; undè cùm infamia conſequatur ex peccato ſub ratione peccati, tollitur per baptiſmum.

Circa ſextum reſpondeo, in pœnis, quæ in judicio humano inferuntur, non ſolùm attenditur, qua pæna ſit homo dignus quoad Deum, ſed etiam in quo ſit obligatus quoad homines, qui ſunt leſi, & ſcandalizati propter peccatum alicujus, & ideò licèt homicida liberetur per baptiſmum à reatu pænæ quoad Deum, remanet tamen obligatus quoad homines, quia juſtum eſt homines ædificari de pæna, ſicut ſunt ſcandalizati de culpa; piè tamen Princeps talibus poſſet indulgere pænam. Hæc Tho.

Circa ſeptimum reſpondeo, quòd ſic, undè Apoſtolus *ad Thi. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, ideſt per baptiſmum, *& renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè.* & ad remiſſionem peccatorum, & copiam virtutum, ſecundùm *glo. ibi.*

Sed nonne per pænitentiam etiam aliquis adultus ante baptiſmum conſequitur gratiam, & virtutes.

Reſpondeo, quòd ſic ſecundùm quod habet baptiſmum in voto implicitè, vel explicitè, poſtea verò in baptiſmo conſequitur majorem copiam gratiæ, & virtutum.

ARTICULUS II.

De Impedimento efficaciæ Baptiſmi &c.

Circa ſecundum, ſcilicet impedimentum efficaciæ baptiſmi in adultis quæruntur plura ſcilicet

I. *Utrum effectus baptiſmi ſit æqualis in omnibus?*

II. *Utrum fictio impediat effectum baptiſmi in adultis?*

III. *Utrum recedente fictione, baptiſma habeat effectum?*

Circa primum reſpondeo, duplex eſt effectus baptiſmi, unus per ſe, ſcilicet illud, ad quod eſt inſtitutus, ſcilicet regeneratio hominis ad ſpiritualem vitam, & hunc facit æquè in omnibus, qui ſe habent æqualiter ad baptiſmum, ut in parvulis; adulti verò quia quidam cum majori devotione ad baptiſmum accedunt; ideò quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt.

Alius eſt effectus baptiſmi per accidens, ſcilicet illud, ad quod baptiſmus non eſt ordinatus, ſed divina virtus hoc in baptiſmo miraculosè operatur, ſicut ſuper illud *Roman. 6.* ut *ultra non ſerviamus peccato. dicit glo. non hoc præſtatur in baptiſmo, niſi fortè hoc miraculo ineffabili creatoris*, ut concupiſcentia, quæ eſt in membris, totaliter extinguatur; & tales effectus non ſuſcipiuntur æqualiter à baptizatis, etiam ſi cum æquali devotione accedant, ſed diſpenſatur hujuſmodi effectus ſecundùm ordinem divinæ providentiæ. Hæc Tho. 3. *q.* 69. *art.* 3. *c.*

Circa ſecundum reſpondeo, fictio dicitur dupliciter, vel quoad ſuſceptionem, vel quoad collationem baptiſmi, quia ſcilicet prætendit ſe velle ſuſcipere baptiſmum, vel conferre, & non vult verè, ſed ſimulatè tantùm, ut in jocoſa immerſione; vel quoad diſpoſitionem, quia prætendit ſe diſpoſitum eſſe extra, cum ſit indiſpoſitus intra.

Prima fictio impedit ſacramentum, licèt enim Auguſt. contra dictum Don. prope finem non determinet, utrum tales eſſent baptizati, vel non, ſed dicat divinum judicium per alicujus revelationis ſuper hoc eſſe oraculum implorandum, quod etiam habetur *de conſe. diſt.* 4. *ſolet.* Videtur tamen dicere, quòd non recipiunt baptiſmi ſacramentum, quod certum eſt, ſi baptizans non intendebat illam ablutionem facere, ut ſacramentum, ſed cauſa ludi tantùm, ut dicit *ibi glo.* Quod tamen dicit ibi glo. ſcilicet quod ſi baptizatus intendat baptizari, qualemcumque intentionem habeat baptizans, recipit ſacramentum, non eſt verum, ut eſt oſtenſum ſupra ſecundùm Ric. 4. *di.*4. *q.*1. *ar.*1. *c.*

Secunda fictio impedit effectum baptiſmi, qui eſt tantùm res, ſcilicet gratiam, & remiſſionem peccatorum, non tamen impedit effectum, qui eſt res, & ſacramentum, ideſt caracterem

de

Digitized by Google

de conſe. diſt.4. oſtenditur. quia actus activorum ſunt in patiente, & diſpoſito. Hæc autem indiſpoſitio, ſeu contraria diſpoſitio poteſt eſſe tripliciter, ſcilicet aut diſcernendo quoad rationem; aut indevotè accedendo, ſcilicet cum propoſito peccandi; aut malum appetendo quantùm ad concupiſcibilem; aut ſacramentum contemnendo, ſcilicet accipiendo irreverenter; præexigitur enim fides, & devotio, ſcilicet voluntas abſtinendi à peccato, & reverentia ſacramenti ſecundùm Bon. 4. *di.* 4. *q.* 2. *ar.* 2. *c.* & Petrus 4. *diſt* 4. *q.* 1. *ar.* 2. *c.* Si ergo quæritur, quomodo ſumitur fictio, quæ impedit effectum baptiſmi, dicendum, quòd fictio hæc quodammodo includit omne peccatum mortale, quod contrariatur gratiæ. Hæc Tho. 3. *q.* 69. *art.* 9. *c.* 3.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, *de conſecra. diſtinc.*4. *oſtenditur in fine.* Duplex eſt enim effectus baptiſmi interior, ſcilicet caracter, qui eſt ſacramentum, & res, & gratia, quæ eſt res; primus non opponitur culpæ, aut fictioni, ſed ſecundus; ideò caracter cum ea recipitur, ſed non gratia; caracter enim quantùm eſt de ſe, eſt diſpoſitio immediata ad gratiam, ſicut organizatio corporis ad animę infuſionem; ſed impeditur propter contrariam ſibi in eodem ſubjecto animæ conjunctam fictionem; ideò illa ſtante gratia non infunditur, recedente autem ſtatim infunditur; ſicut diaphaneitas aeris impeditur recipere lumen ſolis propter obſcuram nubem, qua reſoluta, ſtatim recipit lumen à ſole; undè Auguſtinus *lib. de bapt.* & habetur *de conſecra. diſt.*4. tunc valere incipit ad ſalutem baptiſmus, cùm fictio illa veraci confeſſione receſſerit; & quia ſacramentum reſpicit culpam præcedentem, & non ſequentem, hinc eſt, quod plenam facit gratia ſuperinfuſa remiſſionem totius culpæ, & pęnæ præcedentis; & hoc per ſe, totius verò culpæ ſequentis per accidens, quia non poteſt unam ſine alia tollere; undè tollit culpam venialem ſequentem, ſi quam invenit, de qua hominem non pæniteat in generali, & in ſpeciali; ſi tamen tollit, non tollit etiam totam pænam, quia culpa, & pæna ſequens magis tollitur in eo virtute pænitentiæ, quàm baptiſmi; undè tam de fictione, quàm de peccatis poſt baptiſmum perpetratis ei eſt pænitentia injungenda ſecundùm Bon. 4. *diſtin.*4. *q.* 2. *ar.* 3. o. & Pe. 4. *di.* 4. *q.* 1. *ar.* 2. *q.* 2. *c.* undè ſi veniens ad baptiſmum conteratur de omnibus ſuis peccatis mortalibus, niſi de uno ſolo, quod eſt cauſa fictionis ejus in baptiſmo, oportet, quòd verè pęniteat de illo peccato, & in ſe, & inquantùm fuit cauſa fictionis ejus; quo facto, Deus confert ei gratiam baptiſmalem in remedium contra alia peccata, quæ fuiſſent in baptiſmo deleta, niſi fictio impediviſſet, & ideò de illis aliis non oportet habere veram pænitentiam, nec fortè attritionem novam, præter illam, quam habuit ante baptiſmum. Nec ſecundùm Sco. 4. *diſt.* 4. *q.* 2. *art.* 2. c. *circa med.* oportet dicere, caracterem in ficto aliquid operari, ſcilicet ſolùm quod Deus ex eadem pactione, qua aſſiſtit ei, qui baptiſmum ſine fictione ſuſcipit, aſſiſtit etiam ei, qui baptiſmum ſuſcipit, quando fictio recedit.

Sed eſtò quod aliquis accedat ad baptiſmum cum motu peccati venialis, numquid talis conſequitur effectum baptiſmi?

Reſpondeo, quidam dicunt, quod eſt duplex fictio, ſcilicet ſimplex, & ſecundùm quid; fictio ſimplex aufert totum effectum baptiſmi, & hæc eſt cum voluntate mortaliter peccandi; fictio autem ſecundùm quid, hoc eſt venialis, non impedit ingreſſum gratiæ, ſed complementum; undè in tali non habet perfectum effectum, quia non delet veniale illud, & etiam minùs recipit de gratia, quia minùs eſt diſpoſitus propter illud. Aliter tamen poteſt dici, ſcilicet quod motus venialis facit fictum ſimpliciter, ſed ad tempus, quia gratiam non expellit, ſed retardat, dum homo non elevat ſe ad recipiendum divinam gratiam; & quando talis motus ceſſat ſtatim baptiſmus habet plenum effectum, & hunc motum, & alia peccata delet, etiam ſi ſupervenîat de illo contritio nova. Hæc Bon. & Pe. *ubi ſupra*. Primus modus dicendi magis placet, & convenit cum Sco. *ubi ſupra.*

ARTICVLVS III.

De Efficacia Baptiſmi in Parvulis.

Circa tertium, ſcilicet efficaciam baptiſmi in parvulis, quæruntur plura ſcilicet

I. *Vtrum parvuli recipiant ſanctificationem in baptiſmo?*

II. *Vtrum parvuli recipiant in baptiſmo plenè rem, ideſt gratiam cum habitibus virtutum?*

III. *Vtrum in parvulis baptiſmus habeat æqualem effectum?*

IV. *Vtrum effectus baptiſmi ſit æqualis in parvulis, & in adultis?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic; abſit enim quin parvulis miſericors Deus ad ſalutis remedium baptiſmum procuraverit. *extra. de baptiſ. majores,* §. *cautè.* undè parvuli in baptiſmo purgantur à peccato originali, & hoc merito Paſſionis Chriſti, & alienæ fidei, ſcilicet Eccleſiæ, & virtute ſacramenti.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic: recipiunt enim ſecundùm omnes gratiam, per quam juſtificantur; convenit enim, ut ſicut contrahunt alio promerente culpam; ſic etiam alio promerente recipiant juſtificationis gratiam, ut ſupra dictum eſt.

De virtutibus verò ſunt plures opiniones; convenientior tamen, & verior eſt opinio magiſtri ſentent. *lib.* 4. *di* 4. quod parvulis dantur virtutes in baptiſmo in munere, ſive in habitu perfecto, ſed non in uſu; ad uſum enim non tantùm requiritur perfectio habitus, ſed etiam poten-

potentiæ, quæ deficit in parvulis; licèt enim habitus innatus, & acquiſitus perfectus eſſe non poſſit ante perfectionem potentiæ, infuſus tamen poteſt, quia ejus perfectio non dependet niſi à Creatore.

Sciendum tamen, quòd in parvulo virtutes habent aliquos actus; actus enim virtutum ſunt quatuor, ſcilicet contrarium expellere, ſubjectum perficere, & ad ultimum finem ordinare, & iſti tres actus cum habitibus conferuntur; quartus eſt bonum opus elicere, & iſte non confertur parvulo, non propter defectum virtutum, ſed propter defectum potentiarum in eo; & ideò benè dictum eſt, quòd parvulis non dantur virtutes in uſu; quia ergo eumdem effectum habet baptiſmus in parvulis, & adultis, ideò dicit Auguſtinus ad Bonifacium: *regenerans ſpiritus in majoribus offerentibus, & parvulis oblatis communis eſt.* hæc Guil.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, quantùm eſt de lege communi; æquale enim eſt ex parte dantis illud, mediante quo datur gratia, ſcilicet ſacramentum; æqualis etiam eſt ex parte recipientis congruitas, vel diſpoſitio; hic enim non attenditur ſecundùm naturalem capacitatem, ſed ſecundùm voluntariam præparationem, quia nulla in eis præcedit, ſed pro diſpoſitione eſt eis Eccleſiæ fides, quæ æqualiter reſpicit omnes parvulos, qui baptizantur. Poteſt tamen Deus magis dare de gratia uni, quàm alteri de privilegio ſpeciali, quia ejus potentia non eſt ſacramento alligata. hæc Ric. 4. *di.* 4. *q.* 3. *art.* 3. *c.*

Circa quartum reſpondeo, quòd non; caracteris enim impreſſio eſt æqualis, ſed reſtitutio innocentiæ pœnès terminum à quo eſt inæqualis; infuſio etiam gratiæ eſt inæqualis, quia unicuique magis prodeſt fides, & diſpoſitio propria, quàm aliena, cæteris paribus. Adulti ergo plus recipiunt de gratia in baptiſmo, quàm parvuli. hæc Ric. *ubi ſupra.*

ARTICULUS IV.

De Efficacia Baptiſmi ante Paſſionem Chriſti.

Sciendum, quòd baptiſmus Chriſti habuit eamdem virtutem ante Paſſionem, & poſt; quia ſicut poſt, ita & ante Paſſionem caracterem impreſſit, omnem culpam delevit, gratiam contulit, & per conſequens concupiſcentiam minuit. Probabile tamen eſt, quòd poſt Paſſionem major gratia conferatur in baptiſmo, quia paſſio Chriſti, à qua baptiſmus efficaciam habet, majoris debet eſſe virtutis exhibita, quàm præviſa, & completa, quàm inchoata.

TITULUS V.

De Baptizantibus.

Poſtea conſiderandum eſt de miniſtris baptiſmi, &

Primò, quis poteſt baptizare?

Secundò, de numero baptizantium, & baptizandorum.

Tertiò, de intentione, quam debet habere baptizans.

Quartò, de fide ejus.

Quintò, de bonitate ejus. Quapropter ſit

ARTICULUS I.

Quis baptizare poſſit?

Circa primum, ſcilicet quis poteſt baptizare, quæruntur plura, videlicet

I. *Ad quem pertinet ex officio baptizare?*

II. *Utrum laicus poſſit ſacramentum baptiſmi conferre?*

III. *Utrum non Presbyter baptizans facere poſſit, vel debeat ſacramentalia baptiſmi?*

IV. *Utrum mulier poſſit baptizare?*

V. *Utrum non baptizatus poſſit baptizare?*

VI. *Utrum excommunicatus poſſit baptizare?*

VII. *Utrum quis poſſit baptizare ſe ipſum?*

Circa primum reſpondeo, quòd ad ſolum Presbyterum *de conſe. di.* 4. *conſtat.* undè etiam Diaconi abſque Epiſcopo, vel Presbytero non audeant baptizare, niſi prædictis ordinibus longiùs conſtitutis neceſſitas extrema compellat. *diſ.* 93. *diacones.*

Circa ſecundum reſpondeo, ut habetur *de conſe. di.* 4. *conſtat. & c. in neceſſitate. & c. ſanctum eſt.* Baptizare neceſſitate imminente laicis Chriſtianis plerumque conceditur; ratio hujus eſt, quia inter alia ſacramenta maximæ neceſſitatis eſt baptiſmus, quia eſt regeneratio vitæ ſpiritualis hominis, quia pueris aliter ſubveniri non poteſt, & adulti non poſſunt aliter quàm per baptiſmum plenam remiſſionem conſequi, ſcilicet quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam; ideò ut circa remedium tam neceſſarium homo defectum pati non poſſit, inſtitutum eſt, ut materia baptiſmi ſit communis, ſcilicet aqua, quæ à quolibet de facili haberi poteſt, & miniſter baptiſmi ſit quicumque, etiam non ordinatus, ſcilicet in neceſſitate; & hoc verum eſt etiam in aqua non ſanctificata, ſi alia haberi non poſſit, aliàs non. Si autem præter neceſſitatem baptizaret quis non Presbyter, ſive laicus, ſive clericus, peccaret mortaliter, baptiſmi tamen ſacramentum confert. Hæc Tho. 4. *di.* 5. *q.* 2. *ar.* 1. *q.* 1. *c.* undè *extra. de cle. non or. c.* 1. dicitur quòd ſi non ordinatus baptizaverit, vel aliquod divinum officium non competens exercuerit, ſupple, neceſſitatis articulo non exigente, ab

Eccle

Eccleſia abjici debet, & nunquam ordinari.

Circa tertium reſpondeo, illa pertinent ad ſolemnitatem baptiſmi, non ad neceſſitatem, & ideò fieri non debent, nec poſſunt à laico, vel clerico, ſed ſolùm à Sacerdote, cujus eſt ſolemniter baptizare. hæc Tho. 3. *quæſt.67. ar.3. c.2.*

Circa quartum reſpondeo, quòd ſic, neceſſitate inſtante. 30. *q 3. ſuper quibus.* aliàs batizare prohibetur. *de conſe. di.4. mulier.* quia tamen caput mulieris eſt vir, & caput viri Chriſtus, ut dicitur 1. *Corint.* 11. non debet baptizare mulier, ſi adſit copia viri, nec alius præſente Clerico, nec Clericus præſente Presbytero, qui tamen poteſt baptizare præſente Epiſcopo eò quòd hoc pertinet ad officium ſuum. Si tamen mulier præter neceſſitatem baptizaret, rebaptizandus non eſſet, ſicut etiam dictum eſt de laico; peccaret tamen ipſa baptizans, & alii, qui ad hoc cooperarentur, vel baptiſmum ab ea ſuſcipiendo, vel aliquem baptizandum offerendo. hæc Tho. 3. *q 67. ar.4. c. & c.3.*

Circa quintum reſpondeo, quòd ſic, dummodò formam Eccleſię ſervet. *de conſe di.4. c. in baptiſmate.* & ratio eſt, quia ſicut ex parte materiæ quantùm ad neceſſitatem ſalutis, ſufficit quęlibet aqua; ita etiam ſufficit ex parte miniſtri quicumque homo, & ideò etiam non baptizatus in neceſſitate baptizare poſſet; ſi verò extra articulum neceſſitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, ſcilicet baptizans, & baptizatus; & hoc impediret ſacramenti effectum, licèt non tolleret ipſum ſacramentum. Hæc Tho. 4 *di.5. q.2 ar 1. q 3 c.& 3. q.67. ar, 5. c.*

Circa ſextum reſpondeo, quòd ſic; poteſtas enim miniſtrandi ſacramentum pertinet ad ſpiritualem caracterem, qui indelebilis eſt, ſicut patet ex ſupradictis, & ideò per hoc, quod quis ab Eccleſia ſuſpenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non propter hoc amittit poteſtatem conferendi ſacramentum; confert quidem, ſed peccat conferendo, niſi in neciſſitate baptizaret; ſimiliter etiam ille, qui ab eo recipit ſacramentum, & ſic non recipit rem ſacramenti, niſi fortè per neceſſitatem, vel ignorantiam excuſetur. Tenendum eſt igitur breviter circa prædicta, quod actus baptiſmi, ſicut & alicujus alterius poteſtatis convenit alicui dupliciter, ſcilicet vel ex officii auctoritate, ſicut convenit ſolis Presbyteris, vel ex Eccleſiæ permiſſione, ſic etiam convenit aliis maximè in caſu neceſſitatis.

Circa ſeptimum reſpondeo, quòd non, quia cùm in forma baptiſmi exprimatur duplex perſona, ſcilicet baptizans, & baptizata, alius debet eſſe baptizans à baptizato. Et quod Inno. Papa dicit in quadam decretali, quòd Judæus ſe ipſum in aquam merſit. *de conſe. di.4. c ſanctum eſt.* & *extra. de baptiſ. debitum. in glo. & tex. dicens: me baptizo in nomine patris &c.* ſi deceſſiſſet, tunc ad patriam evolaſſet; intelligendum eſt propter vim contritionis, ex cujus magnitudine hoc procedere videbatur, ut inter Judæos conſiſtens quaſi ſe offert periculo mortis. Ad oſtendendum autem, quòd alius eſt baptizans à baptizato, voluit Dominus baptizari à Joanne. *Matt.3. & extra. de baptiſ. debitum.*

ARTICULUS II.

De Numero baptizantium, & baptizandorum.

Circa ſecundum, ſcilicet numerum baptizandorum, & baptizantium, quæruntur plura ſcilicet

I. *Utrum plures poſſint ſimul baptizare?*

II. *Utrum eſſet baptiſmus, ſi unus ſolus baptizaret, dicens: nos baptizamus te &c.*

III. *Utrum unus poſſit ſimul baptizare plures?*

IV. *Utrum ſi duo baptizarent, unus mancus, qui verba proferat, & alius mutus, qui immergat, ſit baptiſmus?*

Circa primum reſpondeo, ſacramentum baptiſmi præcipuè habet virtutem ex forma, quam Apoſtolus nominat verbum vitæ. *ad Epheſ.* 4. & ideò conſiderare oportet, quòd cùm plures ſimul unum baptizant, qua forma utantur; ſi enim dicant: *nos te baptziamus in nomine Patris &c.* dicunt quidam, quòd non conferunt ſacramentum baptiſmi, eò quòd non ſervaretur forma Eccleſiæ, quæ ſic habet: *ego te baptizo in nomine patris &c.* ſed hoc excluditur per formam baptizandi, quam habent Græci; poſſunt enim dicere: *Baptizetur ſervus Dei B. in nomine Patris &c.* ſub qua forma Græci baptiſmum recipiunt, quæ tamen forma magis diſſimilis eſt formæ, qua nos utimur, quàm ſi diceretur *nos te baptizamus*; ideò notandum, quòd ſub tali forma *nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio, ſcilicet quod plures conveniant ad unum baptiſmum conferendum, quod quidem videtur eſſe contra rationem miniſtri; homo enim non baptizat, niſi in quantum eſt miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens; ſed ſicut Chriſtus eſt unus, ſic oportet eſſe unum miniſtrum, qui ipſum repræſentet, propter quod ſignanter dicit Apoſtolus ad Epheſ. 4. *unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* & ideò contraria intentio videtur excludere ſacramentum baptiſmi ſecundùm Tho. 3. *q.67. ar.6. c.* Si verò uterque diceret: *ego te baptizo in nomine Patris* &c. uterque exprimeret ſuam intentionem, quaſi ipſe ſingulariter baptiſmum conferret, quòd poteſt contingere in eo caſu, quo contentioſè uterque aliquo modo baptizare conaretur, & tunc dicendum eſt, quòd ille, qui prius verba proferret, prius conferret baptiſmi ſacramentum, alius verò quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret, ſed ſi verba pronunciare præſumeret, puniendus eſſet tanquam rebaptizator; ſi autem ſimul verba proferrent, & hominem immergerent, vel aſpergerent, eſſent puniendi de inordinato

nato modo baptizandi, non de iteratione baptiſmi, quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque quantum eſt in ſe baptizaret, nec traderet aliud ſacramentum; ſed Chriſtus, qui eſt unus interius baptizans unum ſacramentum per utrumque confert. Hæc Tho. *ubi ſupra*.

Circa ſecundum reſpondeo, ſuper pluralem numerum non fit vis aliqua, niſi quæ fit ſecundùm curſum ſolitum loquendi, ſcilicet ſecundùm quod Papa de ſe unico dicit: *nos dicimus* & in vulgari hoc utimur linguagio; ideò non dicitur tunc forma mutata, ſed corrupta. Sed ſi verbum ſerioſè diceretur, & cum pondere, cujus ſenſus alium generaret intellectum, non eſſet baptiſmus. Hæc Bon. 4. *di*. 5. *q*. 1. *ar*. 1. *q*. 5.

Circa tertium reſpondeo, in caſu neceſſitatis unus poteſt ſimul baptizare plures ſub hac forma: *ego vos baptizo*, putà, ſi imminet ruina, aut gladius, aut aliquid aliud hujuſmodi, quod non pateretur moram, ut ſingillatim omnes baptizarentur; nec per hoc diverſificaretur forma Eccleſiæ, quia plurale non eſt, niſi ſingulare geminatum ſecundùm Priſcianum, cùm pluraliter dicatur *Matth. ult. baptizantes eos &c.* Nec eſt ſimile de baptizante, & baptizato, quia Chriſtus, qui principaliter baptizat, eſt unus, ſed multi per baptiſmum efficiuntur unum cum Chriſto. Hæc Tho. 3. *q*. 67. *ar*. 6. *c*. 2.

Circa quartum reſpondeo, ſicut ſupra dictum eſt, integritas baptiſmi conſiſtit in verborum forma, & in uſu materiæ; & ideò nec ille, qui tantùm profert verba, baptizat, nec ille, qui tantùm immergit; & ideò ſi unus profert verba, & alius immergit, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens, non enim poterit dici: *ego te baptizo*. cum ipſe non immergat, & per conſequens non baptizaret; nec etiam poterit dici *nos te baptizamus*, cùm neuter baptizaret; ſi enim duo ſunt, quorum unus unam partem libri ſcribat, & alius aliam, non eſt propria locutio: *nos ſcripſimus iſtum librum*. ſed ſinecdochica, in quantum totum ponitur pro parte ſecundùm Tho. *ubi ſupra c*. 3. & Bon. 4. *di*. 5. *q*. 1. *ar*. 1. *q*. 4. & Ric. 4. *di*. 3. *q*. 4. *ar*. 1. *c*. 1. licèt enim determinatus modus exprimendi actum baptizandi non ſit de neceſſitate efficaciæ ſacramenti, exprimere tamen actum eſſe ab eo, à quo non eſt, derogat efficaciæ ſacramenti; ſic eſſet in hoc caſu: ſi enim ille, qui verba illa: *ego te baptizo* profert, non abluit, exprimit actum baptizandi eſſe, à quo non eſt, ſive exprimat in ſingulari, ſive in plurali, quia dicit: *ego te baptizo*, ideſt *abluo*, & tamen non ablueret per caſum, ſed ſocius ſuus; undè in illo caſu de communi lege puer non eſſet baptizatus ſecundùm Ric. *ubi ſupra*. Convenit cum prædictis Hoſti. *tit. de ſacra.* quia ſacramenta eccleſiaſtica ſunt ſacramenta unitatis, & non convenit ea dividi. *de conſe. di*. 2. *quia paſſus*. & idem dicit, ſi unus dicit unam partem verborum, & alius aliam. Licèt autem, ut ſupra dictum eſt, ſecundùm aliquos baptizans debeat eſſe unus; aliqui tamen dicunt, quòd unitas miniſtri, vel baptizati non eſt de neceſſitate, dummodo quando plures baptizant, quilibet intendat facere totum, & quando unus plures intendat baptizare, vel omnes; eſt tamen de congruitate propter majorem diſtinctionem; ideò non debet fieri ſine neceſſitate; undè ſive unus, ſive plures dicant: *baptizamus te* in baptizando unum; ſive etiam unus dicat in baptizando plures vel unum: *baptizo vos*, baptizatum eſt, quia modus exprimendi actum baptizandi, & expreſſio perſonæ miniſtri non ſunt de ſubſtantia formæ; ſunt enim ex traditione Eccleſiæ, & per iſtam additionem forma non mutatur, cùm non ſit additio corrumpens, ſed ſalvans; undè de neceſſitate unius actus baptizandi eſt unitas miniſtri ſolum ad vitandum peccatum baptizantis, niſi fortè in caſu plures eſſent neceſſarii ad puerum abluendum, non autem eſt de neceſſitate ad efficaciam ſacramenti, undè puerum ſimul à pluribus ablui, non videtur efficaciæ baptiſmi repugnare, & hæc eſt opinio Ric. 4. *di*. 3. *q*. 4. *ar*. 1. *c*. & Pe. 4. *diſt*. 5. *q*. 3. *ar*. 3. *q*. 3. *c*. & *c*. 1. *ad oppoſitum*.

Quid ſi monſtrum natum ſit cum duobus capitibus, numquid debet baptizari ut unus homo, vel ut duo?

Reſpondet Tho. *in quadam quæſtione de quolibet*. quòd tale monſtrum aut certum eſt habere duas animas rationales, putà, ſi ſint duo capita, duo colla, & duo pectora, quia per conſequens erunt duo corda, & in tali caſu baptizandi ſunt ibi duo; & licèt præſumatur, quòd plures poſſint ſimul baptizari, dicendo: *ego baptizo vos*; tutius tamen eſſet eos baptizare ſingillatim; ſi verò non ſit certum, putà, ſi non ſunt duo capita benè diſtincta, vel duæ cervices fundatæ in eadem vita, ſive in eodem trunco, tunc primò debet baptizari unus, & poſtea debet alter ſub dubio baptizari, dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.*

ARTICVLVS III.

De Intentione Miniſtri.

Circa tertium, ſcilicet intentionem baptizantis, plura quęruntur, ſcilicet

I. *Utrum intentio miniſtri ſit de neceſſitate baptiſmi?*

II. *Utrum requiratur mentalis intentio in miniſtro?*

III. *Utrum aliter non ſalvetur, niſi ſit intentio in miniſtro?*

IV. *Utrum actualis intentio requiratur in miniſterio?*

V. *Utrum ebrioſus poſſit baptizare?*

VI. *Utrum ſi quis aliquem jocosè baptizaret, verè ſit baptizatus?*

VII. *Utrum requiratur recta intentio miniſtri ad ſacramenti perfectionem?*

VIII. *Utrum in offerentibus parvulum ad baptiſ-*

Digitized by Google

baptiſmum requiratur recta intentio, ſcilicet quod regeneretur?

Circa primum reſpondeo, quòd ſicut dicit magiſter ſent. *li.4. di.6.* in hoc, & in aliis ſacramentis ſicut forma ſervanda eſt, ita & intentio illud conferendi, cujus ratio eſt ſecundùm Sco.4. *di.6. q.3. art.1.c.* quia ille actus, ad quem quis obligatur, debet in eo eſſe humanus, non caſualis, vel fortuitus, in quibus non cadit obligatio. Humanus autem effectus eſt propriè, qui per intellectum, & voluntatem cauſatur ab homine, & ita eſt intentus ab homine; ipſa etiam obligatio eſt, ut homo intendat actum iſtum, ſed homo obligatur ad actum conferendi baptiſmum pro loco,& tempore, ergo obligatur, ut intendat conferre baptiſmum pro loco,& tempore.

Circa ſecundum reſpondeo. Aliqui dicunt quòd non, quia miniſter ſacramenti in verbis, quę proferuntur, exprimit intentionem Eccleſiæ, quę ſufficit ad perfectionem ſacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, & ex parte recipientis ſacramentum, & hæc eſt opinio Tho.4. *di.6 q.1. ar.2.q.1.c.2.* Alii verò dicunt, quòd non eſt ſacramentum, licèt ibi ſint verba, niſi ſit ibi mentalis intentio in miniſtro, quia ut dicit Greg *in mora.* non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni; & hoc maximè locum habet in hoc ſacramento, & ideò non baptizatur quantùm eſt per illud, quod per homines geſtum eſt, niſi adſit intentio baptizantis.

Circa tertium reſpondeo; ſi adultus baptizatur ut debet, fides interior ſupplet; ſi parvulus, pium eſt credere, quòd ſummus Sacerdos ſuppleat; ſi tamen non faciat, juſtè facit, & nos incertos eſſe voluit de ſalute ad deponendam ſuperbiam, & excitandam diligentiam, ut attentiùs, & à perſonis dignioribus, & ſenioribus requiratur; credendum tamen eſt, vel quod Deus revelet, vel quod integrè ſupplet, niſi peccata noſtra impediant. Hęc Bon.4. *di.6.p.2. q.2.ar.1. c.5 ad oppoſitum.* Hoc autem, quod dictum eſt, ſcilicet ſi adultus baptizatur, fides interior ſupplet; ſi parvulus, pium eſt credere quòd Chriſtus ſuppleat. Aliquibus, ut Tho. *ubi ſupra* non placet; dicit enim, quòd etſi hoc ſatis dici poſſit quoad ultimum effectum, quæ eſt juſtificatio à peccatis, tamen quoad caracterem non videtur, quia caracter nunquam imprimitur, niſi per ſacramentum. Sed reſpondetur ei, quòd ultimus effectus benè ſufficit ad ſalutem, Deus etiam ſine ſacramento benè poſſet imprimere caracterem.

Circa quartum reſpondeo ſecundùm Sco.4. *di.6. q.3. ar.2.c.* quod præter intentionem actualem & habitualem, eſt ponere mediam, ſcilicet intentionem virtualem. Probatio: ſi quis in principio intendens dicere Miſſam, poſtea autem ad alia diſtrahatur, tunc non habet intentionem actualem, dum eſt diſtractus, nec tantùm habet intentionem habitualem, quia etiam dormiens talem habet, habet enim habitum inclinantem eum ad talem actum, habet ergo ſe medio modo, qui medius modus poteſt dici intentio virtualis, quia in virtute alicujus intentionis prius habitæ actualiter facit omnia, quæ facit tanquàm ex radice.

Dicendum ergo, quòd in baptizante non ſufficit ſola intentio habitualis, quia propter illam ſolam non dicitur actus humanus; nec requiritur ſemper intentio actualis, quia non obligat Deus hominem ad impoſſibile, vel nimis difficile, cujuſmodi eſt non diſtrahi, quia ſecundùm Aug. 3. *libro de libero arbi.* non eſt in poteſtate noſtra quibus viſis tangamur; ſed ſufficit intentio virtualis, ſcilicet quod aliquando habuit intentionem actualem; ex qua deſcendit nunc actus ille baptizandi, ſive in illo actu habeat intentionem actualem, ſive non; & intelligo, quòd deſcendit ille actus ſine omni motu voluntatis contrario interveniente ſecundùm Sco. *ubi ſupra.* ſecundùm Ric. 4. *di.6. q.1.ar.3. c.* tamen ſi baptizans non ſit diligens in applicando intentionem ſuam, ſecundùm quod decet ad ipſum actum, non excuſatur à peccato.

Quid ſi quis poteſt baptizare puerum, cui imponit nomen Petri, cùm ſit puella, numquid baptiſmus caret effectu?

Reſpondeo ſecundùm Hoſti. aut intendit baptizare perſonam cujuſcumque ſexus eſſet, & ſic eſſet baptizata; aut intendit baptizare marem tantùm, & non feminam, & ſic non eſt baptizata; aut ſimpliciter baptizat, & tunc eſt baptizata. Dicit tamen Hoſti. quòd in his caſibus, & ſimilibus ſi adhuc vivat, baptizari poteſt ſine errore, ſed in hoc non aſſentio ſibi.

Circa quintum reſpondeo. Differentia eſt inter ebrioſum,& ebrium; ebrius dicitur actu; ebrioſus ex conſuetudine; & bene poteſt aliquis conſuetus inebriari aliquando eſſe ſobrius in actu, & tunc baptizat; ebrius verò, ſi habeat ligatam rationem, ita quod tollatur intentio baptizandi, quia ſcilicet neſcit,quid faciat, non baptizat; ſi autem ratio libera eſt tantùm ſaltem,quod ſciat,quid faciat, non tamen omnino eſt compos ſui, tunc tenendum eſt, quod ſit baptizatus, etiam ſi lingua aliquo modo balbutiat, quia illud non eſt ſemper ſufficiens ſignum ligaminis rationis; undè ſi formet verba intelligibiliter, licèt non omnino,perfectè baptizat; ſi autem ita corruptè, quòd communiter intelligi non poſſet, eſt rebaptizandus poſtea. Hæc Bon. *4.diſ.5. du. circa literam. q.2.*

Circa ſextum reſpondeo, quòd ſic, ſi baptizans, & ille qui baptizatur intentionem baptizandi actu, vel habitu, in generali, vel ſpeciali habeat, quod expreſſum eſt 1.*q.1. Spiritus Sanctus. &* §. *ecce quando.*

Quid ſi ſciri non poſſit certitudinaliter intentio abluentis,vel abluendorum?

Reſpondeo ſecundùm Aug. *lib. de uni. bap.* implorandum eſt ſuper hoc divinum conſilium, quod ſi non revelet Deus, ſub conditione ſic ablutus, eſt baptizandus, & habetur *de conſe. diſt.4.ſolet.*

Circa

Circa ſeptimum reſpondeo. Intentio miniſtri poteſt perverti dupliciter. Uno modo reſpectu Ipſius Sacramenti, putà, cum quis non intendit Sacramentum conferre, ſed deluſoriè aliquid agere; et talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando ſuam intentionem exterius manifeſtat. Alio modo poteſt perverti intentio miniſtri quantùm ad illud, quod ſequitur ſacramentum, putà, ſi Presbyter intendat aliquam feminam baptizare, ut abutatur ea, vel ſi intendat conficere Corpus Chriſti, ut eo ad veneficia utatur; & quia prius non dependet à poſteriori, inde eſt, quòd talis perverſitas intentionis ſacramenti veritatem non tollit, ſed ipſe miniſter ex tali intentione graviter peccat. Hæc Tho. 4. 6. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *c.*

Circa octavum reſpondeo, quòd non; undè Aug. ad Bonifacium, & habetur *de conſe. diſt.* 4. *non illud. Si non eadem fide ad baptiſmum parvulos ferant, ut ad vitam regenerentur æternam, ſed eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem, non propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur.*

ARTICVLVS IV.

De Fide Baptizantis,

Circa quartum, ſcilicet fidem baptizantis, quęruntur hæc, ſcilicet

I. *Vtrum ad completum eſſe baptiſmi neceſſaria ſit fides alicujus articuli?*

II. *Vtrum recta fides requiratur in baptizante, ita ſcilicet quod infidelis non poſſit tradere ſacramentum baptiſmi?*

Circa primum Reſpondeo, fides neceſſaria eſt omnibus ſacramentis, quia omnia ſacramenta habent virtutem à fide, ut dicit Aug. de ſancto Victore, ſpecialiter verò eſt in baptizato neceſſaria, cum Ambro. dicat, quòd baptiſmus eſt fidei ſacramentum, & fundamentum, & janua ſacramentorum, ſicut fides eſt janua virtutum. *de conſe. di.* 4. *cum itaque.* & *extra. de preſby. non bapt. c. veniens.* gratia enim ſacramentalis comparatur ad Chriſti Paſſionem, ſicut ad meritum; & ad ſanctam Trinitatem, ſicut ad principium effectivum; & ideò in ſacramentis, ut in eis magis, quàm in aliis Paſſio Chriſti operetur, & diſponat, & ſancta Trinitas influat, neceſſaria eſt fides utriuſque, ſcilicet, Paſſionis & ſanctæ Trinitatis, cùm baptiſmus ſit ſacramentum non ſingularis hominis, ſed Eccleſiæ, ſicut etiam efficaciam habet à fide Eccleſię. hęc Bon. 4. *di.* 3. *q.* 1. *ar* 3. *c.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd non *de conſe. diſ.* 4. *Romanus.* & *c. à quodam.* & *c. Eccleſia.* poteſt etiam contingere, quòd aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid aliud, & non circa veritatem ſacramenti, quod exhibet, putà ſi aliquis credat juramentum in omni caſu illicitum, tamen credat baptiſmum efficaciam habere ad ſalutem, & ſic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi ſacramentum; ſi verò patiatur fidei defectum contra ipſum ſacramentum, quod exhibet, licèt credat per illud, quod agitur exterius, nullum interiorem ſequi effectum, non tamen ignorat, quòd Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi, quę exterius aguntur, ſacramentum præbere, undè non obſtante infidelitate poteſt intendere, quod facit Eccleſia, licèt æſtimet illud nihil eſſe, & talis intentio ſufficit ad ſacramentum, quia ut ſupra dictum eſt, miniſter Eccleſię agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus fide ſuppletur, quòd deeſt fidei in miniſtro.

Notandum autem, quòd hæreticorum quidam in collatione ſacramentorum non ſervant formam Eccleſiæ in his, quę ſunt ſubſtantialia formę, & tales nec ſacramentum conferunt, nec ſacramenti rem; quidam verò ſervant formam Eccleſię, & tales conferunt ſacramentum. *extra. de Sum. Tri. firmiter.* §. *ſacramentum.* quia licèt non ſint membra; nec miniſtri Eccleſię, ſimpliciter tamen conferunt in hoc caſu etiam rem ſacramenti, niſi adſit defectus ex parte baptizandi; baptiſmus enim datus in forma Eccleſiæ à quocumque, ſemper habet efficaciam, niſi obicem inveniat ex parte ſuſcipientis *de conſe. di.* 4. *Romanus.* & pluribus aliis *c. ejuſdem diſt.* Tunc autem habet obicem, quando ille, qui baptizatur, hæreſi conſentit, & hoc poteſt eſſe tripliciter; aut quia eſt hęreticus, & favet errori, aut ſi non eſt hæreticus, vadit tamen ad hæreticum præciſum in Eccleſiæ contemptum; aut ſi non eſt hæreticus præciſus, vadit tamen ad occultum, quem ſcit eſſe hæreticum, propter aliquod commodum, vel favorem; & tunc nihil gratiæ recipit, quia ab hæretico, ut hæreticus eſt, accipit; undè Aug. *lib. de fide ad Petrum. nullatenus dubites, extra Eccleſiam baptizatos, ſi ad ipſam non redierint, baptiſmo cumulari perniciem.* & 1. *q.* 1. *firmiſſimè.* & *de conſe. di.* 4. *quamvis.* undè talis poſtea pænitens reconciliandus eſt per impoſitionem manus. Licèt enim baptiſmus non poſſit iterari, impoſitio tamen aliqua manus, ſcilicet reconciliatoria poteſt repeti, ut dicetur infra. Tunc autem non conſentit, quando habet impotentiam diſcernendi, ut puer; vel quando iſte hæreticus eſt occultus, & creditur eſſe catholicus; aut quando homo eſt in neceſſitate conſtitutus, ſolùm neceſſitatis intuitu; talis enim recipit ſacramentum, & rem ſacramenti, quia dum in mortis periculo catholicus non invenitur, ſanctius eſt ab hæretico baptiſmum recipere, quàm in æternum perire. *di.* 32. *c. præter hoc præcipiendo.* §. *porro.* undè talis non eſt reconciliandus per impoſitionem manus. 1. *q.* 1. *hi qui.* & *c. manus.*

Undè nota differentiam inter recipientes ſacramenta ab hæreticis, & ſchiſmaticis, & recipientes à ſymoniacis, & fornicatoribus notoriis, quia baptizati ſcienter, & præter neceſſitatis periculum ab hæreticis, & ſchiſmaticis, & etiam

etiam ordinati ſcienter ab eiſdem, cùm veniunt ad Eccleſiam, non recipiuntur ſine manus impoſitione; baptizati verò, & ordinati prædicto modo à ſymoniacis, & fornicatoribus notoriis, recipiuntur ſine manus impoſitione. *di.32. §. verum in text. & gloſ.*

Ad hæc etiam nota, quòd illi qui baptizati ſunt ab hæreticis in nomine Trinitatis, cùm redeunt ad Eccleſiam ſanctam, reconciliantur; quandoque chriſmatis unctione, ſive confirmatione; quandoque manus impoſitione, ſcilicet reconciliatoria; quandoque ſola fidei profeſſione. Primo modo reconciliantur Arriani in Eccleſia orientali. Secundo modo in Eccleſia occidentali. Tertio modo Monoſelitæ, & alii *de conſe. di. 4. ab antiqua.* Monoſelitæ autem ſic dicti ſunt à Monoſo auctore hæreſis eorum; iſti ſunt, ut puto, qui dicuntur Monoſiaci. *de conſe. diſ. 4. hi qui.* Sed quidam libri habent ibi Bonoſiaci per B. iſti non credebant Chriſtum eſſe Dei filium naturalem, ſed adoptivum, ut *in d. c. verſi. monoſiaci.* Hæc autem diverſitas reconciliationis hæreticorum, ut habetur *ibidem in glo.* proveniebat ex diverſis modis errorum ipſorum hæreticorum, vel etiam ex diverſa conſuetudine Eccleſiarum. Arriani non chriſmabant in oriente; chriſmabant autem in occidente, undè erant de diverſis ſectis; ideò illi reconciliabantur chriſmate, iſti verò manus impoſitione, ut oſtenderentur eſſe de unitate Eccleſiæ. *de conſe. di. 5. manus.*

Sciendum autem ſecundùm Jo. quòd ſicut habetur in glo. impoſitio manus, quædam eſt confirmatoria, & hęc non repetitur; quædam conſecratoria, ſive ordinatoria, & hæc etiam non repetitur; quędam benedictoria, & hæc ſimiliter non repetitur, ſed ſi omiſſa fuerit, ſuppletur, *extra de ſac. unc. c.* 1. ubi dicitur, quòd ſi manus impoſitio omiſſa fuerit in ordinatione Subdiaconi, debet ſuppleri; quędam curatoria *Mar ult. ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt*, & hęc repetitur; quędam reconciliatoria, & hæc imponitur excommunicatis, & hęreticis pęnitentibus, hęc non eſt ſacramentum, & repetitur.

ARTICVLVS V.

De Bonitate Miniſtri &c.

Circa quintum ſcilicet bonitatem baptizantium poſſet quęri:

Utrum bonitas requiratur in baptizante, ad hoc quod poſſit conferre ſacramentum, vel baptiſmi effectum?

Utrum melior miniſter meliorem conferat effectum?

Utrum malus miniſter peccet baptizando?

Utrum peccet recipiens baptiſmum à malo miniſtro?

Sed horum reſponſio habetur ſupra in primo titulo hujus libri, articulo quinto; undè ſuppoſitis illis, quę dicuntur ibi, & ſpecialiter, quod mali miniſtri peccent baptizando, quęrere ſufficit:

Utrum malus miniſter, cui offertur puer baptizandus in periculo mortis exiſtens, ſit perplexus?

Videtur quòd ſic, quia videtur peccare, ſive baptizando, ſive non baptizando ipſum, cùm ſit in peccato, & cum ex officio ſuo facere teneatur. *de conſe. di. 4. omnis Presbyter.*

Reſpondeo tamen; aut malus miniſter baptizat cum ſolemnitate, ut miniſter Eccleſię, cui ex officio convenit, & tunc peccat mortaliter, ſi peccatum ſuum recolit, & non pęnitet, ut habetur in glo. *ſuper illud Levit. 22. qui acceſſerit, mundus ad munda dicitur accedere.* nec tamen talis eſt ſimpliciter perplexus, quia poteſt de peccato pęnitere, & licitè miniſtrare; non eſt autem inconveniens, quòd ſit perplexus, ſuppoſito quod velit remanere in peccato. Aut talis baptizat ſimpliciter in caſu neceſſitatis, in quo etiam laicus baptizare poſſet, & tunc non peccat; ſecùs autem eſt de aliis ſacramentis, quæ non ſunt tantę neceſſitatis, ſicut baptiſmus, ut infra patebit. Hæc Tho 4. *di. 5. q. 2. ar 2. q.* 4. & Pe. 4. *di. 5. q. 3. ar. 1. q.* 4 o. & Ric. 4. *diſt. 5. q. 3. ar. 3. c.* Aliter poteſt dici, quòd malus miniſter aut eſt occultus, aut notorius, & utroque modo eſt diſtinguendum, quia aut eſt neceſſitas, & timetur ſcandalum, & tunc non peccat baptizando, ſed in hoc quod negligit, ſe pręparare, & cum timore, & reverentia ad ſacramentum accedere; aut non eſt neceſſitas, nec timetur ſcandalum, & ſic non debet baptizare, niſi prius ſe præparet ad juſtificationem; quod ſi non facit, non tantùm peccat negligendo, ſed etiam, quantùm eſt in ſe, contumeliam ſacramento faciendo, & uſurpando id, ad quod non eſt idoneus.

Si autem eſt notorius, peccat etiam ſcandalizando, ideò dicit Auguſtinus ſuper Joc. 5. *juſtos oportet eſſe per quos baptizatur.* Hæc Bon. 4. *di. 5. dubi. circa literam. q.* 1.

TITULUS VI.

De Baptizandis.

Deinde conſiderandum eſt de baptizandis, &

Primo, de eorum obligatione ad baptiſmum.

Secundò, de tempore, & ſtatu, in quo debent baptizari.

Tertiò, de his, quæ requiruntur in eis ante baptiſmum, vel etiam dum baptizantur.

Quartò, de his, quæ requiruntur poſt baptiſmum. Ideoque ſit

ARTI-

ARTICULUS I.

De Obligatione Baptizandorum ad Baptiſmum.

Circa primum, ſcilicet obligationem ad baptiſmum quęruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum aliquis poſſit ſalvari ſine baptiſmo?*

II. *Vtrum ſanctificatus in utero teneatur ad baptiſmum?*

III. *Vtrum Apoſtoli fuerint baptizati?*

Circa primum reſpondeo, quòd non. *Jo. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum. & de conſe. diſ.4. neceſſarium. & c. 3. & 4.* Cùm autem, ut habitum eſt ſupra, triplex ſit baptiſmus, ſcilicet fluminis, flaminis, & ſanguinis, ſciendum, quòd baptiſmo fluminis, vel in re, vel in propoſito, ſi haberi non poſſit in re, ſit ſalus, in quantùm eſt de virtute ejus. Baptiſmo verò flaminis fit ſalus adulto, dum tamen baptiſmus fluminis ſit in propoſito *de conſe. diſ.4. baptiſmus. & extra. de preſ non ba. apoſtolicam.* ubi etiam habetur, quòd credens ſe baptizatum, licèt non ſit baptizatus, nihilominus ſi decedat, ſalvatur; parvulo autem non fit ſalus per baptiſmum flaminis, niſi de Privilegio ſpeciali, ut patet de ſanctificato in utero, quia non habet uſum liberi arbitrii. Baptiſmo autem ſanguinis fit ſalus utrique, ſcilicet adulto, & parvulo, & hoc ſi ſit propter Deum.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic, ſicut patet per Jo. qui dicit ſe à Chriſto debere baptizari, & hoc quidem non propter indigentiam remedii, ſed propter impreſſionem caracteris; & hujuſmodi actus charitatis, ſcilicet propter bonum obedientiæ, quia Deus pręcepit, ut omnes qui naſcuntur, renaſcantur, & propter humilitatem, quia debet ſe reputare peccatorem, & indigere Chriſti redemptione, & propter conformitatem, ut ab aliis Chriſtianis non diſcordet. Quia autem baptizare ſibi eſt præceptum affirmativum, ideò non obligat ipſum niſi pro loco, & tempore; undè ſi ante adultam ętatem, ſeu opportunitatem habitam moritur, ſalvatur, quia non habebat opus baptizari propter remedium, ſed propter pręceptum.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic; undè glo. ſuper illud *Jo.13. qui lotus eſt.* dicit: *his verbis intelligimus baptizatos Apoſtolos, etſi non legatur ubi, & quando. de conſe. diſt.4. quando ab Hieroſolymis. & c. ſi eos. & ſunt. c. Aug.* Similiter dici poteſt de Beata Virgine, & de Joanne Baptiſta. Latro verò tunc baptiſmo ſanguinis, & flaminis fuit baptizatus, quando in cruce Chriſtum eſt confeſſus. *de conſe. di. 4. baptiſmi vicem.*

Eſtò quod parvulus dum ad baptiſmum defertur, ab infideli interficiatur, numquid ſalvabitur?

Reſpondeo; nullus parvulus ſalvatur quantùm eſt de lege communi, niſi virtute ſacramenti, non quia parvulus teneatur ex pręcepto, ſed quia ſine ſacramento, vel aliquo, quod ęquipolleat, Deus non diſponit dare gratiam; ſi verò parvulus propter hoc ſolum occiſus eſt à perſecutore, cùm portaretur ad baptizandum, ne baptizaretur, moritur pro baptiſmo, ideò in ſanguine ſuo piè creditur baptizatus; ſi autem alia de cauſa occiditur, quantumcumque deferatur ad baptiſmum, damnabitur.

Sed numquid ex quo tenetur ad baptiſmum aliquis, peccat recipiens baptiſmum à malo miniſtro? Reſponſio huiuſmodi habetur ſupra in primo titulo de ſacramentis in communi.

Sed eſtò quod ſacerdos nolit ſine prętio baptizare, quid eſt tunc faciendum? Reſpondeo. Si baptizandus ſit adultus, ſufficit ſibi petere baptiſmum ad ſalutem, quia baptizatur baptiſmo flaminis, nec debet propter hoc ſymoniam committere, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona *Ro.3.* tamen ſi eſſet ibi aliquis laicus, deberet ſe potius ab eo facere baptizari; ſi tamen ſit puer, tunc ipſemet debet eum potius baptizare, quàm prętium ſacramenti ſymoniacè dare pro baptiſmo, ſi non ſit pręſto alius Presbyter, qui velit baptizare puerum debito modo; & licet ei aquam emere, non tamen ſanctificatam, ubi poteſt habere aliam aquam, ſi aliàs aquam habere non poſſet, quia aqua non eſt ſacramentum. Si autem emit aquam ſanctificatam, illa non operatur ad baptiſmum de neceſſitate ejus exiſtens quaſi ſanctificata, ſed quaſi aqua, & ideò non emit ut ſanctificatam ſed ut aquam. Hęc Tho.*4 di.5. q 2. ar.2. q 5. c.2.* Dicunt etiam aliqui, ut Ric.& probabiliter, quòd in hoc caſu dari poteſt pecunia pro aqua ſanctificata ſine vitio ſymonię, quia per hoc redimitur vexatio juris pueri, cujus in hoc caſu jure naturę, & divino eſt aqua illa, quæ eſt neceſſaria ad uſum baptizandi. Aliis autem, ut Bonaventurę *4. di. 5. q. 2. ar. 1. q. 2. c. 2.* ſimpliciter videtur, quod in hoc caſu prætium dari poteſt Pręsbytero pro baptiſmo, non ad emendum ſacramentum, vel aquam, ſed ad redimendam vexationem ſui juris, & hoc ut dicunt videtur magis conſonare pietati, & bonitati, & juri. Secundùm autem Sco. *di.5. q. 2. c. 3* potius permitti debet mori ſine baptiſmo parvulus, quam ematur baptiſmus, quia hoc fieri non poſſet ſine peccato mortali; poſſet tamen emi aqua etiam ſanctificata nullo modo habendo intentio nem ad actum illum in quantum eſt ſacramentalis.

Eſtò quòd mancus roget Presbyterum, ut baptizet puerum imminente mortis articulo, & nullus alius adſit, ut eum poſſit baptizare, & Presbyter eum baptizare nolit, niſi pecuniam ei dederit, quid ille faciet?

Reſpondeo. Riccar. *4. di. 25. q. 3. ar 1. c. 8.* quòd ille mancus debet potius permittere illum parvulum mori ſine baptiſmo, quàm dare pecuniam pro ſacramento baptiſmi, quia non ſunt facienda mala, ut veniant bona *Rom. 3.* Aliqui tamen dicunt, quòd in hoc caſu pecunia dari poſſet

poſſet, ita tamen quod dans non intenderet eam dare pro ſacramento, ſed vitanda damnatione pueri, & removenda inſania Presbyteri. Secus eſt de aliis ſacramentis, quæ ſine periculo damnationis ex cauſa poſſunt differri. hæc Richar. *ubi ſupra.*

Quid de Presbytero, qui hoc faceret?

Reſpondeo, niſi ſe corrigeret, ſpontè errorem relinquendo, deberet ſubire periculum proprii honoris 1. *quæſtione prima baptizandis. in tex. & glo.* dicitur etiam *de conſecration. diſt.* 4. quicumque Presbyter nollet pro intentione muneris, vel pro alia excuſatione baptizare aliquem in mortis periculo, ſi ille ſine baptiſmo decederet, deponi deberet.

Quid ſi Presbyter cathecumenos à baptiſmo repellat, & ipſi interim ante tempus conſtitutum ſine baptiſmo decedant, numquid imputabitur Sacerdoti?

Reſpondeo, quòd non, abſit enim, ut ea, quæ propter bonum, & licitum facimus, aut jubemus, ſi quid per hoc præter noſtram voluntatem cuiquam male acciderit, nobis imputetur 23. *q.* 5. *de accidendis.* hoc notatur *de conſe. di.* 4. *de cathecumenis in glo.*

Ad hoc nota, quòd quando Presbyteri ſubditis ſacramenta negant malitiosè, tunc ſubditi poſſunt ipſa ab aliis recipere. *ar. extra de reſcrip. Veniens. in tex. & glo.* 6. quæ ponitur *ſuper illud c. paſtoralis.* quod verum eſt de privilegiatis, & in caſibus conceſſis, ſcilicet in baptiſmo, & pænitentia, quę recipi poſſunt ab aliis in neceſſitate, ſed in aliis recurrendum eſt ad ſuperiorem. *extra de jure patro. nullus.* Hæc Hoſtien.

ARTICVLVS II.

De tempore, & ſtatu, in quo debent baptizari.

CIrca ſecundum, ſcilicet ſtatum, & tempus, in quo debet quis baptizari, quęruntur plura ſcilicet:

I. *Vtrum baptiſmus ſit differendus adultis?*

II. *Vtrum pueri ſint baptizandi?*

III. *Vtrum pueri Hæreticorum, vel Judæorum, & aliorum infidelium ſint baptizandi invitis parentibus?*

IV. *Vtrum infidelis petens baptizari, debeat ſtatim baptizari?*

V. *Vtrum in utero exiſtentes poſſint baptizari?*

VI. *Vtrum uterus matris debeat aperiri, ut puer extrahatur, & baptizetur?*

VII. *Vtrum debeat expectari omnimoda egreſſio pueri de utero, antequam baptizetur?*

VIII. *Vtrum puer exiſtens adhuc in utero matris, regenerari poſſit baptiſmo ſanguinis?*

Circa primum reſpondeo. Adultis ſubveniri poteſt per deſiderium baptiſmi, & ideò adultis cùm convertuntur, non ſtatim eſt ſacramentum baptiſmi conferendum, ſed oportet differri uſque ad aliquod certum tempus. Primò quidem pro cautela Eccleſiæ, ne recipiatur ſacramentum fictè accedentibus conferens; propter quod probatio ſumitur de accidentibus ad baptiſmum, quando per aliquod tempus eorum fides, & mores examinantur. Secundò, hoc eſt neceſſarium ad utilitatem eorum, qui baptizantur, quia aliquo temporis ſpatio indigent, ad hoc quod plenè inſtituantur de fide, & exercitentur in his, quæ pertinent ad vitam chriſtianam. Tertiò, hoc eſt neceſſarium propter reverentiam ſacramenti, dum in his ſolemnitatibus præcipuis, ſcilicet Paſchæ, & Pentecoſtes, homines ad baptiſmum admittuntur, & ita devotiùs ſacramentum ſuſcipiunt. *de conſe. di.* 4. *de cathecumenis. & c. venerabilis.*

Quanto verò tempore adulti baptizati debeant catechizari, & exorcizari ante baptiſmum. habetur titulo de exorciſmo; ſed dilatio in hujuſmodi eſt prætermittanda duplici ratione; primò quidem quando illi, qui ſunt baptizandi, apparent perfectè inſtructi in fide, & ad baptiſmum idonei, tunc ſtatim poſſunt baptizari, ſicut Philippus ſtatim baptizavit eunuchum, ut habetur *Act.* 8. & Petrus Cornelium, & eos, qui cum ipſo erant. *Act.* 18. Secundò, propter infirmitatem, vel aliquod periculum mortis. *de conſe. di.* 4. *de cathecumenis & c ſ q.* Si tamen aliquis morte præveniatur, articulum opportunitatis excludente, dum expectat tempus ab Eccleſia conſtitutum, ſalvatur, licèt per ignem, ut dictum eſt; peccat autem, ſi ultra tempus ab Eccleſia ordinatum, differt accipere baptiſmum, niſi ex cauſa neceſſaria, & licentia Prælatorum Eccleſiæ, licèt hoc peccatum deleri poſſit cum aliis per ſuccedentem contritionem, quæ ſupplet vicem baptiſmi, ut dictum eſt; nec eſt contra prædicta illud, quod dictum eſt. *de conſe. di.* 4. *cathecumenum.* Cathecumenum licèt in bonis operibus defunctum vitam habere non credimus, excepto dumtaxat niſi martyrii ſacramentum compleat, quia ſecundùm regulam ibidem intelligitur de eo, qui baptizari non quærit, vel aliàs in aliquo peccato conſiſtit.

Circa ſecundum reſpondeo indiſtinctè, quòd ſic; indiſtinctè enim vox evangelica intonat: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.* hac generalitate nec ſexum, nec ætatem excludens. *extra. de baptiſ. majores.* ratio hujus eſt, quia morbus eſt communis parvulis, & adultis, & medicina eſt conveniens iſtis, & illis; eſt autem utiliùs, & ſecuriùs, ſtatim parvulo baptiſmum conferre, quàm deferre uſque ad ætatem adultam, tum propter periculum mortis, & damnationis. *de conſe. di.* 4 *venerabilis. in glo.* tum propter infeſtationes dæmonum, qui minus poſſunt in baptizatis cęteris paribus; tum quia dum homo eſt parvulus, certum eſt in eo nihil eſſe, quòd impediat effectum baptiſmi, tum propter bonum aſſuefactionis, & quaſi educationis in his, quæ ſunt Religionis Chriſtianæ; & hanc rationem aſſignat

aſſignat Dionyſius *ult. c. cœleſtis hierarc.*

Sed objicitur, quia legatus non debet excedere fines mandati, ſed Dominus mandat *Mar. ult.* credentes baptizari, ergo parvuli non ſunt baptizandi.

Reſpondeo, licèt illud mandatum ſecundùm formam mandati ſpecialiter liget adultos, tamen ex alio ejus mandato. *Jo. 3. Niſi quis renatus fuerit &c.* invenitur etiam ad parvulos ſecundùm intentionem mandati extendi.

Circa tertium reſpondeo. Filii infidelium habent uſum rationis, aut non; ſi habent jam tantùm ad ea, quæ ſunt juris divini, vel naturalis, incipiunt ſuæ poteſtatis eſſe, & ideò propria voluntate, etiam invitis parentibus poſſunt baptiſmum ſuſcipere, ſicut & matrimonium contrahere, & ideò tales licitè poſſunt induci ad ſuſcipiendum baptiſma: ſi verò non habent adhuc uſum rationis, vel liberi arbitrii, ſecundùm jus naturale ſunt ſub cura parentum quamdiù ſibi providere non poſſunt; undè etiam de pueris antiquorum dicitur, quòd ſalvabantur in fide parentum, & ideò contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi tales pueri invitis parentibus baptizarentur; ſicut etiam ſi aliquis habens uſum rationis invitus baptizaretur. Eſſet etiam periculoſum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes, & ideò non habet hoc Eccleſiæ conſuetudo, quod filii infidelium baptizentur invitis parentibus. Fuerunt enim retroactis temporibus multi Catholici Principes potentiſſimi, ut Conſtantinus, & Theodoſius, quibus familiares fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi, ut Silveſter Conſtantino, & Ambroſius Theodoſio, qui nullo modo prætermiſiſſent hoc ab eis impetrare, ſi hoc fuiſſet conſonum rationi. Hæc Tho. 3. *q. 61. ar. 10. c.*

Secundùm autem Sco. 4. *di. 4. in fine. dub. 2.* Si Princeps aliquis parvulos infidelium parentibus invitis baptizari faceret cum bona cautela, ſcilicet ne parentes prius cognoſcentes hoc futurum occiderent eos, & faceret eos educari religiosè, laudabiliter faceret; & idem dico, etiamſi cogant parentes minis, & terroribus ad baptiſmum ſuſcipiendum, & ſervandum ſuſceptum; & hoc videtur poſſe probari, quia ſimile commendatur: *de conſe. di. 4. plerique.* Præterea dato quod non eſſent omnes verè fideles in corde, tamen minus malum eſſet eis non poſſe impunè legem illicitam ſervare, quàm poſſe; & etiam eorum filii in ſecunda, & tertia generatione eſſent fortè verè fideles.

Circa quartum reſpondeo ſecundùm Hoſti. aut eſt in periculo, ne ſcilicet alii infideles eum interficiant, ſi hoc perpendant, & tunc ſtatim ei fides debet exponi, & baptizari *de conſe. di. 4. ne quod abſit*, aut nullum periculum imminet, & tunc vel per octo menſes, vel arbitrariè debet inter cathecumenos retineri; ſic intellige illud *de conſe. di 4. Judæi. & c. ſe.*

Circa quintum reſpondeo, quòd non, *de conſe. di. 4. ſi ad matris. & pluribus aliis c.* oportet enim, quòd caro ejus, qui baptizatur ſecundùm totum, vel ſecundùm partem immediatè lavetur; undè ſi puer involutus totaliter in uno corio in aquam immergeretur ſub debita verborum forma, propter hoc non baptizaretur, hæc Ric. 4. *di 6. q. 2. ar. 1. c.*

Circa ſextum reſpondeo, non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, ut dicitur *ad Rom. 3.* & ideò non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum; ſi tamen mortua ſit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur. hæc Tho 4. *diſ. 6. q. 1. ar. 1. q. 1. c. 4.*

Circa ſeptimum reſpondeo, quòd ſic, niſi mors immineat; ſi tamen primò caput egrediatur, in quo omnes ſenſus funduntur, debet baptizari periculo imminente, & non eſt poſtea baptizandus, ſi contingat eum naſci perfectè; undè etiam reputatur eſſe hominis ſepultura, ubi ſepultum eſt ejus caput. *ff de reli. & ſump. fu. l. cum in diverſis.* Et poſt caput pectus, quia ſedes cordis eſt quaſi in pectore; & cùm ambo iſta non poſſunt ablui, magis debet ablùi caput, maximè facies, quia ibi magis patent animæ operationes; idem etiam videtur faciendum, quæcumque alia pars egrediatur periculo imminente; quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite: videtur quibuſdam, quòd propter dubium quacumque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Aliquibus tamen videtur, quòd puer etiam tunc eſſet baptizatus, quia anima eſt tota in qualibet parte corporis, & hujus ſententiæ eſt Gual. *in 4. ſentent.* eò quòd non eſt præceptum magis, quod caput immergatur, quàm aliud membrum; & ideò non magis eſt neceſſarium, licèt ſit rationabile, & ejuſdem ſententiæ eſt Gloſator *de conſe. di. 4. proprie. ar. e. di. nec quamcumque.* Primum communiùs tenetur, ut dicit Tho. 4. *diſt. 6. q. 1. ar. 1. q. 1. c. 3.*

Quid fiet de tali, cujus alia pars, quàm caput abluta eſt, ſi decedat ante perfectam nativitatem?

Reſpondeo, piè poteſt talis puer reputari baptizatus, ſi fuerit mortuus; undè eſt in cemeterio ſepeliendus, ſecundùm Gual.

Circa octavum reſpondeo, quidam dicunt, quòd nullo modo, nec per effuſionem ſanguinis, nec per aliam viam de lege communi poteſt puer in utero matris à peccato purgari; aliis autem videtur piè dicendum, quòd licèt puer in utero matris baptiſmo aquæ baptizari non poſſit, quia non poteſt ipſum ſenſibile ſacramentum ſuſcipere, & Eccleſiæ ignotus eſt, quia tamen ad ipſum effuſio ſanguinis pervenire poteſt, & Deo notus eſt, qui principaliter baptizat; ideò per infuſionem ſanguinis illatam pro fide, poteſt ab originali peccato purgari; undè illud Auguſt. *li. 2. de baptiſmo parvulorum. Qui natus non fuerit, non poteſt renaſci.* intelligendum eſt de regeneratione

ratione baptiſmi aquæ, ut dicit Ric. 4. *diſ.4 q.2. ar.3. c.1.*

ARTICULUS III.

De his, quæ requiruntur in eis ante baptiſmum, vel etiam dum baptizantur.

Circa tertium articulum, ſcilicet circa ea, quæ requiruntur in baptizandis ante baptiſmum, vel etiam dum baptizantur, quæruntur plura, ſcilicet:

I. *Vtrum in adultis ante baptiſmum pænitentia requiratur?*

II. *Vtrum in adultis requiratur uſus rationis ad ſuſcipiendum baptiſmum?*

III. *Vtrum in adultis habentibus uſum rationis, quando baptizantur, requiratur intentio ad hoc, quod recipiant ſacramentum baptiſmi?*

IV. *Vtrum ad recipiendum ſacramentum baptiſmi requiratur voluntas libera, vel ſufficiat coacta?*

V. *Vtrum fides requiratur ex parte baptizati?*

VI. *Vtrum ſine recta fide poſſit haberi intentio ſuſcipiendi baptiſmum?*

Circa primum reſpondeo, in adultis baptiſmum præcedit pænitentia neceſſariò quantùm ad attritionem, quia voluntas ſemel fixa in peccato, remanet ſemper in eo fixa actu, vel habitu; niſi per actualem diſſenſum evellatur ab eo in ſpeciali, vel ſaltem in generali; & quantùm ad hoc dicit Auguſt. *lib.* 1. *de pænitentia.* quod nullus ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus novam vitam poteſt inchoare, niſi cum pæniteat veteris. Quantum autem ad contritionem præcedit pænitentia baptiſmum de congruo ratione humiliationis, & inſtructionis, ſed quantùm ad abſolutionem, & ſatisfactionem neutro modo, ideſt nec de neceſſario, nec de congruo præcedit; & quia ſacramentum pœnitentiæ completum eſt in abſolutione, & in pænitentia, ſecundùm quod eſt Eccleſiæ ſacramentum; ideò ſequitur, quòd non præcedit baptiſmum, cùm baptiſmus ſit janua ſacramentorum.

Sed objicitur contra prædicta, quia Judæis venientibus ad baptiſmum indicenda eſt pænitentia, ac abſtinentia quadraginta dierum, qua completa ſunt baptizandi, ut habetur *de conſe. diſ.*4. *ne quod abſit.*

Reſpondeo, quòd illa pænitentia non indicitur Judæis propter ſacramenti inefficaciam, ſed propter ejus reverentiam, & Judæorum recipientium baptiſmi probationem; undè eis non indicebatur poſt ſuſceptionem baptiſmi, ſed ante, quamvis ſic obſervaretur, tamen modò non oportet hoc obſervare, ſecundùm quod videtur dicere Gloſ. *ibidem.* quod intelligo, ubi non eſt conſuetudo contraria. Hæc Ric. 4. *di.*4. *q.*3. *ar.* 2. *c.*5.

Circa ſecundum reſpondeo, ad ſuſcipiendum ſacramentum baptiſmi, & rem ejus, non eſt neceſſaria per ſe aliqua actio ex parte ſuſcipientis, ſed ſufficit, quòd in eo non ſit aliquid prohibens prædictorum ſuſceptionem; prohibens autem non eſt niſi peccatum mortale, de quo homo non eſt attritus, neque contritus; & ideò licèt aliqui adulti fiant carentes uſu rationis, antequam mortaliter peccaverint, ſi baptizantur, recipiunt ſacramentum; & rem ſacramenti, etiam ſi tunc contradicant, quia illa contradictio non procedit à voluntate rationis, ſecundùm quam ſunt capaces gratiæ baptiſmalis; ſi autem antequam fiant furioſi, vel obdormiant, mortaliter peccaverint, committendo, vel omittendo, & non fuerint de illo peccato contriti, nec attriti, etſi baptizantur, non ſuſcipiunt rem ſacramenti, licèt ſacramentum ſuſciperent tempore quo furiam intraverunt, vel obdormierunt intentione ſuſcipiendi ſacramentum actu, vel habitu; tamen quantumcumque conſtaret, quòd talem intentionem habuiſſet, non debet aliquis baptizare dormientem, vel furioſum habentem lucida intervalla, dum actu eſt in furia, ſed expectandum eſt furioſi lucidum intervallum, & dormientis vigilia, & qui facit contrarium, peccat, niſi ſecundùm ſuum judicium probabiliter immineat periculum, ſi talem differat baptizare. Quantùm autem ad furioſum non habentem lucida intervalla, nulla eſt dilatio facienda, & hoc habetur *extra. de baptiſ. majores.* Hæc Ric. 4. *diſ.* 6, *q.* 2. *ar.*2.*c.* Nullus ergo debet baptizare aliquem dormientem, niſi præſumatur, quod non evigilet ante mortem, & niſi præſumatur de ejus voluntate per verba, vel ſaltem ſigna, quod de Chriſtianis ſit natus, & in hoc caſu his concurrentibus baptizari debet; ſicut etiam Auguſtinianus narrat *in* 4. *li. conſeſ.* de quodam amico ſuo, qui baptizatus eſt neſciens propter periculum mortis, & idem dicendum eſt de furioſo. Hęc Bonaven. 4. *di.*6. *q.* 2. *dubi. circa literam. q.* 3.

Sed quare adultis amentibus, & dormientibus, qui non conſentiebant, dum eſſent in uſu rationis, baptizari non prodeſſet ad tollendum peccatum originale, ſicut prodeſt parvulis?

Reſpondeo, quia ut habetur. *extra. de baptiſ. majores.* §. *verum.* Dominus, qui totum hominem ſanum fecit in ſabbato, opus imperfectionis non vult, & ideò peccata non ex parte, ſed ex toto tollit, quod faceret, ſi baptiſmus originale deleret, & non actuale, quod ſine conſenſu deleri non poteſt.

Sed ponatur, quòd dormientes excitati ratum habeant, quod ſunt baptizati, licèt nollent prius baptizari.

Reſpondeo, non prodeſt, quia nihil recipiunt, & ideò non eſt utile, quòd ratum habeant, ſed iterum debent baptizari. *extra. de baptiſ. majores.* §. *item quæritur in Gloſ.*

Circa tertium reſpondeo, quòd in talibus de communi lege ad hoc quod recipiant characterem baptiſmalem requiritur intentio actu, vel habitu

habitu, tam in illo, qui conſentire poteſt, quàm in illo, qui conſentire non poteſt ad ſuſcipiendum ſacramentum; per ſuſceptionem enim characteris baptiſmi intrat homo Eccleſiam militantem, & aſcribitur exercitui Eccleſiæ militantis: ad hoc autem obtinendum, requiritur ejus conſenſus actu, vel habitu, ſi eſt in ſtatu, in quo conſentire poſſet; probabile enim eſt, quòd ab illo plus requiratur, qui conſentire poteſt, quàm ab illo, qui conſentire non poteſt; ſicut videmus, quòd in catechiſmo reſpondent pro parvulo patrini; & ſi adultus eſt, debet reſpondere pro ſe ipſo. *de conſe. di.* 4. *parvuli aliquo. & c. cum pro parvulis.* Ad hoc autem non eſt ſemper neceſſaria determinata intentio in actu, quia quandoque ſufficit intentio in habitu. Si enim aliquis cathecumenum non actu cogitantem de ſuſceptione ſacramenti baptiſmi, ſed de re alia, ablueret ſub forma verborum debita, intendens ſibi miniſtrare ſacramentum baptiſmi, iſte cathecumenus reciperet baptiſmalem characterem. Quamvis enim intentio in habitu non ſufficiat ad cauſandum effectum, poteſt tamen eſſe ſufficiens diſpoſitio ad ſuſcipiendum, major enim actualitas requiritur in agente, quàm in patiente, cùm res agat per ſuam actualitatem, & patiatur per ſuam paſſibilitatem; quandoque tamen intentio in actu determinatè requiritur per accidens, ſcilicet vel ad removendum prohibens, vel quando non conſentire in actu, & non conſentire in habitu ſe concomitantur; ſi enim in accedente ad baptiſmum eſt actu, vel habitu intentio non recipiendi ſacramentum baptiſmi, hujuſmodi intentio prohibet ſacramenti ſuſceptionem, & tunc neceſſarium eſt illam intentionem expelli per contrariam intentionem in actu, ad hoc ut ille recipiat ſacramentum baptiſmi: ſi etiam accedens ad baptiſmum admoneatur diligenter, ut actu conſentiat, requiritur, quòd conſentiat in actu, ad hoc ut tunc verè recipiat ſacramentum, quia ſi tunc ibi non conſentiret in actu, tunc etiam non conſentiret in habitu; ſic enim accipimus conſentire in habitu in aliquam rem, quando homo ſic diſpoſitus eſt, quòd ſi actualiter, & deliberatè cogitaret de illa re, quod actu conſentiret in illam. Hæc Ric. 4. *di.* 4. *q.* 2. *ar.* 3. *c.*

Quid ergo de adulto, in quo tam in actu, quàm in habitu non eſt intentio ſuſcipiendi ſacramentum, numquid eſt rebaptizandus?

Reſpondeo, quòd ſic; ſed ubi non conſtaret, eſſet dicendum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Nec debet teneri Gloſ. *de conſe. di.* 4. *c. parvulos. & c. ſeq.* quæ dicit: ſolet etiam dici, quòd ſi baptizans baptizare intendat, qualemcumque intentionem habeat baptizatus, ſuſcipit ſacramentum.

Circa quartum reſpondeo, cùm quis cogitur ad baptiſmum, aut cogitur coactione abſoluta, ſive ſufficiente, quia ſcilicet violenter eo renitente manibus, & pedibus immergitur, & tunc non recipit ſacramentum, nec rem, aut coactione conditionata, ſive inducente, ut minis, & flagellis, ita quod potiùs vult ſe ſubjicere ſacramento Eccleſiæ, quàm morte perire, & tunc aut intendit alios illudere, & mortem evadere, & tunc etiam neutrum ſuſcipit; quia tamen Eccleſia præſumeret conſenſiſſe talem interiùs propter conſenſum exteriorem, talis deberet cogi ad Fidei Chriſtianæ obſervationem; aut vult potiùs circa ſe fieri, quòd facit Eccleſia, quàm perire, & tunc recipit ſacramentum, & hæc ferè omnia patent. *extra. de baptiſ. majores.* §. *item quæritur. in tex. & in glo.* G.

Nota igitur breviter, quòd ſuſcipientium baptiſmum, quidam nunquam habuerunt uſum rationis, ut parvuli, & perpetui furioſi, & naturaliter ſtulti, & in his voluntas non requiritur; quidam autem aliquando habuerunt, licèt tunc non habeant, & in his voluntas antecedens requiritur, licèt non concomitans; quidam verò habent tunc cùm baptizantur, & in his cùm conditio eorum ibi melioretur, ſufficit voluntas conditionata.

Circa quintum reſpondeo, in parvulis, qui per ſe non poſſunt credere, ſufficit fides aliena, ſcilicet Eccleſiæ, quæ eſt; vel ſi hæc deficeret, ſufficit meritum fidei, quæ fuit in Eccleſia; dicit enim Auguſt. ad Bonifacium: *cùm offeruntur parvuli ad percipiendam gratiam, ab omnibus offerri intelliguntur, quibus placet, quod offerantur.* Fides tamen Eccleſię militantis nunquam deficit univerſaliter, nec deficiet ſecundùm illud *Matth. ult. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* & hæc divina providentia faciente, nec unquam fuit, nec erit quin ſemper eſſet aliquis, qui Deo placeret. In adultis verò requiritur fides propria, non quidèm ad ſuſceptionem ſacramenti, ideſt characteris, quia ſacramentum non perficitur per juſtitiam hominis dantis, vel ſuſcipientis baptiſmum, ſed per virtutem Dei; ſed requiritur ad ſuſceptionem rei ſacramenti, ideſt gratiæ.

Sed contra hoc videtur eſſe illud Hieronymi: *Fides in aquis baptiſmi gignitur, & nutritur, non habenti etiam datur, & habenti augetur.*

Reſpondeo, quòd fides parvulis in baptiſmo datur, ſed adultis augetur, vel informatur, ſi erat informis; undè fides informata præexigitur, ſed formata ibi datur adultis. Hæc Pe. 4. *diſt.* 6. *q.* 2. *ar.* 22.

Circa ſextum reſpondeo, quòd non habens rectam fidem circa aliquos articulos, poteſt habere rectam fidem circa ſacramentum baptiſmi; ſi tamen etiam circa hoc ſacramentum non rectè ſentiat, ſufficit ad perceptionem ſacramenti generalis intentio, quod intendat ſuſcipere baptiſmum, ſicut Chriſtus inſtituit, & ſicut Eccleſia tradit.

ARTICVLVS IV.

De his, quæ requiruntur poſt baptiſmum.

Circa quartum, ſcilicet circa ea, quæ requiruntur ad baptizatum poſt baptiſmum, quæruntur hæc duo, ſcilicet:

I. *Per quæ opera nuper baptizati ſint exercitandi ad juſtitiam?*

II. *Utrum teneantur reſtituere illis, quos læſerunt?*

Circa primum reſpondeo, non per opera pœnalia, ſed per opera facilia, ut quaſi quodam lacte facilis exercitii promoveantur ad perfectiora, ut dicit Gloſ. *ſuper illud Pſalm. Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua.* unde etiam dominus diſcipulos ſuos de novo converſos à jejunio excuſavit, ut patet *Matth.* 9. & hoc eſt quod dicitur 1. *Pe.* 2. *ſicut modo geniti infantes lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem.*

Circa ſecundum reſpondeo, reſtituere ablata, & ſatisfacere de injuriis illatis, eſt ceſſare à peccato; & hoc ipſum non facere, eſt detinere aliena, & proximum leſum non placare eſt peccatum, & ideò peccatoribus baptizatis eſt injungendum, quòd ſatisfaciant proximis, ſicut etiam quod à peccato deſiſtant. Hæc Tho. 3. *q.* 68. *art.* 5. *c.* 2. & 3.

TITULUS VII.

De Sacramento Confirmationis.

Deinde conſiderandum eſt de ſacramento confirmationis, &

Primò, de ejus inſtitutione.
Secundò, de ejus neceſſitate.
Tertiò, de ejus materia.
Quartò, de forma.
Quintò, de efficacia.
Sextò, de miniſtris ejus.
Septimò, de ſuſcipientibus ipſum.
Octavò, de ritu, & celebratione hujus ſacramenti. Quare ſit.

ARTICVLVS I.

De Inſtitutione hujus Sacramenti.

Circa primum, ſcilicet inſtitutionem hujus ſacramenti, ſciendum, quòd hoc ſacramentum Chriſtus inſtituit, ſecundùm aliquos, Apoſtolis exhibendo, licèt hoc non ſit ſcriptum ſecundùm alios permittendo. *Jo.* 16. *ſi autem abiero mittam eum ad vos.* et hoc ideò, quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quę non erat danda ante reſurrectionem, & aſcenſionem ſecundùm illud *Jo.* 7. *nondum erat Spiritus Sanctus datus, quia Chriſtus nondum fuerat glorificatus.* & hæc eſt opinio Tho. 3. *q.* 72. *ar.* 1. *c.* 1. Secundùm verò alios inſtituit hoc ſacramentum pueris manus imponendo, & eos benedicendo *Matth.* 19. & hæc eſt opinio Rich. 4. *diſt.* 2. *q.* 1. *ar.* 3. *c.* 2. Alii dicunt, quòd fuit inſtitutum ab Apoſtolis, qui leguntur confirmaſſe *Act.* 8. Alii dicunt, quòd ab Eccleſia, quæ primò legitur ipſius ritum ſolemni conſilio inſtituiſſe, & præcepiſſe hæc videtur eſſe opinio Bon. 4. *di.* 7. *q.* 2. *ar.* 1. *c.* 1. in oppoſitum. Alii dicunt, quòd Chriſtus inſtituit figurativè, ſcilicet imponendo manus pueris *Matth.* 19 & Spiritus Sancti inſpiratione, & auctoritate Apoſtoli traditione, & Eccleſiaſtica approbatione. Eſt enim inſtitutio duplex, ſcilicet expreſſione facti, vel præcepti, ergo Chriſtus inſtituit inſpirando, Apoſtoli faciendo, & Eccleſia præcipiendo; & ſecundùm hoc omnes ſupradictę opiniones verę ſunt in parte, & hoc eſt dictum Pe. 4. *di.* 7. *quæſtione* 1. *c.* 1.

ARTICULUS II.

De Neceſſitate Confirmationis.

Circa ſecundum, ſcilicet neceſſitatem, ſciendum, quòd gratia, quæ datur in confirmatione eſt neceſſaria, non quia ſine ea ſimpliciter non ſit ſalus, ſed quia ſine ea, vel per ſacramentum, vel aliàs accepta pugnando non pervenitur ad ſalutem, ideò dicit Melchiades Papa *de conſe. diſt.* 5. *c. Spiritus Sanctus: Spiritu Sancto in baptiſmo regeneratur ad vitam, in confirmatione confirmamur ad pugnam, & licèt continuò tranſituris ſufficiat regenerationis beneficium, victuris tamen ſunt neceſſaria confirmationis auxilia.* Ex inſtitutione autem Eccleſiæ eſt, quòd nullus ab hoc ſacramento excipitur, ut ſit quilibet ſtrenuus pugnator; ideò ſi quis, cum habet loci & temporis oportunitatem negligendo contemnit, periculo ſe exponit; & ſic debet intelligi illud Hug. *li.* 2. *de ſacra. parte* 7. *ca.* 3 timendum eſt de his, qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ne fortè propterea damnentur, ſcilicet niſi peniteant, quia feſtinare debuerunt, dum potuerunt

ARTICULUS III.

De Materia Confirmationis

Circa tertium, ſcilicet materiam confirmationis, ſciendum, quòd materia huius ſacramenti eſt, quòd componitur ex oleo, & balſamo, & hoc bene convenit ſignificationi effectus hujus ſacramenti, qui eſt duplex, quorum primus eſt nitor fidei in vera credulitate cordis. Secundus eſt odor famæ in confeſſione oris; primus ſignificatur in oleo, ſecundus in balſamo, qui præcipuè eſt odoriferus. Oportet autem, quòd Chriſma, quod eſt hujus ſacramenti materia prius fuerit ab Epiſcopo conſecratum: ſacramentorum autem quędam ſunt neceſſitatis, & ideò licèt in his requiratur ſanctificatio materiæ ad ſolemnitatem, non tamen ad neceſſitatem, ut in baptiſmo; quædam ſunt per-

Digitized

perfectionis, & ideò in his requiritur ſanctificatio materiæ ad ſolemnitatem, & neceſſitatem, ut in hoc ſacramento, & extrema unctione. hæc Pe. *4. di. 7. q. 1 ar. 2. q. 2.* ſicut autem habetur *de conſe. di. 4. omni tempore.* in omni anno, ut exponit Glo. licebat chriſma conficere, quia tunc ſolemniter baptiſmus, ad quem requiritur chriſmatis uſus in vigilia Paſchæ celebratur, ideò congruè ordinatum eſt, ut per biduum antè ab Epiſcopo chriſma benedicatur, ut poſſit per Dyæceſim deſtinari; dies etiam ille ſatis congruit ad materias ſacramentorum benedicendas, in quo fuit Euchariſtię ſacramentum inſtitutum, ad quod omnia alia ſacramenta quodammodo ordinantur.

Debet autem Epiſcopus, quando vult chriſma conficere, Miſſam celebrare, & hoc in Eccleſia Cathedrali, niſi ex juſta cauſa impediatur. *extra. de celeb. miſ. te referente.* Singulis autem annis debet in cæna Domini novum chriſma confici, & vetus in Eccleſia cremari. *de conſe. di. 3. literis.* Non debent etiam chriſma accipi niſi à propriis Epiſcopis. *de conſe. di 4. Presbyteri.* & quilibet Presbyter debet illud accipere quolibet anno, vel per ſe, vel per Dyaconum. *diſt 95. Presbyteri.* undè Abbates peccant, qui accipiunt illud ab aliis, niſi ſint privilegiati, quòd poſſint accipere à quibus velint, ut dicit Glo. *ibidem.*

Quid ſi aliquis confirmandus oleo pro chriſmate eſſet unctus?

Reſpondeo, non eſſet Sacramentum confirmationis iterandum, ſed eſſet cautè ſupplendum, quòd eſſet omiſſum. *extra de ſacra. non ite. paſtoralis.* Inno. & Hoſtien. *extra. de ſa. unc. c. 1.* dicunt, quòd qui confirmatus eſt oleo, debet iterum chriſmate liniri, & debet illa oratio iterari: *ſigno te ſigno Crucis.* Aliæ autem orationes, quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, non iterantur.

ARTICULUS IV.

De Forma Confirmationis

Circa quartum, ſcilicet formam confirmationis, ſciendum, quòd forma verborum hujus ſacramenti eſt: *Conſigno te ſigno Crucis, confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine patris &c.* Aliqui dicunt: *ſigno te*; & aliqui dicunt: *chriſmate ſanctificationis.* ſed per hoc non corrumpunt ſubſtantiam formæ prædictæ, cum eadem res ſignificetur utrobique.

ARTICULUS V.

De Efficacia Confirmationis.

Circa quintum, ſcilicet efficaciam confirmationis, ſciendum, quòd in confirmatione imprimitur character, ut etiam habitum eſt *ſupra tit. de ſacram. in communi ar. 4.* Præſupponit autem character confirmationis characterem baptiſmi, ſicut augmentum præſupponit generationem. Confertur etiam in confirmatione gratia gratum faciens, undè dicit Rabanus, quòd per impoſitionem manuum Pontificis Spiritus Sanctus datur baptizato.

ARTICVLVS VI.

De Miniſtris Confirmationis,

Circa ſextum, ſcilicet miniſtros confirmationis ſciendum, quòd ex ordinaria poteſtate ſoli Epiſcopi poſſunt confirmare; ipſi enim ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, de quibus ſolis legitur in actibus, quod per impoſitionem manus dabant Spiritum Sanctum. *extra. de ſa. unc. §. per frontis* ex commiſſione tamen Papę poſſet etiam ſimplex Presbyter confirmare, quod probatur. *di. 95. pervenit.* ubi Presbyteri ex commiſſione Beati Gregorii confirmabant ad tempus propter ſcandalum evitandum. Poteſtas enim confirmandi, ut dicunt quidam, fundatur ſuper diſpoſitione Vicarii Chriſti. hæc Rich. *4. di. 7. q. 2. ar. 1. c & c. 3. ad oppoſit.* Super hoc etiam ſunt plures alii modi dicendi, quos omitto cauſa brevitatis, & quærun tur hæc, ſcilicet

I. *Vtrum Epiſcopi degradati poſſint confirmare?*

II. *Vtrum non Presbyter ex commiſſione Papæ poſſit conferre ſacramentum confirmationis?*

III *Vtrum alii Epiſcopi, vel Archiepiſcopi chriſmare poſſint in Dyæceſi alterius Epiſcopi?*

Circa primum reſpondeo, aliqui dixerunt, quòd cùm poteſtas confirmandi fundetur ſuper dignitate, quæ Epiſcopo confertur in ſua conſecratione, & illa dignitas ab eo auferri non poſſit per hominem, quia dignitatem Apoſtolatus omnes Apoſtoli, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, immediatè acceperunt à Chriſto, Epiſcopi degradati confirmare poſſunt, licèt hoc facere non debeant, quia eis prohibitus eſt ſimpliciter illius poteſtatis uſus. Alii dicunt, quòd Epiſcopi degradati confirmare non poſſunt, nec de facto, nec de jure, quia Vicario Chriſti conceſſa fuit à Chriſto poteſtatis plenitudo ordinandi de corpore Chriſti myſtico, quòd eſt Eccleſia, & ejus membris, ſecundùm quod exigit ratio recta. Super autem ſuum verum corpus nullam ſibi conceſſit poteſtatem, nec etiam ſuper illos, qui ſacramentum baptiſmi non receperunt, quod eſt janua, qua intratur in Eccleſiam militantem, conceſſit aliquam poteſtatem directè, undè Apoſtolus 1. Cor. 5. *quid de his mihi qui foris ſunt judicare.* & ideò quia poteſtas Epiſcopalis directè reſpicit corpus Chriſti myſticum, & ejus membra; poteſtas autem ſacramenti Euchariſtiæ directè reſpicit verum corpus Chriſti, & poteſtas baptizandi non tantùm reſpicit illum ſolum, qui eſt Eccleſię membrum, ſed etiam illum, qui nec eſt, nec fuit Eccleſiæ militantis membrum; ideò Vicarius poteſt ab illo auferre dignitatem Epiſcopalem, non tamen ab homine poteſtatem baptizandi, nec à Sacerdote poteſta-

tem conficiendi. Secus autem eſt de ſuſpenſis, quia per privationem, ſeu degradationem tollitur poteſtas, ſed per ſuſpenſionem prohibetur poteſtatis uſus; & ideò ſi Epiſcopus ſuſpenſus confirmat, verè confirmatum eſt, ſed confirmando mortaliter peccat, quia utitur poteſtate, cujus uſus eſt ſibi prohibitus. Hæc Rich. *ubi ſupra. ar. 2, o.*

Circa ſecundum. *ex Ber. extra. de conſue. quanto in glo.* 1. quilibet etiam clericus ex commiſſione Papæ poſſet confirmare, dummodo ipſe confirmatus eſſet, ſed videtur aliquibus probabiliter, quòd non, niſi ſolus Presbyter; Gratia enim deſcendit in corpus Chriſti myſticum, cujus caput eſt Chriſtus per ipſius Chriſti meritum, & ideò ordinavit Chriſtus, ut poteſtas conferendi ſacramentum confirmationis, eò quòd per ejus ſuſceptionem dignè ipſum ſuſcipienti confertur abundanter augmentum gratiæ ad confitendum conſtanter crucifixionem veri corporis Chriſti, dependeat ex poteſtate conficiendi corpus Chriſti verum, quàm poteſtatem non habent niſi Sacerdotes; undè etiam dicitur Jac 5. *Inducant Presbyteros &c.* nec te moveat ad diſcredendum, quòd dictum eſt, quòd in ſacra ſcriptura non invenitur expreſſum, quia ſicut dicit *Dam.* 4. *lib.* 4. Apoſtoli multa non ſcripta tradiderunt nobis. Hæc Richar. 4. *di.* 4. *q.* 2. *ar.* 1. *c.* 3. *ad oppoſitum.*

Quid ſi Papa poſt conceſſionem ſuam chriſmare Presbyterum prohiberet?

Reſpondeo Presbyter ille nihil conferret, ſi poſtea chriſmaret *extra. de conſuetud. quanto. in glo.* 7.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, de licentia alterius Epiſcopi; Epiſcopi enim ea quæ ſunt juriſdictionis, ut judicare, excommunicare, & ſimilia poſſunt aliis committere etiam non habentis juriſdictionem; quæ verò ſunt ordinis, & Epiſcopalis auctoritatis non poſſunt demandare, vel etiam delegare aliis, qui ſunt gradus inferioris. *extra. de conſe. eccle. aqua.* Hoc nota *in glo. ſupradicta.*

ARTICVLUS VII.

De Suſcipientibus Confirmationem.

Circa ſeptimum, ſcilicet ſuſcipientes confirmationem, ſciendum, quòd omnibus competit hoc ſacramentum, quia character ejus eſt ſignum diſtinctivum in militia ſpirituali, quę imminet omnibus; licèt enim hæc militia non conveniat pueris pro ſtatu illo, tamen pro ſtatu futuro. Quærendum ergo reſtant hæc duo, ſcilicet:

Vtrum conveniat morientibus?

Vtrum debeat dari peccatoribus?

Circa primum reſpondeo, quòd ſic, quia quamvis ſubtrahantur eis prælia, tamen pergunt ad pręmium militantium; ideò communiter accipiunt militiæ chriſtianæ ſignum, vel competit eis propter obedientiæ meritum, & gratiæ augmentum; ideò dicit Hugo. quòd omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine confirmatione migrare contingeret. non quia damnaretur aliquis, niſi fortè propter contemptum, ſed quia detrimentum profectionis pateretur; undè & pueri confirmati decedentes majorem gloriam conſequuntur, ſicut & hìc majorem obtinent gratiam.

Sed objicitur illud Melchiadis Papæ dicentis: *licèt continuè tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen confirmationis beneficia ſunt neceſſaria.*

Reſpondeo, illud intelligitur quantùm ad hoc, quod morituris non eſt neceſſarium ſacramentum hoc propter pugnæ præſentis periculum.

Circa ſecundum, reſpondeo quòd non, quia hoc ſacramentum datur ad confirmandum gratiam, quam priùs invenit, & ideò non debet dari niſi hi, qui habent gratiam, & propter hoc ſicut non datur non baptizatis, ſic non debet dari adultis peccatoribus, niſi per pænitentiam præparatis, undè dicitur in Aurelian. Concilio, *ut jejuni ad confirmationem veniant, & moneantur confeſſionem facere, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant recipere*, & tunc per hoc ſacramentum perficitur pænitentiæ effectus ſicut & baptizati, quia per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequitur pænitens pleniorem remiſſionem peccatorum; & ſi quis adultus exiſtens in peccato, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfectè contritus accedat ad ſacramentum, dummodo non victus accedat, per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequitur remiſſionem peccatorum. Hæc Tho. 3. *q.* 72. *ar.* 8. *c.* 4. *& ar.* 7. *c.* 2.

ARTICULUS VIII.

De Ritu, & Celebratione Sacramenti Confirmationis.

Circa octavum, ſcilicet ritum, & celebrationem confirmationis quæruntur plura, ſcilicet

I. *In qua parte debeat fieri unctio in hoc ſacramento?*

II. *Vtrum ille, qui confirmatur, debeat ab alio teneri?*

III. *Vtrum certum tempus ſit determinatum, in quo datur hoc ſacramentum?*

IV. *Vtrum confirmans, & confirmandus debeant eſſe jejuni?*

Circa primum reſpondeo, quòd in fronte; unctio enim fit ad ſignificandum illud, quod confertur in ſacramento, undè quia in confirmatione confertur audacia confeſſionis, cujus oppoſitum, ſcilicet timor, vel erubeſcentia primò evidentiùs in fronte manifeſtatur; ideò fit unctio in fronte. Qui tamen chriſmatus non fuit in baptiſmo debet in confirmatione chriſmari ab Epiſcopo priùs in vertice, poſtea in fronte. *de conſe. diſ.*

ſti.4. *nullus.* Debet autem frons confirmati ligari donec exſiccetur, ne frons inuncta contrahat aliquas ſordes, & etiam ſecundùm Hug. *lib. 4. de ſacramentis.part.7. c.ult.* confirmati non debent lavare caput uſque ad 7. dies propter ſeptem dona Spiritus Sancti.

Sciendum autem quòd pannus ille, quo caput pueri chriſmate tangitur, vel quo vertex chriſmati involvitur, poteſt alteri confirmando, vel baptizando iterum circumcingi. *de conſe. di. 4. ſi quis voluerit.*

Notandum ergo, quòd inunctio chriſmatis triplex fit in tribus ſacramentis, quorum diverſitas ex fine accipitur, quia in baptiſmo fit in vertice,ad ſignificandum fidei ſuſceptionem,quia vertex eſt locus cellulæ rationalis; in confirmatione in fronte,ad ſignificandum audaciam confeſſionis, cujus impedimentum, ſcilicet timor, & verecundia magis manifeſtatur in pallore, & rubore frontis ex propinquitate cellulæ imaginativæ; in ordine verò in manibus, ad ſignificandum poteſtatem conſecrandi dominicum corpus. Hæc Pe.4. *diſt.7. q.3. ar.3.c.* & ita ponit, quòd manus Presbyteri inunguntur chriſmate; hoc idem ſcripſit *Goſ. in ſum.* Sed hoc non eſt verum ſecundùm Hoſti, ſed inunguntur oleo benedicto, & hæc probantur in ordinario. *di.23. Papa* ubi hæc not. Hug.

Circa ſecundum reſpondeo.cùm hoc ſacramentum detur ad robur, eo ipſo quod homo ad ſuſceptionem ejus accedit, oſtendit, quòd ſufficiens robur ſtandi per ſe habere non præſumitur, &ideò ad hoc ſignificandum inſtitutum eſt,ut ab altero teneatur. Si verò aliquis confirmatur abſque hoc, quod ab alio teneatur,ſacramentum ſuſcipit, licèt hoc fieri non debeat, niſi neceſſitas aliqua hoc exigat.

A quo, & à quibus debet teneri ille, qui chriſmatur?

Reſpondeo, quòd inſtitutum fuit, quod non teneretur niſi ab uno, eò quòd cognationes ſpirituales matrimonia impediunt, undè *de conſe. di.4.* non plures ad ſuſcipiendum infantem in baptiſmo, quàm unus accedant, ſive vir, ſive mulier; in confirmatione idipſum fiat; tamen ubi eſt conſuetudo, ut plures teneant, non eſt prohibitum, ſi hoc poteſt cooperari ad amicitiæ nutrimentum; non autem debent teneri ab illo, qui non eſt confirmatus; ſicut nec in baptiſmo debent teneri ab illo,qui non eſt baptizatus. *de conſe. di.4 in baptiſmate.* Si tamen contrarium fiat, licèt fieri non debeat caſu neceſſitatis excepto, nihilominùs ille, qui baptizatur, vel confirmatur,verè ſuſcipit ſacramentum; & non debet teneri à monacho, niſi ſit neceſſitas, undè *de conſe. di 4.* non licet abbati, vel monacho de baptiſmo ſuſcipere filios, nec commatres habere. Per ſacramentum autem confirmationis ſpiritualis cognatio contrahitur 30 *q.4. ſi quis unus.* tamen prędicta ad neceſſitatem ſacramenti non referuntur. Poteſt autem teneri vir à muliere, & è converſo, licèt magis deceat virum à viro teneri; magis etiam congruit, quòd tenentes, & ille,qui tenetur ſint ejuſdem ſexus propter periculum affinitatis, ut ſcribit Ric. 4 *diſt.7. q 7.0.* in caſu autem neceſſitatis poteſt teneri ab illo, qui tenuit in baptiſmo, undè *de conſe, diſt.4. in catechiſmo. In catechiſmo, baptiſmo, & confirmatione, unus patrinus poteſt fieri, ſi neceſſitas cogat*; non eſt tamen conſuetudo Romana, ſed per ſingula ſinguli ſuſcipiunt, ad hoc ſcilicet, ut cum pluribus amicitia contrahatur.

Circa tertium reſpondeo, ſicut Melchiades Papa dicit, ita conjuncta ſunt hæc duo ſacramenta, ſcilicet baptiſmus, & confirmatio, ut niſi morte pręveniente nullatenùs poſſint ab invicem ſegregari, & unum ſine altero rectè perfici non poteſt, & ideò eadem tempora ſunt præfixa baptiſmo ſolemniter celebrando, & huic ſacramento; ſed quia hoc ſacramentum à ſolis Epiſcopis datur, qui non ſunt ſemper præſentes, ubi Presbyteri baptizant, oportuit quantùm ad communem uſum ſacramentum confirmationis etiam in alia tempora differri.

Circa quartum reſpondeo.quòd ſic,undè *de conſe.diſ.5. ut iejuni. jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur facere confeſſionem prius*; hoc autem non refertur ad ſacramenti neceſſitatem, ſed ad reverentiam, & ad hoc, ut ſuſcipiens ſacramentum meliùs ſit diſpoſitus ad recipiendum rem ſacramenti, ideſt gratiam. *diſt* 4. etiam dicitur, ut Epiſcopi non niſi jejuni per impoſitionem manuum Spiritus Sancti gratiam tradant, ſed hoc non pertinet ad ſacramenti eſſentiam, ſed reverentiam. Ab illa verò prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes, ut legitur *ibidem*; & ideò propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia ſuſtinetur, ut hoc ſacramentum, quod non niſi ab Epiſcopis dari poteſt, & etiam à non jejunis detur, & accipiatur, quia unus Epiſcopus, maximè in una magna Diœceſi, non ſufficeret ad tot homines confirmandos, ſi ei tempus arctaretur; undè hoc multi Epiſcopi de facto non ſervant, ubi tamen congruè ſervari poteſt, convenientius eſt, ut à jejunis detur, & accipiatur. Hæc Tho.3. *q.72 ar.12.c.2.* Sc ibit etiam Ric.4. *diſt.7. q.7. ar.2.c.* quòd ſi Epiſcopus non jejunus hoc ſacramentum tradat præter neceſſitatem,peccat.

ARTICULUS IX.

De Sacra Unctione.

Circa nonum, quod eſt de unctione ſacra, ſciendum, quòd duplex eſt unctio, ſcilicet exterior in corpore, & interior in corde, & hęc ſcilicet exterior eſt ſignum interioris unctionis, & ſignum gratiæ inviſibilis, quàm unctio viſibilis auget, & agit, ſi dignè ſumatur. Ungitur autem Pontifex chriſmate cùm conſecratur in capite, & in manibus, & ungitur ſolus Pontifex in capite, quia perſonam capitis Chriſti ſignificat;

cat; ungitur etiam Princeps non chriſmate, ſed oleo, ut oſtendatur, quantùm differt poteſtas Pontificis à poteſtate regali. Item ungitur Princeps oleo, ut dictum eſt; nam in veteri teſtamento Reges ungebantur. *di. 75. c. 1.* Sed tunc ungebantur in capite, nunc autem ungi debent in brachio, humero, vel armo; conſuetudo tamen aliqua, ut dicit Hoſt. ſervatur; undè Rex Franciæ, & Rex Angliæ unguntur in capite. Inungitur autem Imperator à Papa, vel alio de mandato ejus. *extra. de elect. venerabilem*; alii verò Reges à ſuis Metropolitanis. Si autem velit inungi de novo, conſuevit à Papa petere, ſicut Rex Aragonię fecit, ut dicit Hoſti. Poteſt tamen Papa, ſi vult, ſuper hoc aliquam Eccleſiam privilegiare. Item inungitur Presbyter, cùm ordinatur in manibus oleo benedicto, ſicut patet in ordinario. *diſt 23. Papa.* ubi hoc notat Hug.

Item ungitur quilibet Chriſtianus bis ante baptiſmum oleo benedicto, primò in pectore, ſecundò inter ſcapulas, & bis poſt baptiſmum per Presbyterum, primò ſtatim poſt baptiſmum chriſmate in vertice, ſecundò in confirmatione chriſmate etiam ab Epiſcopo in fronte. In lege enim veteri inungebantur Sacerdotes, Reges, & Prophetę; in lege autem nova, quia Chriſtianos fecit in ſanguine ſuo Reges, & Sacerdotes, ideò congruè inungitur quilibet Chriſtianus. Item ungitur Eccleſia chriſmate, cùm dedicatur Altare, primò oleo, ſecundò chriſmate, calix, & patena chriſmate. Unctio etiam Principis, Patriarcharum, Presbyterorum, Eccleſiæ, Altaris, Calicis, & parvulorum conſignatio poſt baptiſmum in fronte ad Epiſcopos pertinet; parvulorum verò unctio antè baptiſmum, & poſt ad Presbyteros. De omnibus prędictis unctionibus, & quid ſignificent, habetur *extra. de ſac. unct. per totum.*

TITVLVS VIII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Conſequenter conſiderandum eſt de ſacramento Euchariſtiæ, &

Primò, de ipſo ſacramento.

Secundò, de ejus materia.

Tertiò, de forma.

Quartò, de converſione, quæ fit ad prolationem formæ, ſcilicet verborum.

Quintò, de accidentibus remanentibus ibi.

Sextò, de miniſtro hujus ſacramenti.

Septimò, de ritu celebrandi hoc ſacramentum, ſive de celebratione miſſarum.

Octavo, de defectibus contingentibus in celebratione.

Nonò, de Miſſarum auditione.

Decimò, de ſumptione hujus ſacramenti.

Undecimò, de his, quæ habent retrahere, vel impedire ab hoc ſacramento.

Duodecimò, de efficacia ejus.

Circa primum primò dicendum eſt de hujus ſacramenti inſtitutione.

Secundò, de ejus ſignificatione,

Tertiò, de pręfiguratione.

Quartò, de ejus nominatione.

Quintò, de ejus neceſſitate. Quare ſit

ARTICULUS I.

De Inſtitutione hujus Sacramenti.

Circa primum, ſcilicet de hujus ſacramenti inſtitutione, ſciendum, quòd ſicut ſecundùm Philoſophum duplex eſt operatio vitæ corporalis, ſcilicet generare, & alimento uti, ita proportionabiliter conveniebat duplex eſſe opus vitæ ſpiritualis; ideò Chriſtus pater, & magiſter vitæ ſpiritualis per ſe perſonaliter, & expreſsè inſtituit baptiſmum, per quem filii Dei generantur, & Euchariſtiam, per quam reficiuntur. Fuit autem conveniens ſaracmentum Euchariſtiæ inſtitui in Cœna Domini, propter ſpiritualem refectionem, quæ eſt in hoc ſacramento, & in cœna ultima propter corporalis præſentiæ ſubtractionem, & propter majorem recommendationem, ut ſcilicet in receſſu traditum Apoſtolis diligentiùs retinerent. *de conſe. di. 2. liquido.*

ARTICULUS II.

De Significatione Sacramenti Euchariſtiæ.

Circa ſecundum, ſcilicet ſignificationem Euchariſtiæ, ſciendum, quòd in hoc ſacramento ſunt tria, ſcilicet ſpecies viſibilis, corpus Chriſti verum, & corpus Chriſti myſticum, ſcilicet Eccleſia; & ſecundùm quod dicit Hug. primum eſt ſignum ſecundi, & tertii; ſecundum eſt res, & ſignum, & cauſa tertii; & tertium eſt res ſecundi, & veritas primi. *de hoc extra. de celemiſ. cum marthe. §. diſtinguendum eſt.*

Ad cujus evidentiam ſciendum, quòd ſpecies viſibilis ſcilicet panis, ſi comparetur ad materiam, fit ex granis puriſſimis ad invicem unitis, & ſic habet ſimilitudinem cum corpore Chriſti vero, quod conſtat ex puris humoribus, & membris, & cum corpore Chriſti myſtico, quod conſtat ex fidelibus puris fide, & charitate copulatis. Si autem comparetur ad effectum, qui eſt cibare, tunc habet ſimilitudinem ad corpus Chriſti verum, quod eſt verè cibus.

Si objicis, quòd ſpecies non comeditur, nec reficit.

Reſpondeo, quòd retinet idiomata, ideſt proprietates ſpeciei, quæ priùs ibi fuit, & ratione illius eſt ſignum conveniens. Si autem comparetur ſpecies viſibilis ad medium, ſcilicet corpus Chriſti verum, non habet rationem cauſandi illud niſi adjuncto verbo; ut patet in aqua reſpectu characteris; ſic etiam eſt de ſpecie reſpectu corporis. Licèt enim non efficiat illud ſimpliciter, tamen facit eſſe illud ſub illa ſpecie. Si

verò

verò comparetur ad tertium, habet rationem efficiendi mediante ſecundo, ſicut ablutio exterior cum charactere. Similiter hæ ſpecies exteriores ſunt cauſa corporis myſtici ratione corporis veri interius contenti, quod unit, & in corporat ipſum. Quod autem verum corpus Chriſti ſignatum, & res ſit reſpectu ſpeciei panis, patet ex prædictis. Quod etiam ſignum, & cauſa ſit reſpectu corporis myſtici patet, quia ſicut corpus Chriſti myſticum conſtat ex hominibus per fidem, & charitatem purificatis, & ita eſt ejus conveniens ſignum; eſt etiam cauſa ejus quantùm ad formam, ideſt unionem, quia per fidem, & charitatem ad invicem copulantur, & ratione hujus unionis corpus myſticum eſt res, & effectus hujus ſacramenti; & quod dictum eſt de ſacramento corporis, intelligitur ſimiliter de ſacramento ſanguinis.

Quæritur autem utrum hoc ſacramentum, ſcilicet Euchariſtiæ, ſit unum ſacramentum?

Reſpondeo, quòd ſic, ab una perfectione finis, ut habitum eſt ſupra de unitate ſacramentorum in communi; undè licèt ſint plura materialiter, eſt tamen unum ſimpliciter, propter quod Gregorius in quadam collecta, quæ dicitur poſt ſumptionem ſacramenti, primò dicit pluraliter: *Purificent nos ſacramenta, quæ ſumpſimus.* & poſt ſingulariter ſubdit: *& præſta, ut hoc tuum ſacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam.*

ARTICULUS III.

De Præfiguratione Sacramenti Euchariſtiæ.

Circa tertium, ſcilicet præfigurationem hujus ſacramenti, ſciendum, quòd conveniens fuit hoc ſacramentum præfigurari, & ratione dignitatis, ut famoſius oſtenderetur; & ratione difficultatis, cum ſit inter omnia credibilia difficilius ad credendum, ut homines aſſuefierent quadam figurarum manuductione. Fuerunt autem hujus ſacramenti quatuor figuræ, ſecundùm magiſtrum. *4. lib. ſententia. diſt.* 8. ſcilicet ſacrificium Melchiſedech, Manna, Agnus Paſchalis, & ſanguis, qui profluxit de latere Chriſti; patet autem harum ſufficientia habito reſpectu ad præfigurata; ejus enim, quod eſt in hoc ſacramento ſacramentum tantùm, ſcilicet formæ viſibilis panis, figura fuit ſacrificium Melchiſedech; ejus autem, quod eſt res, & ſacramentum, ſive rei contentæ, & ſignificatæ, ſcilicet Chriſti Paſſio, Agnus Paſcalis; rei tamen ſignificatæ, ſcilicet gratiæ, & etiam Corporis Chriſti myſtici; manna, quod reficiebat omnem ſaporem ſuavitatis habens; virtutis verò dantis efficaciam; ſanguis, qui magis tenet rationem cauſę; nihilominus tamen habet rationem figuræ penſatis conditionibus, ſcilicet quod de jam paſſo, & mortuo fluxit.

ARTICULUS IV.

De Materia hujus Sacramenti.

Circa quartum, ſcilicet nominationem hujus ſacramenti, ſciendum, quòd hoc ſacramentum ſecundum quod eſt ſignum rememorativum Paſſionis Chriſti, quæ fuit ſacramentum, verum dicitur ſacrificium; ſecundum verò quod eſt ſignum demonſtativum Eccleſiæ unitatis, cui aggregantur homines per ipſum, dicitur communio; ſecundum autem quod eſt prçfigurativum divinæ fruitionis, quæ eſt in patria, dicitur viaticum, quia præbet nobis viam perveniendi ad illam; vel etiam quia datur tranſeuntibus de hac vita ad ipſum; ſecundum verò quod continet realiter Chriſtum, qui eſt plenus gratia, dicitur *Euchariſtia*, ideſt bona gratia, ab *eu*, quod eſt bonum, & *caris* gratia.

ARTICVLVS V.

De Neceſſitate Euchariſtiæ.

Circa quintum, ſcilicet neceſſitatem Euchariſtiæ, nota, quòd ſicut ad ſalutem vitæ corporalis, ita & vitæ ſpiritualis eſt aliquid neceſſarium dupliciter, ſcilicet vel ſine quo non eſt ſalus, vel quo ſalus procuratur melius. Primo modo Euchariſtia regulariter non eſt de neceſſitate ſalutis, ſed in caſu, in quo Eccleſia ſtatuit. Secundo modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut & quodlibet aliud ſacramentum, ſed magis iſtud, quia licet omne ſacramentum ſit ſignum, & cauſa gratiæ, niſi ſit impedimentum ex parte ſuſcipientis; illud tamen cùm ſit maximæ perfectionis inter ſacramenta habet plures utilitates, ut patebit infra de ejus effectu.

Sed objicitur illud Jo. 6. *Caro non prodeſt quidquam, ſed ſpiritus eſt, qui vivificat*; ergo inutilis eſt manducatio carnis Chriſti.

Reſpondeo, loquitur ibi de carne Chriſti ſecundùm intellectum æſtimantium eam viſibiliter, non ſacramentaliter manducandam.

Objicitur etiam illud Auguſt. *ut quid paras dentem, crede, & manducaſti.* Secundùm enim hoc videtur, quòd ſufficiat manducatio ſpiritualis.

Reſpondeo, *quid paras dentem* ſupple à *tantum*. Vel loquitur de manducatione ſpirituali per modum meriti. De hac etiam quæſtione vide *infra. tit. de uſu hujus ſacramenti. ar. 3. q. utrum liceat omninò ceſſare à communione.*

TITU-

TITULUS IX.

De Materia Euchariſtiæ.

DEinde conſiderandum eſt de materia hujus ſacramenti &.

Primò in communi de materia corporis, & ſanguinis ſimul.

Secundò in ſpeciali de materia corporis

Tertiò de materia ſanguinis.

ARTICULUS I.

De Materia Corporis, & Sanguinis ſimul.

CIrca primum ſciendum, quòd panis, & vinum ſunt materia hujus ſacramenti, cujus cauſa eſt inſtitutio divina; inſtituit autem Dominus in his potius, quàm in aliis, cibis tùm propter communem uſum refectionis, quia panis, & vinum eſt refectio hominis, non brutorum, magis conſueta, minus faſtidioſa; tum etiam propter proprietatem ſignificationis, & à parte materię, quia panis conficitur ex pluribus granis, & vinum ex pluribus racemis, quod convenit ad ſignificandum corpus Chriſti verum, & myſticum; & à parte præparationis, quia panis in fornace, & vinum in torculari præparatur, quod convenit ad repręſentandam Paſſionem Chriſti à parte effectus, quia ut dicitur in *Glo. 1. Corint. 12.* panis præ cęteris cibis ſuſtentat corpus, & vinum letificat charitate inebriatos, quàm alia ſacramenta.

Debuit autem hoc ſacramentum eſſe de duplici materia, quia materia ſacramenti convenit ſignificationi, & uſui; & ſecundùm utrumque modum duplex exigitur materia in hoc ſacramento; uſus enim hujus ſacramenti eſt refectio, quę ad ſui integritatem cibum, & potum requirit; ſignificatio verò duplex eſt, una eſt paſſio Chriſti, in qua ſanguis fuit ſeparatus à corpore; alia eſt ordinatio ad ſalutem corporis, & animæ, propter hoc oportet ibi ſeparatim utrumque ſignificari; ratio ergo hujus duplicis materiæ eſt ſignficatio noſtræ perfectę refectionis ſpiritualis per meditationem Dominicæ Paſſionis, quę fuit in multiplici afflictione ſui, benedicti corporis, & effuſione ſui precioſiſſimi ſanguinis ad noſtram redemptionem animę, & corporis, reficit enim, & delectat mirabiliter viros Sanctos meditatio talis.

ARTICULUS II.

De Materia Corporis.

CIrca ſecundum, ſcilicet circa materiam corporis in ſpeciali, quæruntur plura, ſcilicet:

I. *Utrum requiratur panis triticeus?*

II. *Utrum poſſit confici de paſta triticea?*

III. *Utrum poſſit confici de pane de farre, & hujuſmodi?*

IV. *Utrum confici poſſit in pane permixto de tritico, & aliis granis?*

V. *Utrum poſſit confici in pane corrupto?*

VI. *Utrum confici debeat in pane azimo?*

VII. *Utrum poſſit confici de pane facto de aqua roſacea?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic, ſecundùm communem Doctorum ſententiam. *de conſe. diſ. 5. c. 1. & c. non oportet. & c. ſi. & c. ſacramento.* Tum quia Dominus comparavit ſe grano tritici *Jo. 12.* Tum quia creditur celebraſſe in pane triticeo, & inſtituiſſe ut ſic celebraretur, quod patet, quia panis de frumento dicitur anthonomaticè panis, undè cùm dicitur, quòd Jeſus accepit panem, hoc de pane triticeo debet intelligi Tum quia uſus Eccleſiæ ab Apoſtolis, qui præſentes fuerunt traditus, habet celebrare in hoc ſolo pane; ratio verò hujus eſt, quia magis convenit huic ſacramento panis triticeus. Tum quia in natura, ſive in ſpecie dignior. Tum quia in effectu refectionis utilior. Tum quia in communi uſu hominum uſitatior; licèt enim non in omnibus terris naſcatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras poteſt deferri, quantùm ſufficit ad uſum ſacramenti, nec propter defectum alterius eſt unum ſine altero conſecrandum, quia non eſſet ſacramentum perfectum.

Circa ſecundum reſpondet Sco. *4. diſt. 2. p. 2. q. 1. de. 2.* quòd non, quia Chriſtus inſtituit de pane triticeo uſuali, ut ſic ſecundùm Dam. *li. 4. c. 6.* illud, quod ſolet communiter eſſe nutrimentum corporale, ipſum, vel ſimile eſſet nobis ſacramentaliter nutrimentum ſpirituale. Si dicatur, quòd panis ſit paſta, ſi digitis comprimatur, ergo poſt hujuſmodi compreſſionem non poterit conſecrari; Dicendum, quòd panis, ex quo eſt ſemel coctus, niſi manifeſtè recedat à ratione panis uſualis, non recedit a ratione panis conſecrabilis Hæc Sco. *ibidem.*

Circa tertium reſpondeo; Quidam dicunt in pane de farre, & ſpelta confici poſſe, quia eſt ejuſdem ſpeciei cum pane triticeo, licèt differat differentiis accidentalibus. Aliquibus verò videtur magis contrarium; generans enim, licèt generet ſibi ſimile in ſpecie; fit tamen aliqua diſſimilitudo generantis ad generatum quantùm ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ; & ideò ſi qua frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt, ſicut ex tritico ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo, ex tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia hujus ſacramenti; quod tamen non videtur habere locum in hordeo, nec ſpelta, nec in farre, quod inter omnia eſt grano triticeo ſimiliùs in figura. Similitudo autem figuræ in aliquibus magis videtur ſignificare propinquitatem, quàm identitatem ſpeciei; ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quòd canis, & lupus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem ejuſ-

deu

Digitized by Google

dem; undè ex talibus frumentis, quæ nullo modo poſſunt ex ſemine grani triticei generari, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia hujus ſacramenti: & hæc eſt opinio Tho. 4. *q.* 74. *art.* 3. *c.* 2. Quibuſdam autem videtur, quòd prædicta ratio non ſit ſufficiens, ſcilicet quod ideò far non eſt ejuſdem ſpeciei cum tritico, quia nunquam unum generatur ex altero, quædam ſunt accidentia inſeparabilia concomitantia generationem, ut nigredo corvum. Hęc Pe. 4. 2. *q.* 2. *ar.* 2. *c.* 2. Secundùm autem Alber. *in* 4. *ſent.* Frumentum eſt genus ad triticum, & ſpelta; undè hæc duo ſunt ſpecies frumenti valdè vicinę, & parum diſtant in ſpicarum formatione, & quaſi nihil diſtant in forma granorum, & colore, & ſapore panis, & ideò de ſpelta poteſt confici ſecundùm rem.

Circa quartum reſpondeo; aut eſt tanta permixtio, quod trahitur triticum ad ſpeciem alienam, ut quia virtus extremi eſt prædominans; vel ad medium, ut cùm eſt æqualis, & tunc in eo non poteſt confici; aut manet ſpecies panis tritici, ut quando virtus tritici reſpondeat, & tunc poteſt. Quando autem ita ſit ex accidentibus, ſcilicet ex ſapore præcipuè poteſt cognoſci, quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quidquid eſt.

Circa quintum reſpondeo, aliquando eſt tanta corruptio panis, quod ſolvitur ſpecies panis, ſicut quando continuitas ſolvitur, & ſapor, & color, & alia accidentia mutantur; undè ex tali materia non poteſt confici corpus Chriſti; aliquando verò non eſt tanta corruptio, quod ſpeciem ſolvat, ſed eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quam declarat aliqua immutatio ſaporis, & ex tali pane poteſt confici corpus Chriſti, ſed peccat conficiens propter irreverentiam ſacramenti; & quia idem eſt ex tritico corrupto, non videtur, quòd panis ex eo confectus poſſit fieri corpus Chriſti, licèt quidam contrarium dicant. Hæc Tho. 3. *q.* 74 *ar.* 3. *c.* 4. Secundùm autem Sco. 4. *diſt.* 2. *p* 2. *q.* 1. *dubi.* 1. eſt dubiùm de amido, an ſit materia conveniens ad faciendum panem conſecrabilem, & cum multo ſit probabilius, quod non, ideò non exponit ſe aliquis ſine peccato tali dubio, & maximè ille qui pręparat hoſtias conſecrandas, quia certus eſt, quod præparat de materia tali; conſecrans autem fortè magis excuſatur ab illo peccato, quia ſupponit illam materiam eſſe benè pręparatam. Si autem illa non ſit materia debita, non conſecrat, nec tamen idolatrat, nec idolatrare facit, quia quantùm eſt in ſe materiam eſſe idoneam, & ab aliis adorandam ſupponit. Hæc Sco. *ibidem.*

Circa ſextum reſpondeo, quòd ſic. *extra. de cele. miſ. literas. & de conſe, di.* 2. *in ſacramento.* Non eſt tamen de neceſſitate ſacramenti, ſicut enim dicit Anſ. *in epiſtola de azimo. fermentatum, & azimum non variant ſpeciem panis, cùm ſint accidentia*; undè in utroque confici poteſt de facto; undè Hug. dicit, ut habetur ibi *in prædicto c. literas in glo. Bern.* quòd in Eccleſia occidentali, ſi quis de fermento conficeret, nihil faceret; conveniens autem eſt, ut unuſquiſque ſecundùm Eccleſiæ ſuæ ritum ſe habeat in celebratione ſacramenti, ſuper hoc autem ſunt diverſæ Eccleſiarum conſuetudines; undè dicit Greg. in regiſtro: Romana Eccleſia offert azimos panes, propterea quia Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit carnem, ſed cæteræ Eccleſiæ offerunt fermentum, pro eo quod verbum patris indutum eſt carne, ſicut fermentum commiſcetur farinę; undè ſicut peccat Sacerdos in Eccleſia Latinorum celebrans in pane fermentato, ita peccaret Sacerdos in Eccleſia Gręcorum celebrans in azimo, quaſi pervertens Eccleſiæ, ſuæ ritum, ſecundùm Tho. 3. *q.* 74. *ar.* 4. *c.* Secundùm verò Sco. 4. *di.* 2. *par.* 2. *q.* 1. *dubi.* 3. fortè Gręci graviter peccant, quia ſe Romanę Eccleſiæ non conformant; nihilominùs tamen conſuetudo celebrandi in azimo pane rationabilior eſt. Primò, propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc ſacramentum inſtituit primo die azimorum, ut habetur. *Matth* 26. *& Mar.* 14. qua die in domibus Judęorum nihil fermentatum eſſe debebat *Exo.* 12. Secundò, quia panis eſt propriè ſacramentum corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt, magis quam ipſius deitatis, ut infra patebit. Tertiò, quia magis competit ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad uſum hujus ſacramenti, ſecundùm illud 1. *Corint,* 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; itaque epulemur in azimis ſinceritatis, & veritatis.* Habet tamen conſuetudo Gręcorum aliquam rationem, & propter ſignificationem, quam tangit Greg ut dictum eſt ſupra, & propter deteſtationem hęreſis Nazareorum, qui legalia, & evangelica miſcebant.

Sciendum etiam, quòd à principio tota Eccleſia conficiebat in azimo, ſed poſtea tempore Leonis Papę propter Hęreticos Ebyonitas, dicentes legalia obſervari debere cum Evangelico, & in azimo conficiendum eſſe propter præceptum legis, Eccleſia inſtituit ad tempus confici in fermentato; ceſſante verò cauſa, Eccleſia occidentalis rediit ad ritum antiquum, orientalis verò illum retinuit, & ulterius addidit non poſſe confici niſi in fermentato; & ad hoc probandum aſſerebat Dominum in fermentato confeciſſe; & quia tres Evangeliſtę contradicunt, dicentes, prima die azimorum Chriſtum inſtituiſſe hoc ſacramentum, quidam ex eis in tantam inſaniam proruperunt, ut dicerent Evangeliſtas illos falſum dixiſſe, & ſcripſiſſe, & à Joanne correctos fuiſſe, qui ante diem Paſchæ dicit, Dominum cęnaſſe cum diſcipulis ſuis. Sed quod Joannes non contradicat aliis Evangeliſtis, oſtenditur ex multiplici acceptione Paſchę. Paſcha dicitur aliquando agnus paſchalis. *Matth.* 26. *Quando neceſſe erat occidi Paſcha.* Aliquando hora immolationis, ſcilicet veſpera decimaquarta lunæ, qua agnus comedi debebat, & feſtum incipiebat. *Mar.* 14. *Erat paſcha, & azima*

azima poſt biduum. Aliquando dies in cujos veſpera immolatur agnus. *Luc.* 22. *Appropinquabat dies feſtus Judæorum, qui dicitur Paſcha.* Aliquando prima dies azimorum poſt immolationem agni celeberrima. *Joan.* 13. *Ante diem feſtum Paſchæ.* Aliquando panes azimi. *Joan.* 18. *Et ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed manducarent Paſcha.* Et hos quinque modos ponit Innocen. *lib. de offi. miſ.* Aliquendo Chriſtus dicitur ſignificatus per Agnum Paſchalem. 1. *Corinth.* 5. *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Aliquando tota ſeptimana azimorum, quę ſcilicet incipiebat decimaquarta die Aprilis in veſperis, & durabat ſeptem diebus, ſcilicet uſque ad vigeſimam primam diem Aprilis, ut patet *Levit.* 23. & *Act.* 12. *Volens poſt Paſcha producere eum populo.* Aliquando feſtum epularum. 2. *Paral.* 35. *Non fuit phaſe ſimile huic.* undè verſus:

Hebdomas, hora, dies, epulæ, pecus, azima Chriſtus.

Septem autem dies ſupradicti azimorum omnes erant dies feſti, ſed primus erat per excellentiam dies feſtus, ſcilicet decimus quintus, & de illo dicit Joan. *Ante diem feſtum Paſchæ.* Poſt illum autem in majori excellentia erat dies feſtus Sabbati, quia erat inter illos dies feſtos, in quibus nihil debebat parari, tum propter ſuam celebritatem, tum propter azima; & ſic patet, quòd Joannes non contradicat aliis Evangeliſtis, quia aliter accipit paſcha, quàm ipſi; ſicut enim legitur *Exo.* 13. Solemnitas paſchalis incipiebat à veſperis decimę quartę lunę, & tunc Chriſtus poſt immolationem agni paſchalis ſacramentum hoc inſtituit, undè hęc dies dicitur à Joanne pręcedere ſequentem diem paſchę; à tribus autem aliis Evangeliſtis dicitur prima dies azimorum, quando ſcilicet fermentum non inveniebatur in domibus Judæorum.

Sed videtur eſſe contra prædicta, quod Chriſtus pręvenit diem azimorum; figurę enim debet veritas reſpondere; cùm ergo agnus, quia erat figura Chriſti, immolaretur decima quarta luna, Chriſtus fuit crucifixus decima quinta luna, ſed ante diem crucifixionis confecit, ergo in fermentato confecit.

Reſpondeo, quòd Paſſio ejus ſtatim fuit inchoata poſt cœnam, quando fuit in agonia, & fuit comprehenſus; undè optimè eſt factum, quia agni commeſtio, & ipſius immolatio facta eſt decima quarta luna, non quia conſummata, ſed quia inchoata, & ſic patet, quòd non prævenit.

Sed quare magis attenditur in hoc ſacramento diſcretio inter panem azimum, & panem fermentatum, quàm in baptiſmo circa aquam, utrum calida ſit, vel frigida.

Reſpondeo, quòd fermentum aliquid habet corruptionis, & ex pane corrupto non poteſt confici hoc ſacramentum, ut dictum eſt; poſſet enim tanta corruptio eſſe fermenti, quod ex eo non poſſet confici ſacramentum. Hæc Tho, 3. *q.* 74. *art.* 4. *c.* 4.

Circa ſeptimum reſpondeo ſecundùm Innoc. III. in quadam decret. Veræ aquæ admixtio eſt de neceſſitate hujus ſacramenti, utpotè conſtituens ſubſtantiam panis; & ideò ſi farinæ admiſcetur aqua roſacea, vel quicumque alius liquor, quàm aqua vera, non poſſet ex eo verè confici ſacramentum, quia verè panis non eſſet; panis enim de quo Chriſtus confecit, erat factus ex aqua naturali, & ideò non poteſt confici corpus Chriſti de alio pane, ſecundùm Tho. *ubi ſupra. ar.* 7. *c.* 3.

Secundùm aliquos tamen poteſt, qui a aqua ipſa non requiritur, ut maneat in ſpecie propria, immò in naturam aliam, etiam antequam fiat panis, tranſmutatur; & hujus ſententiæ eſt Petrus 4. *di.* 2. *q.* 2. *ar.* 4. *q.* 3. *c.* 1.

ARTICULUS III.

De Materia Sanguinis.

Circa tertium, ſcilicet materiam ſanguinis, ſciendum, quòd de ſolo vino vitis poteſt confici ſanguinis Chriſti, & hoc: Primò, propter inſtitutionem Chriſti, qui in vino vitis hoc ſacramentum inſtituit, ut patet de eo, quod dicit *Luc.* 22. circa inſtitutionem ejus: *Ammodo non bibam de genimine vitis, donec &c.* Secundò quia ſicut dictum eſt ſupra, ad materiam ſacramentorum aſſumitur illud, quod propriè, & communiter habet illam formam; propriè autem vinum dicitur, quòd de vite ſumitur; alii autem liquores vinum dicuntur ſecundùm quamdam ſimilitudinem ad vinum vitis. Tertiò, quia vinum vitis magis competit ad effectum hujus ſacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia, quia ſcriptum eſt, quòd vinum lætificat cor hominis in *Pſal.* & quia omnia vina vitis ſunt ejuſdem ſpeciei, ſecundùm Doctores; ideò confici poteſt de quolibet vino vitis, dummodo remaneat in ſpecie vini; acetum autem perfectum non eſt vinum, cùm differat à vino ſecundùm *Philoſoph.* 8. *metaph.*

In vino tamen, quod accedit ad acedinem manente adhuc forma ſubſtantiali vini, poteſt confici, & pro tali vino ſumit acetum. *Inno. de offic. miſ.* cùm dicit, quòd poteſt de aceto confici, aliter non diceret verum, ſecundùm Petrum 4. *diſt* 2. *q.* 2. *art.* 30. & Ric. 4. *di.* 2. *q.* 2. *art.* 4. & 5. o.

Quid ergo fiat, ſi vini ſpecies aceſcat?

Reſpondeo, non manet ibi ſanguis Chriſti, ſicut nec corpus Chriſti, quando corrumpitur ſpecies panis. Similiter ſecundùm Albertum *de miſſa* ſi vinum ſit putridum perfecta putrefactione, quæ redire non poſſit ad completionem vini, de eo non poteſt confici; ſi verò ſit in via ad corruptionem, de eo poteſt confici; ſed non debet propter reverentiam ſacramenti, ſi poteſt aliud haberi de facili; ſi autem ſit in vino cum ſapore vinoſo ſapor aromaticus, vel ponticus, vel ſtipticus, vel acerbus ex minus per-

perfecta digeſtione vini, poteſt de eo confici, quia remanet ſpecies vini.

Non poteſt etiam confici de agreſta, quia non eſt in termino generationis, quod ejus immaturitas oſtendit, undè non eſt vinum, quia nihil recipit ſpeciem, niſi in termino ſuæ generationis.

In muſto autem confici poteſt, quia habet ſpeciem vini, quod atteſtatur maturitas ejus, & dulcedo, ſed non convenit de ipſo confici, antequam ſit defecatum: undè prohibetur ne muſtum de uva in calice ſtatim expreſſum offeratur, propter indecentiam impuritatis muſti, propter quod *de. conſe. di. 2. omne crimen.* Julius Papa reprehendit Sacerdotes hoc facientes; poteſt tamen hoc fieri in neceſſitate, quia dicit *ibidem*: *cum neceſſe fuerit botrus in calice exprimatur*, ſcilicet ante conſecrationem; de muſto verò dum adhuc continetur in uva matura confici non poteſt, ſecundùm probabilius opinantes. *ar. de conſ di. 2. didicimus. & c. ſeq.* nam Chriſtus non confecit ſuum ſanguinem niſi in vino exiſtente in ſpecie potabili, quòd patet per hoc, quod dicit diſcipulis: *bibite ex eo omnes.* Vinum autē non eſt in uva matura ſub ſpecie potabili, ſed eſibili; vino autem ſic ſe habenti aqua non poſſet admiſceri. Aqua verò debet opponi vino, quòd offertur in hoc ſacramento, ut patet *extra. de celeb. miſ. litteras.* & hoc quidem primò propter inſtitutionem, probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc ſacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundùm morem terræ illius: immò etiam ſcitur, quia Apoſtoli, qui interfuerunt illi cœnæ, ita reliquerunt Eccleſiæ. Secundò quia hoc convenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis, in qua utrumque profluxiſſe legitur, & ratio habetur *de conſe. di. 2. c. 1.* Tertiò, quia convenit ad ſignificandum effectum hujus ſacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum, & hæc ratio tangitur *extra. de cele. miſ. cum Marthe. §. quæſiviſti. & de conſe. di. 2. cum omne crimen.* non ſufficit autem in dolio apponere aquam; admixtio enim aquæ ſacramentalis, & vini eſt tantum ſacerdotis, & eſt ad ſignificationem; & ideò tunc poni debet, etiam ſi aliàs poſita fuiſſet, quando ſacra myſteria inchoantur, ſecundùm Bona. *4. diſt. 2. par. 2. dubi. circa literam. q. 4.* Licèt autem appoſitio aquę ſit de neceſſitate pręcepti, non tamen eſt de neceſſitate ſacramenti, quia aqua refertur ad ſignificandum participationem hujus ſacramenti à fidelibus quantum ad hoc, quod per aquam vino mixtam ſignificatur populus adunatus Chriſto; ſed ſecundùm hoc ipſum, quod ex latere Chriſti pendentis in Cruce aqua fluxit, ad idem refertur, quia per aquam ſignificabatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per Chriſti Paſſionem. Dictum eſt autem, quòd hoc ſacramentum perficitur in conſecratione materiæ; uſus autem fidelium non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed aliquid conſequens ſacramentum, & ideò conſequens eſt, quòd appoſitio aquæ non eſt de neceſſitate ſacramenti, quia eſt propter ſignificationem quæ ſequitur ſacramentum; propter quod etiam dicitur, quod Græci non opponunt aquam undè *de conſe. di. 2. ſcriptura.* dicitur: *Si quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non obſervavit, ut ſcilicet aquam vino miſceret, poteſt ejus ſimplicitati venia concedi.*

Nec obſtat illud *de conſe. diſ. 2. ſicut in ſanctificando*, ubi dicitur: *ſicut in ſacrificando calicem domini offerri ſola aqua non poteſt, ſic nec vinum ſolum*; Quia intelligit ibi Ciprianus non poſſe fieri, quod non poteſt benè, vel de jure fieri; undè ubi Ciprianus dicit. *e. di. c. 1. poteſt*, Alexander dicit: *debet*; tamen qui ex hęreſi, & contemptu apponere ibi aquam omittit, vel etiam ex negligentia, ex hoc quod nullam diligentiam adhibet, mortaliter peccat; & ſic intelligi poteſt illud: qui aquam vino non apponit in ſacrificando, debet perpetuò privari officio, & beneficio. *extra. de cele. miſ. literas.* Qui autem omittit ex negligentia ex hoc, quod habuit negligentiam ſemiplenam, venialiter peccat graviter, quia hoc ſacramentum eſt cum magna diligentia conſecrandum; & quantum illud ſacramentum præcellit alia ſacramenta, & opera, tantum in eo in aliis negociis præponderat negligentia, ſecundùm Bon. *4. di. 11. p. 2. q. 1. ar. 3. c. 7. ad oppoſitum.*

Debet autem ſola aqua naturalis apponi in conficiendo, quia tamen admixtio aquæ ad vinum non eſt de neceſſitate ſacramenti, ideò non refert quantum ad neceſſitatem ſacramenti quæcumque aqua miſceatur vino, ſive naturalis, ſive artificialis, ſive roſacea, licèt quantum ad convenientiam ſacramenti peccet, qui aliam aquam admiſcet, niſi naturalem, vel veram, quia de latere Chriſti pendentis in Cruce vera aqua profluxit, non humor flegmaticus, ut quidam dixerunt, ad oſtendendum, quod ejus corpus erat verè compoſitum ex quatuor humoribus; & quidem ex elementis aqua, ex humoribus magis ſanguis profluxit, quia magis myſterio erat congrua; nam duo maxima ſacramenta fuerunt in eis figurata, ſcilicet redemptionis in ſanguine, & regenerationis in aqua, ut habetur. *extra. de cele. miſ. in quadam.* Debet autem modica aqua apponi; nam circa aquam mixtam fuerunt opiniones plures; ſed probabilior eſt opinio eorum ſecundùm Inno. III. qui dicunt, aquam converti in vinum; hoc autem fieri non poſſet, niſi adeò poneretur de aqua modicum, quòd in vinum converteretur, & ideò tutius eſt ſemper parum de aqua apponere, maximè ſi vinum eſt debile; quia ſi tanta fieret appoſitio aquæ, quod ſolveretur ſpecies vini, non poſſet perfici ſacramentum. Hęc Tho. *3. q. 74. art. 7. 3. & ar. 8. c.* undè etiam hoc habet conſuetudo Eccleſiæ generalis. *extra. de cele. miſ. perniciòſus.* Si autem tantum de aqua adderetur, quod tolleret vinoſitatem vini, non poſſet de eo confici, quia tunc non eſſet vinum, ſed aqua vinata: undè non

non poteſt confici de vappa, quæ eſt aqua perfuſa, nec de aqua effuſa ſuper acinos uvarum poſtquam eſt vinum expreſſum, ſecundùm *Alber. in 3.* Nec etiam ſecundùm *Tho. diſt. 11. q. 1. ar. 4. q. 4. c. 4.* de aqua rubea, in qua eſt lotus pannus vino rubeo intinctus. *de conſecra. diſt. 2. cum omne.*

Quid fiet ergo in illis terris, in quibus non poteſt vinum haberi?

Reſpondeo ſecundùm Alber. *de miſſa.* Super hoc Papa eſſet conſulendus, & videtur, quod cum eis diſpenſandum eſſet, ut corpus Chriſti ſine ſanguine conficeretur, ne propter defectum ſacramenti maximum damnum incurrerent.

Sed numquid commixtum ęqualiter ex aqua, & vino converteretur in ſanguinem?

Reſpondeo, quòd ęqua commixtio ex vino, & aqua dupliciter poteſt fieri, aut ſecundùm mixtorum æqualem quantitatem molis, aut ſecundùm æqualem proportionem virtutis: Primo modo aqua non ſolveret ſpeciem vini, magis enim eſt vinum activum, quàm aqua; nec generaretur natura tertia ex duobus, nec vinum poſſet citò aquam convertere in ſui naturam, licèt ſatis citò alterarent ſe in excellentiis ſuarum qualitatum accidentalium; & ſic dico, quòd per formam conſecrationis vini ſola ſubſtantia vini tranſubſtantiaretur in ſanguinem. Secundo modo generaretur natura tertia ex duobus, quæ nec eſſet vinum, nec aqua, ſed non ſtatim; operationes enim naturæ non fiunt in inſtanti, quamvis earum termini in inſtanti ſint; & ideò tam citò poſſet Sacerdos conficere poſt talem vini appoſitionem, quod illud, quod fuit ibi vinum, cùm adhuc non eſſet tranſmutatum ad compoſitionem naturæ tertiæ, converteretur in ſanguinem; ſi tamen antequam proferret verba conſecrationis eſſet ex illis duobus natura tertia conſtituta, ex illa non poſſet confici ſanguis Chriſti, quia ſpecies componentium, ex quibus per eſſentiam conſtituitur unum, in compoſito non remanent ſecundùm eſſentias, niſi fortè diminutę, vel ſecundùm quid; quod dico propter oppoſitionem illorum, qui dicunt eas remanere incompletas. Hæc Ric. 4. *diſt. 2. q. 3. ar. 5. c.*

TITULUS X.

De Forma Conſecrationis Euchariſtiæ.

POſtea conſiderandum eſt de forma ſacramenti Euchariſtiæ, &

Primò, de quibuſdam, quę communiter pertinent ad formam conſecrationis panis, & vini.

Secundò, in ſpeciali de forma vini.

Tertiò, de virtute formæ. Ideoque ſit

ARTICULUS I.

De quibuſdam, quæ pertinent ad formam conſecrationis panis, & vini.

CIrca primum ſciendum, quòd forma hujus ſacramenti eſt illa, quæ habetur in Canone Miſſæ, ſcilicet: *Hoc eſt Corpus &c.* & *Hic eſt enim Calix &c.* undè *extra. de cele. miſ. cum marthe. §. ex eo dicitur.* credimus, quòd formam verborum, ſicut in Canone reperitur, a Chriſto Apoſtoli, & ab illis eorum receperunt ſucceſſores.

Circa prędictam autem formam, poſſunt plura quęri, ſcilicet:

I. *Vtrum Chriſtus prius confecerit, quàm verba protulerit?*

II. *Vtrum hæc verba, ſcilicet:* accipite, & comedite, vel bibete, *ſint de ſubſtantia formæ?*

III. *Vtrum ſolis verbis ſupradictis, quæ ſunt in Canone Miſſæ, Presbyter conſecret?*

IV. *Vtrum hæc conjunctio* enim *ſit de ſubſtantia formæ?*

Circa primum reſpondeo, communior, & verior opinio eſt, quòd illis verbis tantùm ſemel dictis Chriſtus conſecravit, & formam conſecrandi dedit. Licèt enim poſſet conficere ſine verbo, debuit tamen conficere verbum dicendo, ut Apoſtolis conſecrandi traderet formam.

Sed contra, quia dicitur *Matth. 26. Cœnantibus autem illis accepit Jeſus panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: accipite &c.* & poſt hoc: *Hoc eſt corpus meum.* In his verbis patet, quòd priùs benedixit, & fregit, quàm verba proferret, ſed benedictio iſta fuit conſecratio, ut videtur, quia fractio conſequitur conſecrationem; quare videtur, quod priùs conſecraverit, quàm verba protulerit.

Reſpondeo, illa benedictio non fuit conſecratio, ſecundùm Bona. 4. *diſ. 8. par. 1. q. 2. ar. 3. c. 1.* ſed quędam gratiarum actio, in qua oſtendit, quòd benedictio præmitti debet ante cibum. De fractione verò diſtingue, quia fractio poteſt eſſe ad figurandum, & ſic Presbyter frangit poſt conſecrationem; vel ad diſtribuendum, & ſic Chriſtus ante confectionem fregit, ut inter Apoſtolos diſtribueret.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd non, ſed ſignificant uſum materiæ conſecratę, qui non eſt de neceſſitate ſacramenti.

Circa tertium reſpondeo, quidam dicunt, quòd non, & hujus opinionis videtur eſſe Sco. 4. *diſ. 8. q. 2. art. 2.*

Sed contra eos videtur eſſe, quòd Canon Miſſę non eſt idem apud omnes, nec ſecundùm omne tempus, & ideò ſecundùm Tho. 3. *q.* 78. *ar. 1. c. 4.* ſi Presbyter ſola illa verba cum intentione conſecrandi proferret, conſecraret, quia intentio faceret, quòd hæc verba intelligerentur, quaſi ut in Chriſti perſona prolata; ſic tamen conficiens graviter peccaret, quia ritum Eccleſię

cleſię non ſervaret.

Quid demonſtrat in forma panis, vel vini pronomen demonſtrativum *hoc*, vel *hic*?

Reſpondeo, circa hoc fuerunt etiam plures modi dicendi, quibus dimiſſis cauſa brevitatis, dicendum eſt, quòd Ric. de San. Vict. *lib. de Trinit.* dicit, quòd ibi eſt demonſtratio mixta, ſcilicet partim ad ſenſum, & partim ad intellectum ſub hoc ſenſu: illud in quod hoc tranſmutabitur, eſt corpus meum, ſicut ſi de cibo, quem adhuc comedo, dicam: *Hoc eſt corpus meum*, ideſt illud, in quod iſte cibus eſt tranſmutandus eſt corpus meum. Hæc autem locutio adhuc eſſet verior, & magis propria, ſi virtute ejus in prolationis termino, ille cibus fieret corpus meum. In propoſito autem ſic eſt, quia ibi virtute verborum in complemento, & termino ipſius orationis panis fit verum corpus Chriſti.

Circa quartum reſpondeo quòd non, ſed ly *enim* additur ibi ad denotandum ordinem conſecrationis ad uſum materiæ conſecratæ, qui tamen non eſt de neceſſitate ſacramenti, undè nec conjunctio ſimiliter; Scienter tamen omitti non debet, ubi uſus antiquus Eccleſię illius hoc habet. Secundùm verò Sco. 4. *di.* 8. *q.* 2. *in principio* ly *enim* ibi ponitur ad conjungendum, ne ſcilicet verba formæ ſine præcedentibus prætereantur.

ARTICULUS II.

De Forma Vini in ſpeciali.

Circa ſecundum, ſcilicet formam vini in ſpeciali, ſciendum, quòd hæc eſt recta forma conſecrationis vini, quæ ponitur in canone miſſę ſcilicet: *accipite, & bibite ex eo omnes. Hic eſt enim calix ſanguinis mei novi, & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et hoc patet per hoc, quod eam tenet Romana Eccleſia, quæ fuit à Principibus Apoſtolorum edocta; undè Innoc. Romana Eccleſia illud ſemper integra fide ſervavit, quod ab ipſis Apoſtolis, qui eam principaliter ſacris documentis Eccleſiaſticos ritus docuerunt, accepit. Ab ipſis igitur Apoſtolis Petro, & Paulo, quos vivos auctores habuit, & defunctos cuſtodit, hunc ritum ſacrificii accepit, quem hactenùs immobili cultu ſervavit.

Circa prædictam autem formam conſecrationis vini quæruntur plura, ſcilicet.

I. *Utrum prædicta forma habeatur ex aliquo Evangelio?*

II. *Utrum conſecraretur in forma Evangeliſtarum, vel etiam Pauli* 1. *Corint.* 11.?

III. *Utrum Græci conficiant, qui utuntur tali forma, ſcilicet: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum?*

Circa primum reſpondeo, quòd non, cujus ratio eſt ſecundùm aliquos, quia Evangeliſtę non intendebant tradere formam ſacramentorum, quam in primitiva Eccleſia oportebat eſſe occultam, ut dicit Dionyſ. *in fi. Eccle. hierarch.* ſed intendebant hiſtoriam de Chriſto texere: undè omnia verba illa verè ex diverſis ſcripturæ locis ſumi poſſunt, nam quod dicitur: *Hic eſt calix*, habetur *Lucæ* 22. ubi dicitur ſic: *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur*. Habetur etiam 1. *Corint.* 11. ubi ſcribitur: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Matth.* verò 26. *Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Quod autem additur & iterum *myſterium fidei*, habetur ex traditione Domini, quæ per Apoſtolos ad Eccleſiam pervenit, ſecundùm illud 1. *Corint.* 11. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Sic igitur ex Matth. Luc. & Paulo Apoſtolo, & ex traditione Chriſti, & Apoſtolorum habetur forma totalis ſacramenti Corporis Chriſti, & ſanguinis; ſicut enim habetur *extra. de cele. miſ. cum Marthe*. multa, tam de verbis, quàm de factis Dominicis invenimus ab Evangeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli ſuppleviſſe verbo, vel expreſſiſſe facto leguntur; & ponitur ibi exemplum, ubi dicitur *ibidem*: Ipſi, & Evangeliſtæ inter ſe mutuo ſuppleviſſe leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus ſunt omiſſa, & ponitur exemplum ibidem.

Circa ſecundum reſpondeo, ſecundùm aliquos, quòd non, pro eo quod Evangeliſtæ, vel etiam Paulus non intendebant, ut dicunt, tradere formam ſacramentorum, ſed intendebant hiſtoriam texere de Chriſto, & hæc eſt opinio Tho. 3. *q.* 78. *ar.* 3. *c.* 9. & 4. *di.* 8. *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 1. *c.* 1. & *in expoſitione. literæ.* ſecundùm alios verò, quælibet formam tradita ab Apoſtolis, & Evangeliſtis eſt forma bona, ita quod ſi Eccleſiæ placeret, in ea conſecrare poſſet, quia omnes idem dicunt, & eadem forma eſt in ſententia cum forma ſupradicta, ſed propter Eccleſię conſuetudinem, & tradictionem non debet; & hæc eſt opinio Petri 4. *diſtinct.* 8. *quæſt. tertia. art.* 2. *c.* 5. & *in expoſitione literæ.* & Rich. 4. *di.* 8. *q.* 3. *ar.* 2. *c.* 1. Secundùm verò aliquos melius eſt de hoc piè dubitare, quàm præſumptuosè aliquid diffinire, cùm neſciatur, an ipſi intenderint formam deſcribere, aut verba narrare; credunt tamen, quòd ſi quis conficeret forma Evangeliſtarum, vel Pauli, non eſſet parvipendendum, immò eſſet honor, & reverentia exhibenda hoſtiæ ſic conſecratę propter periculum, quia majus periculum eſt contemnere hoſtiam conſecratam, quàm illi reverentiam exhibere; & ſi commiſceretur aliis conſecratis, à quibus non poſſet diſcerni, melius eſſet totum venerari quàm recipere aliquam ex eis, cùm non poſſet cognoſci; ſi quis tamen formam Eccleſiæ ex certa ſcientia mutat, graviter peccat, & hæc eſt opinio Bona. 3. *diſ.* 8. *p.* 2. *du. circa literam q.* 1. undè accipi debet forma tradita ab ipſis Apoſtolis, ſecundùm quod eſt in Canone miſſę, non

non ab Evangeliſtis, quia Apoſtoli Eccleſiam inſtituerunt ſecundùm quod à Deo acceperunt. Evangeliſtæ verò divina verba, & opera narraverunt attendentes ad intellectum non ad vocem ideò nec in forma conveniunt, quia fortè non intendebant formam tradere, ſed conveniunt in ſenſu, quem volebant narrare; undè in canone traditur per modum inſtitutionis; in Evangeliſtis verò per modum narrationis.hæc Bon. 4. *diſ.* 8. *par.* 2. *q.* 1. *ar.* 2. *c.*

Circa tertium reſpondeo, creditur ab aliquibus quod ſic, quia illam ab Apoſtolo Paulo acceperunt.& eſt eadem cum noſtra intelligibilis, licèt non ſenſibilis. hæc Pe. 4. *di.* 8. *q.* 3. *ar.* 2. *c.* 4.

Quæ ſunt de ſubſtantia formæ prædictæ?

Reſpondeo ſecundùm alios, circa formam iſtam quędam ponuntur, quæ ſunt de ſubſtantia, quædam verò non ſed pertinent ad ornatum, & oſtendendum uſum, vel dignitatem, vel effectum: ad ſubſtantiam pertinent ea, per quæ exprimitur converſio vini in ſanguinem, ſcilicet: *Hic eſt calix ſanguinis mei*; ad uſum verò *accipite, & bibite.* Ad effectum autem *novi & æterni teſtamenti &c.* & hęc eſt opinio Bon. 4. *di.* 8. *p.* 2. *q.* 1. *ar.* 2. *c.* 3. & Pe. 4. *di.* 8. *q.* 3 *ar.* 2. *c.* Secundùm verò alios cum hæc verba *novi, & æterni &c.* ſint quædam determinationes prędicati, ideſt ſanguinis Chriſti, pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis, & ideò dicunt, quòd omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ uſque ibi: *quotieſcumque feceritis &c.* quæ non ſunt de ſubſtantia formæ, ſed pertinent ad uſum hujus ſacramenti; & indè eſt, quod Presbyter eodem ritu, & modo, ſcilicet tenendo calicem in manibus profert omnia hæc verba. *Luc. etiam* 22. interponuntur hęc verba ſequentia verbis primis. Dicunt ergo, quod omnia prediſta verba ſunt de ſubſtantia formę, licèt per prima verba cum dicitur: *Hic eſt calix ſanguinis mei* ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem, eo modo quo dictum eſt in forma conſecrationis panis. Per verba verò ſequentia, ſcilicet *novi teſtamenti*, deſignatur virtus ſanguinis effuſi, quæ operatur in hoc ſacramento, quia enim ut dictum eſt, ſanguis ſeorſum conſecratus expreſsè paſſionem repreſentat, ideò potiùs fit ibi mentio de effectu paſſionis, quàm in conſecratione corporis, quod eſt paſſionis ſubjectum, & hæc eſt opinio Tho. 3. *q.* 78. *ar.* 3. *c.* Secundùm autem Sco. 4. *di.* 8. *q.* 2. *ar.* 2. ratio prædictæ opinionis non concludit; poſſibile enim eſſet multa addi in aliqua oratione conſecrativa, ſine quibus tamen tota conſecratio habetur, ſicut Chriſtus dicere potuit: *hoc eſt corpus meum ſumptum de Virgine, ſuſpendendum in cruce*, ſicut dixit de ſanguine, *qui pro vobis &c.* & tunc illa verba eſſent dicenda propter devotionem, non tamen fuiſſent neceſſaria ſimpliciter ad formam, quantumcumquæ pertinerent ad eandem rationem.

Plura etiam alia adducit contra rationem iſtam. Secundum ipſum tamen non eſt nobis traditum pro certo, an ad formam conſecrationis ſanguinis pertineant aliqua verba poſt ly *ſanguinis mei*, periculoſum eſt hoc aſſerere, de quo ſufficiens auctoritas non habetur; neque eſt periculoſum hoc ignorare, quia ignorantia eſt invincibilis.

Poſt hoc notanda eſt expoſitio, & ratio eorum, quæ ponuntur in hac forma *accipite* inquit *& bibite ex eo:ex eo* dicit, & non *ex hoc* ad denotandum præſentiam ſanguinis ante præcedentem ſub altero ſigno ſcilicet panis. Sequitur *hic eſt calix meus.* hęc eſt locutio figurativa, & poteſt dupliciter intelligi, uno modo ſecundum methonomiam, qua ponitur continens pro contento, ut ſit ſenſus *hic eſt ſanguis meus contentus in calice*, de quo fit hic mentio, quia ſanguis Chriſti in hoc ſacramento conſecratur in quantum eſt potus fidelium, quod non importatur ratione ſanguinis; ideò oportuit hoc deſignari per vas huic uſui accommodatum. Alio modo poteſt intelligi ſecundùm metaphoram, prout per calicem ſimilitudinariè intelligitur paſſio Chriſti, quę ad ſimilitudinem calicis inebriat, ſecundùm illud *Tren.* 3. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio.* undè ipſe dominus paſſionem ſuam vocat calicem *Matth.* 26. ut ſit ſenſus: *hic calix eſt ſignum paſſionis meæ*, de qua fit mentio in ſanguine ſeorſum à corpore conſecrato, quia ſanguis fuit à corpore ſeparatus per paſſionem; & intellige, quòd ly *ſanguinis* conſtruitur intranſitivè cum ly *calix*, ſicut cum dicitur: *creatura ſalis.*

Sequitur, *novi, & æterni teſtamenti*, in quibus verbis notatur virtus ſanguinis Chriſti, in quantum ordinatur ad tria. Primò, ad acquirendam æternam hęreditatem, ſecundùm illud *Heb.* 10. *Habemus fiduciam in introitum ſanctorum in ſanguinem ejus.* & hoc nota ibi *novi, & æterni teſtamenti.* Sicut enim habetur *extra. de cele. miſ. cum marthe.* §. *verum.* ly *æterni* dicitur, tum quia promittit regnum ęternum, tum quia durat in perpetuum, undè dicitur ibi *novum*, ideſt ultimum eſſe deſcribitur; ideò *æternum*, id ſt perpetuum comprobatur; noviſſimum enim teſtamentum hominis immobile perſeverat, quia teſtamentum obitu confirmatur. Secundò, ordinatur ad collationem gratiæ, quę eſt per fidem, ſecundùm illud *Roman.* 3. *quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ejus, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui ex fide eſt Jeſu Chriſti.* Et quantum ad hoc ſubditur *myſterium fidei*; non excludit autem myſterium rei veritatem, ſed oſtendit occultationem, quia & ipſe ſanguis Chriſti occulto modo eſt in ſacramento, & ipſa paſſio Chriſti fuit occultè figurata in veteri teſtamento; & dicitur *myſterium fidei*, quaſi fidei objectum, quia quod ſanguis Chriſti verè ſit in hoc ſacramento, ſola fide tenetur, ut enim dicitur *in prædicto capite.* §. *ex eo autem.* aliud ibi creditur, quàm cernatur; ipſa enim paſſio Chriſti per fidem juſtificat; baptiſmus autem dicitur

ſacra-

ſacramentum fidei, quià eſt quędam fidei proteſtatio; hoc autem ſacramentum eſt charitatis quaſi figurativum, & effectivum. Tertiò, ordinatur ad removendum impedimentum utriuſque prędictorum, ſcilicet peccata ſecundùm illud *Hebr.9. Sanguis Chriſti emundabit conſcientias veſtras ab operibus mortuis*, ideſt à peccatis; & quantum ad hoc additur: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Sanguis enim paſſionis Chriſti habet efficaciam non tantùm in Judęis, ſed etiam in Gentibus, nec tantùm in Presbyteris, qui hoc ſacramentum conficiunt, vel in aliis, qui ſumunt, ſed etiam in illis, pro quibus offertur; & ideò ſignanter dicitur *pro vobis*, ſcilicet Judęis, *& pro multis*, ſcilicet Gentibus, vel pro manducantibus, & pro multis,pro quibus offertur. Non dicit autem pro omnibus, quia licèt ſanguis Chriſti ſit effuſus pro omnibus quantùm ad ſufficientiam; non tamen omnes recipiunt eius efficaciam propter eorum indiſpoſitionem.

ARTICULUS III.

De Virtute formæ Sacramenti Euchariſtiæ.

Circa tertium, ſcilicet virtutem formę ſacramenti Euchariſtię, quęruntur plura, ſcilicet:

I. *Utrum Presbyter quantamcumque materiam convertere poſſit?*

II. *Utrum virtute verborum Sacerdos poſſit unam partem ejuſdem hoſtiæ conſecrare ſine alia, hoſtia continua remanente?*

III. *Utrum una forma operetur ſine alia?*

Circa primum reſpondeo, dicunt aliqui quòd non, cùm de integritate ſacramenti ſit intentio implicita, vel explicita faciendi, quod facit Eccleſia; ſeu illud, quod ſacramentum inſtituens facere intendebat, ſed non intendebat Eccleſia, vel Chriſtus tranſubſtantiationem panis, niſi ad communionem fidelium, & rememorandum Chriſti paſſionem; ideò Sacerdos tantum, & non plus poteſt tranſubſtantiare de pane, quantum requiritur ad communionem fidelium; & ad rememorandum Chriſti paſſionem; undè ubi eſſent tot fideles ad communicandum per unum Sacerdotem, quod panis de foro requireretur,adhuc iſte Sacerdos totum panem de foro poſſet tranſubſtantiare. Si verò Sacerdos vellet tranſubſtantiare ad hoc tantùm, ut panem in lutum projiceret, vel ut aliquid aliud dedecus fieret ſacramento, dicunt, quòd talis non tranſubſtantiaretur, quia non eſt veriſimile, Chriſtum poteſtatem dediſſe Sacerdoti in præjudicium, & irreverentiam ſacramenti; nec talem qualem ſapiens dictaret non eſſe donandam, & hæc eſt opinio Pe. 4. *di*.10. *q*.4. *ar*.2. *o*. & Bon.4. *diſt*.10.*p*.2.*q*.1.*ar*.4.*o*.

Contra hæc autem arguunt alii, ſic: Si abluens puerum ſub forma verborum debita intendens facere, quod facit Eccleſia, quamvis in ſpeciali intendat ſacramenti dedecus, & credat damnare illum,quem baptizat, adhuc verè confert ſacramentum baptiſmi, ut patet ex ſuperius dictis de baptiſmo. Igitur ſimiliter ſi Sacerdos ſuper debitam materiam dicat verborum formam ad tranſubſtantiandum inſtitutam, intendens implicitè, vel explicitè per hoc ibi eſſe corpus Chriſti, licèt ulterius ibi intendat ſacramenti irreverentiam, & dedecus, nec intendat illud ſacramentum adminiſtrare fidelibus, nihilominus verè conficit, ut videtur; illæ enim intentiones ſequentes, ſcilicet intentio rememorandi paſſionem Chriſti, & communicandi fideles non ſunt neceſſariæ ad ſacramenti eſſentiam. Videtur ergo aliis dicendum, quòd Sacerdos tantum poteſt de pane tranſubſtantiare, quantum tranſubſtantiare intendit, dum tamen illud pręſens ſit coram ipſo; exiſtens enim in campo non poſſet tranſubſtantiare in Eccleſia, quia ad hoc non extendit ſe forma ſacramenti, quod patet per pronomen demonſtrativum faciens aliquo modo demonſtrationem ad ſenſum, quod eſt reſpectu rei præſentis ipſi demonſtranti. Hæc Ric. 4. *di*.10. *q*.6. *art*.1.*c*. Secundæ autem poſitionis videtur eſſe Tho. 3. *q*.74. *ar*. 2. *o*. *in ſcripto. & in ſum.* Prima magis mihi placet.

Circa ſecundum reſpondeo,quòd aut Sacerdos intenderet conſecrare alteram partem hoſtiæ determinatè, utpotè determinatè illam; quę eſſet ad dextram, vel illam, quæ eſſet ad ſiniſtram; aut intenderet conſecrare unam medietatem,non tamen ferendo intentionem ſuam ad unam ſignatam. Primo modo non credo, quòd poſſit virtute ſacramenti conſecrare unam medietatem hoſtiæ ſine alia, quia cùm ad conſecrationem materiæ debitæ non tantùm requiratur ordo in conſecrante, & forma verborum debita, ſed etiam intentio faciendi ſuper illam materiam, quod facit Eccleſia, non operabuntur verba, niſi ſuper illam medietatem hoſtiæ, ad quam præciſè fertur modo ſupradicto intentio conſecrantis. Secundo modo dico, quòd non conſecraretur unam partem ſine alia, quia virtus ſacramenti non plus reſpiceret unam partem, quàm aliam, quia utraque medietas conſecratur, quia tunc conſecraretur tota hoſtia; & ego pono, quòd non intendat conſecrare totam hoſtiam, ſed medietatem tantùm; ideò videtur probabile, quòd in caſu prædicto nulla pars hoſtiæ conſecraretur; reales enim operationes non ſunt circa ſingularia vaga, ſed circa determinata; ideò oportet,quòd intentio,ad quam ſequitur realis determinatio, aliquid determinatum, & determinatè reſpiciat. Hæc Rich. 4. *diſ*.10. *q*.6. *art*. 2. *c*.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, cùm quælibet ipſarum habeat virtutem propriam, completam ſignificationem, & propriam determinatam materiam.

Quid ſi aliquæ hoſtiæ ex oblivione in altari cùm Presbyter conficit, ſint poſitæ, numquid

&

& illæ hoſtiæ ſunt conſecratæ.

Quid etiam ſi aliquæ guttæ vini adhærent pedi calicis, dum Presbyter conficit?

Reſpondeo ſecundùm Albertum *libro de miſſa*. nec illę hoſtię, nec guttæ iſtæ conſecrantur, quia de eis nihil intenditur.

TITULUS XI.

De Converſione, quæ fit in Euchariſtia, & quomodo Corpus Chriſti eſt ibi poſt converſionem,

DEinde conſiderandum eſt de converſione, quę fit in hoc ſacramento per virtutem formæ verborum, & quia per hanc converſionem fit præſens corpus Chriſti ſub hoc ſacramento; ideò conſequenter dicendum erit de modo, quo Chriſti corpus exiſtit in hoc ſacramento. Quapropter ſit

ARTICVLVS I.

An poſt converſionem verè ſit Corpus Chriſti in hoc Sacramento.

CIrca primum firmiter tenendum eſt, quòd in hoc ſacramento eſt verè corpus Chriſti; undè ſuper illud Luc.22. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* dicit Cirillus: *non dubites, an hoc ſit verum, cùm enim ſit veritas proferens, non mentitur.* Et idem intellige de ſanguine Chriſti; ſubſtantia enim panis convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti; & ſubſtantia vini in ſanguinem; undè in Canone miſſę de pane, & vino dicitur: *Fiat nobis corpus, & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Præterea de ſacramentis tenendum eſt, quod tenet Romana Eccleſia. *extra, de hære. ad abolendam.* ipſa autem tenet panem tranſubſtantiare in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem Chriſti. *extra. de Sum. Tri. firmiter.* §. *una.* & hunc intellectum ipſa Romana Eccleſia, nobis tradit, directa, ut creditur, à ſpiritu veritatis; undè aliter credere non licet. Hæc Sco 4. *di.2, q.2. q.2. ar.1. in reſponſione propria.* Convertitur autem totum compoſitum ex materia, & forma exiſtens actu in totum corpus Chriſti actu exiſtens, ita quod materia in materiam, & forma in formam, ſcilicet corpoream, ſolis accidentibus remanentibus; cùm enim ſpecies panis ſit ſignum corporis Chriſti, debet ipſum immediate repræſentare; ſi autem remaneret aliquid de panis ſubſtantia, repræſentaret illud immediatiùs, quàm corpus Chriſti; & ideò nihil debet ibi de ſubſtantia panis remanere, ſed tota debet converti; fit autem prædicta converſio in inſtanti virtute Dei coaſſiſtente formæ verborum, & convertente completa oratione; nec eſt in ſpecie alicujus mutationis naturalis, ſed proprio nomine tranſubſtantiatio dici poteſt. Hanc autem converſionem non erit cuiquam difficile credere, ſi conſideret virtutem inferioris naturæ, quæ in ſtomaco hominis panem, quem accipit, in carnem vivam, & vinum in ſanguinem convertit.

Si autem quęratur, utrum vinum convertatur in ſanguinem purum: dicendum, quòd ſic; non eſt enim intelligendum vinum converti in ſanguinem, in quantùm ſanguis dicit aliquid confuſum ex quatuor humoribus; ſed in quantùm dicit humorem, qui eſt unus ex quatuor; alii autem humores ſunt ibi per concomitantiam; undè *extra. de cele. miſ. in quadam.* Dicitur, quòd Jo. expreſſit ex elementis aquam, & ex humoribus ſanguinem; ex quo patet, quòd ſanguis, qui fluxit de latere Chriſti, fuit unus ex quatuor humoribus, & per conſequens vinum non convertitur niſi in humorem ſanguineum Hæc Ric 4. *di.11. q.3. ar.4.c.*

Ad hæc nota, quòd in hoc, quod ſupra dictum eſt, ſcilicet quod in hac converſione, materia convertitur in materiam, & forma in formam, conveniunt. *in 4. ſuper ſententias.* Ric. 4. *di.11. q.1. ar.2.c.* Tho.3 *q.75. ar.3. o.* Bon.4. *di.11. p.1. ar.2.c.* Pe.4. *di.11. q.1. ar.* 3. & communiter Doctores alii. Sco. autem 4. *di.11. q.2. ar.2.* dicere videtur, quòd ibi non eſt converſio ſubſtantiæ in ſubſtantiam, quantum ad eſſe ſubſtantiale ſimpliciter, ſed quantum ad eſſe hoc, quia corpori Chriſti non acquiritur ſimpliciter eſſe, ſed eſſe hoc, ſcilicet ſub ſpecie panis; undè acquirit novam præſentiam non amittendo antiquam; panis verò deſinit eſſe ibi non acquirendo aliquam præſentiam alibi; undè licèt illa deſitio panis ſecundùm ſe conſiderata ſit annihilatio, ipſa tamen converſio nullo modo eſt annihilatio, quia ejus terminus non eſt nihil, ſed nova præſentia corporis Chriſti ſub ſpecie panis. Hæc Sco. *ibidem.*

Quęritur autem hic, utrum ſub hoc ſacramento ſit verè corpus Chriſti, quando apparet ibi miraculosè caro, vel puer, vel aliquid tale?

Reſpondeo, talis apparitio contigit quandoque propter ſolam immutationem videntium, quandoque manentibus prioribus hoſtiæ dimenſionibus, propter immutationem circa alia accidentia, ut figurę, coloris, & hujuſmodi; & utroque modo remanet ibi verè corpus Chriſti, quia ibi ratio ſacramenti manet; utroque etiam modo fit miraculum ad oſtendendum, quod in hoc ſacramento eſt verè corpus Chriſti, & ſanguis; & ideò non eſt ibi deceptio Hæc Tho. 3. *q. 76. ar.8.c.* Secundùm verò Pe.4. *di.10. q.3. ar. 2. q.2.c.* ſub figura illa, quæ apparet, latet ſpecies ſacramenti, ſub qua continetur corpus Chriſti, nulla immutatione facta circa ipſam, & ipſa ſpecies tantùm confunditur quibuſdam accidentibus carnis, vel pueri, quę non ſunt propriè accidentia, vel lineamenta corporis Chriſti, & hęc in ſequenti articulo patebunt. §. *eſt etiam corpus Chriſti inviſibile.*

ARTI-

ARTICULUS II.

De Modo, quo Corpus Chriſti exiſtit in hoc ſacramento.

Circa ſecundum, ſcilicet modum, quo exiſtit corpus Chriſti ſub hoc ſacramento, eſt firmiter credendum, quòd totus corpus eſt in hoc ſacramento corporis Chriſti, ideſt ſub ſpecie panis eſt totum corpus Chriſti ex vi ſacramenti, ſive converſionis; ſubſtantia enim panis convertitur in ſolam ſubſtantiam corporis; & intelligo hìc nomine corporis contineri non tantùm carnes, ſed etiam nervos, & oſſa, & alia hujuſmodi; ſanguis verò eſt ibi ratione permixtionis; permixtus enim, & diffuſus eſt in corpore; & ideò ubicumque eſt corpus Chriſti, ibi eſt ſanguis; ejus verò anima eſt ibi ratione conjunctionis, ſcilicet cum corpore; eſt enim inſeparabiliter corpori conjuncta. Quantitas autem, & alia accidentia ſunt ibi ratione inſeparationis à corpore; divinitas autem eſt ibi ratione unionis divinæ naturæ cum humana. Eſt autem totum corpus Chriſti in hoſtia tota, quod eſt in qualibet ejus parte, in qua ſalvatur ratio totius; cùm enim ſit totum homogeneum, non eſt major ratio, quod una pars convertatur in unam partem, quam in aliam, undè hæc fuit poſitio Hilarii, Hug. de Sanct. Victo. & communiter tenetur.

Eſt etiam ſub hoſtia corpus Chriſti quantum, ſed non modo quantitativo, quia licèt ſit ibi corpus quantum, non tamen comparatur ad ſpecies ut quantum; ſicut etiam quamvis ſit ibi clarum, non tamen utitur claritate ſua illuminando medium; ita quamvis ſit ibi quantum, non tamen utitur quantitate occupando locum; ſicut Deus poteſt facere, ut hìc ſit ignis, non exercendo combuſtionis actum.

Eſt etiam corpus Chriſti ſub hoc ſacramento, ſive ſub ſpecie non localiter propriè loquendo, quia eſſe localiter propriè eſt eſſe dimenſivè, ſive commenſurativè, eſt tamen corpus Chriſti in loco ſpeciei principaliter; & ex hoc ſequitur, quòd corpus Chriſti eſt in pluribus locis ſimul ſecundum eſſe ſacramentale, quia verè, & realiter continetur ſub diverſis ſpeciebus, quæ ſunt in diverſis altaribus; ratio hujus eſt divina inſtitutio, quæ omnia poteſt; ratio verò hujus inſtitutionis eſt, quia eſt cibus ſpiritualis communis ad cibandum plures in pluribus locis, ſed ſecundum eſſe ſuum naturale eſt tantum in uno loco, ſcilicet in cęlo; ſecundum autem eſſe perſonale, non eſt in loco.

Eſt etiam corpus Chriſti in hoc ſacramento immobile localiter, & per ſe loquendo, licèt ſit mobile per accidens, ſcilicet ad motum hoſtiæ, ſicut anima movetur moto corpore; movetur etiam, & quieſcit ſimul per accidens corpus Chriſti mota una hoſtia, & quieſcente alia; ſicut homo ſuper ſcamnum in navi per quietem ſcamni quieſcit, & per motum navis movetur. Corpus etiam Chriſti per accidens ſimul movetur ſurſum, & deorſum, mota una hoſtia ſurſum, & alia deorſum; ſicut homo exiſtens ſuper equum in navi movetur motu equi ad terminum oppoſitum termino, ad quem navis tendit. Hęc Ric. 4. *di.* 10. o.

Sed numquid verſa hoſtia corpus Chriſti vertitur, ſicut mota movetur?

Reſpondeo, quòd non, quia licèt partes ordinem habeant in ipſo corpore abſolutè, non tamen per comparationem ad ſpeciem; undè dici non poteſt, quòd pedes habeat in una parte hoſtiæ, & caput in alia, & ſic de membris aliis, quia omnes partes ſunt ſimul ſub qualibet parte hoſtiæ, ut ſuperius eſt oſtenſum. Hęc Ric. 4. *diſt.* 10. *q.* 4. *ar.* 1. *c* 3.

Numquid mutata hoſtia, vel fracta, vel paſſa, aliquid corpus Chriſti patitur, ſicut mota movetur?

Reſpondeo, quòd non; non enim eſt ſimile, quia mutatio, & paſſio innovaret in Chriſto aliquid abſolutum, ſed motus localis per accidens nihil. Hæc ſecundùm Pe. 4. *diſt.* 10. *q.* 2. *ar.* 2. *c.* 1. *ad oppoſitum.*

Eſt etiam corpus Chriſti penitùs inviſibile oculo corporali, ſecundùm Ric. 4. *diſt.* 10. *q.* 5. *ar.* 2. *c.* & Sco. 4. *diſt.* 10. *q.* 4. *ar.* 3. ita ſcilicet, quod non poteſt videri oculo corporeo, nec per naturam, nec per gloriam, nec per miraculum; ſicut nec exiſtentia ſubſtantię ſpiritualis in loco ad cujus inſtar corpus Chriſti eſt ſub ſacramento, in quantum eſt ibi præſens, & per ſe ratione ſubſtantiæ, & quantitas non eſt ibi, niſi per concomitantiam: undè ſecundùm Ric. *ubi ſupra* ſi aliquando apparet ibi ſpecies parvuli, vel fruſtrum carnis, non eſt corpus Chriſti; majores enim ſunt dimenſiones corporis Chriſti, quàm illæ, quæ ibi apparent, & ſi apparet ibi verè corpus Chriſti, non apparet ut ſub ſacramento: undè credo, quòd illa apparentia parvuli, quæ aliquando ibi viſa eſt, vel deſcribitur in imaginatione, vel in ſenſu communi videntis; vel etiam ſi eſt realiter extra, non credo, quòd illæ dimenſiones fundentur in dimenſionibus ſpeciei panis, licèt tunc appareant. Hæc Ric. *ibid. de hoc ſupra in præcedenti articulo circa ſi.*

Sed numquid corpus Chriſti videri poteſt ſub ſpecie panis ab oculo ſuo proprio?

Reſpondeo, quòd ſic; non poteſt tamen videri ab ipſo modus, quo corpus Chriſti exiſtit ſub ſacramento, hic enim pertinet tantum ad intellectum; nec eſt ſimile de alio oculo glorioſo, quia ipſe oculus Chriſti eſt ſub hoc ſacramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorioſus, & hujus ſententiæ eſt Tho. 3. *q.* 76. *ar.* 7. *c.* 3. Alii verò dicunt, quòd forſan Chriſtus prout eſt ibi, non videtur à ſe ipſo modo corporali, ſed ſpirituali, & hujus ſententię eſt Pe. 4. *diſt.* 10. *q.* 3. *ar.* 1. *c.* 2. *ad oppoſitum.*

Eſt etiam ſecundùm Ric. 4. *diſt.* 10. *q.* 5. *ar.* 1. *c.* corpus Chriſti in hoc ſacramento inviſibile, viſione

viſione intellectuali omni intellectui per naturam, viſibile tamen per gloriam non tantum in verbo, ſed etiam in proprio genere. Secundùm autem Sco. 4. *di.* 10. *q.* 4. *ar.* 2. *c.* *in ſecunda concluſione*. Viſibile eſt etiam per naturam omni intellectui non alligato ſenſibus in intelligendo, ſive Angeli, ſive animæ ſeparatæ.

Eſt etiam cognoſcibile à nobis, dum ſumus in via, quod eſt ibi corpus Chriſti, non quidem per naturam, ſed per fidem, & doctrinam; dicit enim intellectus, quod veritas non poteſt dicere falſum, & fides aſſerit, quod veritas dixit: *hoc eſt corpus meum*: & præcepit, quod diceretur, ergo verum dixit.

Eſt etiam corpus Chriſti, ut eſt ſub ſacramento intangibile immediatè ab alio; ſicut nec ſubſtantia ſpiritualis tangitur à loco, nec à corpore aliquo; undè quantumcumque aliquis ſpeciem penetraret, Criſti corpus tangere non poſſet, ſecundùm Ric. 4. *di.* 10 *q.* 4. *ar.* 2. *c.* Præmiſſa ad hunc titulum pertinentia, breviter tranſeundo gratia continuationis materiæ, tetigi, & eorum declarationem peritioribus reſervavi, quàm ſi quis profundiſſimè, & realiſſimè videre deſiderat *in* 4. *Scot.* requirat.

TITULUS XII.

De accidentibus remanentibus in Euchariſtia.

POſtea conſiderandum eſt de accidentibus remanentibus in hoc ſacramento, de quibus hoc firmiter tenendum eſt, quòd omnia accidentia ſunt ibi ſine ſubjecto. Primò ſcilicet ſine ſubſtantia, & hoc virtute divina; & hoc eſt congruum duplici ratione. Una quoad ſignificationem, quia ſpecies ſine ſubjecto exiſtens, expreſſiùs ducit intellectum fidelis credentis hæc in corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus, cùm non habeant ibi ſtabiliens per naturam. Altera verò quoad cibationem, quia hoc ſacramentum cibus eſt fidelium ſpiritualis; undè non decet, ut ſit ibi aliquis cibus corporalis, ſed ſenſus elevetur per fidem, & voluntas per charitatem; ſicut etiam ſpecies ſacramentales virtute divina retinent eſſe, quod habebant priùs, ita & agere; undè poſſunt exteriora corpora, & ſenſus immutare, non tamen poſſunt alia in ſacramentum convertere, quia in hoc ſacramento fit tranſubſtantiatio, quæ non fit ſine verbo.

Si dicatur, quòd aqua modica convertitur in ſpeciem vini; dicunt aliqui, quòd ibi forma ſubſtantialis aquæ non ſolvitur, ſed alteratur, quia mutatur color, & ſapor, & odor; & ſenſus percipit proprietates vini; & ideò quantum ad ſenſum convertitur. Alii verò dicunt, quòd aqua convertitur in vinum, & hoc virtute ſpecierum illarum; non, inquam, in vinum, quod ſit vinum ſecundùm ſpeciem, ſed eſt vinum ſecundùm materiam tantùm, ſicut caro ſecundùm ſpeciem convertitur in carnem ſecundùm materiam. Uterque modus dicendi ſecundùm Bon. 4. *diſt.* 12. *q.* 2. *ar* 2. *c.* 1. eſt ſatis probabilis; & ſic patet, quòd neutro modo ſequitur, quòd aqua juncta vino fiat ſacramentum. Licèt autem ſit miraculoſum, quòd ſic per ſe, ſcilicet ſine ſubſtantia maneant accidentia; naturale tamen eſt, quòd ſic manentia agant; undè ſi ſecuris per ſe incideret ligna, ipſam per ſe moveri eſſet miraculoſum, ſed incidere naturale, ita eſt hic.

Poſſunt etiam ipſa accidentia nunc corrumpi, ſicut poterant priùs, ſubſtantia panis, & vini exiſtente. Circa quod diſtingo, quòd ſi fiat immutatio ex parte accidentium, quæ non ſufficiat ad corruptionem panis, vel vini, propter talem immutationem non deſinit corpus Chriſti, aut ſanguis eſſe ſub hoc ſacramento; ſi autem fiat immutatio ex parte quantitatis, ſicut cum dividitur panis, vel vinum in tales partes, quod in eis non poſſit ſalvari natura panis, vel vini, non remanet corpus, aut ſanguis Chriſti ſub hoc ſacramento; & ſimiliter ex parte qualitatum, ut cùm ita immutatur color, & ſapor, & aliæ qualitates panis, & vini, quod nullo modo poſſet compati natura panis, vel vini. Hæc Tho. 3. *q.* 77. *ar.* 4. *c.* Non ſic autem corrumpuntur ſpecies ſacramentales, ut anihilentur, ſed eis aliquid ſenſibile in inſtanti ſuccedit, & ita neceſſe eſt dicere, quòd ex eis aliquid generetur, quòd quidem videre quomodo fiat, eſt difficile; undè circa hoc fuerunt, & ſunt diverſi modi dicendi, quos etiam Sco. recitat, & reprobat 4. *di.* 12. *q.* 3. *ar.* 2. *q.* 2. *c.* quibus omiſſis cauſa brevitatis

Dicendum eſt ſecundùm Sco. *ibidem.* quòd deſinente ibi eſſe Euchariſtia redit ſubſtantia compoſita, cui talia accidentia conveniunt, quàm etiam afficiunt, & hoc etiam in inſtanti corruptionis, & immediatè à Deo. *Prima pars* hujus ſententię probatur, quia Deus ſtatuit illas ſpecies manere ſine ſubjecto tantùm in Euchariſtia, ergo ſtatuit, quòd non ſtante Euchariſtia non ſint accidentia ſine ſubjecto, & per conſequens in inſtanti illius corruptionis ſit aliqua ſubſtantia.

Secunda pars probatur, quia ſi *redit* aliqua ſubſtantia, non eſt alia, quàm illa, quæ poteſt illis accidentibus affici, quia alia ſubſtantia non eſſet eorum capax.

Tertia pars, ſcilicet, quòd non *redit*, niſi immediatè à Deo, patet, quia nullum aliud agens hæc agere poſſet. Hæc Sco. *ibidem.*

Poſſunt etiam ſpecies ſacramentales nutrire, quia per eamdem rationem converti poſſunt in corpus humanum, per quam poſſunt converti in cineres, vel vermes.

Poſſunt etiam iſtæ ſpecies dividi; diviſio enim eſt paſſio quantitatis, ut eſt quantum; in hoc vero ſacramento eſt aliquid quantum per modum quanti, ut ſpecies; & aliquid quantum non per modum quanti, ut corpus Chriſti; ideò

diviſio fit in ſpeciebus, non in corpore Chriſti.

Quæritur autem, utrum illis ſpeciebus poſſet aliquid permiſceri, ut vinum, vel aqua?

Reſpondeo, quòd ſic; diſtinguit tamen Pe. 4. *diſt. 12. q. 12. ar. 2. q. 2. c.* quòd aut apponitur vinum, aut alius liquor. Si vinum additur, aut eſt quantitatis majoris, aut æqualis, aut minoris. Si majoris, tunc ad omnes dimenſiones ſpeciei pervenit, & ejus continuitatem totaliter tollit, vel ſolvit; & ſic etiam aliud vinum novum quoad actum eſſe incipit, & ſanguis Chriſti ibi eſſe deſinit. Si æqualis ſimiliter contingit. Si autem minoris tunc uſque ad omnes dimenſiones ſpeciei non pervenit, ſub partibus ergo illis, ad quas pervenit, ſanguis Chriſti eſſe deſinit, cùm ibi jam non ſint accidentia ſine ſubjecto; & continuitas ſpeciei, quæ ſine ſubjecto erat, ſoluta ſit; Sub partibus verò illis, ad quas non pervenit, ſanguis Chriſti manet. Puto tamen, quòd ſi additum non ſit notabiliter excellens, propter dubium toto liquore ipſo tanquam ſacramento utendum eſſet; ſi verò addatur liquor alius à vino in minori quantitate, tranſmutatur in naturam ſpeciei, tamen ſub partibus illis, ad quas liquor additus penetrat, cùm non ſint ibi accidentia ſine ſubjecto, deſinit eſſe ſanguis Chriſti.

TITULUS XIII.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

DEinde conſiderandum eſt de miniſtro hujus ſacramenti, ſcilicet Euchariſtiæ, &

Primò, in communi.

Secundò in ſpeciali de miniſtro inepto ex parte corporis.

Tertiò, de miniſtro indigno ex parte mentis. Quapropter ſit

ARTICULUS I.

De Miniſtro in communi Sacramenti Euchariſtiæ.

CIrca primum, ſciendum, quòd ſolus Presbyter poteſt conſecrare corpus, & ſanguinem Domini, ut habetur *diſt. 25. perlectis. & extra. de Sum. Trin. firmiter §. una.* nam hæc docet fides noſtra, quam ab Apoſtolis accepimus, & ipſi à Domino; undè etiam ordinaverunt Eccleſiam ſecundùm Dei inſtitutionem; & quia Apoſtoli, & eorum ſucceſſores poteſtatem conficiendi perſonis ſpecialibus contulerunt, quos etiam Presbyteros vocaverunt, ideò tantùm eis, ut tenet fides, licet conficere. Et ſecundùm Sco. 4. *di. 13. q. 2. ar. 1.* Eccleſia accepit fundamentum hujuſmodi ſententiæ ex illo verbo *Luc. 22. Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis.* ubi loquitur Chriſtus Apoſtolis, vel ad minus non, niſi diſcipulis: quibus non ſuccedunt niſi Presbyteri, ut habetur. *diſt. 21. §. 1. & c. 1.* Ratio autem quare Dominus ſic inſtituit, eſt, quia illud ſacramentum in magna reverentia debet haberi, & ideò ſpecialibus perſonis debuit committi; aut ergo ratione ſanctitatis, aut auctoritatis: ſi ratione ſanctitatis, ut dicunt Hæretici, tunc non eſſet quis certus, utrum conficeret, vel non, & ſalus noſtra ex aliena bonitate dependeret; ſi ratione auctoritatis, cùm auctoritas poſſit committi bonis, & malis, conſtat, quòd omnes, & ſoli Presbyteri hoc poſſunt; & hanc vocamus ordinem Sacerdotii.

Quid ergo, ſi quis credat ſe Presbyterum eſſe, cùm tamen non ſit, & celebret Miſſam?

Reſpondeo, non conficit in veritate, ſibi tamen, dummodò aliàs bonus ſit, & etiam aliis, qui credunt ipſum Presbyterum eſſe, audientibus ejus Miſſam, vel etiam recipientibus ab eo Euchariſtiam, proficit, tanquam ſi verum conficeret ſacramentum. *extra. de Preſ. non bapti. apoſtolicam. in glo.* Soli etiam Presbytero convenit diſpenſare corpus Chriſti, ut habetur *de conſe. di. 2. pervenit.* nam in reverentiam ejus à nulla re contingitur, niſi conſecrata; undè corporale, calix, & patena conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis ad tangendum hoc ſacramentum; undè nulli alii tangere licet niſi in neceſſitate, ut ſi caderet in terram, vel in aliquo alio caſu; nec etiam Dyaconis. *di. 92. Dyacones.*

Nota tamen, quòd cùm dicitur *di. 93. Dyacones.* quòd Dyacones ſub conſpectu Epiſcopi, vel Presbyteri, niſi his abſentibus, corpus Domini dare non debent, à contrario ſenſu colligitur, quòd illis abſentibus poſſunt dare, non tamen debent, niſi in extrema neceſſitate, abſentibus Epiſcopis, vel etiam Presbyteris, ut habetur *ibi.* Dicitur etiam *di. 93. Dyacon.* præſente Presbytero, Diaconus Euchariſtiam populo, ſi cogat neceſſitas, juſſus eroget. Neceſſitas eſt, cùm Presbyter eſt feſſus, vel aliàs impotens hoc facere, ſicut notavit *ibi Hug.* & ſi tanta ſit neceſſitas ibi, quòd juſſio Presbyteri non poſſit expectari, non eſt expectanda, niſi Presbyter in neceſſitate hoc prohibeat ex cauſa expreſſa, quia eſt fortè uſurarius, vel impœnitens, qui communionem petit, quia tunc obediendum eſt ei, aliàs non, ut ibi notavit Hug. Laicis autem nullo modo competit diſpenſare hoc ſacramentum. *de conſe. di. 2. pervenit.* Diſpenſatio verò ſanguinis non pertinet tantùm ad Presbyterum, ſed etiam ad Dyaconem, quia continetur in vaſe; & ſic non tangitur à diſpenſante, ſicut corpus Chriſti; ideò magis convenit ei diſpenſatio ſanguinis.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Miniſtro inepto ex partè corporis.

Circa ſecundum, quod eſt de miniſtro inepto ex parte corporis, quæritur:

Utrum defectus corporalis in Presbytero impediat à celebratione Miſſæ?

Reſpondeo, debilitas, vel ægritudo ſuperveniens ordini ſacerdotali non tollit ordinem; impedit tamen ordinis executionem quoad conſecrationem Euchariſtiæ. Quandoque quidem propter impoſſibilitatem executionis, ut ſi privetur oculis, vel digitis, vel uſu loquelæ; quandoque autem propter vitium naturæ, ut ſi patiatur morbum caducum, vel etiam aliquam mentis alienationem; quandoque propter abominationem, ut patet de leproſo, qui non debet publicè celebrare, & hoc eſt verum quoad ſanos; poteſt tamen dicere Miſſam occultè, & etiam celebrare leproſis, niſi intantum invaluerit lepra, quod per corroſionem membrorum ad hæc reddit eum impotentem. Hujuſmodi autem presbyteri, quibus propter aliquid prædictorum non permittitur celebrare, omnia alia pertinentia ad ſacerdotale officium poſſunt facere. *extra. de cle egro. c. 2.*

Quid de presbytero, qui duos digitos, vel etiam unum de illis, cum quibus hoſtia levat, perdidit?

Reſpondeo, talis celebrare non poteſt *ar. ibidem.* dicunt tamen Hoſtien. & Inno. *eo. tit. c. 1.* quòd ſi quis tantum perdidit de digito, quòd non poſſit celebrare ſine ſcandalo, poteſt Epiſcopus diſpenſare, quòd celebret in occulto, non in publico.

Quid de presbytero dæmoniaco?

Reſpondeo, dæmoniacus, aut eſt ex toto liberatus, & tunc poteſt celebrare ſecundùm Hug. Secundùm alios verò celebrare non debet; Aut non eſt ex toto liberatus, & tunc non debet celebrare, donec fuerit liberatus penitùs. *di. 33. communiter. & ca. uſque adeò.*

Quid de furioſis, lunaticis, & epilepticis, ſive caducis?

Reſpondeo; ſi ſint ex toto liberati poſſunt celebrare; ſi verò ſæpè acciderent eis hujuſmodi paſſiones, omninò ceſſare debent à celebratione miſſæ 7. *q. 2. in literis.* Si autem raró, & ſine ejectione ſpumæ, & emiſſione confuſæ vocis accidant, non prohibentur, dum tamen habeant juxta ſe alium presbyterum, qui officia cepta ſuppleat, ſi deficiant, vel collidantur ad terram. 7. *q. 1. illud.* Quanto autem tempore probari debeant, & qualiter, utrum liberatæ ſint dictæ perſonæ habetur. *di. 33. c. preallegato. communiter. &* 7. *q. 2. §. ultimo.* & poteſt dici, quòd tempus probationis eſt arbitrarium, penſatis circumſtantiis perſonæ, vel dignitatis, & aliis hujuſmodi. Alia de hac materia vide infra *lib. 6. de cor. viti.*

ARTICVLVS III.

De Miniſtro indigno ex parte mentis.

Circa tertium, ſcilicet de miniſtro indigno ex parte mentis quæruntur hæc

I. *Utrum malus Presbyter poſſit Eucharistiam conſecrare?*

II. *Utrum quilibet Presbyter quantumcunque malus poſſit hoc ſacramentum conficere?*

Circa primum reſpondeo quòd ſic; & hoc patet ex ſupradictis *in prima quæſtione hujus tituli. & in titulo de ſacramentis in communi. articulo de adminiſtrante ſacramenta. q. 1. & 2.* licèt autem poſſet, non tamen debet, quia peccat. *extra. de cele. miſ. de homine. in tex. & glo. B. & de conſe. di. 2. quotidie. & 1. q. 1. ſacerdotes.* talis enim ſuſpenſus eſt quoad ſe. *extra. de cohabi. cle. & muli. c. ult.*

Circa ſecundum reſpondeo, hoc dupliciter poteſt intelligi, aut de jure, aut de facto. Si primo modo, non omnis ſacerdos poteſt hoc ſacramentum conficere, quia nec irregularis, nec interdictus, nec ſuſpenſus ab executione eorum, quæ ſunt ordinis; nec excommunicatus, nec ſymoniacus, nec ſchiſmaticus, nec hæreticus, nec degradatus, ſive ſuſpenſus, ſive depoſitus, nec fornicator notorius hoc ſacramentum poteſt de jure conficere, quia cuilibet prædictorum prohibitus eſt uſus poteſtatis ſacerdotalis; & hoc probari poſſet per multos canones, ſed hoc omitto gratia brevitatis; undè conficiendo graviſſimè peccant. Secundo modo quilibet ſacerdos poteſt hoc ſacramentum conficere, quia nullus ſacerdos quantumcumque nefarius amittit characterem ſacerdotalem, ſuper quem fundatur poteſtas conficiendi: undè ſi quis prædictorum ſuper materiam debitam dicat formam verborum prædictam debitam cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, verè convertit ſubſtantiam panis in corpus Chriſti, & ſubſtantiam vini in ſanguinem. Hæc Ric. 4. *di. 13. q. 1. ar 1. c.*

Nec obſtat prædictis, quod dicitur *di. 32. §. porrò. ad hoc quæ tibi ſyllogiſticè, & alibi.* ſcilicet quod niſi in Eccleſia nec eſt verum corpus Chriſti, nec vera ſacerdotia, nec vera ſacrificia; Quia illud, & omnia alia jura ſimilia debent intelligi de veritate fructus, non de veritate ſacramenti. Nec etiam illud, quod dicitur *ibidem*, ſcilicet quod hæreticis ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus; intelligitur enim, quòd licet in neceſſitate baptizare, ſed in nullo caſu poſſunt licitè Euchariſtiam conſecrare, vel alia ſacramenta conferre. Nec etiam illud, quod dicitur 1. *q. 1. quod quidam.* ſcilicet quod degradatus, licèt habeat poteſtatem baptizandi, non tamen conſecrandi, quia debet intelligi inquiſitivè, non aſſertivè, ut ex circumſtantia poteſt haberi.

Sciendum tamen, quòd licèt præciſus ab Eccleſia verè conſecret ſecundùm prędicta, non tamen eſt efficax oratio ejus; cujus ratio eſt; quia presbi-

presbyter in miſſa, & orationibus loquitur in perſona Eccleſię, in cujus unitate manet; & ideo ſi ſeparetur ab ea, orationes ejus non valerent; ſed in conſecratione loquitur in perſona Chriſti, cujus vicem gerit in hoc per ordinis, & characteris poteſtatem; & ideò ſi præciſus ab unitate Eccleſiæ miſſam celebret, quia poteſtatem ordinis non perdidit, conſecrat verum corpus, & ſanguinem Chriſti. Hæc Tho. 3. *q.* 82. *ar.* 7. *c.* 3.

TITULUS XIV.

De Celebratione Miſſæ.

POſtea conſiderandum eſt de ritu celebrandi hoc ſacramentum, ſive de celebratione miſſæ, &

Primò, de ipſa celebratione in communi.

Secundò in ſpeciali, de celebratione presbyteri mali.

Tertiò, de tempore celebrationis.

Quartò, de loco, & vaſe. Propterea ſit

ARTICULUS I.

De Celebratione in communi.

CIrca primum quæruntur plura, videlicet:

I. *Utrum liceat presbytero penitùs à conſecratione Euchariſtiæ abſtinere?*

II. *Utrum presbyter conſecrans teneatur ſumere hoc ſacramentum?*

III. *Utrum ſi corpus Chriſti appareat miraculosè in altari ſub ſpecie carnis, vel ſanguinis ſit ſumendum?*

IV. *Utrum pluribus ſacerdotibus eandem hoſtiam liceat conſecrare?*

Circa primum reſpondeo, circa hoc eſt duplex modus dicendi, unus eſt, quòd presbytero liceat omninò à conſecratione abſtinere, niſi teneatur ex cura ſibi commiſſa populo celebrare, & ſacramenta præbere; putà ſi ſit presbyter parrochialis vivens de altari, debet ſervire altari; ſi autem de altari non vivat, ſed in libertate ſua remaneat, non tenetur magis, quàm alius de debito, ſed magis de bono, & æquo, & hujus ſententiæ eſt Bon. 4. *di.* 12. *p.* 1. *q.* 2. *ar.* 1. *q.* 2. *c.*

Sed contra hoc objicitur, quia presbytero impoſitum eſt ſacrificandi officium, ſed officium ſine uſu eſt otioſum; & etiam qui habet talentum, eo uti tenetur, ne cum ſervo nequam damnetur, ergo tenetur ſacrificare.

Reſpondeo, officium ſacrificandi non impoſitum, ut illud homo neceſſariò exequatur, ſed pro loco, & tempore, ut expedire ſibi videbitur; & ideò ſi conſcientia dictat, quod ob ſui indignitatem, & ſacramenti reverentiam abſtineat, non peccat. Hæc Bon. *ubi ſupra.* Alius modus dicendi eſt, quòd quilibet tenetur uti gratia ſibi data, cùm fuerit oportunum, ſecundùm illud 2. *Corint.* 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Oportunitas autem conſecrandi non attenditur tantùm per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet ſacramenta miniſtrare, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui in conſecratione hujus ſacramenti ſacrificium offertur; & ideò non licet presbytero, etiamſi non habeat curam animarum omninò à celebratione ceſſare, ſed ſaltem videtur, quòd teneatur celebrare in principuis feſtis, & maximè in illis, in quibus conſueverunt communicare fideles, & hujus ſententiæ eſt Ric. 4 *di.* 13. *q.* 2. *ar.* 2. *c.* & Tho. 4. *diſt.* 13. *q.* 1. *ar.* 2. *q.* 2. *c.* undè presbyter, qui hac gratia, ſive poteſtate, loco, & tempore debitis, & convenienti, habita oportunitate, & diſpoſitione non vult uti, ſed notabiliter negligit, peccat; & multum timere debet, ne ſicut ſervus nequam, qui domini ſui pecuniam abſcondit, & eam otioſam dimiſit, judicetur à domino, niſi ſe corrigat; propter quod *extra. de cele. miſ. dolentes.* §. *ſunt.* aliqui reprehenduntur, qui miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno. Hæc Ric *ubi ſupra.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic, tam corporis, quàm ſanguinis; & hoc habetur *de conſe. diſt.* 2. *relatum.* nam ut ſupra dictum eſt, Euchariſtia non tantum eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. Quicumque autem ſacrificium offert, debet eſſe ſacrificii particeps, quia exterius ſacrificium, quod offertur, eſt ſignum interioris ſacrificii, quo aliquis ſe Deo offert, ut dicit Aug. 10. *de civit. Dei.* undè per hoc, quod participat ſacrificium exterius, oſtendit ſe ſacrificium interius perpetraſſe. Similiter per hoc quod ſacrificium populo diſpenſat, oſtendit ſe eſſe diſpenſatorem divinorum ipſorum, quorum ipſe priùs debet particeps eſſe, ut dicit Dion. *de Ecc. hierar.* & ideò priùs debet ſumere, quàm populo diſpenſare; nam per hoc fit particeps, quod de ſacrificio ſumit. 1. *Corint.* 10. *nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris.* & ideò neceſſe eſt, quòd presbyter quandocumque celebrat, hoc ſacramentum integrè ſumat.

Quid ſi quis infra miſſam infirmaretur ad mortem, & presbyter non haberet aliam hoſtiam conſecratam, quàm illam, quam conſecravit; numquid presbyter debet illi hoſtiam dare, & à ſumptione abſtinere?

Reſpondeo, quòd non, ſed potiùs illam hoſtiam dividet, & partem ſumet ſibi, & alteram dabit illi. Hæc Tho. 4. *di.* 12. *q.* 3. *ar.* 2. *q.* 2. *c.* 1.

Circa tertium reſpondeo, ab eo ſumi non debet, cui in tali ſpecie apparet, quia non apparet ſub ſpecie convenienti humanæ refectioni; dicit enim Hieron. *ſuper Levit. De hac quidem hoſtia, quæ in Chriſti commemorationem mirabiliter fit, edere licet; de illa verò, quam Chriſtus in ara crucis obtulit ſecundùm ſe, nulli edere licet.* nec propter hoc presbyter tranſgreditur, quia ea, quæ miraculosè

Digitized by Google

loſè fiunt, legibus non ſubduntur; conſulendum tamen eſſet presbytero, quod iterato corpus, & ſanguinem Domini conſecraret, & ſumeret. Hæc Tho. 3. *q*.82. *ar*.4. *c*.3.

Circa quartum reſpondeo, de lege communi non debet, niſi unus presbyter, eandem hoſtiam conſecrare; ex cauſa tamen ſpeciali ſuper eandem hoſtiam poſſunt plures presbyteri conſecrationis verba proferre, non tamen quilibet niſi ſemel tantùm. Sicut enim ſupra dictum eſt, presbyter cum ordinatur, in gradu eorum conſtituitur, qui acceperunt in cęna à Domino poteſtatem conſecrandi; & ideò in quibuſdam Eccleſiis, ſicut Apoſtoli communicaverunt Chriſto cænanti, ita ad repræſentandum hoc presbyteri novi ordinati concelebrant Epiſcopo ordinanti. Dicit enim Inno. *de offi. miſ part* 3. *c*. 12. Conſueverunt Presbyteri Cardinales Romanum circumſtare Pontificem, & cum eo pariter celebrare, cumque conſummatum eſt ſacrificium, de manu ejus communionem accipere, ſignificantes Apoſtolos, qui cum Domino diſcumbentes, ſacram de manu ejus Euchariſtiam acceperunt. Et ſicut dicit idem *ibidem*, ſive priùs, ſive poſteriùs, quàm Epiſcopus proferat verba conſecrationis presbyteri noviter ordinati, referri debet eorum intentio ad inſtans prolationis Epiſcopi, cui principaliter celebranti concelebrant, & tunc omnes conficiunt ſimul.

Aliis verò videtur, quòd concelebrantes Epiſcopo, non debent illa verba dicere intentione conſecrandi, ſed tantummodò materialiter recitare, ut ſcilicet repræſentent, quòd quando diſcipuli à Chriſto poteſtatem acceperunt conſecrandi, formam dedit eis conficiendi; ſi enim alii ſacerdotes ab Epiſcopo illa verba proferrent intentione conſecrandi, inconveniens ſemper accidere poſſet, ſi quis diligenter conſideret. Hæc Ric. 4. *diſt*.13. *q*.2. *ar*.1.*c*. tamen hoc non explico, ſed prudenti lectori gratia brevitatis relinquo. Secundùm autem Alber. *lib. de celeb. miſ.* plures presbyteri non debent unam hoſtiam conſecrare, quia ſecundùm Aug. injuria fieret ſacramento; quia autem plures presbyteri aſſiſtunt Papæ, hoc fit propter obſequium, ſed ipſi ſigna non faciunt, nec verba dicunt, nec facere, vel dicere debent. Presbyteri verò de novo ordinati aſſiſtunt Epiſcopo ordinanti propter reverentiam ſacramenti, & propter doctrinam; & ideò ſigna faciunt ad exemplum Epiſcopi, & ut ſint in exercitio officii ſuſcepti, tamen verba conſecrationis non dicunt.

Ad hoc nota, quòd ſecundum convenientiam dierum ſunt celebranda conventualiter ſolemnia miſſarum; quotidie enim dici poſſunt miſſæ defunctorum, dummodo miſſa diei competens non omittatur. *extra. de cele. miſſa. cum creatura*. nam & omnes miſſæ celebrantur pro ſalute vivorum, & mortuorum. *eo. tit. quidam*. undè malè faciunt quidam, qui poſtpoſito officio feriali celebrant miſſam de Sanctis, quorum non ſunt tunc feſta, ut ibidem dicitur; & ſi quando miſſæ peculiares, ideſt ſpeciales, ſive votivæ dicuntur in diebus ſolemnibus à presbyteris, non debent ita ſolemniter celebrari, quod per eas, à miſſarum ſolemniis, quæ canonicè fiunt hora tertia; populus abſtrahatur. *de conſe. diſt*.1. *& hoc attendendum.*

Item in miſſa debent eſſe plures, ad minùs duo, qui reſpondeant presbytero, ut habetur *de conſecra. di*.1. *hoc quoque*. quia ut ibi dicitur, cum pluraliter à ſacerdote dicatur: *Dominus vobiſcum. & orate pro me.* hoc quoque aptiſſimè convenit, ut ejus ſalutationi reſpondeatur; undè etiam ad majorem ſolemnitatem ibidem ſtatutum legitur, quòd Epiſcopus quando celebrat ſolemnioribus feſtis, tunc debent eum circumſtare ſeptem, vel quinque, aut tres dyaconi, qui ejus oculi dicuntur, & ſubdyaconi, & reliqui miniſtri. *de conſecra. diſt*. 1. *Epiſc. & c. ſt.* In miſſis verò privatis ſufficit habere unum miniſtrum, qui gerit perſonam totius populi, in cujus perſona presbytero reſpondet. Sine miniſtro autem ſibi reſpondente, numquam miſſam, nec alia divina officia celebrabit 7. *q*. 1. *illud. & de conſe. di*.2. *& hoc ſtatutum, & c. nemo. & extra. de ſi. pref. proponit in ſi.* Epiſcopus verò ſine dyacono celebrare non poteſt, niſi neceſſitas cogat. *di*.93. *dyaconi inglo.* Item presbyter poteſt in fine miſſæ dare benedictionem ſimplicem, etiam præſente Epiſcopo. *di*.95. *ecce*. cum ſolemnitate verò illa: *Sit nomen Domini benedictum.* vel *Humilitate vos ad benedictionem &c.* non debent dare niſi Epiſcopi; non debent inquam alii, niſi teneant calicem, aut aliquid tale; & ita poſſunt intelligi contraria jura. *diſtinctione* 21. *denique. &* 26. *quæſtione* 6. *miniſtrare.* Vel dic, quòd presbyter dum celebrat præſente Epiſcopo, ſibi debet innuere, ut ipſe velit benedicere, quòd ſi velit, presbyter non benedicet. *di*. 21. *denique*. ſin autem presbyter ſupplet benedictionem prædictam, & ſic loquitur *illud c. preallegatum ecce. di*. 95. *ar. de conſe, di* 1. *cum ad celebrandas.* Nec erit neceſſaria alia licentia Epiſcopi expreſſa; ex hoc enim ſolo, quod permittit eum miſſam celebrare, intelligitur per conſequens omnia, quę ſpectant ad miſſam pertinere. *ar. de offi. de le. præterea*. Hæc Ray. Abbates tamen, qui poſſunt ex privilegio Papæ ſolemniter benedicere, poſſunt in ſuis Eccleſiis, quandò celebrant divina officia poſt miſſam, veſperas, & matutinas ſolemniter populum benedicere. Alii verò Abbates non poſſunt hoc facere, niſi hoc ſit conceſſum expreſsè. *extra. de privil. quoniam.*

Item licèt aliquis ſit boni meriti, non tamen poteſt benedicere, niſi fuerit ordinatus ad exhibendum benedictionis myſterium, Dei autem eſt tribuere benedictionis effectum. 1. *q*. 1. *dictam eſt.* nec debet inferior benedicere ſuperiorem, etiam ſi ad pronunciandum aliquam lectionem petat benedictionem. *diſt*. 21. *deniq.* ubi notavit Jo. quòd alicui Epiſcopo volenti legere

gere lectionem, & dicenti: *Jube domne benedicere*: reſpondetur; *ora pro nobis ſancte pater, ut miſereatur noſtri Deus noſter.* alibi inferior dicit: *Jube domine benedicere.* & ipſemet Epiſcopus benedicit.

Item non licet celebrare ſine igne; primò, propter Eccleſiæ conſtitutionem, ſecundùm quam, ſi quis contrarium faceret, officio, vel beneficio privari deberet. *extra. de cele. miſ. c. ult.* Secundò, propter ipſius ignis ſignificationem; ſignificat enim fervorem dilectionis, propter quem Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit, & pro nobis paſſus fuit. Significat etiam, quòd ſacramentum illud operatur in dignè celebrante, & ſuſcipiente augmentum illuminationis in intellectu, & fervorem charitatis in affectu. Tertiò, propter figurationem; hoc enim præfiguratum fuit per ignem, de quo dicitur *Levit 6. Ignis in altari meo ſemper ardebit* & per ignem, qui vixit ſub aqua annis ſeptuaginta, ut habetur *in glo. decretalis preallegat.*

Item præcipitur ſacerdotibus, quòd frequenter doceant plebem, ut cùm in celebrationem miſſarum elevatur hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinent genibus flexis; idem facient etiam cùm portat presbyter ad infirmum. *extra. de cele. miſ. ſanè.* Cum quali verò ſolemnitate debeat eam ægro deferre, habetur *ibidem.*

Item quandocumque in miſſa recolitur nomen Domini, debent fideles flectere genu cordis, quod ſalutem teſtentur inclinatione capitis, ut patet in conſtitutione Inno. *extra. de emu. Ec. decet.* Item Presbiter viſitans infirmum debet eſſe munitus pluribus hoſtiis ſacratis, ita quod in reditu populus non idolatret orando; Si autem omnes expenderit, faciat ceſſare ſonum campanæ, faciat alind ſignum, quod homines non adorent. *extra. de cele. miſ. ſane.* Expoſitionem, & rationem eorum, quæ dicuntur in miſſa, dimitto gratia brevitatis, & ſi vis invenire, quære in libro de ſacramentis.

ARTICULUS II.

De Celebratione mali Presbyteri.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicet de celebratione Presbyteri mali, circa quod quærantur hæc

I. *Utrum miſſa mali ſacerdotis valeat minùs, quàm boni?*

II. *Utrum Presbyter, qui ſcienter eſt malus, teneatur celebrare?*

Circa primum reſpondeo, in miſſa eſt duo conſiderare, ſcilicet ipſum ſacramentum, quod eſt principale; & orationes, quæ ſunt pro vivis, & mortuis. Quantum ad primum, non minus valet miſſa mali Presbyteri, quàm boni, undè Aug. *li. de corpore Chriſti.* & habetur 1. *q.* 1. *intra. in miniſterio corporis, & ſanguinis Domini nihil à bono magis, nihil à malo minus perficitur ſacerdote.* Oratio autem, quæ fit ibi, ſimpliciter poteſt conſiderari, uno modo in quantum habet efficaciam ex devotione presbyteri orantis, & ſic miſſa melioris ſacerdotis eſt fructuoſior. Alio modo inquantum profertur in perſona totius Eccleſiæ, cujus presbyter eſt miniſter, & quoad hoc eſt fructuoſa non tantum oratio peccatoris ſacerdotis in miſſa, ſed etiam omnes aliæ orationes, quas facit in officiis Eccleſiaſticis, in quibus gerit perſonam Eccleſiæ; orationes autem ejus privatæ non ſunt fructuoſæ, ſecundùm illud *Ecclef.* 28. *Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Undè ſi quis audiat libentiùs miſſam ſacerdotis boni, quà mali, vel devotioris, quàm minus devoti, credo, quod bene faciat, dummodo eum in ſubſtantialibus excedere peccatorem non credat, aliter periculosè erraret. His concordant Bon. 4. *di.* 13. *q.* 1. *ar.* 4. *c.* Pet. 4. *diſt.* 13. *ar.* 2. *q.* 2. Tho. 3. *q.* 82. *ar.* 6. *c.* Rich. 4. *di.* 1. *q.* 1. *art.* 1. *c.* 5. & Sco. 4. *diſ.* 13. *q.* 2. *c.* 3.

Circa ſecundùm, reſpondeo, presbyter peccator, ſi per ſententiam ſit ordinis executione privatus, vel ſimpliciter, vel ad tempus, redditus eſt impotens ad ſacrificium offerendum; & ideò obligatio tollitur: hoc autem cedit ſibi in detrimentum ſpiritualis fructus, magis quàm in augmentum. Si vero non ſit privatus poteſtate celebrandi, non ſolvitur obligatio, non tamen eſt perplexus, quia poteſt de peccato pænitere; & celebrare. Hæc Tho. 4. *diſt.* 9. *ar.* 3. *q.* 1. *c.* 3.

Quid ſi talis presbyter non habeat copiam confeſſoris?

Reſponſio, hujus quæſtionis habetur infra in reſponſione illius queſtionis: Quid de presbytero, cui poſtquam eſt indutus, occurrit &c. *ut infra titulo de defectibus emergentibus in celebratione.*

Quis magis peccat, ſcilicet presbyter malus, qui ſe conficere fingit, & non conficit, vel ille qui conficit?

Reſpondeo, ille qui conficere fingit, & non conficit, falſa enim ſunt abolenda remedia, quæ, ſunt veris graviora periculis. *extra. de cele. miſ. de homine.* quod Tancre. ſic intelligit, & benè ut dicit in Gloſ. quia graviùs peccat presbyter criminoſus, qui ſe celebrare ſimulat, & non celebrat, quàm ſi celebraret; quia in primo caſu in pluribus delinquit, Deum enim offendit, & populum decipit, ut dicit ibi litera; in ſecundo Deum tantum offendit; undè talia remedia nullus debet invenire, quia falſa ſunt, ex eo quod non conficit, & videtur conficere; & ideò graviora ſunt, quàm vera pericula peccatoris, qui conficit.

Quis magis peccat, utrum malus presbyter qui conficit, & non ſumit, quàm ille, qui utrumque facit? Quis etiam magis peccat, vel ille, qui ſumit corpus, & ſanguinem, vel qui ſumit alterum tantùm?

Reſpondeo, graviùs peccat, qui conficit, & non ſumit, quàm qui utrumque facit. Et qui ſumit alterum tantum, quàm qui utrumque; ratio

tio hujus eſt quia irreverentia dupliciter fit ſacramento, uno modo cum miniſter eſt indignus: alio modo cum non ſolum eſt indignus, ſed etiam non ſervat ritum, quem debet, & tunc non tantum non exhibet ſacramento reverentiam, quàm debet, ſed etiam facit contumeliam, quia ſacramentum non perficit, ſed incompletum dimittit; & incurrit etiam inobediantiam, quia contra ſtatutum Eccleſiæ committit, quod ſcilicet eſt, ut qui ſacramentum conficit, ſumat & utrumque, ſcilicet corpus, & ſanguinem ſumat. *de conſe. diſt. 2. relatum.* hæc Bon. 4. *diſt.* 13. *dubi. circa. literam. q.* 2.

Quid de illis, qui ſcienter legunt pro vivis defunctorum miſſam?

Reſpondeo. Tales ſi faciant propter odium privatum graviſſimè peccant, & niſi per legitimam pænitentiam ſe purgaverint, ſi detecti fuerint, indiſtinctè deponi debent; & ad agendam penitentiam tam ipſi presbyteri, quàm qui eos ad hoc incitaverunt, debent exilii perpetui ergaſtulo, ſeu monaſterio relegari. hoc totum habetur 26. *q.* 5. *quicumq. ſacerdotum.*

ARTICULUS III.

De Tempore Celebrationis.

SEquitur videre de tertio, ſcilicet de tempore celebrationis; & circa hoc quæruntur plura, ſcilicet:

I. *Utrum miſſa debeat quotidie celebrari in Eccleſia?*

II. *Utrum debeat tantùm de die celebrari?*

III. *Utrum in ſerò poſſit celebrari?*

IV. *Utrum presbyter poſſit eadem die pluries celebrare?*

Circa primum reſpondeo, In miſſa recolitur paſſio Chriſti, ſecundùm quod ejus effectus ad fideles derivatur, ſed tempore paſſionis recolitur tantum ſecundùm quod in Chriſto capite noſtro fuit perfecta, quod quidem factum eſt ſemel, quotidie verò fructum paſſionis percipiunt fideles; & ideò illa cōmemoratio fit tantum ſemel in anno, hæc autem continuè, & propter fructum, & propter memoriam jugem, excipitur autem dies veneris ſancta, & ſabbatum ſanctum, in quibus non debet miſſa celebrari *de conſe. di.* 3. *ſabbato vero.* illa vero, quæ in ſabbato celebratur non ad ſabbatum, ſed ad noctem Paſchalis feſtivitatis, ut in ejus oratione patet, noſcitur pertinere.

Sed quare in die veneris ſancta non celebratur,

Reſpondeo, veniente veritate ceſſat figura, hoc autem ſacramentum eſt figura quædam, & exemplum Dominicę Paſſionis, ut dictum eſt, & ideò in die, quo paſſio Chriſti prout eſt geſta, recolitur, hujuſmodi ſacramenti minimè conſecratio celebratur.

Quare ſervatur corpus Chriſti conſecratum in die jovis ſancti ſumendum in die veneris ſancti?

Reſpondeo; ne etiam illo die Eccleſia ſit ſine fructu paſſionis, exhibito nobis per hoc ſacramentum.

Quare etiam non reſervatur ſanguis?

Reſpondeo, propter periculum effuſionis.

Quare in natali Domini ter celebratur miſſa?

Reſpondeo, propter triplicem nativitatem repræſentandam, ſcilicet æternam, temporalem, & ſpiritualem, quæ oritur tanquam Lucifer in cordibus noſtris, ut dicitur 2. *Pet.* 1. Similiter propter repræſentandum temporale & corporale; nam ut dicitur *de conſe. diſt.* 1. *nocte ſancta. in glo.* tres miſſę natalis die Domini celebrantur, una ante diem in nocte, quæ ſignificat tempus ante legem, quando eramus in tenebris; ſecunda cum dieſcit, & ſignificat tempus ſub lege, quando nondum plena agnitio habebatur; tertia ſcilicet in die plena, & ſignificat tempus gratiæ, quando jam plena cognitio habetur. Celebrantur etiam tres miſſę prędictis temporibus; ideò quia multi homines trium temporum per Chriſti nativitatem corporalem ſalvantur. Hęc Ric. 4. *di.* 13. *q* 2. *ar* 3. & 4. o.

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic, quia ipſe Chriſtus eſt præſens in hoc ſacramento, qui dicit *Jo.* 9 *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt, venit nox quando nemo poteſt operari, quamdiu ſum in mundo lux ſum mundi.* Debet inquam celebrari in die, ita tamen quod principium diei ſumatur, quando aurora incipit apparere; tunc enim quodammodo ſol dicitur ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet. Specialiter tamen nocte natalis Domini miſſa celebratur, quia nocte Dominus eſt natus. *de conſe. diſt.* 1. *nocte.* Et ſimiliter in ſabbato ſancto ſolebat antiquitùs celebrari circa principium noctis, quia Dominus nocte ſurrexit, ideſt cùm adhuc eſſent tenebræ ante manifeſtum ſolis ortum.

Nota igitur ſecundùm Rod. quòd qui ſcienter ante diem celebrat, cùm ſit contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ, peccat mortaliter, niſi ſuper hoc per Epiſcopum, vel ſuperiorem diſpenſaretur in caſu, ut ſi aliquem, vel aliquos ad mortem contingeret infirmari, nec Euchariſtia poſſet haberi, niſi conficeretur ante diem. Idem dicendum eſt de celebrantibus, matutinis nondum dictis, cùm id etiam ſit contra conſuetudinem generalem, & approbatam; hoc etiam vult Hoſtien. *in ſum.* Qui autem celebrat antequam primam dicat, non peccat mortaliter, niſi ſit contraria conſuetudo, aut faciat contra ſtatutum ſynodale, vel provinciale. Hęc Rod.

Notandum etiam, quòd Hoſtien. dicit *tit. de ſacramentis*, quòd clerici peregrini dicere poſſunt omnes horas ſuas, ſcilicet Primam, Sextam, Nonam, & Veſperas, & poſtea facere iter ſuum, quod etiam de curialibus intelligi poteſt. *ar. ad hoc extra, de celebra. miſ. ca.* 1.

Qua hora diei debet celebrari?

Reſpondeo, in celebratione hujus myſterii atten-

attenditur, & repræſentatur Dominicæ Paſſionis modus, & participatio fructus ejus, & ſecundùm utrumque oportuit determinari tempus congruum, & aptum ad celebrationem hujus ſacramenti; quia enim fructu Dominicę Paſſionis indigemus quotidie propter quotidianos defectus; ideò quotidie hoc ſacramentum regulariter offertur: undè etiam Dominus petere docet Luc. 2. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* quod Auguſt. exponens *lib. de verbis Domini*, ait: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas, quemadmodum Græci in oriente conſueverunt? accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit; ſic vive, quod quotidie merearis accipere.* Quia verò Paſſio Domini celebrata fuit à tertia hora uſque ad nonam; ideò regulariter hoc ſacramentum in illa parte diei ſolemniter celebratur in Eccleſia.

Circa tertium reſpondeo, ſicut dictum eſt. Chriſtus voluit hoc ſacramentum tradere ultimò diſcipulis, ut fortiùs eorum cordibus imprimeretur; & ideò in ſero conſecravit poſt cęnam, & eis tradidit; à nobis autem celebratur hora Paſſionis Dominicæ, ſcilicet in diebus feſtis in tertia, quando fuit crucifixus linguis Judæorum, ut dicitur *Matth.* 15. & quando Spiritus Sanctus deſcendit ſuper diſcipulos. In diebus verò non feſtis, aut feriis, hora ſexta, quando fuit crucifixus manibus militum, ut habetur *Joan.* 19. In diebus autem jejuniorum in nona, quando emiſit Spiritum, ut habetur *Matth* 27. *de conſe. di.* 1. *ſolent.* Poteſt tamen tardari, maximè quando debent ordines tradi, quia pertinet ad Dominicam ſequentem. *diſt.* 75. *ſecundùm quod à Patribus*, & præcipuè in Sabbato Sancto, quia miſſa pertinet ad noctem ſequentem. Poſſunt tamen miſſę celebrari in prima parte diei propter aliquam neceſſitatem. *de conſe. diſt.* 1. *nocte.* undè quod dicitur, quòd ante horam tertiam non eſt celebrandum, niſi in nativitate Domini. *de conſe. diſt.* 1. *nocte.* intelligitur de miſſa conventuali, in qua eſt concurſus populi, quæ debet hora tertia dici.

Attendendum tamen, quòd ſi presbyter ſolus ſit in Eccleſia, non celebret uſque ad horam tertiam, ſed uſque tunc ſervabit jejunium, ut neceſſitatibus peregrinorum, & hoſpitum, ſive diverſorum commeantium infirmorum, atque defunctorum ſuccurrere poſſit. *extra. de cele. miſ. c.* 1. In Eccleſiis autem conventualibus, ſive collegiatis, & ſi miſſa cantetur prima hora diei, ut dictum eſt, nihilominus in tertia cantari ſolemniùs debet, & ſic intelligo *de conſe. di.* 1. *nocte.* ubi dicitur: *Reliquis verò temporibus miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè celebrentur*, ſubaudi, ſolemnes. Hæc Goſ.

Circa quartum, reſpondeo ut habetur *de conſe. di.* 1. Sufficit presbytero in die ſemel celebrare, quia Chriſtus ſemel eſt paſſus, & totum mundum redemit; & valde eſt felix, qui ſemel in die dignè celebrare poteſt; Quidam tamen unam miſſam pro defunctis dicunt, & aliam de die, ſi eſt neceſſe. Qui verò pro pecunia, vel adulationibus ſæcularium una die præſumit pluries celebrare, non eſtimo damnationem evadere. Item *extra. de cele. miſ. conſuluiſti.* dicitur, quod præter Natalem Domini, niſi neceſſitas ſuadeat presbytero ſemel in die ſufficit celebrare. De hoc etiam habetur *ibidem. c. referentes.* Ex prædictis patet, quòd in duobus caſibus licèt uni presbytero pluries eadem die celebrare, unus eſt de die nativitatis Domini; alius eſt pro defunctis, ſi ſit neceſſe, quem caſum intelligo ſecundùm Rod. non tantùm quando funus eſt præſens, ut quidam dixerunt, cùm canon non diſtinguat, utrum præſente funere fieri debeat, aut in anniverſario, aut pro devotione; dum tamen intentio non ſit corrupta, nec contra loci conſuetudinem approbatam, vel contra conſtitutiones ſynodales fiat.

Quidam etiam moti ex verbis dicti canonis, ſcilicet niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, addunt cum Ray. alios quatuor caſus, ſcilicet peregrinorum neceſſitate, vel hoſpitum commeantium, vel infirmorum, vel nuptiarum, ubi tempus laberetur. Supradictis etiam conſonat Bern. in glo. ſuper illud *c. conſuluiſti.* dicens, quòd presbyter poteſt in eadem Eccleſia eadem die celebrare pluries; vel propter neceſſitatem, ut quando celebravit miſſam de die, poſtea moritur aliquis; vel propter honeſtatem, ſeu utilitatem, ut ſi dicta miſſa ſuperveniat aliqua perſona magna, quę velit audire miſſam. *ar. extra. de cele. miſ. c.* 1. & 2. aliàs ſufficit dicere unam, nec prohibetur ex hoc expreſsè, quia dicit pluries celebrare. Hoſti. verò addit dictis caſibus ſeptimùm caſum, ſcilicet quando propter paucitatem Clericorum, vel paupertatem Eccleſiarum, duæ Eccleſiæ uni presbytero commendantur. *ar. extra. de cele. miſ. cum creatura.* & *c. conſuluiſti.* & *de conſe. diſt.* 1. *ſufficit.*

Nota tamen, quòd quando presbyter debet aliam miſſam celebrare, non debet vinum perfuſionis ſumere, ſeu non debet manus vino perfundere in prima, quia illud celebrationem aliam impediret. *extra. eod. tit. ex parte.*

ARTICVLVS IV.

De Vaſis, & loco Celebrationis.

SEquitur videre de quarto, ſcilicet de loco, & vaſis celebrationis, & circa hoc quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum celebrari debeat in vaſis ſacratis?*

II. *Vtrum debeat miſſa dici tantùm in domo?*

III. *Vtrum domus, in qua celebratur debeat eſſe conſecrata, & ſimiliter altare?*

IV. *Vtrum liceat celebrare ſine veſtibus ab Epiſcopo benedictis?*

V. *Vtrum celebrans ſine veſtibus benedi-*

His ad celebrandum deputatis ſit irregularis?

Circa primum reſpondeo, quòd ſic; nam in his, quæ concurrunt ad hoc ſacramentum, duo conſiderantur; unum pertinet ad repræſentationem eorum, quæ circa paſſionem Domini ſunt apta; aliud ad reverentiam hujus ſacramenti, in quo Chriſtus verè continetur; undè etiam conſecrationes his rebus adhibentur, quæ veniunt in uſum hujus ſacramenti; tum propter reverentiam, tum ad repræſentandum ſanctitatis effectum, qui ex Chriſti provenit paſſione, ſecundùm illud *Hebr. ult. ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum &c.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic regulariter, ſecundùm illud 1. *Thi. 3. Scias, quomodo oporteat te converſari in domo, quæ eſt Eccleſia Dei vivi.* extra enim Eccleſiam non eſt locus veri ſacrificii, ut dicit Aug. & quia Eccleſia non erat recludenda ſub finibus Judæorum, ſed in univerſo mundo diffundenda; ideò Chriſti paſſio eſt ſub divo celebrata, ut ſic totus mundus ſe habeat ad Chriſti paſſionem, ut domus; & tamen ut dicitur *de conſe. diſ.* 1. *circa finem. & c. concedimus.* in itinere poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub divo, ſeu tentorio, ſi tabula altaris conſecrata, cæteraque miniſteria ſacra ad iſtud officium pertinentia ibi affuerint, miſſarum ſolemnia celebrare concedimus. Idem intelligitur ſecundùm Ray. de poſitis in exercitu honeſto, vel ſimili; non tamen poteſt celebrari in navi, vel fluminibus, ne ea nutante ſanguinis effuſio, vel corporis indebita commotio fiat.

Circa tertium reſpondeo. Domus, in qua celebratur hoc ſacramentum, nominatur Eccleſia; hoc autem congruè conſecratur, tum ad repræſentandam ſignificationem, qua Eccleſia conſecrata eſt per Chriſti paſſionem; tum etiam ad ſignificandum ſanctificationem, quæ requiritur in his, qui hoc ſacramentum recipere debent; per altare verò ſignificatur Chriſtus, de quo *Hebr. ult. per ipſum offerimus hoſtias laudis Deo.* undè & conſecratio altaris ſignificat ſanctitatem Chriſti; unde *de conſe. diſt.* 1. altaria placuit non tantum unctione chriſmatis, ſed etiam benedictione ſacerdotali ſacrari; & ſic regulariter non licet hoc ſacramentum celebrari, niſi in domibus ſacratis, ut habetur. *de conſe. diſt.* 1. *nullus.* propter quod etiam, quia infideles non ſunt de Eccleſia, ibidem legitur: *Eccleſiam, in qua cadavera mortuorum infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet; ſed ſi apta videtur ad conſecrandum, evulſis indè corporibus, & raſis parietibus, vel tignis ejus loci, reædificetur. Reædificetur*, dicit, non quia fabrica ſit deſtruenda ſecundùm Glo. ſed ſuperficies parietum raſorum in formam priſtinam reſtauretur. Poſtea ſequitur: *Sed ſi hæc priùs conſecrata fuit, miſſas in ea celebrare licet, ſi tamen fideles fuerint, qui in ea ſepulti ſunt.*

Propter neceſſitatem tamen poteſt ſacramentum hoc peragi in domibus non conſecratis; & hoc de conſenſu Epiſcopi, *ut ibidem de conſe. diſtin.* 1. *legitur c. miſſarum.* Caſus neceſſitatis eſt, ſi Eccleſiæ in patria ſint deſtructæ. *de conſe. di.* 1. *concedimus.* Et ſimiliter ſecundum Sco. 4. *di.* 13. *q.* 2 *ar.* 2. ſi quis in via poſitus accedere non poſſit ad aliquam Eccleſiam conſecratam, quod regulariter eſt verum de navigantibus, & cæteris hujuſmodi; non eſt enim veriſimile, quod obſervantia præcepti de ſanctificatione ſabbati, quod Eccleſia eſt interpretata in hoc, quod eſt audire miſſam in die Dominica. *de conſe. diſt.* 1. *miſſas.* Eccleſia voluerit impedire, præcipiendo, quod non celebretur miſſa niſi in domo conſecrata; cum non debeat aliquis retrahi à magis neceſſario, propter minus neceſſarium. Hæc Sco. *ibidem.* Non tamen debet celebrari ſine altari portatili conſecrato, ſive tabula parva conſecrata undè ibidem legitur: *Concedimus ſi Eccleſiæ fuerint combuſtæ, etiam in capellis cum tabula conſecrata miſſam interim celebrari.* Capellæ dicebantur antiquitus tuguria caprarum pellibus tecta; quia enim Chriſti Sanctitas eſt fons totius Eccleſiaſticæ ſanctitatis, ideò in neceſſitate ad peragendum hoc ſacramentum ſufficit altare conſecratum; propter quod etiam Eccleſia nunquam ſine altari conſecratur, tamen ſine Eccleſia quandoque conſecratur altare, cum reliquiis ſanctorum, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, alias non; undè *ibidem* legitur: *placuit ut altaria, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyris conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eiſdem profunt, ſi fieri poteſt, evertantur.*

Intelligendum autem, quod tabula illa parva debet eſſe lapidea, quæ conſecrari non debet niſi capſulam habeat, cui compaginetur. De capſula autem non refert, utrum linea, vel lapidea, vel de alia materia ſolida fuerit.

Sed nunquid celebrans ſuper altare non conſecratum, vel fractum eſt irregularis?

Reſpondeo, quòd non, quia irregularitas eſt de jure poſitivo, hoc autem non eſt in jure poſitum, ſcienter tamen celebrans ſuper altare non conſecratum, graviter peccat, etiam ſi hoc faciat ex ignorantia craſſa, quamvis minus, quàm ſi hoc faceret ſcienter, quia contra ordinationem Eccleſiæ facit. *de conſe di.* 1. *Eccleſiæ. & c. concedimus. & duobus c. ſequentibus.* Super verò enormiter fractum celebrans eſſet irregularis. *extra. de conſe. di.* 1. *Eccleſiæ.*

Ad hoc nota, quòd in oratorio privato alicujus miſſa celebrari non debet, niſi de conſenſu Epiſcopi, & propter neceſſitatem, & ita quod non fiat præjudicium ſaltem enorme Parrochiali Eccleſiæ; qui autem ſine Epiſcopi auctoritate celebraverit, ut dicitur *ibidem.* deponi debet. *de conſe. di.* 2. *unicuique. & c. ſi quis etiam.* Sanctius eſt enim miſſam non canere, vel audire, quàm ubi non oportet canere, vel audire *de conſe. di.* 1. *ſicut.* Prædicatoribus tamen, & Minoribus conceditur, ut ubicumque fuerint, ſine parrochialis juris præjudicio celebrare valeant cum altari viatico. *extra. de privi. in his, quæ*

ad

ad cultum. Nec hoc poſſunt alii, niſi de licentia Epiſcopi.

Item nullus in Eccleſia conſecrata erigat aliquod altare, niſi de licentia Epiſcopi. *de conſ. di.* 1. *nullus.* ſed antequam ſit conſecrata erigere presbytero licet, ſecundùm Jo. *di.* 68. *quamvis.*

Item in altari, in quo miſſam cantavit Epiſcopus, eo die presbyter, niſi de ejus conſenſu, non præſumat aliam celebrare; *de conſe. di.* 2. *c. ult.* vel niſi neceſſitate urgente. 7. *q.* 1. *nihil.* eandem tamen miſſam poteſt perficere, ſi Epiſcopus defecerit, ut dicitur *ibidem.* Fortè verò poteſt rationabiliter dici, quod huic juri derogatum eſt per contrariam conſuetudinem præſcriptam, quę derogat juri ſcripto; in Romana enim Curia ſæpe celebratur à pluribus ante, & poſt in altari, ubi celebrant Epiſcopi Cardinales, ſcientibus ipſis, & Papa, & tamen non contradicunt; & ideò videtur illud approbaſſe.

Item Epiſcopus extraneus in aliena Dyæceſi, poteſt celebrare de licentia Dyæceſani, vel presbyteri parrochialis, dummodò ſine pontiſicalibus celebret, ut dicit Inno. Hoſtien verò *extra. de auctο. c. ulti.* dicit, quòd etiam cum pontificalibus, & ſine licentia poteſt ſolemniter celebrare; & ſic ſervatur generalis conſuetudo.

De quo debet eſſe altare?

Reſpondeo. Ante tempus Silveſtri Papę celebrabatur ſuper altare ligneum, quod citò poterat transferri, quia propter perſecutionem non erat certus locus fidelibus ad manendum; ſed poſtea ſtatuit Eccleſia, ut tantum ſuper altare lapideum celebraretur; undè *de conſe. diſt.* 1. *altaria.* Si non ſint lapidea, chriſmatis unctione non conſecrentur; quod convenit ſignificationi hujus ſacramenti; tum quia altare ſignificat Chriſtum. 1. *Corint.* 10. *Petra autem erat Chriſtus.* tum quia corpus Chriſti in ſepulchro lapideo fuit reconditum; Convenit etiam uſui hujus ſacramenti; lapis enim eſt ſolidus, & de facili inveniri poteſt, quod non erat neceſſarium in lege veteri, ubi fiebat in uno loco altare; quod autem mandabatur altare fieri de terra, vel de lapidibus inſectis fuit ad removendam idolatriam.

De quo debet eſſe calix, & patena?

Reſpondeo, ſicut ibidem loquitur *c. vaſa.* & *c. ut calix.* presbyteri non aureis, ſed ligneis calicibus utebantur. Severinus autem Papa in patenis vitreis miſſas conſtituit celebrari; deinde Urbanus omnia argentea fecit; poſtea ſtatutum eſt, ut calix cum patena, ſive ex auro omninò, ſive ex argento ſiant, vel ſaltem de ſtamno, ſub quo etiam intelligitur plumbum ſecundùm Rod. De ære autem, ſive aurichalco non ſiant, quia vini virtutem inficiunt erugine, pariterque provocant vomitum. Nullus autem in ligno, ſeu vitreo calice pręſumat miſſam cantare, quia ſcilicet lignum eſt poroſum, & ſanguis conſecratus in eo remaneret; vitrum autem eſt fragile, & fractionis periculum immineret; & eadem ratio eſt de lapide; & ideò propter reverentiam ſacramenti ſtatutum eſt, ut ex prędictis materiis calix non fiat.

De quo debent eſſe corporale, & pallæ altaris?

Reſpondeo, ubi poteſt fieri ſine periculo, Eccleſia ſemper ſtatuit circa hoc ſacramentum illud, quod magis repręſentat paſſionem Chriſti; non erat autem tantùm periculum circa corpus Chriſti, quod ponitur in corporali, ſicut circa ſanguinem, qui in calice continetur; & ideò licèt calix non fiat de petra, corporale tamen ſit de lineo panno, quia corpus Chriſti fuit panno lineo involutum; & debet eſſe corporale ab Epiſcopo conſecratum. *de conſe. di.* 1. *omnium conſulto.* Convenit etiam pannus lineus propter ſui munditiam, ad ſignificandum conſcientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo pannus hujuſmodi paratur, ad ſignificandum Chriſti paſſionem.

Circa quartum reſpondeo, quòd non, tum propter Eccleſiæ conſtitutionem: undè *de conſe. di.* 1. *veſtimenta.* dicitur, quòd veſtimenta Eccleſiæ, quibus Domino miniſtratur, ſacrata debent eſſe, & honeſta, quibus in aliis uſibus non eſt utendum, quàm Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis; tum propter veſtimentorum ſignificationem; tum etiam propter eorum pręfigurationem, quæ præceſſit in veſtibus legalium ſacerdotum. In multis tamen locis invaluit conſuetudo, quòd cingulum non benedicatur, rationabiliùs tamen eſſet ipſum benedici; ſpecialem enim habet ſignificationem, ut patebit infra, ſed hoc non concludit neceſſitatem; calceamenta enim ſacerdotis ſpecialem habent ſignificationem, nec tamen ſotulares benedicuntur.

Circa quintum reſpondeo, quòd non, ſive hoc faciat ſcienter, ſive ignoranter, quia hoc non invenitur in jure poſitum; tamen ſcienter, ſive ex ignorantia craſſa celebrans, aut ſine manipulo benedicto, aut ſine ſtola, & ſic de aliis, graviter peccat; ubi tamen conſuetum eſt cingulum non benedici, non credo, quòd peccet celebrans ſine cingulo benedicto. Hæc Ric. 4. *di.* 13. *q.* 3. *ar.* 4. & Sco. 4. *di.* 13. *q.* 2. *ar.* 2.

TITULUS XV.

De Defectibus contingentibus in Miſſa.

Einde conſiderandum eſt de defectibus contingentibus in miſſę celebratione.

Circa quod ſciendum, quòd hujuſmodi defectibus dupliciter occurri poteſt, uno modo præveniendo, ne ſcilicet defectus accidat; alio modo ſubſequendo, ſcilicet ut illud, quod accidit, emendetur, vel adhibendo remedium, vel ſaltem per pęnitentiam ejus, qui negligenter hoc egit.

Et ad majorem evidentiam queruntur hic plura, ſcilicet:

Quid

Quid fiet ſi presbyter impeditus fuerit aliqua infirmitate, vel morte?

Reſpondeo, ſi neſciat ubi primus ſacerdos defierit, tunc debet hoſtia cum reverentia reſervari, quia neſcitur, utrum ſit conſecrata, vel non; & alia accepta hoſtia debet alius ſacerdos myſterium à capite inchoare; ſi autem certum ſit, ubi defierit; aut defiit ante conſecrationem, & tunc non opportet, quòd per alium ſuppleatur; aut poſt conſecrationem: aut ergo poſt conſecrationem corporis, & ſanguinis; & tunc alius presbyter poſſet, ubi ille defecit, incipere miſſam, & perficere; nec oportet à capite incipere, & ſic intelligitur *illud 7. q. 1. nihil.* aut poſt conſecrationem corporis, & ante conſecrationem ſanguinis, & tunc debet alia hoſtia accipi, & totum a capite inchoari, quia conſecratio corporis, & ſanguinis ad unum pertinet ſacramentum, quod ab uno debet perfici; & hoſtia per primum ſacerdotem conſecrata, cum ſub illa verè ſit corpus Chriſti, cùm conſecratio corporis conſecrationem ſanguinis non expectet, debet ſolemniter reſervari, ac per ſecundum ſacerdotem ſumi. Hæc Ric. 4. *diſt.* 8. *q.* 2. *ar.* 2. & ut dicitur 7. *q.* 1. *illud. & c. ſe* ubi temporis, vel loci, vel cleri copia ſuffragetur, quilibet presbyter celebrans debet habere poſt ſe, qui miſſam compleat, ſi eum contingat deficere, & hoc intelligitur de infirmo: Ne tamen, ut dicitur *in dicto c. nihil.* quod naturæ languoris cauſa conſulitur, ſcilicet in præſumptionis perniciem convertatur, nullus abſque patenti proventu moleſtiæ miniſter, vel presbyter cùm cœperit, imperfecta officia præſumumat omninò relinquere; ſi quis autem hoc temerariè præſumpſerit facere, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

Quid de Presbytero, cui poſtquam eſt indutus, occurrit remorſus de aliquo mortali, numquid deſiſtet, aut procedet?

Reſpondeo, aut non tenetur celebrare, & tunc non debet accedere, niſi priùs contritus, & etiam confeſſus; aut tenetur, & tunc, aut habet copiam ſacerdotis, & ſic tenetur priùs conteri, & confiteri; aut non habet, & ſic tenetur ſe præparare per contritionem, & habere propoſitum confitendi; & hoc ſufficit ad hoc, quod non peccet, ſi accedit cum verecundia, & reverentia. Hæc Bon. 4. *di.* 13. *dubi. circa literam. q.* 1. & etiam Bern. *extra. de cele. miſſ. de homine in glo. B. ar. de ſen. excommuni. de cætero. & c. quamvis. & 26. q. 6. qui recedunt.* Si autem non præparet ſe, & cantat, peccat peccato omiſſionis, cùm omittat conteri de alio etiam peccato, ſi eſt occultus; ſi autem eſt manifeſtus, dico, quòd ſcandalizat; ſi autem ab Eccleſia prohibitus, peccat omnibus his modis, & peccato tranſgreſſionis, Hæc Bona. *ubi ſupra.*

Quid faciet presbyter, quando celebrando recoleret ſe comediſſe, vel etiam alicui peccato mortali ſubjacere, vel etiam excommunicatum eſſe, cujus priùs non erat memor?

Reſpondeo, quòd ubi difficultas occurrit ſemper accipiendum eſt illud, quòd minùs habet de periculo, maximè autem circa Eccleſiæ ſacramentum hoc eſt periculoſum, quod eſt contra perfectionem ejus, quia hoc ſacrilegium eſt immane; minùs autem eſt illud, quod pertinet ad qualitatem ſumentis; & ideò ſi presbyter poſt conſecrationem inceptam recordaretur ſe aliquid comediſſe, vel bibiſſe, nihilominùs debet perficere ſacrificium, & ſumere ſacramentum. Similiter ſi recordetur ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pænitere, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, & ſic indignè non celebrat, ſed fructuosè ſumit ſacramentum; & eadem ratio eſt, ſi meminit ſe excommunicatum, debet enim aſſumere propoſitum humiliter abſolutionem petendi, & ſic per inviſibilem Pontificem Chriſtum conſequatur abſolutionem quantum ad peragendum divina myſteria. Si verò ante conſecrationem prædictorum meminit, tutius eſſet maximè in caſu comeſtionis, & excommunicationis miſſam inceptam deſerere, niſi ſcandalum grave timeret. Hæc Tho 3. *q.* 83. *ar,* 6. *caſu* 2. Alii verò diſtingunt de eo, qui meminit ante conſecrationem, quia aut habet copiam ſacerdotis, & ſic debet confiteri; aut non habet, & ſic dixerunt aliqui, quòd ſi populus adſit, contritio cum propoſito confitendi ſufficit, quia ſcandalizaret populum, ſi dimitteret; ſi autem non timeret ſcandalum, conſulunt, quod dimittat, maximè cùm nihil cogat; Credendum tamen eſt, quòd ſine peccato quod inchoatum eſt, poteſt perficere, ſi habet propoſitum confitendi, & cum contritione totum ſuppletur, nec videtur eſſe contemptus, Hęc Bon. 4. *diſt.* 13. *dubi. circa literam. q.* 1.

Quid faciet ille, cui accidit in miſſa remorſus de irregularitate; tunc enim non eſt remedium contritionis, nec etiam confeſſionis? Ad hoc reſpondent aliqui, quod cum irregularis ſit prohibitus hoc ſacramentum conficere, & irregularitas ſolùm deleatur per diſpenſationem, quantumcumque adſit & populus, & ſcandalum timeatur, cùm non ſit faciendum contra veritatem vitæ, & contra præceptum, propter ſcandalum tenetur, aut deponere conſcientiam irregularitatis, aut dimittere miſſam; hoc autem dico ante conſecrationem, maximè ante inchoationem canonis. Alii verò dicunt, quòd prohibitio propter irregularitatem non extendit ſe ad eum, maximè cùm acceſſit ſine conſcientia irregularitatis; undè propter reverentiam ſacramenti, & ſcandalum populi dicunt, quòd ſi dolet, & libenter faceret, quod in ſe eſſet, à Domino eſſe diſpenſatum pro tunc. Hæc Bon. *ubi ſupra.*

Quid de illo, qui incipit in miſſa conſcientiam habere, quòd non ſit presbyter?

Reſpondeo, quòd aut debet dimittere miſſam ante conſecrationem, aut conſcientiam deponere, aut fingere infirmitatem; ideò ſanum conſilium eſt, quod homo ante diligenter ſe præparet, & in miſſa non cogitet de ſe, ſed magis

gis de ſacramento. Hæc Bon. *ubi ſupra.*

Quid faciet Presbyter, ſi poſt conſecrationem, muſca, vel aranea, vel aliud animal venenoſum cadat, vel cognoſcat immiſſum eſſe venenum calici, cauſa occidendi eum?

Reſpondeo, ſi aliquid tale ante conſecrationem acciderit, tunc debet effundi, & ablutò calice, denuò aliud conſecrandum ponit; ſi verò poſt conſecrationem, debet cautè animal capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in ſacrarium mitti. De veneno autem dicendum, quòd nullo modo ſumere debet, nec alicui dare, ne calix vitæ vertatur in mortem, ſed debet diligenter ſervari in vaſculo aliquo ad hoc apto cum reliquiis aliis; & ne ſacramentum remaneat imperfectum, debet in calice aliud vinum ponere, & denuò conſecrationem ſanguinis reſumere, & ſacramentum perficere. Hæc Tho. 3. *q* 83. *ar.6. caſu* 3. Et quod nihil abominabile debeat fieri hujus ſacramenti occaſione, eſt. *ar. de conſe. di.2. ſi per negligentiam in tex. & glo.*

Quid debet facere ſacerdos, ſi poſtquam incepit canonem miſſæ, perpendat eſſe materiam indebitam miniſtratam?

Reſpondeo, ſi perpendat hoſtiam eſſe indebitam; aut perpendit ante conſecrationem, & tunc debet accipere hoſtiam debitam, & canonem à capite inchoare; aut poſt conſecrationem, & ante vini conſecrationem, & tunc debet accipere aliam, & incipere canonem à capite, & illam conſecrare, & alia hoſtia debet reverenter reſervari, aut à clericis, aut à ſacerdote ſumi poſt corporis, & ſanguinis ſumptionem, non ante, quia poſt ejus ſumptionem non eſſet jejunus; ſi autem perpendat poſt illius hoſtiæ ſumptionem, & ſanguinis, non debet illa die aliam hoſtiam conſecrare, quia jejunus non eſſet, ut dicitur *de conſe. di.2. relatum.* ſed debet de ſua negligentia pœnitere, & confiteri; Si autem perpendit hoc poſt ſumptionem hoſtiæ, tamen ante ſumptionem ſanguinis, videtur aliquibus, quod non debeat ſanguinem ſumere, quia jejunus non eſſet, ſed ſanguis reſervari debet, aut alicui jejuno dari. Aliis autem videtur contrarium, quia quando eſt caſus neceſſitatis, non jejunus poteſt communicare. Si autem perpendat in calice non eſſe miniſtratam debitam materiam; aut hoc perpendit ante conſecrationem panis, aut poſt ante prolationem verborum, quibus conſecrandum eſt vinum; aut poſt prolationem eorum, ante tamen corporis ſumptionem; aut poſt omnia prædicta, ſcilicet verba conſecrationis ſanguinis, & ſumptionem corporis. Primo modo debet miniſtrare materiam debitam, & incipere canonem à capite; ſi autem non poſſet habere materiam debitam, non debet ulterius procedere, quia ut dicitur *de conſe. di.2. comperimus.* aut integra ſacramenta percipiant, ſcilicet conficientes, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius, & ejuſdem miſterii ſine grandi ſacrilegio provenire non poteſt. Secundo modo debet materiam debitam accipere, ſi poteſt habere, alia ſublata; ſed non credo, quòd debeat canonem à capite incipere, quia jam conſecratio panis præceſſit, ſed debet reincipere à verbo immediatè ſequenti panis conſecrationem. Si autem haberi non poteſt materia debita, non propter hoc debet omittere corporis ſumptionem, contritus tamen cum propoſito confitendi de ſua negligentia. Tertio modo debet accipere materiam debitam, alia reverenter in aliquo vaſe repoſita, & reincipere ab iſto loco. *Simili modo poſtea quam cænatum eſt.* & peragere myſteria uſque in finem; & tutum eſt, quòd poſt ſumptionem corporis, & ſanguinis, aliam materiam ſumat, antequam accipiat vinum, quod accipitur poſt ſanguinis ſumptionem. Hæc Ric.4. *di.2. q.2. ar.6.* o.

Secundùm verò Tho. 3. *q.*84. *ar.6. caſu* 4. debet apponere aliam hoſtiam iterum conſecrandam cum ſanguine; & hoc ideò, quia ſi diceret ſola verba conſecrationis ſanguinis, non ſervaretur debitus ordo conſecrandi, & ſicut dicitur 7. *q.*1. *nihil.* perfecta non poſſunt videri ſacrificia, niſi perfecto ordine compleantur; ſi verò inciperet conſecratione ſanguinis, & omnia verba conſecrationis repeteret, non competerent omnia veba, niſi hoſtia conſecrata adeſſet, cum verbis illis occurrant quædam dicenda, & facienda non tantùm circa ſanguinem, ſed etiam circa corpus, & oportet in fine ſumere hoſtiam conſecratam iterum in ſanguine, non obſtante ſi etiam priùs ſumpſerit aquam, quę erat in calice, quia præceptum de perfectione ſacramenti eſt majoris ponderis, quàm præceptum quod ſumatur à jejunis. Hæc Tho. 4. *diſt.*8. *q.* 3. *c.* & cum eo etiam convenit Sco. quoad ultimum *ibidem:* Secundùm Innocen. verò, ſi presbyter poſt ſumptionem corporis deprehenderit tantùm aquam eſſe in calice, vinum infundat, & totam conſecrationem ſanguinis repetat; & ſi ſcandalum de mora timeat, tantùm conſecrationis verba dicat, ſcilicet *ſimili modo &c.* ſed ſi aquam habuerit in ore, non debet eam emittere, quia propter particulam corporis, quę fuit in aqua poſita, eſt cuſtodienda, ne viliter tractetur; quod ſi aquam deglutiat, tunc conficere non debet, quia non eſt jejunus. Hæc. Inno.

Quid ſi poſt verba conſecrationis ſanguinis perpendat, quod aqua deſit?

Reſpondeo, nihilominus procedere debet, quia appoſitio aquæ non eſt de neceſſitate ſacramenti, ut dictum eſt ſupra; tamen puniri debet ille ex cujus negligentia hoc contingit; nullo autem modo debet aqua apponi vino jam conſecrato, quia ſequeretur indè pro aliqua parte corruptio ſacramenti, ut dictum eſt.

Quid ſi presbyter non recolat ſe dixiſſe verba conſecrationis, vel etiam alia verba, quæ dicuntur ibi?

Reſpondeo, non debet de hoc mente turbari, non enim qui multa dicit, recolit omnia, quæ dixit, niſi fortè in dicendo apprehenderit aliquid

aliquid ſub ratione jam dicti; ſic enim fit aliquid memoriale in quantum ſumitur ſub ratione præteriti, ut dicitur *in libro de memoria.* Si tamen presbytero probabiliter conſtet omiſiſſe aliqua, ſi quidem non ſunt de neceſſitate ſacramenti, non eſtimo, quòd propter hoc debeat reſumere immutando ordinem ſacrificii, ſed debet ulterius procedere; ſi verò certificetur ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſcilicet formam conſecrationis, idem videtur faciendum, ſicut dictum eſt in defectu materiæ, ut ſcilicet reſumatur à forma conſecrationis, & cuncta per ordinem recitentur, ne ſacrificii ordo mutetur. Hęc Tho. 3. *q.* 83. *ar.* 6. *caſu* 4 & 5.

Quid ſi propter frigus, quod presbyter patitur in manibus, vel ex negligentia hoſtia dilabitur in calicem?

Reſpondeo ſecundùm Tho. *ubi ſupra. caſu* 6, quod non eſt neceſſe propter hoc aliquid circa celebrationem hujuſmodi ſacramenti iterari.

Quid ſi vinum in calice congeletur?

Reſpondeo, ſi presbyter deprehenderit ipſum eſſe congelatum antè conſecrationem, reſolvat illud antequam conſecret, ut habeat actualem rationem potus, ſi tamen non reſolvat, adhuc conficit, quia vinum congelatum à non congelato differt tantùm qualitate accidentali.

Quid ſi per negligentiam presbyteri ſanguis effundatur, vel ſacramentum ſumptum evomatur, aut etiam hoſtię conſecratæ tamdiù ſerventur, quod putreſcant; vel etiam ſi à muribus rodantur, vel qualitercumque perdantur?

Reſpondeo, ſicut legitur *de conſe. diſt.* 2. *ex decreto Pii Papæ. præalleg ſi per negligentiam.* dicitur: *ſi per negligentiam ſtillaverit de ſanguine in tabula, radetur, ſi verò non fuerit tabula, terra radetur, & igni comburetur, & cinis infra altare condetur, & presbyter quadraginta dies pœniteat.* Hoc decretum intellige ſecundùm Rod. cùm non dicat quadraginta dies pęniteat in pane & aqua, ſufficit jejunare in cibo commune, vel etiam ſicut ſolet ſexta feria jejunari. Sequitur poſtea de dicto decreto: *ſi ſuper altare*, ſcilicet non interpoſita palla, *ſtillaverit calix, miniſter*, ideſt presbyter, *ſorbeat ſtillam, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris primum, & ad aliud ſtilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat; ſi uſque ad tertium, novem diebus pœniteat; ſi uſque ad tabulam, viginti diebus, & lintheamina quæ tetigit ſtilla, ter miniſter lavet calice ſubtus poſito, & aqua ablutionis ſumatur, & juxta altare recondatur.*

Nota ex hoc, quod ſecundùm Joan. ſi quid turpe ceciderit in calice, non teneor ſumere, poſſet etiam ſumi in potum, niſi propter abominationem dimitteretur. Illi etiam, qui ſuper his habent aliquod præceptum ſynodale, formam eis traditam ſequi debent, ut dicitur *ibidem.*

Sequitur *ibidem de pœnitentia Bedæ presbyteri. Si quis propter voracitatem, vel ebrietatem Euchariſtiam evomuerit, quadraginta diebus pœniteat, ſi laicus eſt; clerici autem, vel monachi, diaconi, vel presbyteri, ſeptuaginta diebus, Epiſcopi nonaginta; ſi autem infirmitatis cauſa evomuerit ſeptem diebus pœniteat.* Debet etiam in hoc caſu ultimo, ſicut in caſu ſupradicto ſumi vomitus ille, & diligenter cremari, & cineres juxta altare recondi; & dicit gloſa ſuper cap. *ſi quis de conſe. diſt.* 2. quod pro caſu infirmitatis pœnitentia imponitur ad cautelam, ut 34. *q.* 2. *in lectum.* & quia ſumere non debuit, cùm infirmus eſſet; ideò in culpa fuit.

Sequitur etiam *ibidem* ex concilio Aurelianenſi: *Qui non cuſtodierit benè ſacramentum, & mus, vel aliquod aliud animal illud in Eccleſia comederit, decem diebus pœniteat; qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars ejus ceciderit, & non inventa fuerit, triginta diebus pœniteat*, & ſecundùm Tho. 3. *q.* 83. *art.* 6. *caſu* 7. Hac pęnitentia videtur dignus presbyter, per cujus negligentiam hoſtiæ conſecratæ putreſiunt.

Ad hoc nota, quòd in prædictis pœnitentiis debet jejunare, & à communione ceſſare presbyter; penſatis tamen conditionibus negocii, & perſonæ poteſt minui, & addi ſecundùm Jo. Obſervandum autem eſt, quòd ubicumque inveniuntur integrę hoſtię, vel ſpecies, ſunt reverenter ſervandæ, quia manentibus ſpeciebus, manet ibi corpus Chriſti, ut dictum eſt; ea verò, in quibus inveniuntur, ſi commodè fieri poteſt, ſunt comburenda, cinere in ſacrario recondito, ut ſupra dictum eſt de raſura tabulæ. Hæc Tho. *ibidem.*

Item ſtatuit Eccleſia, ut in cunctis Eccleſiis chriſma, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nepharia exercenda. Si verò is, ad quem ſpectat iſta cuſtodia, ea incautè reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur; & ſi per ejus incuriam aliquid nepharium contigerit, graviori ſubjaceat ultioni: *extra. de cuſto. Eucha. ſtatuimus.* Item diſtrictè præcipitur, quòd à presbyteris Euchariſtia in loco ſingulari mundo, & ſignato ſemper honorificè collocata devotè, ac fideliter conſervetur. *extra. de cele. miſ. ſanè.*

TITU-

TITULUS XVI.

De Auditione Miſſæ.

POſtea conſiderandum eſt de auditione miſſarum, & circa hanc quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum ſæculares teneantur in die dominica miſſam audire?*

II. *Vtrum poſſit miſſa malorum presbyterorum audiri?*

III. *Vtrum aliquis à miſſis, & aliis officiis presbyterorum peccatorum, qui adhuc ab Eccleſia tolerantur, abſtinere licitè poſſit?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic, præcipitur enim ſæcularibus, & multò fortiùs clericis, quod in die dominico totas miſſas audiant, ita quod ante benedictionem presbyteri non recedant, ſupple ſecundùm Jo., niſi neceſſitas cogat, quòd ſi fecerint ab Epiſcopo publicè confundantur. *de conſe. di.1. miſſas.* Qui verò uſque in finem non perſeveraverit, ſupple ex conſuetudine, vel ſuperſtitione, ut dicit glo., vel qui recedit, quando presbyter in Eccleſia verbum Dei proponit, ſupple ſecundùm glo. eum quaſi minus literatum contemnens, excommunicetur. *di.1. omnes fideles. & c. ſeq. & 38. di. ſedulò.* Qui etiam die ſolemni prætermiſſo Eccleſiæ conventu ad ſpectaculum vadit, excommunicetur. *ibidem. qui die.* Clericis verò diſtrictè præcipitur in virtute obedientiæ, ut divinum officium, nocturnum, pariterque diurnum quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent, pariter & devotè. *extra. de celeb. miſ. dolentes. §. ſunt & alii.*

Si verò quæratur utrum ſæculares, qui non audiunt miſſam in Dominica, mortaliter peccent: Dicendum eſt, quòd non audire miſſam in die dominica, Sæculari aliquando poteſt eſſe peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando nullum peccatum. Tunc enim eſt peccatum mortale, quando omittit hoc ex contemptu vero, vel interpretativo. Voco autem contemptum interpretativum, quando ſine cauſa legitima miſſam non audire in diebus dominicis aſſueſcit, putà, ut ad ſpectacula iret, non audire miſſam aſſueſceret. Cauſam legitimam voco, quando detinetur corporali infirmitate, vel inimicorum timore, vel aliquo alio ſimili, quod ſecundùm rectum judicium excuſatio legitima debet reputari, & talis ab Epiſcopo debet confundi, ut dicitur *de conſe. diſt.1. miſſas.* Quod autem talis mortaliter peccet, probatur per hoc, quod talis excommunicari debet, ut *de conſe. diſt.1. qui die.* Excommunicatio enim non debet fieri, niſi pro peccato mortali. Tunc autem eſt ei peccatum veniale, cùm hoc omittit non ex aliqua cauſa legitima; ſed ex aliqua mentis infirmitate, ſicut ex aliqua paſſione, vel ex aliqua pigritia; ſi tamen ad hoc non fuit aſſuetus. Tunc autem eſt ei nullum peccatum, cùm hoc omittit ex aliqua cauſa legitima; undè glo. *ſuper illud c. miſſas.* dicit ſic: *hoc dico præceptum eſſe.* Undè contra præceptum faciunt, qui diebus dominicis non audiunt, niſi aliqua neceſſitas cogat.

Sed objicitur, quòd conſuetudo eſt in contrarium, quia multi ſæculares in Dominica miſſam non audiunt, nec tamen ab Epiſcopo confunduntur.

Reſpondeo, quòd conſuetudo, quæ eſt ad irreverentiam Dei, quantò eſt diuturnior, tantò eſt deteſtabilior, & tantò magis debent eas ſuperiores conari citiùs extirpare; undè talis conſuetudo non excuſat ſequentes eam à peccato mortali. Hæc Ric. *quolibet 1. q.19.*

Item *de conſe. diſt.1. Epiſcopus.* dicitur; *Nullus Epiſcopus prohibeat intrare Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad miſſam cathecumenorum*, ideſt uſque ad conſecrationem.

Sed contra *diſt.25. c. perlectis.* circa principium, ubi dicitur, quòd hoſtiarius debet infideles ejicere. & 24. *q.3. clericus.* & 1. *q.1. non liceat.* Ad quod dicunt quidam, quòd illud c. *Epiſcopus.* non tenetur. Vel dicendum, quòd ibi audire verbum Dei ponitur pro eo, quod eſt audire prędicationem verbi Dei; poteſt enim Prælatus in Eccleſia convocare excommunicatos ad audiendum prædicationem, qua finita ſtatim exire debent. *extra. de ſenten. excom. reſponſo.* Hæc Hoſtien.

Quam miſſam debet quis audire?

Reſpondeo, miſſam diei, undè propter miſſam peculiarem de aliquo ſancto, vel de mortuis, non debet quis dimittere, quin audiat miſſam de die. *extra. de cele. miſ. quidam* Hoc autem quidam intelligunt, quando dies propriam habet miſſam, & de illis qui quotidie tenentur audire miſſam; & ſic intelligit Rod. undè prohibitum eſt *in dicto c.* quidam audire miſſas peculiares; non quia malum ſit tales miſſas audire, ſed quia malum eſt propter illas, miſſas canonicè inſtitutas dimittere, & etiam, quia malum eſt credere, quòd iſtæ ſint meliores, quàm illæ; aliàs ſi fiat ex reverentia, licitè audiuntur. Hec habentur *in gloſ. ſuper dicto cap. quidam.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic; aliquorum, & aliquorum non; illi quorum miſſa licitè audiri non poteſt, ſunt illi, à quibus alia ſacramenta licitè non poſſunt recipi, ſcilicet qui ſciunt eos eſſe tales, quales ſunt Hæretici, Schiſmatici, excommunicati, interdicti, ab officio ſuſpenſi, depoſiti, ſive degradati, irregulares; & hoc dico, ſive tales ſint occulti, ſive manifeſti; omnes enim tales ſunt per ſententiam Eccleſię executione privati. *diſt.32. §. verum. & §. porrò. extra. de cle. excom. mi. ſi quis Epiſcop. & c. ſi quis presbyter. & c. clerici autem.* Similiter ſymoniaci quamdiù ab Eccleſia tolerantur. *extra. de ſymo. tanta.* Similiter fornicatores notorii, ſecùs eſt, ſi ſint occulti. *di.32. nullus.* Licèt enim fornicatio non ſit gravior cæteris peccatis, ad eam tamen homines ſunt proniores

propter

propter contumaciam carnis; & ideò Eccleſia prohibuit ſpecialiter, ne quis audiat miſſam concubinarii notorii; in aliis verò criminibus expectanda eſt ſententia Eccleſiæ; etiam ſi ſint notoria. 15. *q. ulti.* Omnium igitur presbyterorum ſupradictorum miſſæ licitè non poſſunt audiri, quia ſunt ſuſpenſi quoad ſe ex ſententia Dei, & quoad alios ex ſententia Eccleſiæ; & ideò peccant quicumque miſſam eorum audiunt, vel ab eis ſacramenta ſuſcipiunt, quia contra ſtatutum Eccleſiæ committunt.

Sciendum tamen, quòd baptiſmus in articulo neceſſitatis licitè dari, & recipi poteſt ab omnibus ſupradictis, ut etiam habitum eſt ſupra. Videtur etiam, quòd Euchariſtia licitè recipi poſſet in articulo mortis à ſymoniaco, & etiam à fornicatore notorio, non tamen ab aliis ſupradictis. *diſt.* 33. §. *porrò.* & ſic ſecundùm hoc ſymoniaco, & fornicatori notorio licèt Euchariſtiam tangere in hoc caſu, non tamen conficere. Hæc Jo. & Hoſt. *extra, de hæreticis. fraternitatis.* & Ber. *extra. de coba. cle. & mul. c. ult. & de præſcripto. cùm non liceat.* undè verſus:

Symon, ſuſpenſus, anathema, depoſituſque.
Non celebrant hæreſis, ſchiſmaticuſque mæchus.
Quandoque lavant Symon, mæchus abluet, atque cibabit.

Omnium verò aliorum presbyterorum malorum, ſive ſint peccatores occulti, ſive manifeſti, qui non ſunt per ſententiam Eccleſię executione conſecrandi privati, miſſæ licitè poſſunt audiri uſque ad Eccleſiæ ſententiam, & ab eis licitè ſacramenta recipi, quia licèt quoad ſe ſint ſuſpenſi ex ſententia Dei, non tamen quoad alios ex ſententia Eccleſię *extra. de coba. cle. & mul. veſtra. & c. quæſitum.*

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, ſi bono zelo hoc faciat, ſcilicet, ut per hoc presbyter confuſus à peccando ſibi caveat, & pęniteat; non licet autem abſtinere ex contemptu. quia ſi ipſe presbyter in fornicatione jaceat, ejus miniſteria non ſunt contemnenda, quamdiù ab Eccleſia toleratur. *extra de coba. cle. & mul. veſtra. ubi ad hoc in tex. & gloſ.*

Pone, quòd presbyter concubinam teneat in domo, & parrochiani videant eum indutum ad miſſam dicendam, quid facient? Si enim audiant miſſam ejus, faciunt contra conſcientiam, quæ dictat eis contrarium, & etiam contra prohibitionem Nicolai, & Alex. *diſt.* 32. *nullus.* ubi dicitur: *nullus audiat miſſam presbyteri, quem ſcit concubinam in domo habere.* Si autem non audiant, remanet ſibi ſcrupulus in conſcientia, quæ præcipit, quod percipiatur communio à ſacerdote quamvis polluto, uſquequò Epiſcoporum judicio reprobetur. 15. *q. ulti.*

Reſpondeo. Ad majorem evidentiam hujus quæſtionis, primò de notorio eſt dicendum, deinde ad quæſitum reſpondendum. Circa primum ſciendum, quòd differentia eſt inter famam manifeſtum, notorium, rumorem, omninò occultum, & penè occultum. Fama enim ſecundùm Hoſtien. duplex eſt, una quæ habetur de homine, & ſic deſcribitur: fama eſt illeſæ dignitatis ſtatus vita, & moribus probatus. *ff. de va. & extraor. cogni. cogitationum.* §. *exercitio.* & qui talem famam negligit, eſt crudelis. 12. *q.* 1. *nolo.* & convenit iſta deſcriptio tantùm famæ bonæ, undè per oppoſitum poteſt deſcribi mala fama, undè infamia eſt leſę dignitatis ſtatus, vita, & moribus reprobatus. Alia eſt fama, quæ habetur inter homines, & hæc ſic deſcribitur ſecundùm Hoſtien. Fama eſt publica, ſive famoſa inſinuatio, ſive proclamatio, & communis ex ſola ſuſpicione, & incerto auctore proveniens; & hæc deſcriptio convenit communiter bonæ famæ, & malæ; ſed hoc ſecundùm Ber. *extra. de coba. cle. & mul. veſtra* & Guil. Dur. *in ſpe.* non procedit, quia ſecundùm eos fama quandoque procedit ex ſcientia, quandoque ex ſuſpicione, ut dicit Guil. *ibidem. de conſe. di.* 4 *ſanctum eſt.* Poteſt autem deſcribi fama prout ſe habet communiter ad famam bonam, & malam ſecundùm Guil. *ibidem* hoc modo: fama eſt vehemens vulgi, ſive majoris partis ejus opinio rei, de qua quæritur conſentiens. *ar.* 2. *q.* 5. *presbyter. ſi.* Hæc autem ſcilicet fama per ſe non probat; undè dicitur fama volat; ideò non eſt de facili credendum. 15. *q.* 7. *ſi quid de quocumque* dictum enim unius facilè ſequitur multitudo, *extra. de purga. ca. cùm in juventute.* §. 1. & vanæ voces populi non ſunt audiendę. *C. de pœnis l. decurionum.* Si tamen fama concurrat cum uno teſte benè probat, ſicut notat Guil. *in ſpe. ar. extra. de proba. ſicut & C. de re. cred. in bone.* & videtur, quòd magis valet, quàm unus teſtis, ut *extra. de conſan. & affi. ſuper eo.* & ubi judex de fama dubitat, à vicinis ubi converſatus eſt reus, inquirat. *extra. de ejectio. poſtquam.* & ad hoc ſufficiunt duo teſtes. *extra. de accu. inquiſitionis.* §. *fi.* Licèt autem fama per ſe non probet, ſecundùm tamen quod notat Hoſt. inducit purgationem, ſi vicinis frequens ſit, & ſcandalum inducat. *extra. de coba. cle. & mul. tua. in fi.* impedit etiam matrimonium contrahendum, ne deteriùs indè contingat. *extra. de conſang. & affi. ſuper. eo.* & fortè probationem inducit, ubi non paratur aliis præjudicium, *extra. de cle. per ſal. promo. c.* 1. fama etiam conſentiens, ſcilicet cum aſſertione partis, probat, ut aliquando eſt in aliquibus. *ar. extra. de te. perſona.* & 4. *q.* 3. *ubi.* Item ſæpè probat ab eo, quod etiam aliquando propter talem famam, divortium celebretur. 35. *q.* 6. *ſi duo.* quęlibet etiam fama præſumptionem inducit *ff. de quæſt. l. de minore. in fine.* Guil. autem *in ſpe.* notat, quòd dicendum eſt ſecundùm Martinum de Fano. famam probare, & ei ſtare, donec contrarium probetur; Super eo autem, quod dicitur in prædicto verſu. Item ſæpè velati fama conſentiens &c. diſtinguit, ſuper quo conſentiat hoc modo,

modo, ſcilicet quod ſi peto à te hereditatem Petri, & tu affirmas eum vivere, ſola fama probat, quod ſit mortuus, & aufert tibi exceptionem; ſi autem dico te aliquid mihi vendidiſſe, vel hominem occidiſſe, & hujuſmodi, non ſufficit mihi famam probare; & ratio eſt, quia primum, ſcilicet mors neceſſariò quandoque contingit; ſecundùm verò fortè non, & ſic cum aliis probat. Quod autem *ff. de teſti. l.* 3. §. *verba.* notatur, quòd fama inducit ſemiplenam probationem, dicit hoc debere intelligi in civilibus, quia ſecùs eſt in criminalibus. *C. de proba l. ſi* & 2. *q.*8. *ſciant.* manifeſtum eſt publica, ſive famoſa inſinuatio, ſive proclamatio, & communis ex certa ſcientia, & certis auctoribus, paucis tamen proveniens; undè dicitur, quod eſt manifeſtum, probari debet, & poteſt, antequam aliquis condemnetur. *extra. de conſang* & *aff. ſuper eo.* quod audiri poteſt, etiam ſi manifeſtum judici, & certum ſit 2. *q.*3. *Deus omnipotens.* & tale manifeſtum dicitur publicum ex fama, quia eſt fama, & quia eſt famoſum, & certum. *extra. de coba. cle.* & *mul. tua.* §. *ſi verò publicum ſit.* Fama ergo ex ſola ſuſpicione oritur, manifeſtum ex opinione communi, & ſcientia paucorum.

Sed in quo differunt communis opinio à fama?

Reſpondet Guil. *in ſpe.* quod communis opinio facit jus, & probat, & ſumitur pro veritate, ut *C. de teſti. l.*1. & *ff. d. of. p. barbar.* & 3. *q.*7. §. *tria.* Sed fama non facit jus, ei tantùm ſtatur, donec contrarium habetur, ut habitum eſt ſupra; tamen communis opinio vicinorum non probat, ut *in prædicta l. barbar.*, ſed bonorum. Sic enim *C. de epi. audi. an. præſides.* Notorium aliud eſt juris, aliud eſt facti; notorium juris, eſt de quo aliquis canonicè per ſententiam eſt condemnatus, vel in jure ſpontè confeſſus; licèt enim quis falsò confiteatur, vel iniquè condemnetur; tamen per condemnationem, vel per ſententiam illam factum illud habetur de jure pro notorio, donec contrarium oſtendatur. *extra. de tem. or. c. ſi.* & *de re judi. ſicut.* & hoc eſt verum de confeſſo, dummodò perſeveret in confeſſione, aliter non. *ff. de quæſt. l.* 1. §. *quæſtioni.* Notorium facti eſt, cujus teſtis eſt populus, & diſſimulationi, & inficiationi non eſt locus, ut cùm exhibet ſe conſpectui hominum; ita quod nulla poteſt tergiverſatione celari. *extra. de coba. cle.* & *mul. veſtra.* & *c. tua.* & *c. quæſitum.* & intelligitur populus eſſe teſtis, ſive crimen notum ſuper omnibus, qui ſunt in loco illo, ſcilicet in villa, vel parrochia, ſive majori parti, ſecundùm Inno. 2. *q.*1. *ſcel.* & *c. manifeſta.* & *c. de manifeſta.* Si etiam villa, vel parrochia non haberet, niſi decem parrochianos, ſufficeret crimen eſſe notum illis decem, ſcilicet ut ſic diceretur notorium ſecundùm Jo. quia decem homines faciunt populum, ſive parrochiam. 10. *q.* 3. *unio.* & teſtimonium unius parrochiæ facit crimen eſſe notorium, ut *extra. de pur. ca. cùm dilectus.* Si autem parrochia habeat multos parrochianos, etiam mille, & tantùm ex eis decem ſcandalizentur, qui ſint graves, & honeſtæ perſonæ: de fornicario ſacerdote fieri poteſt ſecundùm Rod. interpretatio, quod populus ſcandalizetur, maximè cùm decem homines faciant populum, ut dictum eſt, ſicut duo congregationem. *extra. de elec. c.*1. & tres collegium, & duodecim, vel viginti turbam, & quatuor porci, vel decem oves gregem. *ff. de ver. ſig. l. æeratius.* non tamen dici poteſt, ut notat Guil. *in ſpe.* notorium aliquid in vico, vel villa, ubi tantùm duo, vel tres, vel quinque habitant, quia ſecretum dicitur, quòd ſit coram quinque. *de pæniten. di.*1. §. *hæc ergo ſecreta. ver. non ſunt hæc.* Quidam etiam diſtingunt, & fortè non malè, ut dicit idem, quod relinquitur arbitrio judicis, quot homines faciunt notorium, cùm in jure non ſit expreſſum. *ar. extra. de offi. deleg. de cauſis.*

Item notorium facti, aliud eſt facti permanentis actu, ut cùm quis publicè tenet concubinam, vel mulierem ſuſpectam in domo; vel alibi, ubi fortè argumenta apparent, ſcilicet animalia ſuper terram gradientia, & de hujuſmodi notorio creditur ſimplici aſſertioni officialis. 4. *q.*4. §. *aliquando.* undè ſi conſtet aliquem habere ſecum in domo ſuſpectam mulierem, eo ipſo fornicatio probata videtur. *extra. de coba. cle.* & *mul. ſi quiſquam.* & *c. clericos.* etſi publicè teneat eam, eo ipſo eſt convictus, ut *in c. clericos* aliter enim non poteſt eſſe certum, niſi per hujuſmodi præſumptionem. *extra. de præſum. literis.* & *c.*3. Hæc Bern. *extra. de coba. cle.* & *mul. tua.* Undè ſecundùm Guil. *in ſpe.* tale notorium poteſt dici notorium facti à jure præſumpti, quia jus ſic adeò præſumit, quòd illud notorium eſſe reputat; & ſic talis præſumptio pro notorio habetur, ut *in c. præalle. tua clericos. literis.* Aliud eſt facti tranſeuntis actu, ut ſi quis publicè occidat hominem, vel faciat ſortilegium, vel ſimile, ut *extra. de teſti. cogen. pervenit.* Aliud eſt notorium facti interpolati, ut illud quod ſic ſit publicè, quod aliqua tergiverſatione celari non poteſt, & quod ſæpius iteratur, non ſit tamen continuè, hujuſmodi eſt crimen uſurarii manifeſti, & de hoc habetur *extra. de uſuris. cùm tu manifeſtus, id eſt notorios.* Hoc membrum notorii ponit Guil. *in ſpe.* Aliud eſt facti præſumpti, ut cùm aliquis eſt habitus publicè pro filio, & conſanguineo, vel affine alicujus. *extra. de ſi. preſ. conquerente.* Conſanguinitas enim præſumpta dicitur notoria. *extra. de divor. porro.* §.1. quia quod aliquis ſit filius alicujus verè probari non poteſt, ſed tantùm præſumptivè, *extra. de coba. cle.* & *mul. veſtra. in glo. e.* Tale etiam notorium poteſt dici crimen infamati deficientis in purgatione, ut *in c. tua.* §. *ſi.*

Sciendum autem, quòd in notorio juris requiritur, quandoque probatio contra negantem; probatio enim contra ipſum recipitur, ſi in

in dubium revocetur. *extra. de feu. & re. ju. ſicut.* in notorio verò facti, ut notat Ray. non requiritur ordo juris, qui eſt aliàs obſervandus regulariter. *extra. de jureju. ad noſtram.* Evidentia enim perpetrati ſceleris clamore non indiget accuſatoris. *extra. de accu. evidentia.* Aliqui tamen, ut notat Guil. *in ſpe.* diſtingunt, dicentes, quòd in notorio facti permanentis nullus ordo juris requiritur; undè nulla probatio eſt neceſſaria, ut *extra. de purg. ca cùm dilectus.* & *2. q. 1. dicitur manifeſta.* In notorio autem facti tranſeuntis non iterati neceſſaria eſt probatio plena, ut *extra. de elec. bone §. licèt autem eſſent notoria.* In notorio verò facti tranſeuntis interpolati, ut eſt receptio uſurarum, requiritur ſemiplena probatio. *extra de uſu. cùm in Diæceſi.* Tamen Ray. dicit indiſtinctè, quòd ſi fortè judex vidit talem, ideſt notoriè, ſive evidenter delinquentem, ſecundùm quod jus exigit corrigere, ideſt punire, & ille appellet, non eſt appellationi hujuſmodi deferendum. *extra. de appel. prætereà.* Pe. verò de Fan. dicit, & Guil. *in ſpe*, ei conſentit, quòd in qualibet ſpecie notorii facti eſt diſtinguendum; quia quædam ſunt notoria judici, & aliis, ſcilicet, quæ facta ſunt coram eo, & tot aliis, quot ſufficiunt ad faciendum notorium. Quædam aliis tantùm; ſic diſtinguitur, 2. q. 1. §. *ſed ſciendum.* & §. *quando autem.* In primis nulla requiritur probatio, nec Juris ordo ſervari debet in aliquo, niſi quod reus debet citari, & interrogari de tali, eo præſente, vel contumaciter eo abſente debet ſententia promulgari. *ar. 2. q. 1. de manifeſta.* ubi dicitur, quòd ſi non citetur, ſententia non valebit, ſecundùm Tan. *extra. de jur. jur. ad noſtram.* & *2. q 1. nos in quemquam.* nec tamen tunc purgatio ei debet indici, nec ejus appellatio admitti, ſed tantùm ſententia proferri. *extra. de appel. cùm ſit romana, in fi* & *extra. de purg. cano. cum dilectus.* In notoriis vero aliis tantùm, & non judici, officialis denuncians auditur ſine inſcriptione, ut *C. de accuſa. ea quidem.* & habetur *4. q. 4.* §. *aliquando.* & in his requiritur probatio, ut *extra. de elec. bone.* §. *licet.* & *extra. de uſur. cùm tu.* Non eſt tamen ſervandus judiciarius ordo, reus tamen poteſt interrogari, an crimen commiſerit, quòd ſi neget, poſſunt teſtes ſine aliqua lite conteſtari, & ſine juramento aliquo recipi, & poteſt in hujuſmodi notoriis appellari *extra. de appel. romana.* §. *ſi autem.* Ad probandum autem notorium, ſufficiunt duo teſtes. *extra. de elec. bone.* 1. quo probato, & pronunciato, quod ſit notorium, ſi non appelletur de cætero, ſine ſolemnitate juris tanquam ſuper notorio procedetur. De hac materia multùm plenè, & benè tractat Guil. *in ſpe.*

Nota tamen, quòd aliquod crimen poteſt eſſe notorium in una terra, & non notorium in alia; & ideò coram judice extraneo requiritur probatio, & ſic poteſt intelligi 2. *q.* 3. *clericus, qui epiſc.* & *e. q. coram. qui accu.* & *extra. de præſump. quoſdam.* in quo caſu ſpatium octo dierum videtur dandum; & ſi infra illud tempus probetur, notorius judicatur. *extra. de except. paſtoralis.* Ad hæc notat Guil. *in ſpe.* quòd aliud eſt communis opinio, quàm notorium, quia communis opinio eſt tantùm de longè præteritis; & quæ non poſſunt probari per teſtes de viſu. Rumor autem eſt particularis inſinuatio ex ſola ſuſpicione, & incerto auctore proveniens. *ar. extra. de eo. qui cog. conſang uxo. ſuæ. ſuper eo* & hic non probat, ſed ſolùm præſumptionem inducit; undè non eſt multum proſequendus, quia vanæ voces populi non ſunt audiendæ. *C. de pænis. decurionum.* & *extra. de elec. Oſius.* Hìc enim loquitur de rumore, ideſt clamore, undè illud: *audiſtis quantus eſt clamor populi. extra. de exceſ. Præl. ex literis.* Occultum omninò eſt, quòd nulla ratione poteſt probari, de quo nullus loquitur, quia neſcitur, quòd vindictam in hoc ſæculo non habet 32. *q.* 5. *chriſtiana* Suſpendit tamen hominem quoad ſe, & quoad Deum. *extra. de coba. cleri.* & *mul. c. ult.* & *di. 6. ſeſtam.* Pæne occultum eſt, quòd ſcitur ab aliquibus, ſcilicet duobus, vel tribus, undè eſt ſingularis, & privata inſinuatio ex ſcientia, & certo auctore proveniens, & tale occultum probatur. *C. de appel. eos qui.* §. *ſi quis autem.* ſed donec probatum ſit non præjudicat. *extra. de coba. cle.* & *mul. veſtra.* §. *cæterum.* & quia nec manifeſtum, quod majus eſt, præjudicat antè probationem, ut ſupra dictum eſt; ſed ipſo facto ſuſpendit, quia etiam occultum, quod minus eſt, hoc facit, ut etiam prædictum eſt. Licèt autem jura plerumque utantur, uno prædictorum vocabulorum pro alio, ex prædictis tamen intelligi poteſt vera, & naturalis eorum ſignificatio; ſi autem inveniatur, quòd manifeſtum non egeat probatione, manifeſtum ponitur pro notorio. *extra. de ver. ſig. cùm clerici.*

Ex præmiſſis patet, quòd quidquid eſt notorium, eſt manifeſtum; & quidquid eſt manifeſtum, eſt famoſum, ſed non convertitur.

Ex prædictis etiam patet reſponſio ad quæſtionem propoſitam, ſicut enim ex præhabitis colligi poteſt in ſumma peccator famoſus, manifeſtus, rumore prædicatur, penè occultus, nunquam vitari debet, quamdiù ab Eccleſia toleratur 15. *q. ult. c. ult.* & *extra. de coba. cle. veſtra. reſpon.* 1. & *probatur* 1. *q.* 1. *intra Eccleſiam Catholicam.* & *c. omnia ſacramenta.* niſi fortè ex rubore confuſus à peccato retrahatur, & cæteri terreantur. *di.* 32. §. *verum.* ut etiam dictum eſt ſupra; & nunc in occulto, non in publico. *extra de ſent. excom. cùm non ab homine.* Sic intelligitur *illud c. veſtra.* §. *penult.* Omninò verò occultus non poteſt vitari, quia non poſſumus divinare. *extra. de tem. ordi. c. ulti.* Hæc omnia ſupradicta, ſcilicet ab illo §.: nota tamen, quòd aliquod crimen &c. dicta ſunt ſecundùm Hoſt. præter § illum: Ad hæc notat Guil. Si ergo non ſit notorium presbyterum

for-

fornicarium habere concubinam, licèt ſit manifeſtum, quia eſt publicum ex fama tantùm, non ex evidentia facti, non debet talis vitari, quamdiù ab Eccleſia toleratur; nec ad ejus condemnationem ſola teſtimonia ſufficiunt, cùm non ſit teſtimoniis, ſed teſtibus judicandum; ſed ſi de illo talis ſuſpicio habeatur, ut ex eo ſcandalum oriatur in populo, licèt contra eum accuſator non appareat, erit ei canonica purgatio indicenda, in qua ſi defecerit, vel ſi purgare noluerit, puniri debet animadverſione canonica. *extra. de coba. cle. & mul. tua nos.* & ibidem innuitur in glo. quòd teſtimonia ſunt ſine juramento, teſtes cum juramento. Ex hoc etiam, quod ibi dicitur ſcandalum, videtur ſecundùm glo quòd propter ſolam ſuſpicionem, vel infamiam non eſt indicenda purgatio, niſi ſcandalum de infamia oriatur. *ar. 2. q. 5. presbyter & extra. de accu. qualiter.* Secundùm etiam glo. ibi teſtimonia valent ad infamiam alicujus. *ar de conſe. di. 1. jubemus.* Notorius verò ſecundùm Hoſti. indiſtinctè, ideſt ſive ſit notorius juris, ſive facti vitari debet à ſubditis in divinis officiis, & ſacramentis, quia uterque notorius ſuſpenſus eſt quoad ſe, & quoad alios. *di. 32. nullus. & c. præter hæc. extra. de coba. cle. & mul. veſtra. & c. ult. Greg.* quod verum eſt, niſi poſt longam pænitentiam, & laudabilem vitam diſpenſetur cum eo per Epiſcopum ſuum. *extra. de judi. at ſi clerici.* & licèt poſt pænitentiam ſolam accuſari poſſit. *33. q. 2. admonere.* tamen poſt pęnitentiam, & diſpenſationem non poteſt. *extra. de ſchiſma fraternitati.* Hęc Hoſtien.

Numquid ergo eſt mortale peccatum miſſam notorii fornicatoris audire?

Reſpondeo, quòd non, laicis, quia excuſantur per ignorantiam juris poſitivi, quia milites magis arma, & ruſticos magis rura, quàm jura ſcire legislator eſtimavit. *C. de jure deli. l. ſcimus.*

Sed numquid confeſſor tenetur eis illud dicere?

Reſpondeo, hoc non eſt cautum, quia tale jus ignorantiæ non eſt eis periculoſum, cùm non teneantur illud ſcire. Debet etiam talis, ſcilicet notorius, qui jam eſt ſuſpenſus ipſo jure ab officio quoad ſe, & quoad alios admoneri ab Epiſcopo, ut ſe corrigat; & ſi corrigere noluerit, debet ſuſpendi ab officio eccleſiaſtico uſque ad ſatisfactionem congruam; & ſi adhuc, ſcilicet poſt hujuſmodi ſuſpenſionem perſeveraverit, debet in perpetuum removeri. *extra. de coba. cle. & mul. ſicut ad extirpandam.* Hæc Ray.

Quidam autem dixerunt, quòd ſi ſit notorium facti, moneri debet ab Epiſcopo, ut ſe corrigat, & ſi infra quadraginta dies computandos à tempore admonitionis ſe corrigere noluerit, ex tunc ſuſpenſus erit ab officio, & vitabitur à ſubditis in ſacramentis, & ſu pendetur ab officio eccleſiaſtico; & ſi adhuc perſeveraverit, in perpetuum removebitur, ut *in c. ſicut ad extirpandam.* & ſic intelligunt *illud di. 32. nullus. & c. præter hæc. & di. 18. ſi qui ſunt presbyteri. & extra. de coba. cle. & mul. veſtra.* Hujus opinionis fuerunt Joan. & Lau. ſed primam opinionem reputo tutiorem, ſcilicet quod etiam notorius facti ſtatim eſt pro jure ſuſpenſus, & quoad ſe, & quoad alios, & vitari debet à ſubditis in divinis officiis, & ſacramentis, & eam tenuerunt Hoſt. ut patet ex prædictis, & Tan, Goſ. & Bern. in glo. *ſuper illud c. ad extirpandam. & ſuper illud c. quæſitum.* quæ habentur *extra. de coba. cle. & mul.* & etiam Ric. 4. *di.* 13. *q. 1. ar. 4. o.*

TITVLVS XVII.

De Vſu Eucharistiæ.

Deinde conſiderandum eſt de uſu, ſive ſumptione Euchariſtię, &

Primò, de ipſa ſumptione, ſive manducatione.

Secundò, de modo ſumendi, ſeu manducandi.

Tertiò, de frequentatione hujus ſacramenti.

Quartò, quibus debet dari?

Quintò, de uſu Chriſti. Quapropter ſit

ARTICVLVS I.

De Sumptione Eucharistiæ.

Circa primum, ſcilicet de ſumptione, ſive manducatione, quæritur:

Vtrum Chriſtus in hoc ſacramento verè manducetur?

Reſpondeo ſecundùm Ric. 4. *di.* 9. *q.* 1. *ar.* 1. *c.* quòd in ſumptione hujus ſacramenti eſt quædam manducatio carnalis, qua comeſtum maſticatur, & in ſtomachum trahitur, & poſtea digeritur, & ultimo in ſubſtantiam manducantis convertitur, & ſic verè manducatur illa ſpecies, ſub qua realiter continetur verum corpus Chriſti. Eſt & alia ſacramentalis, qua corpus Chriſti verum realiter ſub ſpecie panis contentum ſumitur, ſed ſic ſumptum corporaliter non maſticatur; & ſi ſpecies ſic in ore maſticentur, quod per digeſtionem ibi factam non corrumpatur in eis forma propria, ſed deſcendant in propria forma in ſtomachum, deſcendit corpus Chriſti in ſtomachum per deſcenſum ſpeciei, ſub qua tamdiù continetur corpus Chriſti, quamdiù in eadem ſpecie forma propria ſpecierum ſalvatur; ſed ſi ſpecies tamdiù in ore maſticentur, quòd per digeſtionem ibi factam corrumpatur in eis propria forma, & non deſcendant in ſtomachum; tunc nec corpus Chriſti deſcendit in ſtomachum, & per virtutem manducantis non unitur corpus Chriſti manducanti, ſed per ipſum manducans unitur ſpiritualiter Chriſto capiti, ſi dignè manducat. Eſt etiam manducatio ſpiritualis, qua dicitur manducari corpus Chriſti myſti-

myſticum, quod nihil aliud eſt, quàm ſpiritualiter incorporati corpori myſtico per fidem, & charitatem, vel magis corporari per augmentum fidei, & charitatis, quæ manducatio non convenit indignè ſuſcipientibus ſacramentum.

Nec obſtat, quòd *de conſe. di. 2. ego Berengarius.* dicitur: *Verum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti in veritate manibus ſacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri*; quia illa attritio, & fractio debet referri ad ſpecies, non ad verum corpus Chriſti. Sed quia ille Berengarius fuerat infamatus, quòd non credebat corpus Chriſti realiter contineri ſub ſpecie; ideò ad ſui purgationem per verba exceſſiva contrarium aſſeruit.

Quod autem *de conſe. di. 2. c. tribus. ſuper ver. tanta* dicitur: quamcitò ſpecies dentibus atteritur, tamcitò in cælum rapitur, ſcilicet corpus Chriſti; intelligitur, quando ſpecies tamdiù maſticatur, quòd per digeſtionem, quę fit in ore, non remanet in ſua forma. Hæc Ric. *ibidem.* & cum eo convenit Bon. 4. *di. 9. q. 1. ar. 1. & 2.*

Quid ſi ſpecies iſtæ evomerentur?

Reſpondeo, aliqui dixerunt, quòd ratio ſacramenti tamdiù ibi ſalvatur, quamdiù eſt ſpecies habilis ad refectionem humanam; ideò enim ſtatuta eſt, & ad hoc ordinatur, & hoc habet, cùm eſt extra ſtomachum, & in ſtomacho, quia ibi reficit; undè corpus Chriſti in ventrem vadit, & ibi moratur, donec refectionis operatio compleatur; & hujus ſententiæ videtur fuiſſe Ric. *ubi ſupra*, ut patet ex dictis ejus in ſolutione præcedentis quæſtionis; & ſecundùm Bon. hæc poſitio eſt multùm probabilis.

Secundùm igitur hanc poſitionem, dicendum, quòd ſi illæ ſpecies evomuntur, evomitur Euchariſtia; & ſi ſpecies poſſit diſcerni ab aliis ſumenda eſt: ſi autem ſpecies illæ tranſeant per ſtomachum indigeſtæ propter aliquam infirmitatem, tunc ſunt extra proprietatem refectionis; & ideò ſi vadant in ſeceſſum, non eſt ibi corpus Domini. Securum tamen videtur, quod ſi quis evomat ſpecies perceptibiles, magna reverentia ſit eis exhibenda, & magna diligentia adhibenda, ne quis evomat, & periculoſum eſt ei dare, de quo præſumitur, quòd non poſſit tenere. Hæc Bon.

ARTICULUS II.

De Modo ſumendi Corpus Chriſti.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicet de modis ſumendi, ſive manducandi corpus Chriſti.

Circa quod ſciendum eſt, quòd ſicut jam patet ex prædictis in articulo præcedenti, duo ſunt modi manducandi corpus Chriſti, ſcilicet ſpiritualiter, & ſacramentaliter, & hoc etiam habetur in glo. ſuper illud 1. *Corint.* 11. *Qui manducat, & bibit indignè* &c. etiam *de conſe. di. 2. quid eſt.* De ſpirituali etiam modo manducandi dicitur *Jo. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet* &c. De ſacramentali dicitur 1. *Corint.* 11. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit &c.*

De his igitur modis quæruntur plura, ſcilicet.

Quid eſt manducare ſpiritualiter?

Reſpondeo, hæc manducatio ſpiritualis tranſlata eſt à corporalibus, & ideò ſicut in manducatione corporali ſunt duo principaliter, ſcilicet maſticatio, & incorporatio, ſic & in ſpirituali duo ſunt ſuo modo. Eſt autem ſpiritualis maſticatio recogitatio cibi, ſcilicet carnis Chriſti pro nobis expoſitæ in pretium in cruce ad redimendum, ubi fuit quaſi ejus decoctio facta, & miniſtratur in cibum in hoc ſacramento ad reficiendum, ubi eſt plena refectio. Panis enim, quem ſumimus in myſterio manu Spiritus Sancti formatus eſt in utero Virginis, & in igne paſſionis decoctus in ara crucis. *de conſe. di. 2 omnia.*

Incorporatio verò eſt, dum recogitans ei quem recogitat, jungitur charitatis ardore, & ita ei incorporatur, & per conſequens reficitur, & aſſimulatur; intereſt tamen inter hanc, & illam, quia in corporali manducans convertit in ſe cibum ſua virtute, quia eſt dignior cibo; in ſpirituali eſt è converſo, quia cibus eſt nobilior, & completior manducante, propter quod dicit ad ſe manducantem: *non tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me.* Eſt igitur maſticatio recogitatio per fidem, refectio verò per charitatem, & communicatio eſt incorporatio, & ex his duobus integratur manducatio ſpiritualis; & ita ad eam requiritur fides operans per dilectionem. Hæc dicit Aug. & habetur *de conſe. di. 2. ut quid.* Qui credit in eum, manducat eum, & ille ſpiritualiter manducat, qui in unitate Chriſti, & Eccleſiæ manet, quòd ſacramentum ſignificat. Hæc Bona. 4. *diſt. 9. q. 1. art. 2.*

Quid eſt manducare ſacramentaliter?

Reſpondeo, quòd ſacramentaliter manducare, eſt manducare ſacramentum, ut ſacramentum; quoniam enim ſacramentaliter eſt diſpoſitio actus manducandi; ideò ad hoc ut actus ſit ſacramentalis, neceſſe eſt, quòd reſpiciat ipſum ſacramentum, ut ſacramentum.

Ad hoc autem, quod aliquis manducet ſacramentum manducando ſpecies, duo exiguntur, ſcilicet cibi exiſtentia, & ejus ad cibatum naturalis convenientia. Primum exigitur, quia ſi non præceſſerit ſacramenti conſecratio, non poteſt ſequi manducatio. Secundum exigitur, quia cibus ille ſolùm hominibus eſt conceſſus; undè ſicut homo ſolus ſuſcipit ſacramentum baptiſmi, ita ſolus homo ſacramentum Euchariſtiæ. Ad hoc autem ut manducet ut ſacramentum neceſſaria eſt intentio, & intentionis regulatio; intentio, inquam, eſt neceſſaria, quia ſi quis iret ad menſam, & intenderet corpus reficere, & aliquis pro pane communi ſacramentum ſicut panem offerret, & ipſe omninò intenderet cibum

cibum ſumere, non dicerem eum ſacramentaliter manducaſſe; neceſſarium eſt etiam, ut illa intentio dirigatur ſecundùm fidem, quæ eſt in ipſo, vel in altero, quia oportet, quòd credat, quòd ſub illa ſpecie aliquid ſpirituale lateat, quòd ſumere intendat; vel oportet, quòd ſaltem ſumere intendat, quod alios credere eſtimat, licèt ipſe non credat; & ſic patet pro quanto quis dicatur ſacramentaliter manducare, quia ſcilicet quod ſacramentum vere ibi exiſtat, & ipſe, qui manducat illud ut ſacramentum ſumere intendat, ſive quia credit eſſe verum ſacramentum, ſive quia eſtimat alios credere. Hæc Bon. 4. *diſt. 9. q. 1. ar 3.*

Circa ergo iſtos modos, quæruntur hæc, nempè

I. *Utrum quis poſſit manducare ſpiritualiter, non manducando etiam ſacramentaliter?*

II. *Utrum ſolius hominis ſit ſumere hoc ſacramentum ſpiritualiter?*

III. *Utrum mali ſumant corpus Chriſti ſacramentaliter?*

IV. *Utrum infidelis manducet Chriſtum ſacramentaliter?*

V. *Utrum animal brutum poſſit ſumere corpus Chriſti ſacramentaliter, vel quocumque modo aliter?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic; nam ut ſupra dictum eſt, effectus ſacramenti poteſt ab aliquo percipi, ſi ſacramentum habetur in voto, licèt non accipiatur in re; & ideò ſicut aliqui baptizantur baptiſmo fluminis propter deſiderium baptiſmi, antequam baptizentur baptiſmo aquæ, ita etiam aliqui ſpiritualiter manducant, antequam hoc ſacramentum ſacramentaliter ſumant, ſed contigit dupliciter. Primo modo propter deſiderium ſumendi ipſum ſacramentum & ſic dicuntur baptizari, & manducare ſpiritualiter, & non ſacramentaliter, qui deſiderant ſumere hæc ſacramenta jam inſtituta. Alio modo propter figuram, ſicut dicit Apoſtolus 1. *Corint.* 10. quod antiqui patres baptizati ſunt in nube, & in mare, & eſcam ſpiritualem manducaverunt, & potum ſpiritualem biberunt. Nec tamen fruſtra adhibetur manducatio ſacramentalis, quia pleniùs inducit effectum ſacramenti ipſa ſuſceptio ſacramenti, quàm ſolum deſiderium, ſicut ſupra baptiſmum dictum eſt. Hęc Tho. 3. *q* 80 *ar.* 1 *c.* 3. Undè nota, quòd cùm ſpiritualiter manducare ſit Chriſto, & Eccleſiæ incorporari, hoc poteſt eſſe dupliciter, ſcilicet vel per modum meriti credendo, vel per virtutem ſacramenti credendo, & percipiendo; primo modo ſumitur manducare ſpiritualiter communius; ſecundo modo magis propriè. Primus modus poteſt alicui ſine ſacramento convenire, ſed ſecundus non. Hęc Pe. 4. *di. 9. q. 1. ar. 2. q. 2. c.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſic; nam in hoc ſacramento continetur ipſe Chriſtus, non quidem in ſpecie propria, ſed in ſpecie ſacramenti. Dupliciter ergo contingit ipſum ſpiritualiter manducare, uno modo ipſum Chriſtum, prout in ſua ſpecie conſiſtit, & hoc modo Angeli manducant ſpiritualiter ipſum Chriſtum, inquantum ei uniuntur in fruitione charitatis perfectæ, & viſione manifeſta; non per fidem, ſicut nos hìc unimur. Alio modo contingit ſpiritualiter manducare Chriſtum, prout eſt ſub ſpeciebus hujus ſacramenti, inquantum ſcilicet aliquis credit in Chriſtum, cum deſiderio ſumendi hoc ſacramentum, & hoc non ſolùm eſt ſimpliciter manducare, ſed ſpiritualiter manducare hoc ſacramentum, quod non convenit Angelis; & ideò Angeli, etſi ſpiritualiter manducent Chriſtum, non tamen contingit eis ſpiritualiter manducare hoc ſacramentum. Hæc Tho. 3. *q.* 80. *ar.* 2.

Circa tertium reſpondeo, quòd ſic, ſicut enim dicit Gregorius, eſt quidem in peccatoribus, & indigne ſumentibus vera Chriſti caro, & verus Chriſti ſanguis, ſed eſſentialiter non ſalutis efficacia. Sumunt igitur mali verum corpus Chriſti ex ejus dignatione, & humilitate; ſed non ejus effectum ex ejus juſtitia, & æquitate, undè immunditia manducantis corpus Chriſti non repugnat ſpeciei exteriori, nec corpori Chriſti, ſed unitati corporis Chriſti myſtici; ideò malus recipit ſacramentum, & rem in eo contentam, ſed non rem ſignatam; undè malus etſi recipit ſacramentum, acquirit tamen magnum tormentum. *de conſe. di* 2 *quid eſt.*

Circa quartum reſpondeo, quòd ſic, ſi ſacramentaliter dicat modum rei manducatæ; ſed ſi dicat modum manducantis, diſtingue; aut enim nullam habet intentionem illud ſumendi tanquam ſacramentum aliquod Eccleſiæ, & ſic non ſumit ſacramentaliter, quia non ſumit ut ſignum, ſed ut rem; aut habet intentionem, quamvis non credat Chriſtum ibi eſſe; & tunc ſumit ſacramentaliter, ut hęreticus. Hæc Pe. 4. *diſt.* 9 *q.* 1. *ar.* 4. *q.* 2. *c.*

Circa quintum reſpondeo, quidam dixerunt, quòd quamdiù eſt in ſpeciebus illis ſalva forma panis, etiam in modica parte, tamdiù eſt ibi ſacramentum; & per conſequens corpus Chriſti verum: undè ubicumque ponantur ſpecies illæ, etiam in loco immundo, vel in ventre muris, ibi eſt corpus Chriſti, & hęc poſitio videtur eſſe Tho. 3. *q.* 80. *ar.* 3. *c.* 3. & Pe 4. *di.* 13. *ar.* 6. *c* Sed certè piæ aures abhorrent hoc audire; tamen intelligendum eſt ſecundùm prædictos, quòd animal brutum ſacramentaliter corpus Chriſti non manducat, quia non eſt natum uti eo ut ſacramento. Alii dixerunt, quòd corpus Chriſti nullo modo deſcendit in ventrem muris, quia Chriſtus non eſt ſub illo ſacramento, niſi eatenùs, quatenùs eſt ordinabile ad uſum humanum, ſcilicet ad manducationem; ſed ſicut & quamcitò mus rodit; ita & tam citò inhabile facit, & ſacramentum eſſe deſinit, & corpus Chriſti eſſe deſinit, & hęc opinio communior eſt, & certè honeſtior, & rationabilior ſecundum Bon. 4. *di.* 13. *p.* 1. *q.* 2. *ar.* 1. *c.*

ARTI-

ARTICULUS III.

De Frequentatione Sacramenti Eucharistiæ.

SEquitur videre de tertio, ſcilicet de frequentatione hujus ſacramenti, & circa hoc quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum liceat hoc ſacramentum quotidie ſuſcipere?*

II. *Vtrum ad reverentiam ſacramenti pertineat, quod homo aliquando abſtineat ab eo?*

III. *Vtrum fideles poſſint, ſive debeant pluries in anno communicare?*

IV. *Vtrum poſſit homo pluries in die communicare?*

V. *Vtrum liceat ceſſare omninò à communione?*

VI. *Vtrum hoc ſacramentum debeat in utraque ſpecie populo dari?*

VII. *Vtrum hoſtia intincta in ſanguine, debeat populo dari?*

Circa primum reſpondeo Circa uſum hujus ſacramenti, duo poſſunt conſiderari. Unum ex parte ipſius ſacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris; ideò utile eſt ipſum quotidie ſuſcipere, ut ejus fructum homo quotidie percipiat, ſicut enim plus prodeſt baptiſmus flaminis cum baptiſmo fluminis, quàm ſolus; ſic plus prodeſt manducatio ſpiritualis cum ſacramentali, quàm quando eſt ſola. Ineſt etiam vis ipſi ſacramentali manducationi, qua in benè diſpoſito manducationem efficit ſpiritualem; undè Ambro. *lib. de ſacramentis. Si quotieſcumque ſumitur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum ſumitur, debeo ſemper accipere: Qui ſemper pecco, debeo ſemper accipere medicinam. de conſe. di. 2. ſi quotieſcumque.* Aliqui tamen exponunt ibi *ſemper accipere*, pro accipere quolibet anno. Aliud poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc ſacramentum accedat; & ideò ſi quis ſe quotidie paratum inveniat, laudabile eſt, ut quotidie ſumat; undè cùm Aug. dixiſſet *in ver. Domini: iſte panis quotidianus eſt, accipe, quod tibi proſit quotidie.* ſubdit: *ſic vive, ut merearis quotidie accipere. de conſe. di. 2. non iſte.* Sed quia multoties in pluribus hominibus hujus devotionis impedimenta occurrunt propter indiſpoſitionem corporis, vel animæ, non eſt utile omnibus ad hoc ſacramentum quotidie accedere, ſed quotieſcunque ſe homo invenerit ad illud præparatum; undè *lib. de Eccle. dogmati* dicit Auguſtinus: *quotidie Eucharistiæ communionem ſumere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen diebus dominicis communicandum hortor; ſi tamen mens non ſit in affectu peccandi. de conſe, diſt. 2. quotidie.* majorem efficaciam recipit homo in una miſſa, vel manducatione cum bona præparatione, quàm in multis, ſi ſe non præparet diligenter. Hæc Bon. 4. *di. 12 p. 2. q. 2. ar. 2. c.*

Circa ſecundum, reſpondeo, reverentia hujus ſacramenti habet timorem amori conjunctum; undè timor reverentiæ à doctoribus dicitur timor filialis; ex amore autem provocatur deſiderium ſumendi, ex timore vero ſurgit humilitas refugiendi, ideò utrumque pertinet ad reverentiam hujus ſacramenti, ſcilicet quod quotidie ſumatur, & quod aliquando abſtineatur, undè ait Aug. *dicit aliquis non quotidie eucharistiam aſſumendam, alius aſſerit quotidie ſumendam, faciat quilibet quid ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum.* Neque enim inter ſe litigaverunt Zacheus, & Centurio, cum alter gaudens recepit Dominum, alter dixerit: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* ambo ſalvatorem honorificantes, licèt non uno modo. *de conſe. diſt. 11. quotidie.* dicit enim Auguſt. *Amor tamen, & ſpes, ad quam ſcripturam nos ſemper inducit, præfertur timori.* undè etiam cùm Petrus dixiſſet *exi à me Domine, quia peccator ſum.* reſpondit Jeſus: *noli timere.* Si quis igitur experimentaliter cognoſcat, quod ex frequenti ſumptione hujus ſacramenti fervor charitatis in eo augetur, & reverentia ad ſacramentum non minuitur, frequenter comunicare debet; Si autem ſentiat per multam frequentationem reverentiam ad ſacramentum minui, & fervorem non multum augeri, interdum abſtinere debet, ut poſtea cum majori reverentia, & devotione accedat.

Circa tertium reſpondeo, ſecundùm diverſum ſtatum Eccleſiæ, & de hoc diverſa ſtatuta fuerunt; nam in Eccleſia primitiva, quando devotio magis vigebat fidei chriſtianæ, ſtatutum fuit, ut fideles quotidie communicarent, ut patet *Act. 4.* & habetur *de conſe. di. 11.* per decretum Anacleti Papæ peracta; poſtea verò diminuto fidei fervore, Fabianus Papa indulſit, ut ſi non frequentius, ſaltem ter in anno comunicarent omnes, ſcilicet in Paſcha, Pentecoſten, & Natali Domini. Sother etiam Papa dicit in Cęna Domini eſſe communicandum, ut habetur *de conſe. di. 11. in cœna* ſed illud eſt conſilium; poſtea verò propter iniquitatis abundantiam refrigeſcente charitate multorum, ſtatuit Innocentius III. ut ſaltem ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha fideles comunicent; conſulitur verò *lib. de Eccleſia dogma.* omnibus diebus dominicis eſſe communicandum.

Circa quartum reſpondeo, quod non. *ar. de conſe. diſ. 1. ſufficit.* quia enim Dominus dicit. *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: non pluries in die eſt communicandum, ut ſaltem per hoc quod aliquis ſemel in die communicet, repreſentetur veritas paſſionis Chriſti.

Circa quintum reſpondeo. Circa hoc eſt duplex modus dicendi; unus eſt, quod hoc ſacramentum non eſt de neceſſitate ſalutis quantum de ſua inſtitutione; ſed ſi eſt, vel hoc eſt aſſumpto officio, quod ſcilicet quis neceſſariò tenetur exequi, ut presbyter parrochialis; vel mandato Eccleſiæ ſuperaddito, ſcilicet ut fideles communi-

municent ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha. *extr. de pœ. & re. omnis.* undè ſi quis tunc negligit non eſt ſine contemptu; & ideo peccat mortaliter, quinimmò talis catholicus reputari non debet. *ar. de conſe. di. 11. ſæculare.* quod intelligitur ſi omittat ex contemptu, & poſt monitionem, ut patet *ibidem. c. ſeq.* & ſimiliter in periculo mortis. *de conſe. di. 11. presbyter.* Ratio autem quare hoc Eccleſia inſtituit, eſt, quia hoc ſacramentum eſt ſalubre, & multi negligebant ſuam ſalutem, & ſecundùm hunc modum dicendi, illud *Jo. 6. niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* intelligitur de manducatione ſpirituali, quæ eſt per fidem, & charitatem, ſine qua nullus adultus ſalvatur, & hoc etiam eſt in parvulo aliquo modo quantum ad incorporationem, & hæc eſt opinio Bon. 4. *diſt. 12. p. 2. q. 2 ar. 1. c.* Alius modus dicendi eſt, quòd cùm ſit duplex modus ſumendi hoc ſacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & ſacramentalis, omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare, quia hoc eſt Chriſto incorporari, ut dictum eſt ſupra; manducatio autem ſpiritualis includit votum, ſive deſiderium percipiendi ſacramentum, ut dictum eſt ſupra; & ideò ſine voto percipiendi hoc ſacramentum non poteſt homini eſſe ſalus; fruſtra autem eſſet votum, niſi impleretur quando oportunitas adeſſet; & ideò tenetur homo hoc ſacramentum ſumere, non tantùm ex ſtatuto Eccleſię, ſed etiam ex mandato Domini. *Jo. 6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* & *Luc. 20. Hoc facite in meam commemorationem.* Ex ſtatuto autem Eccleſiæ ſunt tempora determinata exequendi Chriſti præceptum, & hæc eſt opinio Tho 3. *q. 80. ar. 2. c.*

Circa ſextum reſpondeo: Populus hoc ſacramentum recipit ad efficaciam, quæ eſt æque in altera ſpecie, ſicut in utraque, eo quod totus Chriſtus eſt ſub utraque; & hoc volunt Bon 4. *diſt. 2. p. 2. q. 1. ar. 2. c. 2.* & Ric. 4. *diſt. 2. q. 4. 6. o.* & ideò ſufficit, quòd detur ſibi in altera ſpecie tantùm propter periculum erroris, quia fortè non crederent aliqui ſimplices totum Chriſtum recipere in altera ſpecie, ſi eis daretur in utraque: ſicut patet de eo, cui exivit ſanguis de hoſtia, quia non credebat, quòd ſanguis ibi eſſet. Datur etiam populo in ſpecie panis, & non vini propter periculum effuſionis vitandæ; ad ſignificandum verò ſufficit populo, quod conficiatur ſub utraque ſpecie in ejus præſentia; Majoribus tamen, de quibus non timeretur periculum effuſionis, nec erroris, poſſet ſub utraque ſpecie dari, ut dicit Ric. *ibidem.*

Nota tamen ſecundùm Bona. 4. *di. 2. p. 2. q. 1. ar. 2.* quòd hoc ſacramentum eſt æquè efficax in altera ſpecie, ſicut in utraque; poſtea *ſuper literam* dicit, quòd ipſe credit, quòd ſanguis addit ad efficaciam aliquo modo. Dicit etiam Inno., quòd ipſe non reprobat conſuetudinem Ciſtercienſium, & quorumdam aliorum, qui poſt ſumptionem corporis, & ſanguinis Chriſti dimittunt ibi aliquid de ſanguine, ut infundatur vinum purum, & poſtea communicantes aliquid indè poſſunt ſumere; ego autem puto, quòd non ſit faciendum, quia vinum additum ſecundùm aliquos ad minus illius ſpeciei continuitatem ſolveret, & ſic Chriſti ſanguis ibi deſineret eſſe, ut habitum eſt ſupra.

Si objiciatur contra prædicta illud *Jo. 6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis. & biberitis ejus ſanguinem.* copulativa eſt propoſitio; dicendum, quòd ſub utraque ſpecie corpus manducatur, & ſanguis bibitur in re, licèt non in ſigno expreſſo. Vel dicendum, quòd illud intelligitur de manducatione ſpirituali.

Si dicatur etiam, quòd in Eccleſia Græcorum inſtituta per Paulum traditur ſub utraque ſpecie; dicendum, quòd licèt illi benè faciant, Latini tamen meliùs faciunt ratione ſuperiùs dicta.

Circa ſeptimum reſpondeo, quòd non. *de conſe. di. 11. cum omne;* cujus rationem tangit Hug. *lib. 2. de ſacr. parte 8. c. 4. quia,* inquit, *Dominus traditori ſuo bucellam intinctam, ad notandum eum dedit, habet conſuetudo, ut corpus Chriſti fideles intinctum non accipiant.* Non tamen eſt intelligendum, quòd Chriſtus illam bucellam in ſanguine intinxerit, ſed in vino lactucarum agreſtium, cum quibus edebatur agnus ſecundùm legem.

ARTICVLVS IV.

Quibus debeat dari, & quibus non, Corpus Chriſti?

SEquitur videre de quarto, ſcilicet quibus dari debeat corpus Chriſti, & quibus non debeat dari.

Circa quod queruntur plura, ſcilicèt

I. *Vtrum presbyter peccet, qui ſcienter dat corpus Chriſti exiſtenti in mortali peccato?*

II. *Vtrum ſacerdos peccet dando ſacramentum hiſtrionibus?*

III. *Vtrum corpus Chriſti dandum ſit ſuſpectis de crimine?*

IV. *Vtrum corpus Chriſti dandum ſit ſuſpectis de crimine ad eorum manifeſtationem?*

V. *Vtrum corpus Chriſti ſit dandum ſuſpendendis pro ſuis maleficiis?*

VI. *Vtrum non habentes uſum rationis debeant hoc ſacramentum percipere?*

VII. *Vtrum arrepticiis, qui energumeni dicuntur, debeat dari corpus Chriſti?*

Circa primum reſpondeo; aut talis non petit Euchariſtiam ſibi dari, & tunc presbyter peccat in dando; aut petit, & tunc aut ſuum peccatum mortale eſt manifeſtum, aut occultum; ſi manifeſtum, tunc presbyter dando ſibi peccaret, quia contra ipſum exceptionem legitimam habet, quam ſibi publicè objicere poteſt. Accipio autem hic manifeſtum, non pro eo, quod probari poteſt, quod propriè magis manifeſtabile

ſeſtabile dicitur, quàm manifeſtum; undè ſi ſacerdos ſciret parrochianum ſuum eſſe in crimine, quod legitimè poſſet contra eum probare, ita quod illud crimen neſciret, niſi duo, vel tres teſtes, per quos hoc probare poſſet, non propter hoc debet illi Euchariſtiam negare in publico petenti, quia jam inferret ſibi pęnam ante criminis probationem, quod fieri non debet. 11. *q.* 3. *eorum qui.* ſed accipio hic manifeſtum pro notorio; quid autem dicatur notorium, dictum eſt ſupra. Si autem peccatum ſuum eſt occultum, aut petit in occulto, & tunc ſacerdos ſibi dando peccaret, quia habet contra eum legitimam exceptionem, quàm ſibi in occulto objicere poteſt, & ipſum debet monere ne petat in publico, ut habetur de *conſe. di.* 2. ne prohibeat quod petit; aut petit publicè, & tunc ſacerdos debet ſibi dare, quia contra eum non habet legitimam exceptionem, quàm ei in publico objicere poſſit *extra. de off. judi. or. ſi ſacerdos.* hæc Richar 4. *di.* 9. *q.* 3. *ar.* 1. *c.* & hoc intelligo verum eſſe, quando ille, qui petit eſt presbyteri ſubditus, ſecùs credo eſſe ſi ſit extraneus, quia contra talem legitimè excipere poteſt, quod ei dare non debeat. *de conſe. di.* 2. *tribus* ubi præcipitur, quòd extraneo non detur Euchariſtia, de cujus conſcientia nihil conſtat.

Circa ſecundum reſpondeo. Solutio hujus quæſtionis, quaſi ex ſolutione præcedentis manifeſta eſt; tales enim ducunt illicitam vitam; undè de talibus dicitur *de conſe. di.* 2. *pro dilectio.* puto nec majeſtati divinæ, nec evangelicę diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fędetur; undè nec talibus; nec cuicumque infami notorio manifeſtè danda eſt Euchariſtia, ſecundùm etiam Glo. *ibid.* Si tamen, *ut ibi in ſeq c.* tales revertantur ad Dominum, eis communio, vel reconciliatio non negatur. Non eſt tamen ſic intelligendum, quòd ſtatim debeat eis dari Euchariſtia, quia propter reverentiam ſacramenti, ut probetur eorum converſio eſſe non ficta, non debet eis dare uſque poſt peractam pœnitentiam, niſi aliquis articulus neceſſitatis, vel pietatis aliquando aliter fieri ſuaderet.

Sed nonnè eſt pejus ſumere corpus Chriſti, quàm infamari à ſacerdote negando Euchariſtiam?

Reſpondeo, quòd licèt ſit pejus peccatori peccare mortaliter ſumendo corpus Chriſti, quàm infamari, tamen ſacerdoti miniſtranti corpus Chriſti, pejus eſt peccare mortaliter infamando injuſtè peccatorem occultum, quàm quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet à peccato; undè Aug. *in libro quæſtionum ſuper Gen. Periculoſiſſimè admittitur hæc compenſatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum committat.* Peccator tamen occultus, potiùs debet eligere infamari, quàm indignè ad menſam Chriſti accedere. Hæc Tho. 3. *q.* 80. *ar.* 6. *c.* 2.

Numquid eſſet meliùs dare hoſtiam non conſecratam?

Reſpondeo, quòd non; nam hoſtia non conſecrata nullo modo debet dari loco conſecratæ, quia ſacerdos hoc faciens quantum eſt in ſe, facit idolatrare illos, qui credunt hoſtiam eſſe conſecratam, ſive alios præſentes, ſive etiam ipſum ſumentem, quia ut ait Aug. & habetur. *de conſe. di.* 3. *acceſſerunt. Nemo carnem Chriſti manducat, niſi priùs adoret.* Unde Innoc. III. *extra. de cele miſ. c. de homine.* licèt is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum peccaret graviter, ſi ſe ingereret, graviùs tamen videtur offendere, qui fraudulenter præſumpſerit illud ſimulare; prorſus quidem falſa remedia ſunt abjicienda, quæ ſunt veris periculis graviora.

Circa tertium reſpondeo ſicut dicitur in Glo. ſuper illud *c* 32 *q.* 1. *dixit Dominus.* triplex eſt ſuſpicio, ſcilicet temeraria, probabilis, & violenta: Temeraria ſuſpicio eſt, quando ex irrationabili cauſa conſurgit, cujuſmodi eſt illa, quæ conficta eſt rumoribus interdictorum hominum, & abſtractorum 11. *q.* 3. *cunctis.* & pro tali ſuſpicione non debet ſacerdos dimittere dare euchariſtiam ſuſpecto. Probabilis eſt, quę conſurgit ex probabilibus ſignis, & propter hanc ſuſpicionem non debet etiam ſacerdos dimittere euchariſtiam dare, undè 2. *q.* 1. *Deus.* mala audita nullum moveant, nec paſſim dicta abſque certa probatione quiſquam credat, ſed ante audita diligenter inquirat, nec præcipitanter quis aliquid agat, *& infra*: nullum ante veram, juſtamque probationem judicare, & damnare debemus. Violenta eſt, quæ ſurgit ex præſumptionibus violentis, ut ſi inveniatur ſuſpectus cum ſuſpecta, nudus cum nuda, ſolus cum ſola in eodem lecto, loco, & tempore ſuſpectis, & contra ſuſpectos tales judicandum eſt, ſicut judicaretur de facto. Undè ſicut publicè criminoſo ſacerdos non debet dare euchariſtiam, ita nec ſuſpecto de crimine modo iſto; ſecundùm enim jura quatuor modis convincitur homo de crimine, ſcilicet vel jure, vel inſtrumentis, vel teſtibus, vel facti evidentia, *extra de coha. cle. & mul. tua. & 2. q. 1. ſcelus quod Lotharius.* aut juris interpretatione, ut quando aliquis ſæpè citatur, & monetur, nec ſe purgat, nec comparet. 3. *q.* 9 *decrevimus.* ubi ſic dicitur: *manifeſtum eſt confiteri de crimine eum, qui indulto, & toties delegato judicio purgandi ſe occaſione non utitur.* Aut violenta ſuſpicione. 32 *q.* 1. *dixit Dominus.* & hoc notatur 2. *q.* 1. *c.* 2. *& 3. in Glo.*

Circa quartum videtur, quòd ſic; legitur enim 2. *q.* 5. *ſæpè contingit, ut in monaſteriis monachorum furta perpetrentur: idcircò ſtatuimus, ut quando fratres de talibus ſe purgare debent, miſſa celebretur ab Abbate, vel aliquo ex præſentibus fratribus, & expleta miſſa, omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini ſit tibi ad probationem.*

Reſpondeo. Decretum illud eſt abrogatum per

per contraria documenta Romanorum Pontificum. Dicit enim Stephanus Papa: *Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem à quolibet ſacri canones non concedunt. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publica delicta commiſſa ſunt noſtro regimini judicare; occulta verò & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum.* 2. *q.* 5. *conſuluiſti.* Et idem dicitur *extra de purga can. ex tuarum.* In omnibus enim talibus eſſe videtur Dei tentatio; undè ſine peccato fieri non poſſet; & graviùs peccatum eſſe videtur, ſi in hoc ſacramento, quod eſt inſtitutum in remedium ſalutis, aliquis inquireret judicium mortis.

Circa quintum reſpondeo. Hujuſmodi ſi pæniteant, & purè confiteantur, vel cupiant confiteri, non eſt in fine neganda Euchariſtia, nec ſepultura, & miſſa pro eis poteſt celebrari, & oblatio offerri. 26. *q.* 7. *c.* 1. & *ulti.* & *di.* 50. *pænitentes.* undè 13. *q.* 2. *per totum.* & præſertim *c. ult.* & *c. pro obeuntibus* dicitur: *Viaticum omnibus dignè pænitentibus in morte poſitis non eſt negandum, nec etiam his, qui in patibulis pro ſuis ſceleribus ſuſpenduntur.*

Sed contra 2. *quæſtione tertia. Si quis Epiſcopum* dicitur, quòd his qui defecerunt in accuſatione clericorum non eſt danda Euchariſtia in fine. Reſpondeo, hoc dictum eſt ad terrorem, vel loquitur de non dignè pænitentibus. Alia verò *c.* 7. loquuntur de dignè pænitentibus. Hæc Jo.

Circa ſextum reſpondeo: aliqui dicuntur non habere uſum rationis dupliciter, uno modo quia habent debilem uſum rationis, ſicut dicitur non videns, qui malè videt, & quia tales poſſunt aliquam devotionem hujus ſacramenti concipere, non eſt eis hoc ſacramentum denegandum. Alio modo quia uſu rationis totaliter carent, & hoc poteſt eſſe dupliciter; aut enim nunquam habuerunt uſum rationis, ſed à nativitate ſic permanſerunt, & talibus non eſt hoc ſacramentum exhibendum, quia nullo modo præceſſit in eis hujus ſacramenti devotio; aut non caruerunt ſemper uſu rationis, & tunc ſi priùs quando erant ſuæ mentis compotes, apparuit in eis hujus ſacramenti devotio, debet eis in articulo mortis hoc ſacramentum exhiberi, niſi fortè timeatur periculum vomitus, vel expulſionis, vel alterius irreverentiæ; undè dicitur 26. *q.* 6. *is, qui. Is qui in infirmitate pænitentiam petit, ſi dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in freneſim converſus fuerit, dent teſtimonium qui audierunt, & accipiat pænitentiam, ideſt abſolutionem.* Secundùm glo. cujus forma habetur *extra. de ſen. excom. à nobis.* & ſi continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. De hoc vide *infra in* 2. *par. tractatu de pænitentia.*

Circa ſeptimum videtur, quòd non, quia etiam tales arcentur ab inſpectione hujus ſacramenti ſecundùm Diony. *lib. eccl. hierar.*

Reſpondeo, Dionyſius loquitur *ibidem* de energumenis nondum baptizatis, in quibus ſcilicet nondum eſt vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum; ſed de baptizatis, qui corporaliter vexantur à ſpiritibus immundis eſt eadem ratio ſicut de aliis amentibus; undè Caſſianus dicit: *eis, qui ab immundis vexantur ſpiritibus communionem ſacramenti ſanctam, nunquam à ſenioribus noſtris meminimus interdictam* Hæc Tho. 4. *diſt.* 9. *ar.* 5. *q.* 3. *c.* 2. & 3. *q.* 80. *art.* 9. *c.* 2.

Numquid pueris debet dari?

Reſpondeo; eadem eſt ratio de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt uſum rationis; undè talibus non ſunt ſacra myſteria danda; licèt quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quod Diony. 2. *c. eccleſiaſticæ hierar.* dicit, baptizatis eſſe ſacram communionem dandam, non intelligentes, quod Dionyſius loquitur de baptiſmo adultorum; nec tamen aliqui detrimentum vitæ æternæ patiuntur, propter quod dicit Dominus: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,* quia ſicut Auguſtinus ſcribit Bonifacio; tunc unuſquiſque fidelis corporis, & ſanguinis particeps fit ſpiritualiter, quando in baptiſmo membrum corporis Chriſti efficitur. Sed quando pueri incipiunt aliquem rationis uſum habere, ut poſſint concipere devotionem hujus ſacramenti; tunc poteſt eis hoc ſacramentum conferri; undè ſi puer eſt in ætate apta ad dijudicandum, & reverendum corpus Chriſti, vel propè ætatem adultam, ſcilicet anno decimo, vel duodecimo; tunc ſi apparent in eo ſigna diſcretionis, & reverentiæ poteſt ſumere, aliàs non. Hæc Tho. 4. *di.* 19. *ar.* 5. *q.* 4. *o.*

ARTICVLVS V.

De Uſu Chriſti in ordine ad hoc ſacramentum.

Sequitur videre de quinto, ſcilicet de uſu Chriſti; hoc eſt de uſu hujus ſacramenti, quo Chriſtus uſus eſt hoc ſacramento in prima ſui inſtitutione, & circa hoc quæruntur plura, ſcilicet:

I. *Utrum Chriſtus ſumpſerit corpus, & ſanguinem ſuum?*

II. *Utrum Chriſtus ſumpſerit ſpiritualiter?*

III. *Utrum Chriſtus corpus ſuum dederit Judæ?*

IV. *Utrum Chriſtus corpus ſuum Judæ dedit, cùm bucellam intinctam ei porrexit?*

Circa primum reſpondeo: Tenetur communiter, quòd ſic; hoc enim expreſsè dicunt Sancti; undè ſuper illud *Ruth.* 3. *Cumque comediſſet, & bibiſſet &c.* dicit glo. quòd Chriſtus in cœna comedit, & bibit, cùm corporis, & ſanguinis ſui ſacramentum Diſcipulis tradidit; undè quia Apoſtoli communicaverunt carnem, &

& ſanguinem, & ipſe participavit cum eis; undè & antiqui metricè dixerunt:

Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena.
Se tenet in manibus, ſe cibat ille cibus.

Non autem ſumpſit, ut conſequeretur aliquem effectum, ſed ut aliis ſumendi præberet exemplum; undè Chryſoſtomus: *priùs bibit, ne alii potum ſanguinis abhorrerent.* Cù n enim dicitur in Evangelio, quòd Chriſtus accepit panem, & calicem, non eſt intelligendum, quod tantùm accepit in manibus, ut quidam dicunt, ſed eo modo accepit, quo aliis accipiendum dedit; undè dixit Diſcipulis: *Accipite, & comedite.* Et iterum: *Accipite, & bibite.* intelligendum eſt, quòd ipſe accipiens comedit, & bibit. Licèt enim in manducatione corporali oporteat differre eſſentialiter manducantem, & illud quod manducatur, non tamen in ſacramentali, quia ſicut ibi eſt cibus ſpiritualis per accidens, ſcilicet ſpecie mediante, ſic per accidens quod manducatur debet differre eſſentialiter à manducante, ſed non illud, quod per accidens; ſicut illud, quod per ſe movetur, oportet eſſentialiter differre à movente, ut corpus ab anima; non tamen illud, quod per accidens movetur, ut animam à ſe.

Circa ſecundum reſpondeo: circa hoc duplex eſt modus dicendi; unus eſt, quod non, quia ubi eſt ſpiritualis manducatio, ibi eſt unio; ubi autem eſt unio, ibi eſt diverſitas; cùm ergo Chriſtus non differat à ſe, non comedit ſpiritualiter; & hic modus eſt ſecundùm Bon. 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *ar.* 3. c. & Pe. 4. *diſt.* 2. *ar.* 6. *q.* 2. *c* Alius modus dicendi eſt, quòd ſic, ſicut enim dicetur inf a, effectus hujus ſacramenti eſt non tantùm augmentum ſpiritualis gratię, ſed etiam quædam actualis refectio dulcedinis ſpiritualis. Licèt autem non fuerit Chriſto gratia augmentata ex hujus ſacramenti ſuſceptione; habuit tamen quandam dulcedinem ſpiritualem in nova ejus inſtitutione; undè *Luc* 22. *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum*: quod Euſebius exponit de ſacramento hoc, quod diſcipulis tradebat; & ideò ſpiritualiter manducavit. Manducavit etiam ſacramentaliter inquantum corpus ſuum ſub ſacramento ſumpſit, & ſacramentum hoc intellexit, quòd diſpoſuit; aliter tamen quàm cæteri ſpiritualiter, & ſacramentaliter ſumant, qui augmentum gratiæ ſuſcipiunt, & ad veritatis perceptionem ſignis ſacramentalibus egent; & hic modus dicendi eſt ſecundùm Tho. 3. *q.* 81. *ar.* 1. *c* 3

Circa tertium reſpondeo. Hilarius dicit *ſuper Math.* quod ſic, & conveniens quidem fuiſſet conſiderata malitia Judę; ſed quia Chriſtus nobis debuit eſſe exemplum juſtitiæ, non conveniebat ejus magiſterio, ut Judam occultum peccatorem ſine accuſatione, & evidenti probatione ſepararet ab aliorum communione, ne daretur Prælatis exemplum ſimilia faciendi, & ipſe Judas exaſperatus ex hoc ſumeret occaſionem peccandi; & ideò dicendum eſt, quòd Chriſtus Judæ, ſicut & aliis Diſcipulis, dedit corpus ſuum, & ſanguinem, ut dicit Diony. *lib de eccleſiaſt. hierar.* & Alanus ſuper Jo. Habetur etiam 1. *q* 1. *Chriſtus quid fecit.* & 12. *q.* 2. *Illud cum habenti dare.*

Circa quartum reſpondeo, quòd non, ſed ſimplicem panem, ut enim dicit Aug. ſuper Jo. Dominus priùs diſtribuerat omnibus Diſcipulis corpus ſuum, ubi & ipſe Judas erat, ſicut Lucas narrat, & poſtea per bucellam intinctam, atque porrectam proditorem ſuum expreſſit; ſignificatur autem, ut Aug. dicit, ibi per panis intinctionem fictio Judæ, ut enim inficiantur fila, tinguntur; vel ſignificatur dulcedo divinæ bonitatis, quia ex intinctione ſapidior redditur panis, quod bonum propter ſui ingratitudinem factum eſt ei malum, quia introivit in eum ſathanas.

TITVLVS XVIII.

De Impedimento Euchariſtiæ.

POſtea conſiderandum eſt de his, quæ habent impedire, vel retrahere à ſumptione Euchariſtiæ, &

Primò, de his, quæ habent impedire propter indignitatem, ut ſunt peccata.

Secundò, de his, quæ propter fœditatem, ut pollutio nocturna, vel aliæ pollutiones.

Tertiò, de his, quę propter ſtatuti congruitatem, ut cibus, vel potus præaſſumptus. Ideoque ſit

ARTICVLVS I.

De his, quæ habent impedire ſumptionem Euchariſtiæ propter indignitatem.

CIrca primum quęruntur plura, ſcilicet:

I. *Utrum peccator habens conſcientiam peccati mortalis ſumat corpus Chriſti damnabiliter?*

II. *Utrum aliquis exiſtens in peccato mortali, conſcientiam tamen ejus non habens, ſumendo corpus Chriſti mortaliter peccet?*

III. *Utrum qui accedit contritus, & non confeſſus, peccet?*

IV. *Utrum peccator peccet videndo corpus Chriſti?*

V. *Utrum peccator peccet tangendo corpus Chriſti?*

VI. *Utrum aliquis projiciendo corpus Chriſti in lutum graviùs peccet, quàm ſumendo ipſum cum conſcientia mortalis peccati?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic, & hoc propter indignitatem, quæ eſt in ipſo per comparationem tam ad ſacramentum exterius, quod eſt ſanctum, quàm ad rem contentam interius, quæ eſt ſanctus ſanctorum, quàm etiam ad rem ſignificatam tantùm, quæ eſt ſanctitas, cui obicem ponit; undè 1. *Corint.* 11. *Qui manducat,*

&

& bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit; ideſt condemnationem. Quidam tamen diſtingunt, quòd peccati mortalis conſcientia conſurgit in aliquo, aut ex certitudine ſufficienti, ut quia ſcit ſe fornicatum; aut probabili, ut quia moroſè delectatus eſt, & timet fuiſſe mortalem conſenſum; aut levi, ut homo ſcrupuloſus, qui timet de levi delectationem, ne fuerit mortale peccatum. In primo caſu peccat mortaliter, & ſimiliter in ſecundo, ſed non in tertio; nam in primo contemnit, in ſecundo diſcrimini ſe exponit, in tertio non, & ita diſtinguit Pe.4. *di.9.q.2.ar.1.c.*

Sed eſtò, quòd ſit Paſcha, cùm peccator tenetur communicare, videtur, quòd tunc non peccet communicando.

Reſpondeo: talis in eo, quod facit illud, quod tenetur, non peccat, ſed quia malo modo facit; undè in communicando, & omittendo peccat; ſed tamen magis communicando, quia communicare in peccato eſt malum de ſe, ſed omittere communicationem ſit malum ex præcepto Eccleſiæ; undè potiùs debet excommunicationem Eccleſiæ ſuſtinere, quàm in peccato communicare; nec tamen perplexus eſt, quia poteſt pœnitere. Hæc Pe. *ubi ſupra c.2.*

Quo peccato peccat ſumens corpus Chriſti cum conſcientia peccati mortalis?

Reſpondeo, peccato omiſſionis, & negligentiæ, dum ſcilicet ſe ad tantum hoſpitem ſuſcipiendum præparare per ſui examinationem omittit, & negligit; & etiam peccato contemptus, & irreverentiæ, dum ſcilicet Dominum ſuum in tam fœtidum hoſpitium introducit, & gratiam ſibi ab eo oblatam in ſacramento reſpuit; ac per hoc quantum eſt in ſe, ipſi contumeliam facit. Hęc Bon.4. *diſt.9 q.2. art.2.c.*

Circa ſecundum reſpondeo, quòd ſi aliquis non habeat conſcientiam peccati mortalis, aut hoc eſt, quia præparavit ſe, & diſcuſſit præparatione ſufficienti, conſcientiam diligentiſſimè examinando, & peritos conſulendo; aut probabili, conſcientiam ſuam probabiliter examinando, & confitendo; aut negligenti. In primo caſu non peccat, ſed remiſſionem peccatorum etiam ſi qua latent, accipit, & meretur; in ſecundo ſimiliter non peccat mortaliter; in tertio autem peccat mortaliter, & demeretur, maximè ſi negligentia ſit magna. hæc Pe. 4. *di.9. q.2.ar. 1, c.* & convenit cum eo Sco. 4. *di. 9.q. unica. c.*

Sed objicitur, quia cum nemo ſit certus, an ſit in peccato mortali, aut non; ſi mortaliter peccat, qui accedit, quilibet, qui accedit, diſcrimini ſe exponit.

Reſpondeo, quòd non requiritur ad cavendum periculum diſcriminis certitudo conſcientiæ, ſed probabilis conjecturę, quę poteſt haberi, ſecundùm Bern. per quatuor ſigna; primum eſt cùm quis devotè verbum Dei audit; ſecundùm cùm quis ſe ad benè operandum promptum invenit; tertium, cùm quis propoſitum habet abſtinendi a peccato; quartum, cùm de præteritis dolet. Hæc Pe. *ubi ſupra. c.3.*

Circa tertium reſpondeo: Peccator contritus antè confeſſionem, quando vult communicare, aut poteſt habere copiam confeſſoris idonei, & tempus ſufficiens, & loquelam liberam, & tunc peccat communicando ſine confeſſione, quia ad ſacramentum Eccleſiæ requiritur reconciliatio etiam ſecundùm judicium Eccleſiæ, & ſic intelligit Hug. de Sancto Victore, cùm dicit *lib. de poteſtate ligandi, atque ſolvendi: Audacter dico, ſi ante abſolutionem ſacerdotis criminoſus ad communionem corporis Chriſti accedat, pro certo judicium ſibi manducat, & bibit, etiamſi eum ante multum pœniteat, & vehementer doleat, & ingemiſcat.* Aut non habet, & tunc aut imminet aliqua neceſſitas celebrandi, & communicandi, ut quia timet ſcandalum perſonæ ſuæ, niſi communicet, aut populi; vel jam incepit ſacramenti myſterium, vel amiſit loquelam, & tunc non peccat cum propoſito confitendi quando poterit. Aut non imminet neceſſitas, & tunc peccat. Hæc Ric. 4. *diſt. 9. q.2.ar.2.c.* & Pe.4. *diſt.9.q.2.c.* & Sco. 4. *diſt. 9. q. unica. c.*

Circa quartum reſpondeo, per viſum non attingitur corpus Chriſti, ſed ſolùm ſacramentum ejus, quia ſcilicet viſus non attingit ad ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ſolùm ad ſpecies ſacramentales, ut ſupra dictum eſt; ſed, ille qui manducat, non ſolùm ſumit ſpecies ſacramentales, ſed etiam Chriſtum, qui eſt ſub eis; & ideò à viſione corporis Chriſti nullus prohibetur, qui ſit ſacramentum primum conſecutus, ſcilicet baptiſmum; undè non baptizati non ſunt admittendi ad videndum corpus Chriſti, ut etiam patet per Diony. *lib. eccleſiaſt. hierar.* ſed ad manducationem non ſunt admittendi, niſi ſoli illi, qui non tantùm ſacramentaliter, ſed etiam realiter Chriſto ſunt conjuncti.

Circa quintum reſpondeo, quòd quando neceſſitas urget, ut quia corpus Chriſti caderet in locum immundum, ubi colligeret, tunc non peccat, aliàs peccat propter irreverentiam.

Sed contra prædicta videtur, quòd ſemper peccat peccator tangendo, & videndo, qui Bethſamitę videntes arcam Domini ſunt interfecti. 1. *Reg 6.* Et ſimiliter Oza percuſſus eſt, quia ipſam arcam tetigit 2. *Reg 5.* Ad quod dicendum, quòd illa non fuit figura tangentium, & videntium Chriſtum; ſed Betſamitę figuram gerunt ſimplicium, hujus ſacramenti arcana videre volentium, qui propter timorem frequenter pereunt, & moriuntur; & Oza figuram gerit ſacerdotum carnalium, qui in peccatis exiſtentes ad conficiendum accedunt; nam aliqui dicunt, quòd illa nocte cum uxore jacuerit. Literalis verò ratio, quare illi ſunt interfecti, eſt, quia contra mandatum Domini fecerunt, quia Dominus præceperat, ut nullus de plebe eam detectam videret; undè hoc, ut dicit glo. *ibi*, licebat ſoli Pontifici; præceperat etiam, ut ſacerdotes eam ferrent; & ideò uterque contra præceptum

ceptum fecerunt; & ideò percuſſi ſunt. Hęc Tho. *4. di. 9 ar. 3. q. 6. c. 2.* & Bona. *4. di. 9. q. 2. art. 2. c. 4. ad oppoſitum.*

Circa ſextum reſpondeo, quòd ſic; primò quidem, quia ille hoc faceret ex intentione faciendi injuriam ſacramento, quod non intendit peccator indignè hoc ſacramentum ſuſpiciens; ſecundò, quia homo peccator capax eſt gratiæ; undè magis eſt aptus ad ſuſcipiendum hoc ſacramentum, quàm quęcumque alia creatura irrationalis; undè maximè inordinatè uteretur hoc ſacramento, qui projiceret ipſum canibus, vel projiceret ipſum in lutum ad conculcandum. Hęc Tho. 3. *q. 88. ar. 5. c. 3.*

ARTICVLVS II.

De his, quæ habent impedire ſumptionem hujus ſacramenti propter fœditatem.

SEquitur videre de ſecundo, ſcilicet de his, quæ habent retrahere ab hoc ſacramento propter fœditatem, ut eſt pollutio nocturna, & ſimilia. Circa quod quæruntur plura, ſcilicet

I. *Vtrum pollutio nocturna, & quæ pollutiones habeant retrahere à ſumptione Eucharistiæ?*

II. *Vtrum pollutio, quæ in ſomno incipit, & in vigilia deſinit, peccatum ſit?*

III. *Vtrum pollutio conjugalis debeat retrahere à ſumptione Eucharistiæ?*

IV. *Vtrum mulier menſtruata arceatur à perceptione corporis Chriſti?*

V. *Vtrum ſomnium homicidii impediat?*

Circa primum reſpondeo, in ſomnis non poteſt eſſe peccatum; poteſt eſſe tamen effectus peccati, vel ſignum; & ideò conſideranda eſt cauſa nocturnæ pollutionis.

Sciendum igitur, quòd pollutio quandoque provenit ex præcedentibus cogitationibus carnalibus; hæc autem quandoque poſſunt eſſe ſine peccato omninò, ut cùm quis cauſa lectionis, vel diſputationis cogitur de talibus cogitare, & ſi hoc ſit ſine concupiſcentia, & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, ſed honeſtæ, ex quibus tamen pollutio ſequi poteſt, ut patet per Auguſt. *ſuper Gen. ad literam. li. 12. ipſa*, inquit, *fantaſia, quæ fit in cogitationibus ſermocinantis, cùm expreſſa fuerit in viſione ſomniantis, ut inter illam, & conjunctionem corporum non diſcernatur, continuè movetur caro.* & ſequitur, *quod cum motus ſequitur, hoc tam ſine peccato, quàm cum peccato à vigilantibus dicitur, quod ut diceretur proculdubio cogitatum eſt.* Quandoque verò ſunt cogitationes præcedentes cum concupiſcentia, & delectatione; & ſi adſit conſenſus, erit peccatum mortale, ſin autem veniale. Quandoque pollutio provenit ex ſuperfluitate cibi, & potus, & hoc etiam poteſt eſſe veniale, vel mortale. Quandoque provenit ex infirmitate naturæ, quę non eſt peccatum; undè etiam quidam vigilando ſine peccato fluxum ſeminis patiuntur. Quandoque ex ſuperfluitate naturę, quę etiam eſt ſine peccato, putà, quia ſemen, quod fluit, eſt ſuperfluitas ſanguinis ſecundùm Philoſ. Quandoque ex dæmonum illuſione, qui fantaſmata movere poſſunt, ex quorum apparitione pollutio ſequitur; hoc autem quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, vel orationem, quę poteſt eſſe veniale peccatum, vel mortale. Quandoque etiam ex nequitia dæmonum impedire volentium à receptione hujus ſacramenti; ſi igitur pollutio nocturna proveniat ex aliqua prędictarum cauſarum, quæ cum mortali peccato pro certo, vel probabiliter timetur eſſe, dicendum eſt, quòd neceſſariò impedit ſumptionem hujus ſacramenti, quia licèt ipſa ſecundùm ſe non poſſit eſſe mortale peccatum, habet tamen mortale peccatum annexum ratione ſuæ cauſæ; ſi verò proveniat ex cauſa, quę ſit tantùm peccatum veniale, non impedit neceſſariò, ita ſcilicet quod homo ſumendo ſit reus corporis, & ſanguinis Domini; impedit tamen de congruo propter duo, quorum unum ſemper accidit, ſcilicet fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam ſacramenti non decet accedere ad altare; undè & volentes tangere aliquod ſacramentum manus lavant, niſi fortè talis immunditia ſit perpetua vel diuturna, ut eſt lepra, vel fluxus ſanguinis, vel aliquid aliud; ſecundùm, eſt evagatio mentis, quę ſequitur pollutionem nocturnam, pręcipuè quando cum turpi cogitatione, vel immaginatione contingit.

De pollutione verò, quæ provenit ex crapula veniali, diſtinguitur in decreto, quia aut ſentitur in ſomniis imaginatio turpis, & ſic impedit de congruo tàm à ſumptione hujus ſacramenti, quàm à confectione; aut non ſentitur, & ſic non impedit à ſumptione hujus ſacramenti; impedit tamen de congruo à confectione; ſi verò pollutio proveniat ex cauſa, quæ ſit ſine peccato ex naturę ſuperfluitate, vel infirmitate, non eſt timenda, quia, ut dicit Gregorius, hanc animus neſciens protuliſſe magis dolendus eſt, quàm feciſſe, undè à neutro impedit. Et idem dicendum eſt, quando pollutio provenit ex cogitatione, quæ fuit omninò ſine peccato; pollutio verò, quæ provenit ex diabolica illuſione; etſi ſine peccato ſit, impedit tamen de congruo, undè Iſidorus; *quiſquis nocturna illuſione polluitur, licèt extra memoriam turpium cogitationum ſe ſentiat, inquantum tamen ut hic tentatur, culpæ ſuæ attribuat, ſuamque immunditiam fletim fletibus tergat.* Si tamen evidenter appareat, quod diabolus conatur auferre fructum Euchariſtiæ, poteſt communicare, ſi non dedit cauſam pollutioni, ſed magis cauſam contrariam; & hoc ſæpè accidit in feſtis, quando eſt communicandum, ut legitur in collationibus Patrum, quòd cum quidam frater pollutionem pateretur ſemper in feſtis, quando erat communicandum, ſeniores comperto, quod ab eo nulla proceſſerat

cauſa,

cauſa, decreverunt, quod propter hoc nullo modo à communione ceſſaret; ita ceſſavit illuſio dæmonum.

Intelligendum tamen, quòd impedimentum, quod ex contrarietate provenit, poſtponi debet propter aliquam neceſſitatem, pùta, ut Gregorius dicit, & habetur *diſ. 6. teſtamentum*. cum forſan aliquando dies feſtus exigit, in quo Prælatus celebrare conſuevit, aut exhibetur myſterium, pro eo quod alius presbyter deeſt, & neceſſitas cogit; & iſte modus dicendi conſonat verbis Greg. & Iſido. quæ habentur *di. 6. teſtamentum. & c. non eſt peccatum*.

Si ergo quæratur, utrum ſemper quando quis polluitur ceſſare debeat: Dicendum, quod ſi ſentiat inquinationem illam inclinaſſe multum animam, conſulendum eſſet ei, quod faceret ſacramento reverentiam; ſi autem magis expeditam naturam ſentiat, & ulterius devotio, vel ſolemnitas, vel aliud quod multum recompenſet, ad ſumendum trahat, tunc arbitror ipſum ſine remorſu conſcientiæ accedere poſſe. Hæc Bona. 4. *di. 12. p. 2. q. 2. ar. 3. 9.*

Item ſecundum Tho. *4. di. q. ar. 4. q. 2. c. 3.* pollutus tali pollutione, quæ non impedit neceſſario, debet celebrare pro alio, qui in peccato mortali eſſet, ne celebrando mortaliter peccaret.

Circa ſecundum reſpondeo ſecundum Tho. *ubi ſupra. q. 1. c. 5.* pollutio quantum ad meritum, vel demeritum magis judicatur ſecundùm principium, quàm ſecundùm finem, quia corporalis motus non pertinet ad meritum, vel demeritum, niſi ſecundum quod à voluntate cauſatur; ex quo autem ille motus eſt excitatus in dormiendo, non ſubjacet ulterius voluntati vigilantis, nec reputatur evigilaſſe dormiens, quouſque recuperaverit verbum, aut uſum. Poteſt tamen contingere, quod in ipſa evigilatione peccatum oriatur, ſcilicet ſi pollutio placeat propter delectationem, quæ quidem complacentia ſi ſit ex ſurreptione, erit venialis, ſi autem cum conſenſu deliberativo, & præcipuè cum appetitu futuri, eſt mortalis; illa tamen complacentia non facit præteritam pollutionem eſſe peccatum, quia non eſt ejus cauſa, ſed ipſa in ſe eſt peccatum; ſi autem placeat, ut eſt naturæ exoneratio, non eſt peccatum.

Circa tertium reſpondeo; Coitus conjugalis ſi ſit ſine peccato, ut ſi fiat cauſa prolis generandæ, vel debiti reddendi, non alia ratione retrahit ab hoc ſacramento, quàm pollutio nocturna, quæ accidit ſine peccato; ſcilicet propter immunditiam corporis & diſtractionem mentis, ratione cujus dicit Hieron. *ſuper Matth. & habetur 33. q. 4. ſciatis. Si panes propoſitionis ab iis, qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis, qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò antè adhæſerunt amplexibus violari; non quia nuptias condemnamus, ſed quia eo tempore, quo carnes Agni Paſchalis manducaturi ſumus, à carnalibus operibus vacare debemus.* Sed quia hoc, ſecundùm congruitatem, non ſecundùm neceſſitatem eſt intelligendum; ideò dicit Greg. & habetur. *c. q. 4. vir cum propria.* quod talis eſt ſuo judicio relinquendus; ſi autem voluntas dominetur in opere carnis, ut *ibidem* Greg. ſubdit, tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc ſacramentum, niſi priùs fuerit lotus aqua, ſcilicet pœnitentiæ. Aliqui tamen diſtingunt, quòd voluptas poteſt denominari dupliciter, ſcilicet, aut ita quod moveat ad cognoſcendum propter fornicationem vitandam, & ſic debet abſtinere de congruo, aut propter explendam libidinem, & ſic abſtinere debet neceſſariò, quando cognoſcit uxorem ut meretricem 33. *q. 4. vir cum propria. in tex. & in glo.*

Item nota, quòd *de conſe. di. 2. omnis homo.* dicitur, quòd qui vult communicare, debet abſtinere ab uxore propria tribus, aut quatuor, aut quinque diebus; & intellige ſecundùm Jo. quòd debet abſtinere quantùm eſt in ſe, & non debet exigere, ſed exactus tenetur reddere, ſed illud non eſt præceptum, ſed conſilium.

Circa quartum reſpondeo, quòd non, nec etiam mulier ſtatim poſt partum, quia illa immunditia eſt purè naturalis; ſi tamen ex reverentia recipere non præſumit, vel quod plus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinere voluerit, eſt laudanda; ſi tamen receperit, non eſt judicanda. *di. 5. c. 1. & c. ad ejus. & extra de puri. c. uno.* Similiter dici poteſt de illa infirmitate, quæ dicitur *Levit.* 15. feminis fluxus.

Circa quintum reſpondeo, ſomnium homicidii non inducit immunditiam corporis, nec tantam diſtractionem mentis, ſicut ſomnium fornicationis propter intentionem delectationis; ſi tamen ſomnium homicidii proveniat ex cauſa, quæ eſt peccatum mortale, impedit ratione ſuæ cauſæ à ſumptione ſacramenti. Hæc Tho. *3. q. 80. ar. 7. c. 9.*

ARTICULUS III.

De his, quæ impediunt à ſumptione Euchariſtiæ propter ſtatuti congruitatem.

Equitur videre de tertio, ſcilicet de his, quæ habent retrahere à ſumptione Euchariſtiæ propter ſtatuti congruitatem; & circa hoc quæruntur plura, ſcilicet

I. *Utrum cibus, vel potus præaſſumptus impediat ſumptionem hujus ſacramenti?*

II. *Utrum ſumptio aquæ, vel alterius potus, vel cibi in minima quantitate, vel etiam reliquiarum cibi in ore remanentium impediat?*

III. *Utrum cibus, vel potus præaſſumptus in nocte profunda impediat?*

IV. *Utrum hoc ſacramento ſumpto liceat ſtatim cibum ſumere, vel potum?*

Circa primum reſpondeo, quòd ſic. *extra de*

zed by Google

de cele. miſ. ex parte, in tex. & glo. d. & hoc triplici ratione. Primò, ut Auguſt.dicit, ob honorem ſacramenti, ut ſcilicet priùs in os intret nondum infectum aliquo cibo, vel potu. *de conſe. diſt. 2. liquido.* Secundò, propter ſignificationem, ut ſcilicet quod Chriſtus, qui eſt res hujus ſacramenti, & charitas ejus primò fundari debet in cordibus noſtris, ſecundùm illud *Matth. 6. Primùm quærite regnum Dei.* Tertiò, propter periculum vomitus, vel ebrietatis, quæ quandoque contingunt, quando homines inordinatè potibus, vel cibis utuntur, ſicut Apoſtolus dicit. 1. *Corin.* 11. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Excipiuntur tamen infirmi, qui ſtatim ſunt communicandi, etiam poſt cibum, ſi de eorum periculo timeatur, ne ſine communione decedant, quia neceſſitas legem non habet. *de conſe. diſt. 2. presbyter: presbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione decedat.* Capitulum autem illud, quod habetur *de conſe, diſt. 1. ſacramenta. Sacramenta,* inquit, *altaris non niſi à jejunis celebrentur propter diem, quo cœna Domini celebratur.* Loquitur de conſuetudine aliquando apud aliquos obſervata ad repræſentationem cœnæ Domini die illa, ſcilicet jovis, factæ, ut à non jejunis corpus Chriſti ſumeretur; ſed hoc modò eſt abrogatum. Ut enim dicit Aug. *c. prædicto.* per univerſum orbem mos ille ſervatur, ut ſcilicet corpus Chriſti à jejuno ſumatur.

Sed objicitur, quòd Dominus dedit hoc ſacramentum Apoſtolis poſt cœnam *Joban.* 13.

Reſpondeo, quòd illa hora conveniens fuit primæ inſtitutioni, ut dictum fuit ſupra, ſed non convenit noſtro uſui, quia inſtitutio reſpicit effectum ſacramenti, ſed uſus ulterius idoneitatem ſuſcipientis, ut quia homo plenus non eſt aptus ad peragendum ſpiritualia; ideò hoc ſervare non debet Eccleſia; Nec eſt ſimile de Apoſtolis, quia ipſi ſobriè comederant exemplo Chriſti, & comederant cibum paſchalem, qui quodammodò ſpiritualis erat quantùm ad rationem ſignificandi.

Circa ſecundum reſpondeo, duplex eſt jejunium ſcilicet naturæ, quod dicit privationem cujuſcumque præaſſumpti per modum cibi, vel potus; & tale jejunium requiritur ad hoc ſacramentum propter prædicta; & ideò poſt ſumptionem aquæ, vel alterius cibi, vel potus, vel medicinę etiam in minima quantitate, non licet ſumere hoc ſacramentum, & qui contra fecerit excommunicationi ſubjacebit, aliàs beneficio erit privandus. *ar. extra. de accuſa. ſi confiteri. & 7. q. 1. nihil.* ubi dicitur; *nihil refert, utrum aliquid hujuſmodi nutriat per ſe, vel cum aliis, dummodò ſumatur per modum cibi, vel potus.* Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, ſi caſualiter deglutiantur, non impediunt, quia non trajiciuntur per modum cibi, vel potus, ſed per modum ſalivæ, & eodem modo eſt de reliquiis aquæ, & vini, quibus os abluitur, dummodò non trajiciantur in magna quantitate, ſed permixta ſalivę, quod vitari non poteſt. Hæc Tho 3. *q.* 80. *art.* 8. *c.* 4. Secundùm etiam Ric. 4 *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 3. ſi presbyter antè miſſam os ſuum propter reverentiam ſacramenti aqua lavet, & à caſu aliqua gutta aquæ illius ſtomachum intret, non propter hoc tenetur miſſam dimittere celebrare, maximè in die ſolemni, quia hoc non videtur impedire dignam preparationem presbyteri, nec reverentiam ſacramenti. Et de ſimilibus idem judicium habeatur, & ejuſdem ſententiæ eſt Hoſti. Secùs eſt ſi ex propoſito illam guttam deglutiret; ſecundùm utrumque eſt *ar.* 15. *q.* 6. *c.* 1. Aliud eſt jejunium Eccleſię, quòd ſcilicet ſtatuitur ad carnis macerationem, & iſtud non impedit propter prædicta, quia prædicta non multùm nutriunt, ſed magis ad alterandum ſumuntur.

Circa tertium, licèt principium diei ſecundùm diverſos diverſimodè ſumatur, Eccleſia tamen ſecundùm Curiam Romanam diem incipit à media nocte, & finit in medio noctis ſequentis. *extra. de offic. judi. delegata. conſuluit.* Et ideò ſi poſt mediam noctem aliquis aliquid ſumpſerit per modum cibi, vel potus, non poteſt eadem die hoc ſacramentum ſumere; poteſt verò antè mediam noctem. Nec refert, utrum poſt cibum, vel potum dormierit, aut etiam ſi cibus digeſtus ſit quoad præceptum, refert autem quoad turbationem mentis, quam homines patiuntur propter inſomneitatem, vel indigeſtionem, in quibus ſumens perturbatur; ideò ad ſumptionem hujus ſacramenti ineptus redditur. Hæc Tho. 3. *q.* 80. *ar.* 8 *c.* 5. Hoſt. autem dicit, quòd presbyter cibo, vel potu ſumpto pro nimia ſiti celebrare poterit, ſi tanto tempore dormierit, vel etiam ſine dormitione quieverit, quod cibus digeſtus eſſe poſſit. Sed ego non credo ſibi, quia quantumcumque dormierit de mane uſque ad nonam, non poſſet dici, quòd jejunus eſſet, loquendo de jejunio, quod requiritur ad hoc ſacramentum.

Circa quartum reſpondeo; maxima devotio requiritur in ſumptione hujus ſacramenti, quia tunc percipitur ejus effectus; hæc autem devotio magis impeditur per præcedentia, quàm per conſequentia; & ideò magis eſt inſtitutum, quòd homines jejunent antè ſumptionem hujus ſacramenti, quàm poſt; debet autem eſſe aliqua mora inter ſumptionem hujus ſacramenti, & alios cibos, ſcilicet uſque ad conſumptionem illarum ſpecierum, ſive alterationem; propter reverentiam; quia tamen illa alteratio citò fit, non oportet, quòd mora ſit multum magna; undè & univerſa oratio actionis gratiarum poſt communionem dicetur, & communicantes etiam dicant ſuas orationes privatas. Secundùm tamen antiquos canones ſtatutum fuit à Papa Clemente III. ut habetur *de conſe. diſt.* 11. quod ſi mane dominica portio editur, jejunent uſque ad ſextam, qui eam ſumpſerunt; & ſi hora tertia, vel quarta acceperunt, jejunent uſque ad veſperam; antiquitùs enim rarius miſſarum ſolemnis

lemnia celebrabantur, & cum majori præparatione, nunc autem quia frequentiùs oportet ſacra myſteria celebrare, non poſſet de facili obſervari; & ideò per conſuetudinem contrariam eſt abrogatum. Hæc Tho. 3. *q.* 80. *ar.* 8. *c.* 6.

TITULUS ULTIMUS.

De Efficacia Sacramenti Eucbariſtiæ.

DEinde conſiderandum eſt de efficacia ſacramenti Euchariſtiæ, &

Primò, quis ſit effectus hujus ſacramenti.

Secundò, in quibus habeat effectum. Adeoque ſit

ARTICULUS I.

De Efficacia Sacramenti Eucbariſtiæ.

CIrca primum ſciendum, quòd per hoc ſacramentū primò gratia confertur; omnem enim effectum, quem facit cibus, & potus quantum ad vitam corporalem, facit etiam hoc ſacramentum quantum ad vitam ſpiritualem *Jo.* 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; undè reficit ſpiritualiter, quòd ſine gratia eſſe non poteſt; undè hoc ſacramentum gratiam confert; confertur autem gratia ſpiritualiter cum virtute charitatis; undè Dam. comparat ipſum carboni; carbo enim non eſt ſimpliciter lignum, ſed igni unitum, ita & panis iſte non eſt ſimpliciter panis, ſed panis conjunctus divinitati, ſicut autem dicit Greg. *in homil penult. Amor Dei non eſt otioſus, operatur enim magna, ſi eſt.* & ideò per hoc ſacramentum quantùm eſt de ſui virtute, non tantùm habitus gratiæ, & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum, ſecundùm illud 2 *Corint.* 5. *charitas Chriſti urget nos.* Indè eſt, quod ex virtute hujus ſacramenti anima ſpiritualiter perficitur per hoc quod delectatur, & quodammodo inebriatur à dulcedine bonitatis divinæ, ſecundùm illud *Cant.* 5. *Comedite amici mei, & inebriamini chariſſimi.* Secundò, virtutes augentur, ſicut per cibum corporalem corpus augmentatur. Hinc Diony. dicit, quòd Euchariſtia perfectivam habet virtutem, quod non eſſet niſi per augmentum virtutum. Tertiò, peccata venialia remittuntur, per quę fervor charitatis minuitur, ſicut per corporalem cibum reſtauratur, quod quotidie deperditur: undè Ambro. *lib. de ſacramentis* dicit, quòd ille panis quotidie ſumitur in remedium quotidianę fragilitatis. Remittuntur autem per hoc ſacramentum non omnia venialia, ſed plura, vel pauciora ſecundùm quod homo magis, vel minus ſe diſponit, & charitas vigoratur contra illa; remittitur autem illud veniale, vel illa, ad cujus, vel quorum remiſſionem homo magis ſe diſponit. Hæc Bon. 4. *di.* 12 *par.* 2. *q.* 1. *ar.* 3. *c.* 2. *ad oppoſitum.* & Pe. 4. *di.* 12. *q.* 4. *ar.* 1. *q.* 2. *c.* 1. Quartò, etiam quandoque remittitur peccatum mortale, ut quando ſumitur ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam non habet, & affectum; fortè enim primò non fuit contritus, ſed devotè, & reverenter accedens conſequitur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remiſſionem peccati. Quintò, homini tam ſumenti, quàm etiam offerenti, quàm etiam illis, pro quibus hoc ſacramentum offertur, ſecundùm modum, & quantitatem ſuæ devotionis, & fervoris pœna peccati remittitur. Sextò, homo à peccatis præſervatur, tum quia per ipſum ſpiritualiter roboratur, ſecundùm illud *Pſal. Panis cor hominis confirmet.* tum quia per ipſum inquantum eſt ſignum quoddam Paſſionis Chriſti, per quam devicti ſunt dæmones, impugnatio dæmonum repellitur; undè Chryſo. dicit *ſuper Jo. ut leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus terribiles effecti in animo.* De hujus ſacramenti efficacia loquens Innoc. & quaſi omnes ejus effectus ſupradictos breviter comprehendens, dicit; *Eucbariſtia liberat à malo, conſervat in bono, delet venialia, & cavet mortalia; hujus etiam virtute ſacramenti omnes virtutes augentur, omnium gratiarum fructus exuberant.*

Impeditur autem efficacia hujus ſacramenti aliquo modo per venialia. Peccata autem venialia dupliciter accipi poſſunt, uno modo prout ſunt præterita, alio modo prout ſunt actu. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus ſacramenti; poteſt enim contingere, quòd aliquis poſt multa peccata commiſſa venialia devotè accedat ad hoc ſacramentum, & plenariè conſequatur hujus ſacramenti effectum. Secundo autem modo, peccata venialia non ex toto impediunt hujus ſacramenti effectum, ſed in parte. Dictum eſt enim, quòd effectus hujus ſacramenti non ſolùm eſt adeptio habitualis gratię, & charitatis, ſed etiam eſt quædam refectio actualis ſpiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc ſacramentum mente diſtracta per peccata venialia, non autem tollitur augmentum ſpiritualis gratiæ, & charitatis. Cum omnibus prædictis convenit Tho. 3. *q.* 79. o.

ARTICVLVS ULTIMUS.

In quibus efficaciam habeat Eucbariſtia Sacramentum?

SEquitur videre de ultimo articulo hujus primæ partis, ſcilicet in quibus habeat efficaciam ſacramentum Euchariſtiæ; & circa hoc quæruntur plura, videlicet

I. *Vtrum habeat efficaciam in quolibet viro juſto?*

II. *Vtrum hoc ſacramentum in aliquo peccatore efficaciam habeat?*

III.

Google

III. *Utrum hoc ſacramentum proſit tantùm ſumentibus?*

IV *Utrum hoc ſacramentum habeat ſuum effectum in omnibus, pro quibus offertur?*

V. *Utrum ſumere plures hoſtias conſecratas ſimul in eadem miſſa magis proſit ſumenti, vel etiam illis, pro quibus ſunt oblatæ, quàm ſumere unam tantùm?*

Circa primum reſpondeo: ſacramentum non habet efficaciam in aliquo, niſi dignè accedat; dignè autem accedit, qui ſe preparat, ſicut debet. Tantum verò ſacramentum accipere ſicut alium cibum non eſt congruum, nec fructuoſum erit, quia in hoc ſacramento eſt preſens divina majeſtas, & ſumma exprimitur charitas, ideò debet recipi cum honore, & devotione; & quia ſic non recipitur tantus hoſpes in immundo hoſpitio, neceſſe eſt, ut homo Deo hoſpitium preparet per ſui dijudicationem; & quia nullus hoſpitium hoſpiti parat, niſi eum cognoſcat, neceſſe eſt, quod iſtum cibum ab aliis diſcernat. Ad hoc ergo, quod hoc ſacramentum in aliquo habeat efficaciam, oportet primò iſtum cibum ab aliis diſcernere per fidem, ſecundò, hoſpitium parare per ſui probationem, tertiò, in hoſpitio parato recipere cum honore, & devotione. Primum, & ſecundum habemus 1. *Corint.* 11. primum ibi: *non dijudicans corpus Domini.* ſecundum ibi: *probet autem ſe ipſum homo.* tertium in Zacheo; & quia multi recipiunt hoc ſacramentum, qui ſe non præparant debitè; ideò multi imbeciles, & infirmi, & dormiunt multi. Cùm ergo queritur utrum vir juſtus recipiat ſacramenti efficaciam, dicendum, quòd ſi præparat ſe, recipit; alioquin ſi ex quadam corruptione, vel diſtractione non præparet ſe debitè, aut nullam, aut modicam reportat efficaciam, licèt non incurrat mortalem offenſionem. Hæc Bona 4. *di.* 12. *par* 2. *q.* 1. *ar.* 1. *c*,

Circa ſecundum reſpondéo: non eſt limitanda Dei largitas; quin in hoc ſacramento poſſit facere, & aliquando faciat omnis culpæ remiſſionem. Sed ſecundùm forum commune, & generalem rationem inſtitutionis hujus ſacramenti, dicendum eſt, quòd iſtud ſacramentum datum eſt in cibum illis, qui ſunt de corpore Chriſti myſtico, & omnes tales habent charitatem; ideò effectum habet in ſolis juſtis; effectus autem in juſtis eſt liberatio à culpa veniali, & preſervatio à mortali, ut ſupra patuit. Hæc Bon. 4. *di.* 12. *p.* 2. 1. *ar.* 2. *c*

Circa tertium reſpondeo, quòd non, ſed etiam aliis; nam ſicut dictum eſt, hoc ſacramentum non tantùm eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. In quantum enim in hoc ſacramento repræſentatur Paſſio Chriſti, per quam Chriſtus obtulit ſe hoſtiam Deo, ut dicitur *ad Epheſ.* 5. habet rationem ſacrificii; ſed inquantum in hoc ſacramento traditur inviſibilis gratiæ ſub viſibili ſpecie, habet rationem ſacramenti. Sic igitur hoc ſacramentum prodeſt ſumentibus, & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificii, quia pro omnibus ſumentibus offertur; dicitur enim in canone miſſæ: Q*uotquot ex hac &c.* uſque *gratia repleamur.* Sed aliis, qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificii, in quantum pro eorum ſalute offertur; undè & in canone miſſæ dicitur *memento* &c. uſque *incolumitatis ſuæ.* & utrumquè modum proficiendi exprimit Dominus *Matth.* 26. *qui pro vobis*, ſcilicet ſumentibus, *& pro multis*, ſcilicet aliis, *effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hæc Tho 3. *q.* 79. *ar.* 7. *c.* 2.

Circa quartum reſpondeo, quòd non; nam ſicut Paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus quantum ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpę, & adeptionem gratiæ, & gloriæ; ſed effectum non habet niſi in illis, qui Paſſioni Chriſti conjunguntur per fidem & charitatem; ita etiam hoc ſacramentum, quod eſt memoriale Dominicæ Paſſionis non habet ſuum effectum, niſi in illis, qui conjunguntur huic ſacramento per fidem, & charitatem; undè Auguſtinus dicit ad Renatum: *Quis offerat corpus Chriſti, niſi pro his qui ſunt membra Chriſti.* undè & in canone miſſæ non oratur pro his, qui ſunt extra Eccleſiam; illis tamen prodeſt plus, vel minus ſecundùm modum devotionis eorum. Hæc Tho 3. *q.* 79. *ar.* 7. *c.* 2.

Circa quintum reſpondeo, quòd non; nam ſumptio pertinet ad rationem ſacramenti, ſed oblatio pertinet ad rationem ſacrificii; & ideò ex hoc quod aliquis ſumit corpus Chriſti ſemel vel pluries, non accreſcit aliis aliquod juvamen; ſimiliter etiam nec ex hoc, quod ſacerdos conſecrat plures hoſtias in una miſſa, multiplicatur effectus hujus ſacramenti, quia non eſt niſi unum ſacramentum; nil enim plus eſt virtutis in multis hoſtiis conſecratis; quàm in una, cùm ſub omnibus, & ſub una non ſit niſi totus Chriſtus; undè nec ſi aliquis plures hoſtias conſecratas in una miſſa ſimul ſumat, percipit majorem effectum ſacramenti; in pluribus verò miſſis multiplicatur ſacrificii oblatio; & ideò multiplicatur effectus ſacrificii. Hæc Tho. 3 *q.* 79. *ar.* 7. *c.* 3.

Explicit Liber Quartus Primę Partis.

TABULA

De Significationibus Verborum.

COnſequenter, quia in hac ſumma nonnulla reperiuntur, quandoque juris, tàm civilis, quàm canonici, vocabula, quę lectoribus eorum ignaris tedium in legendo,&etiam difficultatem in intelligendo præbere poſſent; ideò hic eſt aliqualis doctrina brevis,& utilis de ſignificationibus hujuſmodi vocabulorum ſecundum ordinem Aphabeti ſupponenda. Illorum tamen vocabulorum, quorum notitia in titulis hujus Summæ traditur, in eiſdem titulis ſignificatio requiratur, ſuper quibus etiam vocabulis, & alijs contentis in ipſis titulis, tabulam compoſui ſecundùm ordinem Alphabeti. Exordium ergò iſſius tituli ſumemus à vocabulis incipientibus ab. A.

A

ABigeus dicitur propriè, qui pecora à paſcuis, & armentis ſubducit, ab abigendo *ff. de abigeis*; Undè dicitur ibi: *qui pecudem unam abberrantem, vel equos de ſolitudine abduxerit, non eſt abigeus, ſed fur.*

Abinteſtato, ideſt ſine teſtamento,& eſt adverbium,& inteſtatus ta. tum. nomen; ideſt ſine teſtamento: hæc probantur *in rubrica. inſt. de hæreditatibus.* quæ ab inteſta. deferuntur,juncto principio. Nota tamen,quòd iſta dictio hic non propriè ponitur, ſed propriè debet poni ſub dictione *in*; undè inteſtatus, ideſt ſine teſtamento.

Abolitio eſt accuſationis inſtitutæ per ſententiam peremptio,ſecundùm *Glo.* in *Rubrica eſt de abolitionibus.*

Abrogare eſt deſtruere; ſed derogare eſt in parte tollere; undè lex dicitur quandoque abrogata .ut *ff.de ver. ſig.*

Acceptilatio eſt quidam actus juris civilis inventus regulariter ad tollendum tantùm obligationem verborum, ideſt ſtipulationem, quæ etiam eſt in jure civili, & ſicut in contracta obligatione per ſtipulationem quædam verba ſunt certa à jure civili introducta, putà, per interrogationem, & reſponſionem utriuſque partis, à quibus procedit obligatio; ſic etiam eodem jure in acceptilatione introducta ſunt certa verba interrogationis,&reſponſionis mutuæ partis utriuſque, à quibus procedit ejuſdem obligationis diſſolutio. Putà,debitor ſtipulatione obligatus interrogat creditorem ſuum ſic: Quod ergo tibi per ſtipulationem promiſi, habeſne acceptum? & creditor reſpondet: Habeo acceptum; quaſi dicat,perindè habeo,ac ſi accepiſſem à te per veram ſolutionem, & ſicut vera ſolutione liberatus eſſes, ita hac acceptilatione liberaris:, undè acceptilatio eſt imaginaria ſolutio, in hoc ſimilis veræ ſolutioni, quod ſicut per veram ſolutionem omninò tollitur ipſo jure obligatio naturalis, & civilis; ita etiam per acceptilationem, quæ eſt ſolutio imaginaria, pro eo quod lex imaginatur debitorem abſolutum per eam, per ſolutionem veram, ut *inſtit. quibus modis tollitur obligatio. §. eſt autem acceptilatio*; ſic ergo acceptilatio regulariter non tollit, niſi obligationes verbis, ſcilicet per ſtipulationem contractas; obligationes verò contractas re, vel conſenſu, vel litteris, de quibus vide ſupra *lib. 3. tit.4. ar.2.* non tollit, niſi deducatur in ſtipulationem acquilianam, de qua vide ſupra *lib, 3. tit.19. ar.6. B.*

Accipere differt à capere; infra in Capere.

Acor, & mucor ſunt vitia vini, quia quandoque aceſcit, & quandoque muceſcit; undè dicitur acidum, vel mucidum, eſt etiam mucor vitium panis, cum panis muceſcit.

Acta dicuntur publicæ ſcripturę negociorum, quæ geruntur ordinem continentes.

Actio,ut dicitur *inſt. de actionibus in principio* eſt jus proſequendi in judicio, quod ſibi debetur; eſt autem actio alia perſonalis, hoc eſt in perſonam; alia realis, ideſt in certam rem, ut quando petitur res certa; undè actio in rem dicitur

Digitized by Google

citur vendicatio, quando ſcilicet aliquis dicit rem, de qua agitur ſuam; & adverſarius dicit eam etiam eſſe ſuam; actio autem in perſonam dicitur conditio, quando aliquis contendit aliquid dari, vel fieri ſibi; quando verò agit; ut res ſua reſtauretur ſibi, & negotium certum, & ſpeciale nomen incidit, ut inde poſito, tunc non dicitur conditio, ſed perſonalis actio ſimpliciter: hoc autem nomen conditio deſcendit indè, quod olim erant judicia ordinaria, & certa, & quædam ſolemnia verba oportebat condici, ideſt ſimul dici, ut ſi quis deficeret in una ſyllaba, cadebat à cauſa; non debet autem actio in rem moveri contra venditorem, ſed contra præſidentem in loco, in quo res eſt *C. ubi in rem actio exerceri debeat. l. 1. hac inſti. de actionibus*. Item actionum aliæ dicuntur bonæ fidei; aliæ actiones ſtricti juris. Actiones bonæ fidei ſunt iſtæ, ſcilicet ex empto, ex vendito, ex locato, ex conducto, depoſiti commodati, pignoratitia, & ex permutatione, & de his actionibus omnibus habitum eſt ſupra in titulis ſuis; ſunt etiam plures aliæ actiones bonæ fidei, quas ſub ſilentio tranſeo gratia brevitatis. Actiones autem ſtricti juris ſunt actio ex mutuo, ex arbitrio, & ex ſtipulatione.

Actio redhibitoria eſt quantò minoris, quæ datur emptori contra venditorem, ſi ſervum vitioſum ſibi vendat; ſed differenter, quia ſi fuerit vitium corporis, ut ſi ſervus, vel animal ſit morboſum, datur redhibitoria emptori infra ſex menſes utilis, ut venditor, aut ſervum, vel animal morboſum recipiat, & pretium reſtituat; ſi verò ſit vitium animi, datur actio eſtimatoria, quantò minoris infra annum utilem, quanti eſt emptoris ſervum non eſſe ebrioſum, vel luxurioſum ff. *de edil. edi. l. 1.*

Actio preſcriptis verbis, quæ competit, ſi ita conduxi equum tuum, ut poſt eadem, quantùm nos conveniet, vel quantum eſt juſtum, vel quantùm videtur bono viro, vel ſimilia. *inſti. de leg §. qua de cauſa.*

Actio de inofficioſo teſtamento, quæ competit liberis circa teſtamentum parentum, & parentibus circa teſtamentum liberorum, & circa teſtamentum fratris, ſi turpem perſonam inſtituat hæredem.

Actio Legis Acquiliæ, quæ continet duo capitula; primum eſt de occiſis ſervis, vel quadrupedibus, qui numero pecudum continentur, quo caſu ſit condemnatio quanti pretii ea res fuerit eo anno retrò; ſecundum capitulum de eiſdem vulneratis, & feris, & beſtiis occiſis, cæteriſque rebus ruptis, veluti veſte, vaſe, & ſimilibus, quo caſu tanti condemnatur, qui damnum dedit, quanti res fuit triginta diebus retrò; hæc actio datur contra confitentem in ſimplum, & negantem in duplum.

Actio de dolo, quæ competit, quando damnum mihi dolo datum eſt, vel quando aliquis contra me dolo verſatur, nec ſupereſt aliqua alia actio, qua poſſim experiri.

Actio in factum, quæ datur contra judicem, qui per ignorantiam malè judicavit ad reſtituendum damnum, quod per ejus ſententiam eſt illatum.

Actio certi, quæ competit, quando res certa in ſtipulatione eſt deducta.

Actio indebiti, quæ competit ei, qui per errorem indebitam pecuniam alii perſolvit. Sunt etiam præter prędictas multę aliæ actiones ſtricti juris, quas relinquo gratia brevitatis. Sciendum autem, quòd primę actiones dicuntur bonæ fidei, non quia tantùm in eis debeat bona fides ſervari, quia etiam in actionibus ſtricti juris, & in quolibet contractu bona fides debet ſervari; ſed quia in ipſis bona fides exuberans eſt ſervanda, & judex pleniorem habet poteſtatem ad omnia exequenda, quæ ſuadet æquitas, vel fides bona.

Actiones verò aliæ dicuntur ſtricti juris, quia non venit in eis, niſi quod ſtrictè exigit natura actionis, vel quod principaliter eſt in obligatione; undè in contractibus ſtricti juris non veniunt uſuræ, niſi ſint ſpecialiter promiſſæ; illud enim tantùm venit in judicium, de quo eſt actum expreſsè per pacta inter partes habita, ut venirent, ſed in contractibus bonæ fidei veniunt uſuræ ex mora, ſi ſcilicet aliquis ſit in mora ſolvendi, quæ tamen propriè non ſunt uſuræ, ſed intereſſe. Non veniunt etiam in contractibus ſtricti juris fructus, ut ſi petam, quòd aliquando non fuit meum, niſi à tempore litis conteſtatæ; ſed ſi petam, quòd aliquando fuit meum, veniunt fructus ex mora, vel etiam antè moram quandoque, ne quis locupletetur cum alterius jactura. ff. *de uſuris. l. 2.* Non venit etiam in eiſdem intereſſe, ſi rem dari mihi ſit in obligatione; ſecùs eſt ſi rem tradi, vel præſtari, vel fieri certo die ſit in obligatione. In his enim tribus caſibus ſi per me ſteterit, quo minus impleam promiſſum, teneor ad intereſſe ex mora, ſi ille incurrat damnum. ff. *de ver ob. ubi autem. §. ult. & l. ſi fundum.* Item in contractibus bonæ fidei veniunt ea, de quibus non eſt cogitatum, ut rupta ceſa, quia ibi non tantùm venit principale, ſed etiam acceſſoria, ſcilicet fructus

In ipſis enim omnia veniunt in judicium præter illa, de quibus actum eſt, ut ſi venirent, omnia, inquam, veniunt, quæ ſub natura actionis, quæ exponitur, includuntur; quinimò & in actionibus ſtricti juris poſt litem conteſtatam veniunt fructus, & alia acceſſoria; ſed hoc fit officio judicis, potiùs quàm jure actionis. *extra. de exceptio. cum venerabilis in glo.*

Actiones, quæ infamant ſunt quatuor; actiones deſcendentes ex contractibus quatuor, ſcilicet Mandati, Depoſiti, Tutelæ, pro ſocio, quod intelligitur de actione directa; & quatuor deſcendentes ex quatuor delictis, ſcilicet injuriarum, bonorum raptorum, furti, & doli., ff. *de his quæ no. infa. furti*. Prædicta etiam de actionibus patent *inſt. de act. & tribus rubricis ſequentibus.*

Actio-

Actiones quædam ſunt prætorię, ut quę ſunt annuales, quia & ipſius prætoris infra annum expirat imperium, ut actiones injuriarum, & aliæ prætoriæ actiones, & pænales *inſt. de perpe. & tempo. ac circa principium.* Elapſo autem anno à tempore, in quo incæperunt competere, non poſſunt intentari, niſi fuerint antea motæ. Quædam civiles, ut quæ in civili proficiſcuntur.

Actor eſt, qui agit, & pulſat alium, rem aliquam ab eo petens concedi, vel reſtitui. De actore etiam infra in Curator.

Accuſator eſt, qui aliquem accuſat, & criminalem movet quæſtionem, & dicitur accuſator, quaſi ad cauſator. qui ad cauſam vocat eum, qui appellat. *extra. de ver. ſig. forus.*

Accuſatio eſt alicujus de crimine delatio ſecundùm *Goſ* De hoc infra in Deferre.

Adempta dicuntur illa legata, quæ teſtator adimit legatario voluntate mutata.

Adverſio eſt cujuſcumque operis certa determinatio, ſecundùm quam quis pro certa mercede certum opus, & determinatis ſuis impenſis ſuſcipit dirimendum, vel faciendum.

Affirmativa quandoque exponitur per negativam *extra. de teſtibus & at. veniens, melius in c. licet univerſis.* ubi dicitur, quòd in ore duorum, vel trium, ideſt non pauciorum. Quandoque è converſo, ut *diſt. 1. jus naturale*, ubi dicitur: tranſire per agrum alienum, ideſt non tuum fas eſt. Jure enim naturæ nihil eſt alienum, quia omnia ſunt communia.

Agaſo dicitur cuſtos equorum, ſed propriè aſinorum, indè dicitur equitius; equitium verò dicitur grex equorum, de quo *in l. ſi. ff. ſi quadru. pau. feciſſe dica.*

Ala ſecundùm Acurſium dicitur triginta equites; ſic dicti, quia vice alarum tegunt. Cohors habet decem alas; Legio decem cohortes.

Album Prætoris dicebatur tabula quædam dealbata ſita in roſtris, in qua proponebantur edicta Prætoris, ut facilè ex eminenti conſpicerentur, ut legerentur; roſtrum autem dicitur forus cauſarum, ideſt ubi cauſæ tractantur, ſic dictum eſt, quia Auguſtus fecit de roſtris navium fieri ſedes cauſarum.

Allegare, allegandi modus in jure tam canonico, quàm civili tradetur *infra in juris corpus, in fine ſecundæ partis.*

Alienatio, cauſa mutandi judicium facta, de qua tractatur *extra. 1. lib. ti. 41.* locum habet, cùm quis credens ſe conveniendum ſuper re aliqua, alienat eam dolo malo cauſa judicii mutandi à ſe, & ſuſcipiendi ab eo, in quem transfert poſſeſſionem illius rei; *ſecundùm Goſ.*

Alimenta, alimentorum nomine intelliguntur cibaria, veſtitus, & habitatio, quia ſine his corpus ali non poteſt; undè alimentis legatis prædicta debentur. ff. *de ali. & ciba. lega. l. legatis.*

Annotatio eſt bonorum prędſcriptio, ut cùm quis in jus vocatus abſentat ſe, ut reus criminis patiatur annotationem bonorum, ut ſi infra annum venerit, & crimine ſe purgaverit, bona ſuſcipiat, & ſi non venerit, in fiſcum congregentur.

Apparitores ſunt illi, qui partes citant, & eas in judicio faciunt apparere, indè ſic dicti.

Appellatio eſt à minori judice per invocationem majoris judicis prętextu iniquitatis primæ ſententię latæ deciſio *ſecundùm Hoſt.*

Apices juris de his ſunt, quæ ad merum pertinent imperium, & quæ non, ut dicit *Rod. ſuper ti. de pænis*: de his etiam eſt, quòd ordo juris eſt ſervandus, ut vult *Hoſt. ti. de divor. propter fortitudinem.*

Apotheca eſt ſcriptura, quam debitor accipiens pæcuniam loco cautionis dat creditori, & recipit eam debito perſoluto, & dicitur ab *Apo.* quòd eſt re, & captio, quaſi receptio, & componitur etiam cum *anti*, quod eſt contra; & dicitur antipotheca cę. quę eſt ſcriptura, in qua debitor confitetur ſe recepiſſe pecuniam, quam credidit, & tradidit eam debitori; undè verſus:

Apoca ſolventi datur, antipoca recipienti.

Apocriſarius, ideſt nuncius ſecretus, *extra. de elec. ſignificaſti cum glo. 1*

Apolides dicuntur, qui ſunt ſine civitate ab *A*, quod eſt ſine, & *polis*, quod eſt civitas.

Applumbarii ſunt nuncii Papæ, ſecundùm *Jo. 1. q. 7.* convenientibus cum glo. in verbo apocriſariis

Apoſtoli dicuntur in jure litterę dimiſſorię appellantibus datæ ab illis, à quibus appellatur, ſit mentio *in Cle. 1. & 2. de apell.*

Apotheca dicitur locus, vel archa, in qua reponitur aliquid cuſtodiæ cauſa.

Arbitrium eſt ſecundùm Hoſt. poteſtas alicui voluntariè data, & recepta ad pronunciandum in lite, prout fuerit ei viſum, aliquando certa pæna vallata, & cæteris terminis limitata; ſecundùm verò Abbatem, compromiſſum eſt poteſtas arbitris data; arbitrium autem eſt ejus ſententia. Sunt autem arbitrorum duo genera, ſcilicet compromiſſarii, qui propriè dicuntur arbitri, & arbitratores primi eliguntur ut judices, ut ſcilicet procedant ſervato ordine judiciario in ſubſtantialibus; ſecundi non; item primi dantur ſecundùm abbatem ad cognoſcendum, & diffiniendum, ut ſi petas à me domum, & ego denegem, & fiat compromiſſio in aliquem, ille eſt verus arbiter, quia elegitur, ut cognoſcat, & definiat, cujus ſit domus; ſed ſecundi eliguntur à partibus, non ſuper re litigioſa, ſed ut componendo, vel dividendo inter partes definiant tantùm; ut ſi duo ſocii res ſocietatis dividere velint ad arbitrium Petri, Petrus erit arbitrator. *ar.* ff. *pro ſocio l. ſi ſocietatem §. arbitrorum.*

Archimandrita eſt princeps ovium, ab *archos*, qui eſt princeps, & *mandros*, quod eſt ovis.

Archipresbyterorum duo ſunt genera, ſcilicet civitatenſis, & ruralis. *extra. e. ti. officium*; & hi vocantur decani.

Argumentum, quaſi argutè inventum. *extra*

tra. de ver. ſig. ſerus. Utrum ab exemplis gentilium ſit argumentandum. *de conſe. diſt.* 1. 5. *in glo. in ver. ſi enim Judæi.*

Arma hoſtis antiqui ad miſeras animas captivandas ſunt otioſitas, & voluptas. *extra. de renun. niſi cum pridem.* §. *verum.*

Aſſiſterium eſt domus monialium, ſicut monaſterium monachorum.

Aut, quandoque ponitur diſtinctivè, ut quando altero poſito, neceſſe eſt alterum tolli, ut cùm dicitur dies, aut nox. Quandoque ſubdiſjunctivè; ſubdiſjunctivarum ſunt duo genera; unum ſecundùm quod non poſſunt ambo eſſe ſimul, ita tamen, quod utrumque poteſt eſſe, ut cùm dicitur, aut ſedet, aut ambulat; alterum ſecundùm quod ambo poſſunt ſimul eſſe, ut cùm dicitur, omne animal aut facit, aut patitur. ff. *de ver. ſig. hæc verba.*

B

BAnnire dicitur ſub pœna ad cauſam vocare.

Biarca eſt princeps militum quadraginta à *bis* viginti, & *archos*, quod eſt princeps.

Bona Eccleſiarum, infra in Eccleſiarum.

Bona vacare eſt ea dominum non habere.

Boves non continentur ſub appellatione jumentorum, ſed pecorum. ff. *de edil. edi. l. ediles.* §. *jumentorum.*

C

CAlumnia èſt falſi criminis impoſitio.

Cancellarius dicitur, cujus officium eſt reſcripta, & reſponſa Imperatorum reſpicere, & malè ſcripta damnare, & benè ſcripta ſigillare, & dicitur à cancellando, ideſt damnando literas linea per medium ducta; ſuperpunctare verò non literam punctis ſuppoſitis damnare.

Canon, ideſt decretales.

Capere eſt aliud, quàm accipere; capere enim eſt capere ita, quod cùm capis, fiat tuum, Accipere autem potes, quòd accipiendo non fiat tuum.

Capitulum facit major pars capituli, *extra. de elec. quia propter in glo.* & quandoque pars ſanior, licèt ſit numero minor eſt judicanda major, & preponenda, putà, quando pars altera non eſt ſana, ſcilicet quia indignum eligit, vel contra Eccleſiam aliquid facit; ſecùs eſt, quando utraque eſt ſana. *extra. de his, quæ ſi. à Præla ea noſcitur in glo dicta.* Item quod facit major pars capituli, totum capitulum intelligitur facere; hoc eſt verum in his, quæ ſunt de neceſſitate facienda, ut in electionibus, alienationibus, & ſimilibus. Hæc & plura alia de hac materia. *extra. de conſti. cum omnes. in glo.*

Captio eſt deceptio, undè captioſum eſt deceptuoſum.

Cardinales dicti ſunt à cardine, quia ſicut hoſtium regitur cardine, ſic per eos regitur Eccleſia univerſalis, *di.* 23. *ſacroſan. in ſi.* Dicuntur etiam Cardinales Presbyteri, ideſt principales, quia per eos debet officium in Eccleſia regi, ut *extra. de off. Archipreſ. y. miniſterium. in Glo.* & 7. *q.* 1. *paſtoralis.* Item cardo omnium Eccleſiarum dicitur Papa 25. *q.* 1. §. *bis ita*, & Cardinales dicuntur *extra. de conſue. cum venerabilis.*

Nota, quod presbyteri Cardinales habent titulum; Dyaconi verò non habere dicuntur *extra. arbi cum à nobis*, quod ibi malè probat, & licèt in decretalibus ſæpè ponantur presbyteri ſine titulo, tamen in litteris Papæ nunquam ponitur Præsbyter ſine titulo, nec Dyaconus, nec Epiſcopus cum titulo; Undè ſi literam bullatam, in qua hoc non ſervetur, inveneris, ipſam judices eſſe falſam *ar. extra. de cri. falſi. quam gravi*; Hæc Hoſtien. *in ſumma ti. de offi. Archipræsby*

Caſſitare eſt minutatim ſtillare.

Calculus, eſt ratio, numerus, ſententia, carbo.

Cauſa dicitur à caſu quo venit, quia ſæpè caſualiter occurrit homini contra voluntatem ejus, eſt enim cauſa materia, & origo negocii. nec dum diſcuſſionis examine patefacta, quæ dum proponitur cauſa eſt, dum diſcutitur judicium, dum diſinitur, juſtitia *extra. de verb. ſig. ſerus.*

Eſt autem cauſa, quędam ſpiritualis, vel annexa ſpirituali, ut ſi ſit de jure patronatus. Quædam civilis, ut cum agitur de rei vindicatione, vel cauſa pecuniaria *extra. de libel. obla. c. penul. & ult.* Quædam criminalis, ut cum agitur directè de crimine, & actionem debet inſcribere *extra. veniens.* Quædam mixta, ut cum agitur de crimine civiliter, ut de adulterio ad ſeparationem Thori. In his tribus caſibus ultimis juratur de calumnia. In prima verò cauſa non juratur de calumnia, ſed tantùm de veritate dicenda. Hæc B r *extra. de jur. calu. c.* 1. & 2. Si tamen agatur poſſeſſorio pro re ſimplici juratur de calumnia, & ſimiliter in expoſitionibus propoſitis in re ſpirituali, ut *ibidem* Cauſa minima dicitur duorum aureorum, vel decem aureorum, vel quinquaginta ſolidorum, vel illa, quæ non ſufficit ad ſumptus judiciales, ut *extra. de appell. in Glo.*

Cauſæ favorabiles ſunt quatuor, ſcilicet de libertate, matrimonio, dote, & teſtamento *extra de re. ju duobus*; Cauſa autem argumento, ſcilicet naturalis rationis, aut probatione teſtium, vel tabularum, ideſt inſtrumentorum conſtat *extra. de verbo. ſig. forus.* Facit etiam probationem confeſſio, ut *ibidem in Glo.*

Cautio eſt generale nomen omnium ſecuritatum.

Cautionum autem alia eſt fidejuſſoria, ſcilicet, quando intervenit fidejuſſor; Alia eſt pignoratoria, ſive hypotecaria, ut cum pignus datur, aut hypoteca ſupponitur; Alia juratoria, ut cum promiſſio juramento firmatur; Alia aphotecaria, ſivè chyrografaria; Alia promiſſio nuda, & dicitur pollicitiva conventio. Nomine autem cautionis nuda promiſſio intelligitur; cum verò additur idonea, vel ſufficiens, intelligitur pignoratitia,

Digitized by Google

moratitia, vel fidejuſſoria; Hęc Ber. *extra. ut lite non conteſt. quantum*. Secundum autem canones, quandoque cautio ſufficiens dicitur cautio juratoria *extra. de ſen. exc. ex ſacramento. melius glo. in c. quoniam § in aliis, ut lit. non conteſta.*

Cautio ex evictione eſt ſecuritas emptori præſtita à venditore, quod ſi res empta evincatur ab alio, venditor ei reſtituat ęſtimationem rei in duplum, vel in ſimplum, ſecundum quod inter eos convenerint.

Cedit bonis, qui oneratus debitis, cum non habeat undè ſolvat, omnibus creditoribus omnia, quę habet, illis concedit.

Cedere diem debiti eſt pecuniam incipere debere.

Cælicolæ dicuntur, qui colunt planetas C. de Judeis,& cælicolis per totum,maximè in Glo. rubri. quæ hoc notat.

Cenſere eſt judicare, præcipere, & conſentire.

Cenſor eſt Judex,& cenſura judicium. Item cenſeri dicuntur prædia, quæ præbent cenſum. ff. *de verb. ſig.*

Cenſitor eſt, qui cenſum exigit.

Cenſiti, qui cenſentur, ideſt cenſum præbent; & dicuntur tributarii à tributo; tributum verò dicitur à tribulatione.

Ceſſio eſt juris, & actionis translatio. Notandum autem, quòd in inſtrumentis ceſſionis dicitur, quòd cedens, eum cui cedit conſtituit procuratorem,ut in rem ſuam. Ad cujus evidentiam ſciendum, quòd ſi cum Petro ex mutuo, vel aliter contraxiſti,tibi competit contra eum actio directa, & perſonalis, quia cum eo in tua perſona contraxiſti, tibi etiam competit actio utilis, qua utiliter, & cum effectu debitum ipſum, tanquam rem ſuam proſequeris; ſi autem mihi jura, & actiones contra ipſum debitorem tuum ex cauſa venditionis, vel alia certa cauſa cenſeris,transfertur in me utilis actio, qua poſſum uti ad ipſum meum debitum,tanquam rem meam exigendam; directa verò, & perſonalis remanet apud te, cum à te per ceſſionem non potuerit ſeparari, etiam ſi velis,adeò inheret tibi, ut ff. *pro ſocio l 3. non video, quomodo ibi probetur*, ſed benè eſt *glo. in l. frater à fratre*. ff. *de condi. indeb. in glo. ſuper verbo: perveniſſet*: undè ad eam intentandam debes me conſtituere procuratorem tuum, licèt in rem meam,ideſt ad exigendum ipſum debitum factum meum;ad quod facit ff. *de procura. Si quis in rem ſuam*, & ſic patet, quòd in actione directa, & perſonali ſum procurator tuus, qua aliter non poteram uti, licèt enim directa non poſſit cedi; tamen poteſt mandari, & ejus exercitium committi.

Cibariorum nomine non intelliguntur veſtes, ſed alimentorum. ff. *de alimentis. l. ult.*

Ciminilia dicuntur pelves, indè ciminiliarchus, ideſt theſaurarius, ſive ſacriſta, qui cuſtodit theſaurum, qui in pelvibus colligi ſolet, & indè ciminiliarchum, ideſt locus, ubi theſauri cuſtodiuntur.

Cinicus,tibaldus,reprehenſor à *cinos*, quod eſt canis.

Circunducere literam, eſt eam circumducta linea damnare,

Circummuniatores, dicuntur, qui circundant patriam, à nundinis ad nundinas venalia deferentes.

Ciſtellum dicitur locus, in quo collecta uſui reſervantur.

Citatio eſt in jus vocatio; ſi verò in edicto Præco, vel judex addat hoc, ſcilicet ſi die præcripto non veneris,condemnaberis, tunc dicitur edictum perentorium. Fit autem citatio à judicibus Eccleſiaſticis per literas, à ſecularibus per nuncios communitatis.

Civitatis nomine non comprænditur Dyęceſis, nec è converſo *extra. de eta. accepimus in glo.* civitas murorum ambitu terminatur. *extra de ſen. exc. ſi civitas*,& vide *tex. in l. 2.* ff. *de verb. ſig.*

Clauſula *quidam alii*,per hanc poſſunt tantùm quatuor conveniri *lib. 6. de reſcript cum in multis*. de hac clauſula *in c. ſedes e. ti. in decretalibus.*

Clericorum nomen ſumitur aliquando communiter, ut comprehendat omnes non canonicos, & canonicos *extra. de verb. ſig. cùm tibi.* aliquando ſtrictè pro Clero Cathedralis Eccleſiæ, ut *ibidem cùm Clerici.*

Cohors, qui eſt ſupra in aula.

Cliens dicitur, cujus cauſam advocatus tuetur.

Cognati dicuntur omnes conſanguinei per ſexum, ſive virilem, ſive femineum; agnati verò tantùm per virilem ſexum.

Collegium faciunt tres.

Congregationem faciunt duo; populum decem; turba viginti quinque; gregem quinque porci, vel decem oves. *extra. de elec. c. 1. in glo.*

Colimiarchæ, ideſt limiarchæ.

Colluſio eſt inter actorem, & reum latens, & fraudulenta conventia, per quam alter in judicio ſe ſuperari permittit. *extra. e. audivimus in glo.*

Commendare eſt deponere. ff. *depo. Lucius, Titius.*

Comitatenes milites dicuntur milites ſtipendiarii à comitatu dicti, eo quod ſemper militant in comitatu.

Commeatus, & commeata dicitur remuneratio eorum; alitèr tamen videtur capere. *tex. in l. qui commeatus.* ff. *de re militari.*

Commentum, ideſt deceptio, vel occultus, & malitioſus tractatus ſecundùm *Jo An. extra. de reſti. in integrum ſi Eccleſia.*

Comes ſacrarum largitionum eſt, per quem Imperator ſuam munificentiam exercebat.

Comes rerum privatarum erat, qui privati commodi, & rerum fiſcalium habebat adminiſtrationem, ut eas conſervaret, & in eis negociaretur.

Comes

Comes ſacri patrimonii erat, qui procurabat patrimonium Imperatoris.

Compromiſſum quid eſt; *ſupra in arbitrium.*

Compendium *infra in diſpendium.*

Conceſſio ſimpliciter, & indiffinitè facta intelligitur generaliter, & reſpicit futurum tempus. *extra. de privi. quia.* cum *glo. in fi.* qui nihil excipit, & excipere potuit, totum jus ſuum conceſſiſſe videtur *ibidem.*

Cui conceditur majus, & minus. *extra. de deci. ex part.* 3. & hoc eſt verum generaliter, niſi prohibeatur minus ex cauſa *extra. de tornea. c. 1 in tex. & glo.* ubi conceditur occiſis in torneamento pœnitentia, & viaticum, & prohibetur eccleſiaſtica ſepultura.

Conceſſo principali conceditur acceſſorium *extra. de offi. dele. præterea.*

Quid uni conceditur, nulli eſt denegandum. *di. 5. ad ejus.*

Sed contra 16. *q. 1. hinc eſt.*

Reſpondeo, primum eſt verum de eo quod conceditur de jure communi. Secundùm autem verum eſt, de eo, quod conceditur ex privilegio ſpeciali. *extra. de jur. calum. c. 1. in glo. g.*

Conceſſo, vel prohibito aliquo, omnia quæ ex illo ſequuntur, conceduntur, & prohibentur. *ar extra. de conſti. nam concupiſcentiam.*

In conceſſione generali veniunt, quę quis ſpecialiter concederet, & non ea, quæ non eſt veriſimile in ſpeciali concedi. *ff. de peculio. quæ peculii. & de pig. l. obligatione.* Si alicui concedatur via per fundum alienum ſine certi loci diffinitione, licèt, illi per quamlibet ejus partem iter agere civili modo: nam quædam in ſermone tacitè excipiuntur; non enim per ipſam villam, aut per mediam vineam viam facere ſinendus eſt; ſed qua primum viam direxit ea demum ire debebit. *ff. de ſervit. ſi cui.*

Concilia quatuor principalia fuerunt, quæ ſta veneratur Eccleſia, ſicut quatuor Evangelia; ſcilicet Nicęnum, Conſtantinopolitanum, Ephęſinum, ſcilicet primum, & Calcedonenſe: Diſpenſat tamen Papa in illis, & contra illa, dum tamen nihil ſtatuat contra fidem *extra. de renun. poſt tranſlationem. §. verum. & in glo. 5. & ult.*

Concuſſionis crimen, *infra in crimen concuſſionis.*

Conditiones generales ſemper in pactionibus ſubintelliguntur, ſcilicet ſi Deus voluerit, ſi res in eodem ſtatu permanſerit, & ſimilia. *extra. de reſcri. c. 2. in glo. d.*

Conditio, quid eſt; *ſupra in actio.*

Confeſſio fit in jure tripliciter, ſcilicet ore, facti evidentia, & interpretativè, ſcilicet contumacia. *extra. de præſumpt. nullus dubitat in glo. d.* Præjudicat autem confeſſio, ſi fiat à jure; hoc eſt ſi fiat in judicio coram Judice competente, & adverſario præſente. Requiruntur autem quædam alia ad hoc, quod confeſſio præjudicet, ſcilicet quod fiat ſpontè, ſcienter contra ſe, poſt litem conteſtatam, & quod confiteatur ſe debere ex certa cauſa, & quod non ſit contra naturam; ut ſi dicat ſe occidiſſe eum, qui vivit; nec contra jus, ut ſi Judęus dicat ſe cum Chriſtiana contraxiſſe matrimonium; nec de re litigioſa; nec in cauſa favorabili, & quod confitens ſit major viginti quinque annis: hęc Ber. *extra. de confeſ. ex parte,* & Goſ *in ſum.*

Confeſſio autem, ſcilicet judicialis eſt certa, & clara aſſeveratio, ideſt reſponſio ejus, de quo quæritur in jure coram legitimo Judice facta.

Confinia dicuntur, quæ adeò ſunt ſibi proximè, ut nullus paries ſit medius inter ea; undè prædia urbana, quę conſueverunt parietibus diſtingui propriè non dicuntur confinia, ſed potius vicina. Prædia verò ruſtica poſſunt confinia dici, quæ ſola partis finalis determinatione ſunt diſtincta. *ff. de legi. 1. l. quod in rerum natura. §. ſi quis poſt, qui tex. non probat.*

Confirmatio uno modo eſt ſacramentum Eccleſię, ſcilicet prout eſt in fronte chriſmatis conſignatio; alio modo eſt juris prius habiti corroboratio.

Confirmatio eſt in his verbis, ſcilicet confirmamus te, ſicut ritè poſſides, vel ſicut ſine pravitate facta eſt, vel ſicut providè facta eſt, quæ clauſula ponitur in confirmatione compoſitionis, vel beneficii, & ſumitur ſicut pro ſi. Secùs autem in privilegiis, quia privilegium eſt lex privata; ideò ſemper aliquid ponere debet. Quandoque tamen ponitur in confirmatione cauſa, ut cùm Papa ſententiam aliquam ex certa ſcientia confirmat, ut *extra. de offi. del. quàm abbas.* vel *cum glo. fi. cùm vidit aliquam compoſitionem.* & in litteris confirmationis inſerit tenorem compoſitionis. *extra. de confir. c. fi. in tex. & glo* & ſimiliter cùm Judex, qui tulit ſententiam, mandat eam alicui exequendam dicens, ſicut ritè lata eſt, tunc tenetur loqui cauſaliter; ſecùs eſt ſi alius: hæc Hoſt.

Confiſcari eſt in fiſcum induci; fiſcus enim eſt ſaccus regius, in quem inducuntur bona damnatorum, & præſcriptorum; undè dicitur bonorum omnium facta eſt confiſcatio.

Congregationem faciunt duo, *ſupra in Collegium.*

Connivere, eſt propriè oculos claudere, & caret ſupino, & conniventia quandoque ponitur pro conſenſu.

Conjunctio, quandoque pro disjunctione ponitur, ut cùm dicitur mihi, hæredique meo. *ff. de verb. ſig. conjunctionem.* & disjunctio quandoque ponitur pro conjunctione. *ff. e. ſæpè.*

Conſequentia literarum dicitur conſequens ordo ſcripturæ, ſcilicet quando ſcribitur ſine titulis.

Conſenſus eſt quadruplex, ſcilicet negligentiæ, conſilii, cooperationis, & auctoritatis, ſive defenſionis. *extra. de offi. dele. c. 1. in glo. b.*

Conſilium, ſi quis ſit obligatus requirere conſilium alterius, non valet, quod agit, niſi requirat conſilium. *extra. de arbi. cum olim.* non tamen tenetur ſequi conſilium, & debet petere

Digitized by Google

ære conſilium tempore competenti, & expectare reſponſum. *extra. de elec. cum in veteri.*

Conſilium reverentiæ obligat, ſicut præceptum *diſt.6. c.1.* conſilium verò perfectionis non obligat. *extra. de ætate ad aures in glo.* quę de novo emergunt, de novo indigent conſilio, & remedio. ff. *de ven. inſpi. l.1.*

Ubi majus periculum vertitur, ibi magis eſt conſulendum. ff. *de carbo. edi. l. 1. §. 7.* Non eſt præcipitandum conſilium, quando indigemus ut aliquid maturius agamus. *di. 50. ponderet.*

Conſilium à gravibus, & expertis eſt requirendum 1. *q.* 1. *eſtote.* Qui fraudulenter dat conſilium tenetur actione de dolo, & contra eum agi poteſt, quanti ejus interfuerit illud factum non eſſe. ff. *de dolo. l. arbitrio. §. dolo.* Quod verum eſt ſi ſit ſolvendo; ſi autem ſit non ſolvendo, ad jus priſtinum reſtitui non debet. ff. *de dolo. l. eleganter. §. fi.* Hæc Ber. *extra. de renun. c. pe.*

Conſiſtorium èſt tribunal, vel prætorium, ſcilicet locus, in quo jus dicitur.

Conſtitutio, infra in decretales epiſtolæ.

Conſularis fœmina eſt uxor conſulis. *l.* 1. ff. *de ſena.*

Conſules ſic dicti ſunt, quia ut plurimum Reipublicæ conſulebant, cùm oportebat.

Contignatio tignorum conjunctio, & quandoque dicitur tectum; undè dicitur duæ ædes ſunt ſub una contignatione, ideſt ſub uno tecto.

Contractus in limine dicitur eſſe, quando res eſt tradita, & prætium non eſt ſolutum, quia contractus eſt initiatus, ſicut limen eſt initium introitus domus.

Contumacia eſt ſecundùm Gof. inobedientia, & contemptus, cum quis tribus edictis, vel uno peremptorio pro omnibus citatus pœnitentiam ſui facere contemnit, vel veniens mandato non obedit; contumax eſt, qui vocem Judicis exaudire contemnit.

Convenire mihi, eſt congruere mihi, convenire me, eſt alloqui me; convenire inter aliquos eſt placere inter eos.

Coram Titio dicitur fieri illud, quod fit eo preſente, & ſciente *ff. de verb. ſign. coram.*

Cornicularios dicimus illos, qui in libello cornua alarum regenda habuerunt.

Corpus dicitur tota Eccleſia, ideſt omnes fideles per fidem, & charitatem conjuncti; ſunt enim unum corpus myſticum, cujus caput eſt Chriſtus *extra. de Sum. Tri. c.* 2. Quandoque etiam dicitur corpus collegium, ſivè univerſitas, cujus caput eſt Prælatus *extra. de his, quæ fi. à Prela. noverit.* Et tale corpus poteſt habere unum ſigillum *extra. de excej. Præla. dilecta.* Dicitur etiam congregatio cujuſcunque civitatis vel villæ, vel caſtri habere corpus. Item quęlibet congregatio pro Juſtitia facienda, ut congregatio ſcholarium, vel totius univerſitatis. Item ſocietas cauſa religionis. Quibus autem permiſſum eſt unum corpus habere, debent inſtar Reipublicæ habere res communes, arcam communem, actorem, ſive ſindicum communem, per quem agere poſſint *ff quod cujuſcunque univerſi no. l.* 1. Item Epiſcopus cum ſuo Capitulo facit unum corpus, cujus ipſe eſt caput, ſed cum clero civitatis, dyæceſis non dicitur facere unum corpus; ſimiliter nec abbatiſſa cum clericis ſuis, licèt ipſa ſit caput, facit unum corpus. Dicitur etiam unum corpus, quod uno clauditur ſpiritu, ut animal lignum Dicitur etiam unum corpus illud, quod habet partes integrales, ſivè ſibi cohærentes, ut domus; & etiam quod habent partes diſtantes, ut grex, populus, collegium; *Hæc. Ber. extra. de exceſ. præla: dilecta.*

Corporati, ſive alligati dicuntur, qui ſunt de aliquo corpore, ſive collegio.

Crimen eſt peccatum, querela ideſt accuſatione, & damnatione digniſſimum *di.* 25. §. *nunc autem.* Criminum capitales erant carceris cuſtodes, qui etiam ſtratores dicebantur à ſternendo, quia condemnatos puniebant.

Crimina excepta, ſcilicet ad quorum accuſationem, & teſtificationem admittuntur contra clericos etiam laici, ſi bono zelo procedant, ſunt hęc, ſcilicet ſymoniæ, hæreſis, læſæ majeſtatis, fraudati cenſus, fraudatæ annonæ, dilapidationis, & ſacrilegii ſecundùm aliquos 17. *q.* 4. *qui rapit.* De tribus primis Ber. *extra. de accu. cùm primum.*

Crimen læſæ majeſtatis eſt, quando quis contra urbem aliquid molitur, vel qui profugit ad hoſtes, vel qui hoſtes qualitercumque juvat, ſcilicet armis, vel pecunia, vel conſilio, vel qui ſubjectas provincias nititur facere rebelles, vel qui ſeditionem movet in civitate, vel qui magiſtratum occidunt, vel principem, vel eos, qui circa latus ejus militant, vel qui arma ferunt, vel occupant loca contra rempublicam; & idem dicitur crimen perduellionis, ideſt hoſtile, perduelles enim dicuntur hoſtes ff *ad l. Jul. majeſtatis juncta. l. quos nos.* ff. *de ver. ſig. l.* 1, 2, 3. *&* 4. Hæc Azo.

Crimen fraudati cenſus eſt, cùm quis furatur publicam pecuniam ſibi commendatam.

Crimina, alia ſunt privat., ut illa, quorum executio, ideſt accuſatio, vel denunciatio pertinet ad illos tantùm, quibus inferuntur, ut furta, & damna illata, & injurię; alia autem ſunt publica, ut illa, quorum executio datur cuilibet de populo, ut homicidia, adulteria, crimen læſæ majeſtatis, & hujuſmodi. Item crimina alia ſunt capitalia, ſcilicet pro quibus pæna ſanguinis infertur, alia non, ſcilicet, quæ pæna pecuniaria puniuntur.

Crimen fraudatæ annonæ eſt, cùm portitores furantur victualia à republica ad exercitum miſſa: crimen ſacrilegii ſecundùm Pe. & abbatem dicitur exceptum in caſu, ſcilicet quando quis hominem extraxit de Eccleſia in caſu non conceſſo. *c. de his, qui ad Eccleſiam confug. l.* 2.

Crimen piaculare dicitur quod morte expiatur.

Crimen concuſſionis committit, qui prætextu

textu officii ſibi commiſſi extorquet comminando aliquid ab invito. 23. q. 1. *militaris.* &c.

Crimina, ſive culpæ quædam ſunt, in quibus eſt culpa relaxare vindictam. *extra. de poſtu. pre. c.* 1. § *nos igitur.*

Cuculla, *infra in flocci nomine.*

Curator datur adulto minori 25. an. Tutor verò datur pupillo infra decimum quartum annum, & pupillæ infra decimum ſecundum annum. Datur etiam pupillis curator ad lites. Iconomus eſt, cui res eccleſiaſtica gubernanda mandatur, ut quia adminiſtrat res canonicorum, qui etiam in quibuſdam Eccleſiis Præpoſitus dicitur. Undè conſtituitur tantùm in rebus eccleſiaſticis, & etiam aliquando defendit in cauſa, & etiam ponitur quandoque in aliqua Eccleſia vacante ad percipiendum, & conſervandum proventus ad opus futuri Prælati ſecundùm Goſ. Vicedominus eſt, qui gubernat res Epiſcopi. Sindicus conſtituitur à qualibet univerſitate, & à pluribus tantùm; undè dicitur ſindicus, quaſi cauſam ſingulorum dicens, & conſtituitur ad unam cauſam; & ad plures, vel ad omnes, & ad præſentes lites. & futuras, & ſine decreto, & non videtur lex facere differentiam, ut dicit Goſ inter ſindicum, & defenſorem; actor verò conſtituitur ab Epiſcopo; conſtituitur etiam à corpore, vel univerſitate, conſtituitur ab uno, & à pluribus. ff. *quod cujuſque univerſitatis l.* 1. Et ibi vide *glo.* in quo hęc differant; & debet conſtitui cum decreto Judicis, & datur ad unam cauſam, & plures; ſed datur ad lites præſentes, non futuras; procurator autem conſtituitur ab uno, & à pluribus ſecundùm Hoſt & ſemper à vero Domino ab initio, & ad unam litem, & ad plures, & ad lites pręſentes, & futuras, & conſtitui poteſt ſine Judice, & conſtituitur in rebus eccleſiaſticis, & privatis, & dicit *Hoſtien. tit. de ſindico.* quod differentia prædicta inter hæc nomina attenditur ſecundùm leges; ſed ſecundum canones non eſt facienda vis de nomine, dummodò conſtet de conſtituentis mente. *Hæc Goſ. & Hoſt.* & conſtitui poteſt procurator præſens, & abſens, non tamen invitus. *extra. de procur. non injuſtè in glo B.*

Chyrografum eſt cum duo paciſcentes faciunt duas ſcripturas ſub eadem forma verborum, & mutuò ſibi tradunt.

D

DAmnum, qui dat occaſionem damni, damnum dediſſe videtur; & ideò tenetur, ſcilicet ſi det operam rei illicitę; vel etiam ſi det operam rei licitæ, & non adhibet diligentiam, quam poteſt. *extra. de teſti. & atteſt. ſicut in glo. c.* Item damna differunt ab expenſis; *infra in Expenſæ.* Damnum dicitur à demendo; undè damnum pateris, quando de rebus tuis aliquid decreſcit, non quando non accreſcit eis; Quare quando lucrum amittis, non ideò damnum pateris.

Damnum, ſive intereſſe eſt circa rem. Putà ſubtraxiſti inſtrumenta, quibus poſſeſſio mea firmatur, teneris mihi ad damnum, quod contingit mihi propter abſentiam inſtrumentorum; quoddam eſt extra rem, ut infra in vocabulo Intereſſe: *de hoc extra. de injuriis in noſtra. in glo.*

Dardanarii dicuntur, qui falſas menſuras tenent, à quodam dardanario dicti.

Dare intelligitur, qui remittit, *extra. de teſti. & atteſt. veniens in glo.* Item dare, ſolet dupliciter ſumi in inſtrumentis. Uno modo propriè, ut cùm res data tranſit in dominium accipientis: alio modo impropriè, ut quando conceditur ſolus uſus, vel ſola poſſeſſio rei. Item dare in ſolutum, quòd ſolet poni in inſtrumentis, eſt dare in ſolutionem.

Debet, & oportet aliquando dicunt neceſſitatem, aliquando honeſtatem. 21. *q.* 1. *c.* 1.

Debitum intelligitur remitti in chyrografi redditione, vel inſtrumenti, non ſic in redditione pignoris. *extra. ut lit. pen. Eccleſia Sanctæ Mariæ in glo. ult.*

Debiti diem venire, eſt debitum poſſe peti.

Declinare eſt aliquam rem paulatim infirmare, & eam declinantem facere; undè dicitur ſententiam Judicis declinare.

Decretales epiſtolæ, Nota ſecundùm Jo. quod conſtitutio eccleſiaſtica dicitur canon, decretalis epiſtola, & decretum; dicitur etiam canon, quòd ſtatuitur in Concilio generali; decretum dicitur, quòd Papa ad nullius conſultationem ſtatuit de conſilio Cardinalium; decretalis epiſtola dicitur, quòd Papa ſtatuit, vel ſolus, vel cum Cardinalibus.

Conſtitutionum alia civilis, quæ dicitur jus forenſe, vel civile; alia eccleſiaſtica, quæ dicitur canon *diſt* 3. *inter.* Item conſtitutio dicitur dupliciter; uno modo communiter, & ſic comprehendit omnes decretales, & leges, & decreta; alio modo ſtrictè, & ſic conſtitutiones dicuntur Principum, leges Populi Romani, edicta Prætorum, vel Judicum: undè dicitur Judex citare tribus edictis. Hęc Jo. *di.* 3. *plebiſcita.*

Decretum dividitur infra in juris corpus.

Deductio, id eſt ſeparatio; unde deducere, id eſt ſeparare; & idem eſt deductio.

Defendere eſt vicem Domini ſubire, vel illud facere, quod Dominus faceret in lite.

Deferre eſt aliquem accuſare. Defert tamen quis accuſare ſit reo pręſente, deferre verò reo abſente.

Defunctio eſt liberatio; undè defungitur, id eſt liberatur.

Delegare eſt aſſignare creditori debitorem pro ſe ſoluturum ipſi.

Delegatus eſt is, cui vel à Papa, vel ab ordinario, vel à delegato Principis cauſa committitur; nam & ſubdelegatus eſt delegatus; dicitur autem ſubdelegatus reſpectu delegati: hęc Goſ.

Deponere eſt ſimplici verbo aliquem ſuſpendere.

Degra-

Degradare verò eſt cum ſolemnitate, ſcilicet inſignia cujuſlibet ordinis, prout in ordinatione ſunt tradita, auferendo; ſæpè tamen unum ponitur pro alio.

Deportare eſt aliquem in perpetuum exilium damnare.

Derogare quid eſt, ſupra in vocabulo Abrogare.

Determinant quandoque præcedentia ſequentia; quandoque è converſo; quandoque medium utraque *de ap. ſecundò require.*

Deteſtatio eſt cum teſtibus facta denunciatio, ut ff. *de verb. ſig.* ſed & deteſtari, & execrare, talem legem non reperio.

Dicere, utrum qui dicit unum, dicat plura, quæ ſequuntur ex illo. *diſt.8. quo jure.*

Dictatores erant, qui in cauſis majoribus ſententiam dictabant.

Dies profeſſi, dicuntur illi dies, in quibus fiunt commemorationes Sanctorum loco feſti, ut in ſabbatis Beatæ Mariæ Virginis, ſecundùm Hoſt.

Dieta eſt cænaculum, in quo quis magis die, quàm nocte ſolet reſidere; eſt etiam diei ſpatium; eſt etiam unius diei operatio, eſt etiam unius diei certa commeſtio.

Continet autem dieta legalis viginti milliaria. ff. *ſi quis cautionibus. l.1.*

Dieta vulgaris dicitur illa, quæ habetur ſecundùm conſuetudinem regionis, *extra. de reſcriptis nonnulli in glo. d.*

Dietarii ſunt illi, qui ſe ad aliena cænacula dirigunt animo furandi, à dieta dicti; item ſunt graſſatores.

Dignitas dicitur quandoque quædam prerogativa in Eccleſia, quæ etiam dicitur perſonatus, quandoque ſecularis prerogativa, quandoque poteſtas, quandoque conditio, *extra. de cle. non reſi. quia nonnulli in Glo:*

Diminutio capitis eſt prioris ſtatus mutatio; *Inſti.e. in principio*; Et ponitur hic ſecundum Azo ſtatus pro civitate, & libertate, vel civitate tantum, vel paterna poteſtate, vel propria poteſtate, ſive mædia. Tria enim præcipua ſunt, quæ habet homo, ſcilicet civitas, libertas, & & familia; & ſecundum hæc tria, eſt triplex capitis diminutio, ſcilicet maxima, mædia, & minima. Maxima eſt cum quis amittit civitatem, & libertatem; ut ſi quis damnetur in metallum, vel opus metalli, vel ſi major viginti annorum patitur ſe venundari ad pretium participandum; vel ſi manumiſſus in ſervitutem ex ingratitudine revocetur. Media eſt, cum libertas retinetur, ſed civitas amittitur; ut ſi quis in inſulam deportetur. Minima eſt, cum utrumque retinetur, ſed ſtatus hominis circa familiam mutatur, ut quia primò erat in aliena poteſtate, & mancipatur, vel erat primò ſui juris, & poſtea adoptatur, vel arrogatur; Servus tamen manumiſſus non dicitur capite diminui, quia antequam manumittatur pro nullo, vel pro mortuo reputatur. Hodie enim incepit ſtatum habere. Hæc omnia probantur *inſti. e.*

Ad hoc nota, quòd prædicta deſcriptio intelligi debet, cùm permutatur ſtatus hominis facto ejus interveniente, vel in condemnando, vel in emancipando, vel arrogando, vel adoptando, vel etiam revocando ex ingratitudine, vel in dignitatis collatione; etſi quis ſtatum mutet dignitate; undè licèt mortuo patre, alicujus mutetur ſtatus ejus, quia ſui juris eſt factus, non ideò capite eſt diminutus.

Dipticæ ſunt columnæ Eccleſiæ, in quibus imagines Patrum in ſuo cathalogo ponuntur 24. q.2. *ſane profertur. ver. & in ſacris dipticiis &c.*

Diſpendium dicitur longum, & inutile; compendium breve, & utile. *lib. 6. de reſcript. diſpendia in glo. Jo. An.*

Diſtrahere, ideſt vendere.

Diutius, ubi non determinatur quantum extendatur, arbitrio boni viri relinquetur. *extra. de offi. dele. de cauſis, & de conjv. lepro. in glo.*

Doli proximus dicitur, qui eſt proximus pubertati. ff. *de re. juris. l. pupillus*; undè pueri dicuntur doli capaces, quando ſunt proximi pubertati. ff. *de re. juris pupillum.* ut quando mas habet decem annos, & dimidium, tunc enim poteſt delinquere, præter quam in adulterio: *hac Accur. Auguſ.* verò in epiſtola ad Renatum dicit, quod puer dicitur doli capax, cùm eſt ſeptem annorum, quia tunc poteſt mentiri, & verum loqui.

Dolus malus eſt calliditas ad decipiendum alium adhibita.

Dolus bonus eſt idem, quòd ſolertia, maximè ſcilicet adverſus hoſtes, & latrones, ne quis machinetur; undè dicitur quis bonæ indolis, quaſi bonum dolum intus habens, ideſt ſolertiam, vel ingenium. ff. *de dolo. l.1.* Item bonus dolus eſt, qui fraudem excludit. ff. *de le. 2. l. cum pater. §. Titio.* Hoſt. tamen fidem ſervanti, fides eſt ſervanda. 23. q. 1. *noli æſtimare.* Nemo autem videtur eos fraudare, qui ſciunt, & conſentiunt. ff *de reg. juris. nemo.* Si dolum adhibeat reus, intelligenda ſunt verba ſecundùm quod actio intelligit; ſi autem uterque, debet intelligi in proprio ſenſu. *extra. de ſpon. ex litteris in tex. & glo.* Item qui dolum objicit, dolum probabit. ff. *de probo. quoties.* Hæc fallit in paſtore, qui negat ſuo dolo, vel negligentia ovem periiſſe, & in cuſtode carceris. *ar.* ff. *de eden. 2. l. ſi quis ex. § ultimo; quod ibi non probatur.* Hæc Inno. Item omnis dolus eſt fraus; nec è converſo. ff. *de pac. jure gentium. §. dolo.*

Sed contra ff. *de regu. juris l. fraudem*, ubi dicitur, quod fraus non fit ſine dolo.

Reſpondeo, fraus fit dupliciter; uno modo de re cum conſilio; alio modo de re ſine conſilio, ut cum quis decipit aliquem re ipſa ignorata; primo modo nunquam fit fraus ſine dolo; ſecundò modo fit ſine dolo; undè vide *glo. in d. §. dolo. qui plenè ſolvitur in verb. ſi quis fraudandi.*

Donum, infra in vocabulo munus.

Dromones dicuntur, qui præerant navi.

Dubium, ſive obſcurum verbum interpretandum

tandum eſt pro reo, niſi in quatuor caſibus, ſcilicet quando agitur de cauſa liberali, de inofficioſo teſtamento, de matrimonio, & de dote. *extra. de fide inſtrumen. inter dilectos in glo. ulti. & de ſen. & re judi. c. ult. in glo.*

Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda; *extra. de regu. jur. eſtote.*

Dubius in fide: infra in vocabulo Infideles.

Ducentarii dicuntur Magiſtri militum ducentorum.

Duplomate utitur, qui duplicata utitur.

E

Eccleſia multipliciter dicitur, ſcilicet primò malignantium. Pſal. *Odivi Eccleſiam malignantium.* Secundò, collectio fidelium *de conſe. di. 1. Eccl.* Tertiò, murorum ambitus *de conſe. di. 1. de Fabrica.* Quartò, corpus Chriſti *de conſe. di. 1. in Eccleſia.* Quintò, Prelatura Eccleſię *extra. ne Prelati vices ſuas; vel Eccleſias*, ideſt prælationes, ut exponit Ber. *ibidem.* Sextò, Epiſcopalis Eccleſia, & hanc deſponſat Epiſcopus quando conſecratur 7. *q.* 1. *ſcire.* Septimò, Obventiones Eccleſiaſticæ provenientes Romanæ Eccleſiæ *extra. ne præla. querelam;* Hæc Ber. *ibidem.* Octavò, viri eccleſiaſtici *di* 63. *c.* 1. Nonò, Canonici matricis Eccleſiæ *di.* 63. §. *fin.* Decimò, major pars capituli *di.* 56. *apoſtolica.* Undecimò, quælibet Eccleſia provincię *extra de uſu pallii cum ſuper;* *Hæc Ber. extra de. verb. ſig. cum clerici.* Eccleſiæ matricis nomine intelligitur Eccleſia cathedralis *extra. de verb. ſig venerabili.* Eccleſiæ cathedralis nomine intelligitur Epiſcopus, & capitulum illius Eccleſiæ, & non alii clerici, ut *in c. cum clerici in Glo.* Eccleſiarum bona ſunt Dei; Undè licèt omnia ſint ejus, hęc tamen ſpecialiùs *extra. de verb. ſig. cauſa gloſ. b.*

Ædilis dicitur, qui ędibus præeſt, qui etiam dicitur ęditu us, quia ędes tuetur, ne ſcilicet domus civitatis eſſent ruinoſæ, vel inordinatè poſitę: Dicuntur etiam ædiles currules, quia in curribus ire ſolebant *ff. de ædil. edi. l.* 1 *in prin. cum Glo. in verb. ædilium.* Ædilis cerealis dicitur à Cerere, quia prefuit annonæ. Idem etiam dicitur prefectus annonæ.

Edictum peremptorium, quod eſt ſupra in vocabulo Citatio.

Edicta ſupra in vocabulo Decretales.

Electio ſecundum quòd de ea tractatur extra, eſt alicujus perſonæ ad dignitatem vocatio.

Emblema eſt eminens ſcriptura, vel ornatus vaſorum, vel varietas colorum in pavimento.

Emergere eſt ſubito accidere.

Emptor bonæ fidei videtur eſſe, qui aut ignoravit rem eſſe alienam, aut putavit eum, qui vendidit habere vendendi poteſtatem, putà tutorem eſſe, vel curatorem *ff. de ver ſig bonæ;*

Equ us emiſſarius eſt, qui ſalit ſuper equas. Equitius eſt cuſtos equorum; Equitium grex equorum.

Ergaſterium dicitur ab *ergos* grecè, quod latinè eſt opus, & *ſteron* grecè, quod latinè eſt ſtatio; indè ergaſterium, quaſi ſtatio operoſa. *C. de Epiſcopis, & cle. l.* 2. *in glo.*

Erro eſt, qui oberrare ſolet, & frequenter ſine cauſa vagatur.

Eſt, ſignat preſens, & præteritum, ut cum dicitur Titius eſt ſolutus ab obligatione. Et ſimiliter erit, ſignificat futurum, & preteritum, ut cùm dicitur, quòd in codicillis ſcriptum erit, *do*, vel *lego, ſy erit* præteritum, & futurum demonſtrat; non fuiſſe videtur, qui non duravit. *extra. de verb. ſig. nam & ego in tex & glo. c.* Sic etiam non eſſe, qui minus eſt idoneus *extra. de tranſ. inter.*

Emittere aliquam rem eſt eam per ſententiam Judicis conſequi.

Excandeſcere eſt ſubitò iraſci, habita ſimilitudine inter furorem, & ferri eſtuantis candorem.

Exceptio eſt rei defenſio, per quam quis tuetur ſe ab actore; & poteſt exceptio ſumi dupliciter, ſcilicet propriè, & impropriè; propriè cum actio competit actori, ut quia mutuavi tibi decem libras; ſed hæc actio excluditur exceptione, ut quia feci tibi pactum de non petendo, & tunc dicitur exceptio actionis excluſio, & tunc eſt exceptio juris. Impropriè verò dicitur exceptio cum actori non datur actio, ſed calumnioſè petit, & talis non poteſt de jure experiri ſine actione, quia nemo poteſt experiri ſine actione; undè cùm tunc nulla ſit actio, dici non poteſt actionis excluſio, ſed dicitur contra intentionem actoris defenſio, & tunc poteſt dici exceptio facti; unde quando quis in aliquo inſtrumento ſe obligat ad aliquid ſine exceptione aliqua juris, vel facti, ſenſus eſt, quod contra hoc nullam faciet defenſionem de jure, vel facto. Eſt autem exceptio alia peremptoria, quæ ſcilicet actionem omninò perimit, putà, petebam à te centum libras, & tu excepiſti dicens, quòd pepigi tecum de non petendo in perpetuum. Alia declinatoria, putà, convenio te coram Judice non tuo, & tu dicis, te non eſſe de foro ejus. Alia eſt dilatoria ſolutionis, putà, peto à te centum libras, & tu dicis, quòd non debeas eas uſque ad annum. *extra. de except. exceptionem in glo.*

Exconſul, infra in vocabulo Exqueſtor.

Executores ſunt illi, per quos Judex ſententiam ſuam mandat executioni: dicuntur etiam executores illi, qui inſtituuntur in teſtamentis ad perficiendum ordinata in ipſis.

Exenia dicuntur parvę res commeſtibiles, quę à vulgo preſentationes dicuntur, & maximè divitibus afferuntur.

Exhibere eſt rem in publicum oſtendere, ut adverſarius copiam habeat rem ſuam eſſe contendendi; ut cùm quis dicit, hæc res eſt mea.

Expenſæ, impenſæ ſunt utiles, & neceſſariæ; expenſæ verò ſunt voluntariæ, non neceſſariæ, quaſi extra penſum, ideſt debitum.

Expenſæ

Expenſæ differunt à damnis; undè juramentum factum ſuper unum, non extenditur ad alterum; expenſę enim ſunt, quæ cauſa litis fiunt, damna verò, quę ex diſcordia proveniunt, ut deſtructio domus, & ſimilia. *extra. de injuriis in noſtra in tex & in glo.*

Experiri quandoque ponitur pro reſpondere, ſive defendere. *extra. de judi c. 1.* quandoque pro agere. *extra. de can. poſ paſtoralis.*

Expilatores ſunt, qui de rebus vacantis hæreditatis aliquid expilant, & ſurripiunt *de p. di. 1. ant facta.*

Explicatio. Nota quòd exceptio adjuvat reum: replicatio verò eſt illa allegatio, quę exceptionem infirmat, & actorem adjuvat; ſupplicatio eſt illa, quæ replicationem infirmat, & reum adjuvat; explicatio verò eſt illa, quæ ſupplicationem infirmat.

Exqueſtor, eſt qui officium, & adminiſtrationem pecuniæ quærendæ, & conſervandę depoſuit; ſicut exconſul qui conſulere deſiit.

Extunc, tempus extremum ſignificat. ff. *de cond. & dem. l. ſi is. §. ſi ita.*

Exulabit ſine ſpe patriæ, reditusque, reique. Inſcriptus manet in patria, ſed re ſpoliatur; amittit proſcriptus opes non, poſſe reverti. Quique relegatus ſua cum remeabit, habebit.

F

Facere dicitur ille, cujus auctoritate fit. *extra. de ſen. ex. mulieres.* facere quis dicitur ſtatim, incontinenti, mox, illicò, quod facit intervallo nullo actu contrario, vel impertinentem intermedio. *extra. de eleç. quia propter.* ubi dicitur, quòd poſt collationem mox debet electio celebrari. Similiter cùm vis infertur perſonæ incontinenti repelli debet, ideſt ſine intervallo, quaſi bello continuato. Item illud, quod facit in triduo *C. de erro. advo. l. ult.* ubi dicitur, quòd advocatus poteſt revocare errorem ſuum ſtatim, ideſt infra triduum. Et hoc intelligit Placen. ſicut ſonat. Sed Accur. intelligit hoc, quando cauſa durat poſt errorem tantùm per tres dies: Item quod facit in decem diebus. *de conſti. pecu. l. promiſſor.* ubi dicitur, quòd ſi quis ſine die conſtituerit ſe ſoluturum pecuniam alicui, contra eum agi poteſt, ſi ſtatim non ſolvat, ideſt infra decem dies. Item quod facit in uno anno. 30. *q. 1. puellæ.* ubi dicitur, quòd ſi inſciis parentibus infra duodecimum annum aſſumpſerit velum, parentes, & tutores poſſunt hoc irritare ſtatim, ideſt infra annum. Item quod facit cum quodam temperamento temporis, ita quod nec minimum, nec maximum tempus aſſumit, quod magis poteſt intellectu percipi, quàm dici. ff. *de ſolu. l. ratum.* Item quod facit cum primò poteſt. *extra de reſti. ſpo. olim cauſam.* ubi dicitur, quod vim illatam rebus poteſt quis repellere incontinenti, ideſt quàm citò poterit collectis amicis; ita quod illud incontinenti non extenditur ultra annum. *Hæc Ber. extra. de elec. quia propter.* Item quod facit in uno menſe. 1. *q. 1. conſtat.* ubi dicitur quòd ſi aliqui ſint ordinati ab hæreticis per vim, ſi ſtatim renunciaverint conciliabulo hereticorum, tunc excuſantur, ideſt infra menſem. Item quàm citò ſcit 32. *q. 2. mulieri.* Item quod facit quandoque ff. *ſi certum petatur. l. 1.* ubi dicitur, quòd cuicumque aſſentimus alienam fidem ſecuti mox recepturi ex hoc contractu credimus.

Falſarii dicuntur, qui criminis falſi tenentur.

Fama, opinio, & æſtimatio idem ſunt ſecundùm *Io. 3. q. 7. porrò.* De fama etiam infra vocabulo Probatio.

Familiæ nomine liberi continentur, & etiam dominus familiæ *ff. de verb. ſig. l. familiæ.* Unicus verò ſervus nomine familię non continetur. Nec duo faciunt familiam, ut dicitur ibidem.

Fermentatio eſt ejuſdem generis metalorum conſolidatio, ſivè conjunctio.

Ferri dicimus propriè, quod quis ſuo proprio corpore bajulat; portari verò ea, quę quis in jumento ſecum ducit; *ff. de verb. ſign. ferri.*

Fidejuſſor, qui pro alio ſe obligat, ut ſcilicet eo non ſatisfaciente ſatisfaciat, & dicitur fidejuſſor, quaſi juſſu alterius ponens fidem ſuam.

Fidejuſſor in rem ſuam datus, eſt qui fidejubet pro re aliqua in cauſa illa, in qua res eſt futura ſua, ut ſi fidejubet pro ſuo procuratore in cauſa rei ſuæ rem judicatam ſolvi.

Fides. Quis eſt infidelis *extra. de Sum. Tri. firmiter.*

Fieri. Hæc verba fit, & fiunt, non tantùm reſpiciunt, præſens tempus, ſed etiam futurum 25 *q. 1. generali in tex. & Glo.*

Fieri incontinenti, quid dicitur, hoc poteſt committi arbitrio Judicis, ut dixit *Ala. extra. de ap. an ſit in Glo.* Vel fieri incontinenti dicitur, ideſt in actu ſe tenenti, ideſt antequam contrahentes ad alios actus, & negocia divertant ff. *de ver. ob. l. continuis.*

Filiusfamilia eſt, qui eſt in poteſtate patris.

Filius emancipatus eſt, qui extra matrem, vel poteſtatem patris.

Filii, infra in vocabulo Liberi.

Fiſcus, quod eſt ſupra in vocabulo Confiſcari.

Fiſcalia ſunt tributa *C. de Epiſcopis l. 3. in Glo.*

Flocci nomine intelligitur habitus habens manicas longas, & amplas. Cucullæ verò nomine habitus longus, & amplus ſine manicis *lib. 7. de ſtatu mon. ne in agro §. verum.*

Foreſta eſt locus, ubi feræ includuntur, quibus habet aliquis uſum venandi *extra. de dona. cum dilectus in glo.*

Forum eſt locus rebus venalibus deputatus; eſt etiam tribunal, ſecundùm Gof.

Forus eſt locus exercendis litibus in præſentia

Digitized by Google

ſentia Judicis aſſignatus; à fundo dictus, vel à Foroneo Rege, qui primus Græcis Legem dedit. *extra. de verb ſig. forus.* & dicitur competens, ſcilicet alicui, quem ſortitur ratione delicti, vel contractus, vel domicilii, vel rei, de qua agitur.

Foraneus eſt, qui forum tenet, ut *ibidem*, vel de foris venit 3 *q.6 peregrina.*

Forſitan quandoque eſt dubitativum, ut *extra. de voto magnæ.*

Fratrum nomine continentur ſorores. ff. *de pactis l. tres fratres.*

Fraus, fraudare, ſupra in vocabulo doli proximus.

Fructus dicuntur, qui ſuperſunt deductis expenſis, quę fiunt gratia fructuum.

Fructus quidam ſunt induſtriales, ut frumentum, vinum, & conſimilia. Quidam naturales, ut fructus arborum. *extra. de reſti. ſpo. gravius in glo.*

Functio eſt uſus conſuetus.

Fundus eſt manſio alicujus cum acceſſionibus.

Fundum dividi in certas regiones, eſt dividi in determinatas partes.

Fur, & abigeus in quo differunt, ſupra in vocabulo Abigeus.

G

Generali ſermone perſona loquens, quandoque intelligitur excepta, quandoque non; nec etiam familia ejus. *extra. de jurejuran. petitio.* Generale verbum non eſt ſemper generaliter intelligendum. *ibidem ad noſtram in glo. ult.* Quod generaliter dicitur, imò etiam quod indefinitè dicitur, generaliter eſt intelligendum, *extra. de conju. lepro. quam in glo.* de hoc infra in vocabulo Indefinita.

Generalia verba ſunt ad civilem modum referenda. ff. *de ſervi. l. ſi cui.* de hoc ſupra in vocabulo Conceſſio.

Glandis nomine omnes fructus continentur. ff. *de glande l. una.*

Gregem faciunt quinque porci, vel decem oves, ſupra in vocabulo Collegium.

H

Hauſtus, eſt jus hauriendi aquam de puteo vicini.

Habere actionem, eſt minus quàm habere rem; & hoc eſt etiam, quod dicitur, meliùs eſt pignori incumbere, quàm in perſonam agere. ff. *de re jur. l. minus.*

Habere, tenere, & poſſidere, quando hæc tria ponuntur in aliquo inſtrumento, ſic debent exponi, ſcilicet quod recipiens habeat, ſcilicet de jure teneat naturaliter, & de facto; poſſideat civiliter, & de jure, quia civilis poſſeſſio eſt cauſa acquirendi dominii, licèt aliquando poſſeſſio ſit tantùm naturalis, non civilis, ut illa, quam habet vaſſallus.

Herciſco, ideſt divido; & indè judicium familiæ herciſcendæ, ideſt dividendæ.

I

Ierotonium eſt locus, in quo pauperes aluntur ſecundùm *Accur. c. de Sacroſanctis Eccleſiis l. illud.*

Ignorantia, licèt ſupra habitum ſit in multis locis de multiplici ignorantia, tamen ad pleniorem evidentiam ponendæ ſunt hic pleniùs diviſiones ignorantiæ; & eſt hic dicendum, quæ ignorantia excuſat, & quę non; & quæ magis excuſat, & quę minùs.

Sciendum igitur primò, quòd ignorantia eſt triplex. Prima eſt ignorantia negationis, qua ſcilicet ſcientia negatur, nec debitum ſciendi ponitur; & ſimpliciter excuſat. Secunda eſt ignorantia privationis, ſcilicet qua ſcientia negatur; aptitudo tamen, ſive debitum ſciendi ponitur; & hæc in eis, quæ pertinent ad ſalutem excuſat à tanto, ſed non à toto. Tertia eſt ignorantia diſpoſitionis, ſcilicet quæ ponit errorem, ſive conceptionem contrariam ſcientiæ rectæ. Item ignorantia dividitur ex parte materiæ, circa quam eſt, quia alia eſt juris, alia facti; & ignorantia juris, ſi aliquos excuſet, minùs tamen excuſat, quàm ignorantia facti.

Ignorantia verò juris, alia eſt juris naturalis, alia juris divini, alia juris canonici, alia juris civilis.

Ignorantia juris naturalis nullum habentem uſum rationis excuſat, quia hoc jus eſt in corde hominis ſcriptum. 1. *q.* 4. *in c. turbatur notandum.*

Ignorantia verò juris divini, quantùm ad aliqua ſimpliciter excuſat laicos, quantùm verò ad aliqua excuſat à tanto, non à toto. Legem enim, & Prophetas, & Evangelium, & Doctrinam Apoſtolicam ſcire tenentur Epiſcopi, & Prælati majores, qui tenentur omni poſcenti reddere rationem de ea, quæ eſt in eis fide, & ſpe. Undè ab eis requiritur ſcientia novi, & veteris teſtamenti Laici verò tenentur ad notitiam Decalogi, & fidei, prout in Apoſtolorum Symbolo continetur.

Ignorantia autem juris canonici excuſat aliquos, & aliquos non. Continet enim jus canonicum conſtitutiones per quas diſcernuntur peccata; & has tenentur ſcire presbyteri curam animarum habentes, & confeſſores Non autem ita tenentur alii clerici, & multò minùs laici; ſed & ipſi presbyteri, & alii clerici ſecundùm quod ſunt in majori gradu conſtituti, ſecundùm hoc plura ſcire tenentur.

Ignorantia autem eorum, qui publicè promulgantur ad laicos pertinentium, non excuſaret eorum peccatum, quod per ignorantiam perpetrarent. *diſt.* 16. *quod dicitis.*

Ignorantia verò juris civilis aliquibus prodeſt, ut militibus, ruſticis, mulieribus, & minoribus, maximè in damno vitando, non ſic autem

um in maleficiis.

Ignorantia facti, alia eſt facti indifferentis ad ſalutem, vel ad officium; & hæc excuſat 1. *Corint.* 10. Omne quod in macello venditur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam; alia eſt facti neceſſarii ad officium, ut in presbytero, quod ſit facta manuum impoſitio; & hæc non excuſat; alia eſt facti neceſſarii ad ſalutem, ut quod Chriſtus eſt paſſus, & hæc non excuſat in habentibus uſum rationis. Item ignorantia facti, alia eſt facti proprii, alia facti alieni; Si proprii, aut ergo quis operam dedit rei illicitæ, & tunc non excuſat, aut rei licitæ, & tunc, aut habuit diligentiam, & ſic non excuſat à toto, ſed à tanto; Si autem ſit facti alieni, aut eſt ignorantia probabilis, ſcilicet ad quam non requiritur, quod ſit nimis diligens, & curioſus in inquirendo, nec etiam quod ſit nimis negligens, & hęc excuſat; aut eſt craſſa, & ſupina, ut cùm quis dicit ſe ignorare ea, quæ ſunt publicè coram populo facta; hæc non excuſat. Item ignorantia alia eſt ſimplex, ut cùm quis tenetur ſcire, quod neſcit, & facit ad hoc, quod ſciat, ſed non quidquid poteſt. Vel ſecundùm aliquos poteſt dici ignorantia ſimplex illa, quæ privat ſcientiam, nec ponit debitum ſciendi; & hęc eſt in his, qui non habent uſum rationis. Alia eſt craſſa, ut cùm negligit ſcire illud, quod tenetur ſcire, nec tamen vult ſe neſcire. Alia eſt affectata, ut cùm quis negligit ſe ſcire, quod tenetur ſcire, & placet ei neſcire. Prima excuſat à tanto, & à toto; ſed ſecunda adhuc excuſat, & minùs quàm prima; tertia verò accuſat, & non excuſat. Item ignorantia alia vincibilis, alia invincibilis. Invincibilis autem aut eſt introducta præter omnem culpam, aut propter culpam preambulam. Si primo modo, aut ſimpliciter cognitionem privat, ut in his, qui carent uſu rationis omninò, & hæc excuſat à toto; aut non tollit omninò uſum rationis, ſed plenum, & tunc non excuſat à toto, ut in his, qui non ſunt plenè furioſi, ſed habent aliquo modo lucida intervalla; & in Pueris, qui ſunt capaces aliquo modo præcepti, licèt non plenè. Si autem per propriam culpam, ut in ebrioſo, & furioſo, quorum uterque ſe præcipitavit in hoc per ſuam culpam, ſic excuſat ſaltem à tanto. Si autem ſit vincibilis, aut eſt craſſa, & ſupina, aut affectata, de quibus eſt ſupra proximè dictum, ſcilicet *Item ignorantia alia eſt ſimplex &c.*

Incorporalia dicuntur jura, actiones, & ſervitutes.

Incola eſt, qui in aliqua regione domicilium contrahit, vel tranſtulit, quaſi ibi ſedem habiturus. ff. *de ver. ſig* ita quod tranſactis decem annis domicilium retinuit; licèt etiam cauſa ſtudii ibi ſteterit. *C. de incolis.*

Indefinita equipollet univerſali. *extr. de priv. quia circa.* Hoc eſt verum de indefinita legis, vel canonis jus tradere intendentis; talis enim indefinita equipollet univerſali, ſi lege, vel canone non diffinitur. 31. *q.* 1. *quod ſi dormierit.* Hęc, & plura alia de hac materia, *extra. de conju. lepro. quantùm in glo.*

Ad hoc nota ſecundùm Jo. Ang. quòd quando non eſt eadem ratio, & conditio propter aliquod accidens omnium particularium in univerſo comprehenſorum indefinita non equipollet univerſali: verbi gratia, ſi legetur lana indefinitè, non continetur in legato lana tincta. ff. *de leg.* 3. *l. ſi cui.* & ſi legetur omnis lana, tincta lana etiam cedit legato. ff. *de aur. & ar. lega. l. pediculis.* §. *tincta* Lana enim non procedit ex ejus origine, ſed ex accidentali ejus operatione; ſed quando omnium particularium eſt eadem ratio, & conditio, quia non variatur per accidens, licèt fortè ſint imparia ex origine, quia una lana eſt melior alia ab origine, tunc indefinita equipollet univerſali. ff *de leg.* 2. *l. ſi pluribus. Hæc Jo. Ang.* 6. *lib. de elec. ut circa in glo. G.*

Inditio eſt numerus annorum conſiſtens ex tribus luſtris; eſt autem luſtrum quinquennium, quod quomodo verè poſſit inveniri habetur *extra. de fide inſtru. inter dilectos in glo.*

Indoles ſupra in vocabulo Doli proximus.

Infamia eſt aliud quàm ſcandalum; & plus importat grave ſcandalum, quàm infamia, quia hæc per purgationem tollitur, ſed in illo purgatio non indicitur, *extra. de homi. ex literis* 1. *in glo fi.*

Ingenuus eſt propriè is, qui ſtatim ut naſcitur, eſt liber *inſti. de ingenuis in principio.* Tamen aliquando ſumitur pro eo, qui plenam habet libertatem *extra de ſervis non or. c.* 1.

Inſcribere eſt ſe obligare, ſi non probaverit, ad eam pœnam, quam reus debet pati, ſi probaverit accuſator. *extra. c. ſuper his in glo. de accuſationibus.*

In integrum reſtituere, eſt reducere in eum ſtatum, in quo erat ante leſionem. *extra. de reſtitut. in inte. auditis in gloſ. fi.* per quem modum ſubvenitur minoribus, qui non compleverunt viginti quinque annos, & Eccleſiæ jure minoris, & quandoq; etiam majoribus ex juſta, & legitima cauſa. ff *quibus cauſis majores. per totum ſecundùm Goſ.*

Injuria dicitur uno modo generaliter omne, quod non jure fit. Secundò ſpecialiter iniquitas, & injuſtitia judicantis, quaſi jus iniquum ex eo dicta, quod jure, & juſtitia caret. Tertiò de culpa *ut in l. acqui.* Quartò dicitur contumelia, *ut inſti. e. in princ.* Fit autem injuria tripliciter, ſcilicet re, ut cùm manus inferuntur; verbis, quando ſcilicet convitium dicitur; literis, ut cùm ad infamiam alicujus libellus, vel carmen famoſum conficitur, conſcribitur, vel editur. ff. *e. l.* 1. *& l. apud Labionem. Hæc Goſ. ti. de injuriis.*

Inofficioſum teſtamentum dicitur, quòd eſt factum contra pietatis officium, ſcilicet in quo extraneus hæres conſtituitur, & filius iniquè pręteritur, vel exhæreditatur.

Inſervire frequentiam notat. *extra. de fidejuſſor. c.* 1. *in glo.*

Inſolidum, quando ponitur in inſtrumentis,

tis, eſt illud, quod in totum.

Inſolutum, ideſt in ſolutionem, ſupra in vocabulo Dare.

Inſtituere, infra in vocabulo inveſtire.

Inſtrumentum publicum dicitur inſtrumentum manu publica factum, ideſt Notarii, qui eſt perſona publica. Sunt autem illa, quæ faciunt inſtrumentum publicum, & authenticum regularitet ſex, ſcilicet annus Domini, indictio, dies, locus, teſtis, & nomen Notarii, licèt alicui addatur ſeptimum, ſcilicet nomen Papę, vel Imperatoris regnantis, tempore, quo conſtitutum eſt inſtrumentum.

Intentio, ſive capitulum in jure dicitur illud, quod intendit probare per teſtes, qui producit eos.

Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda, dicendi. *extra. de verb. ſig intelligentia.* Non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu ſunt intelligenda nomina. ff. *de ſup. l. labeo.*

Interdictum eſt idem, quod actio in jure civili; undè dicitur interdictum, quia inter duos dictum, non ab interdicendo, vel prohibendo: eſt autem multiplex interdictum, quod hic dicere omitto gratia brevitatis; & quidem de quibuſdam interdictis habetur infra.

Intereſſe eſt damnum emergens, & lucrum ceſſans, ex eo quod aliquid fieri ceſſat. *C. de ſent.* quæ pro eo quod communiter intereſt. *l. una una in glo. in ver. prout poſſibile.*

Intereſſe eſt quandoque circa rem, quandoque extra rem. Item quandoque loco rei, quandoque loco pęnę ſuccedit. Item aliud eſt in bonæ fidei judiciis, ſcilicet aut in ſtricti juris judiciis, ſeu arbitrariis, vel in maleficiis. Item aliquando in lucro, aliquando in damno.

Item aliquando ex conventione de eo habita, aliquando ex natura contractus, ſeu conventionis ęſtimandùm eſt.

Intereſſe, quod eſt circa rem juſtè, poteſt peti, & habitum retineri. Putà, vendidiſti mihi vinum, quod nunc valet viginti pretio viginti, pretium ſolvi, nec vinum vis tradere mihi; & poſtea vinum ſit majoris pretii, ſcilicet quadraginta, id præſtandum eſt, quia ſaltem hodie dandum eſt; ſi enim fuiſſet mihi traditum, eram habiturus tantùm ff. *de ac. emp. & ven. l. ſi ſterilis. §. cum per venditorem.* Extra rem eſt intereſſe, ut vendidiſti mihi vinum pretio decem ſolidorum, non eſt cariùs vinum factum, ſed ſi tradidiſſes, potuiſſem ex eo lucrari; vel vendidiſti mihi granum, nec tradis, & ideò ſervi mei fame interierunt. Hic quia lucrum, vel damnum extra rem venditam contingit, non æſtimatur, nec petitur, ſed petitur res vendita, vel intereſſe commune, ſcilicet pretium grani, vel vini, ut *ibidem*. Quandoque tamen evenit, ut illud etiam intereſſe, quod eſt extra rem, præſtetur tam in contractibus, quàm in maleficiis; In contractibus, ut ſciens ſervum furem, vel fugitivum mihi ignoranti vendidiſti, teneris mihi de omnibus damnis, & injuriis ab eo illatis, ut *ibidem l. Julianus. § 1. de actionibus empti.*

In maleficiis, ut ſi promiſiſti mihi bovem, aut aſinum, & aſinum occidiſti, qui erat pretii minoris, teneris ad dandum bovem, cùm te potuiſſes liberare præſtando ante aſinum. *pro ſociis. l. ſticum.* Loco rei ſuccedit intereſſe quandoque. Putà, fui in macello, & emi carnes, noluiſti dare ea die, qua debuiſti, non ad carnem, ſed ad meum intereſſe teneris mihi. Item ſi promiſiſti facere domum, uſque ad certum diem, non ad ipſam domum die tranſacta ſed ad intereſſe mihi teneris. *c. de ac. emp. & ven. l. cum venditorem.* & tale intereſſe petitur ut ibidem. Succedit etiam intereſſe quandoque loco pęnæ, ut ſi promiſiſti mihi ſolvere quemdam equum certa die, & loco, quem ego alteri eodem die ſub certa pæna tradere promiſi, & ſolutionem, ſeu traditionem prorogaſt.; & ideò die, qua promiſi tradere, non potui, & ſic pænam incidi; non tantùm ad equum, ſed etiam ad intereſſe pænæ teneris mihi ff *de eo, quod certo loco. l. 3. §. nunc de offi.* In bonæ fidei judiciis cum conſideratur intereſſe ex natura contractus, ex natura actionis, & ex officio Judicis. Ex natura contractus, ut vendidiſti mihi fundum juxta fundum Petri, & dixiſti, quod fundus Petri debebat ſervitutem fundo, quem mihi vendebas, cùm in veritate non deberet; vel vendiſti mihi equum, & dixiſti, quòd in ſtabulo erat manſuetus, cùm eſſet ferociſſimus; & generaliter ſi non præſtetur, quod convenit, ſive dixeris aliquid adeſſe, quod abeſt, vel aliquod abeſſe, quod adeſt, intereſſe meum petere poſſum, etiamſi hoc ignorans, ita credens eſſe dixiſti, quia quod ignorabas, aſſerere non debuiſti. ff. *de ac. emp. & ven. l. Julianus. §. quod autem. & §. ſi venditor.* Ex natura actionis, conſideratur intereſſe quandoque, ut vendidiſti mihi domum, & non tradis mihi eam, teneris mihi ad meum intereſſe, etiam ſingulare, ut *ibidem. l. 1.*

Judiciš officio venit intereſſe in judiciis bonæ fidei, ut uſuræ, & fructus. Uſura, ut depoſui apud te pecuniam, & eam convertiſti in uſus tuos, nèc reſtituis eam mihi, ſed es in mora; mihi teneris ad uſuram. *C. depoſi l. uſuræ.* Et petitur hoc intereſſe, non uſura, & illud intereſſe peti poteſt, cùm petitur cauſa damni vitandi, non lucri captandi, & ideò cautè dixit canon incrementa ſuſceperint, 14. *q.* 4. *ſi quis oblitus.* Fructus, ut vendidiſti vineam, pretium ſolvi, non tradis mihi, teneris ad fructus, quos poſt contractum percepiſti, qui veniunt Judicis officio; ut *c. de ac. emp & ven. l. fructus.* In ſtricti juris Judiciis, quando quæritur de æſtimatione rei petitæ, intereſſe circa rem venit à tempore moræ; verbigratia, dedi tibi vinum mutuo, quod tempore contractus valebat quinque ſolidos, extra judicium congruo loco, & tempore denunciavi tibi, ut mihi vinum redderes, & tunc vinum valebat viginti ſolidos, poſtea paſſus es me litem conteſtari, & tunc valebat novem,

vem ; in qua æſtimatione debes condemnari? certè in viginti ſolidis, quia tantùm fuit tempore denunciationis, à quo tempore incepiſti eſſe in mora, ut ff. *ſi certum petatur l. vinum* : in arbitrariis actionibus conſideratur intereſſe, & in lucro, & in damno. Verbigratia, ex aliqua certa cauſa promiſiſti mihi ſolvere aliqua merces loco certo, putà, Romæ certa die, vel pecuniam; non ſolùm damnum, quod ſubſtinui, ſi non fuit ſolutum, quod fuit promiſſum ſuo loco, & die; ſed etiam ſi negotiator ſum, illud, quod ex mercibus lucrari mihi potui, eſt reſtituendum, ut ff. *de eo, quod certo loco l. arbitraria.* In maleficiis conſiderandum eſt intereſſe, & circa rem, & extra; circa rem, ut ſi meus ſervus erat inſtitutus hæres, quem ante aditam hæreditatem occidiſti, teneris enim mihi ipſius corporis perempti, & quanto plurimi fuit eo anno, vel triginta diebus retrò.

Extra rem, quia non ſolùm pretium ſervi hæredis occiſi, ſed etiam pretium hæreditatis, quam morte adveniente non habui facto tuo, mihi dabis. ff. *ad l. aqui. l ſi ſervus.* Ex conventione præſtatur intereſſe; verbigratia: Vendidi tibi domum, & tradidi, pactum feciſti mihi in contractu, ut eam mihi locares in anno ſequenti, & promiſiſti, quod ſi non feceris, mihi dares centum ſolidos nomine pœnæ, non facis, teneris mihi ad pœnam, quæ pęna eſt meum intereſſe, ex eo quod non locaſti, ut ff. *de ac. emp & vend. l. prædia.* intereſſe conſideratur regulariter in damno tantùm, caſualiter autem in lucro. Et ſunt hi caſus, in quibus lucrum conſideratur. Primus eſt quando agitur arbitraria actione, ſcilicet cum quid certo loco promiſſum eſt, quia ibi conſideratur lucrum, & damnum, ut ſupra dictum eſt. Secundus caſus cùm agitur jure locati, & conducti; verbigratia: locaſti mihi vineam, vel aliquam coloniam uſque ad quinque annos; non pateris me frui re locata fortè per annum, hoc quamvis aliis annis me patiaris uti, tamen teneris mihi ad intereſſe meum, in quo continetur lucrum, quantùm indè facturus eram. ff. *locati l. ſi fundus.* Tertius eſt, quando agitur in maleficio, ut ſupra dictum eſt in exemplo de ſervo hærede inſtituto occiſo ante aditam hæreditatem. Quartus caſus eſt, quando agitur rem ratam haberi; verbigratia, agebas contra me nomine Petri, cujus te dicebas eſſe procuratorem, ego dixi, quod dubitabam de mandato, & tu dixiſti, quod promittere volebas, quod Petrus ratum habuerit, & promiſiſti; poſtea Petrus noluit ratum habere, & ſic commiſſa eſt ſtipulatio, in qua ſtipulatione venit intereſſe meum, & in lucro, & in damno: in damno in eo, quod mihi abeſt propter litem à te mihi motam: in lucro, quod lucrari potuiſſem. ff. *rem ra. ha. l ſi commiſſa.* Quintus caſus eſt cùm agitur tutelę; verbigratia: Petrus minor erat annis quatuordecim; Joannes ejus tutor fuit, & cæpit adminiſtrare bona ſua, factus eſt Petrus major annis quatuordecim, & ſic finita tutela, agit Petrus contra Ioannem, petens ſibi reddi rationem tutelę, in qua actione intereſſe conſideratur, & in lucro, & in damno, quia pupillus ante erat hæres inſtitutus; Ioannes verò ſua culpa hæreditatem tenuit, vel cum aliqua poſſet quærere nomine pupilli, ſua culpa non quæſivit; lucrum enim, quod dolo, vel culpa tutoris pupillus amiſit, tutor ejus reſtituere tenetur: in damno verò, quia malè adminiſtravit. Et quod dixi de tutore, locum videtur habere etiam de curatore, ut ff. *locati & conduc. l. tutelæ.* Sextus caſus eſt cùm agitur interdicto, ne quid in loco publico fiat; putà, prohibitum eſt à jure, ne aliquis debeat ædificare in loco publico, & ſi quis hoc faciat, quilibet de populo poteſt agere contra eum, niſi ſcilicet Princeps concederet, quod ædificaret.

Sed pone quòd Ioannes impetraverit hoc à Principe, & ędificavit; Martinus verò vult prohibere, numquid poteſt?

Reſpondeo, ſi Martinus damnum patitur, agere poteſt non obſtante reſcripto, quia Princeps illud concedendo videtur concedere ſine damno alterius, & in hoc caſu damnum patitur, quo commodum amiſit; ut ſi Martinus domum habeat juxta locum publicum, in quo alius ędificat, & propter ædificium illud, aditus, ſeu proſpectus domus Martini fiat deterior. ff. *ne quid in loco publico fiat l. 2. §. merito.* Ad hoc nota ſecundùm Ber. & *bo. extra. de injuriis in noſtra.* quod triplex eſt intereſſe, ſicut & pretium, ſcilicet conventum, commune, & ſingulare ff. *de ac. emp. & ven. l. 1.* intereſſe, ſive pretium eſt triplex, de quo partes convenerunt inter ſe, & illud eſt præſtandum, ſicut eſt conventum; intereſſe commune eſt illud, quod res communiter valet; putà, debebas mihi dare decem minas tritici tempore certo, & non dediſti; ideò teneris mihi dare tantùm, quantùm valebat communiter illo tempore: intereſſe ſingulare eſt illud, quòd res plus valet uni, quàm alteri. Putà, amiſiſti librum meum, quem mihi correxeram, in quo multo tempore ſtudueram, & ideò plus valebat mihi, quàm alii.

Interlocutoria eſt, quando Iudex reſidens pro tribunali pronunciat aliquid de plano.

Interpellare eſt quandoque interrumpere; undè dicitur pro litis conteſtatione interpellari, ideſt rumpi legis præſcriptionem.

Interpreratio dubiorum. ſupra in vocabulo Dubium.

Intruſi dicuntur, qui non per electionem canonicam, ſed per violentiam occupant honores, vel officia, vel beneficia eccleſiaſtica.

Inventarium eſt ſcriptura, quam hæres inchoare debet infra triginta dies à morte teſtatoris, vel poſtquam ſcit ſe inſtitutum hæredem, & ibi ſcribere omnes res defuncti ſub teſtibus, & eum perficere debet infra quadraginta dies, vel infra annum, ſi res ſint remotę, & tunc non tenebitur creditoribus ultra illud, quod inventum fuerit in hæreditate; ſi autem non fecerit inventarium

tarium, tenebitur inſolidum.

Inveſtire, & inſtituere idem ſonat; eſt autem iſtituere ſecundum proprietatem vocabuli ponere in poſſeſſionem, quaſi intus ſtatuere; ſed in hoc differunt, quia inſtitui quis dicitur perſonaliter, inveſtiri autem in abſentia. Secundùm verò Ber. *extra. de inſti. auctoritate*. inſtituere eſt ſpiritualis juris beneficii, vel dignitatis corporalem poſſeſſionem tradere; inveſtire autem eſt jus canonicæ, vel dignitatis tribuere, quod fieri poteſt per anulum, vel librum: indifferenter tamen unum pro alio ſumitur.

Irenarchæ dicuntur, qui diſciplinæ publicæ, & corrigendis moribus præſunt, ut milites, qui vadunt perquirere latrones. ff. *de mu. & ho. l. ult. §. irenarchæ*.

Irrepere, ideſt latenter invaleſcere. *Joan. An. lib. 6 de excep. pia.*

Itinerarchæ dicitur itinerum cuſtodes.

Interemptor eſt mediator in emptionibus, *diſt. 4. c 1. & penult.*

Interdiu, ideſt in die.

Iubeo, infra in vocabulo Precaria.

Iudices domeſtici ſunt ex quibus pro magna parte jus pendet, & conſilium.

Iudicio majoris partis ſtandum eſt generaliter, niſi in certis caſibus. *extra. de reſcri. paſto. in glo. B.*

Iudicium dicitur quaſi juriſdictio. *extra. de verb. ſig. forus.*

Iudicium contradictum dicitur, ſi dicerem hoc eſſe conſuetudinem, tu adverſarius meus diceres non eſſe conſuetudinem, & judicaretur eſſe conſuetudinem. *extra. de verb. ſig. abbate glo. fi.*

Iudex dicitur, quaſi jus dicens populo, ſive quod jure diſceptet; eſt autem jure diſceptare juſtè judicare; non eſt ergo judex, ſcilicet bonus, ſi non ſit in eo juſtitia, ut *in c. forus.*

Iudices aſſeſſores ſunt, qui aſſident Iudici in cognitione cauſæ ſuum præbentes conſilium.

Judices pedanei erant, qui de cauſis minimis cognoſcebant.

Jurgium dicitur quaſi juris garrium, eo quod hi, qui cauſam dicunt, jure diſceptant. ut *in c. forus.*

Jus eſt genus, lex, aut ſpecies ejus *di. 1. jus generale nomen.* Jus eſt ars boni, & æqui *ff. de juſti. & ju. l. 1.*

Jus aliud eſt naturale, quod ſcilicet eſt commune omni nationi, eò quòd inſtinctu naturæ non aliqua conſtitutione ubique habetur, ut maris, & feminæ conjunctio; liberorum ſucceſſio, ſcilicet in bonis parentum: puerorum educatio; communis omnium poſſeſſio, quia jure naturali omnia ſunt communia, & omnium una libertas; acquſitio eorum, quę in cælo, & in terra, marique capiuntur quæ in nullius bonis cedunt occupanti conceduntur; rei depoſitæ, vel commodatę pecuniæ reſtitutio; violentiæ per vim repulſio. Aliud eſt civile, quod ſcilicet quiſque populus, vel quæque Civitas ſibi proprium conſtituit divina, humanaque cauſa. Aliud gentium, ut ſedium hoſtilium occupatio, edificatio, munitio, bella, captivitates, ſervitutes, &c. Quod ideò dicitur gentium, quia eo omnes ferè gentes utuntur. Aliud militare ut ſolemnitates belli inferendi, nexus fæderis faciendi, ſigno dato cum hoſte conflictus &c. Aliud publicum, & iſtud conſiſtit in ſacris, & presbyteris, magiſtratibus. Aliud quiritum, & quod eſt propriè Romanorum, quia nulli tenent illud niſi Quirites, ideſt Romani, in quo agitur de legitimis hæreditatibus, de curatoribus, de tutelis, de uſucapionibus, quæ jura apud Romanos tantum reperiuntur *di. 1.* Et dicuntur hic Romani omnes, qui Romano Imperio ſubſunt. Hæc *Io. diſ. 1. Jus Quiritum*. Jus civile invenitur accipi diverſimodè in jure. Dicitur enim uno modo jus civile, quod quiſque populus, vel civitas conſtituit ſibi, ut *inſtit. de jure naturali* §. 1. & dicitur civile ad differentiam juris naturalis, & juris gentium. Secundò, dicitur lex duodecim tabularum, ut *ff. de inſti. & jur. 1. jus civile §. hoc ergo.* Tertiò, dicitur omne jus quod non eſt pretorium ut *ibidem l. jus civile in prin.* Quartò, dicitur diſputatio prudentium, quæ fuit facta ſuper legem duodecim tabularum, ut *ff. de origine juris. l. 2. §. hæc diſputatio*. Quintò, quicquid habemus ſcriptum de jure, ut *ff. de var. cogni. l. 1. §. Proindè.* Sextò, quicquid juri naturali, vel etiam juri gentium ſubtrahitur: Hæc *Accur. in Glo. & inſti. de jure naturali* §. 1.

Jus prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia *ff. de juſtitia l. jus autem.*

Ius Quiritium conſtat ex legibus, & plebiſcitis, & ſenatus conſultis, & conſtitutionibus Principum, & edictis Senatorum, & reſponſis prudentium. Eſt autem lex conſtitutio populi qua majores natu cum plebibus quid ſanxerunt. Plebiſcitum verò eſt quod plebs tantum conſtituit, vel quod ad preces populi conſtituitur; fuerunt autem plebiſcita primò facta propter diſcordiam, quę fuit inter nobiles, & plebeios. *ff. de orig. jur. l. 2. §. hiiſdem.* Senatus conſultum, quod ſenatus tantum populis conſulendo docuerunt. Conſtitutio, vel edictum eſt, quod tantum Rex, vel Imperator conſtituit, vel edicit. Reſponſa prudentium, quæ juris periti reſpondent conſulentibus *diſt. 2. conſtat. c. 1.*

Ius publicum eſt, quod ſpectat ad utilitatem publicam.

Ius privatum eſt quod principaliter pertinet ad utilitatem privatam.

Iuris corpus dividitur in canonicum jus, & jus civile.

Ius autem canonicum dividitur in decretales, & decretum. Decretales, quarum volumen dicitur etiam Extravagantes, dividuntur in quinque libros, quorum materia his verſibus habetur:

Pars prior officia creat, Eccleſiaque miniſtros.

Alia

Alia dat teſtes, & cætera judiciorum.
Tertia de rebus, & vita presbyterorum.
Nubendi formam dat ritè quarta decenter.
Ultima de vitiis, & pœnis tractat eorum.

Quilibet autem liber habet plures rubricas, ſive titulos, in quibus præmittitur materia, de qua tractatur in capitulis ſequentibus. Sub qualibet autem rubrica ſunt plura capitula, quæ dicuntur decretales, vel conſtitutiones, & aliquando in capitulis ſunt paragraphi; undè quando allegabis aliquid de decretalibus, non alleges librum, ſed titulum, & capitulum in eo, et ſi ſit capitulum longum, dices capitulo tali circa principium, vel medium, vel finem, vel verſus finem; vel ſi ſint paragraphi in capitulo, alleges capitulum, & paragraphum. Poſt autem compilationem prædictorum quinque librorum elapſis multis annis, compilati ſunt duo alii libri, ſcilicet ſextus, & ſeptimus, in quibus quidem plurima de eiſdem materiis, & ſub eiſdem rubricis cum quinque libris præcedentibus apponuntur. Decretum verò dividitur in tres partes. Prima vocatur diſtinctiones, quia eſt diſtincta per particulas centum, & unam, quarum quælibet vocatur diſtinctio, & habet quælibet diſtinctio plura capitula, & plures paragraphos; quando igitur allegas aliquid de hac prima parte allega quotam diſtinctionis; & c. vel §. etſi ſit capitulum longum, dicas tali capitulo circa principium, vel medium, vel finem; & quando allegas capitulum, non alleges §. & quando allegas §. non alleges capitulum.

Secunda pars dicitur cauſæ, eò quòd eſt diſtincta in cauſas ſcilicet 36. quarum quælibet habet plures quæſtiones, & quælibet quæſtio habet plura capitula, & plures §. Habet autem trigeſima tertia cauſa quæſtiones 7. quarum 3. quæſtio habet 7. diſtinctiones, in quibus tractatur de pœnitentia; undè illa q. 3. intitulatur de pœnit. Habet autem quælibet illarum diſtinctionum plura capitula, & plures §. Quando ergo vis allegare aliquid de ſecunda parte decreti, debes allegare quotam cauſę, & quotam quæſtionis, tacendo cauſam, & nominando quæſtionem, & allegare capitulum, vel §. ſic *1. q. 5. tali c. vel §. & ſubintelligitur cauſa.* Quando autem allegatur aliquid de illa quæſtione quæ intitulatur de pœnitentia, debet allegare ſic: *de pæ. di. 1. c. tali. vel* §. undè nominari debet diſtinctio cum ſua quota.

Tertia verò pars hujus libri intitulatur de conſecratione, & habet quinque diſtinctiones, quarum quælibet habet plura capitula; undè quando aliquid allegatur de hac parte, debet nominari diſtinctio cum ſua quota, dicendo ſic *de conſe. diſ. 1. tali c. vel* §. *tali.*

Ius verò civile dividitur in quatuor, ſcilicet codicem, digeſtum, authenticam, & inſtitutam. Codex habet duodecim libros, quorum novem primos tantùm magiſtri legere ſolent, & quando allegatur aliquid de primis novem libris, non nominatur liber, nec ejus quota, ſed tantùm codex, & titulus, & principium legis, vel lex cum quota ſua; & ſi lex ſit longa, dicetur lege tali circa principium, medium, vel finem; vel ſi lex ſit diſtincta in plures §. dicetur lege tali §. tali. Quando verò allegatur de tribus ultimis libris, nominari debet liber cum quota ſua, & nominari etiam debent alia, ut in primis novem libris.

Et nota, quòd quandoque in codice allegatur authentica. Eſt autem authentica hoc quod eſt additum juri antiquo, & ponitur in margine inter gloſas, ſed de litera groſſiori; & quando allegatur aliquid de hac authentica debet nominari. *c.* & *tit. in quo eſt authentica. ut c. de epi. & cle. aut. generaliter.*

Digeſtum autem dividitur in digeſtum novum, digeſtum infortiatum, & digeſtum vetus. Novum habet viginti quatuor libros. Infortiatum duodecim. Vetus quatuordecim, & ſic ſunt libri quinquaginta; & quando allegatur aliquid de digeſtis quocumque nominari debet digeſtis, & titulus, & lex, ſicut in duodecim libris primis codicis.

Authentica verò dividitur in decem collationes, & quælibet collatio habet plures titulos, ſive rubricas, & quilibet titulus unum §. undè quando allegatur aliquid de hac authentica, primò debet nominari auct. poſtea titulus, deinde §. & ult. collatio ſic, ut *auct. de mandato Principis. §. ſi tibi coll. 3.*

Inſtituta autem habet quatuor libros, & quilibet liber habet plures titulos, & quilibet titulus habet plures §. undè in allegando inſtituta debet primò nominari *inſti.* poſtea *tit.* tertio §. *ſic. inſti. de fideicom.* §. *in hærede.*

Ius patronatus eſt auctoritas, ſeu poteſtas proveniens ex beneficiis ante conſecrationem Eccleſię collatis. Putà, ex fundatione, ædificatione, & dotatione, ut *16. q. 7. filiis. & c. quicunque, & 16. q. 2. abbatem.* undè verſus:

Patronum faciunt dos, ædificatio fundus.

Hæc Goſ. Dicitur etiam juſpatronatus, quandoque advocatio, quandoque vicedominatus, vel cuſtodia, vel guardio, vel jus frequentationis, vel proceſſionis, quandoque gratia. *extra. de jurepatro. qui cleri. in glo. A.*

Iure propriè dicitur res aliqua vendi in inſtrumentis venditionis, quando proprietas ejus transfertur in ementem.

Juſſio, infra in vocabulo Mandatum.

Juſtitia dicitur, quaſi juris ſtatus. *extra. de verb. ſig.*

L

LEx quid eſt, dictum eſt ſupra in vocabulo jus quiritum. Lex alia publica, quę à ſanctis Patribus ſcripturis eſt confirmata, ut lex canonum. Alia privata, ſcilicet quæ ex inſtinctu Spi-

ritus Sancti in ſordibus fidelium eſt ſcripta, ſcilicet charitatis, quæ dignior eſt quàm prima. 19. *q. 2. duæ.*

Lex quandoque dicitur conſuetudo 1. *di. conſue.* quandoque regula 1. *q. 7. c. 2.* quandoque ratio *di. 1. conſuetudo.* quandoque jus ſcriptum, ſive conſtitutio quæcumque; quandoque conſtitutio civilis tantùm.

Lex duodecim tabularum dicitur lex in duodecim tabulis ſcripta; cùm enim leges propter diſcordiam plebeiorum cum nobilibus, ferè per triginta annos in diſſuetudinem abiiſſent, creati fuerunt decem viri, qui tranſtulerunt Leges Græcorum in Latinum, & eas in decem tabulis eburneis ſcripſerunt; & iidem decem viri poſtea videntes in illis decem tabulis multas leges deeſſe, accepta poteſtate corrigendi, & ſupplendi duas alias tabulas addiderunt, & indè dicta eſt lex duodecim tabularum. Hæc Jo. *di. 7. c. 2.* Poſtea cum prędicti decem viri ſibi magiſtratum uſurparent, ſunt à populo incarcerati; & ſic conſules ſunt facti, qui ſenatuſconſulta compoſuerunt; poſtea Prætores conſtituti ſunt, qui edicta fecerunt. Hæc Azo.

Lex municipalis, eſt lex, quam aliqua civitas conſtituit ſibi, & eſt jus civile. *inſti. de jure natu.* §. 1. *in tex. & glo.*

Leges civiles fœmina ſi neſcit, & miles.
Clericus, & cultor, parcit ſibi judex, & ultor.

Lex multiplex eſt, ſcilicet falcidia, ſic dicta à falcidio tribuno, qui legem fecit, quod nullus tantum legaret in teſtamento, quin ſaltem ad minùs quarta pars ſupereſſet hęredibus *diſt. 2. quædam.*

Satyra, ſcilicet quæ de pluribus ſimul rebus loquitur, dicta à copia rerum, & à ſaturitate: unde & ſatiram ſcribere eſt poemata varia condere, ut Oratius, & Juvenalis.

Rhodia, quæ ſcilicet navium commerciorum eſt ab inſula Rhodo dicta, hæc iniquiſſima eſt, qua facientibus naufragium inhabitatores omnia auferunt; hodie autem excommunicati ſunt. *diſt. 2. quædam. & cap. ſeq.* Ortenſia facta ſcilicet inter plebem, & populum, qua conſtituitur, ut non valerent plus plebiſcita, quàm leges populi. Acquilia ſecundùm plebiſcitum eſt, quæ loquitur in eo caſu, in quo quis culpa ſua damnum alii dedit; veluti ſi equum ſuum occidit, vel vulneravit, vel veſtem ſuam ſcidit; & in hac lege venit culpa leviſſima, ut ſi quis ex alto ſe præcipitavit, & ſuper alium venerit, & ceciderit, tenetur lege acquilia; vel ſi putator ramum dejecerit, & non præclamaverit, & ſic aliquem occidat, tenetur lege acquilia; ſed non tenetur lege cornelia *de ſic. in qua venit tantùm dolus. ff. ad l. acquil. in l.* Julia læſæ majeſtatis; hæc punit eos, qui in Rempublicam, aut Principem aliquid machinari moliti ſunt. Cornelia de Sicariis; hæc loquitur de homicidiis, qui cum telo ambulant cauſa occidendi homines; In hac lege venit tantùm dolus. Sunt & plures aliæ leges, quas omitto cauſa brevitatis.

Legio, de hoc ſupra in vocabulo ala.

Legare, eſt mittere, & etiam in ultima voluntate rem aliquam alicui relinquere.

Libellus eſt parvus liber in modica ſcriptura, & eſt duplex libellus, ſcilicet conventionis, & accuſationis. Primus in civilibus, ſecundus in criminalibus locum habet. In primo contineri debet nomen actionis, & rei, & judicis, coram quo agitur, & res quæ petitur, & dies, in quo libellus datur.

In ſecundo verò contineri debet nomen accuſatoris, & rei, & judicis, & crimen de quo agitur, & quandoque perſona, cum qua crimen commiſſum eſſe dicitur, & locus in quo, & dies accuſationis; profeſſio accuſationis, coram judice, & menſis, in quo eſt commiſſum; diem autem, & horam ibi ponere non eſt neceſſe. *Hæc. Goſ.*

Liberi, vel filii dicuntur omnes deſcendentes uſque ad trineptes, & ulterius dicuntur inferiores. Similiter parentes dicuntur omnes aſcendentes uſque ad ternarium, & ulterius dicuntur ſuperiores *ff. de verb. ſig. & ff. de gra. l.* 1.

Libertas eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet *inſti. de jure perſonarum*. Liberi ſunt, qui naſcuntur ex ingenuis. Liberti verò ſunt, qui manumittuntur *inſti. de ingenuis*.

Liceri eſt appretiari.

Licitarii dicuntur qui rem aliquam emendo, vel conducendo, vel aliter negociando appetunt, & alter alterum ſuperare contendit plus offerendo.

Limiarchæ dicuntur Principes locorum, in quibus ſunt diverſarum Provinciarum, aut diverſorum Regnorum limitum termini. Et idem colmiarchę dicuntur, quia ſcilicet confinia cuſtodiunt, ut homines terram colant.

Limitanei dicuntur qui ſunt inter civitates, & caſtra conſtituti, ut limites defendant, ut homines terram colant.

Lis à contentione limitis nomen priùs ſumpſit, *extra. de ver. ſig. forus.*

Litem conteſtari dicitur ille, qui coram Judice cum teſtimonio, & publicè litem inchoat cum adverſario. Secundùm Goſ. litis conteſtatio eſt hinc indè negotii principalis apud Iudicem facta narratio. Item quaſi litis conteſtatio eſt, quando aliquis conventus in judicio ſuper rebus immobilibus, quas poſſidet nomine alieno, nominat dominum in judicio, & accipit inducias ad denunciandum Domino, ut ad Iudicem veniat, vel mittat. At ſi ipſe Dominus non comparet in termino ſibi dato, tunc enim eſt lis quaſi conteſtata contra ipſum Dominum, ſive habetur pro conteſtata ad interrumpendam longi temporis præſcriptionem. *extra. ut lit. non conteſt. quàm frequenter.*

Litem pendere, eſt litem in incerto eſſe, dum ejus eventus eſt dubius.

Literæ de rato dicuntur Procuratorium,

quia

quia conſtituens procuratorem ſemper adjicit in fine, quod quidquid ipſe procurator fecerit ſuper cauſa, ad quam eſt datus, ratum habebit. *extra. de reli. do. cum dilectus in glo.*

M

Magones, ſive ventilarii ſunt, qui in ſervis emendis, vel vendendis mercationem exercent.

Magiſtri ſcrinèorum idem ſunt quod ſcrinearii, ſive ſcrineorum cuſtodes, ſive pragmatarii, ſic dicti, quia pragmaticas ſanctiones ſcribebant, & eorum exempla in ſcrineis ad memoriam recondebant.

Maleficium, eſt homicidium, furtum, & hujuſmodi; ſed quaſi maleficium eſt cum Judex per inexperientiam judicat; vel cum de domo alicujus eſt ejectum, vel effuſum aliquid, quod nocuit tranſeunti.

Malleatores, falſæ monetæ adulterinæ ſunt, qui malleant falſam monetam.

Mandatarius eſt, qui ſuſcipit mandatum.

Mandator eſt, qui aliquid alicui mandat, ut illud faciat.

Mandatum, per mandatum generale poſterius datum non derogatur privilegio, niſi de illo faciat mentionem. *extra. de offi. or. grave.* Item per mandatum generale non prohibentur, niſi illicita, *extra. de verb ſig. ſuper quibuſdam.* Item tantùm valet mandatum generale quoad omnia, quantum ſpeciale quoad quædam. *extra. de voto magne.* Item rei turpis mandatum nullum eſt ff. *mand. ſi remunerandi.* §. *rei.* Item quando mandatum, vel pactum unum continet in ſe duo, quorum unum eſt poſſibile, alterum impoſſibile, non obligat in contractibus, ut ſi ego exiſtens Romæ promittam tibi hodie dare coloniæ centum. Sed benè obligat in judiciis, ut ſi judex mandet alicui, quod compareat coram ſe die impoſſibili ſibi, tenetur comparere die poſſibili ſibi ſecundùm Hoſt. *extra. de dolo cum dilecti.* Item qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati. *inſti. mandati*, §. *is qui.* Item mandatum ſpeciale derogat generale, etiam ſi de eo faciat mentionem. *extra. de reſcript. c.* 1. Hoc autem ſecundùm Bar. in quæſtionibus; Primò fallit in mandatis generalibus, quæ ſunt effectu ſpiritualia. *extra. de offi. dele. ex parte.* 1. Secundò, in privilegiis. *extra. de reſcrip. cum ordinem.* Tertiò, quando res non eſt integra. Quartò, in legatis. ff. *de ſuperpellect. leg.* Mandatum, & juſſio differunt, quia juſſio importat neceſſitatem, nec finitur morte, quia ſucceſſor tenetur illud facere; mandatum verò importat liberam obſequendi poteſtatem, & finitur morte. Quidam tamen dicunt, quòd tam præceptum, quàm mandatum finitur morte, ſi nominibus expreſſis ſcribatur. Hec Jo. 14. *q.* 2. *dudum. Non reperio* ſed habetur *in C. quam abbas de offi. dele.* De mandato etiam habes infra in vocabulo Præcaria.

Mappula eſt ornamentum, quod Imperator Conſtantinus Cardinalibus conceſſit *di.* 96. *Conſtantinus,*

Mappa eſt ornamentum equi, ut ſunt mappæ linteamina alba, quibus cooperiuntur equi Cardinalium, cùm faciunt proceſſionem. Alii dicunt mappulam eſſe Epiſcopalem Mitram. Hec Ioan. de hoc babetur *di.* 93. §. *compagis in c. nonnulli.*

Materfamilias eſt, quæ honeſtè vivit, quàm nullæ nuptiæ, nec natales faciunt matremfamilias, ſed tantùm boni mores. ff. *de verb. ſig. pronunciatio.* §. *paterſa.*

Maximè aliquando ponitur comparativè, aliquando pro tantùm, ut *extra. de ſi. presby. ad abolendam.* Aliqui etiàm legunt maximè pro magis, & ſic tenetur propriè ſecundùm Ber. *ibidem.* aliqui pro tantùm.

Mænia propriè dicuntur ædificia murorum civitatis, ſic dicta, quia muniunt civitatem, & interdum dicuntur abuſivè mænia omnia ædificia à munio. nis., ideſt ædifico.

Mercis nomen ad mobilia pertinet. ff. *de verb. ſig. mercis.*

Merum imperium eſt habere gladii poteſtatem ad puniendum facinoroſos; undè merum imperium eſt quædam ſumma poteſtas, per quam ea, quæ ſunt juriſdictionis maximæ explicantur; & dicitur merum, quaſi ſeparatum à cognitione pecuniaria, eò quòd nullum indè ſequitur commodum pecuniarium. *ar. inſti. de publi. judi in prin. tex. eſt in l. imperium ff. de juriſdi. o. judi.* Hec autem ſunt meri imperii facinoroſos punire, delinquentes vinculare, vel incarcerare, membra mutilare, pœnam capitalem imponere. Hæc autem eſt triplex, ut dicit Hoſt. *extra. de jurejur. veniens*, ſcilicet mors, exilium, & relegatio. ff. *de publi. judi. l.* 2.

Mætus dicitur, quaſi mentem tenens, ſive impediens; Qui enim timet, non ſemper gerit in corde, quod habet in ore; & indè dicitur mæticuloſus, ideſt mætu plenus, qui ſcilicet timet timenda, & non timenda.

Minores, quibus ſuccuritur per reſtitutionem in integrum, ſunt, qui compleverunt viginti quinque annos ff. *de in integ reſti. l. ſi.*

Miſſalia, vel miſſilia dicuntur quędam præſtationes, quas novus Prætor ſolebat mittere in vulgum, ut quod quiſque apprehenderet, fieret ſuum.

Mitti in poſſeſſionem nomine ventris, eſt mitti in poſſeſſionem nomine ejus, qui, vel quæ eſt in ventre.

Mittere aliquem in poſſeſſionem eſt, aut facere eum poſſeſſorem, ut quando probavit rem eſſe ſuam; aut eum ducere in poſſeſſionem, ut cuſtodiat eam, & in ea maneat, non ut eam poſſideat; ut reus qui citatus noluit comparere, tandem veniens litem ſuſcipiat, donec probavero eam eſſe meam.

Mixtum imperium eſt poteſtas media, per quam ea, quę ſunt in juriſdictione media explicantur,

cantur;& dicitur mixtum,quaſi ex jurisdictione, & mero imperio,eò quòd habet commodum pecuniarium, & pertinet ad ipſum bonorum poſſeſſorem dare, in poſſeſſionem mittere, jubere, cavere, pupillis tutores dare, & omnes aliæ pænę graves præter pænam capitalem, & mutilationem, ut eſt relegatio, vel fuſtigatio, vel gravis correctio. ff. *de juridi, o. judi. l.1.2. 3. & 4. in tex. & gloſ. Hæc Guil. & Pe. de Sam.*

Morbus ſonticus eſt, qui perpetuò nocet, niſi ſit curatus. *l.2. §. ſi quis in judicio, & ibi glo. ff. ſi quis cautionibus.*

Mortuarium dicitur, quòd quis relinquit in morte. *extra. de offi. judi. er. conquerente in glo. ſupra.*

Mulio dicitur cuſtos mulorum.

Mulctare, eſt punire, & differt mulcta à pæna, quia pæna eſt certa, & à jure inducta. Mulcta verò à Iudice per ſententiam irrogatur; undè appellatur à mulcta, non autem à pęna, ff. *de verb. ſig. ſi qua pæna.*

Municipium dicitur à munere, & capio. Eſt autem municipium oppidum; in quo pacis obſervandæ cauſa milites ſunt conſtituti, & municipes dicuntur, qui municipia cuſtodiunt; & qui pręeſt eis, dicitur municipalis. Dicuntur etiam municipales, qui in municipio nati ſunt.

Munimenta dicuntur probationes, & inſtrumenta, quia cauſam muniunt. *lib.6. de elec. quamvis in ſi. & in glo. Jo. An.*

Munus dicitur cùm aliquid datur cauſa præcedente; donum autem eſt ſine cauſa. *extra. de verb. ſig. inter donum.*

Muſio, eſt idem quod ſtatuus.

N

NAnciſci eſt aliquid conſequi.

Naufragium, eſt nave fracta ſubmerſio rerum, ſive corporum.

Negativa probari non poteſt, de hoc infra in vocabulo Probatio.

Negligentia eſt ejus, quod fieri poteſt, & debet omiſſio.

Negocium aliquando ſignificat actum alicujus rei, cui contrarium eſt otium; Aliquandò actionem eſſe, quæ eſt jurgium litis, & dicitur negocium, quaſi negans otium; dicitur autem negocium in cauſis, & negociatio in commerciis, & requiritur in omni negocio, ſcilicet non notorio iudex, accuſator, reus, & teſtis *extra. de verb. ſig. forus.*

Notio, ideſt notitia judicialis, & pertinet ad eos, qui habent juriſdictionem; poteſt etiam ſumi notio pro cognitione *extra. de excep. pia.*

Notarius dicitur perſona publica, quia ejus officium eſt ad publicam utilitatem inventum; & dicitur notarius, à notaria, quæ ſcilicet eſt negocia hominum, publicè, & auctenticè notare, ideſt in publicam, & auctenticam formam redigere; & idem dicitur ſcriba à ſcribendo; dicitur etiam tabellio, quia in tabulis olim notabant.

Novale, ideſt terra de novo ad culturam redacta, de qua non eſt memoria, quod aliàs fuerit culta, *extra. de verb. ſig. quid ſi pernovale.*

Novatio eſt obligationis conditionalis in obligationem puram, ſcilicet ſine conditione translatio.

Novum opus facit, qui aut ędificando, aut detrahendo, aut foveam faciendo priſtinam faciem immutat; ſecùs eſt ſi vetus deficiat *ff. e. l. 1. §. novum, & §. ſi quis ædificium.*

Novi operis nunciatio eſt ſecundùm Hoſt. illi, qui de novo ædificat in præjudicium alterius, facta legaliter prohibitio; & pertinet ad ea tantùm, quę ſunt ſolo conjuncta, ut patet *d. l.* Fit autem tripliciter. Primò, ſolo verbo, ſcilicet dicendo: nuncio novum opus, & hoc in loco ædificii, vel etiam ipſi domino operis. Secundò, per jactum lapilli. Tertiò, per judicis prohibitionem. Primo modo nuncians perdit poſſionem, & facit adverſarium poſſeſſorem; nuncians verò ſecundo, & tertio modo retinet poſſeſſionem. *Hæc. Ber. extra. de verb. ſig. ex parte lo. 2. in Glo.*

Noxa eſt corpus nocens, non ſervus eſt ipſum maleficium.

Noxia verò eſt delictum. Unde vèrſus:

Noxia delictum, delinquens noxa vocatur.

O

OBducere, eſt quaſi de mente ſubducere, ſecundùm *Joan. An. lib.6. de elec. fundamenta.*

Omnia, ſi Epiſcopus dicat: do tibi talem villam, & omnia, quæ habeo ibi, non intelligitur dare decimas, vel alia jura merè ſpiritualia, quia ly omnia non extendit ſe ad ea, quæ pænitus ſunt alterius naturę, & juris, quàm ea quæ principaliter transferuntur; ſed quando datur aliquid, quod habet temporalia, & ſpiritualia jura cum omnibus pertinentiis ſuis, ut præbenda poſſeſſiones habens, & decimas, tunc omnia transferuntur ſimul. Hæc Hoſt. *extra. de jurepatro. literas.*

Omologare, idem eſt, quod confirmare.

Optimates ſunt meliores, & ſunt ditiores de populo, ab operibus ſic dicti.

Oportet aliquando dicit neceſſitatem *3. q. 9. non oportet*, aliquando honeſtatem, ut *25. q. 1. c. 2.* Item oportebit, tam futurum, quàm præſens ſignificat. ff. *de verbo ſig. verbum.*

Oraculum, ideſt reſponſum, quia precando impetratur. *c. de legibus l. digna vox.*

Ordinaria onera ſunt illa, quę de conſuetudine debentur; extraordinaria verò, quæ in ſolita neceſſitate emergunt.

Ordinarii verò ſunt non tantùm Epiſcopi, ſed etiam quicumque inferiores, qui habent inſtitutionem, & deſtitutionem. *extra. de offi. or. cum ab Eccleſia. & lib. 6. e. c. 3. §. in conferendis.*

Orpha-

Orphanatrophus eſt orphanorum, & pupillorum tutor, & adoleſcentium curator, qui eos quaſi parentibus deſtitutos ſuſcipit alendos. Undè orphanatrophium, eſt locus hujus adminiſtrationis.

P

PAgani, ſunt homines privati à pago, ideſt villa dicti.

Paganus na. num; ideſt villanus, & quicumque habitat in villa, dicitur paganus.

Palatinus comes dicitur, qui curam gerebat præcipuam, ut miſſis notariis ſuis Iudicum negligentiam argueret, & à provincialibus conſueta tributa exigeret.

Papa, quod fit auctoritate Papę, dicitur fieri auctoritate Dei; & hoc eſt verum ſi faciat juſta de cauſa. *extro. de transla. inter corporalia. in glo* 10.

Parabolani dicuntur medici, ſic dicti, quia plura promittunt, quàm faciunt.

Parentes, ſupra in vocabulo Liberi.

Partis indiſtinctè prolatæ nomine, pars dimidia deſignatur. ff. *de verb. ſig. l. nomen filiorum. §. operationis.*

Paterfamilias dicitur homo cujuſcumque ætatis ſit, dummodò ſit ſui juris, & proprię poteſtatis.

Patritius dicitur, quem Imperator eligit ſibi in patrem.

Patritii etiam dicti ſunt quidam nobiles in civitate.

Pauperies dicitur damnum, ſive injuria, ut cùm equus percutit aliquem.

Pecorum nomine continentur boves, ſupra in vocabulo Boves.

Pænam committi, eſt pęnam deberi.

De pęna, ſupra in vocabulo Mulctare.

Penſitatio, eſt penſionis ſolutio. *C. de Epiſcopis l. 3. in glo.*

Perduelles, ſupra in vocabulo crimen leſæ majeſtatis.

Perſonæ quædam dicuntur privatæ impropriè, ut illæ, quę ſunt exceptæ à communi jure. *di. 3. privilegia*, ubi dicitur, quòd privilegia ſunt leges privatorum. Quædam verò propriè dicuntur privatę perſonæ, ut illi, qui non habent dignitatem 25 *q. 1. qui contra.* undè clerici non dicuntur privatæ perſonę, cùm habeant dignitatem, ideſt ordinem eccleſiaſticum. *di. 3. privilegia. & di. 4. denique. Hęc Jo.*

Item ſecundùm abbatem perſonæ quędam dicuntur publicę, quæ ſcilicet in officio publico ſunt, ut Tabellio, Judex, & Balivus; quędam dicuntur privatę, quę ſcilicet non ſunt in officio publico.

Pertinere ad nos dicuntur illa, quę ſpectant ad nos aliquo titulo, non cauſa pignoris, & quæ noſtra non ſunt, ſed eſſe poſſunt. ff. *eodem. verbum pertinere.*

Pignus contracti eſt in eum ſtatum venire, niſi debitor pignus committat, ideſt amittat.

Plagiarii ſunt qui liberos homines ſurripiunt, & vendunt, à plaga maris ſic dicti.

Plebs differt à populo, ut ſpecies à genere, quia populus continet majores, & minores, nobiles, & ignobiles; plebs tantùm minores; & indè plebiſcitum, ideſt per plebem ſtatutum; *inſti. de jure naturali. §. plebs.*

Plurale quandoque ponitur pro ſingulari *di. 1.* Omnes Leges aut ſunt divinę, aut humanæ, ideſt omnis lex, aut eſt divina, aut humana, ut dicit *Jo. ibidem*. quandoque ponitur ad excluſionem majoris, vel minoris numeri. *extra. de divor. gaudeamus.*

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta. 4 *q. 3. §. item ubi numerus, & concor.* 12. *c. pluralis locutio de reg. jur. lib. 6.*

Populum faciunt decem, ſupra in vocabulo Collegium.

Item de populo, ſupra in vocabulo Plebs.

Portari ſupra in vocabulo *Ferri.*

Poſſeſſor, bonorum poſſeſſor eſt nomen juris, ſicut bonorum poſſeſſio. ff *de verb. ſig. hæreditatis.* Et dicitur bonorum poſſeſſor ille, qui tantùm de jure prętorio ſuccedit, ut filius emancipatus, vel cognatus, qui dicuntur bonorum poſſeſſores ex bonorum poſſeſſione edictali, & decretali. Nam ſtatim ut habent edictam & decretam poſſeſſionem, habent hoc interdictum decretum ad hoc ut conſequantur hęreditatis poſſeſſionem, quod dicitur quoram bonorum. *inſti. de interdictis. §. Reſtitutoria in glo.*

Differunt enim hæres, & poſſeſſor bonorum, quia hæres ſuccedit de jure civili; Bonorum poſſeſſor de jure prætorio. Undè aditio hęreditatis non deſiderat auctoritatem Judicis, ſed bonorum poſſeſſor requirit auctoritatem, & præſentiam Iudicis. *inſti. de bonorum poſſeſ. §. quos autem.*

Item bonorum poſſeſſio, aliquando dicitur ſecundùm tabulas teſtamenti, ut quando Prætor permittit hæredi ſcripto poſſeſſionem bonorum; Aliquando eſt contra tabulas teſtamenti, ut quando datur poſſeſſio liberis à patre in teſtamento pręteritis.

Pro hęrede poſſidere eſt aliquem ita poſſidere, quod ſe putat hæredem eſſe.

Pro poſſeſſore poſſidere, eſt ita poſſidere, quod non putat ſe juſtè poſſidere.

Poſſeſſio, eſt corporalis rei detentio corporis, & animi juris amminiculo concurrente; *Corporalis rei* dicit, quia ſola corporalia poſſidentur; incorporalia verò dicuntur, quaſi poſſideri, & quaſi tradi per patientiam ad uſum.

Item dicit *corporis*, quia neceſſe eſt, ut quis corpore, vel ſaltem oculis adipiſcatur.

Item dicit *animi*, quia poſſeſſio ejus ſolo animo perditur.

Item dicit *juris*, quia oportet, quòd ſit ſecundùm viam juris.

Poſſeſſio, & quaſi poſſeſſio differunt, quia corporalia poſſident; undè dicta eſt poſſeſſio, quaſi

Digitized by Google

quaſi pedum poſitio. Incorporalia verò, ut juriſdictio, & ſervitutes non poſſidentur, ſed quaſi poſſidentur, quia non poſſunt corporaliter apprehendi. *extra. de ſo. compe. conquæſtus in glo. B.*

Poſſeſſor bonæ fidei jure prædiorum tandiù dicitur, quamdiù ignorat ſe alienum poſſidere; qui verò hoc ſciverit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, malæ fidei poſſeſſor perhibetur. 34. *q.1. ſi virgò.*

Poſſeſſor malæfidei dicitur primò, qui mercatur contra leges *c de ague. quemadmodum*; Secundò, qui poſt denunciationem ſibi factam, quod res non eſt diſtrahentis *C. de rei ven. ſi fundus*. Tertiò, ſi emit à Procuratore meo per colluſionem rem meam pro pretio multum minori, quam debuerit vendere, & hoc ſcienter *ff. pro empto. qui fundum §. Qui ſciens*. Quartò, ſi emit à furioſo. Quintò ſi à prodigo. Sextò, ſi à luxurioſo, cum ſciret eum pecuniam conſumpturum, vel ſcorto daturum, quod verum eſt, cum propter hoc bonis eſt interdictum à Iudice, ut *ibidem. l. ſi quis.* Hæc Ber. *extra de præſcrip. ſi diligenti.*

Poſſeſſorium judicium eſt triplex, ſcilicet pro poſſeſſione adipiſcenda, vel recuperanda, vel retinenda. *extra. de cauſa poſ. poſturalis in glo. D.*

Poſſidetur hoc jure, quòd juſtè; hoc juſtè, quod benè; quod autem malè poſſidetur, alienum eſt; malè autem poſſidet, qui vel ſuis malè utitur, vel aliena præſumit. *extra. de verb. ſig. jus.*

Poſſidere pro indiviſo eſt ita poſſidere rem aliquam, ut in ea nullam partem habeat ab illis ſeparatam, quam ſimul cum aliis non poſſideat.

Poſtliminium, eſt jus, quo reſtituitur res uſucapta, vel præſcripta ab alio alicui, quam per captivitatem amiſerat. 11. *q. 3. præterea.* Recuperat enim eam quaſi poſt, ideſt juxta limen domus ſuæ ſemper fuiſſet, & poſſediſſet.

Poſthumus, & poſthuma, qui, vel quæ naſcitur poſt humationem patris.

Poſtulare, eſt ſuum, vel alterius deſiderium in jure coram Iudice exponere, vel alterius deſiderio contradicere. *extra. de poſtu. cum ſacerdotis. in glo. d. & l. 1. ff. de poſtulando.* Eſt etiam poſtulatiò petitio, qua petitur ex gratia aliquem ineligibilem licenter eligi. De prima poſtulatione tractatur. *extra. de poſtulando.* De ſecunda. *extra. de poſtu. Præla. per totum.*

Pragma. tis., ideſt cauſa, & idem pragmaticus, ideſt cauſidicus; undè pragmatica ſanctio eſt cauſa in Conſiſtorio Principis ventilata coram proceribus Sacri Palatii. Eſt etiam conteſtatio Principis ex aggregatione cauſæ facta. Quandoque tamen dicitur confirmatio, ſive ſcriptura ab Imperatore facta cum cauſæ cognitione ſuper contractu permutationis. *extra. de rerum permu. c. 1. in glo.* Et pragmaticum ſacrum eſt Principis reſcriptum. Et pragmaticarii ſunt, qui ſcribunt pragmaticas ſanctiones.

Precaria verba ſunt hæc; ſcilicet rogo, volo, mando, fideicommitto: jubeo autem eſt præceptum. *C. communia de leg. l. 2. in principio. ar. 2. q 4. mandaſti, ubi Epiſcopus mandat Papæ.* Quandoque tamen mando ponitur præceptivè *C. de ac. & obl. Siquidem.* Similiter rogo, quandoque ponitur præceptivè 11. *q. 3. rogo.* Quandoque mandativè; undè ff. *de neg. geſt. ſi ſervi mei rogatu, ideſt mandato ſuſcepiſti &c.* Quandoque deprecativè ſic ponitur, ut frequenter *hic* 11. *q. 3. rogo.*

Prædia ruſticana ſunt illa, quæ ſine ædibus ſunt, ſive ſint in urbibus, ſive in agro, etiam ſi ſint ibi ædes ad uſum ruſticanum, ſcilicet ad fructus recolligendos, & oves, & boves cuſtodiendos.

Præfectus urbis dicebatur, qui cæteris magiſtratibus quacumque ex cauſa proficiſcentibus ab urbe relictis jus dicebat, & omnibus in civitate dignitatibus præcellebat, qui cum egrederetur urbem, non habebat juriſdictionem, jubere tamen, & judicare poterat in civitate, ut ff. *de offi. Prætoris. l. 1. & 2.*

Præfectus prætorius ad vicem magiſtri equitum eſt creatus Præfectus Auguſtalis dicitur Præfectus Ægypti. Præfecti vigilum ſunt Præfecti nocturni, qui excubias agebant, & malefactores nocturnos puniebant, niſi eſſet perſona tam famoſa, ut ad Præfectum urbis mitteretur punienda ff. *de offi. Præfecti vigilum. l. 3.*

Præjudicare, eſt aliquid alicui præferre; dicitur etiam quis ſibi præjudicare, dum in judicio confitetur aliquid ratione cujus confeſſionis damnificatur. Dicitur etiam, quod res judicata præjudicat veritati.

Prælati nomine intelligitur Eccleſia, & miniſterium populi, & Eccleſia eſt in Epiſcopo, & è converſo. Non tamen nomine Prælati ſemper intelligitur Eccleſia. *extra. de reſcrip. edoceri in glo.*

Præpoſitus poteſt dici quilibet, qui alius præeſt; uſus tamen retinuit, ut præpoſitus dicatur, qui quamdam prioratus curam ſuper alios gerit. *extra. de verb. ſig. quamvis.*

Præſentes dicuntur qui in eadem provincia ſunt. *C. de præſcrip. long. temp. l. ſi.*

Præſertim aliquandò ponitur in jure pro maximè, ut *extra. de homi. ex literis 2.* Et aliquando pro tantùm, ut *ibidem. c. Petrus in gloſ.*

Præſes provinciæ alicujus poſt Imperatorem ſummam poteſtatem olim gerebat.

Præſumptio ſecundùm Gof. eſt alicujus facti dubii, quandoque ſemiplena, quandoque plena inveſtigatio. Sunt autem tres ſpecies præſumptionis, ſcilicet temeraria, & hæc reprobatur, ut 2. *q. 1. primò.* Probabilis, & hæc admittitur ad ſemiplenam probationem, ut *extra. de præſump. in multis c.* undè coadjuvat ad probationem ſi adſint alia amminicula. *extra. qui ma. acc. poſ. à nobis in glo.* Admittitur etiam ad purgationem indicendam, ut *extra. de purg.*

cauſa

ca. ſi quis. de gradu. Et violenta, & hæc ad condemnandum ſufficiens reputatur, ut *extra. e. afferte. Hæc Ber. extra. e. quantò.* Prǽſumptio violenta quædam eſt juris, & de jure, ut cùm jus fingit, & ſtatuit aliquid ſuper ficto; & contra hanc non admittitur probatio. *extra. de ſpon. it qui fidem.* ubi dicitur, quòd ſi quis dederit fidem mulieri de contrahendo matrimonium cum ea, & poſtea copula ſequitur, matrimonium eſſe præſumitur, & probatio in contrarium non admittitur. Quędam eſt juris, ſed non de jure, ut cùm jus præſumit, ſed non ſtatuit aliquid, ut ſi vir diù mulieri cohabitavit, præſumitur ab eo cognita. 32. *q.* 1. *dixit.* & contra hanc præſumptionem admittitur probatio.

Quędam eſt hominis, ut cùm præſumitur contra aliquem propter malam famam; & contra hanc etiam admittitur probatio. ut *extra. de ſponſa. cum in tua.*

Quædam eſt vera, ut cùm exhærendo filium meum pręſumitur contra me, quod iniuſtè exhęredem eum, & hoc propter naturam; undè hæredes mei tenentur probare, quòd eum exhæredaverim juſtè. *C. de inoffici. teſta. auth. ut non liceat parenti.*

Quædam eſt facti, & hęc eſt duplex, quia quædam eſt facti pręcedentis circa futura, ut ſi ſemel ſis calumniatus, & iterum me velis accuſare, præſumitur, quod iterum me velis calumniari. *extra. e. mandata.*

Quędam eſt facti ſubſequentis circa pręterita, ut ſi qui priùs de adulterio accuſati, quod ipſi repellebant pętextu proximitatis, fuerint poſtea matrimonialiter conjuncti, pręſumitur illud, de quo priùs fuerant accuſati. *c. de adul. ſi qui adulteri. Ber. extra. de ſpon. it qui fidem.* Sed Io. *di.* 50. *ferrum.* non multum curat de pręd:cta diſtinctione; ſed dicit, quòd contra omnem pręſumptionem admittitur probatio, niſi ubi ius de iure alicuius, non tantùm præſumitur, ſed eſt certum, quod ſtatuit, quia per fictionem iuris, veritas non deletur. *c. de ju. do. l. in rebus.*

Prętor eſt, qui in urbe ordinabatur ad diſceptandos actus dubios, & cauſas: prętor urbanus dicitur, qui jus in civitate dicebat: prętor fideicommiſſarius dicitur, qui de fideicommiſſis judicabat: prętor peregrinus, qui inter peregrinos jus reddebat.

Pretorium eſt locus, in quo Iudex exercet iuſtitiam; eſt etiam locus habitationis Pręſidis.

Primates officiorum ſunt, qui officiis pręſunt.

Primicerius dicitur primus, vel in choro, vel in cantu; undè in aliquibus Eccleſiis dicitur cantor, vel etiam ſuccentor.

Primipilarii dicuntur, qui primi actionem officii ſui adminiſtrant, & qui primum pilum portant. *c. de primipil. l.* 1. *no. glo. in c. ple. de conſue.*

Primogenitum vocat ſcriptura divina non quem fratres ſequuntur, ſed qui primò fuit natus. *extra. de verb. ſig. Joſeph.*

Privata delicta ſunt, quæ civiliter tractantur; publica delicta, quaſi populo publicata dicuntur, quorum perſecutio eſt commiſſa cuilibet de populo, quale eſt crimen leſæ maieſtatis, & accuſatio de ſuſpecto tutore, vel curatore, in quibus omnes accuſare poſſunt.

Proceſſus de plano, & ſine ſtrepitu iudicii, quando habet fieri. *de verb. ſig. ſæpe contingit in Clementinis.*

Probatio, ſecundùm Goſ. eſt rei dubiæ per teſtes, vel inſtrumenta, & plerumque per indicia, & præſumptiones oſtenſio; plerumque ideò dicitur, quia etſi in cauſis pecuniariis, & civilibus præſumptiones, & indicia probent, ita ut ſi fuerint certæ, vel violentæ ad ſcientiam procedatur. *extra de præſump. literis.* non tamen in criminalibus ſufficiunt ad condemnandum, quia in criminalibus non proceditur ad pænam pro præſumptionibus, ut patet *ibidem c. literas.* niſi eſſent indicia indubitata, & luce clariora. *c. de proba. l. ſciant.* Dicitur autem probatio à probè adverbio, quia probè facit, qui probat quod intendit, quia per hoc pænas non probantium evadit.

Nota etiam ad majorem evidentiam, quòd probatio fit multipliciter, primò per aſpectum, ut in notorio, quod probatur per facti evidentiam. *extra. de accu. evidentia.* in atroci iniuria ff. *de injur. l.* 1. in ætate ff. *de mino. l. minor. quindecim an.* à certo præſide ex habitu corporis: in terminis *extra. de proba. ex literis* Hæc Goſ. Secundò, per teſtes, & hoc per teſtes plures, vel etiam per unum cum aliis pręſumptionibus vehementibus. Tertiò, per inſtrumentum. Quartò, per confeſſionem; & hæc quatuor ponuntur. *extra. de teſti. ſpo. ad ſedem.* Quintò, per ſcripturam antiquorum librorum. *extra. e. cum cauſam.* Sextò, per violentam præſumptionem 32. *q* 1. *dixit Dominus. & c. afferre de præſumptionibus.* Septimò, per famam cum aliis præſumptionibus. *extra. de præſump. tertiò*, & etiam per famam cum uno teſte. *ar. extra. de proba. ſicut.* Et ſi Judex dubitet de fama quærat à vicinis. ff. *de magi. conve. l.* 1. Poteſt tamen fama probari per duos teſtes. *extra. de teſti. & atteſta. tam in literis.* & magis probat fama quàm unus teſtis, *extra. de conſan. ſuper eo.* Hæc Jo. 4. *q.* 3. §. *ſæpe.*

Sed numquid per famam, & unum teſtem poteſt quis de crimine condemnari; dicit Ber. *extra. de proba veniens*, quod non, quia in crimine debent eſſe probationes aſſertiſſimæ; ſecùs eſt in cauſa civili. *c. de proba. l. ulti.* Octavò, per iuramentum; nam ſoli ſacramento creditur, quando de conſcientia alicuius quæritur, ſive dubitatur. *extra. de ſen ex. Si verò aliquis* de hac materia, ſupra in vocabulo Cauſa.

Negativa probari non poteſt. *extra. de elec. bonæ.*

Notà, quòd multiplex eſt negativa, ſcilicet facti, dicti, iuris, & qualitatis.

Nega-

Digitized by Google

Negativa verò facti, quædam eſt purè negativa, quædam eſt mixta, ſcilicet cum affirmativa.

Negativa facti purè negativa, aut habet determinationem loci, vel temporis, vel alterius rei; & hæc probari poteſt indirectè, ut ſi inſtrumentum exhibeatur continens ſtipulationem factam tali die, vel loco. *ar. extra. de teſti. ex tenore.* aut non habet, & tunc probari non poteſt nec directè, nec indirectè; undè onus probandi transfertur ad adverſarium; & hoc ideò, quia negationum non ſunt cauſæ, nec circumſtantiæ, quæ ſunt neceſſariæ in probatione, ut ſi quis dicat, ſe nunquam contraxiſſe cum Berta. Mixta verò, ſcilicet cum affirmativa eſt illa, quæ habet affirmationem implicitam, ut ſi dicatur: ego non renunciavi ſponte, quaſi diceret, coactus renunciavi, & hoc debet probari ab eo, qui negat. *extra. de renun ſuper hoc.*

Negativa verò dicti probari debet ſecundùm Guil. *extra. de proba.* Tertiò tamen dicit Ib. Ber quòd negativa probata fuit ibi indirectè. & Joan. *6. q. 5.* in fine dicit, quod illa probatio magis fuit præſumptiva, quàm vera.

Negativa autem iuris poteſt probari, ut ſi dicat quis alicui: non potes eſſe teſtis, debet hoc probare.

Negativa verò qualitatis, aut eſt negativa qualitatis intrinſecæ, ideſt eius, cum qua naſcitur homo, ut cùm quis negatur eſſe pacificus, ſobrius, & huiuſmodi; & tunc præſumitur affirmativa, niſi probetur negativa; aut eſt negativa qualitatis extrinſecæ, ideſt eius cum qua homo non naſcitur, & tunc præſumitur negativa, niſi probetur affirmativa; undè ſi negetur ſcientia, probandum eſt hoc per examinationem Judicis. *extra. de præben. cum ſecundum Apoſtolum.* Si ætas, per aſpectum corporis *extra. de ſpon. impuberes.* Si legitimitas, aut ergo is, cui illegitimitas opponitur eſt de hoc infamatus, & tunc cogitur ſe purgare, *extra. de pur. ca. non accedens.* aut non, & tunc, qui ſibi obiicit, tenetur probare. *ar. extra. de elec. ſi fortè hæc abbas*, & *Guil. & Ber. extra. de elec. bonæ. & Goſ. in ſumma ti. de proba.*

Proconſul ordinatus eſt Iudex à populo conſtitutus, non à principe, nec ab alio delegatus, ſed etiam ante dignitatem imperialem creatus; hoc officium erat in provinciis, ut per eum provinciales ſua negocia expedirent.

Proconſul Legatus eſt, cui Proconſul provinciam ingreſſus mandat.

Procurator, eſt nomen generale ad quamlibet adminiſtrationem, & per ſequentia, quæ continentur in conſtitutione, reſtringitur ad illud, de quo agitur. *extra. de procur. petitio in glo. c.* ſupra in vocabulo Curator.

Procurator cauſarum eſt, qui cauſam defendit abſentis; ſed Advocatus cauſarum eſt, qui cauſam tuetur præſentis; uterque verò dicitur poſtulare; debet autem officium procuratoris eſſe gratuitum, etſi quid recipit, facit contra bonos mores: *e. de procur. litem.* & hęc intelligitur, quando paciſcitur, ut habeat certam partem eius, de quo eſt quæſtio, quod non licet; poteſt tamen licitè recipere ſalarium ſuum pro labore. *lib. 6. de ſo. compe. Romana.* Hęc Io. An.

Proheres eſt, qui ſe putat hæredem eſſe, cùm non ſit ff. *de peti. hære. l. pro hærede.*

Prohibita intelliguntur eſſe omnia, quæ non ſunt conceſſa *ar. extra. de transla. inter corporalia.* Ar. contra quod omnia intelliguntur conceſſa, quę expreſsè non ſunt prohibita. Ideò nota, quod ubi aliqua conſtitutio promulgatur affirmativè, ſemper intelligitur conceſſum, quod non invenitur prohibitum; exemplum *21. q. 1. c. ult.* ubi dicitur, quòd ſi dormierit vir eius, cui vult nubat in Domino; non dicit duobus, vel tribus, vel quatuor; undè poteſt contrahere cum his omnibus; ubi verò promulgatur negativè ſemper intelligitur prohibitum, niſi inveniatur conceſſum, maximè ubi fuerit eadem ratio, ut cum dicitur, non occides. Hoc nulli licet, niſi inveniatur conceſſum, vel expreſſum, ut de Iudice, cui lex hoc concedit. Hęc Ber. *in c. inter corporalia. in glo. 26.* Poteſt etiam dici, ſecundùm quod notat ibidem, quod hæc regula, ſcilicet quod non èſt conceſſum, intelligitur eſſe prohibitum, habet locum in iudiciis, & contractibus ſtricti iuris, & in arbitriis, & privilegiis, & in reſcriptis litium; hęc autem regula, ſcilicet conceſſum eſſe intelligitur, quòd non eſt prohibitum, expreſsè locum habet in iudiciis, & contractibus bonę fidei, & in beneficiis, & abſolutionibus, & in edictis prohibitoriis; in illis enim quælibet admittitur, quæ non prohibetur, ut in edicto *de procur. teſti. de matrimonio.*

Proiectum dicitur quoddam genus ædificii, quod nulla columna ſuppoſita in ædibus, vel mæniis appendet.

Promiſſio in genere mediocritatem reſpicit, *extra. de fi. presby. literas in glo. c.*

Promiſſor eſt, qui promittendo negociationem inchoat.

Repromiſſor verò eſt, qui repromittendo ratificat.

Promiſſionem committi, eſt in eum caſum venire, ut ex ea poſſit aliquid haberi.

Proprietarius eſt, qui cuiuſcumque rei proprietatem habet, & eſt idem quod Dominus.

Prorogare, eſt producere, & extendere.

Proſcriptio eſt contra abſentem iudicialis pronunciatio, ut inpoſterum procul agat ab imperio.

Proſeneta dicitur mediator in contractibus, cuius merces dicitur proſeneticium.

Provinciales dicuntur non illi, qui ſunt oriundi de provincia, ſed qui in provincia domicilium habent. ff *de verb ſig. provinciales.*

Publicani ſunt, qui publica vectigalia exigunt, vel tributa conducunt. ff. *de pu. per totum. & in l eum, qui vectigal.* ff. *de verb. ſig.*

Publicati dicuntur, qui ob aliquod delictum in publicum ærarium deducuntur.

Puni

Pueri dicuntur filii, & non filiæ; dicuntur etiam pueri omnes ſervi, & ſexagenarii; dicuntur etiam tertio modo pueri communiter omnes, qui ſunt in ætate puerili, ut mares infra quatuordecim annos, & puellæ infra duodecim ff. *de ver. ſig. pueri.* quando tamen legantur pueris alimenta; tunc puer dicitur puella uſque ad decimum quartum annum. ff. *de ali. lega. mela.* Item quando pueri dicuntur doli capaces, quære ſupra in vocabulo Doli proximus.

Purgatio, eſt de objecto crimine oſtenſio innocentiæ, & hæc eſt duplex, ſcilicet canonica, quæ fit per juramentum, & hęc approbatur. Et vulgaris, ſcilicet, quam ſibi vulgus invenit, & hęc fit per duellum, & candens ferrum, & per aquam frigidam, vel bullientem, & hæc reprobatur. *extra. c. ex ſuarum.*

Q

QUancitius. Hoc tempus eſt ad arbitrium boni viri, cum lege, vel canone non terminetur. ff. *de jure deli l.* 1.

Quaſi, extra eſt quaſi expreſſivum veritatis, ſic *Joa.* 1. *quaſi unigeniti à Patre.*

Queſtio dicitur oratio interrogativa; dicitur etiam tormentum, quia tormentis veritas inquiritur; Unde tortores dicuntur quæſtionarii.

Quæſtores erarii dicebantur, qui pecuniæ petendę, & conſervandæ cauſa creati fuerunt; Quæſtores verò ſacri Palatii idem officium gerebant in domo Imperiali. Quæſtores parricidii erant cauſis capitalibus præfecti.

Quirites Romani dicti ſunt Quirites à Quirino, qui fuit Rex eorum; dictus à Quiris, quod eſt haſta, quia magis haſta utebatur.

R

RAtihabitio retrò trahitur, & mandato comparatur. Hoc eſt verum ſi ſit tale factum, quod ab initio mandari potuit, & concedere quæ ratum habuit, aliàs non, ut *extra. de regularibus. ſignificavit, & c. cum virum*, undè quaſi regulare videtur, ut ratihabitio retrò trahatur, & confirmet præcedentia *extra. de his, quæ fi. à Præla. cum nos, & ff. de reg. jur. l. hæc in initio.* Et hoc locum habet in maleficiis, negociis, contractibus, ſacramentis, & his, quæ per exceptionem annullari poſſunt, ut electio, quæ facta eſt aliquo contempto, quæ eſt annullanda, niſi ille poſtea conſentiat; *extra. de elec. cum nobis.*

Fallit hoc autem primò in illis, quæ per alios expleri non poſſunt; ut per Vicarium. Secundò in his, quę contra naturam ſunt, vel fiunt, quæ ſine peccato detineri, vel fieri, vel poſſideri non poſſunt, quę nulla ſunt ipſo jure. Tertiò, in filia, quæ nubit tempore luctus, quę ſi faciat hoc patre jubente; pater infamatur, non autem ſi patre poſtea ratum habente. Quartò, in pupillo, ubi non valet ratihabitio tutoris, niſi ſit præſens in negocio pupilli. *inſti. de auct. tuto. §. tutor.* Quintò, in ſervo qui juſſu Domini adiens hæreditatem acquirit Domino; Domino verò poſt aditam hæreditatem ratum habente non acquirit ei, ut *ibidem.* Sextò, in his, qui plus habent juris, quàm facti, ut ſententia; talia enim ſunt, qui confirmari non poſſunt per ratihabitionem: undè verſus:

Nulla pupillare jus explet filia ſervus.

Solus tamen princeps poteſt ſententiam, quę nulla eſt confirmare, quia ipſe mutat ſubſtantiam rei. 2. *q.* 1. *in primis.* Si tamen aliquis alterius nomine ſententiam tulit, rata haberi poteſt. Hęc Ber. *extra. de pac.* c 2. Inno. verò dicit, quòd ſententia nomine alterius lata non poteſt rata haberi; ſimiliter ſi quis nomine alterius Judicis judicet in illius terra, non poteſt ejus ſententia rata haberi.

Rationales Cæſaris, ideſt Procuratores.

Reda dę. eſt quoddam genus vehiculi ad eundum, & redeundum habile, & eſt quatuor rotarum.

Redibere, eſt facere habere aliquem, quod priùs habebat; undè redibitio, quaſi reditio. ff. *de edil. èdic. l. redibere.*

Referendarii ſunt Advocati, qui referunt hominum negocia.

Refragari, eſt neceſſitare, & impedire.

Relegare, eſt aliquem in inſulam mittere propter aliquod delictum ad ſtandum ibi per quinquennium.

Remunerare. Deus non remunerat bonum quod fit, ſed quod benè fit. Ideò dixit quidam, quòd Deus non eſt remunerator nominum, ſed adverbiorum *extra. de collu. ſcripta in glo.*

Renunciatio, prout de ea tractatur extra, eſt propriè, vel juris ſpontanea refutatio.

Replicatio, ſupra in vocabulo Explicatio.

Res iudicata dicitur cum elapſis decem annis ſententia nullius iuris remedio poteſt attenuari.

Res ſanctę ſunt, quę ab hominum leſione munitæ, ſunt factę, ut portæ civitatis, vel muri, quæ res ſanctæ dicuntur, quia delinquentes in eis pęna ſanguinis puniuntur, ut ſi quis aliquid in leſionem ipſorum inferret.

Res ſacrę ſunt, quę Deo ſunt per Epiſcopos conſecratæ.

Res dicitur in contractu venditionis adhuc eſſe integra, quando res in toto, vel in parte tradita, & pretium in toto, vel in parte, non eſt ſolutum, licèt contractus ſit factus.

Reſcripta Papæ, vel Principis ſunt mandata, quæ ad inſtantiam alicuius, vel aliquorum, ſeu proprio motu, vel ex relationibus abſentium, vel ſuggeſtionibus præſentium, vel ad conſulationem facit, vel cum aliquid alicui, vel aliquibus corpori, collegio, univerſitati, vel civitati mandat, vel indulget: Talia enim ius faciunt, non generale, ſed ſpeciale in negociis, & inter perſonas, in quibus, & inter quas promulgata ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ut *C. de leg. & con. l.2.* In reſcriptis ſemper debet intelligi: ſi preces veritati nitantur, & ſi ita eſt. *extra. de reſcrip. c.2. in glo d.* Et ſi ponatur ibi hęc clauſula, *ſi ita eſt*, referri debet ad omnia præcedentia ſecundùm *Ber. c. olim.* ponit tamen ibi opiniones in *glo. c.* Item clauſula hęc, ſcilicet, *& quidam alii talis diœceſis*, non extendit ſe ad illos de civitate, niſi dicatur, *& quidam alii civitatis, vel diœceſis*; ſecùs eſt, ſi diceretur *talis Epiſcopatus. extra. c. Rodulphus in glo.* Item clauſula hæc, ſcilicet, *ſi pro alio non ſcripſerimus* debet ſemper intelligi in reſcripto, quando Papa ſcribit, quòd provideatur alicui de beneficio in aliqua Eccleſia, etſi non apponatur. Si verò Papa velit alicui facere gratiam plenam,ſcribit ſic: non obſtante, quod pro aliis direxeremus ſcripta noſtra.*extra.c.mandatum in glo.*67. Item per hanc clauſulam non poſſunt plures, quàm quatuor citari, quorum etiam nomina debent in primo citatorio exprimi. *lib.6. de reſcrip. cum in multis in tex. & glo* Item in reſcriptis ſervari debet ordo ſcripturæ. *extra. c.cum dilecta. in glo. d.*

Reſtitutio, quæ fit Eccleſię jure minoris, differt à reſtitutione, quæ fit iure maioris, quia prima datur ſibi officio Judicis deficiente actione; ſecunda verò, quia tunc habet actionem ſuo iure, ſcilicet utilitatem officio Iudicis accedente. *extra.de in integrum reſtitutione.cum veniſſent in glo.d.*

Revocare domum, eſt dicere,non te debere litem pati in illo loco, in quo conveneris, ſed in illo, ubi habes domum.

Reus, eſt defenſor in cauſa, quia rem dicitur habere, à re dictus,quæab ipſo petitur. *extra. de ver. ſi forus.*

Roſtrum, quod eſt, ſupra in vocabulo Album.

Rogo, ſupra in vocabulo Precaria.

Rudera, ſunt ſordes domus cum ſcopis mundatę.

Rura cęſa dicuntur,quę ceduntur,& eruuntur.

S

SAccolarii ſunt, qui vetitas artes exercent, & ex ſacculis partes ſubducunt, & partem diſtrahunt, ut ff. *de extraor. criminibus.*

Sacerdos; hoc nomine intelliguntur inferiores, & nomine clericorum ſuperiores. *extra. de coha. cle. c.2. in tex. & glo.*

Sacra annotatio dicitur reſcriptum, quod Imperator indulget alicui proprio etiam motu.

Sacrum oraculum dicitur Imperatoris reſcriptum, quaſi orando impetratum.

Sanctio eſt propriè conſtitutio, cui additur pęna. *di.3. in ſumma.*

Satisdare, ſive cavere, eſt ſecuritatem per fidejuſſorem præbere.

Scriniarii, ſupra magiſtri ſcriniorum.

Senatores dicuntur Magiſtratus populi, quaſi ſeniores.

Senatores enim ſunt, qui à Patritiis, & Conſulibus, uſque ad viros illuſtres deſcendunt, quia hi ſoli ſolebant dicere ſententiam in ſenatu, quorum etiam Conſul dicitur Senator Magiſtratuum, ut ff. *de Senatoribus, & inſti. de jure naturali.*

Senatores etiam dici debent Senatorum filii, nepotes ex filiis nati, non autem nati ex filiabus ff. *de Senatoribus l. liberos.*

Senatuſconſultum dicitur illud, quod Senatores habito conſilio conſtituerunt.

Senodochus eſt, qui ſenonem alienius civitatis procurat; eſt autem ſenon domus, in qua infirmi aluntur; & idem dicitur ſenodochium.

Sententia, eſt definitio iudicialis controverſię finem imponens. ff. *c. l.* 1. Sententiæ ſpecies ſunt duæ, ſcilicet diffinitiva, per quam ſcilicet principalis quęſtio diffinitur; & interlocutoria, quę ſcilicet non ſuper principali quęſtione, ſed ſuper aliis quæſtionibus fertur; vel quia Iudex inter partes loquendo ſine ſolemnitate pronunciat ſcripturæ.

Sequela dicitur omne, quod naturaliter ſequitur, ut pupillus matrem, vitulus vaccam.

Sequeſter dicitur apud quem res, de qua eſt controverſia deponitur; & indè ſequeſtrum; undè dicitur aliquis rem aliquam ponere in ſequeſtro, ſicut in depoſito, vel apud depoſitarium.

Senſus ſapientis;nota, quòd quando alter contrahentium paciſcitur aliquid facere ad ſenſum ſapientis ulterius contrahentis, tenetur ea facere, quæ de iure fieri debent ſuper illo contractu, nec poteſt ſapiens ille aliquid arbitrari contra iura, quia tunc ſapiens non eſſet.

Servitus eſt conſtitutio jurisgentium, per quam quis contra jus naturale ſubditur Domino.

Servitus inducta eſt de jure naturali *diſ.*35. *ſexto die jure gentium di.*1. *jus gentium*, & jure canonico. *extra. de Judæis c.* 1. & jure civili. §. *ſervi autem.inſti. de jure perſonarum.*

Servi dicuntur à ſervando, non à ſerviendo, quia Imperator jubebat eos ſervari, non occidi, qui erant ab hoſtibus capti.

Idem dicuntur, & mancipia, quia manu capiebantur.

Servus corruptus dicitur ſervus, qui per alicujus inductionem factus eſt de bono malus, vel de malo deterior, ſcilicet, vel in animo, vel in corpore; ſervus publicus dicitur tabellio, non quia ſit ſervus, ſed quia publicum exercet officium. *lib 6. de uſu. quandoque ſecundùm Joan. Ang.*

Servitutes prædiorum ruſticorum ſunt iſtæ, ſcilicet iter, actus, via, aqueductus, hauſtus aquæ, pecorum appulſus ad aquam.

Iter eſt ius, quo ex æde mea per agros tuos poſſim agros meos intrare, & in vias publicas ire; & dicitur hoc ius ſervitus, quia prędium tuum in hoc mihi ſervit.

Actus eſt, ut non tantùm poſſum ire, ſed etiam

etiam iumentum ducere; via eſt, ut etiam poſſim vehiculum ducere, & lignum vel lapidem trahere.

Aqueductus eſt, ut per agrum tuum ducere poſſim aquam ad irrigandum agrum meum.

Hauſtus aquæ eſt, ut haurire poſſim aquam de puteo tuo.

Pecorum appulſus eſt, ut pecora ducere poſſim ad aquam ad aquandum.

Servitutes verò prædiorum urbanorum ſunt, ut poſſim habere tignum in pariete tuo, & ut ſtillicidium tecti mei caſitet in fundo tuo.

Sepulchrum eſt locus, in quo eſt corpus; monumentum verò eſt ſepulchrum ſine corpore.

Siccarii ſunt homicidæ dicti à ſicca, quod ſignificat ferrum, ſive cultrum, vel telum. *inſti. de pu. judi.* §. *ſiccarius.* Siccarii etiam poſſunt dici, qui vitæ alicujus armis inſidiantur. *de pe. di.* 1. *ſi quis cum telo. undè tenetur l. cornelia de ſicca. l.* 1. *Hæc extra. de homici. ſicut dignum in glo.*

Sicut eſt juſta. Hæc clauſula, quando ponitur in confirmationibus intelligitur conditionaliter. Secùs eſt, quando ponitur in privilegiis, quia primum ſemper ponere aliquid debet. *extra. de offi. deleg. quoniam in glo.*

Sigillum authenticum ſecundùm Ber. *extra. de fid. inſtru. ſcriptura* dicitur ſigillum Epiſcopi, & ei creditur, quamdiù contrarium non oſtenditur, & ſigillum capituli, & ſigillum alicujus Principis ſæcularis, cui de conſuetudine creditur. Ad hoc etiam, quod ſigillum ſit authenticum, debent characteres apparere, ut idem dicit ibidem *c. inter dilectos in glo* 2.

Silva cædua eſt ſilva ad cædendum apta; ſilva paſcua eſt, quæ paſcuis pecudum eſt aſſignata; ſilva palaris, ex qua pali, & pedamenta aſſumuntur.

Symbolum quadruplex, ſcilicet Apoſtolorum, ſanctorum Patrum, Athanaſii, & primus titulus decretalium; hæc *in glo. ſuper primum titulum decretalium in fin. glo.*

Sindicus, ſupra in vocabulo Curator.

Si quis, hæc dictio, non tantùm mares, ſed etiam feminas comprehendit. ff. *de verb. ſig. l.* 1. Hoc verum eſt, quando agitur de favore. Secùs eſt, ſi de pœna; undè ſi dicatur ſi quis fecerit hoc, det decem ſolidos, & non addatur: ſi qua. tunc mulier contra faciens non ligatur ad pœnam; vel ſi dicatur: ſi quis tenuerit hircos, det decem ſolidos; tunc tenens capras nihil dabit. Hac autem dictione, *ſi qua*, non continentur mares, quia femininum non concipit maſculinum. Jo. An. ſuper hoc plures alias ſententias refert. *lib. 6. de ele. generali.* Et tandem dicit cum Bar. quòd maſculinum à canone prolatum comprehendit feminas, quod probatur 17. *q.* 4. *ſi quis ſuadente. conjuncto cum ca. de ſen. ex c. mulieres*; quod eſt verum, niſi eadem conſtitutione, vel alia, femina excipiatur. *lib.6. de elec. indemnitatibus.* §. *ſed cum eos.*

Solum, quidquid plantatur, ſeritur, vel ædificatur omne ſolo cedit radices, ſi tamen egit.

Solidum. Hæc dictio, inſolidum, propriè habet locum in promiſſionibus ſtipulatione vallatis, quæ ſtipulatio concipitur per verba de futuro, ut promiſerunt in ſolidum ſe daturos, vel acturos.

Solvendo eſſe, eſt habere, unde ſolvat in ſolidum, vel per ſe, vel per alium. ff. *de verb. ſig. l. ſolvendo.*

Sponſæ vecta eſt, qui & paranimphus; & eſt, qui curam gerit, ut matrimonium conſumetur.

Stationarii dicuntur milites conſtituti ad hoc, ut aliis teneant ſtationem.

Statutum de perſonis, vel rebus aliquibus non extenditur ad res alias, vel perſonas. *extra. de poſtu. ex parte in glo.*

Stellio eſt, qui varius eſt animo, verbo, & facto, ut qui rem aliquam alicui pignori obligatam alteri pignoravit, & dicitur à ſtellione ſerpente vario, & maculoſo, quia eſt varius, & inconſtans in mente; generaliter autem, quod in civilibus cauſis dicitur dolus, hoc in criminalibus dicitur ſtellionatus.

Stramentum dicitur generaliter omne genus veſtis ff. *de verb. ſig.* ſed magis propriæ veſtes cubiculares; ſtramentum verò à ſternendo dicitur; nam illud ſternitur, quod in imum divertitur; undè, & via publica ſtratum dicitur, eò quòd lapidibus ſternatur.

Subaſtari rem, eſt eam venalem proponi aſta ſuppoſita.

Subdisjunctarum ſunt duo genera.

Subſcribere eſt ſubſignare; undè teſtes ſolent ſubſcribere in chirographo, ideſt notulas quaſdam ponere.

Subſignare eſt aliquod ſignum alicui rei imponere, vel etiam ſubſignare eſt ſubſcribere.

Suffragium quandoque ſumitur, pro auxilio, conſilio, ſive ſervitio. 12. *q.* 2. *cum ſuffragio.* Quandoque eſt conſenſus in ſcriptis redactio, cùm ſcilicet quis dicit ego B. nomino P. in prælatum; ſic ſumitur. *lib.* 5. *de elec. perpetuè.*

Suggerenda eſt pars tecti ejus domus, quæ incumbit extremis partibus tignorum capitalium.

Suppelles eſt domeſticum inſtrumentum patriſfamilias, in quo continentur omnia utenſilia domus, & etiam quę non ſunt ad aliqua ſpecialia officia deputata; & dicitur ſuppelles, quia hi, qui mittebantur in legationem ſub pedibus ſecum portabant.

Superficiales ædes ſunt, quę in ſolo conducto, vel empto ſunt poſitæ, quarum proprietas, & civili, & naturali jure ejus eſt, cujus eſt ſolum. ff. *de ſuperficiebus l. ſi. ſuper loci faciem factum*, pùtà quia Dominus ſoli ex locatione conceſſit ſuper ſolo ſuo ędificium fieri.

Supplicatio, ſupra in vocabulo Explicatio.

Subpunctare literam, eſt damnare ſuppoſitis punctis.

Subrogare, eſt aliquem loco alterius ſubſtituere.

Digitized by Google

T

TAciturnitas, quandoque eſt habenda pro confeſſione. *extra. de proba. quam contra in glo. l. melius in c.1. de confeſ. lib.6.*

Tecta ſacra, ideſt tecta integra.

Telum dicitur non ſolùm, quod ab arcu mittitur, ſed etiam quod à manu, eò quòd in longinquum mittatur. ff. *e. ſi calumnietur.*

Thelon græcè, tributum latinè; undè hoc thelonium dicitur tributum; dicitur etiam locus, in quo exigitur, & hinc thelonearius, qui exigit tributa.

Terminus peremptorius obtinere debet tantùm temporis, quantùm tria edicta, niſi aliud exigeret alia juſta cauſa. *extra. de dila. dilecti in gloſ.6.*

Terminos proximi tranſgreditur aliquis quinque modis, ſcilicet cum Parrochianum alterius ad ſepulturam admittit; cùm alterius ſubditum excommunicat, vel interdicit; cùm alterius Parrochianum ad pænitentiam recipit, cùm fidei contrarium prædicat; & cùm terminos poſſeſſionum evellit. *extra. de ſepul. c. 1. in gloſ. ult.*

Territorium eſt univerſitas agrorum alicujus civitatis, eò quòd Magiſtratus loci ejus intra fines ejus terrendi, vel admonendi jus habet. ff. *de verb. ſig. ſi pupillus. §. territorium.*

Tignum, dicitur eſſe lignum; undè tignarii dicuntur omnes, qui ędificant.

Teſtes antiquitùs ſuperſtites dicebantur, eò quòd ſuper cauſæ ſtatu præferebantur, nunc parte nominis ablata teſtes vocantur.

Teſtes ſunt cum juramento, Teſtimonia ſine juramento. *extra. de coba. cle. & mu. tua. nos. in glo.*

Titulus quandoque dicitur ſignum, quandoque cauſa dominii acquirendi, quandoque ipſa Eccleſia, ut titulus S. Petri; quandoque Clericatus, vel Canonicatus in aliqua Eccleſia: Undè dicitur quis intitulari, ideſt clericari, vel canonicari; quandoque quilibet Ordo Eccleſiaſticus; quęlibet dignitas, vel prælatio; undè dicitur quis intitulari in aliqua Eccleſia, ideſt ordinari, vel pręfici. *Hæc Ber. extra. de elec. dudum.* Titulus poſſidendi eſt initium poſſeſſionis, ut emptio, donatio, permutatio, per hęc enim incipimus poſſidere.

Tradere dicitur dupliciter; uno modo dicitur rem ſuam in alterum transferre: undè tradere dicitur transferendo dare; alio modo tradere ponitur pro eo, quod eſt inducere in poſſeſſionem, ſive pro corporalis rei præſtatione.

Trajicere eſt mare tranſire, & indè dicitur trajectus, & indè pecunia trajectitia vocatur.

Transfuga, qui tranſit ad hoſtes.

Translatio, ſecundùm quod de ea tractatur extra, eſt de ſede ad ſedem commutatio.

Tribuni Quiritum, & militum præerant militibus.

Tribunus plebis, dicitur Magiſtratus plebeus.

Triumviri monetales, dicti ſunt auri, & argenti, & æris conflatores.

Turbam faciunt 15. ſupra in vocabulo Collegium.

Tutor, ſupra in vocabulo Curator.

V

VAlitudinarii dicuntur infirmi, quia valitudo infirmitas per contrarium dicitur.

Vendicare, eſt coram Judice rem ſuam intendere, ut cùm quis dicit: hæc res eſt mea.

Venditio, in inſtrumentis venditionis ſolet poni, quod venditor promittit emptori rem venditam legitimè defendere, auctorizare, & disbrigare. Quæ verba debent ſic intelligi, ſcilicet, quod ſi de re ipſa lis fuerit mota emptori, venditor tenetur rem in ipſa lite defendere legitimè, ideſt ſecundùm leges auctorizare, ſive auctorizari, ideſt auctor litis fieri, ſive per ſe litem agere, & disbrigare, ideſt litem expeditam ab omni homine reddere Nota, quòd quando venditor eſt certus, quod rei venditæ pars eſt ei propria; & pars condititia, ideſt alicujus conditioni, vel alteri domino ſubjecta; ignorat tamen, quæ, & quanta, tunc ponitur in inſtrumento venditionis ſic: quod per proprium, in perpetuum, quod condititium, undè pertinuerit; quod eſt dicere, quod eſt proprium in hac re, habeas ut proprium in perpetuum, quod verò condititium, habeas cum ea conditione, ad quam pertinet.

Ventilarii ſunt, ut in vocabulo Magones.

Verba. A proprietate verborum non eſt recedendum, niſi conſtet loquentem aliud voluiſſe, vel etiam niſi res aliter eſſe ſalva non poſſit, & improprietates non ſunt ad conſona trahendę, ſed excuſandæ. *Hæc Ber. extra. de verb. ſig præterea.*

Verborum forma eſt conſideranda, nec ab ea recedendum ſine certa cauſa *ibidem ad audientiam*, & *extra. de ſpon. ex literis* 1. *in glo. c.* Item quomodo verba ſunt intelligenda, quando dolus, ſupra in vocabulo doli proximus.

Vernaculus dicitur ſervus ex ancilla mea mihi natus.

Veſtimentum interpellatum dicitur veſtimentum vętus iterum politum.

Vice dominus, ſupra in vocabulo Curator.

Viæ latitudo, ſi non deſignetur per contrahentes, lege definitur octo pedibus, ubi via eſt recta, & ſexdecim, ubi via eſt tortuoſa.

Victus nomine intelligitur omne, quod eſui, potui, cultuique corporis, & omne quod eſt neceſſarium homini ad vivendum; veſtis enim habet vicem victus. ff. *de ver. ſig. victus.*

Vidua eſt, quæ etiam virum non habuit. ff. *e. maritum.*

Vis eſt rei majoris impetus, qui repelli non poteſt, ſcilicet commodè. ff. *quod me. cauſa. l.1.* Eſt autem multiplex vis. Compulſiva, per quam quis cogitur aliquid facere contra voluntatem ſuam, & hęc vis includit in ſe metum, & eſt ſupe-

ſuperius ad ipſum. Expulſiva reſpectu rerum immobilium. Ablativa reſpectu mobilium. Turbativa, ſcilicet poſſeſſionis, ut cum in dubium revocatur, quis poſſideat. Inquietativa, ſcilicet quando quis non permittit aliud uti quiete ſua. De hac materia require. *extra. de proba. licet. circa finem capituli. & in glo. 17. & de his quæ vi. lib. 6. ad audientiam in glo. 6.*

Item eſt quædam vis publica, ſcilicet, quæ fit cum armis, quædam privata ſine armis. *extra. de ordi. cogni. cum dilectus in glo. 6. Undè vi.* vi bonorum raptorum uti poſſidetis, quod vi, aut clam. Hęc ſunt quędam interdicta, de quibus require in prædictis glo.

Uſuarius eſt, qui uſum habet alicujus rei. Uſum nemoris habere dicitur ille, cui dominus nemoris conſtituit uſum nemoris ad neceſſitatem ſuam, & familiæ ſuæ; & accipiet ligna, poma, olera, & flores, qui naſcuntur in nemore pro ſe, & ſuis conviviis, non tamen ad vendendum, quia hoc non eſſet uti, ſed frui. ff. *de uſu. & ha. plenum.* §. 1. *Hæc glo. extra. de arbi. dilecti filii.* Non poteſt etiam uſuarius vendere uſum, nec locare, nec gratis dare irrequiſito Domino, uſufructuarius verò hoc facere poteſt. *inſti. de uſu. & ha. in princ.* Uſuarii poſſunt dici clerici, qui non poſſunt vendere, teſtari, donare, ſed victu tantùm, & veſtitu contenti debent eſſe. *extra. q. 2. Epiſcopus habeat. Hæc Ber. extra. de pig. c. cum conſtet in glo c.* Secundùm alios autem Clerici ſæculares poſſunt uſufructuario comparari, ad quem pertinet omnium fructuum perceptorum dominium, ff. *quemadmodum uſufructu amittit meſſem nomen.* Et in vita, & in morte ſunt redditu um ſuorum Domini, & ex eis debita ſua, ex quacumque cauſa contracta, ſolvere poſſunt. Fallit tamen in Prælatis ſæcularibus, qui de redditibus ſuis provenientibus eis ratione Prelationis ſolvere non poſſunt debita, niſi eſſent pro Eccleſiæ utilitate contracta.

Uſufructus eſt jus utendi, & fruendi rebus alienis, ſalva rerum ſubſtantia. ff. *e. l.* 1. & eſt jus in corpore, quo ſublato, & ipſum eſt tolli neceſſe. Deſtructa enim domo deſtruitur uſufructus, qui habetur in ea. ff. *e. l.* 2. Dicitur autem *in rebus alienis*, quia rès ſua nemini ſervit. *Utendi* ſecundùm Accur. dicitur ad differentiam creditoris, qui jus habet in pignore, non tamen poteſt eo uti, imò furtum committit, ſi eo utatur. Vel ſecundùm Ber. dicitur *utendi*, ad differentiam utilis dominii, quod habetur in rebus alienis, ſicut habent emphiteutæ, & feudatarii. *Fruendi* ſecundùm Accur. & Ber. dicitur ad differentiam nudi uſus, in quo tantùm permittitur uti, *ſalva ſubſtantia rerum* dicitur ad differentiam ſuperficiarii, & emphiteutæ, qui non tenentur reficere ædes Uſufructuarius autem tenetur ad tributum, quia ad eum pertinent omnes fructus; undè Ber. exponit *ſalva rerum ſubſtantia*, ideſt ne pereat in totum ſubſtantia. Accur. verò exponit *ſalva rerum ſubſtantia* quod d. tandiù durat uſufructus, quandiù ſubſtantia durat. Hæc, & plura alia de hac materia. *extra. de pig. cum conſtet in glo. & de ba. & uſu.*

Uſurpare, eſt contra uſum, & rationem capere.

Y

Yconimus, ſupra in vocabulo Curator.

Explicit titulus tabulę de verborum ſignificationibus, & de expoſitione, ſeu declaratione vocabulorum, & terminorum cum ſuis notabilibus in corpore juris tam canonici, quàm civilis contentorum, quæ maximam difficultatem in jure ſtudentibus conferunt, atque tædium, propter eorum raritatem, ſeu obſcuritatem, quam edit Frater Aſteſanus de Civitate Aſtenſi Ordinis Minorum Fratrum, & poſuit eam pro ultimo titulo Summæ ſuę, unà cum rubricis totius voluminis decretalium, quæ in ſecunda parte, ut diximus in principio, remanent videnda. Et primò ponit eas ſecundùm ordinem, ſecundùm quem tractat de illis in ſuis libris. Secundò, ponit ipſas rubricas Juris ſecundùm quod tractatur in jure ob hanc cauſam, ut homo, qui neſciret cognoſcere quotationes, & allegationes, haberet viam, qua cognoſcere poſſet; & ubi tractaretur de illis in corpore juris, & ut clariùs percipi poſſent, poſuit, & deſcripſit eas per alphabetum tam in jure canonico, quàm civili.

Finis Tabulæ de Significationibus Verborum.

INDEX

OMNIUM TITULORUM, AC ARTICULORUM,

QUI

CONTINENTUR IN PRIMO TOMO PRIMÆ PARTIS

SUMMÆ ASTENSIS,

Clariſſimi, & Eximii *Sacræ* Theologiæ Profeſſoris

FR. ASTESANI DE ASTE,

Ex Ordine Seraphico Sancti Franciſci.

LIBER PRIMUS.

De Divinis Præceptis.

TIT. I. De Lege Divina. pag. 1
ART. I. De Neceſſitate Legis Divinæ. ibid.
II. De Diſtinctione Legis Divinæ in communi. 2
III. De Obligatione veteris Legis. ibid.
TIT. II. De Præceptis in communi. 3
ART. UNIC. De quidditate, & diviſione præcepti in communi. ibid.
TIT. III. De præceptis Decalogi in communi. 4
ART. I. De diſtinctione præceptorum Decalogi. ibid.
II. De continentia præceptorum moralium in præceptis Decalogi. ibid.
III. De modo tradendi divina præcepta. 6
IV. De obſervatione decem præceptorum. 7
V. De diſpenſabilitate præceptorum. ibid.
TIT. IV. De expoſitione primi præcepti. 8
ART. I. De his, quæ pertinent ad Decalogi quaſi titulum. ibid.
II. De his quæ pertinent ad ipſum præceptum. 9
III. De motivis obſervantiæ primi præcepti. 10
TIT. V. De latria, & idolatria. 11
ART. I. De quidditate latriæ, & idolatriæ. ibid.
II. Quomodo latria differt à theuſebia, & dulia. ibid.
TIT. VI. De actibus latriæ. 12
ART. I. De latria in generali quoad actus. ibid.
II. De ſacrificio. ibid.
III. De loco adorationis. ibid.
TIT. VII. De ſuperſtitione in communi. 15
ART. UNIC. De vitiis oppoſitis religioni, ſive latriæ. ib.
TIT. VIII. De ſuperſtitione cultus indebiti veri Dei. ibid.
ART. UNIC. De partibus ſuperſtitionis. ibid.
TIT. IX. De idolatria. 16
X. De divinatione, & eius ſpeciebus in communi. 17
XI. De cognitione dæmonum reſpectu futurorum. 19
XII. De impreſſionibus aſtrorum, circa quas quidam mathematici errant. 22
XIII. De divinatione per ſomnia. 23
XIV. De ſortilegiis. 25
ART. I. De divinatione per artes. ibid.
II. De pœna ſortilegorum. 27
TIT. XV. De multiplicibus obſervantiis ſuperſtitionis. ibid.
XVI. De tentatione qua Deus tentatur. 32
XVII. De Secundo Præcepto. 33
ART. UNIC. De eiuſdem præcepti expoſitione. ibid.
TIT. XVIII. De juramento. 34
ART. I. Quid ſit juramentum. ibid.
II. Quot, & quæ ſint ſpecies juramenti. 35
III. Per quid liceat jurare. 36
IV. De comitibus juramenti. 38
V. De cauſis liciti juramenti. 39
VI. De forma juramenti. ibid.
VII. De obligatione juramenti. 40
VIII. de juramento illicito. 44
IX. De juramento promiſſorio per tacitas conditiones. 45
X. De quibuſdam dubiis circa juramentum, 45
XI. De relaxatione juramenti. 49
TIT. XIX. De perjurio. 51
ART. I. De multiplici perjurii acceptatione. ibid.
II. De gravitate peccati perjurii. 52
III. De quibuſdam dubiis circa materiam perjurii. 52
IV. De pœna perjurii. 53
TIT. XX. De voto 54
ART. I. De fine propter quem dicitur fieri votum. ibid.
II. De forma voti. 55
III. De quibus votum fieri poteſt. ibid.
IV. Quid ſit votum. 56
V. De ſpeciebus, & differentiis voti. 57
VI. Quiſnam poſſit vovere. 59
VII. De obligatione voti. 63
VIII. De caſibus, in quibus poteſt à voto diſcedi. 67
IX. De utilitate voti. ibid.
X. De mutatione voti. 63
XI. De diſpenſatione voti. 70
XII. De prædicatione crucis. 72
TIT. XXI. De adjuratione. 73
XXII. De Tertio Præcepto. 74
ART. I. De obſervantia ſabbati. ibid.
II. De hujus præcepti qualitate, utrum ſit morale, vel ceremoniale. 75
III. De ceſſatione ſabbati. ibid.
IV. A quibus operibus eſt ceſſandum. 76
V. De operatione in aliis diebus. 77
TIT. XXIII. De feriis. ibid.
ART. I. Undè feriæ dicantur, & qualiter diſtinguantur. ibid.
II. De inchoatione diei. 78
III. Quibus vacandum eſt diebus feſtivis. 79
TIT. XXIV. De Quarto Præcepto, quod eſt de parentibus honorandis. 80
ART. I. De juſſione præcepti honorandi parentes. ibid.
II. De promiſſionis additione. 82
III. De obligatione hujus præcepti. ibid.
TIT. XXV. De Quinto Præcepto, ſcilicet non occides. 84
ART. I. De brevi hujus præcepti expoſitione. ibid.
II. De multiplici circa hoc præceptum dubitatione. ibid.
TIT. XXVI. De injuriis corporalibus aliis ab homicidio. 87
XXVI. De duello. 88
ART. I. De duello ſecundùm ſe. ibid.
II. De pœna duelli. 89
TIT. XXVIII. De torneamentis. 90
XXIX. De bello. 91
ART. I. Quomodo bellum poſſit dici juſtum. ibid.

II.

II. Utrum liceat vim, vel injuriam repellere. 91
TIT. XXX. De treguis. 95.
ART. UNIC. Quid, & quotuplex ſit tregua &c. ibid.
TIT. XXXI. De Sexto Præcepto, ſcilicet non mæchaberis. ibi.
XXXII. De Septimo Præcepto, ſcilicet non furtum facies, ubi primò de rapina. 96
ART. I. De rapina rerum. 97
II. De pœna raptoribus debita. ibid.
III. De ſpoliatione navigantium. 98
IV. De pædagiis. ibid.
V. de quæſtibus, & talliis, & ſimilibus. 100
VI. De rapinis, & damnis, quæ fiunt in guerris. 102
VII. De his, qui raptores ſequuntur. 103
VIII. De his, qui res raptas recipiunt. 104
IX. De res raptas ementibus. 105
X. De his, qui in Eccleſiis aliquid rapiunt, vel ipſas Eccleſias lædunt. 107
XI. De his, quæ pertinent ad reſtitutionem raptorum. ibid.
TIT. XXXIII. De furto propriè ſumpto. 108
ART. I. Quid ſit furtum propriè dictum, & undè dicatur. ibid.
II. De ſpeciebus, ſive differentiis furti. 109
III. Utrum furtum ſit peccatum, & quale &c. ibid.
IV. De pœna furti. 110
V. De reſtitutione furti. 112
TIT. XXXIV. De ſacrilegio prout eſt ſpecies furti. 115
ART. I. Quid ſit ſacrilegium, & undè dicatur. ibid.
II. Quibus modis committitur ſacrilegium. ibid.
III. De pœna ſacrilegii. 116
TIT. XXXV. De furto interpretativo. ibid.
ART. I. De furto, quod committunt divites laici. ibid.
II. De furto, quod committunt aliqui Clerici. ibid.
III. De furto, quod committunt aliquæ perſonæ malè accipiendo à Clericis. 117
IV. De furto, quod committitur pro peccato carnis. 118
TIT. XXXVI. De Octavo Præcepto, ubi primò de mendacio. 119
ART. I. Quid ſit mendacium. ibid.
II. In quo differant mentiri, dicere falſum, & mendacium. 120
III. Quot ſint ſpecies, ſive differentiæ mendacii. ibid.
IV. Utrum mendacium ſit peccatum, & quale. 121
V. De quibuſdam dubitabilibus circa mendacium. 124
TIT. XXXVII. De falſo teſtimonio, & teſtibus. 126
ART. I. De peccato falſi teſtimonii. ibid.
II. De pœna falſi teſtimonii. ibid.
III. Qualiter teſtis in teſtificando ſe haberi debet. ibid.
IV. An teſtes ſint cogendi, & qualiter, & quando. ibid.
V. Utrum teſtes peccent ſe ſubtrahendo à teſtimonio. 127
VI. Utrum aliquibus liceat pecuniam recipere pro ferendo teſtimonio. ibid.
VII. Quinam poſſint eſſe teſtes, & qui non. 128
VIII. De numero teſtium. 131
TIT. XXXVIII. De Judicibus, & eorum Officialibus. ibid.
ART. I. De multiplici judicio, & ſuſpicione. 132
II. Quid juris de ſententiæ iniquæ latione. 133
III. Quid juris de pecunia recepta à Judice. ibid.
IV. De Judicis idoneitate. 134
V. De judicandi modo, ſive qualitate. 135
VI. De Officialium Judicis dolo, & cupiditate. 136
TIT. XXXIX. De Advocato. ibid.
ART. I. Quæ debent Advocati in advocando ſervare. ib.
II. De his, qui officio Advocati fungi non poſſunt. 137
TIT. XL. De accuſationibus. 138
ART. I. Quid ſit accuſare. ibid.
II. Utrum quis teneatur accuſare. 139
III. De temeraria accuſationis detectione. ibid.
IV. Quot quis poſſit accuſare. 140
V. Quid juris eſt de eo, qui pecuniam recepit pro accuſatione. ibid.
TIT. XLI. De accuſatis. 141
ART. I. Qui ſunt judicandi. ibid.
II. Utrum judicandis liceat effugere judicium damnationis. ibid.
TIT. XLII. De falſariis. 142
ART. UNIC. Qua pœna ſint puniendi falſarii literarum Apoſtolicarum. ibid.
TIT. XLIII. De Duobus Ultimis Præceptis, quibus prohibetur concupiſcentia alienarum uxorum, & rerum. 143
ART. UNIC. De his, quæ ſpectant ad ultima duo præcepta Decalogi. ibid.
TIT. XLIV. De Præceptis Evangelicis regulantibus circa operanda, & vitanda. 144
ART. I. De præcepto reconciliationis. 145
II. De præcepto concordiæ. ibid.
III. De præcepto vitandi occaſionem mæchandi. 146
IV. De præcepto patientiæ reſpectu læſionis corporum. ib.
V. De præcepto patientiæ in oblatione rerum. 147
VI. De præcepto patientiæ reſpectu Angariæ operum. 148
VII. De præcepto erogationis. ibid.
VIII. De præcepto mutuationis. ibid.
IX. De præcepto dilectionis inimicorum. 149
TIT. XLV. De Præceptis Evangelicis regulantibus intentionem. ibid.
ART. UNIC. De iſtorum præceptorum expoſitione. ibi.
TIT. XLVI. De lege humana ſcripta, ſcilicet de conſtitutionibus. 151
ART. I. Quid eſt lex, ſive conſtitutio. ibid.
II. De qualitate legis. ibid.
III. Quis facere poteſt conſtitutiones. ibid.
IV. Ad quid fiunt conſtitutiones. 152
V. De virtute conſtitutionis. ibid.
VI. Qualiter conſtitutioni derogetur. 153
VII. Quando conſtitutio incipit arctare. ibid.
VIII. De pœna non ſervantium conſtitutiones. 154
TIT. XLVII. De lege humana non ſcripta, ſcilicet de conſuetudine. ibid.
ART. I. Quid ſit conſuetudo. ibid.
II. Qualiter, & ex quot actibus inducatur conſuetudo. ibid.
III. Quæ conſuetudo præjudicat juri. ibid.
IV. Quæ ſit conſuetudo generalis, & quæ ſpecialis. 155
V. An una conſuetudo aliam contrariam tollat. ibid.

LIBER II.

De Virtutibus, & Vitiis.

TIT. I. De voluntario, & involuntario. 157
ART. I. Quid dicatur in homine voluntarium. ibid.
II. Quid cauſet involuntarium. ibid.
TIT. II. De bonitate, & malitia actuum humanorum in communi. 158
ART. UNIC. Utrum bonum, & malum ſint differentiæ, & quales actuum humanorum, & utrum aliquis actus ſit indifferens. ibid.
TIT. III. De bonitate, & malitia interioris actus voluntatis. 160
ART. I. De bonitate, & malitia interioris actus voluntatis in ſe. ibid.
II. De bonitate, & malitia actus voluntatis in comparatione ad conſcientiam. 161
III. De bonitate voluntatis humanæ in comparatione ad voluntatem divinam. 162
TIT. IV. De bonitate, & malitia quantum ad actus exteriores. 163
ART. UNIC. Utrum bonitas, & malitia per priùs ſit in actu voluntatis interiori, quàm in actu exteriori. ibi.
TIT. V. De merito, & demerito actionis humanæ. 164
ART. UNIC. De actibus bonis, & malis per comparationem ad meritum, & demeritum. ibid.
TIT. VI. De vitiis, & peccatis in communi. 166
ART. I. Quid ſit peccatum. ibid.
II. De diviſionibus peccatorum. 167
III. De comparatione peccatorum ad invicem. 168
TIT. VII. De ſubjecto peccati. 169
ART. I. In qua potentia animæ eſt peccatum. ibid.
II. An primi motus ſint peccata. 171
TIT. VIII. De cauſa peccati ſecundùm quod unum peccatum dicitur eſſe cauſa alterius. 172
ART. I. De cupiditate. ibid.
II. De ſuperbia. ibid.
III. De vitiis capitalibus. ibid.
IV. De ignorantia, infirmitate, & malitia. 173
TIT. IX. De virtutibus in communi. ibid.
ART. I. Quid ſit virtus, & in quas partes dividatur. ibid.
II. De virtutibus moralibus in communi. 174
TIT. X. De prudentia, & ejus partibus, & vitiis oppoſitis. ibi.
ART. I. Quid ſit prudentia &c. 175
II. De partibus prudentiæ. ibid.
III. De vitiis contrariis prudentiæ. 176
IV. De negligentia. 177

V.

Digitized by Google

V. De vitiis, quæ ſimilitudinem falſam habent cum prudentia. ibid.
TIT. XI. De juſtitia, & injuſtitia. 178
ART. I. Quid ſit juſtitia. ibid.
II. De actu juſtitiæ. ibid.
III. De injuſtitia. 179
TIT. XII. De ſpeciebus juſtitiæ, quæ ſunt juſtitia diſtributiva, & commutativa. ibid.
ART. UNIC. De partibus ſubjectivis juſtitiæ. ibid.
TIT. XIII. De vitiis oppoſitis prædictis ſpeciebus juſtitiæ. ibi.
ART. UNIC. De vitio oppoſito juſtitiæ diſtributivæ. 180
TIT. XIV. De contumelia, convicio, & improperio. 181
ART. I. De contumelia. 182
TIT. XV. De detractione, & infamatione. 184
ART. I. De detractione. ibid.
II. De pœna detractoris. 185
TIT. XVI. De ſuſurratione. 186
ART. UNIC. An ſit peccatum diſtinctum à detractione, & an ſit gravius peccatum à detractione. ibid.
TIT. XVII. De deriſione, ſive illuſione, & ſubſannatione. ibid.
ART. UNIC. An deriſio ſit ſpeciale peccatum diſtinctum ab aliis peccatis, quibus per verba proximus læditur; & an deriſio ſit aliquando peccatum mortale. ibid.
TIT. XVIII. De maledictione. 187
ART. UNIC. Varia circa maledictionem quæſita reſolvuntur. ibid.
TIT. XIX. De multiloquio, & verboſitate, ſive linguoſitate, & taciturnitate. 188
ART. I. De multiloquio. ibid.
II. De taciturnitate. ibid.
TIT. XX. De partibus juſtitiæ, quæ ſunt declinare à malo, facere bonum, & de vitiis oppoſitis. 189
ART. I. De dictis duabus partibus juſtitiæ. ibid.
II. De tranſgreſſione, & omiſſione. ibid.
TIT. XXI. De virtutibus annexis juſtitiæ in communi. 190
ART. UNIC. Quales virtutes juſtitiæ annectantur. 191
TIT. XXII. De dulia. ibid.
ART. UNIC. Utrum honor exhibitus per duliam ſit aliquid corporale, vel ſpirituale. 192
TIT. XXIII. De obedientia. ibid.
ART. I. In quo plura de obedientia quæruntur. ibid.
II. De inobedientia. 194
TIT. XXIV. De gratitudine, & ingratitudine. ibid.
ART. I. De gratitudine. ibid.
II. De ingratitudine. ibid.
TIT. XXV. De vindicatione. 195
ART. UNIC. An ſit licita. ibid.
TIT. XXVI. De veritate. 196
ART. UNIC. De veritatis virtute. ibid.
TIT. XXVII. De vitiis oppoſitis veritati. 197
ART. UNIC. De ſimulatione. ibid.
TIT. XXVIII. De jactantia, & ironia. 199
ART. I. De jactantia. ibid.
II. De ironia. 200
TIT. XXIX. De amicitia, & adulatione, & litigio. ibid.
ART. I. De amicitia. ibid.
II. De adulatione. 201
III. De litigio. ibid.
TIT. XXX. De largitate, avaritia, & prodigalitate. 202
ART. I. De largitate. ibid.
II. De avaritia. ibid.
III. De prodigalitate, & de differentia avaritiæ, & prodigalitatis. 203
TIT. XXXI. De epicheia. 204
XXXII. De paſſionibus animæ. ibid.
XXXIII. De fortitudinis virtute, & ejus actu præcipuo, ſcilicet de martyrio. 205
ART. I. De fortitudine. ibid.
II. De martyrio. ibid.
TIT. XXXIV. De timore, intimidate, & audacia. 207
ART. I. De timore. ibid.
II. De intimiditate. 208
III. De audacia. ibid.
TIT. XXXV. De partibus fortitudinis. ibid.
ART. UNIC. De partibus fortitudinis in communi. ibid.
TIT. XXXVI. De magnanimitate, & vitiis oppoſitis. ibid.
ART. I. De magnanimitate. ibid.
II. De præſumptione. 209
III. De ambitione. ibid.
IV. De inani gloria. ibid.
V. De puſillanimitate. 210
TIT. XXXVII. De magnificentia, & parvificentia. ibid.
XXXVIII. De patientia, & longanimitate. ibid.
XXXIX. De perſeverantia, & conſtantia, & vitiis oppoſitis. 211
ART. I. De perſeverantia. ibid.
II. De vitiis oppoſitis perſeverantiæ. ibid.
TIT. XL. De temperantia, & intemperantia, & inſenſibilitate. 212
ART. I. De ipſa temperantia. ibid.
II. De vitiis oppoſitis temperantiæ. ibid.
TIT. XLI. De partibus temperantiæ in communi. ibid.
XLII. De abſtinentia, & gula. 213
ART. I. De abſtinentia. ibid.
II. De gula. ibid.
TIT. XLIII. De ſobrietate, & ebrietate. 214
ART. I. De ſobrietate. ibid.
II. De ebrietate. ibid.
TIT. XLIV. De caſtitate. ibid.
XLV. De virginitate. 215
ART. I. De quidditate virginitatis. ibid.
II. De amiſſione virginitatis. 216
III. De aureola virginitatis. 217
IV. De conſecratione virginitatis. ibid.
TIT. XLVI. De luxuria, & ejus ſpeciebus. 218
ART. I. De luxuria. ibid.
II. De fornicatione ſimplici. ibid.
III. De ſtupro. 219
IV. De raptu. ibid.
V. De inceſtu. 220
VI. De ſacrilegio. ibid.
VII. De vitio contra naturam. ibid.
TIT. XLVII. De adulterio, & lenocinio. 221
ART. I. De Adulterio. ibid.
II. De pœna adulterii. ibid.
III. De lenocinio. 222
TIT. XLVIII. De continentia, & incontinentia. ibid.
ART. I. De continentia. ibid.
II. De incontinentia. ibid.
TIT. XLIX. De clementia, & manſuetudine, & vitiis oppoſitis. ibid.
ART. I. De clementia, & manſuetudine. ibid.
II. De crudelitate. 223
III. De ira. ibid.
TIT. L. De modeſtia, & ejus ſpeciebus in communi. 224
ART. UNIC. De modeſtia. ibid.
TIT. LI. De humilitate, & ſuperbia. 225
ART. I. De humilitate. ibid.
II. De ſuperbia. ibid.
TIT. LII. De ſtudioſitate, & curioſitate. 226
ART. I. De ſtudioſitate. ibid.
II. De curioſitate. ibid.
TIT. LIII. De modeſtia in exterioribus motibus corporis. ibi.
ART. I. De ludo. ibid.
II. De ſcurrilitate, ſeu turpiloquio. 227
TIT. LIV. De modeſtia in apparatu exteriori. 228
LV. De fide, & articulis ejus. 229
ART. I. Quid ſit fides. ibid.
II. De objecto fidei. ibid.
III. De actu fidei. 234
IV. De neceſſitate actus credendi. 235
V. De ſubjecto fidei. 237
TIT. LVI. De infidelitate, & infidelibus communiter. 238
ART. I. De peccato infidelitatis. ibid.
ART. II. De ſpeciebus infidelitatis. ibid.
III. Quomodo Chriſtiani ſe debent ad infideles habere. 239
TIT. LVII. De Judæis, & Saracenis. 240
ART. I. Qui dicuntur Judæi, & Saraceni. ibid.
II. Quomodo ſe debent habere ad eos Chriſtiani. ibid.
III. De pœna tranſgreſſionis. 242
IV. Quid juris de ſervis eorum ſi ſunt, vel volunt fieri Chriſtiani. ibid.
TIT. LVIII. De Hæreticis. 243
ART. I. Quis, & quot modis dicatur hæreticus. ibid.
II. Qua pœna hæretici feriuntur. 245
III. De pœna credentium, & fautorum hæreticorum. 247
IV. Qua pœna feriantur Rectores negligentes hæreticos extirpare. ibid.
V. Qualiter ab hæreſi rediens recipiatur. 248
VI. Quis cenſeatur relapſus. 249
VII. Qui Notarii, & qui teſtes in Officio Inquiſitionis admittantur. ibid.

Digitized by Google

VIII. Quanta, & qualis poteſtas Inquiſitoribus detur. 250
TIT. LIX. De Apoſtatis à fide. 252
LX. De blaſphemis. 253
LXI. De ſpe, deſperatione, & præſumptione. 254
ART. I. De ſpe. ibid.
II. De deſperatione. ibid.
III. De præſumptione. 255
TIT. LXII. De charitate, & odio. ibid.
ART. I. De eſſentia charitatis. ibid.
II. De charitate quantùm ad ejus ſubjectum. ibid.
III. De charitate quantùm ad ejus objectum. 256
IV. De charitate quantùm ad ordinem. 258
V. De actu charitatis. 260
VI. De odio. 261
TIT. LXIII. De gaudio, accidia, & invidia. ibid.
ART. I. De gaudio. ibid.
II. De accidia. ibid.
III. De invidia. 262
TIT. LXIV. De pace, & vitiis oppoſitis. 263
ART. I. De pace. ibid.
II. De diſcordia. ibid.
III. De contentione. ibid.
IV. De rixa. 264
V. De ſeditione. ibid.
VI. De ſchiſmate. 265
VII. De bello. ibid.
TIT. LXV. De miſericordia. 267
LXVI. De beneficentia. ibid.
LXVII. De correctione fraterna. 268.
ART. I. Cujus virtutis actus eſt correctio fraterna. ibid.
II. Quid eſt correctio fraterna. ibid.
III. Utrum, & quomodo ſit aliquis corripiendus. ibid.
IV. De obligatione præcepti de correctione fraterna. 269
V. Utrum præceptum illud *Matthæi 18. Si peccaverit in te frater tuus &c.* intelligi debeat de peccante occultè. 272
VI. De ordine correctionis fraternæ. 274
VII. De adductione teſtium. 275
VIII. Utrum frater, qui lucratus eſt fratrem per correctionem inter ſe, & ipſum ſolum, teneatur Prælato præcipienti per obedientiam revelare peccatum fratris correctum. 276
TIT. LXVIII. De Offenſione, & ſcandalo. 277
II. Quid ſit ſcandalum. ibi.
I. Utrum ſcandalum ſit peccatum, & quale. 278
III. Utrum ſcandalum ſit in viris perfectis. 279
IV. Quid ſit omittendum, vel faciendum propter ſcandalum vitandum. ibi.
TIT. LXIX. De perplexitatibus Conſcientiæ. 282
ART. I. De multiplici perplexitate. ibi.
II. Utrum ſit ponere perplexitatem, prout eſt inevitabilitas peccandi. ibid.
III. De Quibuſdam caſibus perplexis. ibid.

LIBER III.

De Contractibus, & Voluntatibus ultimis.

TIT. I. DE appropriatione rerum. 285
II. De præſcriptione. 286
ART. I. Quid ſit Præſcriptio. ibid.
II. Quot, & quæ exiguntur in præſcriptione. ibid.
III. Quot ſint ſpecies præſcriptionis. 288
IV. Quæ res poſſunt præſcribi, & quæ non. 289
V. Quibus modis interrumpitur præſcriptio. ibid.
VI. De Effectu Præſcriptionis. 290
TIT. III. De Contractibus in communi. 292
ART. I. Quid ſit Contractus. ibid.
II. De diviſione contractuum. 293
III. De Contractibus inutilibus ratione perſonarum. ibi.
IV. De inutilibus contractibus ratione rerum. 295
TIT. IV. De obligatione, & Stipulatione. 297
ART. I. Quid eſt Obligatio. ibid.
II. Qualiter contrahatur obligatio. ibid.
III. Quæ res obligari poſſunt. ibid.
IV. De Stipulatione. 298
TIT. V. De Renunciatione beneficiorum juris. ibid.
ART. I. Quid eſt renunciatio. ibid.
II. De Beneficiis, quibus renunciari non poteſt. 299
III. De Beneficiis, quibus renunciari poteſt. ibid.
IV. De Beneficiis, quibus quoad quid renunciari poteſt, & quoad quid non. 300
V. Cui juri, & cui non poteſt renunciari. ibid.
TIT. VI. De pactis. 301
ART. I. Quid ſit pactum, & undè dicatur. ibid.
II. De diviſione pactorum. ibid.
III. Ad quos porriguntur vires pactorum. 302
IV. Super quibus poſſumus, & non poſſumus paciſci. ibi.
V. De pactorum effectu. ibid.
VI. De conditionibus appoſitis in contractibus. 303
TIT. VII. De tranſactionibus. 304
ART. I. Quid eſt tranſactio &c. ibid.
II. Qui tranſigere poſſunt. ibid.
III. Super quibus tranſigi poteſt. ibid.
IV. De tranſactionis effectu. 305
TIT. VIII. De emptione, & venditione. 306
ART. I. De datione arrarum. ibid.
II. Quid eſt venditio, & emptio. 307
III. De diviſione venditionis. ibid.
IV. Quo modo quælibet venditio perficiatur. ibid.
V. Ad quem ſpectet periculum rei venditæ. ibid.
VI. Ad quid tenetur venditor emptori, & è converſo. 308
VII. De impedimento præſtito contractui per errorem, dolum, vel deceptionem. 309
VIII. De menſura, & ponderibus publicâ auctoritate, vel conſuetudine inſtitutis. 311
IX. De caſibus, in quibus quis cogitur vendere rem ſuam. 312
X. De negotiationibus, & mercationibus, quæ conſiſtunt in emendo, & vendendo. ibid.
XI. De quibuſdam caſibus dubitabilibus circa emptionem & venditionem. 315
XII. De monopoliis, eorumque deſcriptionibus. 318
TIT. IX. De permutatione. 319
ART. I. Quid eſt permutatio. ibid.
II. Quando contrahitur permutatio, & de natura ejus, & convenientia, & differentia. ibid.
III. Quæ res permutari poſſint, & quæ pro quibus. ibid.
IV. Cum quibus perſonis poteſt Eccleſia permutare. 320
V. De arte campſoria. ibid.
TIT. X. De mutuo. 321
ART. I. Undè dicatur mutuum. ibid.
II. In quibus contrahitur mutuum? ibid.
III. Quomodo mutuum contrahitur. 322
TIT. XI. De uſura. ibid.
ART. I. Quid ſit uſura, & undè dicatur. ibid.
II. Quot, & quæ ſint ſpecies, & modi uſuræ. 323
III. Utrum accipere uſuram corporalem ſit peccatum. 324
IV. Utrum liceat in aliquo caſu recipere aliquid ultra ſortem. 328
V. De quibuſdam caſibus dubitabilibus, utrum ibi ſit uſura. 332
VI. De pœnis uſurariorum. 337
VII. De uſurarum reſtitutione. 342
VIII. De forma inſtrumenti obligationis uſurarii, vel raptoris ad reſtituendum aliena. 349
TIT. XII. De ſocietatis contractu. 351
XIII. De pignoribus. 355
ART. I. Quid ſit pignus, & undè dicatur. ibid.
II. Quot, & quæ ſunt differentiæ pignorum. ibid.
III. Quæ res poſſunt pignori obligari. 356
IV. Quomodo pignoris obligatio contrahitur. ibid.
V. Ad quid receptor pignoris tenetur. 357
VI. De venditione pignoris. ibid.
TIT. XIV. De locato, & conducto. 358
ART. I. Quid ſit locatio & conductio, & quis dicatur locator, & quis conductor. ibid.
II. Qualiter contrahatur. 359
III. Quibus prædia locari non poſſunt. ibid.
IV. Quæ locari poſſunt. ibid.
V. Quo tempore penſio debet ſolvi. ibid.
VI. In quibus caſibus poteſt expellere Dominus inquilinum. ibid.
VII. De quibuſdam dubitationibus circa contractum locationis, & conductionis præcipuè quæritur. 360
VIII. Quæ actiones naſcuntur ex locato, & conducto. 362
TIT. XV. De emphiteuſi. ibid.
ART. I. Quid ſit emphiteuſis. ibid.
II. In quibus conſiſtat emphiteuſis. 363
III. Qualiter contrahatur emphiteuſis. ibid.
IV. Quid Dominus ibi concedat, retineat, & recipiat, &

Digitized by Google

& quando poteſt emphiteotam expellere. ibid.
V. Utrum emphiteota ſuas meliorationes, & ſua emphiteomata poſſit deſtruere. 364
VI. In quibus emphiteuſis conveniat cum venditione, & locatione, & in quibus differat ab eis. ibid.
TIT. XVI. De commodato. ibid.
ART. I. Quid ſit commodatum, & undè dicatur. ibid.
II. In quibus rebus conſiſtat commodatum. 365
III. Inter quos ille contractus poſſit celebrari. ibid.
IV. In quibus commodator, & commodatarius ad invicem tenentur. ibid.
V. Quid juris de eo, qui commodat vaſa, vel pondera vitioſa. 365
VI. Quæ actiones naſcuntur ex contractu commodati. 367
TIT. XVII. De depoſito. ibid.
ART. I. Quid ſit depoſitum, & undè dicatur. ibid.
II. In quibus rebus depoſitum conſiſtat. ibid.
III. Quomodo habeat fieri depoſitum. ibid.
IV. In quibus depoſitarius teneatur deponere. ibid.
V. De actione depoſiti. 369
TIT. XVIII. De feudis. ibid.
ART. I. Quid ſit feudum, & undè dicatur. ibid.
II. Quot, & quæ ſint differentiæ feudi. 370
III. Quæ res poſſunt infeudari. ibid.
IV. Quis poteſt infeudare. ibid.
V. Quis poſſit infeudari. ibid.
VI. Quomodo conceſſio, ſive inſtitutio feudi fiat. ibid.
VII. Ad quos feudum jure ſucceſſionis perveniat. 372
VIII. Quibus ex cauſis feudum amittatur. 373
IX. Coram quo quæſtio feudi debeat ventilari. 374
TIT. XIX. De ſolutionibus. 375
ART. I. De ſolutionibus. ibid.
II. Quot, & quæ ſint ſpecies ſolutionis. ibid.
III. Quis teneatur, & poſſit ſolvere. 376
IV. Cui ſit ſolvendum. 378
V. Quid, & quantum ſit ſolvendum. 379
VI. De effectu ſolutionis. 381
TIT. XX. De donationibus inter vivos. ibid.
ART. I. Quid ſit donatio, & undè dicatur. 382
II. De ſpeciebus donationis. ibid.
III. Quis poſſit donare. ibid.
IV. Cui donari poteſt. 383
V. Quid poſſit donari. ibid.
VI. Quomodo fiat donatio. ibid.
VII. Ad quid teneatur donator. 384
VIII. De cauſis, ex quibus evocatur donatio. ibid.
TIT. XXI. De donationibus cauſa mortis. 386
ART. I. Quid ſit donatio cauſa mortis. ibid.
II. Quis poſſit donare. ibid.
III. Cui poſſit donari. ibid.
IV. Quid poſſit donari. ibid.
V. Quot, & quæ ſunt ſpecies hujus donationis. ibid.
VI. Qualiter hujuſmodi donatio fiat. ibid.
VII. Ex quibus cauſis hæc donatio poſſit revocari. 387
VIII. In quibus hujuſmodi donationes ſint ſimiles, & diſſimiles legatis. ibid.
IX. De effectu hujus donationis. ibid.
X. De forma inſtrumenti hujus donationis. ibid.
TIT. XXII. De legatis. 388
ART. I. Quid ſit legatum, & fideicommiſſum. ibid.
II. Quis poſſit legare. ibid.
III. Cui poſſit legari. ibid.
IV. Quid legans legare poſſit. ibid.
V. In qua ultima voluntate legari poſſit. 390
VI. Qualiter, & quibus verbis fiat legatum. ibid.
VII. Quot, & quæ ſunt ſpecies legatorum, & quo ordine debeant ſcribi legata. ibid.
VIII. De formis ſcribendi legata relicta pro reſtitutione malè ablatorum. 391
IX. De formis ſcribendi legata uxori relicta. ibid.
X. Quid juris de legatis in genere relictis. 392
XI. De legatis relictis Epiſcopo, vel Eccleſiæ Cathedrali, vel aliæ Eccleſiæ, quomodo debent dividi. ibid.
XII. De determinatione quorumdorum dubiorum circa legata. 393
XIII. Quibus modis legatum extinguatur. 394
TIT. XXIII. De fideicommiſſariis. ibid.
ART. I. De forma deputandi fideicommiſſarios. 395
II. De quibuſdam dubitationibus ſolvendis circa commiſſarios. ibid.
TIT. XXIV. De hæreditate. 396
ART. UNIC. Quid ſit hæreditas, & in quot, & in quas partes dividatur. ibid.
TIT. XXV. De hæredis inſtitutione. 397
ART. I. Quid ſit inſtituere hæredem, & undè dicatur. ibi.
II. Quibus verbis hæres inſtituatur. ibid.
III. In qua ultima voluntate hæres inſtituatur. 398
IV. De diverſitate hæredum. ibid.
V. De inſtitutione deſcendentium. 399
De inſtitutione liberorum naturalium, & legitimorum primi gradus. ibid.
De inſtitutione liberorum ſecundi gradus. 400
De inſtitutione poſthumorum. ibid.
De generalibus documentis circa inſtitutionem liberorum. ibid.
De inſtitutione liberorum legitimorum. 404
VI. De inſtitutione aſcendentium. ibid.
VII. De inſtitutione extraneorum. 403
VIII. De formis inſtitutionum hæredum. 404
IX. De cauſis exhæredandi. ibid.
TIT. XXVI. De ſubſtitutionibus. 405
ART. I. Quid ſit ſubſtitutio. ibid.
II. Quot, & quæ ſunt ſpecies, ſive differentiæ ejus. ibid.
III. De ſubſtitutione vulgari. 466
IV. De ſubſtitutione pupillari. 407
V. De ſubſtitutione exemplari. ibid.
VI. De ſubſtitutione compendioſa. 408
VII. De ſubſtitutione breviloqua, vel reciproca. 409
TIT. XXVII. Qui teſtari poſſint. ibid.
XXVIII. De teſtamentis. 411
ART. I. Quid ſit teſtamentum. ibid.
II. De effectu teſtamenti. ibid.
III. Ad quem pertineat defenſio teſtamenti. ibid.
IV. de ſpeciebus, ſive differentiis teſtamenti. ibid.
V. Quot, & quæ ſunt partes teſtamenti, & quomodo debeat ordinari. 412
VI. De proemio. ibid.
VII. De clauſula finali. ibid.
TIT. XXIX. De voluntariis providentiis teſtatoris. 413
ART. I. Quomodo provideatur, ne hæredes detrahat falcidiam de legatis. ibid.
II. Quomodo teſtator providere poſſit, ne hæres rem aliquam non alienet. ibid.
III. Quomodo teſtator poſſit providere alicui pupillo de tutore. 414
IV. Quomodo teſtator poſſit aliis ultimis voluntatibus præcèdentibus, vel ſequentibus derogare. 415
V. Quomodo teſtator providere poſſit, ut ejus diſpoſitio obſervetur. 416
TIT. XXX. De teſtibus teſtamentorum. 417
ART. I. De conditione, ſeu qualitate teſtium. 418
II. De modo, ſeu forma aſſumendi teſtes. ibid.
TIT. XXXI. De teſtamento in ſcriptis. ibid.
ART. I. Quomodo hoc teſtamentum conficiatur. ibid.
II. Quando, & coram quibus taſtamentum in ſcriptis aperiatur, & deſcribatur. 419
TIT. XXXII. De teſtamento cæci. 420
XXXIII. De cauſis, quibus teſtamentum inutile redditur, vel rumpitur. 421
XXXIV. De codicillis. 422
ART. I. Quid ſit codicillum, & undè dicatur. 423
II. Quis poſſit codicillari. ibid.
III. Quando fieri poſſunt codicilli. ibid.
IV. In quibus conveniant codicilli, & teſtamentum. ibid.
V. In quibus differant codicilli, & teſtamentum. ibid.
VI. De forma codicillorum. 424
TIT. XXXV. De ſucceſſionibus ab inteſtato. ibid.
ART. I. Quot, & quibus modis, quis dicatur ſuccedere ab inteſtato. ibid.
II. Quibus ab inteſtato hæreditas deferatur. 425
III. De ſucceſſionibus Clericorum, qui decedunt inteſtati. 426
TIT. XXXVI. Ad quid hæres teneatur. 427
XXXVII. De ſuffragiis defunctorum. 428
ART. I. Utrum ſuffragia facta per unum, poſſint valere aliis. ibid.
II. Quorum ſuffragia proſint defunctis. ibid.
III. Quibus ſuffragia proſint. 429
IV. Quæ ſuffragia proſint defunctis. 431
V. Quantum ſuffragia proſint. 432
TIT. XXXVIII. De orationibus exiſtentium tam in patria, quàm in purgatorio. 434
ART. I. Utrum cognoſcant orationes noſtras. ibid.
II. De orationibus Beatorum. ibid.

III.

III. De orationibus exiſtentium in purgatorio. 436
IV. De noſtris invocationibus Sanctorum. ibid.

LIBER IV.

De Tribus Primis Sacramentis.

TIT. I. DE ſacramentis in communi. 439
ART. I. Quid ſit ſacramentum, & in quibus conſiſtat. ibi.
II. De variationibus verborum ſacramentalium. 440
III. De numero, & ordine ſacramentorum novæ legis. 441
IV. De effectu ſacramentorum. 442
V. De miniſtris ſacramentorum. ibid.
VI. De iteratione ſacramentorum. 443.
TIT. II. De catechiſmo, & exorciſmo. 445
ART. I. De catechiſmo. ibid.
II. De exorciſmo. 446
TIT. III. De baptiſmo. ibid.
ART. I. De quo baptiſmo ſit hic intentio. ibid.
II. Quid ſit baptiſmus. 447
III. A quo fuit baptiſmus inſtitutus. ibid.
IV. De materia baptiſmi. ibid.
V. De forma ſacramenti baptiſmi. 448
VI. De lotione. 450
VII. De ritu baptiſmi &c. ibid.
VIII. De iteratione baptiſmi. 451
TIT. IV. De effectu baptiſmi. 452
ART. I. De efficacia baptiſmi in adultis. ibid.
II. De impedimento efficaciæ baptiſmi. 453
III. De efficacia baptiſmi in parvulis. 454
IV. De efficacia baptiſmi ante Paſſionem Chriſti. 455
TIT. V. De baptizantibus. ibid.
ART. I. Quis baptizare poſſit. ibid.
II. De numero baptizantium, & baptizandorum. 456
III. De intentione miniſtri. 457
IV. De fide baptizantis. 459
V. De bonitate miniſtri. 460
TIT. VI. De baptizandis. ibid.
ART. I. De obligatione baptizandorum ad baptiſmum. 461
II. De tempore, & ſtatu, in quo debet baptizari. 462
III. De his, quæ requiruntur in eis ante baptiſmum, vel etiam dum baptizantur. 464
IV. De his, quæ requiruntur poſt baptiſmum. 466
TIT. VII. De Sacramento Confirmationis. ibid.
ART. I. De inſtitutione hujus ſacramenti. ibid.
II. De neceſſitate confirmationis. ibid
III. De materia confirmationis. ibid.
IV. De forma confirmationis. 467
V. De efficacia confirmationis. ibid.
VI. De miniſtris confirmationis. ibid.
VII. De ſuſcipientibus confirmationem. 468
VIII. De ritu, & celebratione ſacramenti confirmationis. ibid.
IX. De ſacra unctione. 469
TIT. VIII. De Sacramento Euchariſtiæ. 470
ART. I. De inſtitutione hujus ſacramenti. ibid.
II. De ſignificatione ſacramenti Euchariſtiæ. ibid.
III. De præfiguratione ſacramenti Euchariſtiæ. 470
IV. De materia hujus ſacramenti. ibid.
V. De neceſſitate Euchariſtiæ. ibid.
TIT. XIX. De materia Euchariſtiæ. 472
ART. I. De materia corporis, & ſanguinis ſimul. ibid.
II. De materia corporis. ibid.
III. De materia ſanguinis. 474
TIT. X. De forma conſecrationis Euchariſtiæ. 476
ART. I. De quibuſdam, quæ pertinent ad formam conſecrationis panis, & vini. ibid.
II. De forma vini in ſpeciali. 477
III. De virtute formæ ſacramenti Euchariſtiæ. 479
TIT. XI. De converſione, quæ fit in Euchariſtia, & quomodo corpus Chriſti eſt ibi per converſionem. 480
ART. I. An poſt converſionem vere ſit corpus Chriſti in hoc ſacramento. ibid.
II. De modo quo corpus Chriſti exiſtit in hoc ſacramento. 481
TIT. XII. De accidentibus terminantibus in Euchariſtia. 482
XIII. De Miniſtro Euchariſtiæ. 483
ART. I. De miniſtro in communi ſacramenti Euchariſtiæ. ibid.
II. De miniſtro inepto ex parte corporis. 484
III. De miniſtro indigno ex parte mentis. ibid.
TIT. XIV. De celebratione miſſæ. 485
ART. I. De celebratione in communi. ibid.
II. De celebratione mali Presbyteri. 487
III. De tempore celebrationis. 488
IV. De vaſis, & loco celebrationis. 489
TIT. XV. De defectibus contingentibus in miſſa. 491
XVI. De auditione miſſæ. 495
VII. De uſu Euchariſtiæ. 499
ART. I. De ſumptione Euchariſtiæ. ibid.
II. De modo ſumendi corpus Chriſti. 500
III. De frequentatione ſacramenti Euchariſtiæ. 502
IV. Quibus debeat dari, & quibus non, corpus Chriſti. 503
V. De uſu Chriſti in ordine ad hoc ſacramentum. 505
TIT. XVIII. De impedimento Euchariſtiæ. 506
ARV. I. De his, quæ habent impedire ſumptionem Euchariſtiæ propter indignitatem. ibid.
II. De his, quæ habent impedire ſumptionem hujus ſacramenti propter fœditatem. 508
III. De his, quæ impediunt à ſumptione Euchariſtiæ propter ſtatuti congruitatem. 509
TIT. ULTIMUS. De efficacia ſacramenti Euchariſtiæ. 511
ART. I. Qualis ſit effectus hujus ſacramenti. ibid.
ART. ULTIMUS. In quibus efficaciam habeat Euchariſtiæ ſacramentum. ibid.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google